




Ad simpliciter usum P. Fr. Nicolai Lisini a Valentano Min: Obs. 184.





Sanctificauit tabernaculum suum altissimus. Ps. 45.



Adducentur Virgines post eam, Proximæ eius afferentur tibi. Ps. 44.



Homo et homo natus est in ea. Ps. 86.



Gloriosa dicta sunt de te Ciuitas Dei. Ps. 86.

DOMINICI GINNASII
EPISCOPI OSTIENSIS S.R.E. CARDINALIS
ENARRATIONES IN OMNES PSALMOS DAVID

Cum Indice copioso rerum

TOMVS PRIMVS



Terra nostra dedit fructum suum. Ps. 84.



Adducetur in templum Regis. Ps. 44.



Reges Tharsis, et Insulæ munera offerent. Ps. 71.










…ricordiam tuam in …templi tui.

ROMAE Typis Ludouici Grignani M. DC. XXX VI.







BEATISSIMAE SEMPER VIRGINI
DEIPARAE MARIAE.

LABORES iſtos meos in exponendis Sancti Regis Pſalmis, cui aptius dicarem haud comperi, quàm tibi Virgini glorioſiſſimæ. Etenim Dauidi adeò coniuncta progenies es, vt per te Dei genitricem id adimpletum ſit diuinæ ab illo acceptæ pollicitationis: De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam. Dicauit Rex Dauid opera ſua Regi Chriſto filio: fas ſit & mihi enarrationes haſce meas tibi dicare filiæ item eius, & Matri Chriſti ſimul, ac Reginæ. De te quippè is eximium illud protulit encomium: Aſtitit regina à dextris tuis in veſtitu deaurato circumdata virtutum omnium, & ſanctarum Virginum varietate. Harum Virginum in duobus, quæ extruxi Monaſterijs ſub duarum varietate Regularum exhibui tibi comitatum, vt & Patris tui die, nocteq. Pſalmos decantent. Et quid tutius turri Dauid, quæ tui extitit typus? Iure igitur optimo opus iſtud, quale quale eſt, depono deuotus apud te turrim ædificatam cum propugnaculis aduerſus oblatrantes. Et certè mille Clypei, ac innumeræ ex te pendent confidentiæ meæ in tua protectione rationes, quibus hominum propulſentur iacula linguæ. Suſcipe Domina mea munus iſtud, ſuſcipe & me, Monialesq. meas in tui patrocinium: tuaq. adiuues apud filium interceſſione, quam meritò omnem dixerim armaturam fortium.

Imprimatur, si videbitur Reuerendiss. P. Mag. Sacri Palatij Apostol.

A. Torniellus Vicesgerens.

IVSSV Reuerendissimi Patris Fr. Nicolai Riccardij Sacri Palatij Apostolici Magistri vidi totius libri *Psalmorum Enarrationem D. D. Dominici Eminentissimi, & Reuerendissimi Cardinalis Ginnasij, Sacri Cardinalium Collegij Decani*, mysticis exaratam sensibus, deuotionisq. refertam affectibus, eamquè censeo dignam, quæ imprimatur: cum nil vel aduersus fidem contineat, vel contrà bonos mores, quin doceat potius, atque afficiat. E nostro Cœnobio Sancti Siluestri in Monte Quirinali de Vrbe, hac die 9. Mensis Aprilis. Anni MDCXXXV.

Ego D. Michael Ghislerius è Clericis Regularibus, Sacræ Theologiæ, Sacrarumq. litterarum Professor.

Imprimatur,

Fr. Nicolaus Riccardius Sacri Palatij Apostolici Magister.

PRAEFATIO AVTHORIS AD LECTOREM.





POST meam in iurisperitiæ, forensiumq. negotiorum studijs vegetam totam consumptam ætatem, in me tandem, diuina opitulante gratia, aliquando reuersus ea recolui, quæ à Salomone prolata fuere. (Mens mea contemplata est multa sapienter, & didici; dediq. cor meum, vt scirem prudentiam, atque doctrinam, erroresq. & stultitiam, & agnoui quòd in his quoque esset labor, & afflictio spiritus, eo quòd in multa sapientia, multa sit indignatio, & qui addit scientiam, addit & laborem.) De doctrina, & scientia forensi, id totum à me probatum experimento, in qua tamdiù consumpsi ingenij mei vires. Prudentiam siquidem didici in iurisperitia, erroresq. ac stultitias humanas animaduerti forensibus in iudicijs. Ecclef. 1. num. 16.

Et profectò cunctos in humanis negotijs percepi esse labores, vt iure optimo in libro Iob scriptum id censuerim, (Homo nascitur ad laborem, & auis ad volandum,) in quæ S. Gregor. Papa. Grauis quippè, inquit, labor est, hanc ipsam præsentis vitæ gloriam quærere, quæsitam quandoq. percipere, & perceptam cum omni circunspectione custodire. Grauis labor est hoc cum magna fatigatione apprehendere, quod is, qui apprehenderit nouerit diù stare non posse.) Commouit autem me quammaximè, quod adiectum, (& auis ad volandum) Enimuerò forensium studio addictis, de quibus Apostolus dicebat, (Cum sit inter vos zelus, & contentio, nonnè carnales estis? nonnè homines estis?) sub auium metaphora illos oppositos arbitratus sum, qui ad diuinarum litterarum se transtulissent contemplationem: quorum mens ad sublimia iugi oblectaretur volatu. Iob c. 5. num. 7. Lib. 6. Moral. cap. 5. 1. Cor. 3. num. 3.

Cuius veritatis ex ijs desumpsi confirmationem, quibus S. Hieronymus Epistola ad S. Paulinum ad sacra studia illum excitans aiebat. (Oro te frater carissime, inter hæc viuere, ista meditari, nil aliud nosse, nil quærere. Nonnè tibi videtur, iàm hic in terris Regni cælestis habitaculum?) Et cum post pauca subiectum de eodem sacro studio legerim. (Petenti datur, pulsanti aperitur, quærens inuenit. Discamus in terris, quorum scientia nobis perseueret in cælo,) & ipse ea, quæ mox præallatis è libro Iob subiecta sunt, intrà me Epist. 103. Tom. 3. Iob c. 5. num. 8.

protuli. (Quamobrem ego deprecabar Dominum, & ad Deum ponam eloquium meum.)

August. lib. 9. Cōfession. cap. 4. Ut primum sacras attigi litteras, cum sancto dixerim Augustino (legebam, & ardebam litteras de melle cæli melleas, & de lumine tuo, Deus meus, luminosas. Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua super mel ori meo; Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis.) Psal. 118. num. 103. & 105. Sacrorum autem Psalmorum potissimum addixi me lectioni, ut pro viribus aliquid assequerer intelligentiæ, quia ut præclarè S. Basilius Magnus in suo Prologo super Psalmos ait, In suo Prologo superPsal. (cum alia sint, quæ Prophetæ tradunt, alia quæ historiæ; lex quoque alia: Prouerbiorum etiam alia commonitio. Psalmorum tamen liber quæcumque utilia sunt ex omnibus continet, futura prædicit: veterum gesta commemorat: legem viuentibus tribuit: gerendorum statuit modum. Et communis quidam bonæ doctrinæ Thesaurus est, aptè singulis necessaria subministrans.)

Et quia in quotidiano horarum Canonicarum recitandarum pensu Psalmos ipsos cogor proferre iugiter, cum S. Augustino lib. Confessionum suprà citato, sæpius intrà me dico. (Quas tibi Deus meus, quas voces dedi, cum legerem Psalmos Dauid Cantica fidelia; & quomodò in te inflammabar ex eis, & accendebar eos recitare, si possem toto Orbe terrarum aduersus typhum generis humani: & tamen toto Orbe cantatur, & non est qui se abscondat à calore tuo.) Apposui itaque cor meum, ut quos voce quotidie recitabam, & utilioribus, quibus possem, intelligerem sensibus, per quos & meum enutrirem affectum; & inuentos scripto consignare meis hisce in lucubrationibus horis contendi furtiuis.

Neque verò est, quòd arguat propterea me aliquis, vel quòd audacior visus sim, mittens falcem, (ut dici solet) in messem alienam, utpotè forensis, ac Iurisconsultus, Theologum agens. Vel quòd insuper in re tàm graui, sine præuio me dederim Doctore. Vel demum, quòd serius tàm arduo me dederim operi, ætatis nempè meæ anno Eccl. cap. vlt. nu. 1. septuagesimo secundo, monente Salomone, ut quæ diuina sunt, ante tempus tractemus senectæ.

Ob tria namque hæc præallata haud iure me reprehendendum per ista mihi persuadeo.

Enimuerò ut ab extremo exordiar, (Manent, inquit lib. de Senectute Tullius, ingenia senibus, modò permaneat studium, & industria. Est enim quieta, & pura, & eleganter actæ ætatis placida, ac lenis senectus. Epist. 2. ad Heliodorum. Quibus Sanctus Hieronymus addit, (Omnes penè virtutes corporis mutantur in senibus, & crescente sola sapientia, decrescunt cætera, Senectus eorum, qui adolescentiam suam honestis artibus instruxerunt, & in lege Domini meditati sunt die, ac

ac nocte, ætate sit doctior, vsu tritior, processu temporis sapientior.) Vndè benè Prouerb. dicitur, (Principium sapientiæ posside sapientiam, & in omni possessione tua posside intelligentiam, circumda illam, & exaltabit te, honora illam, & amplexabitur te.) Prouerb. c.4. nu.7.

Sapientissimum omnium, iuxtà oraculum Delphicum constat, inquit Valerius Maximus, ætate prouectum fidibus tractandis operam dare cœpisse: cur ergo æquius non fuerit, vt & ipse in senectute mea, vltrà illa, in quibus eousque meum desudarat ingenium, studio me addixerim libri Modulaminum, & dicerem; (Cantabiles mihi erũt iustificationes tuæ in loco, immo & in extremo peregrinationis meæ.) Val.Max. lib.9. Psal. 118. num. 54.

Porrò quamuis re vera dici non possim immediatè à forensibus ad sacras accessisse litteras, qui V. I. D. effectus, illicò ad Ecclesiastica me contuli munia, nedum Vtriusque Signaturæ Referendarij, sed & Legationum pro Apostolica Sede, ad Sacerdotium Episcopatus, & Cardinalatus promotus. Quæ sine sacrorum cognitione aliqua, ad quorum dumtaxat scientiam semper anhelaui, expleri nullatenus possunt magno sine piaculo: Apostolo inter cæteras virtutes Episcopi, quem ad Titum breui sermone depinxit, scientiam potissimum requirente in illo Scripturarum, his verbis; (Amplectentem eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, vt potens sit exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt arguere. Tit. c.1. num. 9.

Non tamen etiam nouum esset, vt sat opportunè, & benè à forensibus & Iurisperitiæ studijs immediatè transferret se quispiam, exemplis existentibus Sanctorum Veterumq. Patrum, Cypriani, Ambrosij, Paulini, Io. Chrysostomi, Victorini, Cæsarij, nostriq. æui insignis decoris Caroli Cardinalis Borromæi.

Nec prætermittam præstantissimum inter antiquos Augustinum: qui & de semetipso hæc ad Deum habet: (& placuit mihi in conspectu tuo non tumultuosè abripere, sed leniter subtrahere ministerium linguæ meæ nundinis loquacitatis: ne vlterius pueri meditãtes non legem tuam, non pacem tuam; sed insanias mendaces, & bella forensia mercarentur ex ore meo arma furori suo.) Lib. 9. Confess. cap.2.

Hunc ergo præter expositores alios præcipuum in toto sacrarum litterarum studio, inprimisq. in his Psalmorum Enarrationibus ducẽ, quem tutò sequerer, sum enixus habere. Itàvt quod de S. Cypriano Sanctus asserit Hieronymus, nunquam absque Tertulliani lectione vnũ diem præterijsse, suoq. Notario crebrò dicere sólitum: da Magistrum, Tertullianum videlicet significando. Idipsum & mihi de Sancto contigerit Augustino, assiduæ illius insistenti lectioni, Magistrumq. meum illum agnoscenti, fatenti, ac proclamanti. Lib. de Scriptor. Eccles. in Tertull.

Quin etiam cum perpenderim S. Ambrosij verba hæc, (Nescio quomodò præter imprudentiæ caliginem, quæ me circumfundit, vnum- Lib.9. Epistolar. Epist. 11. ad Sabin.

quem-

quemque fallunt sua scripta, & aurem prætereunt, atque vt filij etiam deformes delectant, sic etiam scriptorem indecores sermones sui palpant. Incautius plerumque aliquid promitur; aliquid accipitur maleuolentius, aliquid exit ambiguum. Quapropter alieno examinanda iudicio: non pro nostra debemus magis, quàm pro aliena opinione trutinare, & discutere omnes scrupulos maleuolentiæ.)

Hæc, inquam, tanti Patris cum perpenderim verba: lucubrationes istas meas, quantumlibet eæ mihi arriderent, Doctorum in sacrarumq. litterarum studio apprimè peritorum commisi iudicio, ijsq. videnda, & corrigenda curaui. (Malo quippè idem vbi supra dicebat doctissimo Sabino Ambrosius, tuo corrigatur iudicio, si quid mouet, priusquam foras prodeat; vndè iàm reuocandi nulla facultas sit, quàm laudari à te, quod ab alijs reprehendatur.)

Clem. Alexādr. lib.1.Stromatum. *Et magni sanè semper feci id (quod à Clemente Alexandrino dictum reperi verbis hisce.) Scriptum nullum existimo ità fortunatum procedere, cui nullus omnino contradicat; sed illud censeo esse rationi consentaneum, cui nemo iure contradicit; & actio simul, & institutum est admittendum, non quod est à reprehensione alienum, sed quod nullus iure reprehendit. Sat mihi quidem id exploratum est Poetæ Horatij monitum, quo lib. de Arte Poetica vltra prædicta; ad emittenda in lucem proprij ingenij monimenta, non exiguum suadet expectandum temporis, attentioriq. ab auctore ipsô polienda lima. Multorum grauissimorumq. virorũ nihilominus impulsus suasionibus prælo ad Dei honorem tenuis ingenij mei tales quales sunt, vobis pijs lectoribus sum ausus communicare labores.*

DO-



DOMINICI EPISCOPI OSTIENSIS, S. R. E. CARDINALIS GINNASII.

IN PSALMOS DAVID ENARRATIO.



IN PSALMVM I.



TITVLO caret iste Psalmus primus, quia cum totus loquatur de Christo innocente, à peccatoribus segregato, Sancto, impolluto, qui etiam excelsior Cælis factus est, ad Hebr. cap. 7. num. 26. & est Via nostra, Veritas, & Vita, Ioan. 11. num. 25. & cap. 14. num. 6. etiam lux mundi, quam sequentes non ambulant in tenebris, Ioan. cap. 8. num. 18. & cum ipse sit ostium, Ioan. cap. 10. num. 10. omnesq. Psalmi etiam Prophetiæ sint, vt quæ futura essent de Christo pronunciarent, Luc. 24. num. 44. Ioan. 5. num. 39.

Conueniens videbatur, vt Titulus huius Psalmi, omnium primus esset ipse Iesus Christus: Ego sum Alpha, & Omega, principium, & finis, Ioan. Apocal. 1. num. 8. & Isai. 44. num. 6. ego primus, & ego nouissimus, & ad Roman. 10. finis legis Christus ad iustitiam omni credenti. Beatus Vir, qui non abijt in consilio impiorum, quis enim est, vel fuit vnquam natura sine peccato, nisi ille solus, qui propterea venit in mundum, vt peccata deleret Iesus Christus Dominus noster, & saluaremur, Ioan. 10. num. 10. vndè dicebat: Quis ex vobis arguet me de

peccato? Ioan.8.nu.46. Isai.43.nu.25. ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor, & cap.53.num.12. ipse peccata multorum tulit.

Beatus ergo Vir iste filius hominis, qui non abijt in consilio impiorum; Beatus quoque vir ille, qui per ostium, quod Christus est, ingreditur; nàm ille saluabitur, Ioan.10.num.9. Cæteri autem fures sunt, & latrones: vndè dicebat ille iniquus, Si filius Dei es, dic, vt lapides isti panes fiant; si cadens adoraueris me, mitte te deorsum; quia Angelis suis Deus mandauit de te, & in manibus tollent te,&c. Matth.4. num.6. Dicebat humani generis inimicus, portæ salutis introitum impedire volens.

Et in via peccatorum non sedit. Quis enim potest dicere, esse sine peccato? & cum solus filius hominis Iesus Christus ipse sit, Isai.d.cap.53.num.9. eo quod iniquitatem non fecerit, nec dolus fuerit in ore eius, 1.Petr.2.nu.22. Ergo de Christo Iesu loquitur Propheta, dicens: ò beatus Vir, qui sine peccato es, qui in via peccatorum non stetisti, quia tu solus ipse es via Iustorum, & qui iter impiorum perire facis, dicto Psalm.1.num.6. in fine, ipse enim docet vias suas, vt ambulemus in semitis eius, Isai.2.num.5. qui in via peccatorum non sedet, qui non sedet in Concilio ludentium, Ierem.15.num.17. sed super gyrum terræ sedet, & habitatores eius sunt quasi locustæ, Isai.40.nu.22. & super solium excelsum eleuatum, Isai.6.num.1. Cuius solium præparatum est in misericordia, & sedet super illud in veritate, in Tabernaculo Dauid iudicans, & quærens iudicium, & velociter reddens quod iustum est, Isai.16.num.5.

Et in Cathedra non sedet pestilentiæ, non enim misit Deus filium suum in mundum, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum, Ioan.3.num.17. In primo enim aduentu posuit animam suam pro ouibus suis; quando verò secundus erit aduentus, in iudicij Cathedra sedebit; quia tunc plangent omnes Tribus terræ, & videbunt filium hominis venientem in nubibus Cœli cum virtute, & maiestate sua, Matth.24.num.3. Consurgant, & ascendant omnes in Vallem Iosaphat, quia ibi sedebo, vt iudicem omnes gentes in circuitu, Ioel 3.num.12. In Valle Concisionis est dies Domini, num.13. & quibus à sinistris erunt, dicet: Ite in ignem æternum, quod paratum est vobis. Benedictus Deus, qui primo venit, vt saluaret nos, & non sedet nunc, vt iudicet, sed vt saluet.

Beatus Vir, quia miserator, & misericors est, in hoc primo aduentu. Sed in lege Domini voluntas eius, & in lege eius meditabitur die, ac nocte, Luc.21.nu.37. erat autem diebus docens in Templo, nocte verò exiens morabatur in monte, qui vocatur Oliueti: & omnis Populus manicabat ad eum in Templo audire eum, Ioan.4.num.34. Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius, qui misit me: vt perficiam opus eius, quia ego, quæ placita sunt ei, facio semper, Ioan.8.num.29. & in cap.15.num.10. si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea, sicut ego Patris mei præcepta seruaui, & maneo in eius dilectione, idem in cap. 17. Et notum feci eis nomen tuum, & notum faciam, vt dilectio qua dilexisti me, in ipsis sit, & ego in eis, & erat pernoctans in oratione Dei, Luc.6.nu.12. & meditabar in mandatis tuis, quæ dilexi nimis, Psalm.118.num.47. Sed, & lingua mea tota die meditabitur iustitiam tuam; cum confusi, & reueriti fuerint, qui quærunt mala mihi, Psalm.70.num.24.

Beatus Vir qui in sapientia morabitur, & qui in iustitia sua morabitur, & in sensu cogitabit circumspectionem Dei, Eccles.14.num.22.

Et

Et erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo. Sicut ergo Iesus Christus venit vt saluaret nos; quia sic erat voluntas Patris, & sua, & Spiritus sancti: totaq. die, ac nocte iustus iste versabatur in lege Domini, vt adimpleret, quod per Prophetas prophetatum erat, quocircà in vltima Cœna dicebat; Desiderio desideraui hoc pascha manducare vobiscum, antequam patiar; dico enim vobis, quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in Regno Dei, &c. & donec Regnum Dei veniat, Luc. 22. num. 16. cum sequentibus.

Propterea dicebat Dauid, quòd iste iustus arderet charitate, meditareturq. in lege Domini semper, & desiderio flagraret, vt impleret Patris præceptum; asserebatq. similem arbori, quæ plantata sit secus decursus aquarum, & fructum suum det in tempore, nam sicut aqua semper irrigata arbor iuxtà illam posita vtilis est, & fructus faciens tempore suo: sic Christus arbor, ex cuius ventre flumina fluunt aquæ viuæ, Ioan. 7. num. 38. dabit, & dat fructum suum in tempore, Isai. 42. num. 3. effundens aquas super sitientes, & fluenta super aridam, effundens spiritum suum super semen suum, & benedictionem suam super stirpem suam, Ioel 2. num. 29. effundam super seruos meos, & ancillas in diebus illis spiritum meum, ecce fructus, quem dat arbor tempore suo, & quia est lignum Vitæ, Prouerb. 11. num. 30. apprehendamus istam arborem vitæ, seù lignum, & si illam tenebimus, beati erimus, Prouerb. 3. num 18. fructus ergo ex ligno est vita æterna, quam dat Deus diligentibus se. Aqua alias deleuit terram, iterum Sapientia, quæ est filius Dei, per contemptibile lignum sanauit iustum gubernans, Sap. 10. num. 4. desiderata res lignum istud Vitę, Prouerb. 13. num. 12. & quamuis ab hæreticis, & infidelibus sursum videatur præcisum; spes tamen semper extitit, & est certa, vt virescat, & rami eius pullulent, Iob 14. num. 7. benedictum lignum, per quod fit Iustitia, Sap. 14. num. 7. fortè lignum, & imputribile, Isa. 40. num. 20. in panem eius missum, quem desiderabant Iudæi eradere de terra viuentium: Ierem. 11. num. 29. nec mirum si Christus lignum appelletur, nàm Apocal. cap. 2. num. 7. Vincenti dabo edere de ligno Vitæ, & sic cap. 22. num. 14. Beati qui lauant stolas suas in sanguine Agni, vt sit potestas eorum in ligno Vitæ.

Folium eius non defluet, sursum rami præcidantur, radix remanet iuxtà aquas, virescet, & rami pullulabunt, Paul. ad Rom. cap. 11. num. 20. tu autem fide stas, & noli altum sapere, sed time; si enim Deus naturalibus ramis non pepercit: ne fortè nec tibi parcat; Vide ergo bonitatem, & seueritatem, in eos quidem qui ceciderunt seueritatem, in te autem bonitatem Dei, si permanseris in bonitate, alioquin & tu excideris. O Domine radix mea sit secus aquas istas, Iob 29. num. 19. folium ergo non defluet, cum arbor det semper fructum in tempore suo; nec folium eius defluet, quia erunt semper Prædicatores, & Doctores in Ecclesia Dei, neque deficient, quia Cælum, & terra transibunt, verba autem Iesu non præteribunt, non defluet folium, & fructus venient tempore suo; & omnia quæcunque faciet prosperabuntur: ò Domine benè prosperare, benedictus qui venit in nomine Domini, Psalm. 117. nu. 25. sic erit verbum meum, quod egredietur de ore meo, non reuertetur ad me vacuum; sed faciet quæcunque volui, & prosperabitur in his, ad quæ misi illud, Isai. 55. nu. 11.

Quid fecit Iesus, vt prosperaretur in actibus suis? propter electos nasci voluit, & mori in Cruce, ecce prosperitas, quia surrexit, quia ascendit, & multa corpora resurrexerunt, quæ visa sunt, & cum Iesu in Paradiso collocata sunt; instituit pro viuis

sacramenta, vt credentes baptizati, & bonum operantes saluarentur. Fructum dat in tempore suo: nam ex illo tempore vsque adhuc quotidiè in Ecclesia fideles nascuntur, ita vt in toto orbe terrarum credentes in illum saluentur, quia in omnem terram folia ligni virida sunt, cum exiuerit sonus eorum, scilicet Apostolorum, & in fines orbis terræ verba eorum, & fructus Ecclesia percipit tempore suo. Non timuerunt prædicantes verbum ab æstu, idest ab infidelitate, & persecutione infidelium, quia Christus lignum est super aquas, quod ad humores mittit radices suas: propterea folia eius virida, nec aliquando desinet facere fructum, Ierem. dicto c. 17. nu. 8. dixi aliquando, cum non semper vbique propter duritiam cordium, vel propter iniquitates, & peccata audientium, faciat fructum.

Fructus ergo ligni, quod plantatum est secus decursus aquarum, cum sint iusti, vt diximus, impij verò cum non sint ex ramis istius ligni, à quo præcisi sunt, non sic prosperabuntur vt iusti.

Immo sunt tanquam puluis, quem proijcit ventus à facie terræ, quia aridi sunt; humiditatem ligni tanquam præcisi noluerunt, haud mirum, si aridi in puluerem reuersi sunt, & à vento proiecti: terrena appetierunt, cælestia non curarunt, immo spreuerunt, & in terram reuersi sunt, in inferiores scilicet partes terræ proiecti, quia tanquam puluis fuerunt, & ad nihilum redacti sunt. Non sic ergo impij prosperabuntur, sed in ignem tanquam lignum aridum, & siccum vt comburantur semper, nec vnquam consumentur, mittentur, deijcientur. Matth. 25. Iob 4. num. 19. Qui habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentum, consumentur velut à tinea, de mane vsque ad vesperam succidentur, & quia nullus intelligit, in æternum peribunt, & paulò superius num. 8. quin potius vidi eos, qui operantur iniquitatem, & seminant dolores, & metunt eos; flante Deo perijsse, & spiritu iræ suæ consumptos.

Puluis est iustus, puluis est & iniustus, Genes. 3. num. 19. simul in puluere dormient, & vermes operient eos: Iob 21. num. 26. hæc tamen impiorum à ventis proijcitur, illa verò iustorum permanet, nec à vento agitatur; Vnde hoc? nisi quia illa impiorum flatuosa facilius à vento circumfertur, & reijcitur, ista verò iustorum rore flante, & aqua sapientiæ, & humilitatis madefacta permanet, nec mouetur, flatuosa per superbiam apostatauit à Deo; hinc Eccles. cap. 10. num. 17. & sequen. Radices gentium superbarum destruxit, mites vero, & humiles sedere fecit pro eis; superbos areficit, & disperdidit eos, & cessare fecit memoriam eorum à terra, memoriam superborum perdidit Deus; & reliquit eorum memoriam sensu.

Non sic ergo impij, non sic, sed tanquam puluis, quem proijcit ventus à facie terræ, detracta est enim ad inferos superbia eorum, Isai. 14. num. 11. & Ose. 13. nu. 3. idcircò erunt quasi nubes matutina, & sicut ros matutinus præteriens, sicut puluis turbine raptus ex area, & sicut fumus de fumario. Ideò non resurgent impij in iudicio, neque peccatores in consilio iustorum, Psalm. 68. num. 28. appone iniquitatem super iniquitatem eorum, & non intrent in iustitiam tuam, deleantur de libro viuentium, & cum iustis non scribantur, non ideò quia non resurgent, omnes enim resurgemus, sed quia in iudicio non resurgent, iam enim de his iudicatum est: hæc Hieronymus.

Vel dici posse cogitabam, non resurgent impij in iudicio tuo Domine, vt des illis locum pœnitentiæ, quod facis, dum degunt vitam præsentem patet, Sap. 12. num. 9. & 10. inquit enim ibi, non enim quia impotens eras in bello subijcere impios iu-

iustis, &c. sed partibus iudicans dabas locum pœnitentiæ, non ignoramus, quia nequam est Natio eorum, & naturalis malitia ipsorum, sed quia nunc venit Iesus in mundum, & ipsi negauerunt, & negant illum, secùs dicendum videtur, dicit enim ipse Iesus, Ioan. 15. num. 22. Si non venissem, & locutus eis non fuissem, excusationem de peccato haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo, Sap. 16. num. 4. oportebat enim illis sine excusatione quidem superuenire interitum exercentibus Tyrannidem; cadent in retiaculo eius peccatores, Psalm. 140. num. 10. & ibidem num. 4. & cum hominibus operantibus iniquitatem: non declinet scilicet cor meum. Non resurgent igitur impij in iudicio, quia non sperant amplius misericordiam à Domino, quem ipsi negauerunt, & negant, Ioan. 12. nu. 48. numquid non est vestrum scire iudicium, qui odio habetis bonum, & diligitis malum, tunc clamabunt ad Dominum, & non exaudiet, & abscondet faciem suam ab eis, Mich. 3. num. 1. & 4.

Non ergo de iudicio vniuersali, in quo omnes resurgere habent reddituri rationem de operibus illorum, & factis, Matth. 12. num. 36. & 37. ad Rom. 14. num. 12. Iob 21. num. 30. in diem perditionis seruatur impius, & ad diem furoris ducetur.

Sed de iudicio in via, & de impijs adhuc viuentibus, hoc facilè demonstrare videntur verba subsequentia Psalmi. Quoniam nouit Dominus viam iustorum, & iter impiorum peribit, si peribit, ergo iam non perierat, ergo adhuc in mundo erant, qui est mare magnum, & tempestatibus subiectum: Psalm. 103. num. 25. August. de Verb. Domini serm. 12. Fratres attendite sæculum, quasi mare, ventus validus, & magna tempestas, vnicuique sua cupiditas, amas sæculum, absorbet te: amatores suos vorare vouit non portare: & cum in hoc mundo duæ sint viæ, vna lata, quæ ducit ad perditionem, ad interitum: altera verò stricta, quæ ducit ad vitam, cuius caput, & Rex est Iesus Christus Dominus, alterius verò caput est Diabolus. Chrysost. super Matth. cap. 7. Impij, quia sunt ex Diabolo, & iter eius deuium ducit ad mortem, Prouerb. 12. num. 28. ipsi verò decipiunt amicos, ibidem num. 26. si illorum iter deuium ducit ad mortem, ergo non resurgent in iudicio, augentur hæc ex Ioan. cap. 17. num. 14. non pro mundo rogo, dicit Iesus hoc est pro impijs, quorum finem sciebat, interitum esse, sed pro illis, quos dedit illi Pater. Non resurgunt ergo impij in iudicio, quia iudicati sunt, Sap. cap. 16. num. 33. negantes te nosse impij: per fortitudinem brachij tui flagellati sunt, & per ignem consumpti, Ierem. 5. num. 12. negauerunt Dominum, & dixerunt non est ipse, & num. 14. quia locuti estis verbum istud, ecce ego do verba mea in ore tuo in ignem, & populum istum in ligna, & vorabit eos, Matth. 10. num. 33. qui negaturus est me coram hominibus, negabo, & ego illum coram Patre meo; non resurgent impij in iudicio, neque peccatores in consilio iustorum, Act. 13. num. 45. Iudæi repleti sunt zelo, & contradicebant his, quæ à Paulo dicebantur blasphemantes, & quoniam repellitis verbum Dei, indignos vos iudicatis vitæ æternæ, quanquam tametsi vt puluis à vento fuerint proiecti, in iudicio resurgent tamen vt puniantur, quia post mortem non est confessio, Eccles. 17. num. 26. cum in peccatis suis mortui sint, Ioan. 8. num. 21. & non resurgere dicuntur in iudicio, quia cum negent Deum, quomodo Deo resurgere possunt, nisi vt condemnentur? in malignitate autem sua consumentur, & in infernum proijcientur, Sap. 5. num. 14. abominatio namque est Domino via impiorum, Prouerb. 15. nu. 19. ideò non resurgent ad fruendum Deo, & resurgent in iudicio, vt iudicati condemnentur, quia vana fuerunt eorum opera, & cum eorum

vanitatibus peribunt, vt ſemper crucientur in igne, & nunquam morientur, vt viuant in tormentis.

Vel ſi volumus de iudicio vniuerſali intelligere, quod non reſurgent impij in iudicio, hoc eſt ad iudicandum alios, qui mala opera fecerunt; iſta enim interpretatio colligitur ex his, quæ Ieſus dixit, Matth. 12. num. 34. Progenies viperina, quomodo poteſtis bona loqui, cum ſitis mali? Ex abundantia enim cordis os loquitur, Luc. 6. num. 45. bonus homo de bono theſauro profert bona, & malus homo de malo theſauro profert mala, & num. 41. Matth. in dicto cap. 12. Viri Niniuitæ ſurgent in iudicio cum generatione iſta, & condemnabunt eam, quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ, & ecce pluſquam Ionas hic. Regina Auſtri ſurget in iudicio cum generatione iſta, & condemnabit eam, quia venit à finibus terræ, audire ſapientiam Salomonis, & ecce pluſquam Salomon hic, Impij quem in iudicio de bonis operibus ab ipſis factis, cum nulla ſint eorum bona opera, condemnabunt? propterea non reſurgent in iudicio, vt alios condemnent, cum ipſi iniqui ſint, & impij, & ſint nouiſſima illorum peiora prioribus, 1. Petr. cap. 2. num. 20. quod in alios, iudicarent, ſeipſos magis condemnarent, ad Rom. cap. 2. num. 1. eadem enim agis, quæ iudicas.

Vel & forſan melius dicamus, quòd impij non reſurgunt in iudicio, neque peccatores in conſilio iuſtorum, quia impij erunt ſeparati, neque erunt in congregatione, & conſilio iuſtorum ad gloriam, & ad vitam æternam. Sed erunt in congregatione, & conſilio iniquorum, & peccatorum propter eorum mala opera. Quoniam nouit Dominus viam iuſtorum, non impij reſurgent, vt iudicent iuſtos, iter enim illorum peribit, nam Dominus viam iuſtorum nouit, iuſtum enim deducit Dominus per vias rectas, & oſtendit illi Regnum Dei, Sap. 10. num. 10. & num. 17. & deduxit illos in via mirabili. Iter illorum peribit, non impij peribunt, ſed impietas, Hieronymus hic: hoc eſt quidquid extrà viam Chriſti, extrà Eccleſiam ſuam ſanctam, in vita geſſerunt, mortuum erit; Iſai. cap. 1. num. 12. & 13. cum ſequen. ne offeratis vltrà ſacrificium fruſtra: incenſum abominatio eſt mihi; Neomeniam, & Sabbathum, & feſtiuitates alias non feram, iniqui ſunt cœtus veſtri, & quæ ſequuntur: & cum multiplicaueritis orationem, non exaudiam.

Stemus ergo fratres ſuper noſtram viam, quæ eſt Chriſtus, & ambulemus in ea: ipſa enim eſt, quæ ducit ad ſalutem: ſolus cultor diuinæ legis Beatus: cum iniquis, & peccatoribus non ſit ſodalitas; illi enim in cathedra peſtilentiæ obſtinati ſedent. Si in lege Domini ambulauerimus, tāquam lignum iuxta aquas erimus, & fructum dabimus meritorium vitæ, quem ex arbore, ſeù ligno Vitæ, quod eſt Chriſtus, ſumemus; ipſe etiā reficiet nos, quia caro eius verè eſt cibus, & ſanguis eius verè eſt potus: & ſi illam dignè māducauerimus, in ipſo manebimus, & ipſe in nobis. Itaq. & nos erimus etiam tanquam lignum Vitæ, ſi opera Vitæ faciemus: idcircò quia iuſti reſurgent in iudicio ad vitam æternā, & glorioſam; talia ſint bona opera noſtra, vt ab illo approbata ſint, quæ nouit omnia Deus: opera verò mala impiorum peribunt.

Adaugeat nobis Dominus fidem accendat corda noſtra igne ſui amoris, vt ſemper bonum quod eſt operantes valeamus ſua implere præcepta. Amen.

Alius datur intellectus ad Pſalmum iſtum primum, Beatus Vir, qui non abijt in conſilio impiorum, erat enim illorum conſilium, vt Ieſum morti traderent; in via peccatorum non ſtetit, erant eorum corda obcæcata, indurata, propterea ſemper in peccato ſuo ſteterunt etiam poſt mortem Chriſti.

Beatus

Beatus ille qui in tali via non ſtat, ſicut multi fuerunt beati tempore Apoſtolorum, qui conuerſi, & confitentes peccata ſua percutiebant pectora, & reuertebantur ad lucem, Act. Apoſt. cap. 2. num. 37.

Beatus etiam qui in cathedra peſtilentiæ non ſedit, qui ſententiæ Pilati, & illorum iniquorum non conſenſerunt, cathedra peſtilentiæ verè ea fuit, ex qua deſolatio Ciuitatis, ac Templi deſtructio, eorundem abalienatio à Deo, & à lege eius diuina, magna peſtilentia, è qua nullus ferè illorum ſaluatus eſt: fuge voluntarium peccatum, Eccleſ. 20. num. 4. Iſte ergo Pſalmus de beatitudine illorum, qui factis facinoribus, & iniquitatis non conſenſerunt, loquitur: de beatitudine in via, & ſic de ſemiplena beatitudine. Plena enim beatitudo erit palma, Auguſt. in Ench. Ille beatus eſt, qui omnia quæ vult habet, nec aliquid vult, quod non decet, in quo iam eſt impletum illud, non aliquid vult, quod non decet, illud verò omnia quæ vult habet, quantum ad bona tranſitoria videtur eſſe impletum, cum ipſe ea contemnat; & amplius etiam de illis habeat, quam velit, quantum verò ad bona vera, quæ ſunt futura, non eſt hoc in eo impletum, quodammodo tamen habet ea, ſcilicet in ſpe, & non in re; ferè etiam habet ea in re, facilitate, vel propinquitate perueniendi ad ea; Vndè pauperum ſpiritu, & eorum qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, dicit Dominus iam eſſe Regnum Cælorum.

Beatus ergo ille, qui non abijt, qui non ſtetit, qui non ſedit, caue ergo, ne peccato conſentias, Tob. 4. num. 6. iſte fuit Ioſeph ab Arimathæa, qui nõ conſenſit conſilio, & actibus eorum, Luc. 23. num. 50. ita etiam Gamaliel, qui non conſentiens illorum conſilio, quo volebant occidere Apoſtolos, ſurgens dixit illis, ne occiderent; quia ſi ex hominibus conſilium hoc, aut opus diſſoluetur, ſi autem ex Deo eſt, vos non poteritis diſſoluere illud, Act. Apoſt. 5. num. 38.

Beatus qui non abijt cum fabricatoribus errorum quia ſecus, ſimul cum illis abiret, Iſai. 45. num. 16. abire ergo eſt à lege Domini, & à præceptis diſcedere, Iſai. 6. num. 67. nunquid & vos vultis abire, non fit receſſus, niſi per peccatum mortale: quiſquis à lege diſcedit, à Deo diſcedit, damnatus eſt. Si ergo ad vitam vis ingredi ſerua mandata, etenim benedictionem dabit legiſlator, Pſalm. 83. num. 8. Propterea beati, qui habitant in domo tua Domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te, conſilium impiorum longè ſit à me: dicit Iob 21. num. 16.

Abijt igitur, qui tentatus conſenſit, Iacob. Epiſt. 1. num. 14. Vnuſquiſque tentatur à concupiſcentia ſua abſtractus, & illectus; deindè cum concupiſcentia conceperit, parit peccatum, ecce quomodo ſtat, peccatum verò cum conſumatum fuerit, generat mortem; vide quomodo in cathedra peſtilentiæ ſedit.

Aduertit Hieronymus hic, quia dixit, in via peccatorum non ſtetit, non dicit ambulauit, quia nullus eſt abſque peccato, propterea ſtetit, non ſedit, ſtetit quia non perſeuerauit in peccato, hæc Hieronymus. abijt ergo vnuſquiſque in cordis ſui maligni ſenſum: Baruch 1. num. 22. idem Ierem. c. 10. num. 8. abierat vnuſquiſque in prauitate cordis ſui.

Beatus, qui non abijt in conſilio impiorum; abierunt enim illi poſt carnem alteram; qui ignis æterni etiam pœnam ſuſtinent, Iudæ Epiſt. 1. num. 7. propterea væ illis, qui in viam carnis abierunt, hinc Iſai. 57. num. 17. abijt vagus in via cordis ſui, Ierem. 7. num. 25. abierunt in voluntatibus, & in peccatis cordis ſui, propterea facti ſunt retrorſum, & non ante: & in cap. 9. num. 14. & abierunt poſt Balaam, quod didicerunt à Patribus ſuis, à conſilio ergo malo conſerua animam tuam, Eccleſ. 37. num. 9.

num. 9. à consiliario serua animam tuam, abijt, qui substantiam à Patre petijt, & porcos pascens comedebat de siliquis, & stetit, sed non sedit, quia reuersus ad Patrem confessus est, quia peccauit, Augustinus hic, abijt enim ille, cum recessit à Deo; stetit, cum delectatus est peccato; sedit, cum in sua superbia confirmatus redire non potuit, nisi per eum liberatus, qui neque abijt in consilio impiorum, nec in via peccatorum stetit, nec in cathedra pestilentiæ sedit, Augustinus hic.

Sed in lege Domini voluntas eius, & in lege eius meditabitur die, ac nocte: Beatus est, qui custodit legem, Prouerb. 29. num. 18. beati enim sunt, qui ambulant in lege Domini, Psalm. 118. num. 1. meditatio enim est, non solum in legendis sacris Scripturis, sed in exequendis illis, quæ in eis scripta sunt, atque faciendis, Hieron. hic. hinc Psalm. 17. num. 22. retribuet mihi Dominus, quia custodiui vias Domini, nec impiè gessi à Deo; quoniam omnia iudicia eius in cõspectu meo semper, Psal. 38. nu. 4. & in meditatione exardescet ignis, nonne cor nostrum ardens, dum loqueretur nobis in via, & aperiret nobis Scripturas? Luc. 24. n. 32. Diliges Dominũ Deum tuum, &c. Deut. 6. nu. 5. eruntq. verba hæc, quæ ego præcepi tibi, hodie in corde tuo nu. 6. & 7. & meditaberis in ea sedens in domo tua, & ambulans in itinere dormiens, atque consurgens: & Iosue c. 1. num. 8. Non recedat volumen legis à te, sed meditaberis in eo diebus, ac noctibus, vt custodias, & facias omnia, &c. hinc Paul. ad Timoth. 4. num. 13. attende lectioni, exhortationi, & doctrinæ; hæc meditare, in his esto. Non sic fecerunt Iudæi, qui legem Domini irritauerunt, Ierem. 31. num. 32.

SOLILOQVIVM.

VTINAM ò Domine beatus sim ego ille Christianus, qui in Ecclesia positus vestigia Iesu Christi Domini fuerit sequutus, nõ in impiorum consilio mixtus, nec in via peccatorum stans, illorum delectationibus inhærendo, nec minus iustè iudicans iustos, in consilio sedens impiorum. Vtinam hæc euitem, sed in lege Domini sit affectus, & voluntas mea: in illaq. tàm in prosperis, quàm in aduersis mediter; tunc enim prospera huius mũdi despiciam, & nulla aduersantia formidabo instar arboris. Secus aquarum fluenta erit vita mea; si secus crucem Domini Iesu, si lacrymis, & planctu considerans, quæ ille in cruce sustinuit, & ipse contribulatus die, ac nocte mediter in illa. Tunc fructum tempore suo centuplum accipiam, qui Christum sequutus, in innocentia mea permansero; folium quippè meum non defluet, quia cum Christo in eadem ætate resurgam, & omnia mea opera bona prosperabuntur, centuplum accipiens, & vitam æternam possidens. Absit, absit Domine Deus meus sim sicut impij, qui & si ad damnationem resurgent tanquàm puluis, proijcientur à facie terræ, vt in profundo demersi nunquam demergantur, vt perpetuò puniantur.

Nouit enim Dominus viam iustorum, & impiorum iter peribit; quia illis non amplius erit iter, quo ostendatur illis salutare Dei. O bone Iesu Via, & Vita nostra, duc me in illam, vt nunquam declinem ab illa; fac me iuxtà aquas lacrymarum semper peccata mea deflere, vt veniam apud te valeam peccatorum meorum inuenire; per merita illius Virginis de qua plures fecit & Psalmos, & Prophetias Dauid, vt nos cognosceremus, quia ipsa Maria Virgo tua est Mater, & Genitrix. Amen.

IN

IN PSALMVM II.

Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania?



CVM Psalmista in priori Psalmo Christum Dominum nostrum innocentem sine peccato, & illum esse lignum Vitæ demõstrasset: Propterea diximus Psalmum illum non habere Titulum, quia Christus erat Titulus, & Caput; quem sequentes vitam æternam erant consecuturi; mirandum admodum, quomodo totus mundus post illum non esset iturus, sed magis mirãdum dicit Dauid, quia Principes Iudęorum, & gentes, vt illum de terra delerent, & illius memoriam prostraturos cogitarent, frementes in illum, qui est, & dat vitam omnibus, qui Dominus est Cæli, & terræ, quos ille creauit, & fecit, & dolore cordis tactus, & admirans exclamat illorum dementiam, inquiens.

Quare fremuerunt gentes, & populi Iudæorum scilicet, meditati sunt inania? non requirebatur ergo Titulus, cum sit de Christo sermo, sicut in priori, quamuis diuersimodè, nàm in primo de Vita, & potestate Christi, in secundo de contradictione illi facienda, & de consilio contra eundem ad perdendum.

Continuatur ergo ad præcedẽtem iste Psalmus; nam in primo de filio Dei venturo iusto ad saluandas gentes, hæc autem salus nisi per passionem eius facienda erat, meritò hic de impiorum consilio ad eum perdendum.

Quare ergo fremuerunt gentes, Gentiles scilicet, qui sine ratione erant, fremere enim est propriè ferarum, secundum Cassiod. & ratione non vtentium, legimus de S. Ignatio in libro Hieronymi de Scriptoribus Ecclesiasticis. Pugno ad bestias in mari, in terra, nocte, dieq. cum decem Leopardis, hoc est militibus, qui me custodiunt. Et hoc est etiam proprium peccatorum, vndè Psalm. 111. num. 10. Peccator videbit, & irascetur, dentibus suis fremet, & tabescet, sed desiderium peccatorum peribit, & Prouerb. 19. num. 12. sicut fremitus leonis, ità & Regis ira: vt quid ergo fremuerunt gentes: feruens etiam, & fremens earum Dux Diabolus sorbet terram, nec reputat tubæ sonare clangorem, Iob 39. num. 29. sed hunc, qui continet omnia, sorbere tentatis? ò stultitia magna, ò feralis sæuitia, ò bestialis iniquitas, Isai. 40. num. 15. ecce gentes, quasi stilla situlæ, & quasi momentum stateræ reputatæ sunt. Ne tradas Domine bestijs animas cõfitentes tibi, Psalm. 73. num. 19. Similes esse bestijs dicebat, Eccles. 3. num. 18. quorsum ergo, vel quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania contra Dominum, cum omnes gentes, quasi non sint, sic sint coram Deo, & quasi nihilum, & inane reputatæ sint ei: Isai. 40. n. 17. & habitatores eius sicut locustæ, ibidem num. 22. & omnis violenta prædatio cum tumultu, & vestimentum mixtum sanguine erit in combustionem, & cibus ignis, Isai. 9. num. 5.

Et populi meditati sunt inania? pro populo enim intelliguntur Iudæi, vt in dicto cap. 4. Act. Apost. qui minoratur corde, idest deficit mente, cogitat inania: & Vir imprudens, & errans cogitat stultè: Eccles. 16. num. 23. Authorem Vitæ vultis occidere? Psalm. 40. num. 6. Inimici mei dixerunt mala mihi, quando morietur, & peribit nomen eius, vana loquebatur cor eorum, & num. 8. aduersum me susurrabant omnes inimici mei, nunquid qui dormit, non adijciet, vt resurgat, num. 9. vana loquebantur, & inania: non saluabit impietas impium; Eccles. 8. nu. 8. stultus

fatua

fatua loquitur, & cor eius faciet iniquitatem, vt perficiat simulationem, & loquatur ad Dominum fraudolenter; Fraudolenti vasa, vasa pessima sunt: ipse enim cogitationes concinnauit, ad perdendos mites in sermone mendaci, cum loqueretur pauper iudicium, Isai. 32. num. 7.

Astiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum aduersus Dominum, & aduersus Christum eius, Herodes, & Pilatus, Anna, & Caiphas in vnum conuenerunt, quamuis anteà inimici Herodes, & Pilatus, vt morti traderent Iesum, S. Bernard. serm. 37. super Cantic. loquens de tali amicitia, inquit; Ineunt familiaritatem ad maledicendum, concordes ad discordiam, conciliant inter se inimicitias, amicitias, & parati consentire malignitatis effectum, sed celebratur odiosa collatio, sic conuenientibus in vnum non est Dominicam cœnam manducare, sed propinare, & bibere calicem dæmoniorum, hæc Bernardus.

Astiterunt ergo reges, & principes murmurationibus, & fremitu gentium, & populorum, illis assistentes, & consentientes, immo excitantes illos contra Iesum, & seruos eius, Matth. 27. num. 20. Principes autem Sacerdotum, & Seniores persuaserunt populis, vt peterent Barabbam, Iesum verò perderent; similiter contra Apostolos Act. 13. num. 50. Iudæi autem concitauerunt mulieres religiosas, & honestas, & primos Ciuitatis, & excitauerunt persecutionem in Paulum, & Barnabam, & eiecerunt eos de finibus suis. Et propterea mihi magis videtur sensui nostro adhærere, quod in Hebræo habetur, scilicet sic se constituerunt, idest quasi murum habuerunt, vt resisterent Messiæ venienti; illud verò conuenerunt in vnum, idest, vt in Hebræo, consultauerunt, ita etiam Cardinalis Bellarminus hic. Et consonant, quando Magi dicebant, & perquirebant, vbi esset, qui natus erat Rex Iudęorum? Matth. 2. num. 2. & 3. audiens autem Herodes, Rex, turbatus est, & omnis Ierosolyma cum illo, & num. 4. & congregans omnes Principes Sacerdotum, & Scribas populi, & num. 13. Angelus Ioseph in somnis dixit, surge, accipe puerum, & Matrem eius, & fuge in Ægyptum, futurum est enim vt Herodes quærat Puerum ad perdendum eum, &c. Reges ergo, & Principes suscitauerunt populum, & astiterunt sospitibus etiam, vt Iesum perderent.

Sed quare contra Iesum, sic erant ad perdendum parati? quia erat contrarius operibus illorum, & carnis sensibus, verba enim sunt Prophetæ, cui talia futura contra Christum rapræsentabantur per Spiritum sanctum, fremitum scilicet gentium, & Iudæorum, & illorum conuentum aduersus Iesum, quorum consilium, & verba erant, vt dirumperent vincula eorum, dicente.

Dirumpamus vincula eorum, & proijciamus à nobis iugum ipsorum. Non solum ergo contra Iesum, sed etiam contra Apostolos, & Prædicatores verbi Dei, quod enim iugum proiecistis ò impij? iugum enim Domini suaue, & onus eius læue est, Matth. 12. num. 30. Collum vestrum subijcite iugo, & suscipiat anima vestra disciplinam; in proximo est enim inuenire eam: videte oculis vestris, quia modicum laboraui, Eccles. 51. nu. 34. & 35. in opere eius exiguum laboratis, Eccles. 6. nu. 21. & vincula illius alligatura salutaris, num. 31. ibid. Iugum Diaboli Iesus excussit, quo præmebar, onus scilicet peccatorum, & dominium, & Tyrannidem, qua præmebamur, Diaboli confregit, Isai. 9. num. 4. iugum enim oneris eius, & virgam humeri eius, & sceptrum exactoris eius superasti: hinc Ezech. 34. num. 25. & cessare faciam bestias pessimas de terra, & num. 27. & scient, quia ego Dominus cum contriuero catenas iugi eorum, & eruero eos de manu imperantium sibi. Ecce quare fre-

fremuerunt gentes, quia sub iugo Diaboli permanere volebant, Ioan.8. num.44. Vos ex patre Diabolo estis. Ideò meditati sunt inania, quia Deus scientiarum Dominus est, & ipsi præparantur cogitationes, & Dominus scit cogitationes hominum, quia vanæ sunt, Psalm.93.num. 11. & reprobat cogitationes populorum, Psalm.32. num.10. dissipat consilia gentium, & reprobat consilia Principum.

Dirumpamus vincula eorum, & proijciamus à nobis iugum ipsorum, Sap.2.per totum. Se ipsum enim Regem facit iste Iesus, nos verò subditi illius erimus, & nobis ipse dixit, viperarum genimina esse; dicens, Progenies viperarum, quis demonstrauit vobis fugere à ventura ira? Matth.4.nu.7.cap.12. nu. 34. Progenies viperarum quomodò potestis bona loqui, cum sitis mali? Serpentes, genimina viperarum, quomodò fugietis à iudicio gehennæ? Matth.12. num. 34. Luc. 3. num. 7. minaturq. quotidie nobis mala, dicens, Væ vobis hypocritæ, qui clauditis Regnum Cælorum ante homines: væ qui comeditis domos Viduarum, væ vobis, quia circuitis mare, & aridam, vt faciatis vnum Proselytum, & cum factus fuerit, facitis enim filium gehennæ duplo quàm vos, num. 15. & quia similes estis sepulchris dealbatis, & latius prout Matth. 23. per totum.

Dirumpamus vincula eorum, & proijciamus à nobis iugum ipsorum. Præterea, & cum se Regem faciat contradicit Cæsari, & si relinquimus eum sic, venient Romani, & tollent locum nostrum, & gentem nostram; Nos enim non habemus Regem, nisi Cæsarem; Melius est, vt vnus moriatur. Proijciamus ergo à nobis iugum ipsorum; & cum opponerent hæc, Iesus tamen tacebat, Matth.26. nu.63. Diues iniustè aget, & fremet; pauper autem læsus tacebit, Eccles.3.num.4. & in alio loco, Thren.2.num.16. Aperuerunt super te os suum omnes inimici tui: sibilauerunt, & fremuerunt dentibus, & dixerunt: Deuorabimus eum: en ista est dies, quam expectabamus, inuenimus, vidimus. Vigilauit iugum iniquitatum mearum, in manu eius conuoluti sunt, & impositi collo meo, infirmata est virtus mea, dedit me Dominus in manu, de qua non potero fugere, Thren.1.num.14.

Sed qui habitat in Cælis irridebit eos, & Dominus subsannabit eos, Prouerb. 1. num. 24. Quia vocaui, & renuistis, extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret me, despexistis consilium meum, ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo, cum vobis id quod timebatis, aduenerit. Obseruabit peccator iustum, & quærit mortificare eum, stridens super eum dentibus suis; Dominus autem irridebit eum, quia prospicit, quòd venit dies eius, Psalm. 36.num.12. & 13. Homo apostata vir inutilis, graditur ore peruerso, annuit oculis, terit pede, digito loquitur, prauo corde machinatur malum, & omni tempore iurgia seminat, huic ex Templo, idest repentè veniet perditio sua, & subito conteretur, nec habebit vltro medicinam, Prouerb. 6. num. 13. & sequen. Propterea disrumpere vincula quærunt, ne vlla sit illis veniæ spes; recede à nobis, & quasi nihil possit facere omnipotens, æstimabant eum, Iob 22. num.17. & Isai.13.num.9. Ecce dies Domini veniet crudelis, & indignationis plenus, & iræ, furorisq. ad peccatores terræ conterendos de ea, ne amplius vtantur illis, nec possint illis esse in adiutorium; quod disruptum est, inutile fit vinculum, & eò magis, quia iugum suaue Domini proiecerunt. Dirumpamus vincula, proijciamus etiam iugum ipsorum, quia noluimus (inquiunt) seruire Deo: non dissoluamus, sed disrumpamus; vt penitus inutilia nobis sint; ex Patre enim Diabolo erant, & desideria Patris sui volebant facere, Ioan.8. nu. 44. Dirumpamus dicebant, vincula, & proijciamus iugum; sed contrarium euenit,

nàm

nàm Dominus disrumpet illos inflatos sine voce, & commouebit eos à fundamentis, & vsque ad supremum desolabuntur, & memoria illorum peribit, Sap.4. nu.19.

Sed qui habitat in Cælis irridebit eos, & Dominus subsannabit eos, idest exponet irridendos omnibus, vas enim contrà figulum. O magna Dei clementia, quia illos tandiù sustinuit. Veruntamen in diebus illis ait Dominus, non faciam vos in consummationem, Ierem.5.num.18. impij tamen secundum quæ cogitauerunt, corruptionem habebunt, qui neglexerunt iustum, & à Domino recesserunt, Sap.3. num.10. & Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore, ecce quomodò computati sunt inter filios Dei, & inter Sanctos sors illorum est, Sap.5. num.4. cum sequen. illos habuimus in derisum; sed errauimus à via veritatis, dicit Sap. dicto cap.5. num.6. & 7. lassati sumus in via iniquitatis, & perditionis, viam autem Domini ignorauimus, ecce quomodò irrisio Domini fiat; quia in malignitate sua consumpti sunt. Talia dixerunt in Inferno, dicto cap.5. num.13. & 14. vbi nulla est redemptio. Videbunt, & contemnent eum, illos autem Dominus irridebit, & erunt post hæc decidentes sine honore, & in contumelia inter mortuos in perpetuum, Sap. dicto cap.4. num. 18. & 19. Popule meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt viam gressuum tuorum dissipant, stat ad iudicandum Dominus, & stat ad iudicandum populos, Isai. cap.2. num.12. & 13.

Tunc loquetur ad eos in ira sua, & in furore suo conturbabit eos; Non dabit tunc Dominus amplius locum pœnitentiæ, semen illorum maledictum ab initio, nec timens aliquem veniam dabat peccatis illorum, Sap. dicto cap. 12. num. 11. Signa, quæ faciebat Dominus Deus Iesus erant, ventis, & mari imperare, mortuos ad vitam iussu suo reducere, cæcos à natura, & claudos sanare, Dæmonibus imperare, illosq. de corporibus obsessis mandato suo eijcere, propterea fortiorem Iesum illis fuisse poterant cogitare, & considerare, quòd in mundo nemo fortior Deo, qui fecit illa, ergo Deum Iesum, qui talia fecit esse, & Dominum necesse erat confiteri, Sap.13. num.8. & 9. & si Deum poterant cogitare ex operibus, quomodò fremuerunt contrà ipsum, quomodo aduersus Iesum concilium, vt traderent morti fecerunt?

Iustè ergo tunc loquetur ad eos in ira sua, ite maledicti in ignem æternum, quod paratum est vobis, & in furore suo conturbabit eos; non quia in Deo sit passio aliqua, sed per metaphoram dicitur irasci, & furere, quando seuerè punit, Psalm.20. nu.9. Inueniatur manus tua omnibus inimicis tuis, dextera tua, idest vltio dexteræ tuæ inueniat omnes, qui te oderunt; & qualis vltio sit, declarat in sequenti vers.num.10. Pones eos, vt clibanum ignis, idest facies ardere sicut fornax, vel ad instar fornacis, in tempore vultus tui, furoris tui, iræ tuæ. Dominus in ira sua conturbabit eos, & deuorabit eos ignis. Zelus, & furor viri non parcet in die vindictæ, nec acquiescet cuiusquam precibus, nec suscipiet pro redemptione dona plurima, Prouerb.6.num.35.

Tunc loquetur, & in præsenti vita loquitur non in ira sua, sed in charitate, & Amore. Non veni, dicens, vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam, Matth.9. num.13. Non venit filius hominis, vt mundum iudicet, sed vt saluetur mundus per ipsum, Ioan.3.num.17. & venit saluare, quod perierat; sic enim dilexit Deus mundum, vt Vnigenitum suum daret, Ioan. 3. num. 16. neque illa lex, quam nobis dedit, in alio consistit, quàm in dilectione. Immo quamuis locuti fuerint aduersum me, dicit Dominus. Lingua dolosa, & sermonibus odij circundederunt me, &

expu-

expugnauerunt me gratis; pro eo vt me diligerent, detrahebant mihi, ego verò orabam, & odium pro dilectione ponebam, Psalm. 108. num. 3. & sequen. ego verò pro illis rogabam te Patrem, vt parceres illis, quia nesciunt, quid faciunt. Tunc verò quando diruperunt vincula, & proiecerunt iugum loquetur in ira sua, & in furore, constituet super ipsos peccatorem, & Diabolus stabit à dextris illorum oratio illorum fiet in peccatum, & peccatum non delebitur illorum; disperdet de terra memoriam eorum, & cum iustis non scribentur, d. Psal. 108. & Psal. 24. immo audient illum dicentem, Ite maledicti in ignem æternum, Matth. 25. nu. 41.

Diù sustinet peccatores Deus, quia grandem iram, grandis dilatio præcedere debet, & grandis dilatio iudicium iustius facit esse, Chrysost. super illud Matth. 7. tunc confitebor illis; hinc Psalm. 93. nu. 3. vsquequo peccatores Domine, vsquequo peccatores gloriabuntur? populum tuum humiliauerunt, non videbit Dominus, dixerunt, nec intelliget Deus Iacob, Psalm. 52. num. 1. Quid gloriaris insipiens in malitia tua? Deus destruet te in finem, euellet te, & emigrabit te de tabernaculo suo, & radicem tuam de terra viuentium, Psalm. 51. num. 7. confringet Deus capita inimicorum suorum, verticem capilli perambulantis in delectis suis, Psalm. 67. num. 21. intelligite hæc qui obliuiscimini Deum, ne quando rapiat, & non sit qui eripiat, Psalm. 49. num. 22. Vsquequo ergo peccatores gloriabuntur, & respondet idem Psalm. 49. num. 15. quoad vsque iustitia conuertatur in iudicium, omnes enim qui recto sunt corde iuxtà illam, peccatores verò in ignem æternum, tunc in furore suo conturbabit eos, Sap. 5. num. 2. Turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in subitatione insperatæ salutis; quia defecimus in ira tua, & in furore tuo turbati sumus, Psalm. 89. num. 7. Greg. Moral. lib. 21. super illud Iob 31. num. 3. Nunquid non est perditio iniquo, & alienatio operantibus iniustitiam, inquit. Ille iniustus ad debitam mortem currens est, effrenatis voluptatibus vtitur, quia etiam vituli, qui mactandi sunt, liberi in vberioribus pascuis relinquuntur, vitulus verò ad laboris vsum deputatus, sub iugo tenetur, sic iustus à delectationis iucunditate transitoriè restringitur.

Herodes Rex post Christi persequutionem, ac infantium trucidationem, incidit in varias, easq. grauissimas calamitates, quibus successit pessimus morbus, immo plurium morborum cumulatio; lento enim torrebatur calore, quo cruciabuntur viscera, vehementi voracitate, intestinorum exulceratione, colicis passionibus, pedum tumore vexabatur, ac demùm verenda putrefacta scatebant vermiculis, accedente fęda tentigine, & fętore grauissimo: quibus morbis vndique præssus, infelicissimè pœnam impietatis, exigente Numine, diem clausit extremum: vt colligitur ex Iosepho de Hist. antiq. lib. 17. cap. 8,

Alter Herodes, qui Christum spreuit paulò post à Caio Cæsare, Tetrarchia priuatus, bonisq. mulctatus, apud Lugdunum Vrbem Galliæ relegatus, ibi animi mędore confectus miserrimè obijt, ex Iosepho de Hist. antiq. lib. 18. cap. 9. & Heges. de excid. Hierusalem lib. 2. cap. 5.

Pilatus non multum post Christi mortem accusatus, & reus constitutus de quibusdam delictis à Vitellio in ordinem redactus, ac Romæ missus fuit, teste Iosepho de antiq. lib. 18. cap. 5. in fine, ac posteà in exilium missus Viennæ sibi ipsi mortem consciuit, Baron. annal. 41. tom. 1. fol. 280.

Caiphas quoque circà id tempus, in ordinem redactus, calamitatibus obrutus, ac vitæ pertesus sibi mortem consciuit, teste Clemen. Constit. lib. 8. cap. 1.

Anna quoque malè perijsse testatur, Niceph. lib. 2. cap. 10.

Iudas autem laqueo se suspendit, vt notum est, sicut, & Iudæorum internicio, & Ierosolymæ sub Tito, ac Vespesiano destructio nimis est manifesta, & sic omnes, qui contra Iesum fremuerunt, exardescente in breui ira Domini in virga ferrea confracti fuere.

Ego autem constitutus sum Rex ab eo super montem sanctum eius, prædicans præceptum eius. Postquam contra impios illos, qui contra Dominum locuti sunt, & aduersus Christum eius, & vt illum perderent consuluerunt, aliaq. meditati sunt inania, propter quæ iram Dei contra ipsos irritauerunt, & furor illius conturbauit illos; nunc Iesus volens illis suam auctoritatem ostendere, & personam suam magis illis notam facere, quis nam esset, inquit.

Ego scilicet, qui factus sum homo, constitutus sum Rex ab eo, scilicet qui habitat in Cælis, à Deo Patre meo, super Sion montem sanctum eius, idest super Ecclesiam, quæ est Ciuitas in monte posita, & super omnes gentes: ad quid vultis ò Reges, ò Principes terreni, & terrena sapientes, sed non ad salutem, immo insipientes, assistere contra filium Dei, à Deo Patre Regem super omnia Regna mundi constitutum? Vinculum rumpere idest præceptum, quod dedit illi Pater ad prædicandum tollere præsumitis, & iugum proijcere? Cælum, & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt, dicit Iesus, Matth. 24. num. 35. Super montem sanctum, contra quem nec portæ inferi præualere possunt? Princeps vester Diabolus eiectus est foras, Ioan. 12. nu. 32. & vos eius milites maiores vires habetis per illum, vt proijcere Iesu Christi vincula valeatis? ò miseri, Deus irridet vos, idest vos ostendit ridiculosos: non est potestas super terram, quæ comparetur Domino, Iob 41. num. 24. & quis nouit potestatem iræ suæ, Psalm. 89. num. 11. in manu Dei potestas terræ, Eccles. 10. num. 4. & nu. 8. Regnum de gente in gentem transfert, propter iniustitias, iniurias, & diuersos dolos. Super Sion montem sanctum eius, excelsius est iste mons in vertice montium, Isai. 2. in princ. & erit in nouissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium; ad illum non accedit superbus, sed humilis: humilis enim ponit in sublime, Iob. 5. num. 11. Luc. 1. num. 52. & exaltauit humiles, prædicans præceptum eius, decretum eius, seu testamentum nouum, quod prædicandum erat in vniuerso mundo, omni creaturæ, Matth. 28. num. 19. euntes ergo docete gentes, &c. docentes seruare omnia quæcunque mandaui vobis. Ecce pręceptum pędicandum, quod mandauit Dominus; iste est mons ille Sion, de quo Ioel d.c. 3. nu. 19. & scietis quia ego Dominus Deus vester, habitans in monte sancto meo, & erit Ierusalem sancta, idest Ecclesia Dei, & alieni non transibunt per eam amplius, & fons de domo Domini egredietur, & irrigabit torrentem spinarum, idest animas beatorum irrigabit, hoc est gloria Dei, velut aqua irrigabuntur.

Ego autem Rex sum constitutus ab eo: sed quis sit ille Rex, ne forsan de Dauide, aut de alio quouis cogitaremus; ipsemet Dauid tanquam Propheta Dei, Spiritu sancto afflante ex persona Iesu Christi loquens dicit; Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te. Felix illa dies Domini, quæ illuxit nobis, Psal. 117. num. 27. dies diei eructauit verbum, Psalm. 18. num. 13. in qua semper filius generatur à Patre; ego hodie genui te in æternitate, cum non sit principium, neque finis, sed hodie, quia semper generatur filius, igitur filius meus es tu Iesus Christus, qui est heri, & hodie, & in æternum. Hieronymus hic ego hodie genui te. Posset

etiam

etiam dici de illa die, qua natus est ex Virgine sine semine Christus, & ex Spiritu sancto, sed secundum August. quia hodie præsentiam significat, atque in æternitate, nec præteritum quicquam est, quasi esse desierit, nec futurum quasi nondum sit, sed præsens tantùm, quia quicquid æternum est, semper est, diuinitus accipitur secundum id dictum, ego hodie genui te, quo sempiternam generationem virtutis, & sapientiæ Dei, qui est Vnigenitus filius, fides sincerissima, & Catholica prædicat, hæc August. & Paul. ad Hebr. 1. num. 6. tantò melior Angelis effectus, quantò differentius præ illis nomen hæreditauit: Angelos enim creatos fuisse non est dubium, ergo de generatione æterna loquitur Psalmus. Non potest ergo intelligi de Dauide, quia generatio eius habuit principium, & sic præteritum, similiter, & sua promotio ad Regnum secundum Apostolum, vt supra.

Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Noluit te recipere prauitas Iudæorum, postula à me filius meus Deus factus homo, quia tibi dabo Gentiles, in hæreditatem tuam loco Iudæorũ, & possessionẽ tuã terminos terræ, nõ enim amplius pars hæreditatis, & funiculi, Psal. 104. num. 11. dabo tibi terram Chanaam funiculum hæreditatis; omnes gentes nunc dabo tibi hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ; gentes erunt populus tuus, hæreditas tua, non solus Iudæorum populus, vt ante: diuidebat tunc Dominus gentes, & separabat filios Adami; pars autem Domini populus eius; Iacob funiculus hæreditatis eius: Deuter. 32. num. 9. hodie verò in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum, Isai. c. 42. num. 6. dedi te in fœdus populi in lucem gentium, vt aperires oculos cæcorum dicto cap. 49. num. 6. ecce te in lucem gentium dedi, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ, audientes autem gentes gauisæ sunt, & glorificabant verbum Domini, Act. 13. num. 48. quotquot tamen erant prædestinati ad vitam æternam.

Non ergo Dauid loquitur ipsi Dauidi, nec de illo potest intelligi, nàm si verba Psalmi consideremus, neque vllum illi potest adaptari verbum; Propterea etiam Rabbini antiquiores de Christo rege Messia exposuerunt illum, vt testatur Rab. Sal. quem allegat Lyran. hic in princ. quamuis idem Rabb. de Dauide, vt loquatur conatur ostendere. Quare fremuerunt gentes, & populi meditantur inania: inania dixit, quia quis contra Dominum? ipse enim constitutus est à Deo Rex, & regnat, vt lux luceat iusto, & rectis corde lætitia, propterea exultet terra, lætentur insulæ multæ, quia Dominus regnauit, vt saluet omnes. A facie Domini montes sicut cera fluxerunt, quia regit eos in virga ferrea Principes, & Reges, & tanquam vas figuli confringet eos. Vbi sunt Idolorum cultores, & eorum generatio? fluxerunt sicut cera. In virga ferrea, & regit eos: & possessio illius termini terræ, in qua omnes populi viderunt gloriam eius, cæliq. annuntiauerunt iustitiam eius, idest Apostoli; quia iustus est Dominus, & concidit ceruices, peccatorum scilicet, Psal. 128. n. 4. cõfundantur, & conuertantur retrorsum omnes, qui oderunt eum. Dirumpamus vincula eius, sed Dominus irridet eos, & confundet omnes, qui gloriantur in simulachris suis.

Ego autem constitutus sum Rex ab eo, propterea adorent eum omnes, etiam Angeli eius. Et hoc audito ab Ecclesia, quod Rex sit constitutus Iesus filius in terra, audiuit, & lætata est, ita Dauid canit in toto Psalmo 96. Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te: cui enim Angelorum, Paul. Act. cap. 4. nu. 26.

cum sequen. & cap. 13. num. 33. aliquando dixit, filius meus es tu, ego hodie genui te, ego ero illi in Patrem, & ipse erit mihi in Filium: Paul. ad Hebr. cap. 1. num. 5. cum sequen.

Postula à me, & dabo tibi gentes, terminos terræ. In conueniendo populos in vnum, & Reges, vt seruiant Domino, Psalm. 101. num. 16, quarum gentium? In finibus terræ dominium habuit Dauid? Quando præceptum Domini in omnem terram prędicauit Dauid? quam disciplinam toti orbi apprehendendam docuit Dauid? quam eruditionem iudicantibus omnem terram, & Regibus omnibus? erant ne Reges, & Iudices omnis terræ subditi Dauid? solus enim Iesus Christus omnium Dominus, & in omnes habens dominium, per se, & suos Apostolos disciplinam docuit, eruditionem Iudicibus reliquit; timorem Domini docuit, in omnem terram sonus eius exiuit.

Vlterius, si Dominus filium Dauid appellat, cui Domino alteri Dauid, Dixit Dominus Domino, sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum? hæc Paul. dicto cap. 1.

Ex hoc ergo Psalmo, peccata gentium, & populorum agnoscimus: contra etiam peccata supradicta remedium didicimus, fremitus gentium anteponitur, & inanes populorum meditationes, ad quæ euitanda, intelligentia docetur, & eruditio, dicit ergo.

Nunc Reges intelligite. Nunc dicit, quia posteà non est redemptio, si in peccato permanserint vsque ad mortem; nunc ergo, dum tempus est vobis, intelligite, quid sit fremere, & contra quem sit fremitus, & propter quam causam. Istud enim est intelligere, discernere scilicet, & rem per causas cognoscere. Fremitus est propriè ferarum, quæ cum sint sine ratione, sic & fremitus earum. Fremitus vester est, ò Reges contra Dominum, qui vos creauit, quorum spiritus est in manu eius: ille etiam est, qui aufert spiritum Principum, Psalm. 75. num. 13. Contra Dominum calcitrantes resistere eius voluntati cogitatis? hoc est sine ratione, iste est fremitus bestiarum, & quamuis Deus sit ipsa recta ratio, quia est ipsa iustitia, & sapientia, quia est iustus Iudex, & iusti sunt omnes sermones eius, non est ei prauum quid, neque peruersum, Prouerb. 8. num. 8. & patiens, Psalm. 7. num. 12. atque fortis, propterea nihil sine ratione operatur, attamen fremitis? quia Deus factus est homo; & ad quid? vt saluet vos, & liberet à pœnis inferni: & vos fremitis? ò irrationabilis fremitus, ò stultitia, & inanis meditatio vestra, ne forsan tollat vestra mortalia Regna? non aufert mortalia, qui regna dat cælestia: venit in mundum, non vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum.

Quapropter Dauid docet vos Reges gentium, & populorum Iudæorum intelligentiam, antequam irascatur dicens, Et nunc reges intelligite, Baruch. 3. num. 14. Disce vbi sit prudentia, vbi virtus, vbi sit intellectus, scias simul, vbi sit longanimitas vitæ, & victus, vbi sit lumen oculorum, & pax. Et quatenus vestra non sit sufficiens intelligentia, erudimini, qui iudicatis terram. Habetis Prophetas, & Doctores, Episcopos, & Magistros, ab illis legem Domini discatis: scrutamini scripturas, quia ipsæ perhibent testimonium de Iesu Christo, qui venit in mundum, vt redimat populum à peccato. Diligite iustitiam, qui iudicatis terram, Sap. cap. 1. eruditus enim in Verbo reperiet bona, & qui sperat in Domino, beatus est, Prouerb. 16. num. 20.

Et quia sequitur Psalm. nu. 2. Astiterunt reges terræ, & principes conuenerunt

in

in vnum aduersus Dominum, & aduersus Christum eius: durat fremitus, sequitur illorum furor bestialis, dirumpamus vincula eorum, & proijciamus iugum ipsorum. Videte, quia iugum Domini suaue est, ò miseri, & leue; discite ab illo, quia mitis est, & idcircò Dauid ponit remedium, ne loquatur ad vos in ira sua, & ne in furore suo conturbet vos, num. 5. dicens, Seruite Domino in timore, exultate ei cum tremore, quia ipse est qui iuxtà Scripturas cōstitutus est Rex à Deo Patre, super montem sanctum eius prædicans præceptum eius, hoc est Euangelium. Et ne hominem solum illum esse putetis, Dominus dixit ad illum, Filius meus es tu, ego hodie genui te, num. 7. Os ergo Regis obseruate, & præcepta iuramenti Dei, nec recedatis à facie eius, neque in opere malo permaneatis, quia omne quod voluerit faciet, Ecclesi. 8. num. 2. & 3. si ergo præceptum eius obseruaueritis, non experiemini quicquam mali: ibidem num. 5. ideò dicit Propheta num. 11. d. Psal. 2. Seruite Domino in timore, exultate ei cum tremore; Dirumpamus vincula eorum num. 3. & proijciamus iugum ipsorum à nobis, superbia eorum, qui te oderunt ascendit semper, Psalm. 73. num. 23. sed quid superbis cinis, & terra? Ecclesi. 10. num. 9. iniquè egistis superbi, iniustè cogitatis, succendetur quasi ignis, impietas vestra; Isai. 9. num. 18. An ignoratis, quia in ira Domini conturbata est terra, & erit populus, quasi esca ignis? ibid. Isai. num. 19. arrogans enim, & superbus vocatur indoctus, qui in ira operatur superbiam, Prouerb. 21. num. 24. reddet retributionem superbis, Psalm. 93. num. 2.

Seruite Domino in timore, ecce remedium, contra superbiam, humilitas scilicet, seruite Domino in bonitate, & in simplicitate cordis quærite illum, quoniam inuenitur ab his, qui non tentant illum: & apparet eis, qui habent fidem in illum, Sap. 1. num. 2. cum sequen. humiliamini in conspectu Domini, Iacob. 4. num. 10. quia qui se exaltat, humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur, Luc. 14. nu. 11. Matth. 18. num. 4. & cap. 23. num. 12. audi Psalmistam, humiliatus sum, & liberauit me, Psalm. 114. num. 6.

Exultate ei cum tremore: ibant enim Apostoli gaudentes à conspectu Concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati, vt Act. Apost. c. 5. num. 41. sed cum tremore, Ecclesi. 8. num. 12. ego cognoui, quòd erit bonum, (inquit ille) timentibus Deum, qui vereantur faciem eius, Baruch. 3. num. 33. obedite cum tremore, & Paul. ad Philip. cap. 2. num. 12. cum metu, & tremore vestram salutem operemini.

Sequitur Psalm. num. 5. nàm postquam dirumpere vincula Dei statuerunt, & iugum proijcere, tunc loquetur ad eos in ira sua, & in furore suo Dominus conturbabit eos, Abac. 3. num. 12. in fremitu conculcabit terram, & in furore obstupefaciet gentes. Tunc dixit, quando peruersi permanebunt in suis impietatibus.

Propterea egredietur iudicium peruersum, quia impius præualet aduersus iustum, Abac. cap. 1. num. 4. ipse tamen Dominus de Regibus triumphabit, & Tyranni ridiculi eius erunt, dicto cap. 1. nu. 10. & gentes quasi stilla situlæ, & quasi momentum stateræ reputatæ sunt, & Insulæ, quasi puluis exiguus ipse sedet super gyrum terræ, & habitatores eius sunt quasi locustæ, Isai. 40. num. 15. & 22.

Quocircà Dauid, vt pœnam iniqui Reges, & populi effugiant, nunc Reges (dicit) intelligite, quia tunc non erit pœnitentia. Apprehendite disciplinam Domini, nequando irascatur, & pereatis de via iusta, num. 12. d. Psalm. 2. & quia ex tunc ira sua, & nos ex nunc disciplinam eius apprehendamus, vt illam ex tunc iram

Domini effugiamus. Hęc docet Psalmista, dicens: apprehendite disciplinam, apprehendite (inquit) non dicit accipite disciplinam, hoc est, firmiter inhærete disciplinis Iesu Christi Domini nostri.

Conuertimini ad correptionem meam; obseruate verba oris mei, ne quando obliuiosos vos corripiat Dominus, & pereatis de via iusta; eo quod exosam habeatis disciplinam Domini, & timorem eius non suscipiatis, nec acquiescatis consilio meo, dicit Propheta, cum exarserit in breui ira eius, beati omnes qui confidunt in eo.

Quare ergo fremuerunt Reges, & inania meditantur populi; nunquid quia Christus est filius Dei, ergo duos esse Deos cogitatis? Astiterunt (inquit) Reges aduersus Dominum, & aduersus Christum eius, dirumpamus vincula eorum, & proijciamus à nobis iugum ipsorum, ergo sunt duo Dij? Vnus est Deus, vnus est Dominus, non dicatis iugum ipsorum, sed iugum Domini, quia ipse in Patre, & Pater in eo est, Ioan. 14. num. 10. & cap. 17. num. 21. & si aduersus Dominum, eritis etiam aduersus Christum eius. Alia confitemur quòd sit persona Patris, alia Filij, alia Spiritus sancti, vnica tamen est Patris, & Filij, & Spiritus sancti Diuinitas, æqualis gloria, coeterna maiestas, si ergo Christum persequimini, nonne & Patrem, & Spiritum sanctum? non sunt ergo eorum vincula, sed eiusdem Patris, & Filij, & Spiritus sancti iugum suaue, quod per os Christi auditis. Pater Deus qui habitat in Cælis, irridebit vos, & subsannabit vos, si verbo Christi Iesu non credideritis; & in ira sua Deus conturbabit vos, si Filio Dei Iesu Christo, qui carnem nostram suscepit, & homo factus est à Deo Patre missus, non credideritis; hic factus est homo, & vt homo constitutus est etiam ab eo supèr montem Sion prædicans præceptum eius, & ego (ait) sum, cui dicit Deus Pater; filius meus es tu, qui semper genitus es à me.

Veni vt gentem saluarem, vt illas in hæreditatem meam me contingentem liberarem: mihi data est omnis potestas in Cælo, & in terra, vt qui in terra sunt, etiam regam eos in virga ferrea, qui noluerint seruare præcepta, quos tanquam vasa figuli confringam.

Nunc verò Reges intelligite, erudimini, qui iudicatis terram, quia ipse est Iesus Saluator, qui egressus in salutem populi sui, Abac. cap. 3. num. 19. qui in fremitu conculcabit terram, & in furore gentes obstupescere faciet, ibidem num. 18. Ne ergo irascatur Dominus, apprehendite disciplinam; nam in breui, statim, in ictu oculi venit ira eius, cum exarserit. Beatus est homo, qui sperat in eo, declinat à malo, & facit bonum: ò Domine Iesu, & salus mea fac, me non declinare à via tua, quia cum exarserit in breui ira tua in ictu oculi tui, 1. Corinth. 15. num. 12. pendet tota destructio mundi, Sap. 11. num. 22. & 23. Virtuti brachij tui quis resistet? quoniam tanquam momentum stateræ, sic est ante te orbis terrarum, & tanquam gutta roris antelucani, quæ descendit in terram, ita Sodomam submersisti in momento, Genes. 19. num. 24. Thren. 4. num. 6. reddens velociter, quod iustum est, Isai. 16. num. 5. Cum ergo exarserit in breui, idest breuiter, infert pęnam, & destructionem; propterea beati, qui confidunt in eo, Ierem. 17. num. 7.



SOLILOQVIVM.

BENEDICTVS Vir, qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia eius, &c. Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias nos, sed miserere nostri, quia quamuis debiles, & lutea vasa portantes, cognoscimus, & te confitemur Regem, & Dominum Iesum Christum filium Dei super montem istum sanctum, idest Ecclesiam Catholicam, & Apostolicam constitutum, genitum hodie ex Patre tuo, qui te filium vnigenitum dixit, & propalauit, hæreditas tua sumus, aliosq. ita esse docemus, & erudimus: serui tui sumus, & lætamur, sed cum tremore cor nostrum meditatur timore, Isa. 33. num. 18. non seruili, sed filiali; veruntamen cum tremore, quia ignoramus an odio, vel amore digni simus; serui tui sumus, sed etiam si disciplinam tuam apprehendimus, inutiles.

Noli irasci contra nos peccatores, & quando propter peccata, & offensiones nostras erga Diuinitatem tuam deliquimus, & irasceris, in illo momento indignationis tuæ absconde faciem tuam parumper à nobis, Isa. 54. num. 8. vti in misericordia sempiterna misertus nostri, benedicamus Patrem, & te Filium, & Spiritum sanctum vnum Deum, qui fecit nobis misericordiam suam, Ita fiat, Ita fiat, Ita fiat. Domine Deus Redemptor noster Iesus Christus. Amen.

IN PSALMVM III.

Domine quid multiplicati sunt, qui tribulant me?
multi insurgunt aduersum me.

TITVLVS est, Psalmus Dauid cum fugeret à facie Absalon filij sui, Non vt Psalmus dicatur super fugam Dauidis ab Absalone, sed Psalmus factus tempore illius fugæ, Dauidis scilicet à Deo inspirati. Et ità magis placet opinio Valentiæ, & Bellarminij hic. ratio ex illa Canonica Petri sumitur 2. cap. 1. num. 21. Hoc primum intelligentes (inquit ille) quòd omnis prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit, non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto inspirante locuti sunt Sancti Dei homines.

Suadent hæc verba Psalmi, quæ nullo modo adaptantur ipsi fugæ, nec Dauidi, vt inferius dicam. Psalmus ergo est de Passione, Morte, & Resurrectione Iesu Christi.

In primo enim Psalmo locutus est Deus de bonitate Messiæ Iesu, & de eius Beatitudine.

In secundo Psalmo de Concilio, & fremitu impiorum contra Iesum, & de eius potestate, quia Rex est, & Filius Dei viui.

In hoc tertio Psalmo, quia ipse venturus erat, vt populum sibi creditum morte sua redimeret, & liberaret; loquitur Dauid de Passione eiusdem Filij Dei, de Morte, & illius Resurrectione.

Verùm quia in secundo Psalmo de fremitu gentium, & populorum contra Regem Regum Iesum Christum tantùm, de quo spiritus Domini per os Dauid locutus fuerat; vt iunctum sit caput cum corpore, propterea ponit nunc etiam hic idem Propheta,

pheta, & persequutionem illius, & in suam Ecclesiam; Propterea dicit, Domine quid multiplicati sunt, qui tribulant me? quia etiam persequũtur Ecclesiam meam, Corpus meum, & illam tribulant? Christus enim passus est, & resurrexit, & Ecclesia sua pariter passa est, & per Tyrannos penè prostrata, sed demùm viuificata, & in magua gloria constituta est.

Domine quid multiplicati sunt, qui tribulant me? quia & meam Ecclesiam, cuius ego sum Caput, & ipsi membra, persequuntur, ad Eph. 5. nu. 23. ad Colos. 1. num. 18. qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit, qui autem spernit me, spernit eum, qui misit me, Luc. 10. num. 16. ego in eis, & tu in me, & vt ipsi in nobis vnum sint, Ioan. 17. num. 22. & 23. Fremuerunt prius contra me, dicit Iesus, nunc etiam multiplicantur inimici, qui oderunt me, etiam persequuntur membra mea. Vt quid Domine? pro qua causa membra autem, & corpus vnum sumus Christi, 1. Corinth. 12. ad Eph. 4. num. 13. Vnum corpus, & vnus spiritus, & num. 15. veritatem autem facientes in charitate, crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus, ex quo totum corpus compactum, & connexum per omnem iuncturam.

Confiteor ego tamen cum cæteris, quòd res ipsa fugæ Dauid à persequutione Amsalon fuerit, sed ita vt Spiritus sanctus exinde Dauidem impulerit ad huius Psalmi compositionem, vt in eo signa, quæ ex dicto Psalmo colligenda essent, de Morte, & de Resurrectione, & de persequutione Christi, & eius Ecclesiæ prædicerentur, & prophetizarentur, quia sacra Scriptura testamenti veteris rerum, & signorum simul exempla ponit, quod non est in alijs scientijs.

August. de doctrina Christiana in 1. quæ refert Magister in lib. 1. dist. 1. Ambulauerat populus Israel tribus diebus per solitudinem, & non inueniebat aquam, & venerunt in mare, nec potuerunt bibere aquas de mare, eò quod essent amaræ; per lignum tamen quod ostenderat Moysi Dominus, missum in aquas, illæ in dulcedinem versæ sunt; Exod. 15. num. 22. & 25. & res sic se habuit; simulq. signum deprehendit ex illa, lignum namquè humanitas Christi, seù lignum Crucis, & cum genus humanum per duos dies ambulasset per solitudinem huius mundi, in lege scilicet naturali, in lege Moysis, aquam gratiæ nunquam reperitur, nisi in tertia die Euangelica; in aquam enim Iordanis Christus ingressus baptizatus est, ex qua omnis peccati amaritudo remota fuit ab anima per Baptismum: quæ regenerat nos, res enim sic se habuit, illud tamen lignum, & illa aqua amara in dulcedinem conuersa fuerunt signum, & figura baptismatis Christi, & sic de alijs rebus, & signis in veteri testamento dicimus, in quibus prænotatur causa materialis, idest res ipsa, & signum, quod percipitur ex illa.

Historia verò Absalon, vt videri poterit 2. Reg. cap. 5. fuit, & narrat, signa tamen Passionis Christi, & Mortis dicuntur. Domine, vt quid multiplicati sunt, qui oderunt me, cum illis benefecerim: sed nonne hoc est preceptum tuum Domine? Matth. 5. num. 44. Luc. 6. num. 27. tu enim dixisti benefacite his, qui oderunt vos, multipricati ergo sunt, qui oderunt te Domine, & Ecclesiam, vt maiorem ostenderes erga nos charitatem tuam, vt morte tua deleres nostra delicta.

Domine quid multiplicati sunt, qui tribulant me? Vide Domine quoniam tribulor, turbatus est venter meus, Thren. cap. 1. num. 20. dicebant. Principes Sacerdotum, & Pharisæi, non est hic homo à Deo, qui Sabbatha non custodit: melior est, vt vnus moriatur; Nisi esset hic malefactor, non eum tibi tradidissemus:

hos

hos Pharisęos, & Proditores, vocaui amicos meos, & ipsi deceperunt me; Sacerdotes mei consumpti, quia quæsierunt cibum sibi, vt refocilarent animam suam, Thren. 1. num. 19. Concitauerunt turbam, vt Iesum perderent, clamantes, Crucifigatur. Domine quare multiplicati sunt, qui tribulant me, multi insurgunt aduersum me, sic respondes Pontifici? alapam dantes; vah qui destruis templum in tribus diebus; seductor ille, dicebant impij, multi insurgunt aduersum me, odio habuerunt me gratis: veni enim vt illos saluos facerem.

Multi dicunt animæ meæ, non est salus ipsi in Deo eius. Hic non eijcit Dæmones, nisi in Belzebub Principe Dæmoniorum, Matth. 12. num. 24. si filius Dei est descendat de Cruce, nisi enim desperassent resurrecturum, non occidissent, dicit Aug. Alios saluos fecit, se ipsum saluum faciat; Matth. imperfecti enim quando iustos vident tribulatos, cogitant à Deo esse relictos, vt de vxore Iob cap. 2. num. 9. adhuc permanes in simplicitate tua? benedic Domino, & morere, sic etiam de vxore Tobię, & de cognatis eius, qui irridebant vitam eius dicentes, vbi est spes tua? pro qua eleemosynas faciebas, num. 16. & num. 22. vana est facta spes tua, sed vani sensus hominum. Opera Domini vniuersa bona valdè, neq. est minoratio in salute ipsius, Ecclesi. 39. num. 20. & 23. ideò (inquit Iesus) ponam faciem meam, vt petram durissimam, & scio quoniam non confundar, Ioan. 50. num. 7. ad Rom. 8. num. 33. quis accusabit aduersus electos Dei? Deus qui iustificat, quis est qui condemnet? magnificans enim Deus salutes Regis sui, & faciens misericordiam Christo suo Dauid, & semini eius in sempiternum, 2. Reg. cap. 22. num. 51. Videntes turbabuntur timore horribili, & in subitatione insperatæ salutis, &c. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter Sanctos sors illorum est, Sap. cap. 5. num. 3. & 4. Ecce Deus Saluator meus fiducialiter agam, & non timebo; quia fortitudo mea, & salus mea Dominus, & factus est mihi in salutem. Psalm. 17. num. 14. Quantas ostendisti mihi tribulationes multas, & malas, & conuersus viuificasti me: magnificasti magnificentiam tuam, & conuersus consolatus es me, Psalm. 70. num. 20. & 21.

Tu autem Domine susceptor meus es, gloria mea, & exaltans caput meum. Ecce seruus meus suscipiam eum; electus meus complacuit sibi in illo, anima mea; dedi spiritum meum super eum, iudicium gentibus proferet, Isai. 42. num. 1. & 2. Matth. 12. num. 18. & Isai. d. cap. 42. num. 6. ego Dominus vocaui te in iustitia, & apprehendi manum tuam, & seruaui te, & dedi te in fœdus populi, in lucem gentium, &c. humiliauit enim se Dominus Iesus Christus, propterea suscipiet eum gloria, Prou. 39. num. 23. gloriam enim præcedit humilitas, Prou. 15. nu. 33. tu autem Domine susceptor meus es; Aug. secundum hominem dicitur Deo, quia hominis susceptio est, Verbum caro factum est: gloria mea, gloriam suam Deum dicit etiam ille, quem sic suscepit Dei Verbum, vt simul cum eo Deus fieret, hæc August.

In Domino sperauit, quid faciet tibi homo? Psal. 55. num. 5. humiliauerunt Iesum, blasphemauerunt eum, crucifixerunt, quid amplius facere potuerunt inimici eius? susceptor illius Deus Pater est, quia eripuit eum de morte, eripuit eum de inferis, dedit ei gloriam magnam, introiuit in infernum Rex gloriæ, quis est iste Rex gloriæ? Dominus fortis, & potens, Dominus potens in prælio: quia susceptor eius Dominus, gloria eius, & exaltans caput eius, quia Dominus Virtutum ipse est Rex gloriæ, cui data est omnis potestas in cælo, & in terra: cui omne genu flectitur cælestium, terrestrium, & infernorum: eius etiam est Regnum, & potentia,

per

per quem fecit, & sæcula quem constituit hæredem vniuersorum, qui cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius, portansq. omnia verbo virtutis suæ, purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram Maiestatis in excelsis, Paul. ad Hebr. cap. 1. num. 3. Et exaltans caput meum, idem Paul. ibidem num. 4. tantò melior Angelis effectus quantò differentius præ illis nomen hæreditauit, cui aliquando dixit Angelorum, filius meus es tu, ego hodie genui te, &c.

Exaltatus in gentibus exaltaris in terra, Psal. 45. num. 11. exaltatur Deus Iesus in gentibus, exaltatur in terra, Psalm. 45. nu. 11. exaltare, ergo Iesu super cælos, & super omnem terram gloria tua, Psalm. 56. num. 12. laudemus ergo eum omnes gentes, quæ non obliuiscimur Deum, quia exaltatum est nomen eius solius: Psal. 148. nu. 13. exaltauit caput meum, ab humilitate leuauit caput eius, Eccles. 20. num. 11. & propter gloriam minoratio fuit; oculus Dei respexit in illum in bono, quia pauper, & humilis, & erexit eum ab humilitate ipsius, & exaltauit caput eius, Eccles. 11. num. 12. & 13.

Voce mea ad Dominum clamaui, & exaudiuit me de monte sancto suo. Vocem audisti, ne auertas aurem tuam, à singultu, & clamoribus, Thren. 3. nu. 54. clamauerunt iusti, & Dominus exaudiuit illos, & de omnibus tribulationibus eripuit, multiplicati enim erant, qui tribulant me Dominum. Nec mirum si & iustorum sint multæ tribulationes, quia Dominus Iesus etiam tribulationes passus est; & ideò Dominus patitur, iustos tentari, vt tanquam aurum in fornace probet illos. Voce ergo mea, dicit Iesus, ad Dominum clamaui; non aliena, sed mea, non verborum strepitu, sed ex toto corde clamaui. Intra in cubiculum tuum, docet nos Iesus, & clauso ostio ora Patrem tuum in abscondito, Matth. 6. num. 6. & Pater tuus, qui videt in abscondito reddet tibi: Hac simili voce exaudita est Susanna, Daniel c. 13. num. 35. stetit enim illa, & fleuit, suspexit ad Cælum, erat enim cor eius fiduciam habens in Domino, Dominus exaudiuit vocem eius, num. 44. hinc August. in hoc eodem Psalmo. Nec facilè (inquit) quisquam dixerit, hac voce minus orare. Si nullus verborum sonus reddatur ex corpore, quoniam & silentes, cum in cordibus oramus, si alienæ ab affectu orantis cogitationes interueniant, nec dum dici potest, voce mea ad Dominum clamaui; neque hoc rectè dicitur, nisi cum sola anima, nihil carnis, nihilq. carnalium intentionum, in oratione attrahens loquitur Domino, vbi solus auditur clamor, etiã dicitur iste, propter vim ipsius intentionis, hæc Aug.

Et exaudiuit me de monte sancto suo. Iuxtà est enim Dominus ijs, qui tribulato sunt corde, & humiles spiritu saluabit, Psalm. 33. num. 19. propterea exaudiuit de monte sancto suo, non enim longe est Deus ab vnoquoque corde tribulato, Dominus propè est omnibus inuocantibus eum, Psalm. 118. num. 151. & Psal. 144. num. 18. Et voluntatem timentium se faciet; & deprecationem eorum exaudiet, & saluos faciet, ibidem num. 19. Sed exaudiuit de monte sancto suo, idest Deus, qui stat in Cælo è sede sua exaudiuit me, Isai. 57. num. 13. qui autem fiduciam habet mei, possidebit terram: & possidebit montem sanctum meum, idest Cælum; quamuis Deus vbiq. sit, & non longè ab vnoquoque nostrum, ad Philip. 4. nu. 5.

Ego dormiui, & soporatus sum, & exurrexi, quia Dominus suscepit. Non ergo de Dauide, & eius fuga loquitur, sed de monte Christi, qui mortuus fuit, & resurrexit, soporatus fuit, qui post tres dies resurrexit; sopor enim longum somnum, seù profundum significat, à quo quis difficulter euigilat, Genes. 45. num. 21. Euigilans rursus sopore depræssus vidi somnium, &c. Vel dicamus, ego dormiui, & sopo-

soporatus sum, idest mortuus fui, August hic dormitio est morientis, & sopor est mortui, vt dormitio sit, qua transitur ad soporem. Magis tamen consona videtur expositio, quia somnus pro leui dormitatione, soporatus verò pro grauissimo somno, sic 1. Reg. cap. 26. num. 12. sed omnes dormiebant, quia sopor Domini irruerat super eos, idest grauissimus, & maximus illorum somnus erat: talis erat Iesu Christi somnus grauissimus scilicet, quia per quinquaginta horas circiter è somno non euigilauit, nec surrexit; grauissimũ etiam erat illud, pro quo somnum spontè sua recipit redemptio, scilicet generis humani, & Iob 4. num. 13. in horrore visionis nocturnæ, quæ solet sopor occupare homines, & cap. 34. num. 15. quando irruit sopor super homines, & dormiuit in lectulo, & meliùs in lib. Ionæ, cap. 1. nu. 5. Ionas descendit ad inferiora nauis, & dormiebat sopore graui, quid tu sopore deprimeris?

Et exurrexi, quia Dominus suscepit me, Isai. 42. num. 1. ecce seruus meus suscipiam, electus meus complacuit sibi in illo anima mea, dedi spiritum meum super eum, iudicium gentibus proferet, & num. 4. non erit tristis, nec turbulentus, donec ponat in terra iudicium; & inimici eius confitentur, quia filium Dei suscipiet Dominus, Isai. 2. num. 28. si enim est verus filius Dei suscipiet illum, & liberabit eum de manibus contrariorum; errauerunt, excęcauit eos malitia eorum, & nescierunt Sacramenta Dei, hæc Isai. ibidem num. 21.

Exurrexi ergo quia Dominus suscepit me: ergo iudicium meum cum Domino, & opus meum cum Deo meo, Isai. 49. nu. 4. propterea exaltabo te Domine, quia suscepisti me: eduxisti ab inferno animam meam, Psalm. 29. num. 13. non ope humana, sed sua virtute diuina noluit sanctum suum videre corruptionem, Psalm. 15. nu. 10. prouidebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi ne commouear, propter hoc lætatum est cor meum, & caro mea requiescet in spe, quoniam non derelinques animam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem, d. Psalm. 15. num. 9. & 10. Act. cap. 2. num. 24. quem Deus suscitauit solutis doloribus inferni, iuxtà quod impossibile erat teneri illum ab eo, & ibidem Act. cap. 2. num. 30. præuidens lætatus est Propheta de Resurrectione Christi, quia nec derelictus est in inferno, nec caro eius vidit corruptionem; hunc Iesum suscitauit Dominus, cuius omnes nos testes sumus, ibidem Act. cap. 13. nu. 37. quem verò Deus suscitauit à mortuis, non vidit corruptionem.

Non timebo millia populi circundantis me. Recentiores dicunt de Dauide clarissimum esse, quia præparauit se ad resistendum inimicis, vt propterea dixerit, exurge Domine, saluum me fac Deus meus. Nos verò cum August. & alijs asserimus de Iesu Christo totum Psalmum loqui, & de eius Passione, in qua totus populus Iudæorum, qui erat millia millium, circundabat eundem Christum: non illum timebat, immo redarguebat, dicens, nolite flere super me, sed super vos, & super filios vestros, Luc. 23. num. 27. & 28. non timet, cui data est omnis potestas in Cælo, & in terra, Matth. 28. num. 18. nec timere poterat, cui dictum erat, ne timeas à facie eorum, quia tecum ego sum, vt eruam te dicit Dominus, ne formides à facie eorum, nec enim timere te faciam vultum eorum, ego quippe dedi te hodie in Ciuitatem munitam, & in columnam ferream, & in murum æneum super omnem terram, Regibus Iuda, Principibus eius, & Sacerdotibus, & populo terræ, Ierem. 1. num. 8. & 18. & 19.

Non timebo millia, quia magnum est nomen meum in fortitudine, immo quis non

non timebit me, qui Rex ſum gentium, & Deus viuens, Deus de Deo verus, & à mea indignatione commouetur terra? & non ſuſtinebunt gentes comminationem meam, Ierem. 10. nnm. 6. & 7.

Iterum, non timebo millia, quia dictum eſt mihi, ne timeas, quia appropinquaſti in die, quando inuocaui te, Thren. cap. 3. num. 57. Surge Domine, ſaluum me fac Deus meus: poſuiſti enim Domine os meum, quaſi gladium acutum, ad præſcindendum vitia Hebræorum puritate, & claritate doctrinæ meæ, & ſic poſuiſti me, ſicut ſagittam electam; illos ex patre Diabolo, dixi, Ioan. 8. num. 44. vitia illorum inquam reprehendi, dicens, diſcedite à me omnes, qui operamini iniquitatem, Luc. 13. num. 27. & 32. dicite vulpi illi, & cap. 12. num. 49. & cap. 11. per totum, væh vobis Phariſæis, &c. Matth. 13. per totum; in vacuum laboraui, ſine cauſa, & vanè fortitudinem meam conſumpſi, Iſai. 49. num. 5. exurge Domine, ſaluum me fac ab inimicis iſtis meis; vt quid Deus Deus meus dereliquiſti me, Matth. 27. num. 46. In tempore placito exaudiui te, & in die ſalutis auxiliatus ſum tui, & ſeruaui te, & dedi te in fœdus populi, vt ſuſcitares terram, & poſſideres hæreditates diſſipatas, Iſai. dicto cap. 49. num. 8. exurge Domine ſaluum me fac, mortem enim mihi dare ſtatuerunt, ſi poſſibile eſt tranſeat calix iſte Deus meus, Thren. 3. num. 8. ſed cum clamauero, & rogauero excluſit orationem meam. Iam eos qui ſine cauſa aduerſantur mihi, percuſſiſti; dentes eorum qui contra me fremebant, contriuiſti Thren. 3. multiplicati ſunt inimici, qui inſurgunt contra Ieſum, & Eccleſiam ſuam negant, ſalutem ab ipſo poſſe dari: negant filium Dei eſſe: inferunt crudeles mortem crudeliter Saluatori, quam ſponte etiam pro illis rogando ſuſtinuit: inferunt vt tollatur, ſed reſurrexit, quia voluit. Soluite Templum iſtud, & in triduo reædificabo illud, intelligens de reſurrectione corporis ſui. Dominus ſuſcepit illum, percuſſit omnes ſibi aduerſantes, & dentes eorum contriuit; quia latrare poſſunt, ſed non mordere: flectere Eccleſiam aliquatenus poſſunt, ſed non frangere, quia neque portæ inferi præualebunt aduerſus eum Eccleſiam, ſcilicet ſuam ſanctam; quia Domini eſt ſalus, ipſe enim hæc paſſus eſt pro ſalute populi ſui; & ideò ſuper populum tuum ſit ſemper benedictio tua.

SOLILOQVIVM.

DOMINE Ieſu etiam nos vndique affligimur, tribulationes patimur, quia contra nos inſurgunt inimici noſtri; Caro noſtra infirma, ex qua cogitationes peruerſæ, & mala omnia nobis proueniunt, Dicunt animæ noſtræ, non eſt ſalus tibi in Deo tuo, quia peccatores; Tu verò Domine, qui ideò veniſti, & paſſus es, vt peccata noſtra tolleres, ſis ſuſceptor noſter, & gloria noſtra, & exaltans caput noſtrum, ne reſpiciamus ad hæc caduca, & ad hæc mortalia, ſed in te Deo ſalutari noſtro dirigantur opera noſtra. Ecce vocibus cordis noſtri ad te Dominum clamamus confitentes peccata noſtra, exaudias nos; & de monte ſancto tuo, ideſt de abundantia gratiarum tuarum, & miſericordiarum, quarum non eſt numerus, neque finis: miſerando noſtris infirmitatibus, docens nos terrena deſpicere, & amare cæleſtia.

Dormiuimus, & ſoporati ſumus, in profundo peccatorum permanſimus, nunc vigilantes exurreximus; Domine ſuſcipias nos, tunc non timebimus millia perſequen-

quentium nos Dæmoniorum; exurge Domine, salua nos Deus salutaris noster; per pœnitentiam enim quam facimus, & facturi sumus, tu percussisti inimicos nostros, omnes aduersantes nobis, omnia peccata, quę sine causa, & ratione fecimus; dentes peccatorum nostrorum, superbiam, scilicet, & inueteratorum malorum contriuisti; Domine à te salus nostra, & super populum tuum benedictio tua descendat, vt in die illa amara, audiamus te, dicentem; Venite vos benedicti, percipite regnum, quod vobis paratum est à constitutione mundi. Sic fiat Iesu benedicte Saluator, & Redemptor noster per merita passionis tuę, & sanctæ tuæ Matris Mariæ Dominæ nostræ, & omnium Sanctorum. Amen.

IN PSALMVM IV.

Cum inuocarem exaudiuit me Deus iustitiæ meæ: in tribulatione dilatasti mihi.



ITVLVS Psalmi. In finem, in Carminibus Psalmus Dauid, in Tympano, & Choro, in Chordis, & Organo, in Cymbalis benesonantibus.

Non pro ipso Dauide factus est Psalmus, sed pro Christo Iesu, qui est finis legis, ad Rom. 10. num. 10. Quod probatur, quia in principio huius Psalmi, qui fuit à Deo exauditus, dicitur exauditus propter iustitiam suá, quando illú inuocauit, ergo necessariò de Christo; Cum is solus sit innocēs, impollutus, segregatus à peccatoribus, in quo non est inuentus mendacium, nec in ore eius dolus, nec vlla macula, ergo de Christo loquitur, secus autem de Dauide legimus, quia peccator, adulter, & homicida, qui nec Domini præcepta seruauit, 2. Reg. 12. nu. 10. Contra quem idcircò Deus sententiam protulit, gladium in sempiternum de domo suo non recessurum, non poterat ergo quasi homo, qui iustitiam fecerit, aut iudicium Dei non dereliquerit, rogare Deum iudicia iustitiæ, Isai. 58. num. 3. provt idem Isaia Propheta dicebat, non est qui inuocet iustitiam, quasi dicat, quia cum omnes sint peccatores, iustitia conuertetur in iudicium, & condemnationem, Isai. 59. num. 4.

Cum ergo Christus solus sit ille innocens, & qui pro iustitia Dei in mundum, vt pro hominibus satisfaceret Deo de condigno venerit, cum, idest, quando inuocauit Dominum Patrem, exauditus est ab eo.

Exaudiuit me Deus iustitiæ meæ (inquit) quia de iustitia sua fuit, cum ipse passus sit pro nobis, vt populus sibi creditus in filios Dei adoptaretur, qui faciens voluntatem Dei dicit, Isai. 60. num. 21. Populus tuus omnes iusti in perpetuum hæreditabunt terram. Deus ergo, inquit Christus, iustitiæ meæ, cum inuocarem exaudiuit me, in tribulatione dilatasti mihi, Paul. ad Hebr. cap. 5. num. 5. & 7. hunc Psalmum in principio ità declarare visus est, qui in diebus carnis suæ loquitur de Christo, preces, supplicationesq. ad eum, qui possit illum saluum facere à morte, cum clamore valido, & lacrymis offerens exauditus est pro sua reuerentia, & quidem cum esset filius Dei, didicit ex eis quæ passus est, obedientiam, & consummatus factus est omnibus causa salutis æternæ. Vide quando inuocauit, quomodo exauditus sit pro iustitia sua; firmans Regnum æternum diligentibus se.

Continuatur ergo ad præcedentem, in quo visum est de Passione, & Morte Christi, necnon de eiusdem Ecclesiæ persecutione: Verùm vt sciamus ad quid proficua esse deberet Christi passio, & persecutio, quia non sunt viæ meæ, viæ vestræ, dicit Dominus; non enim Ecclesiæ dilatatio, tàm ex operibus, quàm de tribulationibus facienda erat dicebat, Isai. cap. 54. nu. 2. cum seq. dilata Tentorij tui locum, & pelles tabernaculorum tuorum extende, & in hoc Psalmo quid ex tribulationibus, & passione Christi eueniat declaratur, nempè, quòd in omnem terram exiet sonus eius, & gentes in illum credent, idcircò dicit Psalmista in tribulatione dilatasti mihi, quia conueniens erat ad gentes sermo Christi, vt fides illius dilataretur, & ecce quomodo inuocans exauditus est, vt populum scilicet sibi acceptabilem faceret, vel dicamus continuari ad præcedentem istum Psalmum, quia in proximo visum est de tribulationibus iustorum in Christo credentium; nunc quæ merces, & quo iure debeatur illis, ex iustitia nempè, ex meritò passionis Christi; hinc dicebant Apostoli, ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, quid ergo erit nobis? Matth. 19. nu. 27. & latroni confitenti, hodie mecum eris in Paradiso; & Ioan. 17. propè finem, & num. 24. Pater, quos dedisti mihi, volo, vt vbi sum ego, & illi sint mecum: vt videant claritatem meam, quam dedisti mihi: quia dilexisti me ante constitutionem mundi. Pater iuste, mundus te non cognouit. Ego autem te cognoui: & hi cognouerunt, quia tu me misisti. Et notum feci eis nomen tuum, & notum faciam, vt dilectio qua dilexisti me, in ipsis sit, & ego in ipsis. Cum inuocarem ergo dicit Psalmus, exaudiuit me Deus iustitiæ meæ, ex iustitia ergo credenti debetur salus, Ioan. 20. num. 31.

Summa igitur hæc est, auxilium à Deo in tribulationibus, à quo bona cuncta procedunt, ad cuius fidem amplectendam, etiam inimici exhortantur.

Verùm quia docuit omnes, vt post illum tollamus crucem nostram, & sequamur eum: propterea sequitur in tribulatione dilatasti mihi, dilatatum est enim Regnum suum, quare multi fuerunt Martyres, Confessores, & Doctores, & Virgines, qui secuti sunt eum, & sequuntur multi fideles in toto mundo.

Vel dilatasti mihi, quia etsi passio fuerit illius grauissima, quia tamen voluntaria libenter, & ex toto corde illam sustinuit, venit Angelus de Cælo confortans eum, Luc. 22. num. 43. in tribulatione (ait) dilatasti mihi, cum exaudisti me, & dilatasti cor meum ad sustinendum tribulationes.

Miserere mei, & exaudi orationem pro his, quos dedisti mihi, Ioan. 12. nu. 28. ego iam te clarificaui super terram, Domine Deus Pater, opus consummaui, quod dedisti mihi, vt faciam, & nunc clarifica tu me Pater apud temetipsum, claritate, quam habui, priusquam mundus esset apud te, iàm venit vox, & clarificaui, & clarificabo: dilatasti mihi in hac tribulatione, miserere iterum mei, & exaudi orationem meam, quia quos dedisti mihi abs te sunt, & cognouerunt quia à te exiui, pro eis rogo quia sum clarificatus in eis, Ioan. 17. num. 10. Pater sancte serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, exaudi, postquam exauditus est conuersus ad populum non credentem, inquit.

Filij hominum vsquequo graui corde? vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Non est (aiebant) hic missus à Deo, qui sabbata non custodit; & inuenerunt falsos testes; soluite (dixit) Templum istud manufactum; & in triduo reædificabo illud; hunc nescimus vndè sit. Vt quid quæritis mendacium, & diligitis vanitatem, dicentes, si hunc dimittimus sic, venient Romani, & tollent

locum

locum nostrum: ò miseri non eripit mortalia Dei filius, qui ideò venit, vt det cęlestia; Vsquequo graui corde, vt quid carnalia non deseritis: hęc aggrauant animam. Corpus autem quod corrumpitur aggrauat animam, Sap. 9. nu. 15. & terrena habitatio sensum multa cogitantem deprimit; Vt quid filij hominum? cum omnis homo viuens sit vanitas. Nouum hominem induaris, qui secundum Deum creatus in sanctitate, & iustitia veritatis: ipse est Deus tuus, & salutaris tuus, Psalm. 61. nu. 3. ad Colos. 3. num. 10. Vsquequo diligitis vanitatem, Psalm. 38. num. 7. veruntamen vniuersa vanitas, omnis homo viuens. Et cur quæritis mendacium? nonne in imagine pertransit homo? & si thesaurizat, nonne ignorat, cui congregabit ea? & quæ est expectatio vestra? nonne Dominus? Vsquequo graui corde quæritis mendacium? Diabolus est ipsum mendacium, est Pater mendacij: Ioan. 8. nu. 44. ergo quæritis Diabolum? absit hoc à vobis, auertat Deus à vobis; non enim hominibus solum mentitis, sed & Deo vestro; Act. cap. 5. num. 4. ò mendax, veruntamen vani filij hominum; mendaces filij hominum, dicto Psalm. 61. num. 10.

Filios hominum dixit ad differentiam filiorum Dei, qui eius mandata custodiunt, & ea quæ sunt coram eo placita faciunt; mandatum verò eius est, vt credamus in nomine filij eius Iesu Christi, 1. Ioan. cap. 3. num. 21. & sequen. neque ex tribulationibus huius mundi moueamur, nàm ipsi filij Dei sciunt, quòd in hoc positi sunt, 1. Thessal. cap. 3. num. 3. propterea dixit, in tribulatione dilatasti mihi.

Filij ergo hominum, qui humana concupiscitis, & ad cælestia non cogitatis, vsquequo graui corde; vt quid incrassatum est cor vestrum, Matth. 14. num. 15. expoliate veterem hominem cum actibus suis, ad Colossens. 3. num. 10. redite prævaricatores ad cor, Isai. 46. num. 8. de corde enim vestro humano malæ cogitationes procedunt, adulteria, fornicationes, homicidia, auaritiæ, nequitiæ, dolus, superbia, blasphemiæ, Marc. 7. num. 21. & 22. Matth. 5. num. 18. & 19. propterea vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? hæc enim omnia vanitas, & opera mala sunt, & à malo homine exeunt, de corde eius: bonus enim homo à bono cordis sui profert bonũ, & malus homo de malo thesauro suo profert malum, ex abundantia cordis os loquitur, Matth. cap. 12. nu. 34. vt quid graui corde, vt quid mali cogitastis? condemnemus iustum istum, quia contrarius operibus nostris: Peccata vestra responderunt vobis, quia scelera vestra vobiscum, fuerunt, & sunt, & auersi estis, ne iretis post tergum Dei nostri, vt loqueremini calumniam, & transgressiones, concepistis, & locuti estis de corde verba mendacij, Isai. 59. num. 13. non est hic filius Dei, & alia huiusmodi.

Et scitote quoniam mirificauit Dominus sanctum suum, quem vos reprobastis, me ipsum, scilicet, loquitur enim ipse Iesus: Dominus exaudiet cum clamauero ad eum, longè est Dominus ab impijs, & orationes iustorum exaudiet, Prouerb. 15. num. 29. vt quid ergo vana cogitatis? Authorem Vitæ tollere cogitatis: Vanum est vobis ante lucem surgere, surgite postquam sederitis, postquam quæ in cordibus vestris dicitis, in cubilibus vestris consideraueritis, & ruminaueritis, & serutati fueritis, & videbitis, quia vana cogitatis.

Irascimini contra vosmetipsos, sed nolite peccare permanentes in iracundia vestra, vt in peccato obstinati pereatis. Quia scio, dicit Paulus, quia per ignorantiam occidistis Iesum: Vnusquisque vestrum reuertatur ad Dominum, & pœnitentiam

agat, baptizetur in nomine eius, & saluus erit.

Compungimini ergo, ne in Dei iudicio anima vestra damnata torqueatur, si enim pœnitentiam egeritis, etsi ipsa anima compungens compungatur, doleat de peccatis, tunc sacrificabis sacrificium iustitiæ; sacrificium enim Deo spiritus contribulatus, & cor contritum, & humiliatum tunc non despicit, Psalm. 50. hinc Augustinus hic. Transitum de vita veteri ad vitam nouam, vt sacrificium iustitiæ, quod fit per pœnitentiam, extincto, vel infirmato veteri homine, sacrificium iustitiæ secundum regenerationem noui hominis offeratur Deo; cum se offert ipsa anima iam abluta, & imponitur in altare fidei, diuino igne, idest Spiritu sancto comprehendenda; hęc August. Benedictus Deus, & Pater Domini nostri Iesu Christi; qui secundum magnam misericordiam suam regenerauit nos in spem viuam, 1. Petr. cap. 1. num. 3.

Sacrificate sacrificium iustitiæ, hoc est rectè viuite, & sperate in Domino, sperantes donum Spiritus sancti, vt nos veritas, cui credidistis, illustret; Vndè Paul. ad Galat. cap. 5. num. 5. nos enim spiritu ex fide, spem iustitiæ expectamus. Fugite ergo, quæ in mundo est concupiscentiæ corruptionem, 2. Petr. cap. 1. num. 4. Rectè ergo viuimus, si credentes in Iesum Christum filium Dei mandata eius exequamur ad Roman. cap. 4. num. 3. & 4. credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam; ei, qui operatur imputatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum; ei verò, qui non operatur, credenti autem in eum, qui iustificat impium, reputatur fides eius ad iustitiam secundum propositum gratiæ Dei, hæc Paul. sacrificare ergo sacrificium iustitiæ est credere, & benè operari; sacrificate ergo sacrificium iustitiæ, est sperate in Domino; credentes in Dominum Iesum Christum, & mandata eius obseruantes, sperate in Domino; spe enim salui facti sumus; spes autem, quæ videtur non est spes, nàm, quod videt, quis, quid sperat? si autem quod non videmus speramus, per patientiam expectamus, Paul. ad Romanos 8. num. 26. Et quamuis multi dicant quis ostendit nobis bona? audi eundem Apostl. ad Romanos dicto cap. 8. num. 26. Spiritus adiuuat infirmitatem nostram, nàm quid oremus, sicut oportet, nescimus; sed ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus, qui autem scrutatur corda, scit, quid desideret spiritus; & scimus, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum: Non ergo cum fatuis dicas, quis ostendit nobis bona? & cum iniquis, qui tantùm in bonis temporalibus spem habent; quia illi vident, & corruptibilia desiderant, quia terrena sapiunt, cælestia non considerant, atque contemnunt; ad cuius imaginem factus es ò homo? si ad imaginem Dei, non imaginem illius peccando corrumpere procures: redde quæ sunt Dei Deo, Matth. 22. num. 21. Si peccando corrupisti imaginem Dei, ecce bona vbi sunt; confitearis peccata tua, si Christianus es; si Gentilis, aut Iudæus, crede in Deum Iesum, etiam sacramentum Baptismi suscipias, & renascendo signaberis lumine vultus Domini Iesu; æternum est hoc bonum, dummodo quod est signatum, lumen vultus Dei super nos non obtenebretur per peccatum, & fiat imago Cæsaris, imago Dæmonis: ostendet ergo tibi bona animæ tuæ, quæ viuet in æternum, si lumen vultus Domini sine macula, ad cuius similitudinem factus es, conseruaueris; quòd si per peccatum tuum corrupta sit, per baptismum, & confessionem peccatorum per bona opera tua regenerabitur ad vitam æternam. Hæc est lætitia quæ in corde iusti, & pœnitentis datur à Deo; in interiori enim homine habitat

Chri-

Christus ad Ephes. 3. num. 16. huius rei gratia flecto genua, dicit Apostolus ad Patrem Domini mei Iesu Christi, vt det nobis diuitias gloriæ suæ, virtute roborari per spiritum eius, in interiorem hominem Christum habitare per fidem in cordibus nostris.

Multi ergo dicunt istorum iniquorum, scilicet, quis bona, quæ euangelizatis ostendit nobis? si in desiderijs carnis vestræ, & eiusdem carnis voluntatem facitis: mortui estis per peccata, & delicta; si mortui, quæ bona videre perquiritis? Sap. cap. 2. per totum, exiguum, & cum tædio est tempus vitæ nostræ num. 6. venite ergo fruamur bonis, quæ sunt, & vtamur creatura tanquam in iuuentute celeriter, vino pretioso, &c. Corinth. cap. 15. num. 32. nescierunt sacramenta Dei, neque mercedem sperauerunt iustitiæ, quoniã Deus creauit hominem inexterminabilem, & ad imaginem similitudinis suæ fecit illum, inuidia autem Diaboli mors introiuit in orbem terrarum, imitantur autem illum, qui sunt ex parte illius; Audis ergo ò stultè, quia bonorum Dei ostensionem tibi faciendam, & videndam procuras? & in peccatis totus inuolutus es; nescis quia peccatores Deus non exaudit? depone veterem hominem, & induere nouum; si vis vidére bona viuentium in æternum; depone iniquitatem, & crede in Iesum Christum.

Vt signetur lumen vultus eius super te, & dabit tibi lętitiam in corde tuo. Scias, quia Dominus mirabilem fecit sanctum suum Iesum Christum filium suum, sacrifica sacrificium iustitiæ, credens in illum, & spera in Domino, qui dabit tibi bona cęlestia: *Iustus enim ex fide viuit*, & iusti illi in perpetuum viuent, quia apud Dominum est merces eorum, Sap. cap. 3. exultabunt Sancti in gloria, lętabuntur in cubilibus suis, tunc signatum erit super nos lumen vultus sui, quia ipse est lux vera, quę illuminat omnes; Ioan. 1. num. 4. dat lętitiam in corde credentium; non enim est imago Dei depicta in auro, sed in hominibus signata. Numisma Cęsaris aurum: Numisma Dei homo: in solidis Cęsar, in hominibus Deus cognoscitur, Chrysost. super illud, Matth. reddite, quę sunt Cęsaris Cęsari. Igitur sicut portauimus imaginem terreni, portemus, & imaginem cęlestis, qualis enim est terrenus, tales & terreni; & qualis cęlestis, tales & cęlestes: ad Corinth. 1. cap. 15. num. 47. & 49. Fiat cor nostrum tanquam cęra liquescens, cui imprimatur signum Verbi Dei incarnati.

Filij hominum vsquequò graui corde? vt quid diligitis vanitatem, & quęritis mendacium? isti filij hominum multi sunt, & multiplicantur etiam multi à fructu frumenti, vini, & olei sui, talis enim anima corporalium bonorum decessione, & successione, idest à tempore frumenti, vini, & olei sui innumerabilibus completa phantasmatibus, sic multiplicata est, vt non possit agere, quod pręceptum est sentite de Domino in bonitate, & in simplicitate cordis quęrite illum, Sap. 1. hęc August. Aliter à fructu frumenti, vini, & olei sui multiplicati sunt, & tu qui euangelizas nobis, sperare in Domino, quid subdis, post hęc, quis ostendit nobis bona? sanè si frumentum, vinum, & oleum istud nostrum, sit non deficiens, & bonorum eorum quę oculus non vidit, quę nàm maiora ostendi possunt bona?

Multiplicati sunt isti iniqui, Epulones, qui in ventre tantùm spem habent, magnificati sunt, & ditati in iniquitatibus, impinguati, incrassati pręterierunt sermones Dei pessimè: Ierem. 5. num. 28. Incrassatus est dilectus, & recalcitrauit, impinguatus dilatatus: dereliquit Deum factorem suum, & recessit à Deo salutari suo, Deuter. 32. num. 15. sed quid tùm? impinguabitur locusta, & dissipabitur capparis, quoniam ibit homo in domum ęternitatis suę, & circuibunt in platea plangentes,

Eccleſ. 12. num. 5. vanum erit frumentum, & vinum, & tu in profundum inferni pertranſibis: Pſalm. 72. num. 12. ecce ipſi peccatores, & abundantes in ſęculo, obtinuerunt diuitias, & num. 19. ſubitò defecerunt in deſerto, quia imago ipſorum ad nihilum redacta, velut ſomnium.

Sacrificate ſacrificium iuſtitię, & tunc ſperate in Domino; nàm qui adorat Deum, in oblectatione ſuſcipietur, & deprecatio eius vſque ad nubes propinquabit, oratio humiliantis ſe nubes penetrabit, Eccleſ. 35. num. 20. & qui conſeruat legem multiplicat oblationem: Sacrificium ſalutare eſt attendere mandatis, & diſcedere ab omni iniquitate dicto cap. 35. num. 1. & 2.

Non ego propono, vt ſpes tua ſit in frumento, & vino, hæc enim Dei dona, & iniqui poſſident, quia Dominus pluit ſuper iuſtos, & iniuſtos; ſed dico, quòd ſacrificium iuſtitiæ ſacrifices; hoc eſt quod credas in Ieſum Chriſtum, qui vt te à morte liberaret, infirmitatem noſtram in ſe ſuſcepit, paſſus eſt in carne noſtra, quam aſſumpſit; de iuſtitia eſt, vt & tu præcepta eius cuſtodienda exhibeas te hoſtiam viuentem, rationabilem, obſequium Deo placidum exhibeas, & tunc ſpera in Domino, quia te exaltabit in gloria ſua, hæc eſt oblatio, quam facit iuſtus, quę impinguat Altare, & odor ſuauitatis eſt in conſpectu Altiſſimi, iſtud eſt ſacrificium iuſti, quod acceptum eſt, & memoriam eius non obliuiſcetur Dominus, Eccleſ. dicto cap. 35. num. 8.

In pace in idipſum dormiam, & requieſcam, quoniam tu Domine ſingulariter in ſpe conſtituiſti me: hanc enim ſpem ſingulariter dedit Dominus filio: quòd reſurget à mortuis, quòd liberabit populum ſibi commiſſum à morte æterna: propterea in pace in idipſum, inſimul dormiet, & requieſcet, donec à ſomno euigilet.

Singulariter in ſpe conſtituiſti illum; homo enim ſenſatus credit legi Dei, & lex illi fidelis: & timenti Dominum non occurrent mala, ſed in tentatione Deus illum conſeruabit, & liberabit à malis, Eccleſ. 33. num. 1. & 2. & requieſcet in gloria eius, Eccleſ. 24. num. 27. & in die tribulationis, Abac. 3. num. 6.

Surge ergo Domine in requiem tuam, Tu, & arca ſanctificationis tuæ, Pſalm. 131. num. 8. ibi enim eſt requies tua in ſæcula: ibi habitas, quoniam elegiſti eam, ibidem num. 14. ſed quæ requies tua? filij, ſcilicet, qui faciant voluntatem tuam, in Eccleſia tua exiſtentes in habitationem tuam elegiſti, in cuius pace ſimul dormies, & requieſces: quando ſpiritus de excelſo ſuper nos effuſus erit; Poſt Euangelium, tunc, & erit opus iuſtitiæ pax; & cultus iuſtitiæ ſilentium, & ſecuritas vſque in ſempiternum, Iſai. 32. num. 15. & 17. In idipſum in pace dormiam, quia iam cultus iuſtitiæ eſt, ſilentium, tranquillitas, ſcilicet, & opus iuſtitiæ pax. Pacem enim do vobis, pacem relinquo vobis.

In pace in idipſum dormiam, & requieſcam, ſed quando in pace dormies Domine Ieſu? quando ſignatum erit ſuper vos lumen vultus mei: tunc dabit Dominus in corde meo lætitiam, & quando populus meus ſigno † Crucis ſignatus fuerit, quia tunc in lumine vultus mei ambulabit, quia ego ipſe ſum lux vera, quæ illuminat omnes; tunc etiam effundam ſpiritum meum ſuper omnem carnem, Iſai. 44. nu. 3. Ioel 2. num. 28. Act. Apoſt. 2. num. 17. Et tunc cum Eccleſia, cum electis dormiam, & requieſcam in pace in idipſum: ideſt ſimul dormiam, & requieſcam: quando paſſus fuero mortem, & ſepulturam mei corporis pro ſalute electorum, quia mihi erit dulce illud lignum: & dulces claui, & mors denique mihi iucunda erit.

Quo-

Quoniam tu Domine singulariter in spe constituisti me; scilicet resurrecturum, & Diabolum victurum; in pace (inquit) quia semel passus est, & iam in gloria Patris

Propterea in id ipsum etiam spiritus eius dulcis, Eccles. 24. num 27. eò magis, quia in singulari spe constituit illum Dominus Deus circa Resurrectionem suam; tanquam homo Deus loquitur, nam scimus eandem potestatem habere tanquam Deus, sicut Pater Deus, ipse enim est in Patre,& Pater in Filio, 1. Ioan. 14. nu. 12. & 20. propterea diligit me Pater, quia animam meam pono, vt iterū sumam, Ioan. 10. num. 17. & sicut Pater mortuos suscitat, & viuificat, sic & Filius, quos vult, viuificatur, Ioan. 5. num. 27.

In pace in idipsum dormiam, & requiescam dicit & mysticum Christi corpus, quia iam signatum super nos lumen vultus tui, iam lucem tuam ostendisti nobis, in lumine enim vultus tui ambulamus: propterea dedisti lætitiam in corde meo, & quia pacis fructus sunt bona spiritualia, quæ sunt æterna; Propterea in pace in idipsū dormiam, & requiescam; hæc est enim requies mea in sæculum sæculi, hic habitabo, quoniam elegi eam. Hæc est differentia inter spiritualia bona, & temporalia; nam spiritualia dormitionem, & quietem, temporalia verò secùs: quia saturitas diuitis non sinit eum dormire, Eccles. cap. 5. nu. 12. quo circa esto firmus in via Domini, dicit Eccles. 10. num. 12. & in veritate sensus tui, & scientia, & prosequetur te verbum pacis, & iustitiæ, quia in idipsum dormies, & requiesces. A fructu verò frumenti, vini, & olei multiplicati sunt; in eorum recollectione labores hominum, laborat enim diues in congregatione substantiæ, Eccles. 31. num. 3. facit cap. 8. num. 22. Genes. Cunctis diebus terræ sementis, & messis, frigus, & æstus, æstas, & hyems, nox, & dies, non requiescet, nimirum si à tempore frumenti, &c. Ita legit August. Isti non dormiunt, quia non habent pacem in semetipsis; quia præ solicitudine quiescere non possunt; Ierem. 49. num. 23. sic illis aduenit, qui inter gentes habitare volunt; & non intra Ecclesiam Sanctorum, Thren. cap. 1. num. 3. ideò hostes deriserunt Sabbatha illorum, quia non erat requies, d. cap. 1. num. 7. Sabbathum enim dies quietis dicebatur, Exod. cap. 17. num. 23. Cuncti enim dies similibus doloribus, & ærumnis pleni sunt, nec per noctem mente requiescunt, Eccles. 2. num. 23. etsi dormiant isti, non tamen quiescunt, quia somniorum visus malorum turbat illos, Sap. 18. num. 19. multas enim curas sequuntur somnia, Eccles. cap. 5. num. 2. custodi ergo pedem tuum ingrediens domum Dei, & appropinqua, vt audias, Eccles. 4. num. 17. quia eris in pace in idipsum, & dormies, & requiesces.

SOLILOQVIVM.

MISERERE nostri Deus omnium: & ostende nobis lucem miserationum tuarum, Eccles. 36. num. 1. ecce inuocamus te exaudi nos Deus misericordiarum, non secundum iustitiam nostram, quia peccauimus tibi: in tribulationibus nostris protege nos: dilata cor nostrū, vt libenter in remissionem peccatorum nostrorum illas sustineamus pœnitentes; miserere nostri Domine, & exaudi orationem nostram, filij hominum fuimus, quia mandatis tuis non obtemperauimus;

vsque

vſque hùc corde graui, & pigri ad audiendum vocem ſermonum tuorum: dilexi- mus vanitatem, & mendacijs noſtris mala multa coram te perpetrauimus: inexcuſa- biles ſumus, quia te Dominum Ieſum Chriſtum mirabilia facientem, in hunc mun- dum veniſſe propter ſalutem noſtram non ignoramus.

Manus noſtræ pertractauerunt: nunc verò ad Patris dexteram ſtantem confite- mur: & quæcunque popoſceris à Patre, cum volueris obtinere te ſcimus: ſcio enim dixiſtis Pater, quia ſemper me audis. Iraſcimur Domine, quia vndiq. mala noſtra perturbant, & peccamus, quia ex corde, quæ veniunt, non conſideramus: ſed & ipſis peccatis conſentimus: etſi ſacrificium iuſtitiæ ſacrificemus, te confitendo vni- genitum Dei filium, & Dominum noſtrum, non tamen ſperamus in te, quia dici- mus, quare non oſtendit nobis bona temporalia Dominus, quæ nobis daturum ſe pollicetur.

Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine, quia Chriſtiani ſumus, & lu- men Euangelij ſuſcepimus: veruntamen in lumine illo non ambulamus; propterea non eſt lætitia in cordibus noſtris. Ab abundantia frumenti, vini, & olei multipli- cantur peccatores: præſentia tantum quæ videntur bona conſiderantes, & omitten- tes cæleſtia, quæ verè bona ſunt; quocircà in pace in idipſum non dormiemus, nec requieſcemus; ſed tu Domine ſingulari gratia delendo peccata noſtra contriuiſti nos in pace; Domine ſuccurre nobis, adiuua nos, aliàs ſine te perimus. Anima in anguſtijs, & ſpiritus noſter anxius clamat ad te, audi Domine, & miſerere, quia Dominus miſericors es: timor tuus in cordibus noſtris venit, propterea inuoca- mus te.

Vias tuas Domine ſcimus, quia tu es via, veritas, & vita; in luce tua ambulare cupimus; & volumus; peccata noſtra, quæ à te nos alienáerunt, deteſtamur, deplora- mus: exaudi Domine preces ſeruorũ tuorum, & ne reſpicias peccata noſtra: tu enim benignus es, & miſerationum tuarum non eſt numerus: ſcimus, quia ſi in via tua am- bulauerimus, in pace vtique ſempiterna viuemus, Baruch. 3. nu. 13. nunc quæ tibi placita ſunt, manifeſta ſunt nobis, per ſemitas mandatorum tuorum ibimus, in pace igitur in idipſum dormiamus, & requieſcamus, &c. Amen.

IN PSALMVM V.

Verba mea auribus percipe Domine: intellige clamorem meum.

TITVLVS, In finem pro ea, quæ hæreditatem conſequetur, in Chriſto enim qui eſt finis legis, Eccleſia, ideſt omnes in illa creden- tes hæreditatem conſequuntur; hæredes enim Dei, & cohæredes Chriſti efficientur, Iſai. 54. num. 3. & ſemen tuum gentes hæredi- tabit, & cap. 60. num. 21. Populus tuus omnes iuſti, in perpetuum hæreditabunt terram, germen plantationis meæ, & opus manus meæ ad glorifi- candum.

Vel ſecundum Hieronymum, in fine, & conſummatione mundi hæreditatem conſequutura eſt Eccleſia, vniuerſis nationibus Chriſto credentibus, denique ex perſona eius oratio ad Dominum dirigitur.

Inquit

Inquit ergo Dauid ex persona Ecclesiæ, verba mea auribus percipe Domine, intellige clamorem meum; sed quomodo intellige clamorem, percipe verba Domine, si nec clamor, nec verba adhuc prolata sint? quomodo dicis intellige, si nondum orasti? quoniam ad te orabo, inquis ergo adhuc non orasti: & quomodo vt intelligat clamorem, & vt audiat institisti? Iustorum Ecclesiæ loquela est, quia alias quis Deo dicere auderet, vt audiat, atque percipiat? cum, illa excepta, omnes simus peccatores, non est homo iustus in terra, qui faciat bonum, & non peccet, Eccles. 7. num. 29.

Clamor Ecclesiæ, seù Dauidis apud Deum erat in corde; nec mirum, nàm Deus videt, quæ in cordibus sunt, & audit; homo videt in facie, Deus autem in corde: vnde dicitur quòd clamor est cordis, Thren. 2. num. 18. clamauit cor eorum ad Dominum, in Exod. cap. 14. num. 15. quid clamas ad me? inquit Deus; & nullus tamen clamabat; vnde ad Galat. 4. num. 6. Misit Dominus spiritum filij sui in corda nostra clamantem, Abba Pater, hæc Hieron. Psalm. 30. num. 23. ego autem dixi in excessu mentis meæ: proiectus sum à facie oculorum tuorum, ideò exaudisti vocem orationis meæ dum clamarem ad te: erat ergo in excessu mentis, & tamen clamans exauditus fuit; raptus enim erat in contemplatione Dei, vnde August. ibidem dicit: clamor ad Dominum non fit voce, sed corde: quia multi silentes labijs, corde clamauerunt, multi labijs strepentes, corde auerso nihil impetrauerunt; ideò Chrysostom. homil. 2. super Matth. *in imperfecto*: Non magnus clamor, ideò velociter auditur, sed iustus, Isai. 65. nu. 24. eritq. antequam clament, ego exaudiam, adhuc illis loquentibus, ego audiam. August. de verbis Domini homil. 5. quid est clamare ad Christum, nisi regratiare Christum de bonis operibus, clamat ad Christum, qui contemnit mundum: clamat ad Christum, qui spernit sæculi voluptates: clamat ad Christum, qui dispergens dat pauperibus, clamat ad Christum, qui dicit non lingua, sed vita, mihi mundus crucifixus est clamantes ad Christum sic Dominus audit, non surdè accidit, Ambros. Psalm. 118. serm. 18.

Continuatur ad præcedentem, in quo de dilatatione Ecclesiæ dictum; verùm, quia Ecclesia ex bonis, & malis Christianis repleta est, ne mali cogitent, illos Passionem Domini iuuare, etsi signo Crucis sint signati, idest baptizati, & Christiani vocentur; ideò positus est Psalm. iste in quo declaratur quòd non Deus volens iniquitatem est, neque iuxtà illum habitabit malignus, neque permanebunt iniusti ante oculos eius.

Summa hæc est: credentibus in Deum lætitiam precatur, malis verò malum annunciat, quia cum Deo eorum non erit habitatio.

Verba mea auribus percipe. Audiuimus verba, non intelleximus clamorem tuum Dauid, siuè Ecclesia: sonum sentimus, non autem sensum: quid in hoc Psalmo petas ignoramus; dic ergo nobis, cum quo loqueris, quem affaris, & quid ab illo desideras?

Cum illo loquor dicit Dauid, qui Regem à Deo constitutum, aliàs se esse asseruit, cui dictum est, Filius meus es tu: ego hodie genui te, Psalm. 2. Regem dixi constitutum super montem sanctum suum prædicaturum præceptum Dei Patris; hunc esse Regem asserui, nunc verò & Regem & Deum esse affirmo, atque confiteor; quem rogo, vt voci meæ attendat, quia ipse est Rex meus, & Deus meus, hunc ergo Regem Ecclesiæ, filium Dei, Deum esse nos docet.

Quid verò petat ab isto Rege videamus: cum faciem Dei à populo Iacob abscon-

abſcondendam ſciret Dauid, ſicut Iſai. cap. 8. num. 16. & expectabo Dominum, qui abſcondit faciem ſuam à domo Iacob, inquit ille; & paulò ſuperius, liga teſtimonium, ideſt Prophetiam iſtam, ſigna legem in Diſcipulis meis, ideſt tege, abſconde legem, quia ſcilicet ipſi nolunt ſcire, vel diſcere illam, ſed in gratiam Diſcipulorum reſignabitur, vt diſcant Chriſti tempore, tunc eis aperientur Scripturæ: Abſcondis (inquit) faciem tuam à Iacob, quia populus non reuertetur ad percutientem ſe: & Dominum exercituum non exquiſierunt, Iſai. 9. num. 13. & ſequentib. omnis enim hypocrita eſt, & nequam, ſtultus populus Dominum non cognoſcit, Ierem. 4. num. 22. lætabitur iuſtus, cum viderit vindictam, Pſalm. 57. num. 11. manus ſuas lauabit in ſanguine peccatoris. Veni ergo Domine Ieſu, & noli tardare: verba mea auribus percipe, intellige clamorem meum.

Intende voci orationis meæ Rex meus, & Deus meus; quia manè, quando veneris aſtabo tibi, Iſai. 58. num. 8. tunc erumpet quaſi manè lumen tuum, & ſanitas tua citius orietur, & anteibit faciem tuam iuſtitia tua, & gloria Domini colliget te, tunc inuocabis; & Dominus exaudiet, clamabis, & dicet, ecce adſum: de manè, quando lux, quæ tu es aparuerit in mundo, manè tunc erit.

Quoniam ad te orabo Domine, tu Domine manè exaudies vocem meam; quia in luce ambulabo ſicut & ipſa lux eſt in luce, Ioan. 1. cap. 1. num. 7. & tunc dabis gentes hæreditatem ſuam, Eccleſiæ tuæ ſanctæ vſque ad terminos terræ. In populo tuo iam video iniquitatem, & contradictionem, & iniuſtitiam, & non deficiet de platea eius vſura, & dolus: veniet mors igitur ſuper illos, & deſcendent in infernum viuentes, exaudi Deus orationem meam, Pſalm. 54.

Manè aſtabo tibi, qnando tecum reſurgam manè, quia tu in inferno deſcendes, vt liberes me à morte, & reſurgere me facias cum alijs Sanctis: manè exaudies me; quia tecum in luce tua ambulabo, & ſocietatem habebimus ad inuicem, 1 Ioan. 1. num. 7. Tunc non ampliùs dicam quaſi admirans. Quare fremuerunt gentes contra te, & vt quid multiplicati ſunt, qui tribulant te, & inſurgunt contra te. Tunc aſtabo tibi, & videbo, quia non Deus volens iniquitatem tu es: nam & iniquis illis dices permanete in ignem æternum, impijs; non pro vobis mortuus ſum, & reſurrexi; & idem in iudicio Vniuerſali dices: ite maledicti in ignem æternum, quod paratum eſt vobis, quia non Deus iniquitatem illorum volens tu es.

Propterea non habitabit iuxtà te malignus, neque permanebunt iniuſti ante oculos tuos: quia odiſti omnes, qui operantur iniquitatem, perdes omnes, qui loquuntur mendacium.

Virum ſanguinum, & doloſum abominabitur Dominus. Hæc omnia odit Dominus, & per Prophetam antedicta ſunt ad noſtram doctrinam, vt ab illis abſtineamus, illaq. fugiamus: ſcribantur hæc, aliàs ipſe dixit in generatione altera, & populus, qui creabitur laudabit Dominum, Pſalm. 101. nu. 19. Populus ſcilicet Chriſtianus, qui in Eccleſia poſitus eſt.

Propterea dicit, ego autem, ſcilicet Eccleſia tua, vel Dauid nomine omnium fidelium in multitudine miſericordiæ introibo in domum tuam, adorabo ad templum ſanctum tuum in timore tuo. Sed adſtare neceſſe eſt, ideſt perſeuerare in bonitate, incipere enim multorum eſt, finire paucorum, &c. Curæ bonæ fidei eſt exitus bonus, quia non incipere aliquod opus glorioſum, ſed finire, Chryſoſt in Matth. ſuper illud, qui autem perſeuerauerit, Ambroſ. in Pſalm. 1. Quia malè ſe temperant, non ſi ſemel, aut bis declinauerit culpam ſtatim beata: ſed ſi potuerit

vitæ

vitæ contagium per omne vitæ tempus euadere. Tonitrua enim sunt hæc Spiritus sancti per os Prophetæ prolata, vt abstineamus à peccatis, & præcipuè enarratis, per eundem Prophetam. Malignus non habitabit iuxtà Dominum; quia nulla est participatio iustitiæ, cum iniquitate, nec societas lucis ad tenebras, 2. Corinth. 6. num. 14. non ergo habitabit iuxtà Deum malignus: qui enim à Deo recessit non est ex Deo; ergo tanquam filius Diaboli exterminabitur, Psalm. 63. num. 9. De iniustis dicit Dauid, quòd non permanebunt ante oculos Dei, manserunt enim aliquando, Deo illos expectante ad pœnitentiam; non permanserunt autem ante oculos Dei; quia permanserunt iniusti: hæc Hieron. Sap. 12. num. 9. Non quia impotens eras in bello subijcere impios iustis, aut bestijs sæuis; sed partibus iudicans dabas locum pœnitentiæ. Iniusti punientur, & semen eorum peribit, Psalm 36. nu. 28. & nu. 37. Iniusti autem disperibunt simul, reliquiæ impiorum peribunt, Psalm. 136. nu. 12. Virum iniustum mala capient in interitu. Non permanebunt, ergo iniusti ante oculos tuos, quia cum ipse Deus sit lux, tenebræ comprehendere te non possunt, Ioan. 1. & donec in iniustitia permanent peccatores, ante oculos Domini Iesu stare non possunt; sed si pœnitentiam agant, manè exaudientur, quia lux in tenebris lucebit, & illos sicut radium Solis purgabit, atque tollet.

Odisti omnes, qui operantur iniquitatem, perdes omnes, qui loquuntur mendacium, Ioan. 59. num. 2. Iniquitates vestræ diuiserunt inter vos, & Deum verum, & peccata vestra absconderunt faciem eius à vobis, ne exaudiret. Odit ergo Deus iniquos in suis iniquitatibus, & perdit omnes, qui loquuntur mendacium, qui operantur iniquitatem, qui permanent in iniquitatibus odit. Non dicit, qui operati sunt iniquitatem, & dimiserunt iniquitatem: nàm illi amantur à Deo, Isai. c. 1. num. 16. Lauamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis quiescite peruersè agere, discite benefacere. Si peccata vestra fuerint vt coccinum, quasi nix dealbabuntur, etsi fuerint rubra, quasi vermiculus, velut lana alba erunt; Maior pœna in loquentem mendacium posita est, quia perdet omnes, qui loquuntur mendacium: iniquitatem verò operantes odit Deus; ratio potest esse, quia mendaces hæretici se ipsos, & alios occidunt, iniquus verò se ipsum damnat, hinc Hieron. Hæreticum virum sanguinum vocat; qui quotidie animarum sanguinem fundit.

Propterea Psalmista vocat illum virum sanguinum, & dolosum. Omnis enim hæreticus dolosus est, & benè dixit Isai. d. cap. 59. Isti qui loquuntur mendacium confidunt in nihilo, idest in peccato, Ioan. cap. 1. & sine ipso factum est nihil, manus illorum pollutę sunt sanguine, & digiti eorum iniquitate, labia mendacium loquentia, & linguæ iniquitatem fantur, & num. 7. festinant, vt effundant sanguinem innocentem, abominatio est Domino labia mendacia, Prouerb. 12. num. 22. omnes eos auferet ventus, & tollet aura, Isai. 57. num. 13.

Ego autem in multitudine misericordiæ tuæ, introibo in domum tuam, adorabo ad templum sanctum tuum: ergo erat sine peccato, cum aliàs non introisset in eam aliquid coinquinatum, vel abominationē faciens, & mendacium, Ioan. Apocal. cap. 21. num. 27. & nihilominus cum timore adorabo ad templum sanctum tuum, Hebr. 12. 28. Regnum immobile suscipientes habemus gratiam, per quam seruiamus placentes Deo cum metu, & reuerentia, & Eccles. 32 num. 14. antè verecundiam præibit gratia, & pro reuerentia accedet tibi bona gratia: odit enim malum, qui habet timorem Domini, Prouerb. 8. num. 13. & in illo est fons vitæ, vt

declinet

declinet à ruina mortis, ibidem nu. 27. timor enim Domini ipse est thesaurus eius; Isai. 33. num. 6. ego ergo introibo in domum tuam, in multitudine misericordiæ tuæ, impœnitentes vero egredientur, & in tenebris damnabuntur æternis.

Domine deduc me in iustitia tua propter inimicos meos, dirige in conspectu tuo viam meam. Quoniam non est hominis via eius, nec viri est, vt ambulet, & dirigat gressus suos, Ierem. 10. num. 22.

Nec in ore eorum veritas, cor eorum vanum est, ex his & ex sequentibus huius Psalmi verbis patet secundum Hieron. & verum est, quod de hæreticis, & sensum verum Scripturarum peruertentibus loquitur Dauid.

Sepulchrum enim patens est guttur eorum, linguis suis dolosè agebant, vt deciperent innocentem, sed tu Domine deduc me in tua iustitia; nàm astabo tibi: ingrediar in domum tuam, iam proficisci cupio in tua fide, & lege, deduc me in iustitia tua; dirige gressus meos, & pedes meos vsque ad finem, vt in viam tuam ambulans sine lapsu ingrediar in domum tuam, ne impediar ab inimicis meis: ipsi enim falsas anteponunt fidelibus interpretationes, vt decipiant; scio quia non est in ore eorum veritas, cor eorum vanum est, quia volunt Doctores, & Prophetæ haberi, cum non sint: docent, quæ non sunt: in viam tuam non ambulant; via enim tua est lectio Scripturarum, & hoc faciunt, vt corruam: & in scripturis tuis, per quas ingredi cupio in Ecclesiam tuam, non ambulem: nec est in ore eorum veritas, quia negant Christum Dominum, qui est ipsa veritas; in gladio, & fame consumentur, Ierem. 14. num. 15. quia falsi sunt, num. 14. labia eorum loquuntur mendacium, & lingua iniquitatem fatur, non est qui iudicet verè, sed confidunt in nihilo, & loquuntur vanitates, Isai. d. cap. 59. num. 4. abijt vagus in via cordis sui, Isai. 57. num. 17. stultus enim fatua loquetur, & cor eius faciet iniquitatem, vt perficiat simulationem, & loquatur ad Dominum fraudolenter, & vacuam faciat animam esurientis, & potum sitienti auferat; fraudolenti vasa pessima sunt, ipsi enim cogitationes concinnant ad perdendos mites in sermone mendaci, Isai. 32. num. 6. cum sequentibus. Cor eorum vanum est, quia longè sunt à Christo, sine Christo est cor illorum, ideò vanum.

Sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolosè agebant; desiderium enim impij monimentum est pessimorum, Prouerb. 12. num. 12. qui addunt, vel auferunt verbo, & Euangelicæ doctrinæ, quam nobis dedit Deus; propterea sepulchrum patens est guttur eorum, viscera eorum crudelia, Prouerb. 12. num. 10. fœtor enim ex gutture illorum, sicut ex sepulchris oritur, vt inficiant illos audientes, & illis credentes, Deut. 4. num. 2. Non addatis ad verbum, quod vobis loquor, nec auferatis ex eo, idem cap. 12. num. 32. & Prouerb. cap. 30. nu. 5. omnis sermo Dei est ignitus clypeus sperantibus in se, ne addas quidquam verbis illius, ne arguaris, inueniarisq. mendax; defecerunt enim in vanitate dies eorum, Psalm. 77. nu. 33. quia odit Deus obseruantes vanitates, Psalm. 30. num. 7. insipientes, & seruantes vanitates & fatui probabũtur, doctrina vanitatis eorũ signum est, Ierem. 10. nu. 8.

Linguis suis dolosè agebant contra Dominum, vt prouocarent oculos Maiestatis eius, Isai. 6. num. 8. lingua sua mentiti sunt ei, Psalm. 77. num. 36. quia dolus est in corde cogitantium mala, Prouerb. d. cap. 12. num. 20. & in cap. 18. num. 8. verba in linguis quasi simplicia, & ipsa proueniunt vsque ad interiora ventris, quia lingua fallax non amat veritatem, idem Prouerb. cap. 26. num. 18. & os lubricum operatur ruinas. Lingua ergo concinnabit dolos, Psalm. 49. num. 19. maledictus dolosus,

Malach.

Malach. 1. num. 14. acuerunt linguas suas sicut serpentes, venenum aspidum sub labijs eorum, ad Rom. 3. num. 13. locuti sunt de corde verba mendacij, corruit in platea veritas, & facta est veritas in obliuionum, Isai. 59. nu. 14. & festinant, vt effundant sanguinem innocentem, idem nu. 7. vastitas, & contritio in vijs eorum, Ierem. cap. 9. num. 3. extenderunt linguam suam quasi arcum mendacij, & non veritatis: confortati sunt in terra, quia de malo ad malum egressi sunt, & Dominum non cognouerunt, sagitta vulnerans lingua eorum dolum locuta est, num. 8. iudica illos Deus, nunquid super his non visitabis Domine? aut in gentes huiusmodi non vlciscetur anima tua? Ierem. ibidem num. 9. mitte post eos gladium donec consumentur, ibidem num. 16.

Iudica ergo illos Deus, non enim voluerunt te Saluatorem, & Patrem sentire: sentiant te Iudicem vt illos punias; ne alios lingua sua viperina inficiant viuentes diù in suis malis cogitationibus; nàm etsi diù viuant isti maledici, assueti in verbis improperij in omnibus diebus illorum, nec erudientur: Eccles. 23. num. 20. & vt alios perdant festinabunt; ne derelinquas me Domine Pater, & Deus vitæ meæ in cogitatu illorum, Eccles. d. cap. 23. num. 4. iudica illos Dominus.

Decidant à cogitationibus suis; non enim te præterijt omnis cogitatus, nec vllus sermo à te se abscondit, Eccles. 42. num. 20. tu enim Domine scis cogitationes hominum, Psalm. 95. num. 12. & cogitationes scrutabis, Sap. 6. num. 4. quia cor illorum facit iniquitatem, vt perficiat simulationem, & loquatur ad te Dominum fraudolenter, & vacuam faciet animam esurientis, & potum sitienti auferat, fraudolenti vasa pessima sunt; cogitationes concinnant ad perdendos mites in sermone mendaci.

Iudica illos Deus; decidant à cogitationibus, tu enim reprobas cogitationes populorum, Psalm. 32. num. 10. Faciunt, quæ in Prouerb. cap. 6. num. 12. & 17. cum sequen. tales enim subitò conterentur, & his ex templo venit perditio eorum nec habebunt vltra medicinam, dicit Spiritus sanctus ibidem: militant enim illa septem, quæ odit Deus, & detestatur septimum, quia seminauit inter fratres discordiam: Propterea cogitationes impiorum eradicabuntur: Prouerb. 15. num. 5. Iste est fructus cogitationum impiorum, Ierem. 6. num. 19. decidant à cogitationibus suis, & Dominus illos irridebit; post hæc erunt decidentes sine honore, & inter contumelias, inter mortuos in perpetuum, quoniam disrumpet eos inflatos sine voce, & commouebit illos à fundamentis, & vsque ad supremum desolabuntur, & erunt gementes, & memoria illorum peribit, Sap. 4. num. 19. secundum multitudinem impietatum eorum expelle eos: quoniam irritauerunt te Domine. Quasi enim mare feruens, impij, quod quiescere non potest, & redundant fluctus eius in conculcationem, & lutum; Isai. 57. num. 20. & quia etiam non est impijs pax, vt dicit Dominus ibi, & idem cap. 48. num. 22. expelle eos Domine; memoria eorum de terra pereat, expelle illos de luce in tenebras, & de orbe transfer illos, non sit semen eorum, neque progenies in populo: hæc enim & alia, quæ in Iob c. 18. narrantur sunt tabernacula iniqui, & iste locus eius, qui ignorat Deum, ibidem num. 21. Timorem tuum expellunt illi, Eccles. 23. num. 7. & tu Domine expelle illos de domo tua, & à te, & à conspectu tuo: 4. Reg. cap. 17. num. 18. trahunt vanitatem in fasciculis vanitatis, Isai. cap. 5. num. 18. & num. 27. ideò iratus sit furor tuus in illos Domine, & extende manum tuam super eos, & percute illos.

Et lætentur omnes, qui sperant in te; in æternum exultabunt, & habitabis in eis:

declinet à ruina mortis, ibidem nu. 27. timor enim Domini ipse est thesaurus eius; Isai. 33. num. 6. ego ergo introibo in domum tuam, in multitudine misericordiæ tuæ, impœnitentes verò egredientur, & in tenebris damnabuntur æternis.

Domine deduc me in iustitia tua propter inimicos meos, dirige in conspectu tuo viam meam. Quoniam non est hominis via eius, nec viri est, vt ambulet, & dirigat gressus suos, Ierem. 10. num. 22.

Nec in ore eorum veritas, cor eorum vanum est, ex his & ex sequentibus huius Psalmi verbis patet secundum Hieron. & verum est, quod de hæreticis, & sensum verum Scripturarum peruertentibus loquitur Dauid.

Sepulchrum enim patens est guttur eorum, linguis suis dolosè agebant, vt deciperent innocentem, sed tu Domine deduc me in tua iustitia; nàm astabo tibi: ingrediar in domum tuam, iam proficisci cupio in tua fide, & lege, deduc me in iustitia tua; dirige gressus meos, & pedes meos vsque ad finem, vt in viam tuam ambulans sine lapsu ingrediar in domum tuam, ne impediar ab inimicis meis: ipsi enim falsas anteponunt fidelibus interpretationes, vt decipiant; scio quia non est in ore eorum veritas, cor eorum vanum est, quia volunt Doctores, & Prophetæ haberi, cum non sint: docent, quæ non sunt: in viam tuam non ambulant; via enim tua est lectio Scripturarum, & hoc faciunt, vt corruam: & in scripturis tuis, per quas ingredi cupio in Ecclesiam tuam, non ambulem: nec est in ore eorum veritas, quia negant Christum Dominum, qui est ipsa veritas; in gladio, & fame consumentur, Ierem. 14. num. 15. quia falsi sunt, num. 14. labia eorum loquuntur mendacium, & lingua iniquitatem fatur, non est qui iudicet verè, sed confidunt in nihilo, & loquuntur vanitates, Isai. d. cap. 59. num. 4. abijt vagus in via cordis sui, Isai. 57. num. 17. stultus enim fatua loquetur, & cor eius faciet iniquitatem, vt perficiat simulationem, & loquatur ad Dominum fraudolenter, & vacuam faciat animam esurientis, & potum sitienti auferat; fraudolenti vasa pessima sunt, ipsi enim cogitationes concinnant ad perdendos mites in sermone mendaci, Isai. 32. num. 6. cum sequentibus. Cor eorum vanum est, quia longè sunt à Christo, sine Christo est cor illorum, ideò vanum.

Sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolosè agebant; desiderium enim impij monimentum est pessimorum, Prouerb. 12. num. 12. qui addunt, vel auferunt verbo, & Euangelicæ doctrinæ, quam nobis dedit Deus; propterea sepulchrum patens est guttur eorum, viscera eorum crudelia, Prouerb. 12. num. 10. fœtor enim ex gutture illorum, sicut ex sepulchris oritur, vt inficiant illos audientes, & illis credentes, Deut. 4. num. 2. Non addatis ad verbum, quod vobis loquor, nec auferatis ex eo, idem cap. 12. num. 32. & Prouerb. cap. 30. nu. 5. omnis sermo Dei est ignitus clypeus sperantibus in se, ne addas quidquam verbis illius, ne arguaris, inueniarisq. mendax; defecerunt enim in vanitate dies eorum, Psalm. 77. nu. 33. quia odit Deus obseruantes vanitates, Psalm. 30. num. 7. insipientes, & seruantes vanitates & fatui probabũtur, doctrina vanitatis eorũ signum est, Ierem. 10. nu. 8.

Linguis suis dolosè agebant contra Dominum, vt prouocarent oculos Maiestatis eius, Isai. 6. num. 8. lingua sua mentiti sunt ei, Psalm. 77. num. 36. quia dolus est in corde cogitantium mala, Prouerb. d. cap. 32. num. 20. & in cap. 18. num. 8. verba in linguis quasi simplicia, & ipsa proueniunt vsque ad interiora ventris, quia lingua fallax non amat veritatem, idem Prouerb. cap. 26. num. 18. & os lubricum operatur ruinas. Lingua ergo concinnabit dolos, Psalm. 49. num. 19. maledictus dolosus,

Malach.

Malach. 1. num. 14. acuerunt linguas suas sicut serpentes, venenum aspidum sub labijs eorum, ad Rom. 3. num. 13. locuti sunt de corde verba mendacij, corruit in platea veritas, & facta est veritas in obliuionum, Isai. 59. nu. 14. & festinant, vt effundant sanguinem innocentem, idem nu. 7. vastitas, & contritio in vijs eorum, Ierem. cap. 9. num. 3. extenderunt linguam suam quasi arcum mendacij, & non veritatis: confortati sunt in terra, quia de malo ad malum egressi sunt, & Dominum non cognouerunt, sagitta vulnerans lingua eorum dolum locuta est, num. 8. iudica illos Deus, nunquid super his non visitabis Domine? aut in gentes huiusmodi non vlciscetur anima tua? Ierem. ibidem num. 9. mitte post eos gladium donec consumentur, ibidem num. 16.

Iudica ergo illos Deus, non enim voluerunt te Saluatorem, & Patrem sentire: sentiant te Iudicem vt illos punias; ne alios lingua sua viperina inficiant viuentes diù in suis malis cogitationibus; nàm etsi diù viuant isti maledici, assueti in verbis improperij in omnibus diebus illorum, nec erudientur: Ecclesi. 23. num. 20. & vt alios perdant festinabunt; ne derelinquas me Domine Pater, & Deus vitæ meæ in cogitatu illorum, Ecclesi. d. cap. 23. num. 4. iudica illos Dominus.

Decidant à cogitationibus suis; non enim te præterijt omnis cogitatus, nec vllus sermo à te se abscondit, Ecclesi. 42. num. 20. tu enim Domine scis cogitationes hominum, Psalm. 95. num. 12. & cogitationes scrutabis, Sap. 6. num. 4. quia cor illorum facit iniquitatem, vt perficiat simulationem, & loquatur ad te Dominum fraudolenter, & vacuam faciet animam esurientis, & potum sitienti auferat, fraudolenti vasa pessima sunt; cogitationes concinnant ad perdendos mites in sermone mendaci.

Iudica illos Deus; decidant à cogitationibus, tu enim reprobas cogitationes populorum, Psalm. 32. num. 10. Faciunt, quæ in Prouerb. cap. 6. num. 12. & 17. cum sequen. tales enim subitò conterentur, & his ex templo venit perditio eorum nec habebunt vltra medicinam, dicit Spiritus sanctus ibidem: militant enim illa septem, quæ odit Deus, & detestatur septimum, quia seminauit inter fratres discordiam: Propterea cogitationes impiorum eradicabuntur: Prouerb. 15. num. 5. Iste est fructus cogitationum impiorum, Ierem. 6. num. 19. decidant à cogitationibus suis, & Dominus illos irridebit; post hæc erunt decidentes sine honore, & inter contumelias, inter mortuos in perpetuum, quoniam disrumpet eos inflatos sine voce, & commouebit illos à fundamentis, & vsque ad supremum desolabuntur, & erunt gementes, & memoria illorum peribit, Sap. 4. num. 19. secundum multitudinem impietatum eorum expelle eos: quoniam irritauerunt te Domine. Quasi enim mare feruens, impij, quod quiescere non potest, & redundant fluctus eius in conculcationem, & lutum; Isai. 57. num. 20. & quia etiam non est impijs pax, vt dicit Dominus ibi, & idem cap. 48. num. 22. expelle eos Domine; memoria eorum de terra pereat, expelle illos de luce in tenebras, & de orbe transfer illos, non sit semen eorum, neque progenies in populo: hæc enim & alia, quæ in Iob c. 18. narrantur sunt tabernacula iniqui, & iste locus eius, qui ignorat Deum, ibidem num. 21. Timorem tuum expellunt illi, Ecclesi. 23. num. 7. & tu Domine expelle illos de domo tua, & à te, & à conspectu tuo: 4. Reg. cap. 17. num. 18. trahunt vanitatem in fasciculis vanitatis, Isai. cap. 5. num. 18. & num. 27. ideò iratus sit furor tuus in illos Domine, & extende manum tuam super eos, & percute illos.

Et lætentur omnes, qui sperant in te; in æternum exultabunt, & habitabis in eis:

Psalm. 106. num. 28. & lætati sunt, quia siluerunt fluctus eorum, & deduxit eos in portum voluntatis eorum; Beatus vir (dicit Propheta) cuius est nomen Domini spes eius: Psalm. 39. num. 5. exultent isti, & lætentur num. 17. ibidem, quia quærunt Dominum.

Lætentur ergo omnes, qui sunt in mundo, sed non de mundo, & sperant in Domino, & conseruantur à malo, idest à peccato; nàm quamuis tribulationes patiantur, gloriantur tamen in illis, Paul. ad Roman. cap. 5. num. 3. cum sequen. sed & gloriantur in tribulationibus, scientes, quòd tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio autem spem, spes autem non confundit, quia charitas Dei diffusa est in cordibus eorum, per Spiritum sanctum, qui datus est eis expectatio iustorum lætitia, & spes impiorum peribit, Prouerb. 10. num. 28. Non de lætitia mundi loquitur cor enim stultorum vbi lætitia, Eccles. 7. num. 5. sed de illa loquitur, quæ parit exultationem in æternum timentibus Dominum, illisq. qui à Domino sunt redempti, Isai. 51. num. 11. & lætitia sempiterna super capita eorum, gaudium, & lætitiam obtinebunt, quia & Dominus habitabit in eis, Ioan. 17. num. 23. ego in eis, & tu in me. Quis verò sit ille, qui habitet in illis, Ioan. Apocalyps. cap. 7. num. 14. & 15. & dixit mihi, isti sunt, qui venerunt de tribulatione magna, & lauerunt stolas suas, & in sanguine agni dealbauerunt eas; ideò sunt ante thronum Dei, & seruiunt ei die ac nocte in Templo eius, & qui sedet in throno habitabit super illos, & ipsi inhabitabunt in tabernaculo suo, Psalm. 60. num. 5. & Eccles. cap. 27. num. 27. & erit tabernaculum meum in illis, & ero eis Deus, & ipsi erunt mihi populus, & scient gentes, quia ego Dominus sanctificator Israel, cum fuerit sanctificatio mea in medio eorum in perpetuum, Ioan. Apocal. cap. 21. nu. 3. ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis, & ipsi populus eius erunt, ipse Deus cum eis erit eorum Deus, & num. 52. & Templum non vidi in ea, Dominus enim Deus omnipotens, Templum illius est, & Agnus; Psalm. 10. nu. 5. Dominus in Templo sancto suo, Dominus in Cælo sedes eius, & Paul. 1. Corinth. 3. num. 16. nescitis, quia Templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in vobis, & 2. Corinth. cap. 6. num. 16. vos enim estis Templum Dei viui, sicut dicit Deus, Leuit. 26. num. 12. quoniam inhabitabo in illis, & ambulabo inter eos, & ero illorum Deus, & num. 17. idem Paul. & ego recipiam vos, & ero vobis in Patrem, & vos eritis mihi in filios, & filias, dicit Dominus omnipotens, Ierem. 31. num. 9.

Et gloriabuntur in te omnes, qui diligunt nomen tuum, quoniam tu benedices iustos. Et gloriabuntur in te, quia gloria virtutum eorum tu es; Psalm. 88. num. 18. gloria enim hæc est omnibus sanctis eius, Psalm. 149. num. 9. Turris enim fortissima est nomen Domini, & ad ipsum curret iustus, & exaltabitur, Prouerb. cap. 18. num. 10. omnes, qui diligunt nomen tuum: hoc est enim præceptum primum, Dilige Dominum Deum tuum, quia ipse diligentes se diligit, Prouerb. cap. 8. num. 17. & qui mane vigilant ad me, inuenient me, & qui diligunt nomen eius, habitabunt in ea: Psalm. 68. num. 37. Dominus enim custodit omnes diligentes se, & Psalm. 144. nu. 20. adducam eos in montem sanctum meum, & lætificabo eos in domo orationis meæ, Isai. 56. num. 7. & Matth. 22. num. 37. Diliges Dominum Deum tuum quia diligentibus Dominum omnia cooperantur in bonum, ad Rom. 8. num. 28. à sæculo non audierunt, neque auribus perceperunt, oculus non videt, absque te, quæ præparasti expectantibus te, Isai. 64. nu. 4.


& ad Corinth. 1. cap. 2. num. 6. Sapientiam loquimur inter perfectos, ſapientiam verò non huius ſæculi, neque Principum huius ſæculi, qui deſtruuntur, ſed loquimur ſapientiam Dei in myſterio, quæ abſcondita eſt, quam prædeſtinauit Deus ante ſæcula, in gloriam veſtram, quam nemo Principum huius ſæculi cognouit, &c. & num. 9. ſequitur, ſed ſicut ſcriptum eſt, quòd oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus ijs, qui diligunt illum.

Qui ergo diligunt, gloriabuntur, non in hoc ſæculo, in quo, quos Deus diligit corripit, & quaſi Pater in filio complacet ſibi: Prouerb. 3. num. 12. ad Galat. 2. num. 19. Chriſto crucifixus ſum cruci, quod autem viuens ſum in carne, in fide viuo filij Dei, qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me: hinc Hieron. hic, gloriabuntur, ergo futura gloriatio; alij ergo regnent, alij poſſideant, alij glorientur; nos hic ſumus miſeri, vt poſteà fęlices ſimus; ſequamur Chriſtum, & quemadmodum ille ambulauit, & nos credentes in illum ambulemus.

Venit ille vt miniſtraret, vt ſeruiret, vt pedes lauaret Diſcipulorum, vt cęderetur, vt crucifigeretur, pauper, vt faceret diuites, non ergo hic gloriemur, quia hic terra ſumus, & cinis; ſed gloriemur in nomine Ieſu Chriſti illius veſtigia pro amore eius ſequentes, ſic illum ex toto corde diligemus. Quoniam tunc benedicet in futurum iuſto: gloriabitur iuſtus, quia à Deo benedicetur, benedictio enim Domini ſuper iuſtum, Pſalm. 23. num. 5.

Domine vt ſcuto bonæ voluntatis tuæ coronaſti nos. Non ergo quia ex nobis ſit ſufficientia noſtra, ſed ex Deo: cum ipſe ſcuto ſuo protegat nos, vt perfecti coronemur; quia victores fuerimus, ad Galat. 2. Viuo ego iam non ego, viuit verò in me Chriſtus, idem 2. Corinth. 3. num. 4. Fiduciam talem habemus per Chriſtum Deum, non quòd ſufficientes ſimus cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo, qui & idoneos nos facit miniſtros noui teſtamenti, non littera, ſed ſpiritu, littera enim occidit, ſpiritus autem viuificat.

Qui ergo gloriatur in Domino glorietur, 2. Corinth. 10. num. 17. Quoniam tu Domine benedices iuſto, Auguſt. hic, hæc eſt enim benedictio gloriari in Deo, & inhabitari à Deo, ſed vt iuſtificentur præcedit vocatio, quæ non eſt meritorum, ſed gratiæ Dei, ad Roman. 3. num. 23. omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei; quos enim vocauit, hos & iuſtificauit, quos autem iuſtificauit, hos & glorificauit: Quia ergo inquit vocatio non meritorum, ſed beneuolentiæ, & miſericordiæ Dei eſt, ſubiecit dicens; Domine vt ſcuto bonæ voluntatis tuæ coronaſti nos; bona enim voluntas Dei præcedit bonam voluntatem noſtram, hæc Auguſt. vt peccatores vocet ad pœnitentiam.



SOLILOQVIVM.

DILIGAT anima mea nomen Domini nostri Iesu Christi Saluatoris nostri, quia ille primus benedixit nos; mortuus est enim pro nobis, qui Christi fideles vocamur: speret in eo, fidem habens in illum, & firmè credens, quia ipse est filius Dei viui, qui scuto suæ bonæ voluntatis coronabit nos; vt hæreditatem consequi possimus illius, per illum, qui est finis; vt in æternum exultemus, & habitemus in eo: iustè, & piè viuam in hoc sæculo, ad Deum preces effundendo, vt in iustitia sua deducat te, & viam tuam in conspectu suo dirigat, propter inimicos nostros, quorum os dolo plenum, & cor vanum est. Sepulchrum patens est guttur eorum, cogitationesq. iniquæ, ex illo exeunt adulteria, & homicidia. Longè sint à me cogitationes illorum iniquorum, tota enim die verba mea execrabantur, aduersum me omnes cogitationes eorum in malum, Psalm. 55. num. 4. Irritant te Domine, quia quos dedit tibi Pater, vt serues, perdere quærunt, & festinant. Expelle illos Domine secundum multitudinem impietatum illorum, & introduc nos in domum tuam, vt in Templo sancto tuo adoremus te in timore tuo. Ignoramus enim an odio, vel amore digni simus: certi tamen sumus, quòd non habitabit iuxtà te malignus, quòd nec etiam permanebunt iniusti ante oculos tuos, quia omnes iniquitatem operantes odisti Domine, & perdes omnes, qui loquuntur mendacium.

Ego verò adorabo, mane exaudies, quia redemptus, & ad te conuersus, & pœnitens, dolensq. de peccatis mane astabo tibi: mane dico, quia cor contritum non despicis. Ad te oro Domine, mane etiam exaudi orationem meam, & mane postquam deleueris peccata mea, astabo tibi; quia non volens iniquitatem tu es; ego sanguine tuo redemptus, ope tua mundus ero ab omni inquinamento, propterea mane exaudies.

Auribus ergo nunc percipe Domine verba mea intellige clamorem meum; intende voci orationis meæ, Rex meus, Deus meus; tu enim scrutator cordium es, & in corde meo non sunt cogitationes iniquæ; Deduc me, & omnes fideles tuos in tua iustitia: propter inimicos meos, propter inimicos Ecclesiæ tuæ sanctæ: Portæ inferi non præualeant aduersus eam. Lætentur in tribulationibus omnes serui tui, qui in te sperant, & glorificabuntur post hanc vitam in te omnes, qui diligunt te, quia tu benedices iusto, & coronasti nos scuto bonæ voluntatis tuæ, quia etiam nos te diligimus; Redemptor noster Iesu Christe, qui cum Patre, & Spiritu sancto regnas in sæcula sæculorum. Amen.



ENARRATIO.

IN PSALMVM VI.

Domine ne in furore tuo arguas me: neque in ira tua corripias me.



ITVLVM Psalmi: In finem in Carminibus Psalmus Dauid pro octaua: satis obscurum asserunt Doctores; de Resurrectione tamen hunc Psalmum intelligunt tàm Græci, quàm Latini; hoc enim sæculum ex septem diebus circumagi: in octauo die Resurrectionem significari inquiunt: iste enim numerus octo in Scriptura sancta, cum sit celeberrimus, neque aliquod opus seruile faciendum erat in illo: & holocaustum in eo offerebatur in odorem suauissimum Domino, vt habetur in Num. cap. 8. num. 10. & cap. 29. num. 35.ità etiam in Leuit. cap. 23. num. 36. Dies quoque octauus erit vobis celeberrimus, atque sanctissimus, & offeretis holocaustum Domino; est enim cœtus, atque collectæ, omne opus seruile non facietis in eo; & in Ezech. cap. 40. num. 37. in octo gradibus assensus eius ad Templum scilicet; ad portam, quæ ducit ad vitam, quamuis angusta sit, Matth. 7. num. 14. sic hic Psalmus de Resurrectione benè intelligitur: nàm ipse Dauid per multos beatitudinis gradus, est ingressus in diem illam octauam.

Pœnitens enim erat, quia peccata sua confitebatur miserere mei, quoniam infirmus sum, Isai. 61. num. 1. misit me, vt mederer contritis corde, & prædicarem captiuis indulgentiam; lugebat, Laboraui in gemitu meo, lauabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo; propterea exaudiuit Dominus vocem fletus mei; Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt, beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur, Matth. 5. num. 2. vsque ad numerum 12. mundus enim corde erat, quia contritus, & confessus, quem Deus non despexit; Psalm. 50. num. 19. Per gradus ergo humilitatis transiuit Dauid pœnitens, seù Ecclesia docens beatitudinis gradum: cum sit ergo celeberrimus iste numerus octauus; meritò pro octaua titulus est Psalmi, si illi Mathathias, & socij in cythara pro octaua canebant Epinicion; idest solemnitatem pro victoria, 1. Paralip. 15. num. 21. hæc est victoria Resurrectio Christi, non quia cythara esset octo chordarum, canebant enim pro octaua, dicit Text. & exultantes in cap. 25. 1. Paralip. per totum, dicit Dauid, vel Ecclesia pro octaua inquam, scilicet consequenda, & adipiscenda, scilicet pro octo illis gradibus Beatitudinis; in fine, in Christo consequendis; in hymnis, & canticis, laudantes Deum, confitentes peccata nostra, dolentesq. de commissis effundamus lacrymas, coram Domino, infirmitatem nostram deplorantes, oremus, vt sanitatem nobis tribuat Deus: instanter rogemus Dominum, quia Regnum Cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.

Continuatur ad præcedentem, quia cum ibi dictum esset, iniquos in iniquitate sua permanentes non habere in Resurrectione Christi partem cum illo: hic tamen docet, quòd recedentes à peccatis, & pœnitentes cum Christo resurrecturi sint.

Continuatur iterum ad præcedentem, in quo visum est de iustis, & iniustis, verùm ne ignoremus qui iusti sint, quibus Regnum Cælorum debetur, in hoc Psalmo declarantur, nempè qui contriti sunt, & dolentes de commissis qui per octauam incedunt, de qua suprà.

Summa hæc est; preces ad Dominum pro remissione peccatorum, & ab iniquis liberatione.

Summatur iterum: Pœnitens peccator exauditur, impęnitentes redarguuntur, dicit ergo.

Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me: Domine vsquequo non parcis mihi? quamdiu? vt sciam, quia dimiseris peccata mea? non me derelinquas, vsquequo auertes in finem; Psalm. 88. num. 47. conuertere Domine vsquequo? Psalm. 89. num. 13. & deprecabilis esto super seruos tuos. Vsquequo Domine clamabo, & non exaudies? vociferabor ad te, vim patiens, & non saluabis? Abac. 1. num. 2. sed gaudeamus, quia Dominus exaudiet vocem orationis nostræ, vt in Psalmi videbimus expositione.

In finem ergo, qui est Christus ponentes spem nostram, in Passione scilicet, & Resurrectione sua, in Carminibus, & Psalmus iste Dauid, & Ecclesia nos docet, vt in eadem Resurrectione Christi spem habeamus, quia aliàs frustrà Resurrectio Christi, si & nos redempti cum illo non resurgeremus. In octaua ergo psallamus, & Domino confiteamur peccata nostra, irrigando lacrymis stratum nostrum, & tunc cum illo dicamus; discedite à me, quia exaudiuit Dominus vocem orationis meæ.

Iste ergo Psalmus 6. Domine ne in furore tuo arguas me, neque, &c. declarat præcedentem, quæ scilicet fuerint verba Dauid, seù Ecclesiæ, quæ nec dum prolata erant, & nihilominus dicebat, Verba mea auribus percipe, intellige clamorem meum, & tamen in illo nullus clamor, nec aliqua verba, vt audiri possent, nec dum prolata erant. Cum ergo Dauid Deum excitasset, vt veniret, & auribus suis audiret, quod esset petiturus; postquam iniquorum hominum, & malignorum, iniustorum ingressum non esse apud Deum asseruit, ne nos tanquam peccatores de gratia Dei desperaremus; quatenus de præteritis doleremus: subiungit Psalmum istum 6. vt nos ad pœnitentiam inuitaret, & in Resurrectione Domini spem haberemus, dicit ergo.

Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me: Peccaui Domine sicut homo infirmus, miserere, & sana me, quia pœnitens laboraui in gemitu, considerans Domine, quia odisti omnes iniquitatem operantes, & virum sanguinum, & dolosum abominaris. Furor tuus longè sit à me, auertatur precor, Ierem. 32. num. 35. quia etsi peccator, me tamen pœnitet peccasse, amplius laua me, & à peccato meo munda me; Psalm. 50. num. 3. quia cor meum conturbatum est in me; nàm timor, & tremor venerunt super me, Psalm. 54. num. 5. & 6. superueniat mansuetudo, & corripiamur, sed non in furore tuo Domine, neque in ira tua Domine: quis enim nouit potestatem iræ tuæ, & præ timore tuo iram dinumerare? Psalm. 89. num. 11. terribilis enim es tu Domine, & magnus vehementer, & mirabilis potentia tua, Eccles. 43. num. 31. & quis resistet tibi? Psalm. 75. num. 8. corripias Domine, arguas, sed non in furore in die iudicij, Matth. 25. ite maledicti, in iniquos proferens; hic vre, hic seca; glossa hic; quia ex amore hic corripiendo, hoc facis; Vndè Greg. super Ezech. homil. 8. Modò per flagella corripitur quisque; & correctionibus emendatur, in mansuetudine corripitur non in ira; in districto autem examine omnis argutio, atque correctio furor, & ira est, quia venia post correctionem non est: hæc Greg. Tunc enim ira non habet misericordiam, nec erumpens furor iudicium; Prouerb. 21. num. 24. hinc Sap. cap. 12. num. 18. tu autem Dominator virtutis cum tranquillitate iudicas, & cum magna reuerentia disponis

nos:

nos: subest enim tibi cum volueris posse, & num. 19. bonæ spei fecisti filios tuos, quoniam iudicans dans locum in peccatis pœnitentiæ, & num. 22. cum ergo das nobis disciplinam, inimicos nostros multipliciter flagellas, vt bonitatem tuam cogitemus iudicantes, & cum de nobis iudicatur speremus misericordiam tuam, num. 26. qui autem ludibrijs, & increpationibus non sunt correcti dignum Dei iudicium experti sunt.

Tria ergo docet nos Ecclesia ad salutem necessaria, in hoc Psalmo; Primò infirmitatis nostræ cognitionem, vt cognoscamus, & confiteamur peccata nostra sine Dei auxilio non remitti: ibi Domine miserere mei, quoniam infirmus sum, sana me Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea, & anima turbata est valdè: sed quare conturbata? quia peccatores arguit Dominus impœnitẽtes in furore suo, & in ira sua corripit, etiam in hac vita, vt det locum pœnitentiæ, vt suprà dixi: subest tibi Domine, cum volueris posse, ideò illud posse postulat Ecclesia pro peccatore illud auxilium, vt cor nouum creet in illo, & spiritum rectum innouet in visceribus eius: ideò rogat dicens:

Domine ne in furore, sed suauiter disponens animam meam ad tui cognitionem miserere, quia infirmitas est ad mortem, si deseras illam. Domine, ne in furore tuo damnetur, puer enim meus anima mea, iacet in domo mea in corpore meo paraliticus, & malè torquetur, veni Domine, & cura illum: Matth. 8. num. 6.

Secundò docet etiam, vt peccata confitendo doleat de præteritis, ibi, quia conturbata sunt ossa mea: ideò laboraui in gemitu meo, & firmum propositum feci, ne amplius in futurum in Dei offensionem incidam; ideò lauabo per singulos dies, non solum laboraui, pœnitentiam agendo, sed lauabo in futurum per singulas noctes, lectum meis lacrymis rigabo. Iam ergo timor Domini est in tali pœnitente, nimirum si odit malum, in futurum etiam, Prouerb. 8. num. 13. timor Domini odit malum, quia etiam expellit peccatum, Eccles. 1. nu. 27. demus ergo locum timori Domini, Eccles. cap. 18. num. 19.

Tertiò, vt non solum peccatum, sed & occasionem peccandi fugiamus, ibi, Discedite à me, qui operamini iniquitatem, quoniam exaudiuit Dominus vocem deprecationis meæ.

Vlterius dicamus, in angustijs posita Ecclesia, seù Dauid pro illa videns peccata populi, & iram, furoremq. Domini timens contra iniquos, & malè agentes; nam supra Psalm. 2. tunc loquetur ad illos in ira sua, & in furore suo conturbabit eos, dixerat, erudiens nos peccatores, vt fugiamus iram Domini venturam, dolentesq. cum ipso dicamus.

Domine quia infirmi sumus, & infirmitatem nostram cognoscimus, gementes clamamus ad te, ne in furore tuo arguas nos, neque in ira tua corripias nos: filij Adæ sumus, & ita filij iræ; miserere nostri Domine, miserere nostri, vsquequo Domine? vsquequo abscondis faciem tuam à nobis, veni Domine, & noli tardare, relaxa facinora plebis tuæ; si enim aduentum tuum prolungaueris, pereunt interim homines, quia pondus peccatorum opprimit illos: mortui enim sunt tibi peccatores, ideò nec mortui laudabunt te; impius enim cum in profundum venerit peccatorum contemnit, sed sequitur cum ignominia opprobrium, Prouerb. 98. num. 3. etsi leo rapit, nisi tu Domine adueneris, non est qui redimat, neque qui saluum faciat: vsquequo ergo prorogas aduentum? Veni Domine, & ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me; ex quo enim aduentum prorogas, quia peccando

non

non est qui saluum faciat; furor tuus venit super nos redarguens nos, & ira tua nos corripit; miserere mei Domine quia infirmus sum à natura infecta, non est qui redimat, neque qui saluum faciat, nisi tu Dominus Deus meus; Redemptio non fit nisi per tuum Aduentum, vt satisfacias Patri. Veni Domine, redime: & visita vineam istam, quia iam fecit lambruscam, & non vuam: voca Domine operarios otiosos in plateis stantes etiam in vltima diei hora: voca scilicet Gentilitatem, vt veniat in vineam istam tuam; relaxa facinora eius, vt ego enutriam illos; & ipsi discent veritatem tuam; ne amplius perdas illam in furore tuo, vt permaneant in obscuro, quia sic mortui non laudabunt te, quia nesciunt te, etsi in infernum descendant non confitebuntur tibi, sed Diabolo, & Angelis eius, & sine remissione peccatorũ suorum, quia in inferno non est redemptio.

Confitentur enim Diabolo peccata damnati: & non tibi ò Christe, Sap. cap. 15. nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, ecce quia confitentur peccata, sed non tibi Christe.

Quoniam in morte non est qui memor sit tui, in morte, in peccato non tui memores sunt, quia in profundum iam veniunt peccatorum, ideò contemnunt; nec sunt memores tui.

Qui verò de gremio Ecclesiæ sunt, te Deum verum confitentes, & ex toto corde te vnigenitum diligentes, & gratia tua se ipsos peccatores recensentes infirmitatem illorum coram te deducunt, simulq. dolorem, & lacrymas effundunt, pro offensionibus tibi factis, dicentes, Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira corripias me; sed miserere nostri, ampliùs lauando, quia hucusque misericordia tua non sumus consumpti: sana iterum Domine, fac propter nomen tuum, quoniam multæ sunt auersiones nostræ tibi peccauimus, expectatio Israel Saluator eius in tempore tribulationis: tu autem in nobis es Domine, & nomen tuum inuocatum est super nos, ne derelinquas nos, Ierem. 14. nu. 9. Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum, idcircò ego plorans, & oculus meus deducens aquas: quia non venis Domine, longè factus videtur Aduentus tuus, & sic Consolator à me, & filij mei facti sunt interim perditi, quoniam intrauit inimicus, Thren. 1. num. 16. anima mea turbata est valdè.

Propterea laboraui in gemitu meo, lauabo per singulas noctes lectum meum, stratum meum lacrymis meis rigabo. Effundo sicut aquam in conspectu tuo Domine cor meum, pro anima paruulorum tuorum, requiem non do pupillæ oculi mei, sed quasi torrentem deduco lacrymas per noctem, Thren. 2. num. 18. & 19. quoniam conturbata sunt ossa mea; & anima mea valdè turbata. Contritione magna Virgo hæc, idest Ecclesia contrita est, Ierem. d. cap. 14. num. 18. Dicunt vbi est verbum Domini? veniat, & ego non sum turbatus, te Pastorem sequens, Ierem. 17. num. 16. Discedite à me omnes, qui operamini iniquitatem, quia exaudiuit Dominus vocem orationis meæ; ecce veniet, Psalm. 39. num. 7. Tunc dixi, ecce venio, ad Hebr. 10. num. 7. Zach. 2. num. 10. lauda, & lætare filia Sion, quia ecce venio, & habitabo in medio tui, ait Dominus, quia exaudiuit Dominus orationem meam, & applicabuntur gentes multæ ad Dominum in die illa, & erunt mihi in populum, & num. 13. sileat omnis caro à facie Domini, quia consurrexit de habitaculo sancto suo; discedite à me omnes, iniqua operantes, quia propè est iustus meus, egressus est Saluator meus, Ierem. 51. num. 5. discedite à me iniqui; vos autem qui scitis iustum, nolite amare opprobrium hominum; erubescant, & contur-

turbentur illi inimici, conuertantur, & erubescant valdè velociter, quia qui redempti sunt à Domino, reuertentur, & venient in Syon laudantes, lætitia sempiterna super capita eorum, Ierem d. cap. 51. num. 11. gaudium, & lætitiam obtinebunt; fugiet dolor, & gemitus, ego, ego ipse consolabor vos, ego scilicet ille, qui citò veniet, qui est Dominus Deus tuus, ibidem num. 13. quem Deus Pater constituit, vt plantet Cælos; & fundet terram Iesus Christus filius eius, Ierem. ibidem num. 16. & dicas ad Syon, populus meus es tu, & quod talis sit qui plantat Cælos, & fundat terram, scilicet & ipse etiam Deus; lege Isai. in cap. 37. num. 16. tu es Deus solus omnium regnorum terræ, tu fecisti Cælum. & terram, & idem Isai. c. 45. num. 18. Deus creans Cælos, & ipse Deus formans terram, & faciens eam ipse Plastes eius, & sine ipso factum est nihil, Ioan. 1. ipse est filius, qui constitutus est, vt plantet Cælos, & terram ædificet, & per quem facta sunt sæcula, in quo viuimus, mouemur, & sumus, & qui cum Deo Patre, & Spiritu sancto erat ante sæcula, Isai. 48. num. 16. qui in principio non in abscondito locutus est; qui antequam fieret, ibi erat, & tunc Dominus Deus misit illum, & spiritus eius. Sequitur Ecclesia, dicens, se laborasse in gemitu suo, vt præces placatus, admittat, quas pro peccatoribus effundit, & se etiam in futurum pro illis lacrymas effundere promittit, dicens, lauabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis rigabo: pro præteritis peccatis laborauit, pœnitentiam egit, & in futurum lauabit per singulos dies.

Turbatur Ecclesiæ oculus, *quia* etsi semper fuerit Ecclesia Dei, inimici tamen illius inueterantur, nec conuertuntur, immo quotidie contra ipsam matrem suam insurgunt malignantes: inueterata est inter inimicos suos, nec tamen portæ inferi præualebunt aduersus eam.

Discedite à me (inquit) nunc omnes vos, qui operamini iniquitatem, quia ego munda sum, nolo vos in filios, in iniquitatibus vestris tales permanentes, neque impœnitentes Iudæos, qui Christum negaturi estis: aduersus Dominum, & aduersus Christum eius assistitis. Pro Gentilitate exaudiuit Dominus deprecationem meam Dominus orationem meam suscepit; quia veniet, vt saluum faciat populum suum, populum inquam suum, qui in eum crediturus est, Isai. 60. nu. 21. populus autem tuus omnes iusti, & iustus ex fide viuit per Christum.

Exaudiuit orationem: quia veniet: & videbunt Regem in decore suo: oculi eius cernent terram de longè: discedite à me, qui operamini iniquitatem, quia oculi eius impudentem populum Iudæos scilicet, non videbunt, in quo nulla est sapientia, Isai. 33. num. 17. & 18. lætabitur verò deserta, & inuia, & exultabit solitudo, & florebit quasi lilium; ipsi enim videbunt gloriam Domini, & decorem Dei nostri; tunc aperientur oculi eorum, & aures surdorum patebunt, & erit ibi semita, & via, & via sancta vocabitur, non transibit per eam pollutus, & hæc erit nobis directa via, Isai 35. per totum. Discedite ergo (inquit) à me omnes, qui operamini iniquitatem, fraudolenti, vasa pessima, qui concinnatis dolum ad perdendum mites in sermone mendaci, cum loqueretur pauper, idest Christus iudicium, Isai. 32. num. 7. Princeps verò Christus, quæ sunt digna Principe cogitabit, malos enim malè perdet.

Erubescant, & conturbentur omnes inimici mei: conuertantur, & erubescant valdè velociter. Ego verò, quia exaudiuit Dominus vocem deprecationis meæ, & saluata sum, dicit Ecclesia, salute æterna propterea non confundar, nec erubescam vsque in sæculum sæculi, Isai. cap. 75. num. 16. Iniquè verò agentes erubescant in

vijs

vijs eorum pessimis: Ezech. 36. num. 31. erubescant impij, & deducantur in infernum, muta fiant labia dolosa, Psalm. 30. num. 18. erubescant, & conturbentur omnes inimici, conuertantur, & erubescant valdè velociter, Psalm. 82. num. 18. quia misericordia Dei non sum consumptus, sicut illi, quia noluerunt à vijs illorum pessimis recedere.

Dominus autem exaudiuit preces meas, & orationem meam suscepit; ideò vos iniqui discedite à me, quia vox fletus mei pœnitentis exaudita est à Domino; inueteraueram enim inter vos inimicos meos, furorem Domini non considerans: nunc verò iniquitatem meam cognosco; propterea turbatus erat à furore Domini oculus meus. Conuersus nunc, Dominus eripuit animam meam, saluum me fecit propter misericordiam suam, quia flens, & gemens laboraui die, ac nocte, lacrymis meis stratum meum rigando.

SOLILOQVIVM.

IMMEMOR eram, quando peccato eram obnoxius Domino meo, & consideraui, quia si in via immemor, & quid esset post mortem meam; propterea dixi: in inferno autem quis confitebitur tibi? reuersus ergo Dei gratia in me ipsum dicebam; conuertere Domine, & eripe animam meam, saluum me fac propter misericordiam tuam, ne in furore tuo arguas me, sed hic vre igne sancti Spiritus cor nostrum: non post mortem in ira corripias me; miserere mei Domine, quia infirmus sum: sana Animam meam, quia confiteor quòd tibi soli peccaui; propterea omnia ossa mea conturbata sunt, & anima mea turbata est valdè, sed tu Domine vsquequo non parcis mihi? parce Domine Pater seruo tuo. Amen.

IN PSALMVM VII.

Domine Deus meus in te speraui: saluum me fac ex omnibus persequentibus me, & libera me.



TITVLVS huius Psalmi: Psalmus Dauid, quem cantauit Domino pro verbis Chusi filij Iemini.

Magna Iesu Christi humilitas, qui cum esset Dominus, & Deus Cæli, & terræ, & per ipsum omnia creata sint; voluit tamen, vt nos à morte liberaret, carnem nostram assumere, à suis tradi, crucifigi, & mori: & vt nos doceret, quantum sibi esset grata humilitas cum oratione, incipit ipsemet ex ore Prophetæ Dauid, dicens, tanquam homo ad Patrem.

Domine Deus in te speraui, saluum me fac à persequentibus me, &c. Ne quando rapiat vt leo inimicus Diabolus, animam meam; supra enim aduentum Domini Iesu Propheta precabat, ibi: sed tu Domine vsquequo? Psalm. 6. num. 4. & exauditum se iactabat ibidem, num. 9. Discedite iniqui à me, quoniam exaudiuit Dominus vocem fletus mei, exaudiuit Dominus deprecationem meam, Dominus orationem meam suscepit.

Cum ergo Dauid certus esset Aduentus Domini, verbaq. Chusi Æthiopis, scilicet nigri Diaboli, & suorum adhærentium audisset aduersus Dominum, & aduersus Chri-

Christum eius; vt illum morti traderent; filius enim Iemini, idest dexteræ Dei, erat Diabolus, & Lucifer creatus, quasi altera lux, sed sua culpa cecidit, Isai. cap. 14. nu. 12. quomodo cecidisti de Cælo Lucifer, qui mane oriebaris? corruisti in terram, qui vulnerabas gentes, qui dicebas in corde tuo, in Cælum conscendam, & super astra Dei exaltabo solium meum.

Pro verbis ergo Chusi Domino Psalmum istum cantabat rogans Iesum Dominum, exurge Domine in ira tua, quia sic aduersarios in puluerem rediges, & nihilominus exaltaberis in finibus inimicorum tuorum, Gentilium nempè, qui te confitebuntur, & Synagoga populorum circundabit te.

Continuatur ad præcedentem, in quo iniqui vt ab iniquitate recederent, exhortabantur, verùm quia in iniquitate illorum permanserunt, & innocentem condemnare voluerunt, quæ iniquis retributio debeatur, hic annuntiat, quæue innocenti verò salus, & victoria.

Summatur. Iniqui condemnantur, & innocentes exaltantur.

Satis ergo interpretatio Tituli clara videtur, nam suprà Psalm. 2. & 3. audierat Dauid fremitum gentium, & tribulantium Dominum multiplicitatem, & in hoc Psalmo humilitatem considerans Christi rogantis Patrem, vt saluaret illum à persequentibus propter verba istius Chusi, & iactantiam illius contra eũ, Psalmum dicit Domino, non quia is non habeat eandem, sicut Pater potestatem, Ioan. cap. 5. nu. 21. & cap. 3. nu. 31. qui de sursum est super omnes est, & cap. 11. nu. 25. & cap. 14. nu. 10. & cap. 66. nu. 19. omnia quæcunque habet Pater, mea sunt, & potest in puluerem deducere inimicos suos, sed vt hominem Christum proponens.

Repræsentat ergo Dauid in hoc 7. Psalmo Christum Dominum humanatum, non se tanquam Deum extollentem, sed humiliatum tanquam hominem, & Dei Patris protectioni se subijcentem, dicens: Domine Deus Pater, tu me misisti, quia me obtuli, venturum, vt saluarem gentes; ecce iam veni, & opprobria, & falsa crimina contra me scio me passurum, & à Iudæis Diaboli ministris obijcienda contra me.

Domine saluum me fac ex omnibus persequentibus me, & libera me, non à morte, quia, vt illam subirem veni: & sanè mors mortua erit, quando ego moriar: sed quando in tribulationibus ero, ne me derelinquas.

Ne quando vt leo Diabolus rapiat, & non sit qui eripiat, neque qui redimat: quia ego solus possum redimere mundum, qui innocens sum, & Psalm. 58. nu. 16. Veruntamen Deus redimet animam meam de manu inferi, cum acceperit me sine macula. Obijcient contra me falsa, & dicent non est salus illi in Deo eius, Psalm. 2. num. 2. contumelia, & tormento interrogemus eum: gloriatur Patrem se habere Deum, videamus, si sermones eius veri sint; morte turpissima condemnemus eum, Sap. 2. nu. 12. cum sequentib. Circumueniamus iustum, quia contrarius est operibus nostris, factus est nobis in traductionem animarum nostrarum. Non est homo iste missus à Deo, qui nõ custodit Sabbata, potator vini est, seducit gentem nostram, se facit Regem, hunc nescimus vnde sit, Matth. cap. 13. num. 19. Ioan. cap. 9. num. 26

Domine Deus Pater tu scis, si feci illud, si est iniquitas in manibus meis.

Si reddidi retribuentibus mihi mala, immo oraui pro persequentibus me; Domine ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt, faciem meam non auerti ab increpantibus me, Isai. 50. nu. 7. Deus meus auxiliator meus, ideò non sum confusus, & scio,

quo-

quoniam non confundar: Hic docemur à Christo quod aliàs dixit in Euangelio, vt diligamus inimicos nostros, & illis benefaciamus, ibi, si reddidi retribuentibus mihi mala; nam qui bona retribuit pro malis, tunc salus ex inimicis nostris; si illis pro malis, tunc salus ex inimicis nostris; si illis pro malis nobis illatis benefaciamus: congerimus carbones super capita illorum, si verò mala malis retribuamus, tanquam inanes decidemus ab inimicis nostris, & Diabolus habebit intentum, cuius officium tunc gerimus, si vindicabimur de inimicis nostris.

Dum Diabolus persequetur animas nostras, comprehendet, & conculcabit in terra vitam nostram, & gloriam nostram in puluerem deducet, ita enim innuit nobis Saluator, custodite spiritum vestrum, & nolite despicere, aliàs persequetur inimicus animas vestras, quia mala malis addemus, cum proximum sicut nos ipsos non diligemus, vbi enim est Deus iudicij si dicitis: omnis, qui facit malum bonus est, in conspectu Domini, Malach. d. cap. 2. in fine.

Nunc loquitur Dauid, quasi *confortans* Christum Dominum, dicens: hæc omnia damna tibi *inferenda* à populo isto iniquo præsciui, non amplius rogo pro ijs ipsis obstinatis, qui te nouerunt, & negauerunt

Sed exurge in ira tua cum potestate tua delendo illos; veniant Romani, & destruant illos vnà cum Synagoga iniquorum istorum, non enim propterea deficiet Ecclesia tua, quia etiam in finibus inimicorum erunt fideles tui, & exaltaberis in omnem terram à populo, qui nascetur, quem fecisti tu Domine; vnde Isai. 8. nu. 9. Congregamini populi, & vincimini, & audite vniuersæ procul terræ confortamini, & vincimini: omnia enim, quæ loquitur populus iste iniquus, coniuratio est. Dominum exercituum sanctificate, & erit vobis in sanctificationem, in lapidem autem offensionis, & in petram scandali duabus domibus Israel, in laqueum, & in ruinam habitantibus Ierusalem.

Exurge Domine in ira tua, & exaltaberis in finibus inimicorum meorum; Isai. 49. num. 6. Et dixi, parum est mihi, vt sis mihi seruus, ad suscitandas tribus Iacob; & fæces Israel conuertendas. Ecce dedi te in lucem gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ, & num. 7. Reges videbunt, & consurgent Principes, & adorabunt propter Dominum, quia fidelis est, & sanctum Israel, qui elegit te, dedi te in fœdus populi, in lucem gentium, Isai. 42. nu. 7. vt aperires oculos cæcorum, & educeres de conclusione vinctum, de domo carceris, sedentes in tenebris; & hoc est præceptum, quod mandasti.

Exurge Domine Deus meus, inquit Dauid, in præcepto, quod mandasti, & Synagoga populorum circundabit te; nam quæ prima fuerunt euenerunt, noua quoque ego annuntio. Cantate Domino canticum nouum, laus eius ab extremis terræ, subleuetur desertum, & Ciuitates eius; laudate habitatores terræ, de vertice montium clamabunt, portent Domino gloriam, & laudem eius in Insulis nunciabunt, & ducam cæcos in viam, quam nesciunt, & in semitis, quas ignorauerunt, ambulare eos faciam.

Et Synagoga populorum circundabit te, cum exurrexeris in pręcepto, quod mandasti; haurient nempè aquas in medio de fontibus Saluatoris, quando baptizabuntur in nomine eius; dicent in die illa, confitemini Domino, & inuocate nomen eius, notas facite in populis adinuentiones eius, cantate Domino, quoniam magnificè fecit, annunciate hæc in vniuersa terra, Isai. 12. nu. 4. Hoc est ergo præceptum, quod mandasti, & quoniam Iudæi repullerunt illud, & indignos iudicauerunt se

ipsos

ipſos vitæ æternæ effecerunt, vt conuerterentur Apoſtoli ad gentes, ſic enim præcepit eis Dominus, Act. 13. num. 47. & Iſai. 49. num. 6. propterea audientes gentes gauiſæ ſunt, & glorificabant nomen Domini.

Exurge ergo Domine Deus in præcepto quod mandaſti, vt prædicetur nomen tuum in toto mundo, liga teſtimonium, ſigna legem in diſcipulis tuis, Iſai. 8. nu. 16. & num. 18. ecce ego, & pueri mei, quos dediſti Domine in ſignum, & in portentum Iſrael à Domino exercituum, qui habitat in monte Sion. Et ſynagoga populorum circundabit te, quia vbi ſunt duo, vel tres in nomine tuo congregati, tu in medio eorum eſſe dixiſti: Circundabit ergo te, quia tu in medio eius es ſemper; Sophon. 3. num. 5. Dominus iuſtus in medio eius non faciet iniquitatem, mane mane iudicium ſuum dabit in lucem, & non abſcondetur, neſciuit autem iniquus confuſionem.

Et propter hanc tuam Eccleſiam in altum regredere, tua ſcilicet virtute: exiui à Patre, & veni in mundum, iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem, Ioan. 16. num. 28. exaltare, & in tua potentia poſt deſcenſum ad inferos captiuam ducas captiuitatem in Cælum, & da dona hominibus Spiritus ſancti, eundem ſpiritum in filios adoptionis effundens, ſicut promiſiſti, ſi enim aſcendero, mittam eum ad vos. Et propter hanc pollicitationem in altum regredere, quia nemo aſcendit in Cælum, niſi qui de Cælo deſcendit filius hominis, qui in Cælo eſt, Ioan. 3. num. 13. quia mittes promiſſum Patris tui in nos, Luc. 24. nu. 49. Ioan. 14. nu. 16. & cap. 16. nu. 17. quia tibi data eſt omnis poteſtas in Cælo, & in terra. Propterea dixit, Dominus iudicat populos, quia ipſe eſt Dominus, qui iudicat; Pater enim neminem iudicat, ſed omne iudicium dedit filio, vt omnes honorificent filium, Ioan. cap. 5. nu. 22.

Iterum Ieſus oſtendere volens innocentiam ſuam, & propter nos humilians animam ſuam diuinitati ipſi iunctam, & cum qua ſemper remanſit, inquit.

Iudica me Domine ſecundum iuſtitiam meam, & ſecundum innocentiam meam ſuper me. Sciebat enim Ieſus Chriſtus, iniuſtam quidem mortem ab impijs inferendam ſe paſſurum, iuſtè tamen, vt pro populo ſatisfaceret iuſtitię Dei; ideò iuſtitiam (inquit) non abſcondi in corde meo, quia ſic oportebat pati Chriſtum, & reſurgere à mortuis tertia die, & prædicari in nomine Ieſu pœnitentiam, & remiſſionem peccatorum in omnes gentes, Luc. 24. num. 46. Marc. 8. num. 31. & cępit docere eos, quia oportet filium hominis multa pati, & reprobari à Senioribus, & à ſummis Sacerdotibus, & Scribis, & occidi: & poſt tres dies reſurgere. Inquit ergo, Iudica me ſecundum iuſtitiam meam, quia ipſe vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra: diſciplina pacis noſtræ ſuper eum; vndè de iuſtitia fuit, vt illius liuore ſanaremur: cum Dominus poſuerit in eo iniquitatem omnium noſtrum, & oblatus ſit, quia ipſe voluit.

Iudica ergo me Domine ſecundum iuſtitiam meam, quia talia paſſus ſum pro populo meo. Et ſecundum innocentiam meam ſuper me, eò quod iniquitatem non fecerim, neque dolus fuerit in ore meo: Iſai. 53. nu. 5. & ſequen. iudica me ſecundum iuſtitiam meam, quia Dominus voluit eum conterere in infirmitate, & pro eo, quod laborauit, videbit, & ſaturabitur.

In ſcientia ſua iuſtificabit ipſe iuſtus ſeruus meus multos, & iniquitates eorum ipſe portabit; ideò diſpertiam ei plurimos, & fortium diuidet ſpolia. Pro eò, quod tradidit in mortem animam ſuam, & cum ſceleratis reputatus eſt, & ipſe peccata multorum tulit, & pro tranſgreſſoribus rogauit, Iſai. d. cap. 53. nu. 11. & ſequen.

vijs eorum pessimis: Ezech. 36. num. 31. erubescant impij, & deducantur in infernum, muta fiant labia dolosa, Psalm. 30. num. 18. erubescant, & conturbentur omnes inimici, conuertantur, & erubescant valdè velociter, Psalm. 82. num. 18. quia misericordia Dei non sum consumptus, sicut illi, quia noluerunt à vijs illorum pessimis recedere.

Dominus autem exaudiuit preces meas, & orationem meam suscepit; ideò vos iniqui discedite à me, quia vox fletus mei pœnitentis exaudita est à Domino; inueteraueram enim inter vos inimicos meos, furorem Domini non considerans: nunc verò iniquitatem meam cognosco; propterea turbatus erat à furore Domini oculus meus. Conuersus nunc, Dominus eripuit animam meam, saluum me fecit propter misericordiam suam, quia flens, & gemens laboraui die, ac nocte, lacrymis meis stratum meum rigando.

SOLILOQVIVM.

IMMEMOR eram, quando peccato eram obnoxius Domino meo, & consideraui, quia si in via immemor, & quid esset post mortem meam; propterea dixi: in inferno autem quis confitebitur tibi? reuersus ergo Dei gratia in me ipsum dicebam; conuertere Domine, & eripe animam meam, saluum me fac propter misericordiam tuam, ne in furore tuo arguas me, sed hic vre igne sancti Spiritus cor nostrum: non post mortem in ira corripias me; miserere mei Domine, quia infirmus sum: sana Animam meam, quia confiteor quòd tibi soli peccaui; propterea omnia ossa mea conturbata sunt, & anima mea turbata est valdè, sed tu Domine vsquequò non parcis mihi? parce Domine Pater seruo tuo. Amen.

IN PSALMVM VII.

Domine Deus meus in te speraui: saluum me fac ex omnibus persequentibus me, & libera me.



ITVLVS huius Psalmi: Psalmus Dauid, quem cantauit Domino pro verbis Chusi filij Iemini.

Magna Iesu Christi humilitas, qui cum esset Dominus, & Deus Cæli, & terræ, & per ipsum omnia creata sint; voluit tamen, vt nos à morte liberaret, carnem nostram assumere, à suis tradi, crucifigi, & mori: & vt nos doceret, quantum sibi esset grata humilitas cum oratione, incipit ipsemet ex ore Prophetæ Dauid, dicens, tanquam homo ad Patrem.

Domine Deus in te speraui, saluum me fac à persequentibus me, &c. Ne quando rapiat vt leo inimicus Diabolus, animam meam; supra enim aduentum Domini Iesu Propheta precabat, ibi: sed tu Domine vsquequo? Psalm. 6. num. 4. & exauditum se iactabat ibidem, num. 9. Discedite iniqui à me, quoniam exaudiuit Dominus vocem fletus mei, exaudiuit Dominus deprecationem meam, Dominus orationem meam suscepit.

Cum ergo Dauid certus esset Aduentus Domini, verbaq. Chusi Æthiopis, scilicet nigri Diaboli, & suorum adhærentium audisset aduersus Dominum, & aduersus

Chri-

Christum eius; vt illum morti traderent; filius enim Iemini, idest dexteræ Dei, erat Diabolus, & Lucifer creatus, quasi altera lux, sed sua culpa cecidit, Isai. cap. 14. nu. 12. quomodo cecidisti de Cælo Lucifer, qui mane oriebaris? corruisti in terram, qui vulnerabas gentes, qui dicebas in corde tuo, in Cælum conscendam, & super astra Dei exaltabo solium meum.

Pro verbis ergo Chusi Domino Psalmum istum cantabat rogans Iesum Dominum, exurge Domine in ira tua, quia sic aduersarios in puluerem rediges, & nihilominus exaltaberis in finibus inimicorum tuorum, Gentilium nempè, qui te confitebuntur, & Synagoga populorum circundabit te.

Continuatur ad præcedentem, in quo iniqui vt ab iniquitate recederent, exhortabantur, verùm quia in iniquitate illorum permanserunt, & innocentem condemnare voluerunt, quæ iniquis retributio debeatur, hic annuntiat, quæue innocenti verò salus, & victoria.

Summatur. Iniqui condemnantur, & innocentes exaltantur.

Satis ergo interpretatio Tituli clara videtur, nam suprà Psalm. 2. & 3. audierat Dauid fremitum gentium, & tribulantium Dominum multiplicitatem, & in hoc Psalmo humilitatem considerans Christi rogantis Patrem, vt saluaret illum à persequentibus propter verba istius Chusi, & iactantiam illius contra eũ, Psalmum dicit Domino, non quia is non habeat eandem, sicut Pater potestatem, Ioan. cap. 5. nu. 21. & cap. 3. nu. 31. qui de sursum est super omnes est, & cap. 11. nu. 25. & cap. 14. nu. 10. & cap. 66. nu. 19. omnia quæcunque habet Pater, mea sunt, & potest in puluerem deducere inimicos suos, sed vt hominem Christum proponens.

Rapræsentat ergo Dauid in hoc 7. Psalmo Christum Dominum humanatum, non se tanquam Deum extollentem, sed humiliatum tanquam hominem, & Dei Patris protectioni se subijcentem, dicens: Domine Deus Pater, tu me misisti, quia me obtuli, venturum, vt saluarem gentes; ecce iam veni, & opprobria, & falsa crimina contra me scio me passurum, & à Iudæis Diaboli ministris obijcienda contra me.

Domine saluum me fac ex omnibus persequentibus me, & libera me, non à morte, quia, vt illam subirem veni: & sanè mors mortua erit, quando ego moriar: sed quando in tribulationibus ero, ne me derelinquas.

Ne quando vt leo Diabolus rapiat, & non sit qui eripiat, neque qui redimat: quia ego solus possum redimere mundum, qui innocens sum, & Psalm. 58. nu. 16. Veruntamen Deus redimet animam meam de manu inferi, cum acceperit me sine macula. Obijcient contra me falsa, & dicent non est salus illi in Deo eius, Psalm. 2. num. 2. contumelia, & tormento interrogemus eum: gloriatur Patrem se habere Deum, videamus, si sermones eius veri sint; morte turpissima condemnemus eum, Sap. 2. nu. 12. cum sequentib. Circumueniamus iustum, quia contrarius est operibus nostris, factus est nobis in traductionem animarum nostrarum. Non est homo iste missus à Deo, qui nõ custodit Sabbata, potator vini est, seducit gentem nostram, se facit Regem; hunc nescimus vnde sit, Matth. cap. 13. num. 19. Ioan. cap. 9. num. 26

Domine Deus Pater tu scis, si feci illud, si est iniquitas in manibus meis.

Si reddidi retribuentibus mihi mala, immo oraui pro persequentibus me; Domine ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt, faciem meam non auerti ab increpantibus me, Isai. 50. nu. 7. Deus meus auxiliator meus, ideò non sum confusus, & scio, quo-

quoniam non confundar: Hic docemur à Christo quod aliàs dixit in Euangelio, vt diligamus inimicos nostros, & illis benefaciamus, ibi, si reddidi retribuentibus mihi mala; nam qui bona retribuit pro malis, tunc salus ex inimicis nostris; si illis pro malis, tunc salus ex inimicis nostris; si illis pro malis nobis illatis benefaciamus: congerimus carbones super capita illorum, si verò mala malis retribuamus, tanquam inanes decidemus ab inimicis nostris, & Diabolus habebit intentum, cuius officium tunc gerimus, si vindicabimur de inimicis nostris.

Dum Diabolus persequetur animas nostras, comprehendet, & conculcabit in terra vitam nostram, & gloriam nostram in puluerem deducet, ita enim innuit nobis Saluator, custodite spiritum vestrum, & nolite despicere, aliàs persequetur inimicus animas vestras, quia mala malis addemus, cum proximum sicut nos ipsos non diligemus, vbi enim est Deus iudicij si dicitis: omnis, qui facit malum bonus est, in conspectu Domini, Malach. d. cap. 2. in fine.

Nunc loquitur Dauid, quasi confortans Christum Dominum, dicens: hæc omnia damna tibi inferenda à populo isto iniquo præsciui, non amplius rogo pro ijs ipsis obstinatis, qui te nouerunt, & negauerunt

Sed exurge in ira tua cum potestate tua delendo illos; veniant Romani, & destruant illos vnà cum Synagoga iniquorum istorum, non enim propterea deficiet Ecclesia tua, quia etiam in finibus inimicorum erunt fideles tui, & exaltaberis in omnem terram à populo, qui nascetur, quem fecisti tu Domine; vnde Isai. 8. nu. 9. Congregamini populi, & vincimini, & audite vniuersæ procul terræ confortamini, & vincimini: omnia enim, quæ loquitur populus iste iniquus, coniuratio est. Dominum exercituum sanctificate, & erit vobis in sanctificationem, in lapidem autem offensionis, & in petram scandali duabus domibus Israel, in laqueum, & in ruinam habitantibus Ierusalem.

Exurge Domine in ira tua, & exaltaberis in finibus inimicorum meorum; Isai. 49. num. 6. Et dixi, parum est mihi, vt sis mihi seruus, ad suscitandas tribus Iacob; & fæces Israel conuertendas. Ecce dedi te in lucem gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ, & num. 7. Reges videbunt, & consurgent Principes, & adorabunt propter Dominum, quia fidelis est, & sanctum Israel, qui elegit te, dedi te in fœdus populi, in lucem gentium, Isai. 42. nu. 7. vt aperires oculos cæcorum, & educeres de conclusione vinctum, de domo carceris, sedentes in tenebris; & hoc est præceptum, quod mandasti.

Exurge Domine Deus meus, inquit Dauid, in præcepto, quod mandasti, & Synagoga populorum circundabit te; nam quæ prima fuerunt euenerunt, noua quoque ego annuntio. Cantate Domino canticum nouum, laus eius ab extremis terræ, subleuetur desertum, & Ciuitates eius; laudate habitatores terræ, de vertice montium clamabunt, portent Domino gloriam, & laudem eius in Insulis nunciabunt, & ducam cæcos in viam, quam nesciunt, & in semitis, quas ignorauerunt, ambulare eos faciam.

Et Synagoga populorum circundabit te, cum exurrexeris in pręcepto, quod mandasti; haurient nempè aquas in medio de fontibus Saluatoris, quando baptizabuntur in nomine eius; dicent in die illa, confitemini Domino, & inuocate nomen eius, notas facite in populis adinuentiones eius, cantate Domino, quoniam magnificè fecit, annunciate hæc in vniuersa terra, Isai. 12. nu. 4. Hoc est ergo præceptum, quod mandasti, & quoniam Iudæi repulleruht illud, & indignos iudicauerunt se

ipsos

ipsos vitæ æternæ effecerunt, vt conuerterentur Apostoli ad gentes, sic enim præcepit eis Dominus, Act. 13. num. 47. & Isai. 49. num. 6. propterea audientes gentes gauisæ sunt, & glorificabant nomen Domini.

Exurge ergo Domine Deus in præcepto quod mandasti, vt prædicetur nomen tuum in toto mundo, liga testimonium, signa legem in discipulis tuis, Isai. 8. nu. 16. & num. 18. ecce ego, & pueri mei, quos dedisti Domine in signum, & in portentum Israel à Domino exercituum, qui habitat in monte Sion. Et synagoga populorum circundabit te, quia vbi sunt duo, vel tres in nomine tuo congregati, tu in medio eorum esse dixisti: Circundabit ergo te, quia tu in medio eius es semper; Sophon. 3. num. 5. Dominus iustus in medio eius non faciet iniquitatem, mane mane iudicium suum dabit in lucem, & non abscondetur, nesciuit autem iniquus confusionem.

Et propter hanc tuam Ecclesiam in altum regredere, tua scilicet virtute: exiui à Patre, & veni in mundum, iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem, Ioan. 16. num. 28. exaltare, & in tua potentia post descensum ad inferos captiuam ducas captiuitatem in Cælum, & da dona hominibus Spiritus sancti, eundem spiritum in filios adoptionis effundens, sicut promisisti, si enim ascendero, mittam eum ad vos. Et propter hanc pollicitationem in altum regredere, quia nemo ascendit in Cælum, nisi qui de Cælo descendit filius hominis, qui in Cælo est, Ioan. 3. num. 13. quia mittes promissum Patris tui in nos, Luc. 24. nu. 49. Ioan. 14. nu. 16. & cap. 16. nu. 17. quia tibi data est omnis potestas in Cælo, & in terra. Propterea dixit, Dominus iudicat populos, quia ipse est Dominus, qui iudicat; Pater enim neminem iudicat, sed omne iudicium dedit filio, vt omnes honorificent filium, Ioan. cap. 5. nu. 22.

Iterum Iesus ostendere volens innocentiam suam, & propter nos humilians animam suam diuinitati ipsi iunctam, & cum qua semper remansit, inquit.

Iudica me Domine secundum iustitiam meam, & secundum innocentiam meam super me. Sciebat enim Iesus Christus, iniustam quidem mortem ab impijs inferendam se passurum, iustè tamen, vt pro populo satisfaceret iustitię Dei; ideò iustitiam (inquit) non abscondi in corde meo, quia sic oportebat pati Christum, & resurgere à mortuis tertia die, & prædicari in nomine Iesu pœnitentiam, & remissionem peccatorum in omnes gentes, Luc. 24. num. 46. Marc. 8. num. 31. & cępit docere eos, quia oportet filium hominis multa pati, & reprobari à Senioribus, & à summis Sacerdotibus, & Scribis, & occidi; & post tres dies resurgere. Inquit ergo, Iudica me secundum iustitiam meam, quia ipse vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra: disciplina pacis nostræ super eum; vndè de iustitia fuit, vt illius liuore sanaremur: cum Dominus posuerit in eo iniquitatem omnium nostrum, & oblatus sit, quia ipse voluit.

Iudica ergo me Domine secundum iustitiam meam, quia talia passus sum pro populo meo. Et secundum innocentiam meam super me, eò quod iniquitatem non fecerim, neque dolus fuerit in ore meo: Isai. 53. nu. 5. & sequen. iudica me secundum iustitiam meam, quia Dominus voluit eum conterere in infirmitate, & pro eo, quod laborauit, videbit, & saturabitur.

In scientia sua iustificabit ipse iustus seruus meus multos, & iniquitates eorum ipse portabit; ideò dispertiam ei plurimos, & fortium diuidet spolia. Pro eò, quod tradidit in mortem animam suam, & cum sceleratis reputatus est, & ipse peccata multorum tulit, & pro transgressoribus rogauit, Isai. d. cap. 53. nu. 11. & sequen.

non igitur amplius salua me propter misericordiam tuam, sed nunc propter iustitiam meam, quia mandata tua seruaui; hic August. quocircà subiungit.

Consumetur nequitia peccatorum, ne morti tradant iustum pro iniustis, quia diriget iustum in viam rectam, qui scrutator est cordium, & renum Deus; ipse enim sponte veni, & passurus sum pro liberatione populi veni, quia volui: oblatus sum vt languores multorum tollerem: quia volui, Isai. d. cap. 53. num. 5. & 7.

Consumetur nequitia peccatorum super me. Propterea dixit Iesus, Consummatum est, Ioan. 19. num. 30. iàm finita, iàm habuit effectum iniquitas populi clamantis, Crucifigatur, & Deus Pater direxit iustum, quia illum à morte liberauit; & dedit illi omnem potestatem in cælo, & in terra, Matth. 24. num. 19.

Consumetur nequitia peccatorum; Adimpleuit suas voluntates in peccatis; nihilominus Deus diriget iustum, nec ipse Deus potest falli, quia ipse Deus est scrutator cordium, & renum, & scit iustum.

Iustum adiutorium meum à Domino, qui saluos facit rectos corde, docens nos, vt corde perfecto, & mente pura seruiamus illi, vt sit nobis in adiutorium, propterea dicebat Dauid Salomoni, 1. Paralip. 28. nu. 9. scito Deum Patris tui, & seruito ei corde perfecto, & animo voluntario; omnia enim corda scrutatur Dominus; Et in alio loco, Ierem. 11. num. 20. tu autem Domine Sabaoth, qui iudicas iustè, & probas renes, & corda, &c.

Nequitia peccatorum consumetur, faciant peccatores quidquid volunt, quia Deus qui renes, & corda hominum scit, & cui intima cordis non sunt abscondita: diriget iustum in viam suam bonam, & rectam, & sanctam, Ioan. 17. num. 22. ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis, & quos dedisti mihi volo, vt vbi ego sum, & illi sint mecum, & notum feci eis nomen tuum, & notum faciam, vt dilectio, qua dilexisti me in ipsis sit, & ego in ipsis, ibidem Ioan. num. 24.

Consumetur nequitia peccatorum vt iusti non timeant illos, Isai. 8. nu. 12. Dominus enim ipse solus, ipse pauor sit noster, & terror noster, cor impiorum pro nihilo, & lingua iusti argentum electum, Prouerb. 10. num. 10. nolite timere, dicebat Iesus, Matth. 10. num. 28. eos, qui occidunt corpus, animam verò non possunt occidere: sed potius timete eum, qui potest, & animam, & corpus perdere in gehennam. Nunquid non perditio est iniquo, & alienatio operantibus iniquitatem, seù iniustitiam, Iob 31. num. 3.

Consumetur igitur nequitia peccatorum qui nocet, noceat adhuc, & qui in sordibus est sordescat adhuc, Apocalyps. 22. nu. 11. Beati qui lauant stolas suas in sanguine Agni, vt sit potestas eorum in ligno vitæ, & per portas intrent ciuitatem; foris autem canes, & venefici, & impudici, & homicidæ, & omnis, qui amat, & facit mendacium, Ioan ibidem num. 14. penès enim agnum est merces sua, & reddet vnicuique secundum opera sua.

Iustum ergo adiutorium à Domino, qui saluos facit rectos corde, Isai. c. 20. nu. 12. Probator iusti, qui vides renes, & cor. Rectos corde, quia cor nostrum est, vbi est thesaurus noster, idest in Cælo, vbi est Deus, & omne bonum nostrum; & ad illum recti corde prospiciunt, neque carni, & sanguini acquiescunt, sed in Domino delectantur, propterea dicit, dirige iustum, & scrutans corda, & renes Deus, scrutans corda eorum, qui solum Deum prospiciunt; & scrutans renes eorum, qui quamuis sint bonis temporalibus ditati, illis tamen non acquiescunt, cum transitoria sint, neque carni, neque sanguini, Iustum etiam adiutorium meum à Domino, dicit Iesus,

qui

qui neque carni, & sanguini pepercit, vt saluaret populum suum, quia obtulit semetipsum in cruce. Probauit ergo cor illius, & renes Deus, cuius cor semper ad Deum Patrem intentus erat, vt faceret voluntatem eius, renes etiam quia proprium sanguinem, & vitam posuit pro suis, iustum adiutorium à Domino, qui saluos facit rectos corde; Tum loquitur Propheta, dicens.

Deus iudex iustus, & patiens nunquid irascitur per singulos dies? ò peccatores, ò iniusti, & rebelles, & qui dicitis, non est Deus, & nos non cognoscit amplius, Exod. 34. nu. 6. Deus misericors, & clemens, & patiens, & multæ miserationes; quia non statim vos propter iniquitates vestras de terra deleuit, nō est Deus? ille est Deus, quem vos crucifixistis; & quotidiè negatis Iesus Christus, scilicet, nàm & ille est Iudex, quia Pater non iudicat quemquam, iudex est, & iustus, ac patiens, quia vos ad pęnitentiam expectat; Attamen nisi conuertamini à vijs vestris pessimis in puluerem deducet vos, & gladium suum vibrabit, & conteret vos: patiens est, quia expectat peccatorem ad pœnitentiam: lento gradu ad vindictam sua diuina procedit ira, tarditatemq. sui grauitate compensat, & Chrysost. in hom. 43. in imperfecto. Non enim cum peccauerit, statim gentem punit Deus, sed expectat per multas generationes, & modò mandat, & modò minatur, interdùm ex parte castigat, vt castigatus fiat eruditus, quasi iuuenculus indomitus, Isai. 21. nu. 18. vel vt quantò diutiùs expectauerit, tantò amplius iudicium sit iustius, & illorum dignior pęna: frustrà enim percussisti filios eius, qui disciplinam non receperunt, Ierem. 2. nu. 30. Deus ergo est filius, & iudicem Deum appellat Propheta, vt sciamus, quia filius, cui datum est iudicium, ipse est Deus, & homo, quem crucifixistis; si iudex ergo iustus, quia reddet vnicuique juxtà opera sua; patiens est, quia non vult mortem peccatoris, sed vt conuertatur, & viuat. Vndè in vitis Patrum legitur, quod Angelus cuidam Patri, dixit; scias, quia nulla delicta hominum vincunt clementiam Dei, si tamen per pœnitentiam quis ea abluat, Iob 31. num. 18. ab infantia mea creuit mecum miseratio, & de vtero matris meæ egressa est mecum.

Fortis est iste Deus noster, filius Dei Patris, quia omnia per ipsum facta sunt, dixit enim, & facta est lux, facti sunt Cæli, & terra, & omnia, quæ in eis sunt, fortis, quia fortium castra deleuit, sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus immortalis; qui aufert spiritum Principum, & mutat regna sua voluntate, & corripit gentes fortes vsque in longinquum, Mich. 4. nu. 3. & iustus, quia reuelabitur quasi aqua iudicium, & iustitia quasi torrens fortis, Amos c. 5. nu. 28. & visitat super orbis mala, & contra impios iniquitatem eorum, & quiescere facit superbiam infidelium, & arrogantiam fortium humiliat, Isai. 12. nu. 11. Et quidem, neque plantatus, neque satus, neque radicatus in terra truncus eorum: repentè flauit in eos, & aruerunt, & turbo quasi stipulam auferet eos, leuate, dicit Dominus per Isai. cap. 40. num. 24. & 26. leuate in excelsum oculos vestros, & videte, quis creauit hæc: qui educit in numero malitiam eorum, & omnes ex nomine vocat præ multitudine fortitudinis, & roboris, virtutisq. eius, neque vnum reliquum fuit, hæc Isai. dicto cap. 40. Iste enim est, per quem omnia alia facta sunt, verbum Dei filius eius vnigenitus, quem in terra viuentem Iudæi crucifixerunt, cuius morte nos liberati sumus à morte.

Nisi conuersi fueritis gladium suum vibrabit, arcum suum tetendit, & parauit illū, iam arcus Domini tentus, & paratus est, Isai. c. 5. nu. 28. sagittæ eius acutæ, & non erit qui eruat, vt feriat non pęnitentes, & non conuersos ad illum. Gladium suum vibrabit contra omnes peccatores, Amos c. 9. n. 10. in gladio morientur omnes peccatores, qui dicunt, non veniet super nos malum. Nisi conuersi fueritis gladium vibrabit

Dominus, nec in longum dicatis differentur dies, & peribit omnis visio, Ezech. 12. & 2. Petr. c. 3. num. 9 non tardat Dominus promissionem suam, sicut quidam existimant, sed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pęnitẽtiam reuerti: adueniet autem dies Domini vt fur, & ad Thessal. c. 5. n. 2. dies Domini sicut fur in nocte ità veniet, cum enim dixerint pax, & securitas, tunc repentinus eis subueniet interitus, sicut dolor in vtero habenti, & non effugient. Ad quid enim vibrabit gladium, nisi vt puniendo occidat peccatores impęnitentes, & morte perpetua, non morte ista tantùm corporali, & naturali, Iob 4. nu. 8. operantes iniquitatẽ flante Deo peribunt, & cap. 5. nu. 3. & maledixi pulchritudinem eius statim, Prouerb. c. 1. nu. 27. repentina calamitas. Sed quis gladius Dei? gladius fortis, & durus, & grandis, Isai. 27. nu. 1. gladius non viri, cuius fortitudo à terrore transibit, & pauebunt fugientes principes eius, Isai. 31. n. 9. & seq. gladium acutum, quem posuit in os suum, Isai. 49. nu. 2. quocircà opponamus nos illi armaturam Dei, & alium gladium orationum, de quibus ad Ephes. 6. nu. 17. admonet nos, vt in prępararationem Euangelij pacis, calceati pedes, & in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possumus omnia tela nequissimi ignea extinguere, & galeam salutis assumere, & gladium spiritus, quod est verbum Dei, per omnem orationem, & obsecrationem orantes omni tempore in spiritu, &c.

Gladius etiam Domini est spiritus eius; vndè & spiritu oris eius omnis virtus eorum, Isai. 11. n. 4. & percutiet terram virga oris sui, & spiritu labiorum suorum interficiet impium, & c. 1. nu. 20. Quòd si ad iracundiam me prouocaueritis, gladius deuorabit vos, quia os Domini locutum est, Apocal. 2. & pugnabo cũ illis gladio oris mei.

Sed quare dixit, gladium vibrabit, nisi conuersi fueritis? si in gladio peribunt, ad quid tetendit arcum, & parauit illum? Crederem, vt Propheta denotaret, quia Dominus, & de propinquo, & de longinquo est, vt puniat peccatores omnes, & de propinquo, & de longinquo, quia Dominus vbique est, Psal. 138. si descendero in infernum ades: si ascendero in Cælum ades: vibratur enim ensis de propinquo, & arcus tenditur, vt de longinquo feriat; vel ergo de propinquo, vel de longè, non est qui de manu Domini possit eruere.

In eo parauit vasa mortis, sagittas suas ardentibus effecit; parauit vasa mortis infidelibus, & præscitis, qui illi non crediderunt, nec verbis illius. His verò, qui ex Deo sunt, & audiunt verba illius, sagittas suas complet in eis: ardentes enim sunt in amando Deum. Sagittæ sunt verba Dei in cordibus fidelium, vulnerasti cor meum soror mea, sponsa mea; & in alio loco, nonnè cor nostrum ardens erat. Sagittas suas ardentibus effecit, loquitur ijs Propheta, & hæc est summa, qui non conuertuntur. Vasa mortis parata eis sunt, Abac. 3. nu. 5. ante faciem eius ibit mors, & in alio loco, Matth. cap. 25. nu. 41. ite in ignem æternum, esuriui enim, & non dedistis mihi manducare. In eo parauit vasa mortis, quia iuxtà pręceptum suum proximum non amauit, & esurientem, & sitientem non potauit. In illis verò qui verborum suorum, & præceptorum obseruantes fuerunt sagittas suas infixit, & ardentiores in præceptis Dei effecit illos; In eo dixi vasa mortis esse, quia quod vni ex meis minimis non fecistis, mihi non fecistis, quandoquidem in Deum committemus, quotiescunque proximum nostrum despiciamus, quotiescunque proximum nostrũ non amamus; Psalm. 119. nu. 3. Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam dolosam, sagittæ potentis acutæ cum carbonibus desolatorijs: his verò, qui præcepta eius obseruant, dicitur Abac. 3. num. 11. Sol, & luna steterunt in habitaculo suo, in luce sagittarum tuarum ibunt, in splendore fulgurantis hastæ tuæ, sagittas suas ardentibus effecit.

Ecce

Ecce parturijt iniustitiam, concepit dolorem, & peperit iniquitatem. Et vterus eius præparat dolos, Iob 25. num. 35. conceperunt dolorem, & pepererunt iniquitatem, dicit Isai. 59. num. 4. legimus in Matth. 2. num. 7. tunc Herodes clam vocatis Magis diligenter didicit ab eis tempus stellæ, quæ apparuit eis, Ite dixit illis, & cum inueneritis, renuntiate mihi; concepit prius dolorem, quia turbatus est, vt ibi nu. 2. parturijt iniustitiam, cogitabat enim quomodo occideret Christum, nu. 13. Fuge in Ægyptum, futurum est enim vt Herodes quærat Puerum ad perdendum eum; parturijt iniustitiam, quia volebat occidere iustum, postquam concepit dolorem, quia illusus erat à Magis; peperit iniquitatem, quia iratus mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethleem. Ità est in omni peccatore, audit verbum Dei irascitur, quia est contrarius operibus illius, & inutilis est nobis, grauis est nobis, Sap. 2. num. 12. Contumelia, & tormento interrogemus eum, morte condemnemus eum. Ipse spernens disciplinam Dei, parturijt iniustitiam; concepit dolorem, quia est iustus inutilis operibus illius malignis; & dolet, quia postquam occidit animam suam, non habet omnes socios in pœnis suis, & peperit iniquitatem, quia abyssus abyssum inuocat, & in peccatis immersus cogitat omnia mala damna in proximum. Declinate à me maligni, vt scruter mandata Dei mei, dicit iustus.

Ecce parturijt iniustitiam, Iudas traditor, fur enim erat, & latro, & contra iustitiam vendidit Dominum Iesum, ac propter auaritiam; quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam? parturijt iniustitiam postquam pretio conuento vendidit Dominum; opus enim iniquitatis erat in manibus illius, Isai. 59. num. 6. & pedes eius ad malum currebant; concepit dolorem, quia pœnitentia ductus, reddidit triginta argenteos: peperit iniquitatem, quia laqueo suspensus crepuit; quò ad Iudęos etiam peperit iniquitatem, quia iniquè, & iniustè crucifixerunt Dominum: ex parte igitur iniustitiæ concepit dolorem, Psalm. 47. nu. 6. ibi dolores vt parturientis.

Nec aliena videtur hæc interpretatio de Iuda traditore, quia Psalmus tractat de persecutione Christi, & de illius Resurrectione, verbaq. subsequentia declarant, Lacum aperuit, & effodit eum, & incidit in foueam, quam fecit: Conuertetur dolor eius in caput eius, & in verticem ipsius iniquitas eius descendet.

Lacum aperuit, & effodit eum. Lacus est congregatio aquarum, Exod. 7. nu. 19. ò miser, & infęlix Iuda, lacum plenum gratiarum, Iesum Christum aperuisti nobis, qui redempti fuimus in plenitudine aquarum, scilicet congregatarum in ipso, qui erat plenus gratiæ, & veritatis; quando scilicet eum tradidisti Iudæis; propter cuius passionem vita viuimus in ipso, & tu, quem per desperationem tradidisse eum penituit, effodisti, quia propter te vulnera in corpore eius data sunt, ex quibus sacramenta Ecclesiæ profluxere, & ità salus credentibus. Discipulus enim illius eras, & manu palpaueras mirabilia eius, & in foueam, quam perditionis fecisti, incidisti: in foueam, inquam, in desolationem, in infernum, quem tu tibi procurasti, incidisti; & sepultus remansisti.

Quia ergo per te traditus est Christus Iudæis, vt crucifigeretur pro salute humani generis, quando ipse Iesus voluit offerens semetipsum Patri pro peccato populi crucifigi, & mori, & iterum resurgendo in altum regredi, vt cum ipso, & nos essemus; lacum, inquam gratiarum Dei aperuisti. Foueam sine aqua pro te fecisti, in quam incidisti, in æternum, vt ibi permaneres; conuersis autem, & pœnitentibus haurietis dicitur aquas cum gaudio de fontibus Saluatoris, & dicetis in illa die, confitemini Domino, & inuocate nomen eius; notas facite in populis adinuentiones eius,

Cantate Domino, quoniam magnificè fecit, Isai. 12. nu. 4. cum sequentibus, &c.

Dolorem, & passionem parasti Iesu Christo, quando illum tradidisti: & ecce dolor eius in caput tuum conuersus est, & iniquitas tua in verticem tuum descendit tecum in infernum. Operatus es iniquitatem, & seminasti dolores, & flante Deo perijsti: Iob 4. num. 8. & omnis dolor irruit super te, Iob 20. num. 22. Ideòq. fraudator pecuniæ, dum cœpit alium damno lacerare, ipse auaritiæ vulnere sauciatur, hic August.

Confitebor Domino, dicit Dauid, secundum iustitiam eius, & psallam nomini Domini Altissimi: Nomen Domini Altissimi est Iesus: cuius laudes dicam, & cantabo, dicit Dauid, quia obtulit semetipsum pro nobis Deo Patri omnipotenti; confitebor, quia ipse est Dominus Deus æqualis Patri secundum diuinitatem, minor autem Patre secundum humanitatem, Deus, & homo, non duo tamen, sed vnus Christus, qui passus pro salute nostra, nunc sedet ad dexteram Patris, cuius potestas, & imperium manet in æternum; cui soli gloria, & honor. Psallam idcircò Canticum istud nouum, quia ecce noua fecit omnia, propter cuius nomen longè fecit furorem suum à nobis, Isai. 48. num. 8.

Vel dicamus sic, Lacum aperuit, & effodit eum: quia enim crucifixerunt Dominum, lacum iræ Dei aperuit, Apocal. 14. num. 20. & calcatus est lacus extrà ciuitatem, & exiuit sanguis de lacu; quocircà destructa est Iudæorum synagoga: & ipse per quem effossus est lacus, Iudas scilicet, & Iudæi inciderunt in foueam iræ Dei, quam irritauerunt, & fecerunt, & positi sunt in lacu inferiori, Psalm. 87. nu. 7. veruntamen, dicit Isai. cap. 14. nu. 15. ad infernum detraheris in profundum laci; & num. 19. tu autem proiectus es de sepulchro tuo, quasi stirps inutilis, pollutus, & obuolutus cum his interfecti sunt gladio, & descenderunt ad profundum laci, quasi cadauer putridum, tu enim terram tuam disperdidisti, tu populum tuum occidisti, propterea incidit in foueam, quam fecit, &c.

Vel iterum dicamus, quia parturijt iniustitiam, postquam intrauit Satanas in Iudam, quemadmodum traderet Iesum illis, Luc. 22. num. 4. conceperat dolorem, vt dolorem inferret Christo Domino, peperitq. iniquitatem procedendo ad effectum traditionis Iesu Christi, quem osculatus fuero, ipse est, tenete eum: Ioan. 18. nu. 12. accepit Iudas cohortem, & ministros à Principibus, & Pharisæis; lacum aperuit, & effodit eum, quia mortem tradendo cogitabat illum ponere in lacu, idest in inferno inferiori, & in tenebris, & in vmbra mortis, Psalm. 87. num. 7. ipse tamen Iudas incidit in foueam, quam fecit, quia ipse in inferno sepultus est in æternum; ceciderunt super eum carbones, in ignem deiecisti eum, & in miserijs non subsistet, Psalm. 139. num. 11. Iesus autem factus est sicut homo inter mortuos liber, quia Dæmon non solum super illum non habuit potestatem, sed tanquam Dominus, & liber homo spoliauit infernum liberando animas Sanctorum Patrum ibi existentes; conuertetur dolor, quem in Christum intulit, in caput eiusdem Iudę, & sequacium, & in verticē ipsius iniquitas eius descendit, posteà cum iniquus ille laqueo suspensus crepuit medius, labior labiorum ipsius operuit eum, Psalm. 139. num. 10.

SOLILOQVIVM.

IVSTVS es Domine Deus, & ideò confitebor tibi secundum iustitiam tuam, & laudabo te, psallam nomini tuo Altissime; quia in te, qui sperant, & credunt: à per-

à persequentibus liberas: nec leo, Dæmon scilicet, rapit, quia tu animam meam de manu illius eripis, & illas etiam animas, quæ iniquitatem odio habuerint, & proximis mala non fecerint: nàm si talia perpetrassem, & mala retribuentibus reddidissem, inanis meritò decidissem ab inimicis, qui persequerentur, te permittente, animam meam; & in puluerem gloriam meam deducerent simul, & vitam meam: & quia non feci taliter, ideò exurge Domine Deus in ira tua contra turbantes me fidelem tuum, & etiàm tuam Ecclesiam, & exaltaberis in omnibus terræ partibus si exurgens adiuuabis me, & Ecclesiam tuam sanctam.

Nam etsi vbique sis Domine, in Cælo tamen est sedes tua cum Patre, mitte nobis ex alto auxilium tuæ gratiæ, Spiritum sanctum, qui me in præceptis tuis confirmet, consolidetq. Tibi enim datum est iudicare populos: iudica Ecclesiam tuam, & me fidelem tuum secundum iustitiam, & innocentiam meam: tu enim dixisti Apostolis tuis; qui sequentes te, & relinquentes omnia dixerunt: quid ergo erit nobis? Vos qui sequuti estis me, sedebitis super sedes duodecim iudicantes duodecim Tribus Israel; & in alio loco, Qui credit in me, habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die, Ioan. 6. nu. 4. credo in te, iudica ergo me secundum iustitiam meam, quam ex tua promissione habui, & secundum innocentiam meam super me. Peccaui tibi, sed flens, & confitens tibi, & Sacerdoti dimissa confido peccata mea; quia tu ita dixisti: quia & si essent rubra plusquam coccinum dealbarẽtur, si anima dealbata est, ergo pura, & innocens est, iudica modò secundum iustitiam meam, idest Ecclesiæ, & fidelium.

Consumetur nequitia peccatorum, ita vt etiam ipsi mundi fiant; quia tunc diriges illos, quos verè iustos esse cognoscis, qui scrutaris corda hominum, & renes, idest affectus nostros ad spiritualia, & temporalia. Propterea iustum adiutorium nostrum à te Domine, qui rectos nos corde saluos facis. Iustus Deus es, & iudex fortis, & patiens, qui contra nos peccatores, quotidiè in te peccantes, non irasceris per singulos dies, sed patienter expectas nos ad pœnitentiam; quia non vis mortem peccatoris, sed vt viuat; ecce conuertimur ad te Domine, ne gladium vibres, & euagines, ne arcu tuo nos ferias, vt pereamus; sed sagittis tuis ardentes nos facias ad tui amorem. Lacum tuarum miserationum ex effusione tuorum vulnerum effluentem super nos aperi, ne incidamus in foueam damnationis, in quam inciderunt, qui in causa extiterunt foueæ eorundem vulnerum tuorum: dolor quippè Diaboli, seù Iudæ conuersus est in caput eius, & iniquitas illius cum eo descendit in infernum; in foueam, quam fecit incidente.

Ego redemptus à te Domine Iesu; confitebor tibi secundum iustitiam tuam, quia vt me redimeres, & populum tibi dilectum propter iustitiam Dei Patris non recusasti peccata omnium in te poni, Isai. 53. num. 6. & 11. suscepisti tanquam Agnus mansuetus, & non aperiens os suum ad occisionem ductus; propter scelus populi sui, dicit Dominus, percussi eum, Isai. d. cap. 53. num. 7. in quo iniquitas non est inuenta, neque dolus in ore eius, & posuit pro peccato animam suam. Quocircà secundum iustitiam tuam confitebor tibi, quod tu sis Deus meus, & Redemptor meus, qui, cum ego mortuus essem, dignatus es pro me mori, vt ego tecum viuerem; & psallam nomini tuo Domine altissime, nomini tuo quod est IESVS, in quo sola est salus nostra, & per quem saluati omnes sumus. Salua ergo nos fons pietatis, qui saluandos saluas gratis: & redemptis subueni, & succurre nobis, vt glorificantes, & laudantes nomen sanctum tuum, audiamus dicentem: Venite bene-

dicti

dicti Patris mei, & sanguine meo redempti, percipite Regnum, quod vobis paratum est à constitutione mundi, fiat, fiat, fiat Domine Iesu, amor dulcissime, salus, via, & vita nostra, exaudi me propter misericordiam tuam. Amen.

IN PSALMVM VIII.

Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuũ in vniuersa terra!



TITVLVS Psalmi. In finem pro Torcularibus Psalmus Dauid.

Suprà Propheta de morte egit Domini, & de illius Passione, & Resurrectione, nunc verò de Martyrum, & aliorum fidelium Torcularibus; idest de illorum constantia, & passione; & de Christi laudibus: sicut etiam Laudes, seù Canticum Patruelis mei, vineæ suæ cantabo, dicit Isa. cap. 5. num. 1.

Ad cuius Tituli intelligentiam præmittendum vineam, Ecclesiam Dei dici, Psalm. 71. num. 15. visita vineam istam, Matth. 21. num. 33. Paterfamilias plantauit vineam, & Torcular in ea fodit, &c. Marc. 12. num. 1. Vineam plantauit homo, Luc. 20. num. 13. & Isai. cap. 5. num. 2. Vinea facta est dilecto meo, &c. & plantauit eam electam, & ædificauit turrim in medio eius, & Torcular extruxit in ea.

Torcular ergo est proprium vineæ per quod vinum extrahitur, Prouerb. 3. nu. 10. & vino torcularia tua redundabunt, Isai. 16. num. 10. Vinum in torculari non calcabit, qui calcari consueuerat.

Super vindemiam istam vox calcantium innuit, & ablata est lætitia, Isai. dict. cap. 16. num. 9. quando scilicet, omnes clamauerunt, crucifigatur, crucifigatur, despectus, & nouissimus virorum, vir dolorum, Isai. 53. num. 3. Crucifixus fuit Iesus, ita vt ipse torcular calcauit solus, & de gentibns non fuerit vir secum, Isai. 63. nu. 1. Quis est, qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosra? ipse formosus in stola sua, gaudens in multitudine fortitudinis suæ; Ego qui loquor iustitiam, & propugnator sum ad saluandum, loquitur enim Iesus Saluator, in prioribus ergo Psalmis Dauid de Passione Domini locutus est, in hoc verò octauo Psalmo, de adhærentibus Christo in fide, de Martyribus, qui ipsum sequi debebant, & de laudibus, propterea eiusdem Christi in vniuersa terra, & mirabilibus eius loquitur.

Verùm quia vinea non amplius inter septa Ierusalem, sed in toto orbe terrarum diffusa est, illa enim confusa remansit, Ioel 1. num. 12. hoc est ille populus Iudaicus, qui conuersus est in prauum, Ierem. 2. num. 21. in nos verò Christianos translata germinauit, & creuit, latiorq. facta est in palmites, & emisit propagines, Ezech. 17. num. 26. & num. 8. & in terram bonam super aquas multas plantata est, vt faciat frondes, & portet fructum, & sit in vineam grandem, & Synagoga populorum circundabit te: Psalm. supradicto, ideò torcularia multa fuerunt necessaria, vt in sanguine Martyrum plantata vinum faceret in abundantia.

Quo circà Titulus Psalmi in finem, idest postquam Christus ipsemet, & solus torcular calcauit passione sua in finem, idest post mortem suam, Discipulos, & alios misit, vt & ipsi exemplo suo torcularia calcarent, & sanguine illorum ampliorem vineam, idest Ecclesiam irrigarent.

Veniant & Apostoli, & cæteri Martyres, ad hoc vt mirabilia Dei psallat Dauid; veniant Laurentij, Stephani, veniant puellæ Caterina, Agathæ, Ceciliæ, & aliæ Virgi-

Virgines, veniant Pueri hebræorum clamantes: Osanna filio Dauid, benedictus; qui venit, &c. ex ore infantium, & lactentium perfecisti laudem, vt destruatur inimicus, & vltor.

Hanc nostram interpretationem colligendam diximus, ex Isai. 8. num. 18. quem refert Paul. ad Hebr. 2. num. 14. inquiens, ecce ego, & pueri mei, quos dedit mihi Dominus, &c. quia ergo Pueri mei communicauerunt carni, & sanguini, & ipse similiter participauit eisdem, vt per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium, idest Diabolum, vt liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam erant obnoxij seruituti: vndè debuit per omnia fratribus assimilari, vt misericos fieret, & fidelis Pontifex ad Deum, vt repropitiaret delicta populi in eo, in quo passus est ipse, & tentatus, potens est, & eis qui tentantur auxiliari. In finem ergo Apostoli cum Christo passo patientur in torcularibus, vt ijdem pueri Apostoli destruerent Diabolum inimicum, & vltorem.

In finem pro Torcularibus, qui sanguinem & ipsi fuderunt, pro Christi nomine, Psalmus Dauid.

Continuatur iste Psalmus ad præcedentem, cecinit ibi Dauid virtutem Passionis Iesu, & exaltationem Ecclesiæ in finibus inimicorum, tandem, & Ascensionem eius in Cælum, ibi, Et propter hanc in altum regredere, explicat nunc quomodo amplificanda sit ex Titulo nempè per Apostolos, & Martyres, & alios fideles, ibi, Ex ore infantium, & lactentium perfecisti laudem; quando verò dilatanda sit, cùm scilicet in Cælum Christus ascendet, ibi, quoniam eleuata est magnificentia tua super Cælos, & qui sint illi Apostoli, Martyres, & Virgines, & fideles, declarat, ibi, videbo Cælos, Lunam, & Stellas, quæ tu fundasti, Cæli enim pro scripturis Sanctis, Luna, & Stellæ pro Doctoribus, & pro Sanctis oues, & boues, insuper, & pecora campi, Hieron. hic.

Summa hæc est, os infantium, & lactentium laudantium Dominum, gladius acutus, ex quo destruitur vltor, & inimicus Diabolus; vel

Summa huius Psalmi est, quod Ecclesia admiratur de voluntaria Passione Sanctorum, & quomodò sumus omnes à Creatore mundi redempti.

Incipit ergo Psalm. Domine Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in vniuersa terra? quoniam eleuata est magnificentia tua super Cælos, Isai. 4. num. 2. In die illa erit germen Domini in magnificentia, & gloria, & fructus terræ sublimis, & exultatio ijs, qui saluati fuerint de Israel; Cantate Domino, quoniam magnificè fecit annuntiate hæc in vniuersa terra, Isai. 12. num. 5. germen secundum Chald. Christus Domini, & ita etiam fructus intelligitur de Christo.

Domine Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum: de nomine aliàs fusius dixi, est enim nomen eius, Verbum Dei, Ioan. Apocal. 19. nu. 13. admirabile, quia à solo Patre dicitur, vndè fulgent æterna: Christi generatio est æterna Patris dictio, nec potest illud Verbum nisi æternum semel proferri; hinc Iob. 33. semel locutus est Deus, num. 14. hinc Genes. 32. num. 29. quid quæris Nomen meum, & Isai. 9. num. 6. de eodem incarnato. Paruulus enim natus est nobis, & filius datus est nobis, & factus est principatus super humerum eius, & vocabitur Nomen eius Admirabilis, Consiliarius, Deus fortis, &c.

Admirabile, quia Verbo Domini Cæli firmati sunt, Psalm. 32. & portat omnia verbo virtutis suæ, ad Hebr. 1. num. 3. per quod sanantur omnes, Psalm. 106. misit Verbum suum, & sanauit eos: in cuius manu sunt omnium potestates, & iura

Regno-

Regnorum, nosq. & sermones nostri, & omnis sapientia, & operum scientia, & disciplina, Sap.7. nu. 16. quem adorant omnes Angeli, Psalm. 96. nu. 8. ad Hebr. 1. num. 2. quem constituit hæredem vniuersorum, per quem fecit, & sæcula.

Admirabile etiam, quia impium iustificat, nam August. dixit, quòd maius est iustificare impium, quàm Cælum, & terram creare: ratio potest esse, quia pro iustificatione peccatoris Dei filius in mundum homo factus venit, & mori dignatus est; verbo autem solo suo Cælum, & terram creauit, Eccles. 43. num. 30. glorificantes ad quid valebimus; ipse enim omnipotens super omnia opera sua: terribilis Dominus, & magnus vehementer, & mirabilis potentia eius; glorificantes Dominum quantumcunque potueritis: superualebit enim adhuc, & admirabilis magnificentia eius, & num. 36. pauca enim vidimus operum eius, ideò eleuata est magnificentia eius super Cælos, 1. Paralip. 16. num. 27. Confessio, & magnificentia coram eo, fortitudo, & gaudium in loco eius, & cap. 29. num. 11. Tua est Domine magnificentia, & potentia, & gloria, atque victoria, & tibi laus, &c.

Eleuata est magnificentia super Cælos, quia sanctitas, & magnificentia in sanctificatione eius, Psalm. 95. num. 11. eleuata est, vt confiteantur tibi omnia opera tua, & Sancti tui benedicant tibi, gloriam Regni tui dicant, & potentiam tuam loquantur, vt notum faciant filijs hominum potentiam tuam, & gloriam magnificentiæ Regni tui, Psalm. 144. num. 10. cum sequentibus.

Demus ergo cum infantibus, & lactentibus magnificentiam Nomini eius, & confiteamur illi in voce labiorum nostrorum, & confitentes dicamus, opera Domini vniuersa bona valdè, opera omnis carnis coram illo, & non est quidquam absconditum ab oculis eius, à sęculo vsquè in sæculum respicit, Eccles. 39. num. 20. & sequentib. soli ergo Deo salutari nostro per Iesum Christum Dominum nostrum gloria, & magnificentia, imperium, & potestas ante omne sæculum, & nunc in omnia sæcula sæculorum. Amen. Iudæ in sua Canon. epist. num. 25.

Eleuata est magnificentia super Cælos, & admirabile est nomen eius in vniuersa terra. Propter hoc populus sciuit nomen tuum in die illa: quia ego, qui loquor, adsum, Isai. 52. num. 6. & ideò exaltabitur, & eleuabitur, & sublimis erit valdè, ibidem Isai. nu. 14. eleuatus est enim Dominus solus, & exaltatus super montes excelsos, Isai. 2. nu. 12. & 17.

Eleuata est magnificentia super Cælos, nàm equum, & ascensorem proijciendo in mare, quando Diabolum, scilicet, & Iudam, & alios ministros ligauit, & in infernum proiecit; eleuata est magnificentia super Cælos, cum in Resurrectionè captiuam duxit captiuitatem, liberando animas Sanctorum Patrum, quæ cum illo surrexerunt, & in Regno Cælorum permanent.

Admirabile est nomen tuum Iesu in terra, quia dedit dona hominibus, vt qui crederent in illum, cohæredes ipsius, & filij Dei vocarentur.

Admirabile inquam, quia in nomine Iesu fugiunt à corporibus obsessis Dæmonia: mortui resurgunt, pauperes euangelizantur, etsi fidem tantùm habuerint, quantum granum sinapis, & dixerint monti, transi hinc, obediet, & in nomine eius omne genu flectitur, Cælestium, terrestrium, & infernorum.

Eleuata est magnificentia eius, cui data est omnis potestas in Cælo, & in terra, qui Principem huius mundi subiecit, & iudicauit.

Ex ore infantium, & lactentium perfecisti laudem, vt destruas inimicum, & vltorem. Perfecta ergo laus Dei in ore infantium, & lactentium, destruit inimicum

Chri-

Christi, & vltorem, seù defensorem; infirma huius mundi elegit Dominus, vt fortia quęque confunderet. Considera, qualis Diaboli potentia, quæ ab infantis ore vincitur, vt destruatur. Ità ergo laudantes Deum corde puro, & simplici defendit; & contrarios inimicos suos appellat, vt illos destruat, Prouerb. 14. num. 33. In malitia sua expelletur impius, qui enim despicit pauperem, exprobrat factori suo, ibidem num. 31. & cap. 17. num. 5. quia Christus reputat, sibi fieri, quod Christianis fit, Matth. 10. num. 24. & Marc. 9. num. 4. Luc. 10. num. 16.

Ex ore infantium, & lactentium; in finem pro torcularibus. Vide, quomodò, & in fine, idest post Christi Passionem, etiam Apostoli, & alij Martyres, & fideles Christiani sanguine suo torcularia calcauerunt & ipsi in finem, ex quibus sanguis exiuit laudem Domini persecerunt, Luc. 19. oum. 37. Turbæ Discipulorum gaudentes cęperunt laudare Dominum voce magna dicentes, Benedictus, qui venit Rex in nomine Domini, Pax in Cælo, & Gloria in excelsis, & in Act. Apost. cap. 4. num. 33. & virtute magna reddebant Apostoli testimonium Resurrectionis Domini nostri Iesu Christi, & gratia magna erat in omnibus illis.

Perfecisti laudem; nàm Iesus missus est à Patre in mundum, & Discipuli à Iesu missi sunt, etiam in mundum, & pro eis se ipsum sanctificauit, vt & ipsi essent sanctificati in veritate. Iesus cœpit opus perfectionis salutis, & Redemptionis nostræ; illi verò perficientes, quod illis mandatum erat à Iesu, prædicauerunt, & laudauerunt, quem cognouerunt verè Iesum filium Dei esse, quia à Patre exiuit, & crediderunt, quia Pater Iesum filium suum misit, Ioan. 27. num. 8. ideò ab infantibus, & lactentibus perfecta est laus Iesus; & lactentes fuerunt, qui verba, quæ Pater dedit filio, & filius dedit Apostolis, & Discipulis, & ipsi acceperunt, & cognouerunt verè, quia à te exiui, dicit Iesus, Ioan. d. cap. 17. nu. 8. & crediderunt, quia tu me misisti: infantes ergo quia pueri erant: idest in fide Christi noui: lactentes, quia verba Iesu perceperunt, & crediderunt, noui homines, dixi in fide erant, hinc Paul. Corinth. 3. tanquàm paruulis in Christo lac vobis potum dedi.

Sequitur Psalm. Propter inimicos tuos, sed quomodo propter inimicos infantes, & lac lactentes, contra potentes, qui in virtute sua gloriantur, producis? Romani enim robore suo totum mundum subiugauere, & ipsi inimici tui Domine, nàm idola adorabant, & te Deum verum non cognoscebant, & tu Domine Iesu contra illos infantes, & lactentes producis?

In hoc etiam potentia Dei, & admirabile nomen eius ostenditur in vniuersa terra: infantes contra potentes, & contra Principes tenebrarum harum introduxit, debilia, & infirma huius mundi elegit, vt fortia quæq. confunderet, illi enim inimici in sua feritate sedentes, isti in verbo Dei, & charitate, atque humilitate, illi vincuntur, isti victoriam consequuntur, & solo verbo Dei vniuersa restaurant, vicerunt Regna, iudicant gentes, & dominantur populis, & regnat Deus noster in perpetuum, Sap. 3. num. 8. & cap. 5. per totum, illi in malignitate eorum sunt consumpti, istos verò non tanget timor mortis, & inter filios Dei computati sunt.

Perfecta est laus in ore ipsorum propter inimicos, vt discant, quòd solo verbo suo fecit vniuersa, solo etiam nutu suo potest vniuersa destruere: & inimicum Diabolum, vel etiam hæreticum, cuius vltor est Diabolus, August. hic quem, inquit ille, nisi hæreticum? nàm ipse est inimicus, & defensor, qui fidem Christianam cùm oppugnet, videtur defendere, item & Philosophi inimici Dei dicuntur, vt ibid.

Domine Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in vniuersa terra.

Quo-

Quoniam videbo Cælos tuos opera digitorum tuorum, lunam, & stellas, quæ tu fundasti: Hæc est alia pars Psalmi, & est admirabile nomen tuum, quoniam quis sum ego, qui visurus sum Cælos tuos, & opera manuum tuarum? ego vas figuli, & tu dignum me fecisti; vt videam opera manuum tuarum, lunam, & stellas, vt lauderis in hæreditate tua, in Ecclesia tua.

Quoniam videbo (inquit) Cęlos tuos; sed quando videbis ò Dauid Cęlos? quando, scilicet eleuata erit magnificentia Dei super Cælos in Resurrectione Christi: & ipse videbo, qui cum Christo resurgam, & in Cælum introibo, tunc enim videbo Cælos, lunam, & stellas, quæ tu fundasti: quomodò scilicet se habent Cælum Sydereum, in quo sunt stellæ, & Cælum Empireum, in quo sunt Angeli, & quàm eminentes ipsi sint Angeli. Tum idem Dauid considerans naturam humanam, obstupescens etiam de amore Dei erga nos.

Quid est homo (inquit) quia visitas eum, aut quid apponis erga eum cor tuum? tanti enim facis hominem, vt & cum Angelis etiam illum introducas: vt Cælos, & arcana tua, opera scilicet digitorum tuorum lunam, & stellas videat.

Hic notat August. quòd omnis filius hominis est homo, sed non omnis homo est filius hominis, nàm Adam non est filius hominis, de terra enim factus est, ideò omnis hominis Deus est memor; quos de longè cognoscit, filium hominis verò visitat, quia filius hominis est ex cælesti, scilicet homine; homines enim sunt terrena sapientes, 1. Corinth. cap. 25. num. 47. homo de terra terrenus est, secundus homo de Cælo cælestis est, qualis terrenus, tales, & terreni, qualis cælestis, tales, & cælestes, illi longè à Deo sunt, memor autem Deus est eorum, vt illos tempore suo puniat, & pœnas luant in æternum; Visitat verò filios hominis, qui ex Deo recreati sunt per baptismum, & in illum credunt, & sperant, quia corrigendo illos amat, vt det illis regnum Cælorum. Quos diligo, hos corrigo, & castigo; quia etsi in paucis vexati, in multis benè disponentur, ipse Deus tentat illos, & inuenit eos dignos se, Sap. 5. num. 5. non ergo esse velis homo vetus, terrena sapiens, de longè stans ad salutem; sed filius hominis Christi; homo nouus, vt visiteris. Igitur sicut portauimus imaginem terreni, portemus, & imaginem cælestis, 1. Corinth. 15. num. 49. quia caro, & sanguis regnum Dei possidere non possunt, neque corruptio incorruptionem possidebit, idem Paul. hunc autem filium hominis, inquit Dauid.

Minuisti eum paulominus ab Angelis: gloria, & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum.

Vel dicamus, Quid est homo, quod memor es eius, quia misisti filium tuum, vt nasceretur ex Virgine filius hominis dictus, natura humana assumpta, vt liberares istum hominem, de quo memor fuisti. Homo puluis: & Dei filius homo nascitur, vt illum redimat? Quis est homo, quia memor es eius? post hominem vermis, post vermem fœtor, & horror; Bernard. in Meditationibus: Quis est iste filius hominis, quem tu mittere dignaris, vt istum hominem redimat? nonnè est Deus filius tuus æqualis tibi secundum diuinitatem, minor autem te secundum humanitatem, quare ergo visitas illum, vt multa patiatur pro homine, & tandem morte moriatur tàm vili, & indecora? Domine Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in vniuersa terra, quia magnificentia tua eleuata est super Cælos, quia misericors es.

Minuisti eum paulominus ab Angelis, gloria, & honore coronasti eum, & con-

constituisti eum super opera manuum tuarum. Idem refert Apost. in d. cap. 2. nu. 6. ad Hebr. omnia subiecisti sub pedibus eius: in eo enim quod omnia ei subiecit, nihil dimisit non subiectum, & num. 9. Eum autem qui modico, quam Angelis minoratus est, videmus Iesum per passionem mortis, gloria, & honore coronatum, vt gratia Dei pro omnibus gustaret mortem.

Describit talem hominem, cui omnia sub pedibus eius subiecit Deus Pater, & constituit super omnia opera manuum suarum. Ideò paulominus minoratus est ab Angelis, quia passus est pro salute nostra; Angeli omnes sunt administratorij spiritus in ministerium missi; at homini isto soli dictum est filius meus es tu: qui & maior Angelis factus est propter obedientiam, ob quam ipsi data est omnis potestas in Cælo, & in terra, & potestas iudicandi viuos, & mortuos; Ipse dæmonem disrupit, ligauit, & destruxit, animasq. Sanctorum Patrum à Lymbo liberauit. Gloria, & honore coronasti eum Domine, & constituisti eum super omnia opera manuum tuarum; omnia subiecisti sub pedibus eius, oues, & boues vniuersas insuper, & pecora campi; humiliatus est enim Dominus Iesus, ideò gloria coronatus est, & honore.

Gloriam enim præcedit humilitas, Prouerb. 5 nu. 33. Magnum mysterium, quòd filius Dei, Deus, & ipse carnem nostram assumere voluerit pro salute humani generis; ad ipsius gloriam pertinet, *eius mysteria esse occulta*, Prouerb. 25. nu. 2. gloria Dei est celare *verbum*, quia si sciuissent, authorem Vitæ non occidissent, Act. 3. nu. 17. gloria, & honore propterea coronatus est, quia humiliauit se, & victoriam dedit illi, Dominus omnipotens; omnia subiecit sub pedibus eius oues, sanctos Angelos scilicet, boues scilicet homines sanctos. Hæc August. per illud, Luc. 15. nu. 4. de illo, qui centum habet oues, & vnam perdidit, nonaginta & nouem in deserto dimittit, & vadit ad quærendum illam, quæ perierat, donec inueniat eam: Adam fuit illa perdita, vnà cum toto genere suo; filius hominis in Cælo dimittit illas nonaginta nouem, vt genus humanum inueniret; subiecit ergo oues Angelos, scilicet, & boues, quia dicitur non alligabis os boui trituranti; Verùm & etiam subiecit pecora campi, idest extrà Ecclesiam errantes; hæc August. Oues ergo Angeli dicuntur; boues, prædicatores, & fideles Christiani: pecora campi, cœteri extrà Ecclesiam existentes, quodammodo voluptatibus superbia, & curiositate dediti.

Similiter, & volucres Cæli, superbos scilicet, qui in Cælum os suum posuerunt, Psalm. 72. & lingua sua mentiti sunt ei, & in Psalm. 11. nu. 5. linguam nostram magnificabimus, labia nostra à nobis sunt, quis noster Dominus est? Pisces etiam maris idest curiosos sub pedibus eius habet, qui perambulant semitas maris, idest inquirunt in profundo huius sæculi temporalia, quæ euanescunt instar aquarum currentium, & amittunt æterna: hæc autem tria sunt, quæ omnia mundi vitia comprehendunt, vndè Ioan. in 1. cap. 2. nu. 15. nolite diligere mundum, quia omnia quæ in mundo sunt, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & ambitio sæculi, hæc August.

Et omnia hęc etiam sub pedibus eius, nàm iudicia Dei abyssus multa: saluat homines, quos dico illos, qui rationales sunt, & Deum timentes, saluat bestias, & iumenta, quia tales sunt peccatores, sicut equus, & mulus, in quibus non est intellectus, saluat inquam peccatores istos si pœnitentiam egerint; filij tamen hominum in tegmine alarum sperabunt, in quos multiplicat Deus gratiam suam, Psal. 35. n. 8. reliquos verò conseruat, & etiam multiplicat, vel vt conuertantur, vel vt per illos boni exerceant.

SOLILOQVIVM.

DOMINE Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in vniuersa terra: & quoniam passus es vt me saluares, qui perditus eram, non meis præcedentibus meritis, immo multis meis offensionibus in te, ideò magnificentia tua eleuata est super Cælos, quia gaudium est etiam in Angelis super vno peccatore pœnitentiam agente: qui non cessant quotidiè laudare te, dicentes, Sanctus, Sanctus Dominus Deus sabaoth, pleni sunt Cæli, & terra gloria tua. Perfecta est laus tùm & in terra ex ore infantium, & lactentium, idest ex ore meo in te credente, & verba tui sancti Euangelij suscipiente; quia laus tua in Cælo, & in terra, sit quoque & pax, vt pacem æternam consequi possim, destructo inimico Diabolo, & vltore peccatore illi adhærente.

Tunc videbo Cælos tuos, & opera tua, quia tecum ero in Paradiso, vbi teipsum videbo facie ad faciem: ò bone Iesu Saluator meus; quid sum ego homo mortalis, quia memor fuisti mei; sed nunc filius cælestis sum hominis Domine, quia filius tuus sum ex regeneratione per aquam baptismi: per fidem, quam profiteor, quòd sis Deus de Deo Patre, lumen de lumine, Deus verus de Deo vero, genitus, non factus ex Patre: natus ex Maria semper Virgine, passus, mortuus pro me peccatore, & sepultus, qui tertia die resurrexisti à mortuis, & sedes nunc ad dexteram Dei Patris cum Spiritu sancto ab vtroque procedente. Filius ecce hominis sum, & si in timore tuo, & charitate permansero, te adiuuante, sicut suppliciter exoro, & opto, paulominus ab Angelis minoratus gloria coronabor, & honore; cum mundana sub pedibus meis proiecero, & vaniloqua, superbiam, & concupiscentiam, vt te solum Deum meum, & Saluatorem lucrifaciam. Domine Deus meus tu olim perditum me respexisti. Admirabile est nomen tuum in vniuersa terra; qui Iesus, & Saluator diceris, salua me fons pietatis. Amen.

IN PSALMVM IX.

Confitebor tibi Domine in toto corde meo: narrabo omnia mirabilia tua.



TITVLVS huius Psalmi iuxtà communem opinionem Augustini, & aliorum est, In finem pro occultis filij Psalmus Dauid. Qui Titulus ad præcedentem continuatur hoc modo.

Nàm in illo pro torcularibus, idest de Apostolorum, & aliorum Martyrum sanguinis effusione, & passione actum cum in alijs primis de passione prophetatum fuisset Domini Iesu Christi; in isto autem nouus, & occultus modus ad victoriam tractatur, nempè, quòd Iesus vincat mundum cum sui, & suorum sanguinis effusione, & martyrio; ideò in finem de occulto iudicio filij Dei; scilicet ex his martyrijs, & ex illorum mirabilibus, & præcipuè ex passione Iesu Christi, ex qua admiranda, & mirabilia oriunda erant. Dauid psallendo verba facere intendit. Quòd enim ex destructione, & morte, oriantur constructio, & vita: & quod ex tenebris mortis nascatur lux; quæ in tenebris luceat occultum est Dei iudicium: igitur non mirum, si illius fratres nondum in illum credentes dicebant, & instabant, vt seipsum mundo manifestaret: nemo enim in occulto dicebant illi, quid

quid facit, & quærit ipse in palam esse; si hæc facis, manifesta teipsum mundo: Ioan.7.nu.4.& Paul. ad Colossens.cap.1.nu.26.mysterium, quod absconditum fuit sæculis, & generationibus nunc autem manifestatum est Sanctis eius: quia voluit Deus notas facere diuitias gloriæ Sacramenti huius in gẽtibus, quod est Christus, &c.

Non ergo de Dauidis filio, sicut Hebræorum aliqui volunt, quia nec verba Psalmi adaptantur; nàm in morte filij sui Dauid plorans dicebat, Absalon fili mi, &c. hic verò exultat, & lætatur in morte filij Dei vnigeniti, lætabor, & exultabo in te.

In finem ergo pro occultis, quæ alijs ignota erant, seruo autem Dei Dauid per Prophetiam nota: sic Iesus in parabolis loquebatur alijs, Discipulis verò secus: nàm illis datum erat nosse mysterium filij Dei, Matth.13.n.11. immo & idemmet Iesus Diabolo occultus, nàm pluries tentauit illum, vt, si filius Dei esset, diceret vt lapides panes fierent: vt cadens adoraret eum: & vt se deorsum mitteret.

Incipiunt occulta; quæ verò ex occultis nascantur narrat Dauid; nempè quod Diabolus ab electis Dei erat retrorsum abiturus, prout abijt ab illis, ideò non amplius Gentiles, & Pagani, sed Christiani vocarentur; & Idola delenda, quia in throno Crucis Princeps huius mundi iàm iudicatus; iàm abijt retrorsum.

Parauit enim in iudicio thronum suum Iesus, iudicans orbem terræ in æquitate, & iustitia; factus est iudicium pauperi, & adiutor in tribulationibus, nec oblitus est clamorem pauperum, desideriumq. pauperum exaudiuit, & præparationem cordis eorum, vt haud amplius magnificet se homo super terram, Diabolus nempè, qui iam non vincit, nisi volentem ac illi se dedentem; ità debilis factus est; hæc enim in conuertendo inimicum retrorsum subsequuta sunt.

In finem ergo idest in Christum, pro occultis filij, scilicet declarandis. Laus, & Psalmus Dauid, qui totus lætus, & gaudens, magnificans aduentum Iesu Christi, incipit à confessione mirabilium eiusdem Iesu Christi, dicens.

Confitebor tibi Domine in toto corde meo lætabor, & exultabo in te.

Et primò quærendum videtur, quare Dauid in futurum differat confiteri mirabilia Dei, confitebor inquit. Nonnè multa Dei ante fuerunt erga populum Hebræum beneficia, & mirabilia? percussit Pharaonem, & exercitum eius, & eduxit illum de terra Aegypti: introduxit in terram alienorum, in terram promissionis; occidit per illum Reges fortes; plenę sunt Psalmorũ, & veteris Testamenti paginę, quomodo fecit mirabilia in terra Aegypti, & in Campo thaneos. Et nunc quare non confiteris ex toto corde tuo, & non narras mirabilia, quæ fecit tibi Dominus, & populo suo? Confitebor enim inquis in toto corde; forsan prius mirabilia Dei non cognouisti: & expertus non es potentiam suam contra Saul, & inimicos tuos? Psal.77.nu.11.& 12.

Pro occultis filij, inquit Dauid, ex Christi passione resultantibus ad salutem hominum: tunc quando venerit filius Dei in primo aduẽtu, docebit nos vias suas, quia ipse est Lux vera, Veritas, & Vita, lux, quæ illuminabit omnem hominem, vt ex terreno homine, filius, & ipse Dei efficiatur; hoc autem (ait) non potest fieri nisi eo modo, quò mihi reuelatum est, per aduentum filij Dei, qui pro nobis satisfaciat pro iustitia. Magnum ex Passione filij, & Morte, & Resurrectione secretum, & occultum, vt Diabolus, qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur, quod illi occultũ fuit, vt iustitiæ satisfieret Dei Patris omnipotentis. Hæc tamen satisfactio fuit per mortem, & passionem eiusdem filij Dei, qui tanquàm Agnus mansuetus non aperiens os suum, omnium nostrum iniquitates portauit, vt filij Dei nominemur, & simus.

Confitebor ergo inquit, non quia vt prius liberasti me ab ira Saul, & ab Absalon,

& ab Ægyptijs, ſed magis, quia tunc liberabis animam meam, & omnium fidelium à perditione, & à pœnis inferni; & hæc vera videtur Dauidis confeſſio, Paul. ad Coloſſenſ. 1. num. 24. qui nunc gaudeo in paſſionibus pro vobis, & adimpleo ea, quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne mea, pro corpore eius, quod eſt Eccleſia, cuius factus ſum miniſter ego ſecundum diſpenſationem Dei, quæ data eſt mihi in vos, vt impleam verbum Dei, myſterium, quod abſconditum eſt à ſæculis, & à generationibus, nunc autem manifeſtatum eſt Sanctis eius, quibus voluit Deus notas facere diuitias gloriæ ſacramenti huius in gentibus quod eſt Chriſtus; corripientes omnem hominem, & docentes omnem hominem in omni ſapientia, vt exhibeamus omnem hominem in Chriſto perfectum. Et in alio loco, quis ergo ſeparabit nos à charitate Chriſti? non anguſtia, non fames, non tribulatio, Paul. ad Roman. cap. 8. num. 37. & 38. & Pſalm. 49. num. 25. propter te mortificamur tota die: gloriantur enim Sancti in tribulationibus, ad Roman. 5. num. 3. ſicut & Ieſus qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit mortem, & crucem confuſione contempta: ad Hebr. 12. num. 2. & 6. flagellat autem omnem filium, quem recipit, perfectio ergo eſt in Chriſto Ieſu, propterea.

Confitebor tibi in toto corde meo, & narrabo omnia mirabilia tua; quò circà ex Exod. cap. 2. num. 11. Paul. ad Hebr. 11. num. 25. fide Moyſes grandis factus, negauit ſe eſſe filium filiæ Pharaonis magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere iucunditatem, maiores diuitias affirmans Theſauro Ægyptiorum, improperium Chriſti, aſpiciebat enim remunerationem, & num. 27. Fide reliquit Aegyptum, non veritus animoſitatem Regis: inuiſibilem enim tanquam videns ſuſtinuit.

Ità Dauid noſter futuram redemptionem conſiderans, & fidem in Deo habens.

Confitebor, inquit, ex toto corde, & ex tota anima, & ex totis viribus, quia tu es filius Dei: qui faciens mirabilia veniſti ad ſaluandos electos tuos. Lætabor, & exultabo in te Redemptore, ſcilicet, quia reſtitues animam meam à malignitate eorum, à leonibus vnicam meam; tunc confitebor tibi in Eccleſia magna, in populo graui laudabo te: nàm in illa Imperatores, & Reges, ſummus Pontifex, & infiniti Patriarchæ, & Pontifices populi, omniumq. quæ ſub cælo ſunt nationum, ſub honorifico Chriſti nomine militantium Chriſtiani vocati. Confitebor tibi, quia tu confiteberis me coram Patre tuo: Matth. 10. num. 32. ex toto corde meo, & ex tota anima mea, quia ſcio, quòd non omnis, qui dicit, Domine, Domine, intrabit in Regnum tuum; ſed qui diligit te corde mundo, & conſcientia pura, & perſeuerat faciendo bona opera vſque in finem, Matth. 5. num. 2. & cap. 10. num. 22. & cap. 24. num. 14. &c.

Et narrabo omnia mirabilia tua, Iſai. 25. num. 4. Quia factus es fortitudo pauperi, fortitudo egeno in tribulatione ſua, ſpes à turbine, vmbraculum ab æſtu; Conuiuium pinguium medullatorum, conuiuium vindemiæ, caro mea, dixiſti, Verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus; præcipitaſti mortem in ſempiternum, & auferes lacrymam ab omni facie; nàm gaudentes ibant à conſpectu Concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati. Quia ecce veniſti, quem expectauimus; & ſaluabis nos; tu es Dominus, & ſuſtinebimus te, exultabimus, & lætabimur in ſalutari tuo, Iſai. vt ſuprà nu. 9. & 10. Triturabitur Moab, ideſt mundus, ſiuè Diabolus ſub eo, ſicut triturantur paleæ in plauſtro; iàm enim conuerſus eſt inimicus retrorſum, ſcilicet Diabolus, iàm iudicatus eſt, nec in nos habet

habet amplius quidquam; iàm perijt impius; quia increpasti gentes in conuertendo inimicum nostrum retrorsum per passionem, propter quam tu nos ab illo liberando redemisti.

Narrabo omnia mirabilia tua, quæ mihi in paucitate dierum meorum, vt narrentur possibilia erunt, nàm infinita sunt, quæ nec totus mundus capere potest; nec lingua loqui: dilatatum est cor meum, vt annuntiem illa: sunt enim multa, quæ fecisti tu Domine Deus meus: & cogitationibus tuis non est qui similis sit tui: Psal. 39. num. 7. Mirabilia opera tua altissime, & gloriosa, & absconsa, & inuisa opera tua, Psalm. 76. num. 12. & 15. & Psalm. 77. & Psalm. 104. Ecclef. 11. num. 4. Posuisti enim Domine oculum tuum super cor meum, & nomen sanctificationis collaudarem, & gloriarer in mirabilibus tuis, vt magnalia enarrem operum tuorum, Eccles. 17. num. 8. Domine Deus meus es tu, exaltabo te, & confitebor nomini tuo, quoniam fecisti mirabilia, Isai. 25. num. 1. confitentur etiam Cæli mirabilia tua, Psalm. 88. num. 6. & ab omnibus populis, Psalm. 45. num. 3. annuntientur illa. Cantemus, & psallamus ei, narremus omnia mirabilia eius: lætetur cor quærentium Dominum, Psalm. 104. num. 2. & 3.

Lætabor, & exultabo in te, psallam nomini tuo Altissime. Sed cur lætatur Dauid, & exultat? audi Ioel cap. 2. nu. 23. quia dedit nobis Dominus Deus noster Doctorem Iustitiæ, & descendere faciet ad nos imbrem matutinum, & serotinum, & comedemus, vescentes, & saturabimur, & laudabimus nomen Domini Dei nostri, qui fecit mirabilia nobiscum, & non confundetur populus eius in sempiternum, & sciemus, quia in medio Israel, idest Ecclesiæ ipse Deus noster est, Isai. cap. 30. num. 18. quia Deus iudicij Dominus; beati omnes qui expectant eum, & nu. 20. & dabit vobis panem arctum, & aquam breuem, & non faciet auolare à te vltrà Doctorem, & erunt oculi tui videntes Præceptorem tuum. Lætare ergo Dauid in corde tuo, & exulta in Deo Iesu nostro, quem videbis; nec vnquam deerit, qui doceat populum Christianum; panis tamen, quem tibi dabit, erit tribulationis, & breuis, propterea arctus: quia oportet per multas tribulationes intrare in Regnum Cælorum, &c.

Lætabor, inquit, quia in die illa audient surdi verba libri, & de tenebris, & caligine, Gentilitatis nempè, oculi cæcorum videbunt, & addent mites in Domino lætitiam, & pauperes homines in sancto Israel exultabunt, quoniam defecit, qui præualebat; Consummatus est illusor, & succisi sunt omnes, qui vigilabant super iniquitatem, qui peccare faciebant homines in Verbo, Isai. 29. num. 19. & 20. & sequen.

Ecce quomodo in conuertendo inimicum retrorsum; ecce quomodo mites læti sunt, & exultant in Domino, qui liberauit nos à Diaboli insidijs; Lætabor in occultis filij Dei non in ininanibus humanis, sed in eo quod signatum est in nobis lumen vultus tui Domine. At quando hæc erunt? quod signum aduentus tui? Quando illuminabuntur cæci, surdi audient, quando exultabunt, & lætabuntur ossa humiliata; audi quid dicat Isaias: Non modò confundetur Iacob, nec modò vultus eius erubescet propter scelera, scilicet populi, sed cum viderit filios suos, idest, Apostolos, opera manuum mearum, quia accipient Spiritum sanctum, in medio sui sanctificantes nomen meum, & sanctificantes sanctum Iacob, & Deum Israel prædicabunt. Sanctus Iacob est, de quo ipse Iacob, Genes. 49. Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de fęmore eius, donec veniat, qui mittendus est, & ipse

erit expectatio gentium, tunc scient errantes, Gentiles scilicet, qui in erroribus erant immersi, & implicati, intellectum legis, & Euangelij, & Mussitatores discent legem; hæc Isai. ibi. Ista autem omnia si ab aduentu Iesu Christi fuerint, & nunc sint, & in perpetuum erunt, considerent, qui nunc vident, & audiunt. Dicebat enim Iesus, Cælum, & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt. O nos cæcos, & surdos, quis retardat nos à cognitione filij Dei viui, ne simul cum Dauide clamantes dicamus.

Confitemur tibi Domine Iesu in toto corde nostro, miserere nostri Domine: conuertatur inimicus noster retrorsum per te: deficiat nunc Domine iste inimicus, qui peccare nos facit: præualuit enim hucusquè contra nos miseros: consumetur illusor iste, & nos pauperes in sancto Israel, in te Iesu Christo lætabimur, & exultabimus; in te gloriantes gloriabimur, 2. Corinth. 10. num. 17.

Psallamus nomini tuo Altissime, laudes operando perficiam, psallam mente, psallam spiritu, 1. Corinth. 14. nu. 15. Orabo mente, orabo spiritu, Abac. 3. nu. 18. ego autem gaudebo in Domino, & exultabo in Deo Iesu meo: quia fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem: iste Deus meus, & glorificabo eum, Deus Patris mei, & exultabo eum, Exod. 15. num. 2. gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo, quia induit me vestimentis salutis: & sicut hortus germinat semen suum, sic Dominus Deus germinabit iustitiam, & laudem coram vniuersis gentibus, Isai. 61. num. 10. & sequen.

Psallam, & intelligam in via immaculata, quando venies ad me: Psalm. 100. nu. 2. Quia tunc etiam conuertisti inimicum retrorsum. Vade retrò Satana, non tentabis Dominum Deum tuum, dixit illi Iesus, Marc. 8. nu. 33. Matth. 4. nu. 10. & cap. 6. nu. 23. & conuersus dicit Petro, vade post me Satana; terreni enim homines retrò vadunt, quia terrena sapiunt, vt cadant, retrorsum: vadant, & conterantur, illaqueentur, & capiantur, Isai. 28. num. 13. 1. Timoth. cap. 5. nu. 15. iàm enim quædam conuersæ sunt retrò Satana; hinc Iesus, Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retrò aptus est Regno Cælorum, Luc. 9. nu. 62. ex hoc multi discipuli eius abierunt retrò, & iàm cum illo non ambulant, Ioan. 6. nu. 6.

In conuertendo ergo inimicum retrorsum, dicit Dauid, siuè Ecclesia, psallam. August. hic, malle debemus eum, scilicet Diabolum persequentem fugere, quàm ducentem sequi; habemus enim quo fugiamus, & abscondamur in occultis filij; quia Dominus factus est refugium nobis, hæc August. Retrorsum abijt Diabolus post aduentum Domini Iesu, nàm ante egrediebatur ante Natiuitatem Christi, & eius incarnationem, Abac. cap. 3. num. 5. egrediebatur Diabolus ante pedes eius; nnuc autem Ioan. 1. cap. 2. num. 1. filioli hæc scribo vobis, vt non peccetis, sed si quis peccauerit, Aduocatum habemus apud Patrem, Iesum Christum, & ipse propitiatio pro peccatis nostris; eijciamus ergo foras Satanam, obseruantes mandata Dei nostri, tentationes humanæ, & suggestiones diabolicæ, retrorsum infirmabuntur, & peribunt à facie filij Dei, qui est propitiatio nostra, & defensor noster, atque aduocatus. Fuisti ergo aliquando membrum Diaboli, ipso iàm retrorsum abeunte, & conuerso infirmatus es, quia diminuta est inclinatio ad peccandum; cum Apostolo dicas, cum infirmor, tunc fortior sum, 2. Corinth. 12. num. 10. libenter gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi: Exod. 15. Dux fuisti in misericordia tua populo, quem redemisti, & portasti eum in fortitudine tua, ad habitaculum sanctum tuum, & in alio loco, Mich. 2. nu. 13. ascendet

enim pandens iter ante eos, diuident &, transibunt portam, & ingredientur per eam, & transibit Rex eorum coram eis, & Dominus in capite eorum.

In conuertendo igitur inimicum retrorsum infirmabuntur, & peribunt à facie tua, & ego psallam nomini tuo altissime, Prouerb. 12. nu.7. Verte impios, & non erunt, domus autem iustorum permanebit, & radix iustorum proficiet, ibidem num 12. Psallam nomini tuo altissime, quod est omnipotens, Exod.d.cap.15.nu.3. quia per Passionem tuam saluum fecisti populum tuum, & me: finitus est enim puluis, consummatus est miser, defecit, qui conculcabat terram, Isai.16.nu.7.

Dux meus fuisti in tua misericordia, quia pro me iudicatus es, & pro causa mea: ego enim perditus eram, quia peccator, & ità genus humanum per transgressionem Adæ; ex iusta causa iudicium contra me erat; hanc meam causam tuam fecisti Iesu, & iudicium meæ condemnationis etiam tuum fecisti; venisti in mundum, & iudicatus fuisti; causam postmodum fecisti contrà impiè te condemnantes, & iudicantes; vt mihi proficeres; hæc facta sunt; propterea dixit Propheta.

Fecisti iudicium meum, & causam meam, meum enim erat iudicium, quia condemnatus eram, causa erat tua, quia ex falsa accusatione, & causa tu iudicatus fuisti, & iniquè. Sedisti super thronum Crucis, tu qui iudicas iustitiam, Psalm. infrà; parauit in iudicio thronum suum, & Psalm.88. nu.37. & thronus eius sicut Sol. Sedisti super thronum, qui iudicas iustitiam. Thronus Dei est anima iusti, quæ est sedes sapientiæ, Sap.7. num.28. dicit enim vnus Thronus, Paulus. An experimentum eius quæritis, qui in me loquitur Christus? 2. Corinth. 18. Thronus ait iusti, Isai. cap.66. num.1. Act. cap.7. num. 49. Et quia fecit Deus iudicium animæ meæ, & causam meam, in illa sedit; posuit thronum suum super illam, qui iudicat iustitiam meam, liberauit enim animam, quia ipse portauit super humerum suum iniquitatem meam, ideò fecit iudicium, & meam causam, sedens super thronum, vt faceret iustitiam meam, iustitia enim mea est, quia ipse Iesus pro me passus est, & de iustitia mea est, vt ego ipse liberatus, sim talis declaratus, & pronuntiatus, si in iustitia mea permansero; nàm aliàs iustitia iusti non liberat eum in quacunque die peccauerit, sicut impietas impij non nocebit ei, in quacunque die conuersus fuerit ab impietate sua, Ezech.33. num.12.& 14. In conuertendo ergo inimicum retrorsum, adhærentes illi infirmabuntur, iustus verò in Domino viuit, ad Galat.2.nu.20. Christo crucifixus sum Cruci: viuo autem iàm non ego, viuit verò in me Christus; quod autem viuo nunc in carne, in fide viuo filij Dei, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me. Non abijcio gratiam Dei, si enim per legem iustitiæ, ergo gratis Christus mortuus est, quod affirmare esset erroneum, & falsum.

Sed isti super thronum; qui præparatus est in misericordia, Prouerb.20.num.18. roborabitur clementia thronus Regis, & firmatur iustitia, Prouerb.25.nu.5. & in alio loco ibidem cap. 29.num.14. thronus eius manebit in æternum, qui iudicat pauperes in veritate, & Isai. d. cap.16. num.5. præparabitur in misericordia solium; & sedebit super illud in veritate, in tabernaculo Dauid iudicans, & quærens iudicium, & velociter reddens, quod iustum est, Isai. 28. num. 5. In die illa erit Dominus exercituum corona gloriæ, & sertum exultationis residuo populi sui, & spiritus Iudicij sedenti super iudicium, & fortitudo reuertentibus de bello ad portam.

Increpasti gentes, & perijt impius, nomen eorum delesti in æternum, & in sæculum sæculi. Increpat gentes per Apostolorum, & aliorum fidelium prædicationem.

nem, Psalm. 140. num. 5. corripiet me iustus in misericordia, & increpabit me; aliquando etiam Deus corripit flagellando, & in hoc mundo puniendo, vt salui fiant peccatores pœnitentes in cælo, Iob. 33. num. 19. increpat per dolorem in lectulo, & omnia ossa eius marcescere facit; beatus homo qui corripitur à Deo, increpationem ergo Domini ne reprobes, Iob 5. num. 16.

Contrà impium verò profertur sententia perditionis eius. Perijt impius, & deletum est nomen impij, & sequacium in æternum, & in sæculum sæculi: Matth. 25. esuriui, & non dedistis mihi manducare: ite in ignem æternum maledicti; dura vox, sed iusta; nec enim gaudet Deus de damnatione impiorum; nàm Luc. 19. num. 41. videns Ciuitatem fleuit super illam, & in alio loco, delebo (inquit) hominem à facie terræ, sed tactus dolore intrinsecus, Genes. 6. num. 6. Iusta tamen, quia multoties voluit congregare peccatorem, sicut gallina congregat pullos suos, & noluit; quia ceruix eius, neruus ferreus, Isai. 48. num. 2. & Act. 7. num. 51. Dura ceruice, & incirconcisis cordibus vos semper Spiritui sancto resistitis, sicut patres vestri: ita & illos increpasti superbos. Maledicti, qui declinant à mandatis tuis, Psalm. 118. & nomen eorum deletum est in æternum; deleatur memoria eorum, & cum iustis non scribantur, Psalm. 68. Isidor. 3. Eth. dicit, dura vox, quæ violenter emittit sonos, sicut tonitruum, & sicut incudis sonus; quoties malleus percutit in durum ferrum: Deus tamen quodámodò inuitus compellitur cum magno dolore damnare, Chrysost. in homil. 42. in imperfecto: non enim sic dolet, quando ab eis offenditur, sed quia quasi violenter cogitur perdere aliquem.

O Iesu benignissimè tu corda nostra posside; in memoria æterna scribas me in libro stilo ferreo, & plumbi lamina, vel certè sculpantur sermones mei in silice, Iob 29. num. 23. & tu lingua mea calamus scribæ velocitèr scribentis, Psalm. 44. num. 7. in corde meo verba Domini scribe anima fidelis, quia sunt, quasi ignis ardens, Ierem. 23, num. 19. & quasi malleus conterens petram.

Increpando enim gentes, & arguendo illos de peccato, perijt impius, quia per prædicationem Apostolorum recessit ab Idolis, & sequutus est Dominum; perijt inquam impius, & nomina Idolorum deleta sunt, in æternum, & in sæculum sæculi; perijt impius, quia per increpationem factus est pius, deletum est nomen eius, quia non amplius impius, sed quia Deo seruiuit, pij nomen accepit praua ponens in recta, Isai. 42. num. 16. Ezech. cap. 33. num. 12. Impietas impij non nocebit ei, in quacunque die fuerit conuersus ab impietate sua, & num. 14. si autem dixero impio, morte morieris, & egerit pœnitentiam à peccato suo, &c. nec quidquam fecerit iniustum, vita viuet, & non morietur, ecce quomodo ex impio fit pius, si impietatem dimiserit, nomen eorum delesti in æternum, & in sæculum sæculi: vita enim viuent: quia recesserunt ab impietate, neque amplius impij, quia per pœnitentiam deletæ sunt iniquitates eorum, & iusti vocabuntur, August. hic Prouerb. 6. num. 23. lex est lux, & via vitæ increpatio disciplinæ. Nomen dixit deletum impiorum, quia cum increpationes Apostolorum audiuerint, sapientes vocabuntur, Prouerb. cap. 15. num. 31. Auris quæ audit increpationes vitæ, in medio sapientum commorabitur, & qui acquiescit increpationibus possessor est cordis, num. 32. si ergo in hoc sæculum non extenditur nomen eorum, multò minus in sæculum sæculi, idest in æternum.

Inimici defecerunt frameæ in finem, & Ciuitates eorum destruxisti, quæ frameæ inimicorum, nisi lingua eorum? Ierem. 9. num. 4. & 8. sagitta vulnerans lingua

eorum

eorum dolum locuta est; Psalm 63. num. 4. exacuerunt vt gladium linguas suas: intenderunt arcum rem amaram, vt sagittent in occultis immaculatum, Psalm. 56. num. 5. filij hominum dentes eorum arma, & sagittæ, & lingua eorum gladius acutus.

Defecerunt frameæ inimici, nàm lingua prauorum peribit, Prouerb. 10. num. 31. defecerunt enim frameæ inimici Diaboli, in finem, idest propter Christum, qui morte sua conclusit ora ministrorum Diaboli, quibus ille vtitur ad aliorum subuersionem corporalem, & spiritualem: vel frameæ inimici etiam sunt cogitationes malæ, & illicitæ, quę loco armorum seruiunt Diabolo, & ab ipso in mentibus hominum suggeruntur, vt perdat eos.

Defecerunt inquam frameæ, nàm iusti resistunt considerantes, quia vanæ sunt cogitationes hominum eorum, quorum finis est mors, ad Rom. 7.

Inimici frameæ defecerunt; clamabat ex suorum adhærentium ore Iudæorum Diabolus crucifigatur, est seductor iste Iesus, non est Rex noster; dicite, quia vobis dormientibus venerunt Discipuli eius, & tulerunt illum, ò stultitia Iudęorum, ò malignitas sine iudicio, testes dormientes adhibere volunt, August.

Frameę eorum defecerunt; nàm & eorundem Iudęorum, ij, qui vocati sunt, percutiebant pectora, dicentes: verè hic homo iustus erat, Luc. 23. n. 47. & omnis turba quæ ad spectaculum venerat, his autem auditis compuncta fuit corde, Act. 2. nu. 37. & multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna, Act. 4. num. 32. Vide quomodò frameę inimicorum defecerunt, quia crediderunt in Iesum. Quin & illorum frameæ defecerunt, qui non crediderunt, nàm in finem, idest propter Christum à Romanis destructi sunt, occisi, in captiuitatem ducti; Ciuitates eorum igne succensæ, & destructæ, perijt memoria eorum cum sonitu, scilicet armorum, & ignis, Virgilius. Vitaq. cum gemitu fugit indignata sub vmbras; nàm omnes igne, & ense consumpti fuerunt, & destructę Ciuitates, & Templum, & hoc est occultum filij Iudicium, Isai. 24. nu. 3. Dissipatione dissipabitur terra, & direptione perdetur, & num 10. attrita est Ciuitas vanitatis, Dominus verò in æternum permanet, & illi sicut fumus defecerunt, Psalm. 67. num. 3. iusti autem cum Deo in perpetuum viuent.

Inimici Diaboli defecerunt frameæ in finem, frameæ Diaboli secundum August. sunt opiniones erroris, quas seminat occultè, vt animas tanquam gladijs perimat, contra quos errantes, de alio gladio dicitur, Psalm. 7. Nisi conuersi fueritis, gladium suum vibrabit; quod erit in finem, in die scilicet Iudicij: nàm tunc palam vibrabit, & deficient frameæ inimici huius.

Perijt memoria eorum cum sonitu, Isai. d. cap. 34. num. 8. cessauit gaudium tympanorum, quieuit sonitus lætantium: conticuit dulcedo cytharæ, quando scilicet viderunt totum mundum post Christum abire, & post Resurrectionem à mortuis Apostolos gaudentes, & audacter illos increpantes, quia Dominum gloriæ crucifixerint; & vltimo quando omnes ferro consumpti, igne combusti, Ciuitas illorum totaliter destructa, dirupata, nàm tunc & illi perditi cum lætitia illorum in morte Christi: perijt ergo memoria eorum cum sonitu. & Dominus, quem crucifixerunt, in ęternum permanebit.

Parauit in iudicio thronum suum, & ipse iudicabit orbem terrę, in æquitate, iudicabit populos in iustitia. Quando iudicatus est Iesus, tunc parauit sedem suam, thronum in iudicio; nota occultum filij iudicium, nàm per illam eius patientiam

homo Cælum acquisiuit, & Deus hominibus profuit, hæc August. Illi enim tunc data est omnis potestas in Cælo, & in terra, Matth.28. num. 19. Propterea in die Iudicij vniuersalis palàm iudicabit orbem terrarum in æquitate, & populos in iustitia; non secundum visionem oculorum, vt homines; sed in iustitia, & veritate iudicabit, ad Rom.2. num.2. Parauit in iudicio thronum suum, iudicabit orbem terræ, in æquitate, & populos in iustitia.

Et factus est refugium pauperi, adiutor in opportunitatibus, in tribulatione. Audi Isai. de tempore, quando hæc erunt, quia concordat cum Psalmista: dicit enim cap.25. num.1. Domine Deus es tu, exaltabo te, & confitebor nomini tuo, quia fecisti mirabilia, cogitationes antiquas fideles, idest omninò veras, quasi dicat olim promissa præstitisti.

Sed quid promisit? quid præstitit? Isai 32. ecce in iustitia regnabit Rex, & num.1. & Principes in iudicio præerunt, & cor stultorum intelliget scientiam, & num. 8. Princeps verò ea, quæ digna sunt Principe cogitabit; & ipse super Duces stabit, &c.

O Dauid quid dicis? iudicabit orbem terræ in æquitate, iudicabit populos in iustitia, Isai. verò dicit, super hoc laudabit te populus fortis, Ciuitas gentium robustarum timebit te: non ergo Ciuitas Iudęorum, sed gentium, Gentilium scilicet Romanorum timebit, Isai. d.cap.25.num. 3.& sequentibus.

Sed vndè timor? quia Princeps scilicet ille factus est fortitudo pauperi, fortitudo egeno in tribulatione sua, spes à turbine, &c. vmbraculum ab æstu, spiritus robustorum, quasi turbo impellens parietem, sicut ęstus in siti: tumultum alienorum humiliabis. Nonnè fortitudo egenis Discipulis; in tribulationibus, & alijs Sanctis Martyribus fuit, & est noster Iesus: sequitur quia manus Domini erat cum eis, Act. cap. 11. num. 21. dicebant enim Principibus prohibentibus pręedicationem Iesu Christi: si iustum est in conspectu Dei vos potius audire, quàm Deum, iudicate? Act. 4. num.19. Deus ergo erat cum illis, quid mirum, si fortes facti sint pauperes, si vicerunt Regna, si adepti sunt repromissiones, Dauid Psalm. 9. num. 10. & factus est Dominus refugiũ pauperi, adiutor in opportunitatibus, in tribulatione: videant pauperes, & lętentur, quęrite Deum, & viuet anima vestra, Psalm. 68. num. 33. quoniam audiuit pauperes Iesus, num.34. Isai. 17. num. 30. & 32. & pauperes fiducialiter requiescent, & in ipso sperabunt: pauperes populi eius, Ecclesi. 11. num. 12. & 13. est homo marcidus egens ratione, abundans paupertate, & oculus Dei respexit illum in bonum, & erexit illum ab humilitate ipsius, & exaltauit caput eius, & mirati sunt in illo multi, & honorauerunt Dominum. Ibant enim gaudentes à conspectu Domini, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati. Et qui sunt isti pauperes ò Dauid? Qui nouerunt nomen tuum Domine, quoniam non dereliquisti quærentes te: Christiani, qui confitentur Iesum Christum Redemptorem nostrum; si verò hęc in Ecclesia Dei vera sint, vnusquisque videre potest; Roma caput erroris, superstitionum, & Idolorum facta est per pauperes istos Magistra veritatis, Sedes Apostolorum, & Vicariorum Christi: Ciuitas gentium robustarum timuit illos pauperes: & subdita facta, complexa est fidem Christi: quia ciues illius nouerunt nomen Dei, Iesum Christum Redemptorem nostrum, Regem qui in iustitia iudicat populos, & orbem terræ in æquitate. In æquitate dixit; nam peccatores sumus, & misericordia eius, quia non sumus consumpti: expectat enim nos patienter ad pœnitentiam, vt nos saluet, Isai. 30. num. 18. expectat Dominus, vt miserea-

misereatur nostri, & ideò exaltabitur parcens nobis, quia Deus iudicij Dominus. Vide quomodo stulti intellexerunt scientiam, audientes verba Christi, & credentes facti sunt Magistri, & Doctores, Isai. 57. num. 7. Dabo ei spiritum, & audiet nuncium, & melius cap. 50. num. 5. Dominus Deus meus aperuit mihi aurem, & non contradico, & d. cap. 30. & aures tuæ audient verbum post tergum monentis, & num. 21. ibidem, loquebantur enim prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis, Act. 2. num. 1. & sequentibus. Apostoli piscatores pauperes, & ignari, & ipsi docuerunt legem Domini, quia cor stultorum factum est scientiam sapiens, & docens alios.

Vlteriùs quid dixit Dauid num. 7. Confitebor tibi Domine, quia narrabo mirabilia tua, quia & inimici defecerunt frameæ, & Ciuitates eorum destruxisti: & Isai. d. cap. 25. num. 1. exaltabo te, & confitebor tibi, quia mirabilia fecisti, cogitationes antiquas fideles: quia posuisti Ciuitatem in tumulum, Vrbem fortem in ruinam, domum alienorum, vt non sit Ciuitas, & in æternum non ædificetur, Luc. 19. num. 41. & sequentibus. Videns Iesus Ciuitatem fleuit super illam, dicens, quia si cognouisses & tu, &c. & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi, nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis. Vide cogitationes antiquas fideles, quas dicit Isai. quia venient dies in te: & circundabunt te inimici tui vallo, &c. & ad terram prosternent te, & filios, qui in te sunt; & non relinquent in te lapidem super lapidem, eò quod non cognoueris tempus visitationis tuæ, vndè etiam Matth. 24. nu. 1. & idem Luc. cap. 21. num. 6. *In finem pro occultis filijs.* Si cognouisses & tu cogitationes antiquas, quid factum sit à Romanis; vos ò Iudæi non ignoratis; sciunt vestri Scriptores Ioseph de bello Iudaico; requirite diligenter in libro Domini, & legite; vnum enim ex eis non defuit, Isai. 34. num. 16. iam læta est deserta, & in via, quia vidit gloriam Domini, & decorem Dei nostri, & in illa est semita & via, & via sancta vocabitur, quæ est Christus Deus noster, à quo redempti conuertentur, & venient in Sion, in Ecclesia scilicet cum laude, & lætitia sempiterna, Isai. 35. per totum. Dauid, lætabor, & exultabo in te, quia fecisti mirabilia: hæc est ergo via, ambulate in ea, & non declinetis ad dexteram, neque ad sinistram, Isai. d. cap. 30. num. 21.

Et adiutor in opportunitatibus, in tribulatione. Per multas tribulationes oportet nos introire in Regnum Dei, Act. 14. nu. 21. opportunitatem præmisit, quia sæpè & tribulatione conterimur: & tamen opportunum nondum est, vt ad nostrum desiderium ereptionis adiuuemur: fidelis est Dominus, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione prouentum, vt possitis sustinere, 1. Corinth. 10. num. 13. De Tobia legimus cap. 2. num. 12. & 13. cum ex nido hyrundinum calida stercora inciderint in oculos eius, cæcus factus est: non est contristatus, sed immobilis in Dei timore permansit, agens gratias Deo omnibus diebus vitæ suæ, adiutor illi in opportunitatibus Deus fuit, quia cum felle piscis oculos liniens patris Tobias visum recepit, Tob. 11. num. 14. qui glorificans Deum dicebat; benedictus es Domine Deus Israel, quia tu castigasti me, & tu saluasti me: ibidem num. 17. Adiutor in opportunitatibus, in tribulatione, & cap. 12. num. 13. & quia acceptus eras Deo, necesse fuit, vt tentatio probaret te; hinc Eccles. cap. 2. num. 1. fili accedens ad seruitutem Dei præpara animam tuam ad tentationem, & num. 4. in dolore sustine, & in humilitate tua patientiam habe, quoniam in igne probatur aurum, & argentum, homines verò receptibiles in camino humiliationis, crede Deo, & recuperabit te, & dirige viam tuam, & spera in illum, quis enim

per-

permansit in mandatis eius, & derelictus est? aut quis inuocauit illum, & despexit eum? quoniam pius, & misericors, & remittit in die tribulationis peccata, & protector est omnibus in veritate: hæc ibidem num. 22. & 23. Iuxtà enim est Dominus his qui tribulati sunt corde, & humiles spiritu saluabit, Psal. 33. num. 19. multæ sunt tribulationes iustorum, & de his omnibus liberabit eos Dominus. Pauperes enim elegit Deus in hoc mundo, diuites in fide, & hæredes Regni, quod repromisit Deus diligentibus se, Iacob. 2. num. 5.

Et sperent in te, qui nouerunt nomen tuum, quoniam non dereliquisti quærentes te Domine; inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono, Psal. 33. nu. 14. non solùm ergo factus est Dominus refugium pauperi, sed etiam diuiti, Prouerb. 8. num. 20. & 21. in vijs iustitiæ ambulo in medio semitarum iudicij, vt ditem diligentes me, & thesauros repleam, & Eccles. 26. num. 4. diuitis, & pauperis cor bonum, in omni tempore vultus illorum hilaris; quando diues scilicet in diuitijs cor non apponit, sed Deo, quem Dominum cognoscit, gratias agit, & diuitias pauperibus distribuit, diuitiæ, si affluant, dicit Psalm. nolite cor apponere, Psalm. 61. num. 10. nihil amando, quod vel hic viuentem, aut amantem deserit, vel à moriente deseritur, non enim conuertitur anima ad Deum, nisi dum ab hoc sæculo auertitur, hæc Aug. Iacob. cap. 1. nu. 9. glorietur autem frater humilis in exaltatione sua, diues autem in humilitate sua, quoniam sicut flos fœni transibit, & idem in c. 4. nu. 4. quicunque ergo voluerit amicus esse huius sæculi, inimicus Dei constituitur.

Qui nàm nomen Dei cognoscunt? qui quærunt illum, illi cognoscunt Deum, & qui cognoscunt Dominum, in illum sperant: non ergo qui peccat, noscit Dominum, neque quærit illum; nihil enim habent commune esse in peccato, & benè quærere Dominum, & illum cognoscere; quæretis me, non tamen benè, & non inuenietis, & in peccato vestro moriemini; quæris Dominum, derelinque peccatum, & inuenies, & nosces illum. Non cognouerunt Iudæi Dominum, quia peccatum obcęcauerat illos, & in peccato permanere voluerunt.

Væ desolatis corde, qui non credunt Deo, & ideò non proteguntur ab eo. Qui timent Dominum, non erunt increduli verbo illius, & qui diligunt illum conseruabunt linguam illius, & replebuntur lege ipsius, Eccles. 2. num. 18. & 19. & 21. Qui timent Dominum, custodiunt mandata illius, & patientiam habent vsque ad inspectionem illius, idest vsquequo perueniamus ad vitam æternam, cognoscere enim Deum est vita æterna, Ioan. 17. num. 3.

Si vis ergo noscere Iesum Christum, hoc est enim habere vitam æternam, Ioan. vt supra: depone peccatum, & inuenies, cognoscesq. illum; soli enim mundi corde Deum videbunt, & tunc spera in illo, quia nunquam te derelinquet quęrentem illum; manusq. eius effugies, Eccles. 2. num. 27.

Per nomen autem Dei in hoc Psalmo intelligitur illud quod vocatum est ab Angelo, priusquam in vtero conciperetur, & vocabis eum Iesum, in quo est salus omnium credentium, cuius mirabilia narranda Propheta in aduentu suo promittit; cuius arcana declarat, & occulta, postquam inimicum fecit abire retrorsum; propterea de nomine Iesu Christi scientiam habentes, & in illo sperantes, loqui Prophetam arbitràmur.

Cęterum de nomine Iesu diffusiùs aliàs tractasse meminissemus: Iesus ergo nomen dulce, nomen delectabile, nomen confortans peccatorem, & nomen humanę spei, Riccard. de Sancto Victore, ergo nomen esto mihi Iesus.

Huic

Huic ergo nomini Domini qui habitat in Sion, in Ecclesia Christianorũ psallamus, & inter gentes, & paganos studia eius, idest pacta, Euangelium scilicet sanctum suum annuntiemus, & illis prædicemus; quia ipse venit saluos facere omnes, qui perierant.

Inquit ergo Dauid, Psallite Domino, qui habitat in Sion, annuntiate inter gentes studia eius. Quid dicis Dauid? nonnè Deus est vbique? nonnè terra scabellum pedum eius? quomodo dicis, quia habitat in Sion: & quod annuntiemus inter gentes studia eius? ecce quia in finem pro occultis filij, annuntiemus studia eius in gentes quæ verò sint studia filij, nulla certè alia sunt, nisi vt voluntatem Patris adimplendo, quos sibi ille dedit, non perdat, sed vt det illis vitam æternam, Ioan. dicto cap. 17. nu. 1. occultum tamen, quia illi visi sunt oculis insipientium mori.

Sed tu Dauid annuntia inter gentes, quoniam Dominus requirens sanguinem eorum recordatus est, non est oblitus clamorem pauperum; nàm & si coram hominibus tormenta passi sint, spes illorum immortalitate plena est, in paucis vexati, in multis disponentur benè, & in tempore erit respectus illorum, Sap. 3. nu. 4. & sequen. computati enim sunt inter filios Dei, & inter sanctos sors illorum est.

Psallite Domino, qui habitat in Ecclesia, cuius Iesus est caput, annuntiate hæc inter omnes gentes, vt credentes salui fiant; nolite timere eos, qui occidunt corpus, propter Iesum Christum, quia requirens sanguinem vestrum de manu inimici, non est oblitus Deus clamorem pauperum, Ecclesi. 2. qui timetis Dominum, sperate in illum, & in oblectationem veniet vobis misericordia, num. 9. annuntiate inter gentes Euangelium eius, & respicite filij nationes hominum, & scitote, quia nullus sperauit in Domino, & confusus est; dicto cap. 2. num. 11. si diligitis eum, replebimini lege ipsius, & præparate corda vestra in conspectu illius, & sanctificabit animas vestras, ibidem num. 20. quia non obliuiscitur clamorem pauperum.

Psallite Domino fideles, qui in Ecclesia Dei estis, quia Dominus est in Ecclesia nostra, nec deserit nos in opportunitatibus; in tribulatione, vt fortes in bello possideamus Regnum Dei, Paul. ad Roman. 8. certus sum, quia neque mors, neque vita poterit nos separare à charitate Christi.

Annuntiate inter gentes studia eius, quia si omnes capilli capitis vestri numerati sunt, Luc. 12. num. 7. & capillus de capite vestro non peribit, Luc. 21. nu. 18. quantò magis si propter Christum sanguinem vestrum effunderis, Dominus recordabitur, cum sanguis vester aspersus sit super vestimenta eiusdem Christi, Isai. 63. num. 3. & aspersus est sanguis eorum super vestimenta mea, dicit Dominus: Apocalyps. 6. n. 10. Vsquequo Domine verus, & sanctus, non iudicas, & non vindicas sanguinem nostrum de his, qui habitant in terra, quiescite, fuit dictum illis, adhùc modicum tempus, donec compleantur conserui eorum, & fratres eorum, qui interficiẽdi sunt; non dixit, quia sum oblitus, sustinete modicum, inquit, donec interficiantur.

O occultum Dei iudicium, ò studia Christi miserationum plena, speciosa misericordia Dei in tempore tribulationis, quasi nubes pluuiæ in tempore siccitatis, Ecclesi. 35. nu. 26. Non est oblitus clamorem pauperum, & recordatus est requirens sanguinem Martyrum. Paupertas ergo, & martyrium à pari procedunt; ratio est, quia cum omnes dies pauperis mali sint, Prouerb. 15. num. 15. ob ingentes nimirum angustias, quas ille patitur, martyrio similes. Quamuis autem in omni loco oculi Domini contemplentur bonos, & malos, Prouerb. 15. nu. 2. malos tamen contemplatur ad pœnam, si illos non pęniteat, bonos verò ad præmium, Venite benedicti Patris mei, percipite Regnum, &c. Matth. cap. 25. num. 34.

Psallite ergo Domino, & exultate, quia Dominus memor est nostri, annuntiate inter gentes, quia de tenebris, & caligine, in qua positi, cæci facti estis, oculi vestri videbunt præceptorem, & audient verba legis, Isai. cap. 30. num. 20. & 21. addite mites in Domino lætitiam, & pauperes homines in sancto Israel exultate, quoniam defecit, qui præualebat, retrorsum abijt, Isai. 29. nu. 18. & sequen. quia consummatus est illusor, & succensi sunt omnes, qui peccare faciebant homines in verbo, ibidem num. 21. non est enim Dominus oblitus clamorem vestrum; videant pauperes, & lætentur, Psalm. 68. num. 33. quærite Dominum, & viuet anima vestra, quærite Dominum omnes mansueti terræ; Sophon. 2. num. 3.

Miserere mei Domine, vide humilitatem meam, de inimicis meis. Vt Deus humilitatem suam aspiciat, deprecatur Ecclesia: quia quamuis oratio humiliantis se nubes pertranseat, donec tamen propinquet, non consolabitur, & non descendet, donec Altissimus aspiciat, Eccles. d. cap. 35. num. 21. propterea Domine vide humilitatem meam, dicit Ecclesia: nàm ex hoc, visio Dei auxilium illius esse conspicitur; quia Dominus non tardabit, dicit Textus ibi num. 24. seù non elongabitur, idest auxilium, sed faciet iudicium, Isai. 57. num. 15.

Vide humilitatem meam, quia sciebat Ecclesia, quòd Spiritus sanctus non habitat nisi super humiles corde: Deus enim dicit super quem requiescet Spiritus meus? super humilem respondit, & quietum, & trementem verba mea: August. in homil. Euangelij Matth. cap. 12. & humilem spiritu suscipit, Prouerb. 29. num. 23.

Miserere mei Domine, quia humilis sum corde: videns humilitatem meam misereberis: humilia enim tu respicis in Cælo, & in terra, Psalm. 112. num. 6. tu humilium orationem respicis, Psalm. 101. num. 18. & non spernis preces eorum.

Vide Domine humilitatem meam de inimicis meis, nàm quotidie lacerant, & linguis dolosè agunt contra Ecclesiam tuam; ego verò nec ferro, nec armis contradico illis, sed in humilitate mea iniurias illorum sustinens, patienter ago cum illis, vt conuertantur, & ego illas complectar; tu verò Domine miserere mei, & respice in me, Psalm. 85. nu. 16. malè enim filij mei à Dæmonio vexantur, Matth. cap. 15. n. 22.

Tu Deus patiens es, tempus vitæ illorum sicut calculus arenæ, sic exigui anni in die æui: propterea sustine illos, vt conuertantur, ostendens illis viam æquitatis per Prædicatores tuos in Ecclesia existentes; præsumptionem cordis illorum tu vides: quia praua est, & cognoscis subuersionem illorum, quoniam nequam est.

Miserere mei Domine, ait Propheta, vide humilitatem meam, & laborem meum in sustinendo illos, qui nunc mihi aduersantur inimicos meos, & tuę sanctæ Ecclesię se profitentur, & ego magis doceo, illosq. congregare studeo, sicut pastor gregem suum, quia misericordia mea est circà proximum meum; sicut misericordia tua Domine super omnem carnem, Eccles. 18. nu. 12. miserere mei; filij erant Ecclesiæ, & ab illa abalienati claudicauerunt, & errauerunt, Psalm. 57. nu. 3. alienati sunt peccatores à vulua, errauerunt ab vtero, locuti sunt falsa in falsis doctrinis docentis; parce illis Domine, aperi oculos eorum, da illis cor contritum, vt humilem, & sanam doctrinam Ecclesiæ tuæ suscipiant, & ad illam conuertantur, & cognoscant te Dominum misericordiarum, & illorum miserentem; tunc enim misereris Domine excipientium doctrinam miserationes, & illorum qui festinant in iudicijs eius, Eccles. dicto cap. 18. num. 13. odio habes peccatores, & assiduos in malis, & misereris pœnitentibus, Eccles. 12. num. 3. pateant aures misericordiæ tuæ Deus, Ecclesiæ supplicantis precibus, vt dolentes de peccatis suis ad te reuertantur.

Ecce Domine contra istos inf̨elices hæreticos, & peccatores ne conuertantur, redeantq. ad Ecclesiam, & pereant insurgit Diabolus, & vniuersa cognatio illius, hoc est illi adhærentes omnes Dæmones; quærunt Ecclesiam tuam omnium Christianorum Matrem delere, & extinguere scintillam eius: non præualeant portæ inferi aduersus illam, tu Domine dixisti, & ità erit.

Occiderunt te Iesum Christum filium Dei: nunc omninò perimere satagunt fratrem, qui portionem suam cum meretricibus consumpsit, & siliquas comedit cum porcis, hoc est vniuersitatem hæreticorum, & in obstinatione illos confortantes quòad corpus, & quòad animam eos delere procurant. Domine miserere mei, respice humilitatem meam de inimicis meis; deleatur memoria inimicorum, & fiant filij Ecclesiæ tuæ, ac fideles tui, & spiritus illorum saluus fiat in die iudicij: & reuersi cum iustis scribantur. Tu Domine Iesu à mortuis resurrexisti, vt suscitares mortuos à peccatis suis, & vt cohęredes tuos in Cælo eos faceres; Suscita quæso Domine illos, spiritumq. tuum bonum infunde in ipsos, vt pœnitentes, & dolentes cognoscant te Dominum filium Dei viui, & Ecclesiam tuam Catholicam, & Apostolicam Matrem, & omnium Magistram, Hieron. lib. 2. Comment. 15. cap. 15. Matth. ego filiam Chananeam puto, animas esse credentium, quæ malè à Dęmonio vexabantur, ignorantes Creatorem, & adorantes lapides.

Nunc confitebor tibi in populis Domine, & psallam tibi in gentibus, Psalm. 56. num. 12. tu enim mortificas, & viuificas, deducis ad inferos, & reducis, 1. Reg. 2. num. 10. tu enim qui excelsus es, & sublimis, habitas æternitatem; & sanctum nomen tuum in excelso, & in sancto habitans cum contrito, & humili spiritu; dicis, vt viuifices spiritum humilium, & viuifices cor contritorum, quia non in sempiternum litigabis, neque vsque ad finem irasceris, Isai. 57. num. 15. & sequen. tu es Domine, qui vitæ, & mortis habes potestatem, & deducis ad portas mortis, & reducis, Sap. 16. num. 13. Domine viuifica illos, aures eorum surdas aperi, & oculos, vt videant, vt derelicta eorum iniquitate, glorificent te Deum verum, & viuum, & vnigenitum tuum verum, & vnicum filium, qui pro nobis, & pro illis passus est; adiuua illos Domine Deus noster. Reminiscere miserationum tuarum Domine, & misericordiarum tuarum, quæ à sæculo sunt, Psalm. 24. num. 6. vt reminiscantur, & conuertantur ad te vniuersi fines terræ, Psalm. 21. num. 28. Vide Domine afflictionem meam, quam ab inimicis patior; tu Domine scis, quæ cogitauerint mala aduersum me, Ecclesiam tuam; firmam semper tanquam petram durissimam me fecisti, vt non præualeret inimicus aduersum me.

Tu es, qui exaltas me, qui liberas me de portis mortis istorum, qui voluerunt me delere, vt annuntiem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion, in portis Ecclesiæ tuæ toto orbe diffusæ. Exultabo in salutari tuo, in summis periculis ego sto præ multitudine inimicorum meorum, de quorum manibus tu me exaltas, tu me liberas; per portas enim mortis multitudo inimicorum intelligitur, Eccles. 51. n. 4. & liberasti me secundum multitudinem misericordiæ, nominis tui, à rugientibus præparatis ad escam, de manibus quærentium animam meam; & de portis tribulationum, quæ circundederunt me, Psalm. 126. nu. 5. non confundetur cum loquetur inimicis suis in porta.

Hinc Prouerb. 14. num. 19. Iacebunt mali ante bonos, & impij ante portas iustorum ità etiam, Amos cap. 5. num. 10. odio habuerunt corripientem in porta; vbi scilicet iudicia fecerunt, & idem Amos dicto cap. 5. numero 12. & pauperes

deprimentes in porta, & num. 15. Constituite in porta iudicium, si fortè misereatur Dominus Deus exercituũ, reliquijs Ioseph. Portæ ergo mortis erant, vbi iniqui congregabantur ad malum contra proximum; propterea Ierem. in Thren. c. 5. nu. 14. senes defecerunt de portis, & Matth. cap. 16. num. 18. & portæ inferi non præualebunt aduersus eum.

Libera ergo de portis mortis, idest de portis inferni Ecclesiam tuam, vt annunciet laudes in portis filiæ Sion, quæ sunt in loco alto; Hierusalem enim erat in monte, & loco excelso: in portis enim inferni populus malus, in portis Hierusalem populus Dei: ex portis inferni deducuntur tentationes, bella, scelera, & iniquitates, & portæ illæ ducunt ad mortem; in quibus sunt delinquentes, de quibus Ierem. dolet vt suprà. Ecclesia propterea laudes Dei annuntiat, in portis Sion, cuius finis est pax: & in pace portæ illæ fundatæ sunt, & num. 21. solummodo ibi, idest in Sion, magnificans est Dominus Deus noster, & ideò dicitur, magnificans Deus, quoniam habitauit in excelso, impleuit Sion iudicio, Isai. 33. num. 16. & ideò à portis mortis liberatur. Gentes in interitu, quem fecerunt, malè iudicantes, in portis mortis infixæ sunt, & demersæ; ego verò, inquit Ecclesia, exultabo in salutari tuo; idest in Iesu Christo, qui ideò Saluator dicitur, quia saluos facit omnes sperantes in se, & ipse nos redemit. Inquit ergo Ecclesia, Domine à portis inferni, à delictis, & iniquitatibus libera inimicos istos, vt venientes ad portas Hierusalem discant amare teipsum.

In laqueo isto, quem absconderunt comprehensus est pes eorum. Quem laqueum? nisi laqueum ab inimicis in porta mortis, idest quæ ad mortem ducit proponunt enim mala consilia, dicentes, Venite fruamur bonis, non prætereat nos flos temporis, nemo nostrum expers sit luxuriæ nostræ, opprimamus pauperem iustum, fortitudo nostra sit lex iustitiæ, non parcamus Viduæ, Sap. 2. num. 8. & sequen. laqueus mortis est, illud inimicorum consilium; absconditus est laqueus à voluptate carnis, & superbia, & iniquitate. Gentes, quæ talia fecerunt, in interitu, iam infixæ sunt simul, in laqueo isto, quem gentes supradictæ fecerunt cõprehensus est pes eorum, Psalm. 118. num. 110. Posuerunt peccatores laqueum mihi, laqueus ergo est interitus, vel via ad interitum, Psalm. 34. num. 7. & 8. quoniam gratis absconderunt mihi interitum laquei sui; veniat illi laqueus, quem ignorat, & captio quam abscondit, apprehendat eum, & in laqueum cadat in idipsum, interitum laquei, quia est porta ad ingressum inferni, ad interitum animarum, Ezech. d. cap. 18. num. 14. in præuaricatione, qua præuaricatus est, & in peccato suo quod peccauit, in ipso morietur.

In laqueo isto interitus comprehensus est pes eorum, sed tu Domine dissolue vinculum, euelle de laqueo pedes eorum, Psalm. 24. num. 15. libera eum Domine de laqueo istorum venantium, Psalm. 90. num. 3.

Senes defecerunt de portis, iuuenes de choro psallentium, Thren. d. cap. 5. nu. 14. ipse autem populus direptus, & vastatus, laquei iuuenum omnes, & in domibus carceris absconditi sunt, facti sunt in rapinam, nec est qui eruat in direptionem, nec est, qui dicat, redde, Isai. 42. num. 22. in laqueo quem fecerunt, comprehensi sunt;

Laxentur Domine funiculi istorum, & non præualeant, respiciant isti Sion, Ecclesiam sanctam, cuius claui in sempiternum non auferentur, & omnes funiculi eius non rumpentur, quia tu solummodo magnificatus es Domine Deus noster: Isai. d. cap. 33. nu. 20. & 21. Peccauerunt tibi Domine, propterea dati sunt in laqueum, &

in direptionem, Isai. 42. num. 4. Miserere mei Domine, malè à Dæmonio vexantur: tu Domine illumina oculos superborum; venisti enim vt saluos faceres eos, qui perditi sunt: Sedentes in tenebris, & vmbra mortis, sanasti Domine, portas æreas contriuisti, vectesq. ferreos confregisti, & de via iniquitatis eorum aliàs illos suscepisti: Psalm. 106. num. 10. 16. & 17.

Verùm ò hæretici, peccatoresq. pro quibus Ecclesia orat, vt conuertamini, cum in peccatis vestris permanere cupiatis, & in illis moriemini; ecce Ecclesia vobis annuntiat hæc de ore Dei, quia impius à via sua impia, & ab iniquitate non auersus, in impietate sua morietur, Ezech. 3. num. 17. & sequen. & cap. 18. per totum, & anima quæ peccauerit, ipsa morietur, mors autem peccatorum pessima, Psalm. 33. num. 22. sicut oues in inferno positi sunt, mors depascet eos, Eccles. 28. num. 25. mors illius, mors nequissima: quocircà dicit Psalmista.

Cognoscetur Dominus iudicia faciens, in operibus manuum suarum comprehensus est peccator, Iob cap. 18. num. 8. Immisit in rete pedes suos, & in maculis eius ambulat, impius scilicet, & num. 21. hæc sunt tabernacula iniqui; & iste locus eius, qui ignorat Deum, quæ verò sint, narrat: lux impij extinguetur, & lucerna eius: præcipitabit eum consilium suum; planta eius laqueo tenebitur, & sitis exardescet contra eum, pedica eius in terra abscondita est, & decipula super semitam, &c. expellet eum de luto in tenebras, &c. Ezech. verò cap. 18. num. 13. morte morietur, sanguis eius in ipso erit, & *Psalm.* 54. num. 16. veniat mors super illos, & descendant in infernum viuentes; nàm iter, quod fecistis deuium, duxit vos ad mortem, Prouerb. 12. nu. 28. opus manuum vestrarum trahit vos in Belial, secundum enim opera vestra destruxit vos peccatum vestrum, Psalm. 17. nu. 4. Eccles. 9. nu. 3. Corda filiorum hominum implentur malitia, & contemptu in vita sua, & post hæc ad inferos deducentur, & in insidijs suis capientur iniqui, Prouerb. 11. num. 6. cognoscetis tunc Deum iudicium facientem, secundum opera vestra, & secundum nequitiam adinuentionum vestrarum; propterea in opera manuum eius destruxit vos, radices istorum arefecit Deus, & plantauit humiles Deus, ex ipsis gentibus, Eccles. cap. 10. num. 18. cognoscetur ergo Dominus iudicia faciens, quia reddet vnicuique secundum opera sua, malos malè perdet; Matth. 21. num. 41. virum iniustum mala capient in interitu, Psalm. 119. num. 12. in operibus manuum suarum comprehensus est peccator, quia iudicium Deus facit, dat enim vnicuique secundum opera sua.

In hoc etiam cognoscitur Deus, & iustitia eius, quia ex operibus, quæ peccator iniquè facit, & iniustè sibi acquirit infernum in perpetuum, & flammas ignis pro sede in æternum: ignorauit forsan, quod in profundo inferni, conuiuæ eius, Prouerb. 9. num. 5.

Conuertantur peccatores in infernum, simul, & omnes gentes, quæ obliuiscuntur Deum; ibi enim, idest in profundis inferni, conuiuæ eorum sunt, Prouerb. 9. num. 18. Quid est conuertantur in infernum peccatores, & obliuiscentes Deum? nisi quia, cum stuppa sint, nihil aliud illis opus est, nisi quod ignis inferni comburat illos; Eccles. cap. 21. & Num. 10. stuppa collecta Synagoga peccatorum, & consummatio illorum flamma ignis; consummentur ergo ignis inferni flamma, & erunt in infernum. Quis dicit hæc? idem Eccles. dicto cap. 21. num. 11. via peccantium complanata lapidibus, & in fine illorum inferni, tenebræ, & pœnæ. Conuertantur ergo iàm in ignem inferni, quia iàm stuppa sunt, iàm pars inferni facti sunt, iàm tenebræ sunt, & pœnæ; semper comburantur, quamuis nunquam

combusti sint, Isai. cap. 1. num. 31. & erit fortitudo vestra, & fauilla stuppæ, & opus vestrum quasi scintilla: succendantur vtrunque simul, & non erit, qui extinguat, Iob 20. num. 18. luet quæ fecit omnia, nec tamen consummetur; & in quo infixę sunt gentes, & in quem interitum, nunc declarat idem Psalmista dicens.

Conuertantur in infernum peccatores, gentes quę obliuiscuntur, &c. hic est enim interitus illorum, in quo infixi sunt, & laqueus quem absconderunt, in quo comprehensus est pes eorum, quia memoria eorum delebitur, & cum iustis non scribentur, Psalm. 33. num. 21. & Psalm. 108. num. 15. Quamuis autem ab illis peccatoribus pauperes afflicti, & humiliati sint?

Non in finem tamen obliuio erit pauperis, & patientia pauperum non peribit in finem; Deus enim scit cogitationes, quas cogitat super illos, cogitationes scilicet pacis, & non afflictionis, vt det illis finem, & patientiam, Ierem. 29. nu. 11. quærent enim Dominum, & inuenient, ibidem num. 13. & vt iusti in perpetuum viuent, eorumq. memoria in benedictione erit, beati, inquit, pauperes, quoniam ipsorum est regnum Cælorum, Matth. 5.

Patientia illorum non peribit in finem; vsque enim in tempus sustinebit patiens, & posteà redditio iucunditatis, Eccles. cap. 1. num. 29. ecce beatificamus eos; qui sustinuerunt sufferentiam Iob; audistis, & finem Dei vidistis, quoniam misericors Dominus est, & miserator, Iacob. cap. 5. num. 11. lux verò impij extinguatur, nec splendeat flamma ignis eius memoria illius pereat de terra, expellatur de luce in tenebras: Iob 18. num. 5. & 17. & Eccles. 10. num. 21. memoriam superborum perdet Dominus, & Iob 33. num. 17. & Psalm. 108. num. 15. in memoria verò æterna erit iustus, ab auditione mala non timebit, Psalm. 111. num. 17.

Verùm quia, & vt in hac vita etiam peccatores puniantur, & cognoscant, quia Deus Dominus est, & non sit qui possit resistere voluntati eius, Prouerb. 30. nu. 21.

Exurge, inquit Domine, non confortetur homo, iudicentur gentes in conspectu tuo; confortari enim videtur peccator in oppressione iusti, gloriantur in infirmitatibus suis, & in malitia eorum, Psalm. 51. num. 3. & qui oderunt pauperem, & in Dominum non gloriantur, Psalm. 73. num. 4.

Exurge, inquit Domine, non confortetur homo, extollit enim se in opere suo faciendo, Eccles. 10. num. 29. confortati sunt, qui persequuntur te, Psalm. 68. nu. 3. libera me à persequentibus me, quia confortati sunt super me, Psalm. 141. exurge quare obdormis Domine, exurge ne repellas in finem, Psalm. 43. num. 23. exurge Domine iudica causam tuam, oppressio pauperis est causa tua, Psalm. 73. nu. 12. exurge Domine in iudicium, vt saluos facias omnes mansuetos terræ, & turbentur omnes insipientes, Psalm. 75. nu. 5. & 10. introeat in conspectu tuo gemitus compeditorum, Psalm. 78. num. 11.

Exurge Domine, non confortetur homo iniquus in iniquitate sua contra humilem, & iustum, d. Psalm. 73. num. 4. Tuum est iudicium à Patre datum, iudicentur istæ gentes, quæ ignorant nomen tuum in conspectu tuo, & conuertantur in infernum: contere brachium peccatoris, & disperge illos Domine; iudicentur in conspectu tuo, non differatur ad iudicium publicum, quia interim opprimuntur iusti; & impij exultare videntur ne tardes amplius, ad hoc enim venisti in mundum, vt salures, quos dedit tibi Pater fideles, & electos; nunc vim patiuntur responde pro illis iudicans impios secundum impietatem illorum.

Exurge Domine, quare obdormis, quare auertis faciem tuam à nobis, exurge, adiu-

adiuua nos, & libera nos propter nomen sanctum tuum; apprehende arma, & scutum, & exurge in adiutorium mihi, d. Psalm. 34. num. 2. indica illis opera illorum, & scelera eorum, quia violenti fuerunt, reuela aurem eorum, vt corripias, & loquere, vt reuertantur ab iniquitate, qui si te audierint in bono complebunt dies suos; sin minus transeant per gladium, & consummentur in stultitia, Iob 36. nu. 9. & sequentibus.

Constitue Domine legislatorem super eos, filium scilicet tuum Iesum Christum; nullus enim ei similis in legislatoribus, Iob d. cap. 36. num. 22. ipse solus excelsus in fortitudine sua, ipsi enim peccatores iustum opprimentes, & illi detrahentes detrahunt legi, & iudicant legem, non sunt factores legis, sed faciunt se iudices, cum tamen ipse Iesus, vnus, & solus sit legislator, & Iudex, qui potest perdere, & liberare.

Constitue legislatorem super eos, idest mitte filium tuum Iesum Christum, qui perdat illos, si non audierint illum, vel liberet, si audierint, Iacob. 4. num. 12. & sciant gentes, quia homines sunt, & cognoscant illum filium tuum, qui potest perdere illos in gehennam, & liberare: & quod ipse Dominus Iudex noster est: Dominus legifer noster, Dominus Rex noster, Isai. 33. num. 22. non autem homines isti peccatores, contra legem agentes, & iniqui, Psalm. 7. num. 5. sunt iudices nostri, sed malignantes contra nos; legislator autem Iesus saluum faciet egenum, à gladio oris eorum, & de manu violenti pauperem, & erit egeno spes, Iob 5. nu. 15. & Psalm. 83. num 7. & benedictionem dabit legislator ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus Deorum in Sion.

Vt quid Domine recessisti longè, despicis in opportunitatibus, in tribulatione? Psalm. 76. num. 7. nunquid in æternum proijciet Deus, aut non apponet, vt complacitior sit adhuc? aut obliuiscetur misereri Deus, aut continebit in ira sua misericordias suas, vt quid tam diù malitia superborum durat, & iniquitas?

Dum superbit impius incenditur pauper, ne auertatur, quæso humilis factus confusus, quia pauperes, & inopes sunt, qui laudant nomen tuum, Psalm. 73. num. 21. vt quid auertis contra istos manum tuam, & dexteram tuam, Psalm. 73.

Dicat Petrus, qui non erat diues, sed humilis, & pauper; dicant cæteri Apostoli, & electi Dei, veniat Paul. & dicat, quæ poterunt illum separare à charitate Christi, an nuditas? an fames? an persecutio? an gladius? &c. hæc omnia ipsis euenerunt, passi sunt, neque à charitate Christi illos separare potuerunt. Vt quid ergo Domine in opportunitatibus despicis? Audi Dominum Ananiæ dicentem, vas est electionis mihi; & quomodo vas? audi, quia pro nomine meo oportet eum multa pati. Vt quid despicis in opportunitatibus, & videris à lege recessisse? audi Psalmistam nomine Dei, & ex ore eius, rationem reddentem; Quia dum superbit impius, incenditur pauper; sed in quo incenditur, nisi in dilectione Dei Iesu Christi?

Milites fortes Dei vicerunt Regna, adipiscuntur promissiones, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati: incenditur pauper Christi. Superbi autem comprehenduntur in consilijs, quibus cogitant. Visi sunt oculis insipientium mori, sed isti pauperes sunt in pace; mors autem superbos depascit in inferno. Virga tua, & baculus tuus ipsa me consolata sunt, parasti in conspectu meo mensam aduersus eos, qui tribulant me, Psalm. 22. num. 4. & 5. August. hic despicis in opportunitatibus, in tribulationes, idest opportunè despicis; & facis tribulationes ad inflammandas animas desiderio aduentus tui; his enim iucundior est fons ille vitæ, qui multum sitierint.

Dum

Dum superbit impius incenditur mirũ pauper, inquit, est & verum, quanto studiò bonę spei paruuli accendantur ad rectè viuendum comparatione peccantium. Quo mysterio agitur: vt etiam hæreses esse permittantur, non quia hæretici hoc velint, sed quia hoc de peccatis eorum Diuina operatur prouidentia, quæ lucem, & facit, & ordinat, tenebras autem tantum permittit, vt sit earum contemplatione lux gratior, sicuti hæreticorum contemplatione iucundior est inuentio veritatis, hæc August. Greg. 20. Moral. dùm iusti sæuiunt, multi purgantur, etiam vtilitate innocentium, militat ipsa vita prauorum. Vsquequo Domine peccatores gloriabuntur? donec fodiatur ipsi peccatori fouea, d. Psalm. 93. nu. 3. & 12.

Comprehenduntur in consilijs, quibus cogitant, August. Malæ cogitationes eorum, illis vincula fiunt; quia laudatur peccator in desiderijs animæ suæ, ad Rom. cap. 1. num. 24. & 25. Propter quod Deus tradidit illos in desideria cordis eorum, in immunditiam, vt contumelijs afficiant corpora sua, in semetipsis, Prouerb. 15. num. 26. Abominatio Domini cogitationes malæ; consilia enim illorum sunt mala, Prouerb. 21. num. 10. Anima impij desiderat malum, non miseretur proximo suo, propterea comprehenduntur in consilijs, quibus cogitant, & illorum malignantium consilium Dominus dissipat, Iob 5. 12. & ponit humiles in sublime, Psal. 93. in fine. Et reddet illis, iniquitatem ipsorum, & in malitia eorum disperdet eos. Disperdet illos Dominus Deus noster, & Psalm. 36. num. 9. malignantes enim exterminabuntur & Psalm. 82. num. 4. malignauerunt consilium super populum tuum, & cogitauerunt aduersus Sanctos tuos, disperierunt, & facti sunt sicut stercus terræ, computruerunt more sterquilinij, malos malè perdes, Matth. 21. num. 41. & Eccles. cap. 27. num. 50. facienti nequissimum consilium super ipsum dissoluetur, & non agnoscet, vndè veniat illud.

Comprehendentur ergo in consilijs, quibus cogitant, quoniam laudatur peccator in desiderijs animæ suæ, & iniquus benedicitur, ab adulatoribus enim peccator laudatur, & iniquus benedicitur, quo fit vt confirmati in iniquitate, & peccatis comprehendantur à Diabolo in consilijs, & iniquitatibus permanentes, August. Adulantium linguæ alligant animas in peccatis, in quibus delectantur ea facere, quia in illis nec metuitur. Reprehensor, sed immo laudator, auditur. Et qui iniqua gerit, benedicitur; magna Dei ira, cum desit correctio, & sit adulatio, Prouerb. 24. num. 24. Qui dicunt impio iustus es, maledicent eis populi, & detestabuntur eos tribus, Isai. 26. num. 10. misereamur impio, & non discet iustitiam, in terra Sanctorum iniqua gessit, & non videbit gloriam Dei, & Paul. indignatus contra istos ad Rom. 2. num. 8. ijs autem, qui sunt ex contentione, & qui non acquiescunt veritati, ira, & indignatio, Prouerb. 29. num. 5. homo, qui blandis, fictisq. sermonibus loquitur amico suo, rete expandit gressibus eius, Hieron. hic.

Peccator ab adulatoribus laudatur, & non à iustis: tunc quando peccator peccatorem laudat, alius alium, dum se inuicem laudant occidunt. Et ignorauit, quod ibi sint gigantes, & in profundis inferni conuiuæ eius, dicit Salomon Prouerb. 9. num. 18. Isti enim adulatores, & simulatores cum multis ipsorum sermonibus irretiunt pauperes peccatores, & cum blanditijs pertrahunt illos, ignorantes, sicquè ad vincula trahuntur ambo facientes, quæ dicuntur in Prouerb. 12. num. 12. & sequentibus, Isai. verò cap. 32. num. 6. stultus fatua loquetur, & cor eius faciet iniquitatem, vt perficiat simulationem, & loquatur ad Dominum fraudolenter, & vacum faciat animam esurientis, & potum sitienti auferat; decipit enim simulator

amicum

amicum ore suo, Prouerb. 11. num. 9. sed quid eis eueniet? audi Iob cap. 36. nu. 36. simulantes, & calidi prouocant iram Dei, atque clamabunt, cum vincti fuerint, morietur in tempestate anima eorum, pauperem verò Dominus eripiet de angustia sua, & reuelabit in tribulatione aurem eius, ibidem num. 15. In corruptione sua peribunt percipientes mercedem iniustitiæ, pellicientes animas, 2. Petr. cap. 2. num. 12. & sequentibus, Ierem. cap. 18. num. 23. fiant corruentes in conspectu tuo, in tempore furoris tui abutere eis, & Ecclesi. d. cap. 27. num. 28. Qui in altum mittet lapidem, super caput eius cadet, quique foueam fodit, incidet in eam, & qui statuet lapidem proximo, offendet in eo, & qui laqueum alij ponet, peribit in illo, ibidem num. 29. Propterea sequitur Psalmista, continuans contra istos iram Dei.

Exacerbauit Dominum peccator, secundum multitudinem iræ suæ non quæret, Non statim Deus peccatorem punit, & castigat, neque corripit, expectat enim secundum multitudinem misericordiæ suæ, si conuertatur, vt viuat. Non tamen, ò peccator in tua iniustitia, quia non sis statim punitus, confidere velis, multum enim irascitur Deus, dum non exquirit, eum quasi obliuiscitur, & non attendit peccata, Augustin. & dimisit eos in manibus, & in iniquitatibus suis, Iob 8. num. 4. Psal. 50. num. 13. & dimisi eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in adinuentionibus suis, quæ enim maior pœna priuatione Dei?

Non est, inquit, Deus in conspectu eius, inquinatæ sunt viæ eius in omni tempore: idest cogitationes eius, & consilia eius immunda sunt; si enim oculorum corporalium cæcitas, magnum putamus malum, quia lux ista retrahitur, quantò magis pœnam patitur qui secundis rebus peccatorum suorum, eò perducitur, vt non sit Deus in conspectu eius? August. secundum ergo multitudinem iræ suæ non quæret, non enim infliguntur ei pœnæ debitæ, non tamen remissæ, nec condonatæ; dilationem pœnæ grauitate compensat, Glos. hic dicit, Multum Deus est iratus, dum per fraudes, & scelera ad diuitias, & honores peruenire sinit; magna est enim ira Dei, quando peccantem non corripit, sed vagam iam licentiam in peccatis permittit, d. Psalm. 80. num. 4. & Greg. in homil. 12. super Ezech. Necesse est, vt peccantes quoque consideremus, tunc ampliùs miseros, quando conspicimus in culpa sine flagello derelictos.

Secundum ergo multitudinem iræ suæ non quæret, quia non est dignus, vt quæratur, sed vt puniatur, hæc Hieron. hic. Quia non est Deus in conspectu eius, inquinatæ sunt viæ eius in omni tempore in oppressione pauperum, in insidijs contra proximos, & in reliquis peccatis contra pauperem, & iustum, non est Deus in conspectu eius, idest peccatoris, Psalm. 85. num. 14. Domine iniqui insurrexerunt super me, & Synagoga potentium, quæsierunt animam meam, & non proposuerunt Deum in conspectu suo, Psalm. 53. num. 5. omnes enim viæ illorum sunt tenebræ, & lubricum, Psalm. 34. nu. 6. quia omnia commixta sunt, sanguis, homicidium, inordinatio, mœchiæ, & impudicitiæ, Dei immemoratio, & alia quæ in cap. 14. num. 25. in Sap. narrantur. Contritio, & infœlicitas in vijs eorum, & viam pacis non cognouerunt, Psalm. 13. num. 3. quia via Domini est scandalum ipsis, & posteà in ore suo complacebant. Sed quid illis euenit? sicut oues in inferno positi sunt, mors depascet eos, & vias peccatorum disperdet, Psalm 145. num. 9. non enim dormiunt, nisi malefecerint dicit Salomon Prouerb. 4. num. 16. & rapitur somnus ab eis, nisi supplantauerint; comedunt panem impietatis, & vinum iniquitatis bibunt, & nu. 19. quia via impiorum tenebrosa, nesciunt vbi corruant.

Non

Non ergo mirum, si in omni tempore viæ eorum inquinatæ sunt, cum sint in tenebris, & sine lumine; non enim est Deus in conspectu eorum, ideò omnes viæ illorum tenebræ, d. Psalm. 53. laus impiorum breuis est, & gaudium hypocritæ ad instar puncti, si ascenderit vsque ad Cælum superbia eius, & caput eius nubes tetigerit, quasi sterquilinium in fine perdetur. Luet quæ fecit omnia, nec tamen consũmetur, deuorabit eum ignis, qui non succenditur, reuelabunt Cæli iniquitatem eius, & terra consurget aduersus eum, hæc est pars hominis impij, Iob cap. 20. per totum.

Auferentur iudicia tua à facie eius, omnium inimicorum suorum dominabitur. Non erit in illo timor Domini; nam in sua iniquitate, & superbia erit taliter ebrius, & infixus, quòd nec repræsentabuntur ante faciem eius iudicia Domini contra iniquos; idest iustitiæ illius contra iniqua agentes: Deus vltionum est Dominus, qui reddit retributionem superbis, Psalm. 93. num. 2. iustum, & impium iudicabit Dominus, Ecclesi. 33. num. 17.

Omnium inimicorum suorum dominabitur, August. & cæteri omnes de Antichristo hæc intelligenda affirmant, vt patet rationibus per illos allegatis. Nos autem cogitabamus, inimicos peccatoris, eadem esse peccata à quibus ille quamuis illa aliquando deserere videatur, non tamen cessat, nec ea derelinquit, dominatur propterea illis; dum dominium voluntatis suæ in hoc potissimum exercet, vt admittat peccata, quæ re vera inimici sunt animæ ipsa admittentis, cui & ipsa potius dominantur. Idemmet peccator credit in Deum, & nihilominus negat Deum; non est Deus in conspectu eius, Sap. 2. per totum, & num. 22. Nescierunt Sacramenta Dei, neque sperauerunt mercedem iustitiæ, nec iudicauerunt honorem animarum sanctarum, dixit enim in corde suo, non est Deus, Psalm. 13. num. 1.

Diabolus confitetur Deum, & contremiscit, peccator negat Deum, & opera facit, ac si non esset Deus, & ideò corrupti, & abominabiles facti sunt, d. Psalm. 13. Caro infirma quiescit; cor prauum non assentit? quia de corde exeunt cogitationes malæ, adulteria, homicidia, &c. Matth. 15. num. 19. Caro inimica hominis quiescit aliquãdo vel ob infirmitatem, vel ob debilitatem, viriumq. defectum, vel ob humanum aliquem respectum, & nihilominus peccator dominatur illius, exercet dominium in illam, dum non cessat, nec quiescit, omnium inimicorum suorum dominabitur impius, qui nouum genus peccati adijcit peccato, hoc est vt consummatus in peccatis cogat seipsum voluntate sua, ad illa perpetranda animo, & corde, cum vires deficiant.

Auferunur iudiciat tua à facie illius. Qui factus est tanquam mulus, & equus, quibus non est intellectus, Psalm. 31. num. 9. & facti sunt imitatores Diaboli, quia sunt ex parte illius, Sap. d. cap. 2. num. 25. propterea tanquam imitatores aliud perditionis genus exquirunt, quod non inuenit Diabolus: si enim illum, sciuisset Iesum Christum fuisse filium Dei, nec Iudæi illum occidissent, nec illo in cor Iudæ traditionem posuisset; secus facit peccator obstinatus, & iniquus, qui operibus suis negans Deum, & maximè hæreticus nil aliud dicit in corde suo: non mouebor à generatione in generationem sine malo, nam factis, & dictis, & etiam scriptis suis iniquis occidit omnes exempla eius sequentes, & scriptas suas hæreses legentes, & credentes: permanent scripta iniquorum apud infideles, & sic à generatione in generationem fiunt iniquiores & impij; quò circa benè dixit se non moueri à generatione in generationem sine malo, cum omnes illum sequentes; in laqueum cadentes in-

infer-

infernum inferiorem, perpetuò ibidem permansuri condemnati reperiantur, Cassiodorus hic, quod illi augent interitum, vt cum vitijs seruiant, omnium inimicorum suorum, dicitur obtinere principatum.

Auferuntur iudicia tua à facie eius, omnium inimicorum suorum dominabitur. Non recta est anima eius in ipso, ideò auferentur iudicia tua, idest iustitiæ tuæ à facie eius; dilatauit enim quasi infernus animam suam, & ipse quasi mors, quæ non impletur, Abac. 2. num.4. & 5. Propterea omnium inimicorum suorum dominabitur; superbus enim iniquè agit vsquequaque, Psalm. 118. num. 51. & nihilominus confundetur, ibidem 78. & erit despectio illis, Psalm. 122. num.4. & supra modum infœlices animæ superbi, Sap. 15. num. 14. Malach. 4. num. 1. & erunt superbi, & omnes facientes impietatem stipula: ecce ego, dicit Dominus Deus exercituum, ad te superbe, quia veniet dies tuus, tempus visitationis tuæ, & cadet superbus, & corruet, & non erit, qui suscitet eum, Ierem. cap. 51. num. 31. Auferuntur ergo iudicia tua à facie eius, quia apostatauit à Deo, propter superbiam suam: cor enim eius recessit ab eo, qui fecit illum, initium enim omnis peccati est superbia, Ecclesi. 10. qui tenebit illam adimplebitur maledictione, & subuertet eum in finem, d. cap. 10. num. 15.

Audi apostate à Deo; & ab illo derelicte insane, & sine iudicio quid prætendis? quid superbis? cinis durum erit tibi contra stimulum calcitrare; vas terræ contra figulum te erigere præsumis? Audi Gregorium in Registro: Districtionem diuini iudicij non vales exhorrescere, non istam amaram sententiam, cum illam nullis fletibus euadas? quid dicis? omnium inimicorum dominabitur, qui sunt inimici tui ò superbe, ò incredule, atque infidelis? pauper, & humilis est tuus contrarius, Ecclesi. 13. num. 24. abominatio est superbo humilitas, & execratio diuitis pauper, contra enim superbiam tuam obmutescet, & humiliabitur. Psalm. 38. num. 3. quamuis à te contristatus, Psalm. 34. num. 24. humiliabit animam suam, num. 16. tu verò à Deo superbe sicut vulneratus humiliaberis, Psalm. 88. num. 16. arrogantiam enim fortium humiliat Deus, Isai. 13. nu. 11. atque sublimium; Isai. d. cap. 10. num. 33. & substantia illius eradicabitur, Eccles. 21. nu. 24. quasi romphæa bis acuta omnis iniquitas, plagæ illius non est sanitas, & num. 5. Audi Malach. cap. 4. nu. 1. Ecce enim dies veniet succensa, quasi caminus, & erunt omnes superbi, & omnes facientes iniquitatem, seù impietatem stipula, & inflammabit eos dies veniens, dicit Dominus, qui non relinquet eis radicem, seù germen.

Omnium ergo inimicorum suorum dominabitur, non enim superbis illis contradicet humilis, seù pauper, & timens Deum, quandoquidem non potentiæ, & tirannidi eorum poterit obstare. Dominabuntur omnium suorum inimicorum superbi, sed lassati erunt in via iniquitatis, & perditionis, quia viam Domini non cognouerunt, quid ergo profuit vobis superbia? transibunt omnia illa tanquam vmbra, d. cap. 5. num. 9. in malignitate vestra consumpti estis; quoniam spes impij tanquam lanugo est, ibidem num. 25.

Quid dicit superbus in corde suo, non mouebor à generatione in generationem sine malo? In corde quæ mala facienda proponis, etiam ore tuo mendaci proferas, & opere comples, quia sedes in insidijs, vt interficias innocentem cum ore tuo, quod maledictione plenum est, effundis; superbis enim contra amouere te tractantem à superbia tua, dicens, quia non moueberis sine malo, à generatione in generationem, quasi qui timorem incutere velis contra te monentem Deus, qui in nihilum

te

te reducere potest: non mouebor, inquis à generatione sine malo; anima enim impij desiderat malum, non miserebitur proximo suo, Prouerb. 21. num. 10. audi Isai. ex ore Dei loquentem, cap. 65. num. 11. & vos quidem reliquistis Dominum, qui obliti estis nomen sanctum meum, qui ponitis fortunæ mensam, & libatis super eam: numerabo vos in gladio, & omnes in cæde corruetis. Vinum quando flauescit, & splendet in vitro; colorem eius intueris superbe? & nescis, quòd in nouissimo mordebit, vt coluber, & sicut regulus venena diffundit, Prouerb. 23. nu. 32.

Videtur superbia tua quòd splendeat, in vitro, & in fine mordet, cum frangitur vitrum, August. de Ciuit. Dei. 4. Hominum fœlicitas vitreæ lætitiæ comparetur, nàm timetur horribilius, ne repentè frangatur, & idem de Verb. Domini, Serm. 29. quid strepis ò munde, immunde teneri vis periens, quid faceres, si maneres? vsque ad quem finem verba iactabis? intellige prius, & sic loquaris, nonnè lux tua extinguetur ò impie? Iob 18. num. 1. & 5.

Maledictione, & amaritudine os tuum plenum est, & dolo: Memoriam tui relinquere à generatione in generationem cupis? forsan delictorum tuorum non memorabitur Altissimus? & non intelligis, quia omnia videt oculus eius, & oculi Domini lucidiores sunt super Solem, circumspicientes omnes vias hominum, & profundum abyssi; & hominum corda intuentes in absconditas partes. Domino enim Deo, antequam crearentur omnia sunt agnita, sic & post perfectum respicit omnia, Ecclesi. 23. num. 18. & 19. Derelinques in maledictione memoriam tuam impiè? & dedecus tuum non delebitur, ibidem num. 36. & sic motio tua erit in perpetua infamia, & hoc erit malum, quod à generatione in generationem facies, memoria tua damnata, gloriam tuam in ignominiam tuam mutabit Deus, Ose. 4. num. 7. omnia quæ de terra sunt, in terram conuertentur, sic impij à maledicto in perditionem, Ecclesi. 41. num. 13. & nomen illorum delebitur, num. 14. ibidem, de corde tuo malo homicidia, detractiones, adulteria, &c. nimirum si eius maledictione os plenum sit, quia os ex abundantia cordis loquitur, Luc. 6. num. 45. abundat enim cor tuum in maledictis amaritudine, & dolo; At sub lingua tua labor, & dolor; laboras enim, vt innocentem decipias, blandis verbis ideò sub lingua, quia proferenda ex corde proponis maledicta, abscondis, donec decipias; non trahis illos apud te, quia quos Deus elegit, nemo de manu sua illos tollere potest, laboras in vanum, quia quamuis terrena auferas, frustrà circa anima illorum inniteris; sub lingua tua abscondita est malitia tua, vt humiles, & pauperes, & veros electos, & Deo acceptabiles destruas, & disperdas.

Iustorum tamen animæ in manu Dei sunt, & non tangent illos tormentum mortis, etsi propter te ò superbe? & coram hominibus tormenta passi sint, spes illorum immortalitate plena est, in paucis vexati, in multis disponentur benè, Sap. d. cap. 3. num. 1. & sequentibus, & tu inique lassatus es in via iniquitatis, & perditionis, & vias difficiles ambulas; quid tibi proderit bonorum iactantia, & superbia? Sap. d. cap. 5. nu. 8. semper in malignitate consummandus; ibidem nu. 13. sub ergo lingua tua labor, & dolor, quia os vestrum maledictione plenum est, amaritudine, & dolore, Iob cap. 9. num. 18. non concedit requiescere spiritum tuum, & implet amaritudinibus: generatio talium pessima: quæ pro dentibus gladium habet, & commandat molaribus suis, vt comedat, inopes de terra, & pauperes ex hominibus, Prouerb. 30. num. 14. sub lingua eius labor, & dolor, Iob 20. num. 12. cum enim dulce fuerit in ore eius malum, abscondit illum sub lingua sua, parcet illi, &

non

non derelinquet illud, & celabit in gutture suo, idest intrà cor conseruabit malum, & à se non eijciet, Ierem. 9. num. 8. sagitta vulnerans lingua eorum dolum locuta est, in ore suo pacem cum amico suo loquitur, & occultè ponit ei insidias. Sub lingua eius labor, & dolor, August. hic: Nihil laboriosius iniquitate, & impietate, quem laborem sequitur dolor, quia non solum sine fructu, sed ad perniciem laboratur.

Audi quæso ordinem iniqui, prius enim cogitat in corde suo, dixit enim in corde suo, vt suprà: secundo loquitur, quæ ex eo proueniunt, cuius os maledictione plenum est, & amaritudine, & dolo, &c. nunc verò.

Sedet in insidijs; iàm perfectum est maleficium, quia sedet, quamuis in occultis, quia etiam sub lingua loquebatur, quæ contraria sentiebat contra proximum suum, in corde suo, vt illum deciperet, Eccles. 11. num. 31. sicut enim eructant præcordia fætentium, & sicut perdix inducitur ad caueam, & sicut capra in laqueum, sic & superborum cor, & sicut prospector videns casum proximi sui, bona enim in mala conuertens, insidiatur vt in electis imponat maculam, homo peccator sanguini insidiatur, ibidem num. 34. Iàm ergo perfectum est consilium, quia sedet in insidijs, & cum diuitibus vt interficiat innocentem; non sedet cum pauperibus, quia ipsi cum obsecrationibus loquuntur, sed cum diuitibus, qui rigidè effantur, Prouerb. 18. num. 23. Pauper enim ambulat recto tramite, seù itinere, propterea despicitur ab impio, & à superbo, qui infami graditur via, propterea etiam proximo suo pauper odiosus videtur, amici verò diuitum multi, Prouerb. 14. num. 2. & 20. ideò sedet cum diuitibus, quia & ipsi pauperibus imperant, Prouerb. 22. num. 7. iniustè agit diues, & fremet, pauper autem læsus, & tacebit, idcircò dicitur quòd pascua diuitum sunt pauperes: & sicut abominatio est superbo humilitas, sic & execratio diuitis pauper.

Augustinus in occultis sedet, inquit, nàm astutus considerat gressus suos, sciens, quia regulariter innocens credit omni verbo, Prouerb. 14. num. 15. & cum iniqui os sit omni maledictione plenum, & dolo, profert ille maledicta, & in occulto stat considerans, si potest facere illum similem sibi, & ex innocente nocentem; quocircà inquit.

Oculi eius in pauperem respiciunt, quia contrarius est pauper; & humilis operibus superbi, Sap. 2. num. 12. & contrà eundem superbum, & iniquum stat spiritus virtutis, Sap. 5. num. 24. Sed quare oculi eius semper in pauperem respiciunt? ratio mihi videtur, quia cum os impiorum redundat malis, & ideò longè est Dominus, ab impijs, Prouerb. dicto cap. 15. nu. 28. & 29. humiles verò coram Deo gratiam inueniunt, & ab illis Deus honoratur, & ab hominibus etiam diligitur. Vndè Eccles. cap. 3. nu. 19. & sequen. Fili in mansuetudine opera tua perfice, & super hominum gloriam diligeris, & num. 21. quoniam magna potentia Dei solius, ideò quantò magnus es humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam; cùm ergo superbi, & iniqui sint imitatores Diaboli, & ex illius parte, inuidia enim Diaboli mors introiuit in orbem terrarum, tales propter inuidiam molesti sunt hominibus, & pauperibus, Sap. 2. num. 25. propterea insidiatur in abscondito, quasi leo in spelunca sua, & oculi eius in pauperem respiciunt, vt rapiat eundem pauperem, dum verba sub lingua proferens, quærit si attrahere possit illum, ne maior sit humilis illo; sed quod timet impius, veniet super eum, desiderium suum iustis dabitur, Prouerb. 10. num. 24.

O pauperes, & humiles timentes Deum, resistite fortes tribulationibus, & viriliter agite, & confortetur cor vestrum, omnes, qui speratis in Domino, Psalm. 30. num. 25. vexationibus impiorum, cum enim disciplinam vobis dat Deus, inimicos vestros multipliciter flagellat, vt bonitatem Dei iudicantes cogitetis, & cum de vobis iudicatur speretis misericordiam suam, Sap. 12. nu. 22. estote firmi in via Domini, Ecclesi. 5. nu. 12. porrò saluum faciet egenum à gladio linguæ eorum, seù oris eorum, & de manu violenti pauperem, Iob cap. 5. num. 15.

Insidiatur vt rapiat pauperem, sicut leo in spelunca, rapere pauperem dùm attrahit eum: similia habemus, Prouerb. 7. num. 21. irretiuit eum multis sermonibus, & blanditijs labiorum protraxit eum; loquitur enim de muliere ornata, ad capiendas animas, garrula, & vaga, &c. nunc iuxtà angulos insidians, & procaci vultu blanditur, dùm ergo attrahit rapere eum vult, attrahit ergo vel verbis blandis, & sermonibus fictis, & rete expandit gressibus suis, vt postmodum rapiat, Prouerbior. 29. num. 5. vel etiam violentia, & tormentis, Augustin. hic. Attrahit enim significat, quibus potest cruciatibus affligendo ad se adducit, & Dominus erit refugium pauperi, Chrysost. in imperfecto homil. 46. sicut malus homo si viderit aliquem orphanum substantiam habere, ducit eum frequenter ad prandium, donat illi interdum aliquod speciosum, vel vestimentum, donec tollat eius facultates, sic Diabolus videns aliquem habere cælestem thesaurum, idest animam immortalem à Deo creatam, sapientiam cælestem in arca terrena positam, ostendit illi aurum, & argentum, & concupiscibilia ornamenta, vestes pretiosas, & deliciosos cibos, & gloriosos honores, vt per hoc subiuget, & voluptatibus suis auferat salutem animæ eius, & corrumpat gratiam cordis eius, hæc Chrysost. Ità etiam fecit Diabolus tentans Christum, dicens, hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me; ostenderat enim illi omnia regna mundi, Matth. cap. 4. nu. 8. Dominum Deum tuum adorabis, & illi seruies, responsum fuit, & ità abijt Diabolus.

Insidiatur in abscondito, quasi leo in spelunca sua. Nota, quia dicit, quasi leo in spelunca sua; stat enim Diabolus considerans opera tua, stat quasi leo in spelunca sua, quia non trahit, nisi volentem, proponit delectamenta vt alliciat, & ità allectos attrahat ad se, in speluncam suam: non enim te rapiet, si non volueris, iàm enim ligatus est, stat in spelunca sua, ne accedas ad illum, si attrahi ab illo non desideras, rapit tantùm, quando accedes ad illum, se attrahit, vt rapiat, iàm eiectus est foras, Ioan. cap. 12. num. 31.

Insidiatur vt rapiat innocentem pauperem, & humilem, non tamen superbum, in peccatis totum immersum, & obstinatum, nàm cum istis sedet in insidijs, ipsi enim sunt illius ministri: quærit pauperem, & innocentem, & vt rapiat, allicit, vt destruat, perdat, atque mactet, sed stat in spelunca sua iàm iudicatus est, Ioan. 14. num. 11. ideò in spelunca sua, quia in iustum non habet quidquam, Ioan. 12. num. 30.

Propterea ipse Diabolus sedet in insidijs, si fortè ex falsis suggestionibus, tentationibusq. illum possit à via recta declinare, vt ipse propinquantes raperet, si secus speluncam leonis, illi iustus accedendo consentiat, tùnc attrahit, vt rapiat, quoniam tentationibus consensum præstat, & delectationibus, tunc inclinat se Diabolus, donec pauperum fuerit dominatus ex illorum consensu, & voluntate; inclinat enim se quasi absconditus, ne videatur eius superbia; & iniquitas cognoscatur.

Laqueo

Laqueo tamen ſuo paratus vt apprehendat pauperem, & innocentem, mente ſaltem illi appropinquant, vt in laqueo quem abſcondit, & in retiaculo apprehenſum rapiat, & non ſit, qui illum eripiat, ad hoc enim inclinat ſe Diabolus, ſeù ſuperbus, & Chriſti inimicus, vt poſtquam, ſe quodammodo humilem ipſi innocenti exhibuerit, illum facilius rapiat; ſic enim leo, qui prædam inuaſurus eſt, ſe incuruat, & inclinat, vt decipiat, & rapiat: captus pauper in laqueo fit illi obediens, ſe humiliat Diabolo, propterea dixit.

In laqueo ſuo humiliauit eum, & ipſe pauper cadet, quia tunc Diabolus pauperis dominatur.

Vel ſi de raptoribus ſubſtantiarum pauperum, intelligere velimus, ad vtrunque enim porrigitur verſiculus; Diues raptor pauperem opprimit, ſubſtantiam illius rapit dolo, & fraude, iſti enim ſunt laquei iſtorum raptorum, vel etiam violentia; humiliatur magis pauper, & gratias Deo agit; Raptor verò inclinat ſe, quia deficiet, & poſtquam pauperum dominatus fuerit, in infernum cadet, neque aſſumet ſecum ſubſtantiam pauperis, ſed pœnam pro ea, & æternam: Pſalm. 142. nu. 3. quia perſequutus inimicus animam meam, humiliauit in terra vitam meam, collocauit me in obſcuris, ſicut mortuos ſæculi; quando enim pauperem opprimit, inſidiatur vt rapiat, non conſiderat Deum iuſtum iudicem.

Sed in corde ſuo dixit, oblitus eſt Deus, ne videat facta impiorum obliuioni datus ſum tanquam mortuos à corde, *Pſalm.* 30. num. 13. Auguſt. hæc eſt inclinatio, & caſus miſerrimus, dum animus humanus in ſuis iniquitatibus quaſi proſperatur, & parci ſibi putat, cum tamen excęcetur, & ſeruetur ad vltimam opportunamq. vindictam, hæc Auguſt.

In malignitate autem illorum conſummentur. Spes enim impij, tanquam lanugo, quæ à vento tollitur, & tanquam ſpuma grauilis, quæ à procella diſpergitur, Sap. 5. num. 15. confiſus in mendacio peccator obliuiſcitur Dei noſtri; væ tibi impie, quia non mundaberis poſt Chriſtum, vſquequo adhùc? ſi talis eris, Ierem. 13. num. 27. quid dicis? oblitus eſt Deus, quid enim nouit Deus? recedat à nobis, & quaſi æſtimans, eum nihil poſſe facere, cum ſit omnipotens, Iob 22. n. 17. quid enim nouit Deus? tu dicis, nubes latibulum eius, nec noſtra conſiderat, ibidem num. 13. Videbunt iuſti, & lætabuntur, & innocens ſubſannabit eos, erectio eorum ſucciſa eſt, & reliquias eorum deuorauit ignis, Iob ibidem, nu. 20. & Eccleſ. 16. nu. 16. Non dicas, à Deo abſcondar, & ex ſummo quis mei memorabitur? minoratus es corde, ideò inania cogitas, & tanquam imprudens ſtulta cogitas, Ezech. dicto cap. 26. nu. 23. omne enim cor intelligitur ab illo, nu. 20. ibidem. Dicis, auertit Deus faciem ſuam, ne videat in finem peccata, & quid mihi accidit triſte? qui plantauit aurem, non audiet, aut qui finxit oculos non conſiderat? Pſalm. 93. num. 9.

Patiens redditor Altiſſimus, non adijcias peccatum ſuper peccatum; miſeratio Domini magna eſt, multitudinis peccatorum meorum miſerebitur Dominus; miſericordia enim, & ira ab illo citò proximant, & in peccatores reſpicit ira illius, Eccleſ. 5. nu. 7. nihil proderunt theſauri impietatis, nàm inſidias impiorum ſubuertet, Prouerb. 5. nu. 3. ſed quid amplius? miſereamur impio, & non diſcet iuſtitiam, in terra Sanctorum iniqua geſſit, & non videbit gloriam Dei, Iſai. 26. num. 10. propter quid irritauit Deum impius? Dominus ſcit cogitationes hominum, d. Pſal. 93. ò ſtulti, num. 8. & num. 11. Domini eſt terra, & plenitudo eius, orbis terrarum, & vniuerſi, qui habitant in eo, Pſalm. 23. num. 1.

Exurge Domine Deus, exaltetur manus tua, ne obliuiſcaris pauperis. Immitte timorem tuum ſuper iſtos iniquos, qui non exquirunt te, vt cognoſcant, quia non eſt Deus, niſi tu, & enarrent mirabilia tua, ſolus ſtabiliens terram, & nullus cum illo, Iſai. 44. num. 24. alleua manum tuam ſuper illos, vt videant potentiam tuam, Eccleſ. 36. num. 2. & 3. exaltetur manus tua ſuper iſtos hoſtes tuos, & omnes inimici tui interibunt, Mich. 5. nu. 9. exaltetur manus tua Domine, & non videant, videant, & confundantur zelantes populi, & ignis hoſtes tuos deuoret, Iſai. 26. num. 11. Vir enim iſte iniquus, & vanus in ſuperbiam erectus tanquam pullum Onagri, ſe liberum putat, & tu Domine vanitatem eius agnoſcis, & conſideras, Iob 11. num. 11. & 12. exalta manum tuam ſuper illum, vt cognoſcat, quia puluis eſt, & miſerijs plenus, Iob 14. nu. 1. iàm inueteratorum malorum eſt iſte, ne expectes amplius Domine, vt videas, ſi conuertatur.

Exurge Domine, magnificetur manus tua, vt cognoſcat, quia tu es Deus ſolus, & non eſt alius extrà te, & non eſt Saluator præter te, Oſe. 13. num. 5. tu enim ſcis Domine cogitationes eius, & opera, quia mala ſunt, iàm in profundum peccatorum venit impius iſte, ideò contemnit, & eum ſequitur ignominia, Prouerb. 18. num. 3. & opprobrium.

Exurge Domine Deus, exaltetur manus tua, ne obliuiſcaris pauperum. Veni Domine ad iudicandum, & tua potentia contere brachium peccatoris, opprimentis pauperem; ne obliuiſcaris Domine pauperum, ne patiaris amplius illos pati tribulationes terræ. Eccleſia enim ità clamat, dicens, dereliquit me Dominus, & Dominus oblitus eſt mei, Iſai. 14. num. 12. ſed confortare, quia Dominus non obliuiſcitur tui, & iudicabit in iuſtitia pauperes, & arguet in æquitate pro manſuetis terræ, & ſpiritu labiorum ſuorum interficiet impium, Iſai. 11. num. 4. iudicabit pauperes populi, & ſaluos faciet filios pauperum, & humiliabit calumniatorem. Liberabit pauperem à potente, & pauperem, cui non erat adiutor, Pſalm. 71. nu. 4. & 12. & ſequen. ſed.

Propter quid irritauit Deum impius? dixit in corde ſuo, Deus non requiret; ſed propter quid? ſi vt vi tollas rem pauperis, cæcus factus es, & ſurdus, vt non audias præceptum Dei, non enim illam, cum morieris, tecum aſſumes, cades tu, & in infernum, cum pauperum dominari credideris: ſi vt pauperis perſonam ſubijcias tibi, & illam mactes: mortuus cum fueris, & ipſe pauper tui Dominus erit, & tu in flammis cruciaberis, ſicut de diuite Epulone legimus, Sap. c. 5. nu. 17. accipient iuſti regnum decoris, & diadema ſpeciei de manu Domini, quoniam dextera ſua teget eos, & brachio ſancto ſuo defendet illos; & vice verſa contra inſenſatos, & iniquos, acuet duram iram in lanceam, & num. 24. contra illos ſtabit ſpiritus virtutis, &c. & in fine, & malignitas euertet ſedes potentium. Vt quid ergo impij irritatis Dominum? qui in malignitate veſtra conſummemini, ibidem nu. 13. & abire vultis in malignitate, & voluntatibus, & prauitate cordis veſtri mali, Ierem. 11. num. 8. dicis in corde tuo, Deus non requiret, confidis in verbo mendacij? audi Dominum per Ierem. 7. num. 11. ego, ego ſum, ego vidi, dicit Dominus, & quæ ſequuntur, & Ierem. cap. 13. num. 9. ſic putreſcere faciam ſuperbiam Iuda, &c. & in d. cap. 11. nu. 11. Veritatem requiret Dominus, & retribuet abundanter facientibus ſuperbiam, Pſalm. 30. nu. 24. propterea inquit, Prouerb. 22. n. 22. non facies violentiam pauperi, quia pauper eſt, neque conteras egenum in porta, quia iudicabit Dominus, & configet eos, qui confixerunt animam eius.

Tibi

Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adiutor. Orphanorum, & pauperum Pater est Deus, Psalm.67. num.6. Ioan.14. num.18. non relinquam vos orphanos, hinc Prouerb.19. nu.17. fęneratur Domino, qui miseretur pauperis, & vicissitudinem suam reddet ei, & Isai. cap.25.nu.4. Dominus factus est fortitudo pauperi, fortitudo egeno in tribulatione: parasti in dulcedine tua Dominus pauperi, Psalm.67. nu.11. derelictus est tibi pauper, cui missus es euangelizare, Luc.4.nu.18. euangelizare pauperibus misit me, Isai.61.nu.1. vndè dicit, beati pauperes, quia vestrum est Regnum Cælorum, Luc.6.num.10. Psalm.71. nu.12. & 13. parcet pauperi, & inopi, & animas pauperum saluas faciet, liberabitq. illum à potente, & pauperem, cui non erat adiutor.

Pauper enim qui omnia huius mundi bona contemnit, propter Deum, in quo solo est spes eius, Psalm.13.nu.6. & Psalm.39.nu.5. & Psalm.77.nu.7. non sis tu mihi formidini, dicebat Ierem.17.nu.17.spes mea in die afflictionis, orphanus qui sine patre est, Augustin. Ille, cui moritur pater, hic mundus, per quem carnaliter genitus est, propterea Iesus Discipulis dixit, Matth. 23.nu.9. ne vobis dicatis patrem in terra, hinc dixit etiam Iesus, Matth. 12.num.28. quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei?

Contere brachium peccatoris, & maligni, quæretur peccatum illius, & non inuenietur. Tolle potentiam peccandi, & malignandi peccatori & maligno, & da illi contritionem, nàm illa contrita, & sublata, nec etiam peccatum illius inuenietur, Isai. 57. nu. 14. Viam facite, præbere iter, declinate de semita auferte offendicula de via populi mei, quia hæc dicit excelsus, & sublimis, habitans æternitatem, & sanctum nomen eius in excelso, & in sancto habitans; & cum contrito, & humili spiritu: vt viuificet spiritum humilium, & viuificet cor contritorum, Ezech.33. num.12. impietas impij non nocebit ei, in quacunque die conuersus fuerit ab impietate sua, vita viuet, & non morietur, ibidem num. 15. Da ergo contritionem impio, & peccatori, vt de peccatis suis doleat.

Contere brachium, idest potentiam eius, & voluntatem, & non inuenietur apud te amplius peccatum illius, quod per contritionem erit è memoria deletum.

Vel dicamus: Contere brachium peccatoris, & maligni, tua scilicet potentia, quia scilicet cum ipso peccatore, & maligno, neque etiam peccatum illius inuenietur, delebitur enim memoria illius, Sap. dicto cap. 17.nu.2. dum enim persuasum habent iniqui posse dominari nationi sanctæ vinculis tenebrarum, & longæ noctis compediti, inclusi sub tectis, fugitiui perpetuæ prouidentiæ iacuerunt: & dum putant se latere in peccatis obscuris, tenebroso obliuionis velamento dispersi sunt, pauentes horrendi, & cum admiratione nimia perturbati: & in fine; Ipsi verò sibi erunt grauiores tenebris. Ipsi ergo iniqui, & peccatores peribunt, & memoria illorum delebitur.

Dominus regnabit in æternum, & in sæculum sæculi. Vbi est Deus, ibi est pax, quæ cum impijs, & peccatoribus non stat, cum illis enim non est ordo, sed sempiternus horror inhabitat, nàm Deus Iesus Princeps Pacis est, Isai.9. nu. 6. & cap. 66. num.12. Ego declinabo super eam, quasi fluuium pacis.

Propterea gentes peribunt de terra illius, cum illis enim non est pax; quia malus semper iurgia quærit, Prouerb.17. num.11. in Cælo verò non sunt iurgia, sed pax sempiterna, Impij ergo peribunt, mansueti hæreditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis, Psalm. 36. n.11. Matth.5. n.4. Beati mites, quoniam ipsi

poſſidebunt terram, Iſai. 65. nu. 10. & hæreditabunt eam electi mei, & ſerui mei habitabunt ibi.

Deſiderium pauperum exaudiuit Dominus præparationem cordis eorum audiuit auris tua. Antequam clament, ego exaudiam, adhùc illis loquentibus ego audiam, Iſai. 65. num. 24. deſiderium animæ eius tribuiſti ei, & voluntati labiorum eius, non fraudaſti eum, Pſalm. 20. nu. 3. Auguſt. hic. Iam verò autem Dei, non membrum corporeum, ſed potentiam eius eſſe, qua exaudiuit, regulariter debemus accipere, atque ità quæcunque nominatis manibus eius, quæ in nobis viſibilia ſunt, & corporea, potentias operationum oportet intelligi, hæc Auguſt. Quæ eſt iſta cordis pauperis præparatio? Pſalm. 56. num. 8. paratum cor meum Deus, paratum cor meum, cantabo, & pſalmum dicam, gloriatur enim in tribulationibus, Auguſtin. in dicto Pſalm. 56. ille parauit foueam ad decipiendum, & ego cor non præparabo ad perpetiendum? ille parauit foueam ad opprimendum, & ego non præparabo cor ad tolerandum? proptereà ille incidet in eam, ego autem cantabo, & pſallam, ideò Apoſtolus ad Roman. 5. num. 2. gloriamur in tribulationibus, quia tribulatio patientiam, patientia probationem, probatio ſpem operatur, ſpes autem non confundit, quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris, per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis. Ideò præparationem pauperum exaudiuit Dominus, cum ipſis enim eſt in tribulatione, & eripiet eos; quia paratum cor meum Deus, paratum cor meum, cantabo, & pſallam in gloria mea, Pſal. 107. nu. 1. in infirmitatibus meis gloriabor, vt inhabitet in me virtus Chriſti.

Iudicare pupillo, & humili, vt non apponat vltrà magnificare ſe homo ſuper terram. Pupillus, qui ſine patre eſt, qui ſine peccato eſt, qui non habet Diabolum patrem, Ioan. 8. nu. 41. Vos facitis opera patris veſtri, & nu. 43. & 44. quare loquelam meam non cognoſcitis? quia non poteſtis audire ſermonem meum, quia vos ex patre Diabolo eſtis, & deſideria patris veſtri vultis facere.

Iudicet ergo Deus pupillo, ideſt ad fauorem pupilli, non iudicet pupillum; ideſt contra pupillum iudicat pupillo, quia ſi pupillus, ergo ſine patre Diabolo, ſine peccato, & humili; quia humiles ſpiritu ſaluat Deus, Pſalm. 33. num. 19. proptereà iudicat pupillo, & humili, non iudicat pupillum, & humilem, Iob 5. num. 1. ponit humiles in ſublime, & mœrentes erigit ſoſpitate: & Luc. 1. num. 52. Deus exaltat humiles, & Pſalm. 147. pupillum, & viduam ſuſcipiet, viam peccatorum diſperdet, Pſalm. 34. num. 1. iudica nocentes me, expugna impugnantes me, non dicit iudica nocenti, & ſic ad fauorem illius, ſed iudica nocentem, condemna illum.

Iudicare ergo tu Domine pupillo, & humili, ne permittas amplius illos iudicari ab homine, qui occidens innocentem, & humilem, magnificat ſe, & iactat in terra ſe, non apponat amplius magnificare ſe homo ſuper terram; dicebat enim an neſcis, quia poteſtatem habeo, Ioan. 19. nu. 10. crucifigere te, & poteſtatem habeo dimittere te? non apponat vltrà ſe homo magnificare ſuper terram, non permittas eum habere amplius in ſeruos tuos poteſtatem, ibidem num. 11. ipſi enim homini poteſtas datur deſuper contra iuſtum, Ioan. vt ſuprà num. 11.



SO-

SOLILOQVIVM.

EIA ergo Domine Iesu, ecce ego seruus tuus humilis, & pauper pupillus sine patre Diabolo, & orphanus sine matre hac mundana, neque spem in bonis terrenis propter te reponens, iudicare mihi pupillo, & pauperi, humili: præparationem cordis mei, qui pro te multa pati, & mori millies paratus sum, audiat auris tua, propterea desiderium meum exaudi. Ecce confiteor, & enarro ex toto corde meo, omnia mirabilia tua, lætus psallendo. Iàm inimicum meum retrorsum abire fecisti à me, qui pro me pati in ligno † Crucis voluisti, vt illius expelleres à me potestatem, cuius nomen delesti in æternum, & simul memoriam eius cum sonitu. Omnia ad te traxisti, & potestas tua est, atque iudicium, vt terram totam iudices in æquitate, & populos tuos in iustitia. Tu etiam es refugium pauperi, adiutor in tribulationibus, & necessitatibus, quia non derelinquis eos, qui sperant in te, atque quærunt te. Ecclesia, in qua habitas Iesu Domine, tibi psallit quotidiè quia non obliuisceris clamorem pauperum. Miserearis mei Domine, videns humilitatem meam. De portis mortis tu me liberasti; propterea ego laudem tuam annuntio in Ecclesia tua, contra quam hæretici, & gentes insurrexerunt, & in foueam, quam fecerunt inciderunt, & in interitu, quem fecerunt infixi sunt; pes eorum in laqueo, quem fecerunt, comprehensus est, nàm aduersus eam non præualent, & iuxtà opera illorum comprehensus est peccator; quia tu Dominus es, iudicia faciens, nàm ipsi peccatores, & alij, qui te obliuiscuntur, in infernum conuertuntur.

Patientia pauperum, in tribulatione non erit in obliuione in fine apud te Deum meum, nec illius tu obliuisceris; propterea exurge Iesu Domine, non præualeat homo in sua malitia contra Ecclesiam tuam, & me pauperem. Iudica illos Domine cognoscant, quia homines sunt, atque puluis. Vt quid Domine tàm longam tuorum fidelium persecutionem ab impijs illatam pateris? nàm in opportunitatibus tu defecisse videris, & in tribulatione.

Scio Domine, quia dum superbit impius, pauper eò magis in tui amorem succenditur; & quòd inimici mala cogitantes contra illum, eò magis punientur, & quod comprehendentur ipsi in consilijs, quibus cogitant. Peccator laudatur in desiderijs animæ suæ, & iniquus benedicitur, & tamen tu Domine exacerbatus secundum multitudinem iræ tuæ illum non punies, expectans eum ad pœnitentiam, quamuis minimè sis in conspectu eius, & viæ illius in omni tempore inquinatæ sint.

Abstulisti tandem ab illo peccatore sensum, ne iudicia tua cognoscat; propterea sibi videtur, quòd dominetur omnium inimicorum suorum, cogitans hæc posse facere semper, & in omni generatione permanere cum magnificentia sua, & hæresi, quia os eius maledictione plenum est, & dolo, atque amaritudine, & sub lingua eius labor, & dolor; cognoscit tamen in vanum laborare, & dolet propter inuidiam de salute fidelium; propterea sedet cum diuitibus, vt innocentem perdat, & interficiat; in pauperem enim semper oculi eius infixi, & vt leo in spelunca insidiatur, vt illum rapiat, delectationibus mundi attrahendo; quia in corde suo credit, quòd Deus pauperum sit oblitus semper, neque illos videat.

Sed tu Domine exurge cum tua potentia, & manu forti, ne videaris obliuisci pauperum, in tribulatione existentium: tamdiù non patiaris perturbatores istos

tuæ

tuæ iustitiæ. Sed ò stulti inimici, Dominus laborem pauperum, & dolorem considerat, vt eò fortius vos puniat, qui illum intulistis seruis suis: orphano enim est adiutor, & pauperum est illi cura, ideò potentiam peccatorum conteret, & malignorum, ipsorumq. memoria in nihilum reducetur, sicut, & peccatum illorum; Dominus verò regnabit in sæculum sæculi, & iusti cum illo, gentesq., & peccatores de terra illius peribunt.

Domine Iesu fac me vnum de pupillis istis, & orphanis, vt fauorabilem in me proferas sententiam illam: Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est à constitutione mundi, Matth. cap. 25. num. 34. Fiat Domine cor meum immaculatum, vt tu Deus sis mihi adiutor in opportunitatibus, in tribulatione, vt non apponat vltrà magnificare se homo super terram: iudicare mihi pupillo, & humili. Succurre mihi Virgo MARIA; Sanctissima Mater orphanorum intercede pro me, Sancte Michael Archangele, Sancte Ioseph, Sancti Apostoli, Omnes Martyres, & Virgines, Sancti Doctores, atque Confessores, Omnes Sancti, & Sanctæ Dei: Domine Iesu fiat in hac sanctissima die, quam hodie veneramur in tuæ sanctissimæ Passionis commemorationem, Deo gratias. Amen.

IN PSALMVM X.

In Domino confido: quomodo dicitis animæ meæ: Transmigra in montem sicut passer?



TITVLVS. In finem, Psalmus Dauid. In finem, idest in Christum, qui est finis legis, vt aliàs, &c.

Summatur. Tentantur iusti ab impijs, vt tribulationes fugiant, se in Domino confisi manent in bonitate, & iustitia Dei.

Continuatur ad præcedentem; nàm supra audiuimus Psalmos de Passione, & Christi persecutione, & de torcularibus, idest de aliorum Christi fidelium martyrio propter Christum loquentium. In proximo verò Psalmo IX. de occultis scilicet, quæ ex Christi aduentu, Passione, & Resurrectione omni humano generi prouenere.

Deniquè agitur de filij Dei mirabilibus, vt magis homines ad Christi fidem, & ad resistendum tentationibus allicerentur, & inducerentur. Nunc verò in præsenti Psalmo, quia per multas tribulationes ingrediuntur iusti, regnum Cælorum venit homo leuis, & debilis, minister etiam Sathan tentans Dominum Iesum, ne opprobria patiatur, nec hominem morte sua redimat, salutis enim humanæ inuidens est ille per quem mors introiuit in mundum, & proponit, vt reuertatur ad montem, ad Cælum dicens.

Transmigra ad montem sicut iustus, & noli pati mala pro genere humano.

Quia ecce peccatores intenderunt arcum suum, parauerunt sagittas in pharetra, vt sagittent in obscuro non solum te iustum Christum, sed etiam omnes rectos corde. Hæc autem omnia quomodò per Prophetam prius annuntiata verificantur, nunc & adimpleta sunt in Saluatore nostro, vt patet ex infrascriptis.

Veniat Petrus Vicarius Christi, cui, & alijs Discipulis dictum est à Domino, Matth. 16. num. 21. cœpit ostendere Iesus Discipulis suis, quia oporteret eum in Ierosolymam ire, & multa pati à Senioribus, & Scribis, & Principibus Sacerdotum,

& oc-

& occidi, & die tertia resurgere: ecce occulta filij, & mirabilia narrata, nàm quæ ex Passione Christi, & eius Resurrectione orta sunt, aliàs latius diximus; Petrus his auditis, Matth. ibidem num. 22. assumens Iesum, cœpit increpare illum, dicens, absit à te Domine, non erit tibi hoc: iam ad montem sursum duxisti nos, Matth. 17. nu. 4. reuertere, bonum est nobis ibi esse, si vis faciamus hic tria tabernacula, Tibi vnum, Moysi vnum, & Eliæ vnum, ecce quia dicitur Christo transmigra ad montem, vbi fuimus, nec vllus nostrum mala patietur, quia nos ibi esse bonum est, conuersus Iesus dixit Petro, vade retrò Satana, scandalum es mihi, quia non sapis ea, quæ Dei sunt; sed ea, quæ hominum, quomodo dicis mihi, seù animæ meæ.

Transmigra in montem sicut passer? In Domino confido, veni enim vocare peccatores ad pœnitentiam, & morte mea illos redimere; sum ego volitans, sicut passer? Ezech. 13. num. 20. ego ad puluillos vestros, quibus vos capitis animas volantes, & dirumpam eos de manibus vestris, & dimittam animas, quæ vos capitis ad volandum.

Tentatio Diaboli non te apprehendat ò Petre; oportet enim Dominum Iesum mortem pati, & ita intrare in Regnum suum, Luc. 27. num. 6. Marc. 8. num. 31. & tu etiam, qui quando iunior eras, cingebas te, & ambulabas, vbi volebas, cum senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet, quò non vis, Ioan. 21. num. 18. nunc tribulationes, & tormenta huius mundi effugere vis? quasi aliorum salutem oblitus: cui dictum est à Domino, pasce oues meas, vt temporaliter in monte illo permaneas sine damno tuo: qui enim venire vult post me, necesse est, vt abneget se, & tollat Crucem suam, & sequatur me, dicit Dominus, scio quia peccatores intenderunt arcum, parauerunt sagittas suas in pharetra, vt sagittent in obscuro rectos corde, dicit Iesus, propterea veni in mundum; scio etiam

Quia quæ perfeci destruxerunt illi, dicit idem Dominus, sed iustus, ego quid feci? nouum pactum, nouam legem in aduentu meo dedi, per quæ quilibet iustus obseruator Regnum Cælorum ingreditur. Vis scire quid fecerim ego iustus? audi Isai. cap. 48. num. 6. audita feci tibi noua ex tunc, & conseruata sunt, quæ nescis; nunc creata sunt; & non ex tunc, &c. scio enim, quia præuaricans præuaricaberis, & transgressorem ex vtero vocaui te.

Propter nomen meum longè faciam furorem meum, & laude mea infrenabo te ne pereas, &c. Isai. 61. ad annuntiandum mansuetis misit me, vt mederer contritis corde, & captiuis prædicarem indulgentiam, & clausis apertionem. Vis iterum scire quid fecerim? quando veni feci domui Israel, & domui Iudæ fędus nouum, non secundum pactum, quod pepigi cum patribus eorum, in die, qua apprehendi manum suam, vt educerem eos de terra Aegypti, pactum quod irritum fecerunt: Dauid verò dicit, quæ perfecisti destruxerunt, & hoc fuit pactum, dedi legem nouam non amplius in tabulis, sicut Moysi, sed in cordibus vestris, & in cordibus vestris scripsi, vt essem vobis in Deum, & vos ipsi essetis mihi in populum, Ierem. 31. num. 32. & sequentibus.

Quocirca dicebat Iesus, Isai. 3. num. 4. nisi quis renatus fuerit denuò, non potest videre regnum Dei, renasci autem oportet ex aqua, & Spiritu sancto; quia quod natum est ex carne, caro est, & quod natum est ex spiritu, spiritus est; propterea dedi legem in cordibus vestris nouam, Baptismum scilicet, qui datur credentibus, quia ego Iesus sum filius Dei, qui pro vobis passus sum, & mortuus, & resurrexi.

Iustus ergo quid fecerit iàm tu scis, nam credentibus, & baptizatis dat regnum Cælo-

Cælorum, Gregor. homil. 4. parte 2. super Ezech. alludens ad illud, quod habetur Isai. 28. num. 21. vt faciat opus suum, opus alienum eius, vt operetur opus suum: peregrinum est opus eius ab eo, inquit: Domini est animas, quas creauit colligere, & ad lucis æternæ gaudia reuocare: flagellari, atque sputis illiniri, & crucifigi, mori, & sepelliri, non hoc in sua substantia opus est Dei, sed opus est peccatoris, qui per peccatum hæc omnia meruit, sed peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, hæc Greg. Patet ergo quid fecit iustus, ego feci, & ego feram, ego portabo, & ego saluabo, Isai. 46. nu. 4. omnia ergo benè fecit, surdos audire, & mutos loqui, Marc. cap. 7. num. 37.

Intendant ergo peccatores arcum suum, parent sagittas suas in pharetra, vt sagittent in obscuro rectos corde.

Dominus in templo sancto suo, Dominus in Cælo sedes eius, iàm passus est, iàm Sacramenta in suo templo reliquit, & ascendit in cælum, vbi est sedes sua; humiliauit enim se ipsum factus obediens vsque ad mortem, mortem autem Crucis; propter quod, & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen, vt omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris, ad Philipp. 2. num. 8. & 9. Dominus ergo in templo sancto suo, quod est congregatio electorum suorum religiosè viuentium. Templum Dei viui vos estis, ad Timoth. 2. 1. Corinth. 1. num. 16. & 17. nescitis, quia templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in vobis, si quis autem templum Dei violauerit, disperdet illum Deus; templum enim Dei sanctum est, quod estis vos.

Dominus in Cælo sedes eius, Isai. 66. num. 1. & 2. ad quem autem respiciam nisi ad pauperculum, & contritum spiritu, & trementem sermones meos? propterea dicit Dauid, in templo sancto suo Dominus in Cælo sedes eius, Abac. 2. nu. 20.

Peccatores quid facere potuerunt? legem Domini destruere conati sunt, Prophetas Christi, & electos occidere, ergo potuerunt Christum Dominum caput suæ sanctæ Ecclesiæ ab illa alienare, vt in illa non esset vsque ad cõsummationem sæculi? minimè quidem valuerunt, nàm ipse dixit, ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi, Matth. 28. nu. 20. Dauid verò hic. Iustus autem quid fecit? in templo sancto suo est Dominus, Dominus in cælo sedes eius, vt electi etiam sedeant iudicantes, & regnum Dei possideant, Matth. 19. num. 28. & Sap. 3. iudicabunt gentes, & dominabuntur populis, & regnabit dominus illorum in perpetuum, num. 8. an scitis quia Sancti de hoc mundo iudicabunt? 1. Corinth. 6. nu. 2. si ergo Deus in Ecclesia, quis hæreticorum contra illam? Deus enim vindicans vindicabit, & in peccatores respicit ira eius, Eccles. cap. 5. num. 3. & 7. Dominus in Cælo est, & tu in terra, vult dicere Psalmista, Eccles. cap. 5. num. 1. quomodo ergo grauedine tua vis cælum ascendere, propter peccata tua sine alis? ad quid tendis arcum tuum ò peccator, vt sagittes rectos corde, qui in Dei sunt protectione? oculi eius in pauperem respiciunt, Psalm. 33. nu. 17. oculi Domini super metuentes illum, vt eruat eos à morte, & alat eos in fame, ibidem nu. 18. Custos ergo quid de nocte? Isai. 21. num. 11. vt sagittes in obscuro rectos corde.

Oculi Domini in illos respiciunt, & palpebræ eius interrogant filios hominum, vt reddentes rationem iudicentur ab illo, cuius est rectum iudicium, dixit custos veni mane, & nox, si quæritis, quærite, conuertimini, venite; quasi dicat, actum est de vobis, Chald. dixit Propheta est merces iustis, & ita vindicta impijs, si conuertendi estis, conuertimini, dum potestis conuerti.

Domi-

Dominus interrogat iustum, & impium, qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam, iniquitatem enim videt oculus eius, vt puniat in æternum, Sap.d.cap.2. num.19. tormento interrogemus eum. Aduersamini ergo quantum potestis ò hæretici, ò infideles, & peccatores, Ecclesiam Dei, durum est vobis contra stimulum calcitrare; Dominus enim sedet in illa, ipse caput, & fideles eius membra: sunt enim illi templum Dei viui, 2. Corinth. 6. ipsam Ecclesiam sibi sanctam exhibuit, & vnicam, atquè vnitam, vos autem calumniatores, atque discordes inter vos: in Ecclesia verò pax, & concordia, quia in via Domini ambulatur, & ideò pax tibi sempiterna, Baruch. 3. num. 13. Ioan. 14. num. 27. pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis, neque ad patrem quis venire potest, nisi per Christum, quia ipse est via, veritas, & vita, Ioan.d.cap.14. num.6. & in Cælo est sedes eius, hæretici verò dicit August. hic: omnes quantum in ipsis est, destruxerunt laudem, quam ex ore infantium, & lactentium perfecit Deus, dùm quæstionibus varijs, & scrupulosis agitant paruulos, & eos nutriri in lacte fideli non sinunt. Quasi ergo dictum sit huic animæ fideli, quare isti dicunt tibi transmigra in montem sicut passer? quare de peccatoribus te terrent, qui intenderunt arcum ad sagittandum in obscuro rectos corde? respondet ideò me terrent, quoniam quæ perfecisti destruxerunt. Vbi? in conuenticulis suis, vbi paruulos, & interioris lucis ignaros, non lacte nutriunt, sed veneno necant; hæc Augustin. pacem meam do vobis, quam ipsi violauerunt, si ergo Deus pro nobis, quis contra nos? nostra conuersatio in cælis est, ad Philipp. 3. num.20. si & vbi Christus est, & ibi illum quæramus, qui in terris visus est, Baruch. 3. num.38. quærimus autem illum in ieiunijs, & orationibus, vt exaudiamur in conspectu gloriæ summi Dei, Tob. 3. num.24. & 25. oratio enim humiliantis se nubes penetrat, & donec propinquent, non consolabitur, & non discedet, donec Altissimus respiciat, Ecclesi. 35. num.21. Vndè Isai. cap.60. num.8. qui sunt isti, qui vt nubes volant, & quasi columba ad fenestras suas?

Oculi eius in pauperem respiciunt, & palpebræ eius interrogant filios hominum: Deus scit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt, ideò palpebræ eius scrutantur illos, cogitat enim impius, vel iniquus peccator, in obscuro opprimere iustum, & pauperem, sed palpebræ Domini scrutantur, & præcident illas cogitationes, respiciendo oculis suis pauperes, idest illos liberando à calumnijs hominum, facit Prouerb.4. num.25. palpebræ tuæ præcedant gressus tuos, & oculi tui recta videant: præcedit enim cognitio Dei, cui omnia aperta sunt, & oculis suis recta respicit, quia oculi Domini super iustos, & aures eius in preces eorum, Psalm.33. num. 16. & in alio loco, oculi mei ad fideles terræ, vt sedeant mecum, ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat.

Vel dicamus; oculi eius in pauperem respiciunt, Isai.24. num.16. à finibus terræ, laudes audiuimus, gloriam iusti, idest Christi, & dixi, secretum meum mihi; quasi dicat, mysterium magnum paucis notum, Chald. secretum præmium iustorum monstratur, secretum vindicta impiorum, quia reuelat secreta sua paruulis, Matth.11. num.25. Vndè Paul. 1. Corinth.2. num.7. & 8. loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, quam prædestinauit Deus ante sæcula in gloriam vestram, quam nemo Principum huius sæculi cognouit, si enim cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent; sed sicut scriptum est, quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus illis, qui diligunt illum: nobis autem Deus reuelauit per Spiritum sanctum, &c. & ad

Rom.

Rom. cap. 16. num. 25. & qui potens est vos confirmare iuxtà Euangelium meum, & prędicationem Iesu Christi secundum reuelationem mysterij temporibus æternis taciti, ad Galat. 3. num. 12. neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per reuelationem Iesu Christi.

Palpebræ autem eius interrogant filios hominum, Palpebræ Dei sunt secreta iudicia, & mysteria illius, quæ clauduntur instar palpebrarum, & aperiuntur: secreta hæc Dei scire volunt, per scientiam, & humanam sapientiam filij hominum, nec illa inuenire possunt, hanc autem afflictionem Deus dedit filijs hominum, vt distendantur in ea, cuncta fecit bona in tempore suo, & mundum tradidit disputationi eorum, vt non inueniat homo opus, quod operatus est ipse Deus ab initio vsque ad finem, Eccles. cap. 3. num. 10. & cap. 8. num. 17. & intellexi quòd omnium operum Dei, nullam possit homo inuenire rationem eorum, quæ fiunt sub Sole, & quantò plus laborauerint ad quærendum, tantò minus inuenient, etiam si dixerit sapientem se esse, non poterit reperire.

Palpebræ eius interrogant, idest probant filios hominum, cum secreta, quæ paruulis aperta sunt; filijs hominum, & prudentibus sunt abscondita, & clausa, Matth. 13. num. 29. vobis datum est nosse mysteria regni Cælorum, illis autem non est datum, sed palpebræ eius interrogant filios hominum, hæc mirabilia Dei, quæ fecit non sciunt.

Dominus autem interrogat iustum, & impium, sed quare cum dixerit palpebræ interrogant filios hominum, hic dicit, Dominus interrogat iustum, & impium, crederem illam esse rationem, quæ indicatur, Prouerb. 20. nu. 27. vbi dicitur, Lucerna Dei spiraculum hominis, quę inuestigat homo omnia secreta ventris; hoc luce Dei fit, vt omnia interiora ventris, idest mentis scrutetur, lucerna enim sub pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis, Psalm. 118. num. 111. interrogat ergo iustum cum efficit, vt quisque luce spiritus scrutari, ac nosse possit iusti opera, & affectus secretos, vt luceant opera eius bona coram hominibus, & sciant cuncti, quòd spiritus Dei in illo est.

Interrogat etiam impium, qui in diem perditionis seruatur, & ad diem furoris ducetur, Iob 21. num. 30. propterea qui diligit iniquitatem odit animam suam, quia cum electo electus erit, & cum peruerso peruertetur, populum pauperem saluum faciet, oculisq. suis excelsos humiliat, 2. Regum 22. num. 27. & 28. & quia ipse Deus est lux vera, quæ illuminat omnes in hoc mundo, Ioan. cap. 1. interrogat iustum, cuius est ipse lucerna, d. cap. 22. num. 29. interrogat etiam impium vt damnet illum. Palpebrę ergo, quę secreta Dei sunt, & quę filij hominum ex illorum vana prudentia scire inuestigant, & desiderant, interrogant, probantq. filios hominum, an respondeant mirabilibus, quę fecit Deus, quę etiam per Prophetas, incipiendo à Moyse vsque ad aduentum Domini nostri Iesu Christi, in figura pronuntiata sunt, & de filio Dei, quomodo ex Virgine nascitur, quare mori velit, quare per ipsum mundus iudicetur, & credentes salui fiant, quomodo infirma elegerit huius mundi, vt fortia quæque confunderet, Apostolos scilicet, per quos totus Mundus conuersus est propter miracula, quę in virtute Crucifixi facta ab illis sunt, & propter alia Dei magnalia, interrogant filios hominum, si ad illorum virtutem propter cognitionem suam peruenire possint.

Nunc verò postquam Iesus venit in mundum, quia cessauerunt Prophetę, & figurę; iàm enim non propter loquelam tuam dixerat populus ille mulieri Samaritanę,

Ioan.

Ioan. 4. nu. 42. sed quia nos ipsi scimus, & audiuimus, & sic per Saluatorem omnium Iesum Christum; Sap. 16. num. 7. interrogat iustum de bonis operibus, quæ fecit; & impium, quare non recesserit ab impietate sua, & cur dilexit iniquitatem, & non recessit ab illa, odio habens animam suam, quæ in inferno cruciabitur, Ioel 3. num. 12. consurgant, & ascendant gentes in Vallem Iosaphat; quia ibi sedebo, & iudicabo omnes gentes in circuitu, & num. 1. Congregabo omnes gentes, & disceptabo cum eis ibi. Interrogat enim iustum, & impium Dominus, multis modis, nàm flagello interrogat, cum mentem benè sibi per tranquillitatem subditam afflictionibus pulsat, Greg. in Moral. 24. & Moral. 1. Pœna inflicta interrogat, si quietus quis Deum veraciter amat, sic enim exponi dicitur ad quæstiones, qui exponitur tormentis, vt secreta cordis manifestet, hinc Sap. cap. 2. nu. 19. tormento interrogemus eum, vt probemus patientiam eius, & sciamus etiam reuerentiam eius, Sap. 2. num. 19. sed bonos non tanget tormentum mortis, quia in manu Dei sunt, quamuis oculis insipientium mori videantur; nationis verò iniquæ diræ sunt consummationes, & si quidem longæ vitæ erunt, in nihilum computabuntur, & sine honore erit nouissima senectus illorum, Sap. 3. num. 29. & 17. in malignitate enim illorum erunt consumpti, Sap. 5. num. 13. Augustin. hic. Quid ergo metuimus, ne aliquid nobis obsint impij, si fortè nobiscum sacramenta non sincero corde communicant, quando illi interrogant iustum, & impium? ergo qui diligit iniquitatem odit animam suam, per malitiam enim occidit illam, Sap. 16. nu. 14. Dominus ergo interrogat iustum, & impium, interrogat enim quotidie per lectionem Scripturarum sacrarum, per Euangelia, & documenta, quæ in sua Ecclesia reliquit, & per Episcopos, & Doctores, & Prædicatores leguntur, Sap. d. cap. 16. num. 11. in memoria enim sermonum tuorum examinabuntur, & si illos audient, velociter saluabuntur, ne in altam incidentes obliuionem, non possint vti adiutorio.

Sermo enim tuus Domine sanat, & non aliud, quia vitæ, & mortis habes imperium. Citò ergo audias sermones Dei, vt citò Sanctis ad interrogata respondere valeas, quia aliàs pluuet super peccatores laqueos, sed quod laqueos? quia adijcient sicut pluuia peccatum peccato, & sic infinitis peccatis illaqueabuntur, Ecclesi. 3. num. 29. cor nequam grauabitur in doloribus, & peccator adijciet ad peccandum: talis enim dum viuit, de malo in peius procedit.

Pluit super peccatores laqueos hic in vita, post mortem quid istis eueniat, declarat, quòd pars calicis eorum, sit ignis, & sulphur, & spiritus procellarum, & hæc erunt pars calicis; quid verò erit in toto calice, in plenitudine pœnarum quæ in inferno sunt ad cruciatum peccatorum? Isai. 42. num. 22. ipse populus deceptus, & vastatus: laqueus iuuenum omnes, idest omnes fortiter illaqueati sunt, facti sunt in rapinam, nec est qui eruat, in direptionem, nec est qui dicat redde. Quis dedit in direptionem Iacob, & Israel vastantibus? nonnè Dominus ipse, cui peccauimus, qui effundit iram indignationis suæ, seù indignationem furoris sui, & combussit eum in circuitu; ignis ergo, & sulphur, & spiritus procellarum, Isai. d. c. 24. n. 16. præuaricantes præuaricati sunt, formido, & fouea, & laqueus super te, qui habitator es terrę; qui fugerit à voce formidinis, cadet in foueam, & qui se explicauerit de fouea, tenebitur laqueo, quia cataractæ de excelsis apertæ sunt, & concutientur fundamenta terræ, num. 18.

Si ergo ignis, sulphur, & spiritus procellarum est pars calicis peccatorum, qualis erit altera pars calicis peccatoris? omnis enim pars habet aliam partem condiuisam: hæc enim ignis pœna nobis à Psalmista anteposita videtur, quia magnum est ab

igne consummi in æternum, Iob 20.n.26. deuorabit eum ignis, qui non succenditur, tacuit tamen aliam pœnæ partem, quæ est maior, carentiam nempè visionis Dei, & separationem à Deo, & à Sanctis suis: Vndè Chrysostom. in homil. 23. in imperfecto, intollerabilis est gehenna, & pœna illa, vndè si decies mille aliquis ponat gehennas, melius dicet, qualis illa à beata gloria excidere, quàm odio haberi à Christo, & audire, quoniam non noui vos: melius est sustinere decem millia fulmina, quàm faciem illam videre auersam à nobis, & oculum tranquillùm non videre nos, hæc Chrysost. Iob dicto cap. 20. num. 16. & 19. affligetur relictus in tabernaculo suo, idest coniectus in locum supplicij, & in eo desertus à Deo; hæc est pars impij hominis à Deo, & hæreditas verborum eius à Domino, Ignis ergo, & sulphur, & spiritus procellarum pars calicis. Vide quomodo pluuat laqueos; ignis, idest peccandi cupiditas, vnum trahit aliud post consuetudinem peccandi: sulphur, idest putredo peccatorum, iam enim fętent, quoniam inueterata sunt; post putredinem spiritus procellarum, pœna scilicet æterni iudicij, & peccatorum verbera. Hieron. hic, Quos ignis exurit, tempestas examinat, Ierem. 30. nu. 23. ecce turbo Domini furor egrediens, procella ruens in capite impiorum conquiescet, Psalm. 77. nu. 17. & apposuerunt adhùc peccare ei, in iram excitauerunt excelsum in inaquoso.

Quoniam iustus Dominus, & iustitias dilexit, vultus eius, vidit æquitatem. Ideò diligit iustos, quia iustus est, & tribuit vnicuique iuxtà opera sua, Gregor. Moral. 9. nequaquam Dominus delicta hominum sine vltione deserit, aut enim homo se pœnitens deserit, aut hoc Deus sine homine iudicans percutit; nàm postquam de quibus peccant homines, admonuit, & allocutus est, vt relicta malitia credant in Dominum, dedit locum pœnitentiæ, Sap. 12. num. 2. & 10. & 20. debitos morti cum tanta cruciat attentione, dans tempus, & locum, per quæ possint mutari à malitia, si tamen persistunt in impietate. Vir in iniquitate vitæ suæ non confortabitur, Ezech. 7. num. 13. & in iniquitate sua morietur, Ezech. 3. num. 19. Quia iustus est Dominus, & iustitiam diligit, æquitatem vidit vultus eius, & beatus Petrus, 2. cap. 2. num. 4. Deus Angelis peccantibus non pepercit, diluuiumq. mundo impiorum induxit, & num. 9. nouit etiam Dominus pios de tentatione eripere, iniquos verò in diem iudicij reseruare cruciandos, quia iustus est Dominus, & iustitiam dilexit.

Iustus est Dominus, quia non fallitur, corda enim, & cogitationes, & opera omnium ipsi sunt præsentia, & quilibet tanquàm in speculo videbit iniquitatem suam, & scelera sua, sicut etiam Deus præsentia sua videt sanctos ad regendum, hæc Hieronym. Sanctis ergo præmia, peccatoribus pœnam tribuit, igitur æquitatem vidit vultus eius.

SOLILOQVIVM.

INtenderunt peccatores arcum, vt animam meam tanquam volantem sagittent, & arripiant, sed ego in te Domine confido, atque illorum verba paruipendo, qui tanquam passerem animam meam ad montem peccatorum trahere procurant, quia tu Deus meus de manibus illorum eripies eam. Quia tu Domine perfecisti, illam destruere conantur isti; tu verò non perdis eos, qui in te sperant. Tu potens es,

in Sancta Ecclesia tua habitas, & in Cælo sedes tua est; ità in pauperes sunt oculi tui, ipsos verò peccatores interrogant, probantq. palpebræ tuæ; an perceperint cum vitæ fructu spiritali mirabilia tua, quæ in figura præcesserunt, & post filij tui aduentum manifestè exhibita fuerunt. Non effugient iudicium tuum, in quo recti corde gloriabuntur, cum mali, peccatoresq. condemnabuntur igne, sulphure, & procellarum spiritu, quoniam tu iustus es Domine, & vultus tuus vidit æquitatem, vt Sanctis præmia, peccatoribus verò pœnam tribuas; Dignare Domine vocatione tua me dignum efficere, vt non secundum peccata mea mihi supplicium inferas, sed secundum misericordiam tuam veniam largiaris. Ità fiat Domine Iesu, qui passus es pro me misero peccatore, & nunc resurrexisti, & sedes ad dexteram Dei Patris cum Spiritu sancto. Amen.

IN PSALMVM XI.

Saluum me fac Domine, quoniam defecit Sanctus: quoniam diminutæ sunt veritates à filijs hominum.



ITVLVS, In finem pro octaua Psalmus Dauid. In finem idest in Christum: pro octaua, idest vt in illo, & eius passione sperantes, in quietem Domini ingrediamur, post passionem Christi omnia consummata sunt, Ioan. 19. num. 30. propterea vult Iesus, vt vbi ipse est, illic sint secum, & ij, quos Pater dedit ei electos, Ioan. 17. num. 24. In Christo ergo pro octaua, vt in illo vitam, & quietem habeamus æternam.

Summa hæc videtur, Mendacium ex ore hominum, Veritas tamen Domini manet in æternum, qui ideò venit, vt seruet ab illo.

Vndè incipit Psalm. Saluum me fac Domine; qui Psalmus continuatur ad præcedentem hoc modo.

Nàm ille loquebatur de iniquis tentatoribus, quia iustos tentabant, vt à iustitia declinantes, sicut passer transmigrarent ab humilitate ad montes superbiæ.

Verùm, quia multiplicabantur iniqui, & per consequens prudentia defecit, propterea dixit saluum me fac Deus. Vel melius dicamus, quomodo sanctus defecisse videbatur, quando Christus passus est, & mortuus, nàm percusso pastore, dispersæ sunt oues gregis; Tunc Hebræi iniqui vana loquentes, blasphemabant Dominum, dicentes adinuicem, descendat nunc de cruce, se filium Dei dicebat, liberet nunc se de manibus nostris, & credemus ei, Seductor ille, hoc enim nomine vocabant Dominum Iesum, dicebant, &c. iube custodiri sepulchrum, ne Discipuli furentur illum, Matth. 27. num. 63. & omnes Discipuli, relicto Iesu fugerunt, Matth. 26. nu. 56. Ecclesia in afflictione posita, eius nomine psallens Dauid, saluum me fac Domine, inquit, quoniam postquam mortuus es, diminutæ veritates etiam videntur à filijs hominum, Discipuli enim, & alij Sancti, quorum ore veritas tua prædicabatur, iàm præ timore cessarunt loqui.

Sperabamus enim dicebant, quia ipse esset redempturus Israel, Luc. 24. & ipse dixit illis, ò stulti, & tardi corde, ibidem, num. 21. & 25. & Marc. 16. num. 11. cum non crederent audientes, quòd viueret, sicut nec alij, quibus pariter dictum fuerat à mulieribus, quòd is viueret, num. 13. Diminutæ sunt itaque tunc temporis veritates etiam à filijs hominū: cum non esset qui integrè prædicaret Iesum verùm Deum, &

hominem ideò multiplicati sunt iniqui, propterea vana locuti sunt vnusquisque ad proximum suum, labia dolosa in corde, & corde locuti sunt, Isai. cap. 41. nu. 29. ecce omnes iniusti, & vana opera eorum.

Nàm audito, quòd Iesus resurrexerat, Principes congregati cum Senioribus labijs dolosis in corde, & corde locuti sunt, conuenientes ex pecunia cum militibus secretò, vt dicerent, quia Discipuli eius nocte venerunt, & furati sunt eum, illis dormientibus, Matth. 28. n. 12. cum sequen. labia dolosa in corde, & corde loquentes, simulq. & secretò paciscentes dolosè; scelus enim quod corde perceperunt, protulerunt ore, perfecerunt opere. Hieron. Princeps postulat, & Iudex in reddendo est, idest reddit, quod ille postulat, Mich. 7. num. 3. Verè mendacium possederunt Patres nostri, vanitatem, quæ eis non profuit, Ierem. 16. num. 19. corruit in platea veritas, & facta est in obliuionem, Isai. 59. num. 14. & 15. defecit Sanctus, perijt Sanctus de terra, & rectus in hominibus non est, omnes in sanguine insidiati sunt, optimus in eis est, quasi pollutus, & qui rectus, quasi spina de sepe, Mich. 7. nu. 2. cum sequen. perijt fides, & ablata est de ore eorum, Ierem. 7. num. 28. ambulauerunt post vanitatem, & vani facti sunt, Ierem. 2. num. 5. & in vanitate sua apprehenditur peccator, Eccles. 23. num. 8. & Luc. 7. num. 18. væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, & quasi vinculum plaustri in peccatum; disperdat Dominus vniuersa labia dolosa, & linguam magniloquam, Psalm. 77. num. 33. Defecerunt in vanitate dies eorum, & anni eorum cum festinatione, disperdat, inquit Propheta, Dominus vniuersa labia dolosa. Nunquid maledicendo dicitur? non, Hieron. hic, quia non est mos Sanctorum maledicere, sed pronuntiando, quod futurum est, dixit, non optando, sed prophetando, Ierem. 15. nu. 7. dispergam eos, ventilabo in portis terræ; & interfeci, & disperdidi populũ meum, & tamen à vijs eorum non sunt reuersi, Sophon. 3. n. 11. tunc auferam de medio tui magniloquos superbiæ tuæ, & non adijcies exaltari amplius in monte sancto meo. Ità eodem spiritu prophetico prophetizat Dauid dispersionem istorum dolosè loquentium, sicut & aliàs illorum perditio pronunciata fuit per Prophetas, vt specialiter videtur in cap. 25. nu. 62. & 63. in Deuter. & sicut lætatus est ante Dominus super vos benè vobis faciens, vosq. multiplicans, sic lætabitur disperdens vos, atque subuertens, vt auferamini de terra, ad quam ingredieris possidendã. Dispergat te Dominus in omnes populos, à summitate terræ, vsque ad terminos eius, &c. in gentibus quoque istis non quiesces, neque erit requies vestigio pedis tui, dabit tibi Dominus cor pauidũ, & deficientes oculos, & animam consumptã mœrore, & erit vita tua quasi pendens ante te, timebis nocte, & die, & non credes vitę tuę.

Montes fluxerunt sicut cera ante faciem Domini, Psalm. 96. num. 3. sicut enim fumus deficient, & sicut fluit cera à facie ignis, sic peribunt peccatores à facie Dei, Psalm. 67. num. 3. Induc super eos diem afflictionis, & duplici contritione contere eos, Ierem. 17. num. 18. in malitia eorum disperdet eos, disperdet illos Dominus Deus noster, Psalm. 93. nu. 23. & linguam magniloquam disperdat. Lutum contra figulum superbit, quis videt nos? dicunt isti superbi magniloqui, quis nouit nos? dicit opus factori suo non fecisti me, & figmentum dicit factori suo non intelligis. Nonnè adhùc in modico, & in breui conuertetur Libanus in Charmel, & Charmel in saltem reputabitur, hoc est, Gentiles fertiles fient, & Charmel, idest Iudæi olim fertiles, superbi nunc fient steriles, propter eorum superbiam, & quia dereliquerunt Deum, Isai. 29. num. 16. 17. & 19. & addent mites in Domino lætitiam, & pauperes homines in sancto exultabunt, quoniam defecit, qui præualebat,

con-

consummatus est illusor, & succisi sunt omnes, qui vigilabant super iniquitatem, qui peccare faciebant homines in verbo. Nunc Princeps huius mundi eiectus est foras post passionem Christi, sed quando isti magniloqui loquentes confundentur? audi eundem Isai. dicto cap. 29. num. 23. non modò confundetur Iacob, nec modò vultus eius erubescet, sed cum viderit filios suos, idest Apostolos, opera manuum mearum in medio sui sanctificantes nomen meum, idest nomen Iesu Christi filij Dei, & sanctificabunt sanctum Iacob, & Deum Israel prædicabunt.

Considera nunc Iudæos apud omnes nationes pauidos, mærore consumptos, abominabiles, iuxtà dictum per Prophetam suprà Deuteron. 28. num. 63. die ac nocte timentes, de istis enim loquitur Dauid, qui dixerunt sanguis eius super nos, Matth. 27. num. 25. illudentes illi, num. 29. & genua ad irrisionem illi flectentes. Serpentes, genimina viperarum, Matth. 23. num. 33. quomodo fugietis à iudicio gehennæ, Luc. 5. nu. 7. Dilatabant philacteria sua, & magnificabant fimbrias, amabant primos accubitus in cœnis, & primas cathedras in Synagogis, & salutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi, Matth. 23. num. 5. & 6.

Qui dixerunt linguam nostram magnificabimus, labia vestra à vobis sunt, quis noster Dominus est? Magnificauerunt labia sua, dicentes, non habemus Regem istum, sed Cæsarem: secundum legem nostram debet mori, & propter peccata labiorum suorum destructi sunt à Romanis, vt aliàs diximus, & labijs suis verberati sunt, Prouerb. 10. num. 10. locuti enim sunt labijs, & mouerunt caput, Psalm. 21. num. 8. sed labia illorum muta facta sunt, quia dolosa, Psalm. 30. num. 19. erat enim gladius in labijs eorum, Psalm. 58. num. 8. Et venenum aspidum sub labijs eorum, Psalm. 139. num. 4.

Linguam nostram magnificabimus. Super quem lusistis? super quem dilatastis os? & emisistis linguam? nunquid non vos filij scelestes, semen mendax? Isai. 57. num. 4. Cor enim eorum, quia vanum est, & intumescit, ideò lingua superba, Gregor. p. par. super Ezech. homil. 9. & Euangelista Matth. 12. nu. 34. ex abundantia cordis loquitur os, & idem cap. 15. num. 19. de corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, blasphemiæ.

Linguam suam magnificant, quia sibi videntur esse aliquid, cum nihil sint, Iob 7. num. 7. Memento, quòd ventus est vita mea; laus impiorum breuis est, & gaudium hypocritæ ad instar puncti, Iob 20. nu. 5. & 6. si ascenderit vsque ad Cælum superbia tua, & caput tuum nubes tetigerit, quasi sterquilinium in fine perdetur, & vt somnium auolans non inuenietur, transiet sicut visio nocturna, num. 7. & extenderunt linguam suam quasi arcum mendacij, & non veritatis, Ierem. 9. num. 3. & 5. docuerunt linguam loqui mendacium, vt iniquè agerent, laborauerunt.

Linguam nostram magnificabimus, labia nostra à nobis sunt, quis Dominus noster est? Nos filij Abrahæ sumus, & nemini seruiuimus vnquam: quomodo tu dicis liberi eritis, Ioan. 8. nu. 33. Labia nostra à nobis sunt, quia negant Dominum, & Christum crucifigentes, tanquam à Deo derelicti decernunt quæ sibi ad sensum vtilia videntur, eaq. docent: sic dicebat Caiphas cum esset Pontifex; Vos nescitis quidquam, nec cogitatis, quia expedit, vt vnus moriatur pro populo, & non tota gens pereat, Ioan. 11. num. 50. loquebatur, sed verborum suorum sensum ignorabat, loquelam Iesus audire non poterant, quia ex Diabolo erant, Ioan. 8. num. 44. abscondi à te faciem meam, & indignatus sum. Et abijt vagus in via cordis sui,

Isai. 57. num. 17. nunquid dicebat, ex Principibus aliquis credit in eum, sed turba hæc, quæ non nouit legem, maledicti sunt.

Linguam suam magnificant; in peccatis natus es totus, & ità doces nos? Ioan. 9. nu. 34. & eiecerunt foras cęcum, qui sanus factus fuit, quia nesciebant Dominum, Ioan. dicto cap. 8. num. 14. & erunt, qui sanctificant populum istum seducentes, & qui beatificantur præcipitati, quia omnis hypocrita est nequam, & vniuersum os locutum est stultitiam, Isai. cap. 9. num. 16. & 17. Quid est labia nostra à nobis sunt, nisi scelera nostra à nobis sunt, vel nobiscum sunt? Isai. 59. num. 12. & lingua nostra iniquitatem fatur, & labia nostra loquuntur mendacium, Isai. dicto cap. 59. num. 3. ecce omnes iniusti, & vana opera eorum, ventus, & inane simulachrum eorum, Isai. 41. num. 29. væ impio in malum, retributio enim manuum eius fit ei, Isai. 3. num. 11. Quis noster Dominus est, Isai. dicto cap. 29. num. 15. væ qui profundi estis corde, vt à Domino abscondatis consilium, quorum sunt in tenebris opera, & dicunt, quis videt nos? quis nouit nos? peruersa est hæc vestra cogitatio, quis percutiet nos? quis ingredietur domus nostras? Ierem. 21. num. 53. euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum, dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt, ad Roman. 1. num. 21. & 22. & 24. propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum in immunditiam, &c.

Propter miseriam inopum, & gemitum pauperum, nunc exurgam, dicit Dominus. Misera, & inops erat Gentilitas, nàm inops, qui sine terra est, quia per opem terram intelligimus, quia opem ferat fructificandi, ità Isid. Sterilis enim erat, & sine fructu Gentilitas, & ideò Isai. 54. nu. 1. Lauda, aliàs lætare sterilis, & ad Galat. 4. num. 27. lætare sterilis, quæ non paris, erumpe, & clama, quæ non parturis. Sterilis ante fidem, & post fidem lætare Ecclesia ex gentilitate, quoniam multi filij desertæ, quam eius quæ habet virum, dicit Dominus. Et dicet, quis genuit istos mihi? ego sterilis, & non pariens, transmigrata, & captiua, & istos quis enutriuit? ego destituta, & sola, & isti vbi erant? hæc dicit Dominus; ecce ego leuabo ad gentes manum meam, & ad populos exaltabo signum meum, Isai. 49. num. 21. affer filios meos de longinquo, & filias meas ab extremis terræ, & omnem, qui inuocat nomen meum, in gloriam meam creaui eum, & formaui eum, & feci eum, Isai. 43. num. 7. ideò post aduentum filij Dei ecce auola venit, qui non erat mecum, aduena quondam tuus adiungetur tibi, Isai. vt suprà num. 15. d. cap. 54.

Propter miseriam inopum exurgens Dominus tulit de manu sua calicem soporis, fundum calicis indignationis suæ, Isai. 51. nu. 22. Congregamini ergo, & venite, & accedite simul, qui saluati estis ex gentibus, Isai. 45. num. 20. subleuetur desertum, & ciuitates eius, Dominus sicut fortis egredietur, Isai. 42. num. 13. & sicut vir præliator suscitabit zelum; ducamq; cæcos in viam, quam nescierunt, & in semitis, quas ignorauerunt, ambulare eos faciam, nu. 16. indulsisti genti Domine, indulsisti, Isai. 26. num. 15.

Propter miseriam inopum, Gentilium scilicet, atque Iudæorum, qui ad instar Gentilium etiam ipsi adorabant Idola, vt in libro Iudicum, & in libro Regum: propterea, Matth. 23. nu. 3. Væ vobis Scribæ, & Pharisæi, hypocritæ, & perditi erant propter miseriam, miseri enim erant, & inopes sine fructu, & sine salute animæ, & corporis à Diabolo oppressi, & illi dediti.

Propter enim gemitum pauperum, & eorum scilicet, qui in Lymbo erant, Patrum Sanctorum, & etiam iustorũ in vita existentium, & clamãtium ad Dominum; mise-

miserere nostri Deus omnium, & respice nos; & ostende nobis lucem miserationum tuarum, & mitte timorem in gentes, vt cognoscant, quia non est Deus, nisi tu, & enarrent mirabilia tua, Eccles. 36. per totum, propterea audire meruerunt à Domino.

Nunc exurgam, dicit Dominus, vt liberem vos, ego Saluator. Ponam in salutari, scilicet in Christo Iesu filio meo, scilicet liberationem vestram, festinus velociter veniet, Isai. 5. num 26. ponam miserias vestras in salutari, in Christo filio meo; Et gemitum pauperum, Isai. 53. num. 4. Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit, ipse enim vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra, & Isai. d. cap. 43. num. 24. veruntamen seruire me fecisti in peccatis tuis, præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis, hinc Ambros. super Psalm. 28. Christi mors iustitia est, ipsius sepultura vita est, ipsius resurrectio vita est vniuersorum, & Psalm. 39. num. 3. eduxit me de lacu miseriæ.

Ponam igitur in salutari salutem gentium, contra gemitum lætitiam, & contra paupertatem, diuitias spirituales, hæc Hieron. propter quæ factus est ipse pauper, vt nos omnes ditaret.

Fiducialiter agam in eo, Aug. erat enim docens in templo, tanquam potestatem habens, non sicut Scribæ eorum, Matth. 7. num. 29. & Pharisæi, Ierem. 17. nu. 7. benedictus vir, qui in Domino sperat, & erit Dominus fiducia eius.

Fiducialiter agam in eo, soluite Templum hoc, & in triduo excitabo illud, eiecitquè de templo omnes vendentes, & ementes, faciens flagellum de funiculis, Ioan. 2. num. 15. & num. 20.

Fiducialiter agam in eo, vt mundus per ipsum saluetur, Ioan. 3. num. 17. & quia pater diligit filium, omnia dabit in manu eius, Ioan. 3. num. 35. & ideò sicut Pater suscitat mortuos, & viuificat, sic & Filius, quos vult viuificat, & omne iudicium dedit Filio, Ioan. 5. num. 21. & sequen. hæc est enim voluntas eius, qui misit me, Patris, & omne quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed resuscitabo illud in nouissimo die; hæc est voluntas Patris, qui misit me, vt omnis, qui iudicat Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam, & ego resuscitem eum in nouissimo die, Ioan. 6. num. 40. & num. 69. ad quem imus? Verba vitæ æternæ habes. Fiducialiter agit in eo, quia qui me misit Pater filium, mecum est, & non derelinquit me solum, quia ego, quæ placita sunt ei, facio semper, Ioan. 8. nu. 29. propterea me diligit Pater, quia ego pono animam meam, vt iterum sumam eam, nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à me ipso, & potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi eam; hoc mandatum accepi à Patre meo, Ioan. 10. num. 17.

Fiducialiter agam in eo; quia semper illum audit, Ioan. 11. nu. 42. quia est filius Dei viui, qui in hunc mundum venit, ibidem num. 27. qui est via, veritas, & vita, Ioan. 14. per quem ibimus ad Patrem, & non per alium, Ioan. 14. num. 6. Fiducialiter agam in illo, quia opus, quod dedit illi Pater, vt faceret & ipse filius, quem ille misit in terram, consummauit, Ioan. 17. num. 4.

Eloquia Domini, eloquia casta, argentum igne examinatum, probatum terræ purgatum septuplum, Ioan. 34. num. 16. Requirite diligenter in libro Domini, & legite, vnum ex eis non defuit, quia quod ex ore meo procedit, ille mandauit, & spiritus eius ipse congregauit ea, Cælum, & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt, Matth. 24. num. 35. Dicant quidquid velint Hæretici,

He-

Hebræi, verba vtriusq. testamenti corrumpentes: eloquia Dei pura sunt, casta sunt, nec tempore aliquo ità vitiari poterunt, quin semper lucida appareant, tuncq. erunt recta, & pura, ac lucida in ore Prędicatorum eloquia Dei, si incorruptibiliter prędicentur, & non pretio, vel simulatione, vt ad Philipp.cap.1.nu.15.

Tunc enim castè dicit Hieron. hic, quando prædicant non parentum prouocati amore, non potentum timore, non propter dona præsentia, non pro honore vano, sed cum ipsi Prædicatores verba Dei, & eloquia proferunt, atque prædicant; quæ sunt casta, sint etiam & ipsi casti, nàm si adhuc carnalibus incumbat, necesse est, vt intueri proximorum mentes erubescat, Greg. Moral.4.

Eloquia Domini casta, quia sunt ipsa veritas; quæ quantò magis agitata, plus elucescit, ideò eloquia casta, quia expressa sunt in scriptura veritatis. Omnia mandata eius veritas, Psalm.118.num.86. & lex eius veritas, ibidem num.142. & omnes viæ eius veritas, nu.151. & principium verborum eius veritas, ibidem nu.160. quid mirum si eloquia Domini casta, cum eloquia veritatis dicantur, Prouerb.22. nu.21; propterea illa obserua; quia hæc est omnis homo, Eccles.12. num.14.

Argentum igne examinatum, ecce apparuerunt illis Discipulis dispertitæ linguæ tanquam ignis, seditq. supra singulos eorum, & repleti sunt Spiritu sancto, & cœperunt loqui varijs linguis, Act. Apost. cap.2. num.4. sed quid loquebantur, nisi eloquia Dei casta, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis, dicentes, viri Israelitæ audite verba hæc; Iesum Nazarenum virum approbatum à Deo in vobis virtutibus, & prodigijs, & signis quæ fecit Deus per illum in medio vestri, sicut & vos scitis. Hunc definito tempore, & præscientia Dei traditum, &c. Ecce purgatum terræ, idest in terra, argentum igne examinatum: nàm absque timore Petrus & Ioannes, & alij Discipuli eloquia Iesu Christi prædicabant, Act.4. num.8.

Audite Principes, & Seniores, si nos hodie diudicamur in benefacto hominis infirmi, in quo iste saluus factus est, notum sit vobis omnibus, quia in nomine Iesu Christi Nazareni, quem vos crucifixistis, quem Deus suscitauit à mortuis, in hoc iste astat coram vobis sanus, & num.18. & cum prohiberent illi, ne Apostoli in hoc nomine loquerentur, num.19. Petrus, & Ioannes, dixere, si iustum in conspectu Dei vos potius audire, quàm Deum, iudicate, Angelus quoque Domini aperiens ianuas carceris, & educens Discipulos carceratos, dixit illis, ite, & stantes loquimini, in templo plebi omnia verba vitæ huius, Act.4.num.19.

Argentum igne examinatum, obedire oportet magis Deo, quàm hominibus, dicit Petr. ibidem num.29. purgatum erat à terra illud argentum, nihil terrenum habebat, argentum purum, & probatum in tot afflictionibus, & carceribus, & cruciatibus, probatum septuplum; stantes loquebantur, & virtute magna reddebant Apostoli testimonium Resurrectionis Domini nostri, ibidem num.33. gloriabantur in tribulationibus, ad Rom.5.n.3. hinc Greg. Moral.30. Necesse est autem, vt si qui venturam vitam prędicant, pręsentibus tribulationibus crescant, & ærumnarum igne examinentur, quia igne charitatis debent accendi, vt non solũ sint verbis proflui, sed charitate feruidi, hęc Greg. super homil.1. super Ezech. hi qui in amore Dei prædicando discurrunt, rota currus, & ignis ardens sunt, quia cum ex eius desiderio per varia loca discurrunt, vnde ipsi ardent, & alios succendunt. Ideò debent esse probati terrę, idest separati à terra, quia cum terrena cogitatio in Sacerdotum cordibus excrescit, fęnestrę lumen non fundunt, alludens ad illud Ezech.10.nu.4. & eleuata est gloria Domini desuper Cherub ad limen domus.

Argen-

Argentum igne Spiritus sancti examinatum, idest probatum, & operibus, & miraculis confirmatum, vnde dicebat Iesus: alioquin operibus credite: Spiritus enim sanctus Apostolos, & Prædicatores illuminat, quem ipsi prædicant, Hieron. hic.

Tu Domine seruabis nos, & custodies nos à generatione hac in æternum. Postquam filij hominum à generatione hac recesserunt, & veritatem illius Hæretici diminuerunt, auerterunt, & expilauerunt, & vnusquisque vana loquebatur aduersus proximum suum, & Deum Dominum non agnoscentes dicebant, quis Dominus noster est.

Ecclesia permanens in sua innocentia, & veritate rogat Deum pro sua conseruatione, & custodia, dicens: tu Domine custodi nos à generatione hac: generationem vocat, quia omnes mala agentes, Hæreticos, & Iudæos, & Infideles comprehendere intendit; in circuitu enim veritatis ambulant, neque ad illam accedere volunt, illam minimè attingunt, neque illam intelligere desiderant, quilibet iuxta sensum, & concupiscentiam suam sibi facit legem, & ad illam Euangelicam nolunt accedere.

In circuitu impij ambulant, & tanquam Diaboli ministri circumeuntes, quærunt quem deuorent, labia dolosa in corde, & corde loquentes, propterea Domine serua nos, & custodi à generatione hac impia, quæ circuit, quærens verbum tuum, & non inueniet, Amos 8. num. 12. quia permanet in iniquitate sua secundum altitudinem tuam multiplicasti filios hominum, iustos nimirum, qui sunt filij hominum ratione vtentium, & humana non quærunt, nec terrena respiciunt, sed cælestia: ij enim multiplicati sunt in Ecclesia Dei, idest in Regno cælorum, vbi sunt mansiones illorum; illi enim non sunt de hoc mundo, sicut & ego sum de mundo, dicit Iesus, Io. 17. num. 14. & 15. secundum altitudinem tuam dixit, sicut ego in te Pater, & tu in me vt & ipsi in nobis sint vnum; vide altitudinem in qua positi sunt filij hominum, vt filij Dei nominentur, & sint, Ioan. d. cap. 17. nu. 24. Pater, quos dedisti mihi volo, vt vbi ego sum, & illi sint mecum, & num. 26. & notum feci eis nomen tuum, & notum faciam, vt dilectio, qua dilexisti me, in ipsis sit, & ego in ipsis.

Igitur mandata Dei custodiamus, si locum iustis præparatum ingredi desideramus, non in circuitu sicut impij, sed in veritate Dei ambulemus, quia tunc Dominus seruabit nos, atque custodiet, à maloq. liberabit: eloquia enim Dei casta sunt, vt & nos in castitate corporis, & animæ sine circuitu illa custodientes seruemus.

SOLILOQVIVM.

CVM miserit Deus Saluatorem Iesum Christum propter nos miseros inopes, pro salute animarum nostrarum, & aliorum, gementes, atque postulantes, fiducialiter & nos vestigia illius amplectamur, Dominus enim noster est, & illum scimus, & vnde sit scimus. Lingua nostra non sit magnalia magnificans, quæ sunt terrena, nec labia sint ex nobis loquentia sine Deo: nam Deus disperdit dolosos, & linguam magniloquam, & vana loquentes in cordibus suis, vt proximum decipiant: saluos nos Domine fac ab istis, quoniam, quod iustum est, & sanctum, ab illis defecit, & inter illos non est veritas integra, sed diminuta, & Dominum non confitentur, dicunt enim quis Dominus noster est?

Custo-

Custodi nos Domine à generatione hac in æternum, quia in circuitu impij ambulant, & seruos tuos dilectione tua protege nos semper. Tibi Domine Iesu gloria, tibi imperium, qui venisti, vt nos redimeres sanguine tuo à pœnis inferni, & à lingua dolosa: tibi gratiæ in sæcula sæculorum. Amen.

IN PSALMVM XII.

Vsquequo Domine obliuisceris me in finem? Vsquequo auertes faciem tuam à me?



ONTINVATVR ad præcedentem hoc modo, nàm in præcedenti Psalmo XI. Ecclesia apud Deum conquerebatur, quòd veritates à filijs hominum diminutæ essent, & quia Sanctus defecisset, & multiplicata esset superborum iniquitas: cum interim aduentum Iesu Christi in terra prolongari videret, ita vt Prophetæ quotidie clamabant, Veni Domine, noli tardare.

Nunc anxia de salute populi, zelans salutem animarum, iterum voces in Cælum extollit, dicens. Domine, qui ad tui similitudinem homines in terra creasti, & quia propter primi Parentis peccatum genus humanum perditum erat, vt illud redimeres, & à Diabolo liberares, in mundum Patribus nostris venire promisisti, dicens per Prophetas tuos, Abac. 2. num. 3. Adhuc visus procul, & apparebit in finem, & non mentietur si moram fecerit expecta illum, quia veniet, & non tardabit, ecce festinus velociter veniet, Isai. 5. num. 26. propè est vt veniat tempus, Isai. 14. nu. 5. Deus ipse veniet, & saluabit nos, Isai. 35. num. 4. Viuo ego in hac fide, sed ecce, qui incredulus est, non erit recta anima eius in ipso, diminutæ sunt veritates, defecisse quodammodò sanctum illis videtur.

Vsquequo obliuisceris, me solum permittens sine te esse, si tu populum istum non redimas, salutem recipere non potest; vsquequo Christi filij tui aduentum dilatas: vsquequo faciem, idest humanitatem assumere distulis, & ad me venire retardas?

Iniustitia hominum crescit, te Dominum venturum negant, dicentes, quis Dominus noster erit? Cinis est corpus nostrum, & transibit vita nostra, tanquam vestigium nubis, ità dicunt, non rectè cogitantes apud se, quia nescierunt Sacramenta tua Domine, Sap. cap. 2. dereliquit Dominus terram, & non videt, Ezech. 9. num. 9. & cap. 8. num. 12. Vsquequo obliuisceris Ecclesiæ tuæ in finem, faciem tuam, idest humanitatem nostram assumere differs, Isai. 49. num. 14. dereliquit me Dominus, dixit Sion, & Dominus oblitus est mei; iustitia tua non cognoscetur in terra obliuionis, Psalm. 83. num. 13. ideò repleta est malis anima mea; nunquid narrabit aliquis in perditione veritatem tuam, & in tenebris cognoscentur mirabilia tua? vsquequo Domine obliuisceris me in finem? obliuiosus oblitus es mei, dicit Ose. cap. 1. num. 6. & quare in perpetuum obliuisceris nostri? derelinquis nos in longitudine dierum, Thren. 5. num. 20. & facta est veritas tua in obliuionem, Isai. 59. num. 15.

In proximo ergo Psalmo multiplicitatem delictorum, & iniquorum deducit, & manifestat, in hoc præsenti aduentu Domini accelerat, vt illa deleantur per ipsum enim finem accipit peccatum, Daniel. 9. num. 24.

Titu-

Titulus ergo. In finem Psalmus Dauid, hoc est in Iesum Christum, qui est finis legis, & per quem finem accipit peccatum, oratio, & deprecatio Ecclesiæ pro aduentu Domini in corda peccatorum, & tribulatorum, vt Dominus liberet eos ab insidijs Diaboli, & peccatis. Incipit ergo Psalmus Dauid.

Vsquequo Domine obliuisceris me in finem? Vsquequo auertes faciem tuam à me? Anima mea, ideò turbata est valdè, sed tu Domine vsquequo? Psalm.6.nu.4. vsquequo aufers faciem tuam ab Israel, ab Ecclesia tua? 4.Reg.17.num.23. nonne tu Dominus Deus noster, quem expectamus, nunquid Sion abominata est anima tua? Ierem.14.num.19.& 22. vsquequo Domine clamabo, & non exaudies, vos ciferabo ad te vim patiens, & non saluabis? Abac.1.num.2.& 3. mundi sunt oculi tui, ne videant malum, & respicere ad iniquitatem non poteris, quare respicis super iniqua agentes, & taces, deuorante impio iustiorem se.

Vsquequo auertis faciem tuam à me? à facie tua dolens clamabo, & in angustia peccatorum meorum, Isai.26.num.17. rogo Maiestatem tuam, veni Domine, noli tardare, relaxare facinora plebis tuæ.

Veni vt saluos facias nos, Psalm.79.num.3. quando venies ad me, psallam, & intelligam in via immaculata, Psalm. 100.nu.2. Domine Deus ne auerteris faciem Christi à me: memento misericordiarum Dauid serui tui, 2.Paralip.cap.6.num.42. quamdiù ponam consilia in anima mea, dolorem in corde meo per diem? quasi dicat Domine Deus noster iam nobis est confusio, tibi verò iustitia; iniquitatem fecimus impiè gessimus declinantes à mandatis tuis, animã consului, cor meum boni consilij statui mecum, Eccles.37.nu.17.& quæsiui vndè hæc iniquitas populi, & mala illius opera, vt Deum verum non cognoscant, & mandatis suis non obtemperent; vnde dilatio aduentus Domini Dei mei, vt redimat, antequam mala multiplicentur?

Et respondit, quia non rogauimus faciem suam, humanitatem scilicet, vt acciperet, & vt citò veniret: quia non sumus reuersi ab iniquitatibus nostris, nec veritatem eius cogitauimus, nec ab offensionibus ipsi factis, recessimus: Propter hoc lacerata est lex, & non peruenit vsque ad finem iudicium, quia impius præualet aduersus iustum, propterea egredietur iudicium peruersum, Abac.1.num.4. cognouit enim Deus multa scelera vestra, & fortia peccata vestra; ideò prudens in tempore illo tacebit, quia tempus malum est, Amos cap.5.num.12.& 13. Reliquit hominem Deus, quando illum formauit in manu consilij sui, & ante illum apposita est, & vita, & mors, bonum, & malum, quod sibi placuit datum est illi, scilicet mors, quia mandata, & præcepta non custodiuit, Eccles.15.nu.14. cum sequen. ideò vnusquisque abijt in sensum cordis sui maligni facientes mala ante oculos Domini Dei nostri, Baruch.1.num.22.

Respice, & exaudi me Domine Deus meus: illumina oculos populi tui, ne vnquam obdormiat in morte, & dicat inimicus Diabolus, præualui aduersus eum, & exultabit, si motus fuerit iustus à via tua; vsquequo Domine retardas, & non venis; non obliuiscaris nostri, veni Domine, veni, quia tunc exultabit cor meum in salutari suo.

Iterum dico, quamdiù ponam consilia in anima mea? quod consilium? nisi illud, de quo Isai.5.num.19. veniat consilium Sancti Israel, & aspice, Isai.5.num.19. egredietur de radice Iesse, spiritus Domini, spiritus consilij, & fortitudinis, Isai.11. num.1.& 2.& dispertiantur linguæ tanquam ignis ardentis super capita fidelium, Act.Apost.cap.2.

Quam-

Quamdiù ponam consilia in anima mea? adhibuero scilicet Prophetas tuos, & sapientes, & qui mihi diem aduentus tui manifestum faciant; quamdiù lacrymis animam meam lauabo, & affligam me in conspectu tuo, dolorem in corde meo per diem? idest toto tempore vitæ meæ debeo semper dolere, & mœreri, quia pacem peccatorum videam, & salutem iustorum nondum agnoscam? quamdiù ponam consilia. Hieron. hic. Patior hæc quoadusque per spirituale consilium te requiram, per illud lumen iustitiæ, quod perdidi: notitiæ tuæ apponam dolorem super tenebras peccatorum, hoc est agam pœnitentiam? hæc Hieron.

Augustin. verò inquit, consilio opus non est, nisi in aduersis, ergo sic dictum est, quamdiù ero in aduersis. Vel quamdiù obliuiscetur Deus me in finem? quamdiù ponam consilium in anima mea, vt perfectè misericordiam operer, tunc enim Deus notitiam sui facit, quocircà desiderans Dauid liberari, dolorem tota die in corde, idest intimè habet, hæc Augustin.

Quamdiù ponam consilia in anima mea? dolorem in corde meo per diem? non enim ori meo dabo, vt temerè loquatur, nec dabo os meum, vt peccare faciam carnem meam, Eccles. 5. num. 1. & num. 5. neque cor meum erit velox ad proferendum sermonem meum coram Deo: ipse enim est in Cælo, & ego super terram, sed ponam consilium Domini in anima, vt obseruem præcepta illius, & mandata: & cum dolore fleam offensiones, quas Deo meo dedi, & coram illo feci, & tamdiù dolebo, donec illa deleat, & exaudiens me Dominus mittat filium suum vnigenitum, vt exultans in salutari suo psallam nomini Domini Altissimi, vt inimicus meus confundatur, & amplius non præualeat aduersum me.

Vsquequo exaltabitur inimicus super me? respice, & exaudi me Domine Deus meus; Peccaui enim Domine, & propter peccata mea exaltasti dexteram deprimentium me, Psalm. 88. num. 43. destruxisti, & non pepercisti, lætificasti super me inimicum, Thren. 2. num. 17. vsquequo auertes Domine, in finem exardescet sicut ignis ira tua: memor esto opprobrij serui tui, d. Psalm. 88. num. 51. respice Domine afflictionem populi tui, & exaudi me, scio enim quia expectas peccatorem ad pœnitentiam, vt miserearis, & tunc etiam tu exaltaberis, vt nobis parcas, Isai. 30. num. 18. quia Deus iudicij Dominus, & qui expectant te beati, Isai 30. num. 18. propterea veni Domine vsquequo? expecto enim ego, vt cum exaltatus fueris, disperdas omnes inimicos tuos, Isai. 33. num. 3. respice in me, & exaudi me, & miserere nostri, ostendens nobis lucem miserationum tuarum.

Alleua manum tuam super gentes alienas, ne videant potentiam tuam, festina tempora, & memento finis, vt enarrent mirabilia tua, Eccles. 36. num. 8. exaudi me Domine Deus, omnes fines terræ intueris Domine, & omnia, quæ sub Cælo sunt, respicis, Iob 28. num. 24. veruntamen ego clamo ad te, & non exaudis me; sto, & non respicis me, Iob 30. num. 20. respice Domine vineam tuam, quia desolata est, respice Domine de domo sancta tua in nos, & inclina aurem tuam, & exaudi nos, Baruch. 2. num. 16. respice ad humilitatem meam, & faciem Sanctorum tuorum attende, & ostende, quoniam non derelinquis præsumentes de te, Iudith. 6. nu. 15.

Illumina oculos meos, ne vnquam obdormiam in morte. Libera animam meam, ne pergat in interitum, sed viuens lucem videat, & illumina lucem viuentium, Iob 33. num. 28. & 30. De oculis ergo cordis intelligit, vt delectabili defectu peccati, claudantur, August. hic. Domine peccator sum, nàm nullus sine crimine viuit; sed tu Domine lumen claritatis tuæ infunde in anima mea, ne

occu-

occupatus vmbra mortis peccati locum pœnitentiæ non inueniam, & non ſit remedij locus, & hoc ſignificat dormire, Senec. Epiſt. 29. quando quis ſic ſe opprimit peccandi conſuetudine, quòd nec blanditijs allici, nec minis terreri poſſit, vt ad bonum excitetur, Prouerb. 23. num. 34. & 35. Et eris ſicut dormiens in medio maris, & quaſi ſopitus gubernator amiſſo clauo, & dices, verberauerunt me, ſed non dolui, traxerunt me, & ego non ſenſi, vndè Iſid. lib. 2. de ſummo bono; Irriſor eſt, & non pœnitens, quòd adhuc agit, quòd pœnitet.

Illumina ergo oculos meos, vt filius lucis ſim, & filius diei, non noctis, & tenebrarum, illi enim qui dormiunt, nocte dormiunt, ſicut qui ebrij ſunt, nocte ebrij ſunt, 1. ad Theſſal. cap. 5. num. 6. & 7. ego verò diei, non noctis ſim, ſobrius, loricam fidei indutus, & charitatis, & galeam etiam ſpem ſalutis, Iſai. 59. num. 17. & ad Epheſ. 6. nu. 17. Ne vnquam obdormiam in morte dixit, qui enim taliter obdormiunt, amplius à peccato non reſurgunt, Iſai. 43. num. 17. ſecus de his, qui in Domino obdormiunt, qui beati nuncupantur ſicut legimus de Stephano, qui poſitis genibus clamans voce magna obdormiuit in Domino, Act. 7. num. 59.

Ne quando dicat inimicus meus, præualui aduerſus eum. Tu Deus meus es, ad te confugio, in te confido, non in iniquis hominibus, contrà quos inclinante te manum tuam, corruent, conſummabunturq. Iſai. cap. 31. num. 3. & erit ſicut puluis tenuis multitudo ventilantium me, & ſicut fauilla pertranſiens multitudo eorum, qui contrà me præualuerunt, Iſai. 29. nu. 5. Dominus in Templo ſancto ſuo, ſileat à facie tua omnis terra, Abac. cap. 2. nu. 20. non præualeat inimicus meus aduerſum me.

Qui tribulant me, exultabunt, ſi motus fuero, ego autem in miſericordia tua ſperaui: In te enim Domine ego ſum, in te permaneo; non facias me peccato conſentire, quia tunc à te motus ero, & inimicus meus gaudebit, Eccleſ. cap. 18. numer. 31. ſi præſtitero animæ meæ concupiſcentias eius, faciat me in gaudium inimicis meis, manus ergo peccatorum non me moueat, Pſalm. 35. num. 12. conſidera timorem pœnitentis, & iuſti, non ſolum caſum, ſed motum quemlibet etiam minimum timet mentis ſuæ contrà præcepta Domini, dubitat à tentationibus Diaboli.

Propterea gaudent, ſi motus fuero, ego autem in miſericordia tua ſperaui, qui noſti, pios de tentationibus eripere, 2. Petr. cap. 2. num. 9. & cum illis in contritione ambulans, Eccleſ. cap. 1. num. 18. Ego autem in miſericordia tua ſperaui, Hieronym. hic: Ipſi, quorum pedes moti ſunt, quia in veritate Dei non ſteterunt, ſi meos pedes, hoc eſt ſenſus meos de fide Catholica potuerint elongare, tunc exultabunt, ideſt gaudebunt, vt ait Propheta, Pſalm. 72. numer. 2. mei autem penè moti ſunt pedes, ſed ego in tua miſericordia ſpero, vt ſtabiliar in fide, hæc Hieronymus.

Exultabit cor meum in ſalutari ſuo, cantabo Domino qui bona tribuit mihi, & pſallam nomini Domini Altiſſimi. Quando veneris Domine, cor meum exultabit in aduentu tuo, in te ſalutari meo, Ieſu Chriſto Domino meo, qui bona tribuis mihi, ideſt virtutes Eccleſiæ, ideſt fidem, ſpem, & charitatem, & in futuro vitam æternam, ego verò operibus ſatisfaciam Altiſſimo Domino meo, pſallendo, & ex toto corde meo laudando, & benedicendo illum, & cum gaudio gratias agendo.

Propterea exulta cor meum in Deo Saluatore tuo, quoniam bona tribuit tibi, &

in toto corde lauda illum, & psalle operando in tua simplicitate, & animo contrito, quia misericors est Dominus, non ideò, dicit Daniel 9. num. 18. in iustificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis, tibi ergo Domino Deo nostro misericordia, & propitiatio, ibidem num. 9. & Gregor. Moral. 8. Hoc ipsum quod iustè viuimus, verè culpa est, si vitam nostram cum iudicat, hanc apud se misericordia Diuina non excusat.

SOLILOQVIVM.

IN te ergo Domine spes mea, veniant, qui tribulant me, quia non mouebor in æternum, si tu Domine illuminaueris oculos meos, ne vnquam obdormiam in morte peccati; neque præualebit aduersum me inimicus meus, si tu respiciens me exaudias Domine Deus. Iàm posui in anima mea consilia tua, vt nunquam discedam, nunquam declinem à mandatis tuis, patiaris me Domine vltrà vires tentari: nec obliuiscaris mei in finem, permittendo exaltationem inimici mei super me; sed respice, & exaudi me, Domine Deus respice humilitatem meam, & infirmitatem carnis, in qua positus sum: nec auertas faciem tuam à me, quia seruus tuus sum ego, redemptus sanguine tuo, Domine miserere. Amen.

IN PSALMVM XIII.

Dixit insipiens in corde suo: non est Deus.

TITVLVS. In finem, Psalmus Dauid. Continuatur ad præcedentem; nàm ibi Ecclesia nomine populi sui Christiani de iniquorum persecutione, infideliū dolens excitabat aduentum Domini, dicens, Vsquequo Domine, &c. in isto verò Psalmo infidelitatem deplorat Iudæorum, & aliorum Deum negantium, qui non crediderunt, Iesum Christum esse verum Dominum, & Deum, & aduentum illius, non cognouerunt, & negarunt, effusionem sanguinis illius procurantes, & viam pacis non cognoscentes; Veloces pedes eorum, dicens ad effundendum sanguinem.

Titulus, In finem: in Christum, qui est finis legis ad iustitiam omni credenti; dicit Augustin.

Summa Psalmi hæc est. Infidelitatem populi erga Deum, quem etiam illi negant esse Deum, & illorum ignominiam, & malorum suorum detestationem, populi verò Christiani redemptionem, & exultationem, atque lætitiam prædicit Psalmista.

Dixit insipiens in corde suo, non est Deus. Verè insipiens est iste, qui etiam comparatur iumentis insipientibus, & similis factus est illis, vt Psalm. 48. nu. 21. proptereà simul insipiens, & stultus peribunt, dicto Psalm. 48. num. 11. Quæ dicta sunt in hoc Psalmo, eadem repetentur in Psalmo 52. de quo infrà dicemus: nec mirum ergo si non sit intelligens Deum, & sacramenta eius; nàm vir insipiens, & stultus

ſtultus non cognoſcit, nec intelligit hæc, & ideò cum exorti fuerint, ſicut fœnum interibunt in ſæculum ſæculi, Pſalm. 91. num. 7. doctrina enim vanitatis illius lignum eſt, Ierem. cap. 10. num. 8. & cum defecerint ligna, extinguetur ignis, Prouerb. 26. num. 20.

Et quia iſte Pſalmus de Paſſione Domini loquitur, qui ſint illi inſipientes videamus, & eundem Prophetam, qui ſint declarantem inueniemus: omnes enim, ait declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum. Non ſolum ergo Iudæi, ſed etiam Diſcipuli aliquando inſipientes fuerunt, Luc. 18. num. 34. & ipſi nihil horum intellexerunt, & erat verbum abſconditum ab eis, & non intelligebant, quæ dicebantur; durus eſt hic ſermo, & quis poteſt eum audire? Ioan. 6. nu. 61. & erant ex Diſcipulis, qui hæc dixerunt, & abierunt, Ioan. 6. num. 61. & 67. neque enim fratres eius credebant in eum, Ioan. 7. num. 5. Quis ille verò vnus ſit, quia dixit, non eſt vſque ad vnum: Ioannem dicemus, inuenio enim in Euangelio, Ioan. cap. 1. num. 26. & 29. Ego baptizo in aqua, medius autem veſtrum ſtetit, quem vos neſcitis: iſte eſt Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi, & num. 32. & teſtimonium perhibuit Ioannes, dicens, quia vidi ſpiritum deſcendentem, quaſi columbam de Cælo, & manſit ſuper eum, & eſt, qui baptizat in Spiritu ſancto, num. 34. & ego vidi, & teſtimonium perhibui, quia hic eſt filius Dei, & de Diſcipulis quid dixerit Deus, Ioan. 14. num. 9. tanto tempore vobiſcum ſum, & non cognouiſtis me? & in captura Ieſus Diſcipuli eius, illo relicto, omnes fugerunt, Marc. 14. num. 50. Matth. 26. num. 56. Iudæi ergo, ſimul & Gentiles ſunt illi inſipientes, & Chriſtiani peccatores.

Dixit ergo inſipiens, ſed quare non dicit inſipientes, ſed dixit in ſingulari numero inſipiens? Cogitabam Prophetam intellexiſſe de illa progenie viperina particulariter, de qua Matth. cap. 12. num. 34. & generatione Phariſaica, progenies viperarum quomodo poteſtis bona loqui, cum ſitis mali? & in cap. 23. eiuſdem Matth. per totum, qui claudebant regnum Cælorum ante homines, qui non intrabant, nec introeuntes ſinebant intrare, & qui circuibant mare, & aridam, vt facerent vnum proſelytum, & cum erat factus, faciebant illum filium gehennæ duplo, quàm illi, vt ibidem, num. 15. Iſte enim populus ſemper fuit Deo rebellis etiam à die, qua Moyſes cœpit illos noſcere, Deuteron. 9. num. 25. neque Deo credebant, nec vocem eius audire volebant, vt ibidem; & idem populus Chriſtum eſſe Deum negauit, Deuter. 32. num. 21. ipſi me prouocauerunt in eo, qui non erat Deus, gens abſquè conſilio, & ſine prudentia, num. 28. generatio peruerſa, & infideles filij, ibidem num. 20.

Inſipiens ergo generatio illa peruerſa, dixit in corde ſuo, non eſt Deus. Sed quomodo in corde ſuo, cum etiam verbis expreſſis, & factis negauerint, illum eſſe Deum, & vt occideretur inſtiterunt, & obtinuerunt, vt crucifigeretur, Matth. cap. 26. in fine, & num. 26. ſed ex dictis per Ieſum, Matth. cap. 15. num. 19. de corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, &c. patet reſponſum. Dixerunt ergo in corde ſuo non eſt Deus, venite, occidamus eum, Sap. 2. num. 17. & 20. neſcitis quidquam, melius eſt, vt vnus moriatur pro populo, &c. Ierem. cap. 5. num. 11. præuaricatione præuaricata eſt in me domus Iſrael, & domus Iuda, ait Dominus, & dixerunt, non eſt ipſe, neque veniet ſuper nos malum, & negauerunt Dominum. Populo ergo huic factum eſt cor incredulum. & exaſperans, receſſerunt, & abierunt, & non dixerunt in corde ſuo:

Metuamus Dominum Deum nostrum, iniquitates vestræ declinauerunt hæc: & peccata vestra prohibuerunt bonum à vobis, Ierem. dicto cap. 5. num. 23. & 25. Quid ergo mirum, si dixerunt, quia non est Deus? cum iniquitates illorum obcęcauerint illos, Isai. cap. 3. num. 14. vos enim depasti estis vineam meam, & rapina pauperis in domo vestra: Populus stultus factus est, qui non habet cor; habet oculos, & non videt, Isai. 6. num. 10. Isai. cap. 9. num. 17. omnis hypocrita est, & nequam, & vniuersum os locutum est stultitiam: Bernard. lib. de Gradibus humilitatis; concupiscentia reminiscente, sopitur ratio, ligat consuetudo, & trahitur miser in profundum malorum, tradetur captiuus tyrannidi vitiorum, ità vt carnalium voragine desideriorum absorptus, suæ rationis denique timore oblitus dicat insipiens in corde suo, non est Deus: hæc Bernard. Ierem. dicto cap. 5. num. 1. Circuite vias Ierusalem, & aspicite, & considerate, & quærite in plateis eius, an inueniatis virum facientem iudicium, & quærentem fidem, & propitius ero ei; quòd si etiam dixerint, viuit Dominus, hoc falso iurabunt; non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum; ideò.

Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in studijs suis, quia consuetudo peccandi irrepsit in illum populum; Ex vitijs enim vitia oriuntur, Ioel 1. num. 34. residuum erucæ comedit locusta, & residuum locustæ comedit bruchus, & residuum bruchi comedit rubigo, Ioel 1. num. 14. Contra enim Deum est, manus illius gentis, Mich. 2. num. 1. ideò propter immunditiam eius corrumpitur putredine pessima, dicto cap. 2. num. 10. & Ierem. 13. num. 9. putrescere faciam sic superbiam Iuda, & superbiam Ierusalem multam, quòd si dixeris in corde tuo, quare venerunt hæc mihi? propter multitudinem iniquitatis tuæ, &c. putredo enim iàm est in ossibus eius, Prouerb. 12. num. 4. & ideò dicit Dominus super eum effundam quasi aquam iram meam, quoniam cœpit abire post sordes, & ego quasi tinea Ephraim, & quasi putredo domus Iuda, Ose. 5. num. 10. nomen eorum putrescet, & os eorum operit iniquitas, Prouerb. 10. num. 6. & 7. vtraquè ergo illis euenient dignè, quia malè senserunt de Deo, Sap. 14. nu. 30. Vniuersi etenim corrupti sunt, Ierem. 6. num. 28. & abominabiles facti sunt, sicut ea, quæ dilexerunt, Ose. 9. num. 10.

Dixit insipiens, non est Deus. Hæc enim cogitauit, & errauit, excęcauit enim illum malitia eius, dicto cap. 2. num. 22. dixit in corde suo. Canes muti non valentes latrare, canes impudentissimi nescierunt saturitatem, omnes in viam suam declinauerunt. Vnusquisque ad auaritiam suam, à summo vsquè ad nouissimum, Isai. 56. nu. 11. super quem lusistis? super quem dilatastis os, & eiecistis linguam? nunquid vos filij scelestes, semen mendax? Isai. 57. num. 4. abijt vagus in via cordis sui; propterea abscondit à te Deus faciem suam, & indignatus est propter iniquitatem auaritiæ tuæ, ibidem num. 17. ecce quid faciet vobis, qui dereliquistis Dominum, & obliti estis illum.

Numerabo vos, inquit in gladio, & omnes cæde corruetis, Isai. 64. num. 12. dicunt enim in corde suo, non est Deus, quia, vt dixi, apertè dicere hoc, quòd non sit Deus, non valent, neque audent, quia omnia elementa, & homines contra ipsos consurrexissent, & deglutissent illos; factis tamen expresè illum negant; nàm.

Corrupti sunt; & abominabiles facti sunt in studijs suis, in malis, & iniquis operationibus contra Deum, & proximum. Vndè contra istos, inquit Paul. ad

Tit.

Tit. cap. 1. num. 15. & 16. Coinquinatis, & infidelibus nihil est mundum, sed inquinatæ sunt eorum mentes, & conscienciæ, confitentur se nosse Deum, factis autem negant, cum sint abominati, & incredibiles, & ad omne opus bonum reprobi, 1. Ioan. 2. num. 4. Qui dicit se nosse Deum, & mandata eius non custodit, mendax est, & in hoc veritas non est, & 2. Epist. cap. 1. nu. 9. omnis qui recedit, & non permanet in doctrina Christi, Deum non habet. Non reuersi sunt à studijs suis pessimis, 2. Esdr. 9. num. 35. student calicibus epotandis, Prouerb. 23. nu. 30. à minore quippè vsque ad maiorem omnes auaritiæ student, & à Propheta vsque ad Sacerdotem cuncti faciunt dolum, confusi sunt, quia abominationem fecerunt, quin potius confusione non sunt confusi, & erubescere nescierunt, quamobrem cadent irruentes, Ierem. 6. num. 19. & sequen.

Dixit insipiens malè operando, & in suis operibus pessimis confidendo; non est Deus; hoc dicis, quia non statim Deus corripit te? nō est qui extinguat propter malitiam studiorum tuorũ; grauitate pœnæ recompensat Deus, si tardat. Quid dicis? quis percutiet nos? quis ingredietur domus nostras? audi Dominum, quid loquatur: Visitabo vos iuxtà fructum studiorum vestrorum, & succendam ignem in saltu eius, & deuorabit omnia in circuitu eius, Ierem. 21. nu. 12. & 14. & consummentur à minimò vsque ad maximum in gladio, & in fame morientur, & erunt in iusiurandum, & in miraculum, & in maledictionem, & in opprobrium, & iudicabo te iuxtà vias tuas, & ponam contra te abominationes tuas, & non parcet oculus meus super te, Ezech. 7. num. 3. Ierem. 44. num. 12.

Abominabiles facti sunt in studijs suis, in iniquitatibus suis, non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum; à maximo vsque ad minimum: omnes enim clamabant, Crucifige eum; non est hic homo à Deo missus: nonnè benè dicimus nos, quia Samaritanus es, & Dæmonium habes, Matth. 27. nu. 23. Ioan. 7. nu. 20. abominabiles facti sunt in studijs, dicebant enim, quid facimus, quia hic homo multa signa facit? Consilium fecerunt, vt Iesum traderent, & occiderent, Matth. cap. 27. num. 1. Marc. 15. nu. 1. Non est, qui faciat bonum, non est vsque ad vnum; nàm omnes morti illius consenserunt, væ qui scribentes iniustitiam scripsistis; in conculcationem enim vt lutum platearum conculcabimini, Isai. cap. 10. nu. 1. & 6. Væ qui profundi estis corde, quia omnes iniusti, & vana opera eorum, ventus, & inane simulachrum, Isai. cap. 41. nu. 29. & idem, vt à Domino abscondatis consilium, quorum opera sunt in tenebris, & dicitis, quis vidit nos, aut quis nouit nos? peruersa est vestra cogitatio, quasi si lutum contra figulum cogitet, & dicat opus factori suo, non fecisti me, & figmentum dicat factori suo, non intelligis, Isai. 29. num. 15. cum sequen.

Dixit insipiens in corde suo, quia nutritus est in luto, & non in spiritualibus cibis, sed terrenis, cuius finis interitus, cuius Deus venter est, & gloria in confusione eorum qui terrena sapiunt, ad Philippens. 3. num. 19. omne enim quod reptat super terram, abominabile est, nec assumitur in cibum, Leuit. 11. num. 41. omnia quæ de terra sunt in terram conuertentur, sic impio, & maledicto in perditionem, Eccles. 41. num. 13. Ioan. Epist. 2. num. 7. multi seducentes exierunt in mundum, non confitentur Iesum Christum venisse in carnem, hic est Seductor, & Antichristus, &c. & num. 9. omnis, qui recedit à doctrina Christi, Deum non habet, & qui Aue ei dixerit, communicat operibus eius malignis.

Dominus de Cælo prospexit super filios hominum. De Cælo enim prospexit, &

ſic de longinquo, non ſtat propè, non proſpicit circà, nec propè ſuper filios hominum, ſed de alto proſpicit, quia filij hominum erigunt ſe in ſuperbia, & Dominus fugit ab illis, de longè ſtat, in altum proſpicit, quia filij hominum ſunt, qui terrena ſapientes, filij peccatores ex peccatoribus. Non ſic filij Dei; iſti enim ſe humiliant, & Dominus deſcendit ad illos, quia excelſus eſt Dominus, & humilia reſpicit, & alta de longè cognoſcit; alta ideſt ſuperba de longè cognoſcit, vt deprimat. Auguſtin. in Serm. de Aſcenſione Domini, qui eſt 175. de tempore, habitat enim Deus cum contrito, & humili ſpiritu, vt viuificet ſpiritum humilium, & viuificet cor contritorum, Iſai. 57. num. 15. & eſt propè timentibus eum, Pſalm. 84. num. 10. propè enim es tu Domine, & omnes viæ tuæ veritas, Pſalm. 118. nu. 171. intueris enim illos Domine, ſed non propè, Num. 24. n. 17. idcircò Paul. ad Epheſ. 2. num. 13. nunc autem in Chriſto Ieſu vos qui aliquando eratis longè, facti eſtis propè in ſanguine Chriſti, & nu. 17. & veniens euangelizauit pacem vobis, qui longè fuiſtis, & pacem ijs qui propè.

Dominus ergo de Cælo proſpexit, de Cælo deſcendit, & venit in mundum, vt videat, ſi eſt inter Iudæos iàm populum ſuum, non inter Gentiles, qui de longè erant à cognitione Dei, & ab ipſorum ſalute, ſi inter illos Hebræos ſint intelligens, aut requirens Deum, erant enim omnes illi Principes Sacerdotum, & Scribæ populi intelligentes, quòd in Bethlem Iudæ naſci debebat Ieſus Dominus iuxta dicta per Mich. cap. 2. num. 2. quando illos interrogauit Herodes, & turbatus ſciſcitabatur ab eis, vbi Chriſtus naſceretur, Mich. dicto cap. 2. num. 4. turbatus eſt Herodes, & omnis Ieroſolyma cum eo; audiuit vbi Chriſtus naſci deberet, ſciſcitabatur non vt requireret, ſed vt perderet eum, non fuit intelligens, & requirens Deum, nàm Iudæi videntes turbas, vt audirent verbum, repleti ſunt zelo, & contradicebant his, quæ à Paulo dicebantur blaſphemantes; Vndè conſtanter Paulus dicebat illis, vobis oportebat primum loqui verbum Dei, ſed quoniam repellitis illud, ecce conuertimur ad gentes; poſui enim te in lucem gentium, ſicut ſcriptum erat, Iſai. 49. nu. 6. audientes autem gentes gauiſæ ſunt, & glorificabant verbum Domini, & crediderunt quotquot erant prædeſtinati ad vitam æternam, ecce quomodo omnes, qui propè erant declinauerunt Iudæi, ſcilicet inutiles, facti ſunt, non eſt inter illos, qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum. Erant enim Sacerdotes illi Iudæi, & Principes, propterea erat Deus ori eorum propè, ſed longè à renibus eorum, Ierem. 12. num. 2. propè ori erat, qui tanquam ſacerdotes pſallebant, longè à renibus, quia adulteri, & ſceleſtes, Daniel. 13. num. 8. & ſequen. exarſerunt enim in concupiſcentiam eius, Oſe. 4. num. 2. ſicut Vacca laſciuiens declinauit, num. 16. illi facti ſunt de longè, qui erant propè, qui verò de longè erant, Gentiles ſcilicet, quia audierunt verbum Dei, facti ſunt propè, dicto Pſalm. 84. num. 10. propè eſt inuocantibus eum, creaui fructum labiorum, pacem, pacem ei, qui de longè eſt, & qui propè dixit Dominus, & ſanaui eum, Iſai. 57. nu. 19. impij autem quaſi mare feruens, quod quieſcere non poteſt, & redundant fluctus eius in conculcationem, & lutum, Iſai. d. cap. 29. num. 18. & audient in die illa ſurdi verba libri, & de tenebris, & caligine oculi cœcorum videbunt, & addent mites in Domino lætitiam, & pauperes homines in ſancto Iſrael exultabunt, quoniam defecit qui præualebat, conſummatus eſt illuſor, & ſuccenſi ſunt omnes, qui vigilabant ſuper iniquitatem, & qui peccare faciebant homines in verbo, & arguentes in porta ſupplantabant, & declinauerunt fruſtrà à iuſto.

Omnes

Omnes ergo declinauerunt à iusto, scilicet simul inutiles facti sunt, docebant enim Populum peruersa, & peccare faciebant homines, nàm tunc confusi sunt, sed modò postquam viderunt filios suos Apostolos, scilicet opera manuum Domini, in medio sui, idest in templo sanctificantes Nomen Iesus, & prædicantes Deum filium Dei Patris, declinauerunt oculos suos, vt non viderent Cælum, Daniel. d. cap. 13. num. 9.

Omnes declinauerunt, de Iudæis loquitur, nàm populus ille electus erat, & Deo carus: populus verò Gentilis non erat sapiens, & Deum ignorabat; declinauerunt ergo, & simul inutiles facti sunt, nàm veritas non est, non misericordia, & non est scientia Dei in terra, Ose. d. cap. 4. num. 1. & 6. conticuit populus meus, eò quod non habuerit scientiam meam, quia tu scientiam repulisti, propterea repello te, vt non sacerdotio fugaris mihi, &c.

Declinauerunt Sacerdotes, & simul cum populo inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum; quoniam dereliquerunt Dominum, & non custodierunt præcepta eius, ibidem num. 10. Ierem. 5. num. 27. domus eorum plenæ dolo; ideò magnificati sunt, & ditati, incrassati sunt, & impinguati, & præterierunt sermones meos pessimè, &c. Isai. 59. per totum, iniquitates vestræ diuiserunt inter vos, & Deum vestrum, & peccata vestra absconderunt faciem eius à vobis, ne exaudiret cogitationes vestras, cogitationes inutiles: opera eorum, opera inutilia, & opus iniquitatis in manibus eorum, num. 6.

Simul inutiles omnes facti sunt, & declinauerunt, Ierem. 5. num. 31. Prophetæ prophetabant mendacium, & Sacerdotes applaudebant manibus suis, & populus meus dilexit talia. Omnes declinauerunt, inutiles simul facti sunt, oculos suos statuerunt declinare in terram, Psalm. 16. num 11. neque quis erat sibi soli, sed dementiam spargit in proximos, accipitq. inuicem, & ideò in singulis vitia plurimorum sunt; quia illa populus dedit, cum facit quisque peiorem, peior factus est, Senec. epist. 95. & cap. 31. inter causas malorum nostrorum est, quòd viuamus ad exempla: propterea simul insipiens, & stultus peribunt, Psalm. 48. nu. 11. & Isai. c. 1. num. 28. & conterent scelestes, & peccatores simul, & num. 31. & succendentur vtrunque simul, & non erit qui extinguat, & Isai. 31. num. 3. corruet auxiliator, & cadet, cui præstitit auxilium, simulq. omnes consummentur, vndè Ierem. cap. 5. num. 5. optimates, & pauperes simul confregerunt iugum, ruperunt vincula, & Ierem. cap. 6. num. 10. Cui loquar? & quem contestabor, vt audiat? ecce incircuncisæ aures eorum, & audire non possunt, ecce verbum Domini factum est eis in opprobrium, & non suscipient illud, &c. effunde super paruulum foris, & super consilium iuuenum simul, vir enim cum muliere capietur, & senex cum pleno dierum: simul inutiles facti sunt, Psalm. 51. num. 4. ne simul tradas me Domine cum peccatoribus, Psalm. 27. & cum operantibus iniquitatem ne perdas me.

Sepulchrum patens est guttur eorum, quia cor eorum corruptum est, & ideò abominabiles facti sunt, quia ità superbia elata est, vt neque Deum in corde suo esse dicant, propterea omnia facinora sibi licita credunt, ex præcordijs enim illorum fœtentibus eructant omnia genera delictorum, Eccles. 11. num. 32. Matth. 16. num. 6. & 12. sicut enim eructant fœtentium præcordia, sic & cor superborum, ideò cauendum à fermento Pharisæorum, de quorum corde exeunt, sicut de alijs iniquis cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, blasphemiæ,

miæ, falsa testimonia, hæc enim sunt quæ coinquinant hominem, sicut fœtor ex præcordijs fœtentium inficit, ideò.

Sepulchrum patens est guttur eorum, quia fœtent sicut sepulchrum, quia oriuntur fœtores, & mali odores ex illo, percutietq. illos Deus aëre corrupto, qui ex ore fœtido nascitur illius, Deut. 28.num.22. Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt, nàm in corde illorum venit musca grauissima in domo Pharaonis: domus enim Diaboli est vir iniquus, & corrupta est terra istorum iniquorum ab huiusmodi muscis, Exod. 8. num. 24. & illos muscarum & locustarum morsus occident, & non inuenietur sanitas in anima illorum, quia digni sunt ab huiusmodi exterminari, Sap. 16. num. 9.

Qui odores ex sepulchro gutturis eorum, & fœtores oriantur, narrat Psalmista, dicens; linguis suis dolosè agebant, venenum aspidum sub labijs eorum, quorum os maledictione plenum est. Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem, ad Rom. 3. num. 14. Pedes illorum currunt ad malum, festinant, vt effundant sanguinem innocentem: cogitationes eorum cogitationes inutiles, vastitas, & contritio in vijs eorum: viam pacis nescierunt. Dolus ergo veneficia, maleficia ex gutturis sepulchro istorum oriuntur, & sic omnia mala, quæ excogitari possunt: tota enim die dolos meditantur, Psalm. 37. num. 13. quæ ità fuerunt sicut nouacula acuta, Psalm. 51. num. 4.

Propterea Deus destruet illos in finem, euellet illos & emigrabit illos de tabernaculo suo, & radicem eorum de terra viuentium, ibidem num. 7. os enim istorum abundat malitia, & lingua illorum concinnat dolor, Psal. 49. num. 19. dolus enim in corde cogitantium malum, Prouerb. 12. num. 20. fel draconum vinum eorum, & venenum aspidum insanabile, Deut. 32. num. 33. quid mirum si amaritudine cor illorum plenum sit: cum id sit fons malitiæ; ex abundantia enim cordis os loquitur, abundat cor malitia, ideò os plenum amaritudine, os tuum abundat malitia, & lingua concinnat dolos, Psalm. 49. num. 19.

Benedictus Dominus, qui non dedit nos in captionem dentibus eorum. Guttur enim eorum sicut sepulchrum patens erat, & fortè viuos deglutissent nos, Psalm. 123. num. 2. & num. 6. Veni enim nobiscum, clamabant isti iniqui, deglutiamus eum; sicut infernus viuentem, & integrum, quasi descendentem in lacum, Prouerb. cap. 1. num. 10. at anima nostra erepta est de laqueo venantium, laqueus contritus est, & nos liberati sumus, dicto Psalm. 123. num. 7. Linguis suis dolosè agebant, malus enim obedit linguæ iniquæ, & fallax obtemperat labijs mendacibus, Prouerb. 16. num. 4. In his ergo Versiculis omnia, quæ odit Deus continentur, eaq. iniquus vir exequitur: Sex enim sunt, quæ odit Dominus, dicit Salomon Prouerb. 6. num. 16. & septimum detestatur, oculos sublimes, superbos scilicet linguam mendacem, manus effundẽtes sanguinem innoxium, cor machinans: abominabiles enim facti sunt in studijs suis, atque corrupti, machinans inquit, cogitationes pessimas, pedes veloces ad currendum in malum, proferentem mendacia, testem fallacem, & eum, qui seminat inter fratres discordiam: isti enim accedunt malignè ad Dominum, & cor eorum plenum est dolo, & fallacia, Eccles. 1. nu. 40. ideò Deus elidit eos, & terræ Sodomorum remissius agetur in die iudicij, quàm illis, Matth. 11. num. 24.

Sepulchrum patens os illorum; dicebant enim Iesu Christo, quem esse filium Dei negabant, ecce homo vorax, & potator vini, publicanorum, & peccatorum

amicus,

amicus, Matth. 11. num. 19. Linguis suis dolosè agebant, volentes Iesum capere in sermone, dicentes, licet ne dare censum Cæsari, an non? Matth. 27. num. 13. & cognita nequitia Iesus illorum, dixit, quid me tentatis hypocritæ? venenum sub labijs eorum, audistis blasphemiam, Aue Rabbi, & osculatus est eum Iudas traditor, Matth. 26. num. 49. & num. 61. Crucifige clamabant, vt effunderent innoxium sanguinem; Matth. 27. num. 23. dolus enim erat in cordibus eorum cogitantium mala, Prouerb. 12. num. 20. veritatem ideò non loquebantur, docuerunt linguam suam loqui mendacium, vt iniquè agerent laborauerunt, habitatio eorum in medio doli, Ierem. 9. num. 5. immo nec satiantur sanguine illi iniqui, iube custodiri sepulchrum ne corpus eius furentur, dicebant; & vsque adhuc crucifigunt illum negantes: scimus, quia verax es, & in corde suo insidiabantur illi, vt occiderent, Eccles. 12. num. 55. & 16. nec satiantur sanguine.

Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem: quid facimus, quia hic homo multa signa facit? expedit vobis, vt vnus moriatur pro gente, concilium fecerunt aduersus Iesum, vt illum morti traderent, Matth. 27. in prin. manus vestræ sunt sanguine pollutæ, & digiti vestri iniquitate; labia vestra locuta sunt mendacium, & lingua vestra iniquitatem fatur: non est, qui inuocet iustitiam, nec est qui iudicet verè, sed confidunt in nihilo, & loquuntur vanitates, conceperunt dolorem, & pepererunt iniquitatem, Isai. 59. nu. 3. & sequen. & num. 13. auersi sumus, ne iremus post tergum Dei nostri, vt loqueremur calumniam, & transgressionem, concepimus, & locuti sumus de corde verba mendacij.

Contritio, & infęlicitas in vijs eorum, viam pacis non cognouerunt, non est timor Domini ante oculos eorum. Ideò contritio, & infœlicitas, quia reliquerunt iter rectum, & ambulauerunt per vias tenebrosas cum his, qui exultauerunt in rebus pessimis: dicebant enim quando in Cruce pendebat Iesus, vah qui destruis Templum, &c. descende nunc, &c. Peruersæ enim viæ illorum fuerunt, & sunt, & infames gressus eorum, Prouerb. 2. num. 13. cum sequen. noluerunt in vijs Domini ambulare, Isai. 42. nu. 14. & Authori vitæ mortem tradiderunt: cesset à facie nostra sanctus Israel, propterea hæc dicit sanctus Israel, pro eò quòd reprobastis verbum hoc, & sperastis in calumnia, & tumultu, & innixi estis super ea.

Propterea erit vobis iniquitas hæc, sicut interruptio cadens, & requisita in muro excelso, quoniam subitò dum non speratur, venit contritio eius, Isai. 30. num. 13. & comminuetur, sicut conteritur lagena figuli contritione perualida, quoniam iniquam fecerunt viam suam, Ierem. 3. num. 20. vsque ad diem hanc, num. 25. ibidem.

Laua à malitia tua cor tuum Synagoga Hebræorum, vt salua fias; vsquequo morabuntur in te cogitationes noxiæ, Viæ tuæ, & cogitationes tuæ fecerunt contritionem, & infœlicitatem tibi, ista malitia tua, quia amara, quia tetigit cor tuum, Ierem. 4. num. 18. Contritio, & infœlicitas superuenit ò Iudæa, egressa est contritio, floruit virga, germinauit superbia, adduxit Dominus pessimos de gentibus, quia possederunt domos vestras, & sanctuarium vestrum, Ezech. 8. nu. 10. & num. 24. Contritio super contritionem, vastata est; & vastata est omnis terra, repentè vastata sunt tabernacula, quia stultus populus meus me non cognouit, filij insipientes sunt, & vecordes, Ierem. 4. nu. 20. & 22. vastitas, & contritio, & fames, & gladius, filij tui proiecti sunt pleni indignatione Domini, Isai. 51. num. 20.

Viam pacis non cognouerunt, non est timor Domini antè oculos eorum, Ideò con-

contritio, & infœlicitas & magna, sicut fluctus maris in tempestate, Thren. 2. num. 13. deducant oculi mei lacrymam per noctem, & diem, & non taceant, quoniam contritione magna contrita est Virgo filia populi mei, plaga pessima vehementer, si egressus fuero ad agros, ecce occisi gladio, &c. Ierem. 14. nu. 17.

Contritio, & infœlicitas fuit in illis iniquis Iudæis, vtraque enim affligebantur per aduentum Domini Iesu, scilicet bonorum terrenorum amissione, & hæc erat potissima illorum contritio; habebant etiam animi perturbationem, & sic infœlicitas erat in illis: de prima enim dicebant, quid facimus, quia totus mundus post ipsum vadit, & ità vexabantur, quia non permittebatur illis deuorare, rem proximi; verebantur etiam dominij amissionem, propterea dicebant, venient Romani, & tollent locum nostrum; contritio magna illorum; pessima plaga: non est obscura contritio, omnes qui audierunt auditionem tuam, compresserunt manum super te, quia super quem non transijt malitia sua semper? Nahum. 3. num. 18. quærebant locupletari, propterea auerterunt oculum suum, & ideò conteretur cum delinquente delictum, Eccles. 27. num. 3. nemo enim quod suum est quærit, sed quod alterius ad Corinth. 10. num. 24.

Infœlicitas etiam in vijs eorum, quia sapientiam, & disciplinam abiecerunt, & ideò vacua est spes illorum, & labores sine fructu, & inutilia opera eorum, Sap. 3. num. 13. frustra enim offerunt sacrificia Deo, quia iniqui sunt cætus illorum. Isai. 1. num. 13. infœlices autem sunt, & inter mortuos spes illorum est, Sap. 13. nu. 10.

Contritio ergo corporis, infœlicitas animæ, Hieronymus, & sic infœlices sunt in omnibus, qui non seruiunt Deo, cuncti dies eius doloribus, & ærumnis pleni sunt, nec per noctem, mente requiescunt, Eccles. 2. num. 23. Greg. in Moral. 18. Mentes sæcularium huic mundo deditæ curis, & solicitudinibus perturbantur præsentis vitæ, & paulò inferius, Nihil in hac vita laboriosius, quàm terrenis desiderijs æstuare, & nihil quietius, quàm huius sæculi nihil appetere; hinc Paul. ad Rom. 7. num. 25. Mente seruio legi Dei mei, carne autem legi peccati; infœlix homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum; idcircò Augustinus, omnes malorum hominum viæ, plenæ sunt labore, & miseria; ideò Dominus dicit, Venite ad me omnes, qui laboratis, & ego reficiam vos, Matth. 11. num. 29. & cum in pace vocauerit nos Dominus, ad Corint. 6. num. 15. ipsi iniqui viam pacis non cognouerunt, quia non erat timor Domini ante illos. Non habemus Regem, nisi Cæsarem, hunc nescimus, vnde sit, Ose. 10. num. 3. non est nobis Rex; non enim timemus Dominum, & Rex quid faciet nobis? arauerunt impietatem, iniquitatem messi sunt, ibidem num. 15.

Contempserunt timorem Domini, & legem Altissimi reliquerunt; propterea quid eis euenerit, narratur, Eccles. 49. num. 6. & sequen. arguet te malitia, & conuersio tua increpabit te: & scito, & vide, quia malum, & amarum est, reliquisse Dominum Deum tuum, & non esse timorem mei apud te, dicit Dominus, Ierem. 2. num. 19. Iracundia enim animositatis illius subuersio est, Eccles. 1. nu. 28. quia viam pacis non cognouerunt, immo iniquam fecerunt viam suam, & obliti sunt Domini Dei nostri, Ierem. 3. num. 21. Circuite vias Ierusalem, nec inuenietis virum facientem Iudicium, & quærentem fidem, Ezech. 22. num. 30. & quæsiui de eis virum, qui interponeret sepem, & staret oppositus contra me, pro terra, ne dissiparem eam, & non inueni. Percussi sunt, & non dolent, attriuisti eos, &

renue-

renuerunt accipere disciplinam, indurauerunt facies suas supra petram, & noluerunt reuerti, & dixit Propheta Ierem.cap.5.num.4. Forsitan pauperes sunt, & stulti, ignorantes viam Domini, iudicium Dei sui; ibo ad Optimates, & loquar eis, ipsi enim cognouerunt viam Domini, iudicium Dei sui, & ecce magis hi confregerunt simul iugum, ruperunt vincula, hæc Ierem. ibidem, vna enim tenebrarum catena omnes erant colligati, Sap. 17. num. 17.

Viam pacis pauperes,& stulti ignorarunt, viam pacis potentes, & qui illam sciebant, ingredi minimè voluerunt, contritio, & infœlicitas in vijs eorum, viam pacis non cognouerunt, nec voluerunt, quia non est timor Domini Dei ante oculos eorum. Viam mortis elegerunt, & non vitæ, Deut.31. num.19. Ierem.21.nu. 8. & cap.30. nu.2. & in illa interierunt, Thren. 4. nu. 5. Dominus enim iudicat iuxtà vias nostras, & vias nostras ponit super nos, & abominationes nostræ in medio nostri erunt, Ezech.7.num.3. & 5. & 17. secundum viam eorum faciam eis, & secundum iuditia eorum iudicabo eos, & scient, quia ego Dominus.

Non est timor Domini ante oculos eorum, Psalm. 35. num. 2. quia oculos suos statuerunt declinare potius in terram, Psalm. 16. num.11. Via stulti recta videtur in oculis suis, Prouerb. 12.num.15. quia oculi eorum defecerunt, Iob. 11. num.20. & spes illorum abominatio animæ, & cap. 17. num. 4. & 5. cor enim eorum longè fecit Deus à disciplina.

Nonne cognoscent omnes, qui operantur iniquitatem, qui deuorant plebem meam sicut escam panis? Ad Sacerdotes, & Optimates, & illos alloquitur Propheta, qui præsunt Populo, qui deuorant plebem, sicut escam panis, qui alijs onera importabilia imponunt; illi verò nolunt digito attingere; qualis enim est Ciuitatis Rector, tales & habitantes in ea. Rex insipiens perdet populum, Eccles.2. num 13. Dicit ego Propheta: Nonne cognoscent, hoc esse iudicium Dei, & iustitiam eius, quæ operantur iniquitatem, & deuorant plebem eius, quòd cùm sit iustus Dominus perdet illos, Mich. 3. num.1. Audite Principes Iacob, & Duces domus Israel, nunquid vestrum non est scire iudicium, qui odio habetis bonum, & diligitis malum, qui violenter tollitis pelles eorum desuper eis, & carnem desuper ossibus eorum, qui comederunt carnem populi mei, & pellem eorum desuper excoriauerunt, & num. 10. qui ædificatis Sion de sanguinibus, & Ierusalem in iniquitatibus. Quid verò faciebant Principes illi, narrat Micheas ibidem num. 11. & post tot mala dicebant, nunquid non est Dominus in medio nostrum? & venient super nos mala; propter hoc dicit Deus causa vestri Sion quasi ager arabitur, & Ierusalem, quasi aceruus lapidum erit.

Ibo ad Optimates, Ierem. d. cap.5. num.5. & loquar eis, ipsi enim cognouerunt viam Domini iudicium Dei sui, & ecce hi magis simul confregerunt iugum, ruperunt vincula; Optimates ergo erant omnes operantes iniquitatem; admonet Propheta, vt quid scilicet, ò iniqui diligitis iniquitatem, & quæritis mendacium? nonne Deus requiret ista? nonne effundet super vos indignationem suam, in igne iræ vestræ consummet vos, viam vestram in caput vestrum reddet Dominus, Ezech. 22. num. 31. Ecce dispersit vos in nationes, & possidebo te, idest subiugabo te, idest in seruum, & scies, quia ego Dominus, Ezech. d. cap. 22. num. 15. rapinæ impiorum detrahent eos, quia noluerunt facere iudicium, Prouerb. 21. n.7. Dominus verò ad iudicandum veniet, vos autem depasti estis vineam, & rapina pauperis in domo vestra, Isai. 3. num. 14. & Ezech. 22. num. 29. Principes, quasi lupi rapaces ad effun-

effundendum sanguinem, ad perdendas animas, egenum, & pauperem affligebant; Isai. 3. num. 27. & sequen.

Dominum non inuocauerunt, illic trepidauerunt timore, vbi non erat timor: Dominum ideò non inuocauerunt, quia cor illorum erat ad rapinas, & ad proximi fraudes, quas Dominus odio habet, Isai. 61. num. 8. vt ipsis ditarentur, & pingues fierent, & ità ad hoc intenti, vt nec Christum cognoscerent, nec à peccatis auerterentur, Dominum non inuocabant, de amissione enim rerum temporalium erat illorum timor, & ibi trepidauerunt timore, vbi non erat timor; si dimittimus eum, omnes credent in eum, & venient Romani, & tollent nobis, & locum, & gentem, Ioan. d. cap. 11. num. 48. insipientes, an ignoratis, quia qui dat cælestia, non eripit mortalia, quis enim Deus alius fecit mirabilia, nisi solus Dominus Deus noster? quis liberauit vos aliàs populus dilectus eius de manibus inimicorum vestrorum, nisi quando conuersi estis ad illum pœnitentiam agentes Dominus Deus Saluator Iesus, Psalm. 105. & vidit cum tribularentur, & exaudiuit orationem eorum, & quis populum vestrum de medio Ægypti eduxit? quia in populo vestro erat ipsemet Deus: & nube sua protegebat vos, columna nubis præcedens vos per diem, & columna ignis per noctem, Exod. cap. 32. num. 14. Num. 14. num. 14. Dominus in generatione iusta est; & vos aliquando fuistis, & vobiscum erat, vt d. cap. 14. nu. 14. in Num. nunc autem inest populo Chrstiano, vos iniqua cogitantes, & mala opera exercentes Deum non inuocastis, quia Mammonæ inseruistis.

Propreteà Deus, qui in generatione iusta est, vos dereliquit, vt non amplius populus eius sitis, quia in tenebris ambulatis; ideò non est lumen vobis, audistis enim vocem Iesu Christi, & consilium eius spreuistis, Isai. 64. num. 12. vocaui, & non respondistis, locutus sum, & non audistis, & faciebatis malum in oculis meis, ea, quæ nolui elegistis: ecce vos omnes accendentes ignem, accincti flammis ambulate s in lumine ignis vestri, & in flammis, quas succendistis, & in doloribus dormietis, Isai. 50. num. 11. Populus enim Domini omnes iusti, Isai. 60. num. 21. in istis iustis est Deus ipse, ideò dicit.

Quoniam Dominus in generatione iusta est, & ex illa assumpsit Sacerdotes, & Leuitas, Isai. 66. num. 19. & 20. ex Gentilitate, scilicet per fidem in Iesum Christum effecta iusta, quæ vidit Iustum Domini, Iesum scilicet, ideò non amplius gentilitas, sed Christiana gens nomine nouo, quod os Domini nominauit, & vocabunt eos populus sanctus redempti à Domino, Isai. 62. num. 2. & 11. & Isai. 61. num. 9. & scient in gentibus Nomen meum, & isti sunt semen, cui benedixit Dominus, ibidem num. 10.

Dominum ergo non inuocauerunt. Quia rapinæ vestræ detraxerunt vos, qui recusastis facere iudicium, Prouerb. cap. 21. num. 7. rapinas semper mens vestra meditatur, & fraudes labia vestra loquuntur, Prouerb. 24. num. 2. misericordia enim, & ira est cum illo, potens exoratio, & effundens iram, secundum misericordiam suam, sic correptio illius: hominem secundum opera sua iudicat, Eccles. 16. num. 12. & 16. non effugiet in rapina peccator, & non retardabit sufferentia misericordiam facientis, non est, qui inuocet Nomen tuum, Isai. 64. num. 7.

Quoniam Dominus in generatione iusta est, Num. d. cap. 14. num. 14. Quoniam tu Domine in Populo isto Christiano scilicet es, vt facie videaris ad faciem. Consilium inopis confunditis, Matth. 21. num. 43. dico vobis, quia auferetur à vobis Regnum Dei, & dabitur genti facienti fructum eius. Quia consilium inopis Iesum Chri-

Christi scilicet, qui inops dicitur confunditis, ideò pœnitentiam agite, Psalm. 8. num. 1. quoniam inops, & pauper sum ego, in Domino spes ponenda, vos verò in rebus temporalibus cogitationes vestras posuistis, Gregor. Moral. 4.

Habet nunc consilium suum omnis iniquus præsentia appetere, æterna despicere, iniusta agere, iniusta docere, hæc Gregor. Dicebat Christus pœnitentiam agite, Matth. cap. 3. num. 2. facite fructus dignos pœnitentiæ, ibidem num. 11. Marc. 6. num. 12. Luc. 3. num. 8. ipsi verò spreuerunt consilium Domini, Luc. 7. num. 30. Consilium inopis confunditis, quoniam Deus spes eius est: Augustin. idest contempsistis humilem aduentum Christi filij Dei, quia non vidistis pompam sæculi, Prouerb. 13. nu. 7. Est quasi diues, cum nihil habeat, quia scilicet paruo contentus, & lætus, est quasi pauper, cum in multis diuitijs sit, redemptio enim animæ viri, diuitiæ suæ sunt, ibidem num. 8. paupertatem hanc prædicabat Iesus, pro qua in mundum venerat, quam illi iniqui diuites in rebus, pauperes spiritu erant, increpationem non sustinebant, & consilium à Christo de inopia datum, confundebant, pauperes enim spiritu beatos dicebat, quoniam ipsorum est regnum Cælorum, Matth. 5. num. 3. atque beatos, qui esuriunt, atque sitiunt iustitiam, beatosq. misericordes, &c.

Hæc enim omnia consilia Iesus Christi erant illis contraria, amabant primos accubitus, & vocari Rabbi, superbia eorum ascendebat semper, serpentes erant, genimina viperarum, Matth. cap. 23. num. 33. quomodò fugietis à iudicio gehennæ? Consilium inopis repellitis. Et corripientem odio habuerunt, & loquentem perfectè abominati sunt, Amos cap. 5. num. 10. ego autem pauper, & dolens, Dominus solicitus est mei, Psalm. 68. num. 30. quoniam Dominus spes mea est, qui liberat pauperem à potente, Psalm. 71. num. 12.

Quis dabit ex Sion salutare Israel? Fœlix illa Virgo Maria: hæc erit quæ ex Sion & ex stirpe Dauid orietur sine macula, mulier, quæ Deum portabit Creatorem, & Saluatorem, & dabit ex Sion, vt portet filium Dei: nàm tunc quando veniet Saluator, assumens carnem nostram ex illa, auertet Dominus captiuitatem plebis suæ; ipse enim redimet nos, & sanguine suo lauabit crimina nostra, propter quæ captiui iàm ex primo parente facti fuimus, Tunc exultabit Iacob, & lætabitur Israel, Baruch 4. num. 22. & venit mihi gaudium à sancto super misericordia, quæ veniet nobis ab æterno salutari nostro; emisit enim nos cum luctu, & planctu, reducet autem nos Dominus cum gaudio, & iucunditate in sempiternum: idem repetitur in Psalm. 52. num. 7. Quis dabit ex Sion salutare Israel? cum converterit Dominus captiuitatem plebis suæ, exultabit Iacob, & lætabitur Israel; quis dabit ex Sion salutare Israel, Virgo illa amicta Sole, Maria Regina Cæli, & terræ, ex Sion orta, idest in Ecclesia Dei ex stirpe Dauid, cuius vita cunctas illustrabit Ecclesias, & ex qua Saluator in Israel saluabit nos.

Lætetur Iacob supplantator vitiorum, & exultet Israel, videns Deum facie ad faciem, idem enim Iacob, & Israel, Hieron. hìc: quando erit Deus omnia in omnibus, qui relictis sæcularibus mente Deum confitetur, qui nobis tribuere dignetur, vt nos actu Iacob effecti, supplantatis vitijs, veri Israelitæ ipsum mente videre, ipsum corde tenere mereamur, hæc Hieronymus.

SOLILOQVIVM.


IAM venisti Saluator noster Iesu Christe, qui morte tua mortem præcipitasti in sempiternum: ecce tu es Deus noster, quem expectabamus, qui saluas nos: sustinemus te, exultamus, & lætamur in te, lætetur deserta, & inuia gentilitas, quæ vidit gloriam Domini, & decorem Dei nostri; quia ipse est, qui iàm venit, & saluauit illam; Aduentu tuo, oculi eius aperti sunt, & aures patefactæ, & iàm redempti à te conuersi sumus: & in Sion, idest in Ecclesia Dei venimus cum laude.

Iàm nos cæcos deduxisti Domine in viam, quam nesciebamus, & in semitis, quas ignorabamus ambulare nos fecisti, Iàm Dij facti sumus, si præcepta tua annuntiauerimus, & fecerimus, omnes inuocemus nomen tuum qui in gloriam tuam creati sumus, & conformati, & à te facti, Lætare Virgo in choro, iuuenes, & senes simul, quia iàm luctus in gaudium conuersus est, quia creauit Dominus nouum super terram; fœmina circundedit virum, ecce ò Dauid quæ dedit ex Sion salutare Israel; lætamini gentes cum plebe, ipsam inuocemus cum omni humilitate, & aduocatam apud Deum Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum sanctum constitutam veneremur, & obsecremus; vt per eam liberet nos Deus ab insipientibus negantibus Deum; vt abominabiles, & corruptos effugiamus, quia omnes iniqui sunt, & omnes à via recta declinauerunt, & inutiles facti sunt, sepulchrum fœtidum os eorum, qui lingua dolosè agunt, & venenum mortale sub labijs eorum.

Propterea plenum est os eorum maledictione, & amaritudine, infœlices sunt tamen, & dolentes in vijs eorum, quia in illis non est pax, neque timor Domini. Cognoscunt iniqui, qui & plebem deuorant, quia Deus vltionum tu es: non tamen te inuocant, & timent tantum temporalium amissionem: propterea consilia tua Iesu Christe, qui inops, & pauper aduenisti, spernunt. Quis datus sit Saluator in Israel, non ignoramus te Iesum Christum Dominum ex Virgine Maria, qui redemisti nos; lætetur Ecclesia, exultet congregatio iustorum; Fiat fiat. Per sæcula sæculorum. Amen.

IN PSALMVM XIV.

Domine quis habitabit in Tabernaculo tuo? aut quis requiescet in Monte sancto tuo?



TITVLVS, Psalmus Dauid. Summa, seù argumentum; Qui sine macula ambulant, Regnum Cælorum possidebunt; maligni verò ad nihilum deducentur.

Continuatur ad præcedentem hoc modo; suprà cognita est insipientia illorum, qui in corde suo negant Deum, & ex illorum stultitia, pœna animæ, & corporis, qui terrena sapiunt, iudiciumq. Dei super illos futurum, & ex Sion salutare Israel oriturum.

Nunc verò, qui in Tabernaculum filij Dei venturi admittendi sint, vt in monte sancto suo requiescant, inquirit Dauid, dicens: Domine postquam adueneris.

Quis habitabit in Tabernaculo tuo? aut quis requiescet in monte sancto tuo?

ergo qui non intrat, & non habitat in hoc Tabernaculo, non quiescit in monte sancto; Ergo hucusque non fuit alicuius Tabernaculi ingressus pro quiete obtinenda in perpetuum, quia nondum venerat Christus, propterea dicit, quis habitabit; erat enim Synagoga, & in illa populus dilectus, sed quia nondum venerat Christus, non requiescebant in loco sancto Dei; nondum enim erat apertum Cælum, quia nondum venerat Iesus, qui est Ostium, Ioan. 10. n. 9. Patres nostri erant in Ecclesia in Tabernaculo Dei, sed quia nondum venerat Christus, nec ipsi steterunt, vel quieuerunt in monte sancto, nisi post mortem, & Resurrectionem Iesu Christi, tūc enim visa sunt multa corpora Sanctorum, &c. Matth. 27. n. 52. in Ciuitate sancta.

Domine quis habitabit. Multi in Ecclesia Dei militanti sunt Christiani nominetenus; sed non habitant in Tabernaculo Dei, ideò non requiescunt in monte sancto eius, quia sunt mali Christiani, qui verò habitant, verè sunt in adiutorio Altissimi, & in protectione Dei commorantur, Psalm. 90. nu. 1. Beati qui habitant in domo tua Domine, quia in sæcula sæculorum laudabunt te, Psalm. 83. nu. 5. fundamenta enim eius sunt in montibus Sanctis, propterea diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob, Psalm. 86. nu. 1. quia per illas ingredimur in Tabernaculum Dei, In Ecclesiam suam sanctam, in qua permanentes, requiescimus in monte sancto Dei, in sæcula ibi permansuri: Iustitia enim illius in filios filiorum his, qui seruant testamentum eius: Psalm. 102. nu. 18. Beati ergo immaculati, qui ambulant in lege Domini, Psalm. 118. num. 1. ministrantes Deo, & illi seruientes.

Domine, quis habitabit in hoc tuo Tabernaculo, vt dignè possit stare in loco sancto tuo? Innocens manibus, & mundo corde, Psal. 23. nu. 3. surget enim iste postquam sederit, Psalm. 126. num. 2. hoc est in Tabernaculo Dei, permanserit in tentationibus, & in timore scilicet Dei; propterea dixit, qui manducatis panem doloris, postquam ergo sederit, & firmus, stabilisq. in fide, & in operibus sanctis sederit, idest permanserit, surget, vt habitet in monte sancto eius, ibi enim sunt fundamenta eius, in montibus scilicet sanctis, dicto Psalm. 86. num. 1.

Et ad prædictorum corroborationem faciunt, dicta in Psalm. 23. n. 3. Quis ascendet in montem Domini? aut quis stabit in loco sancto eius? in loco ergo sancto suo, idest in Ecclesia Dei militanti fortes, & stabiles stare debent, qui volunt ascendere in locum sanctum eius: quocircà dixit, Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis stabit in loco sancto tuo? idest ille requiescet in monte sancto eius, qui habitauerit in tabernaculo eius, non qui per illum transiuit, & fugit; Habitabunt apud te profugi mei, & præparabitur in misericordia solium, & sedebit super illud in veritate, in tabernaculo Dauid iudicans, & quærens iudicium, & velociter reddens, quod iustum, Isai. 16. nu. 4. & 5. debet ergo, qui intrà Ecclesiam est, videre ne cadat, sed in illa ministrare, Eccles. 24. nu. 14. & in habitatione sancta ministraui coram ipso, & sic in Sion firmata sum, & in ciuitate sanctificata similiter requieui.

Vide ergo quis habitare debet in Tabernaculo, qui in ipsum ingreditur, & operatur coram Domino, & qui in illo permanet, & firmatus est, hinc Ose. 12. num. 9. & ego Dominus Deus tuus adhùc sedere te faciam in Tabernaculis. Non ergo pro illis, qui in Ecclesia habitant, in corpore, & non in fide, Hieron. hic. Quis ergo terrenus homo hìc, Templum Dei fieri poterit? Isai. 57. nu. 13. qui habet fiduciam mei, hæreditabit terram, & possidebit montem sanctum meum, Isai. 62. num. 11. ecce Saluator tuus venit, ecce merces eius cum eo, & opus eius cum illo, & vocabunt eos populus sanctus, &c. redempti à Domino, ipse enim Deus solus est requies,

Isai. 32. num. 18. & sedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculo fiduciæ, & in requie opulenta, August. 9. Confess. Versa, & reuersa in tergum, & in latus, & in ventrem, & dura sunt omnia, & tu solus requies, & in Cælo es requies, & non in terra, vbi Dominatores eius iniquè agunt, Isai. 52. num. 5. Pax verò in Deo est, Isai. 54. qui non mouebitur, num. 10. & requies, Psalm. 131. nu. 8. & 14.

Domine quis habitabit in Tabernaculo tuo? hic enim peregrinamur, Genes. 47. num. 9. & vita nostra militia est super terram, Iob cap. 7. nu. 1. diesq. dati sunt nobis vitæ, instabilitatis nostræ omni tempore vanitatis nostræ, hæc enim est pars in vita, & in labore nostro, quo laboramus sub Sole, Eccles. 9. nu. 19. Domine ideò Tabernaculum factus es nobis, vt illud ingredi mereamur: qui erunt illi, qui digni reputentur, vt inhabitent in Tabernaculo, vt protegamur interim ab insidijs Diaboli, donec in hoc miserabili vitæ nostræ decursu laborantes affligimur; tu enim Domine vulneras, & mederis, & beatus homo, qui à te corripitur, Iob 5. nu. 17. tu in die malorum protegis timentes te in abscondito tabernaculi tui, Psal. 26. n. 5. elegisti Domine Sion, idest Ecclesiam tuam militantem in habitationem tibi, dicens: quia hæc requies mea mihi, hic habitabo, quoniam elegi eam, d. Psalm. 131. num. 13. & 14. Emitte dixisti Agnum Dominatorem terræ, qui præparabit in misericordia solium, & sedebit super solium, & sedebit super illud in veritate, in Tabernaculo Dauid iudicans, & quærens iudicium, & velociter reddens, quod iustum est, Isai. 16. num. 1. & sequen. Vrbs fortitudinis nostræ Sion, Saluator ponetur in ea murus, & antemurale, aperientur portæ, vt ingrediatur gens iusta, custodiens veritatem, Isai. 26. nu. 1. 2. 3. & semen meum gentes hæreditabunt, vt dixisti Domine, & accola veniet, qui non erat mecum, & aduena quondam meus adiungetur mihi, Isai. 54. nu. 3. & 15. Domine nonnè populus tuus omnis habitabit in Tabernaculo tuo? vel saltem dic mihi, quis habitaturus est in illo, & requiem habebit in Templo sancto tuo? audi Christiane quid dicat Spiritus sanctus per os Dauid.

Qui est sine macula, & operatur iustitiam. Quis est sine macula, nisi qui se conseruat, sicut quando renatus est aqua, & Spiritu sancto, ad Ephes. cap. 5. nu. 26. mundans eam, scilicet Ecclesiam lauacro aquæ in verbo vitæ, vt exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam, aut rugam, aut quid huiusmodi, sed vt sit sancta, & immaculata, & Zach. 3. nu. 1. & in illa die erit fons in ablutionem peccatorum. Et quis operatur iustitiam, nisi qui ex fide viuit per dilectionem credit in Iesum Christum filium Dei? & quis operatur iustitiam nisi ille, qui perseuerauerit vsque in finem? ad Timoth. 1. cap. 6. num. 14. vt serues mandatum sine macula irreprehensibile vsque ad aduentum Domini nostri Iesu Christi, qui solus habet immortalitatem, &c. Quomodò ergo tu cum Iudæus sis, vel Christianus, sed vir iniquus, stare præsumis in domo Dei in Ecclesia eius, & verba mendacij loqui, dicentes, Templum Domini, Templum Domini, Templum Domini est, & confiditis in sermonibus mendacij, facientes tamen mala, & abominationes; nunquid spelunca latronum facta est domus Domini, in qua inuocatum est nomen Domini in oculis vestris? Ierem. 7. nu. 3. cum sequen. Circuite Ierusalem, & quærite in Plateis eius, an inueniatur Iudæus, vel vir faciens iudicium; forsitan illi, qui faciunt hæc mala, sunt pauperes, & stulti ignorantes viam Domini, iudicium Dei sui. Sed quid? ibo inquit Deus ad Optimates, & loquar eis, ipsi enim cognouerunt viam Domini, iudicium Dei sui; & ecce magis hi simul confregerunt iugum, ruperunt vincula, negauerunt Dominum, & dixerunt, non est ipse: Domine

non

non habitabit gens ista in tabernaculo tuo sancto. Vlciscetur Dominus super gentem istam, Ierem. cap. 5. per totum: quis ergo ingredietur sine macula? simile habemus, Deuter. 18. num. 13. perfectus eris, & absque macula coram Domino Deo tuo, si ergo Ecclesia est sine ruga, & macula, in eam qui ingreditur debet item esse sine macula, dicto cap. 5. ad Ephes. num. 13.

Qui operatur iustitiam, non dicit, qui iàm semel operatus est iustitiam, operatur, inquit, quia semper debemus operari bonum, & sic vsque ad finem perseuerare, quia talis saluus erit, Matth. 10. num. 22. Deus enim sanctus sanctificatur in iustitia, Isai. 5. num. 16. properteà dixit in Psalm. 118. num. 106. iuraui, & statui custodire iudicia iustitiæ tuæ.

Debet ergo, qui vult habitare, prius ingredi, propterea dicit, qui ingreditur sine macula, non dicit, qui peruenit vsque ad finem sine macula, sed qui adhùc in itinere est, non sufficit ergo abstinere à malo, sed bonum faciendum est etiam: ingreditur ergo, & sic est in motu, in itinere, sed sine macula itinerans debet esse; si ergo es baptizatus, tu es sine macula, & in Ecclesia militanti, & sic in porta; est enim porta Ecclesia militans, cum per illam ad cælestem patriam aditum nobis fiat; non ergo standum duntaxat est in Ecclesia, sed itinerandum est, donec ad cælestem illam perueniamus illius, qui dictum reliquit, si vis venire post me tolle crucem tuam, & abnega temetipsum, & sequere me, non dicit, & permaneas, sed sequere, crucem portando, quam etiam Dominus Iesus portauit, Luc. 24. num. 26.

Vide ergo, quæ requirantur in ingressu huius portæ, huius Ecclesię progredi sine macula, sed talis non potest esse homo, nisi renascatur denuò; renasci autem denuò non potest, qui non credit, & baptizatus non sit; Ioan. 3. nu. 3. & 18. renatus non ex semine corrupto, sed incorruptibili per verbum Dei viui, 1. Petr. 1. nu. 23. dicit enim, Beati immaculati in via, quia ambulant in lege Domini sine macula in hac vita mortali, qua ducimur ad æternam; ambulamus in lege Domini, si diligamus fratres, 1. Ioan. cap. 3. num. 14. diligamus ergo nos inuicem, quia charitas ex Deo est, & omnis qui diligit ex Deo natus est, 1. Ioan. cap. 4. num. 7. hi est enim ille, de quo in Psalmo, qui operatur iustitiam, Vndè Hieron. Iustitia sola magna virtus est, & mater omnium, cæteræ enim virtutes delectant habentem, iustitia delectat alios, & non habentem; prodest enim miseris non habentibus. Hoc est præceptum Domini, & seruemus verbum eius: in hoc scimus, quòd in ipso sumus, quia in hoc charitas Dei perfecta est, 1. Ioan. 2. num. 5.

Sequentia verò huius Psalmi tendunt ad eandem proximi charitatem, & Dei dilectionem, & in his duobus pendet omnis lex: & qui facit hæc, non mouebitur in æternum: dilectio Dei est timor eius, vndè dicit, Timentes Dominum glorificat, Isai. 33. num. 6. diuinæ salutis sapientia, & scientia, timor Domini ipse est thesaurus eius, ideò impleuit Sion, idest Ecclesiam iudicio, & iustitia, vt ibi, timorem enim Domini scientia Dei inuenitur, Prouerb. 2. num. 6.

Non ergo sufficit solus ingressus in tabernaculo etiam sine macula, sed etiam operatio iustitiæ requiritur; Verum est, quòd Ecclesia militans est porta, per quam ingredimur in cælestem patriam, Genes. 28. Quàm terribilis est locus iste? nō est hic aliud nisi domus Dei, & porta Cæli, in illo enim loco obdormierat Iacob, & vidit in somnis scalam stantem super terrā, & cacumen eius tangens Cælum, Angelos quoque Dei ascendentes, & descendentes per eam: stabat scala super terram, in Ecclesia, scilicet militanti, per quam Angeli ascendebant, propterea dicitur, & porta Cæli.

Sed nihilominus terra erat magna ab Oriente, vsque ad Occidentem, in qua stabat scala, quæ erat angusta, & stricta, atque vnica: etsi in Ecclesia sint Christiani omnes, non tamen cuncti per scalam ascendunt, per gradus scilicet, de quibus in Psalmo, iudicat enim nos Deus iuxtà vias nostras, Ezech.7.num.3. atque in iniquitate suæ vitæ non confortabitur, ibidem num.13. Christianus es, & benè dicis; sed audi Spiritum sanctum, per os Ezech. cap.33.num.12. tu itaque fili hominis dic ad filios populi mei, ecce quia loquitur ad Christianos, iustitia iusti non liberabit eum, in quacunque die peccauerit, & impietas impij non nocebit ei, in quacunque die conuersus fuerit ab impietate sua, & iustus non poterit viuere in iustitia, in quacunque die peccauerit.

Audi vlterius, etiam si dixero, dixit Deus iusto, vita viues, & confisus in iustitia sua fecerit iniquitatem, omnes iustitiæ eius obliuioni tradentur, & in iniquitate sua, quam operatus est, in ipsa morietur, si autem dixero impio morte morieris, & egerit pœnitentiam à peccato suo, feceritq. iudicium, & iustitiam, &c. in mandatis vitæ ambulauerit, nec fecerit quidquam iniustum, vita viuet, & non morietur.

Domine quis ergo habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requiescet in monte sancto tuo? & per scalam cum Angelis tuis ascendet? qui præcepta Dei vsque in finem adimpleuerit, & propterea sequitur Dauid per os Spiritus sancti loquens, & interrogationi respondens, quando dicit, Domine, quis habitabit? cuius scilicet est ingressus, & sine macula, & qui operatur iustitiam, non sufficit fides, sed operari oportet; multi enim hic in Ecclesia militanti habitant, corpore, sed non integra fide, ideò non illorum est iter scalæ ad portam Cæli, sed illorum, qui sine macula intrant, & operantur iustitiam, qui veritatem in corde loquuntur, nec lingua mentiuntur vt dolum faciant, qui proximum diligunt, nec ei malum faciunt, nec opprobrium aduersus illum accipiunt; hæc sunt quò ad proximi amorem. Secundum præceptum, quod est simile primò, de dilectione Dei, qui autem fecit hæc, nec vsuram accepit, nec proximum decepit, nec munera super innocentem accepit, hic habitabit in tabernaculo sancto Dei, & ascendet in locum sanctum, nec commouebitur; Per dilectionem ergo Dei, & proximi, hæc operantes iustitiam adimplent, Matth.22.nu.37. declina à malo, & fac bonum, Psalm.36. & in his duobus præceptis vniuersa lex pendet, & Prophetæ, Matth. vt suprà, Leuit.c.19. per totum.

Qui loquitur veritatem in corde suo, qui non egit dolum in lingua sua, Augustin. nonnulli loquuntur veritatem in lingua sua, sed in corde aliter intelligunt; Tanquam si aliquis dolosè ostendat viam, sciens in ea esse latrones, & dixerit in tali loco non sunt latrones, & contingat, vt verè ibi latrones non inueniantur, dicebat verè, sed in corde suo aliud cogitabat, vel aliàs, dicunt bonum malum, & malum bonum, Isai.5. num.20. ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras.

Et noto quòd secundum meum debilem intellectum totus iste Psalmus videtur præcipuè loqui de Sacerdotibus, & Ministris in Ecclesia Dei, atque de Prædicatoribus; loquitur enim de Tabernaculo Dei, in quo habitant Sacerdotes, & Ministri Dei, & quos dignos inueniat, atque declaret: subdit, qui ingreditur sine macula, & operatur iustitiam; hoc enim proprium est Episcoporum, & Sacerdotum esse in Tabernaculo Dei; & iustitiam operari, vt dignè audire mereantur; Venite benedicti, percipite Regnum, quod vobis paratum est à Constitutione mundi, Matth. cap.25.nu.34. Hæc mihi suadent, quæ vidi in Isai.33. num.14. & per totum ferè. Audite qui longè estis, qui scilicet Sacerdotes fieri intenditis, cognoscite vicini,

mini-

ministri scilicet, fortitudinem meam, conteriti sunt in Sion peccatores, possedit tremor hypocritas, Pharisæos enim, & Scribas Dominus hypocritas vocat, Matth. 23. num. 13. quis poterit habitare de vobis cum igne deuorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis? Audite, quomodo benè consonant verba Dauid cum Domini verbis: Qui ambulat, inquit in iustitijs, & loquitur veritatem: hoc est enim proprium Episcoporum, & Prædicantium, & aliorum Prælatorum, quorum onus est, veritatem prædicare, & iustitiam alijs ministrare. Respice inquit Sion, qui ne perderent gentem, & Regnum crucifixerunt Dominum Iesum: & vtrunque amiserunt, cognoscere debes veritatem, quia de Optimatibus es, Ierem. 5. num. 5. illam corde tuo prius, & sine timore alijs prædica illam in simplicitate cordis tui, & non in dolo, in hac enim Ecclesia firmiter ædificata supra firmam petram Christum scilicet, doctrina sana viget, patet, & sine humana industria, sequitur ergo textus Isaiæ, Qui proijcit auaritiam ex calumnia, Dauid verò, Qui iurat proximo, & non decipit, qui pecuniam suam non dedit ad vsuram, & munera super innocentem non accepit, Isai. verò, & excutit manus suas ab omni munere, qui obturat aures suas, ne audiat sanguinem, & claudit oculos suos ne videat malum, iste in excelsis habitabit, monimenta saxorum sublimitas eius; panis ei datus est; aquæ eius fideles sunt, hæc Isai.

Vide quomodo hæc Sacerdotibus propriè congruant, & Optimatibus Ecclesiæ. Qui facit hæc non commouebitur in æternum: Isai. verò, iste in excelsis habitat, num. 16. & 17. Regem in decore suo videbunt oculi eius, cernent terram de longè, quia terrena non sapiunt; ideò dabitur illis fidei donum electum, & sors in Templo Dei acceptissima, Sap. 2. num. 14. & cap. 5. num. 16. & 17. accipient Regnum decoris, & diadema speciei de manu Domini, quoniam dextera eius proteget illas, & brachio sancto suo defendet eos.

Qui loquitur ergo veritatem in corde suo, hoc est qui portant Christum in corde, & in illum credunt, tunc cor meum, & caro mea inquit, iustus exultauerunt in Deum meum, Psalm. 83. num. 3. hoc fiet si susceperit verba mea cor tuum, Prouerb. 4. num. 4. & custodita fuerint illa in medio cordis tui, num. 22. Non fiat ergo dolus in lingua tua aliud docendo, diuerso modo verba Euangelij interpretando, & extrà illum sensum, quem tenuit, & tenet Sancta Mater Ecclesia.

Custodi te in via Domini, vt non delinquas in lingua tua, Psalm. 38. num. 2. neque cor tuum sit sine veritate, nec lingua tua sine manifesta confessione pro gloria Dei, alioquin lingua tua mentiretur tibi ipsi, Psalm. 77. num. 36. & in ore tuo esset lingua dolosa, Sap. 3. num. 16. & verbum nequam immutabit cor, ex quo quatuor oriuntur, bonum, & malum, vita, & mors, & dominatrix illorum est assidua lingua, Eccles. 37. num. 21.

Custodi ergo vias Domini, vt non delinquas in lingua tua, mors, & vita tua est in manu linguæ tuæ, Prouerb. 18. num. 21. non igitur iniustitiam cogitet lingua, Psalm. 51. num. 4. lingua enim fallax non amat veritatem, Psalm. 26. num. 18. & concinnat dolos, Psalm. 40. num. 19. &, ibi tenebræ, vbi non est veritas, & lux, ad Rom. 1. num. 21. euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum, dicentes esse sapientes, stulti facti sunt; corde igitur creditur ad iustitiam, & ore fit confessio ad salutem, ad Rom. 10. num. 10. propè est verbum in ore tuo, & in corde, hoc est verbum fidei, quod prædicamus: quòd si confitearis in ore tuo Dominum Iesum Christum, & in corde tuo credideris, quòd Deus

scisci-

ſuſcitauerit eum à mortuis, ſaluus eris, ibidem nu. 8. Qui ergo loquitur veritatem in corde ſuo, nec fecerit dolum in lingua ſua, hic ſaluus erit, hic eſt perfectus vir, Iacob. 3. num. 2. ſi quis in verbo non offendit, hic perfectus eſt vir, poteſt enim fræno circumducere totum corpus, vt de Pſalm. 38. num. 1. dixi. Cuſtodiam vias meas, vt non delinquam in via mea, poſui ori meo cuſtodiam.

De fructu oris viri repletur venter eius, & genimina, ideſt fructus labiorum ipſius ſaturabitur, Prouerb. 18. num. 20. ſicut Vrbs patens, & abſque murorum ambitu, ità vir, qui non poteſt in loquendo cohibere ſpiritum ſuum, Prouerb. 25. num. 28, prohibe ergò linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum; quod enim ſeminaueris, illud & metes, ad Galat. 6. n. 8. Non proferas ergo dolosè doctrinam ad decipiendum, ſed opere compleas quod locutus fueris, hinc 2. Petr. cap. 2. num. 1. fuerunt ergo, & Pſeudoprophetæ in populo, ſicut & in vobis magiſtri mendaces, qui introeunt Sectas perditionis, & eum, qui emit eos, Dominum negant, ſuperducentes ſibi celerem perditionem, & multi ſequuntur eorum luxurias, per quos via veritatis blaſphemabitur, & in auaritia fictis verbis de vobis negotiabuntur, quibus iudicium iàm olim non ceſſat, & perditio eorum non dormitat, Angelis peccantibus Deus non pepercit, quantò magis talibus doloſis viris, qui habitant domus luteas, qui terrenum habent fundamentum, conſummentur velut à tinea, Iob 4. num. 19. 2. Petr. 2. num. 10. & ſequen.

Proptereà cauendum à peccatis admonet Propheta dicens, qui non egit dolum in lingua ſua, nec fecit proximo ſuo malum, & opprobrium non accepit aduerſus proximos ſuos, iaculum enim, & gladius, & ſagitta acuta, homo qui loquitur contrà proximum ſuum, falſum teſtimonium, Prouerb. 25. num. 18. Dominus autem dat vnicuique iuxtà fructum adinuentionum ſuarum, Ierem. 17. num. 10.

Qui loquitur veritatem, nàm ante omnia opera, verbum verax præcedere debet, Eccleſ. d. cap. 37. num. 20. auerte à delicto, & dirige manus, & ab omni delicto munda cor tuum, Eccleſ. 38. num. 10.

Nec fecit proximo ſuo malum, de plano enim hoc procedit, quia quod tibi non vis fieri, alteri non feceris, Tob. 4. num. 16. Leuit 19. num. 18. Matth. 5. num. 43. nec opprobrium accepit aduerſus proximos ſuos, non liberabit tamen Dominus maledicum à labijs ſuis, Sap. 1. num. 6. hoc eſt illum puniet ob malorum maledicentiam. Domine animæ irreuerenti, & infrunitæ ne tradas me, Eccleſ. 23. num. 6. maledicos, & ſermones nefandos iactantes concremati fuerunt, 2. Mach. 10. nu. 36. & 1. Corinth. 5. num. 11. ſi is, qui frater nominatur, eſt fornicator, aut auarus, aut Idolis ſeruiens, aut maledicus, aut ebrioſus, aut rapax, cum huiuſmodi nec ſumite cibum, & idem in cap. 6. num. 10. tales enim Regnum Cælorum non poſſidebunt, & 1. Petr. cap. 4. num. 5. nemo autem fratrum patiatur; vt homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor, os enim quod mentitur, occidit animam, Sap. d. cap. 1. nu. 11. & opprobrium non accepit aduerſus proximos ſuos, Eccleſ. 28. num. 28. ſepi aures tuas ſpinis, linguam nequam noli audire, & ori tuo facito oſtia, & fores; beatus enim eſt, qui eſt tectus à lingua nequam, ibidem num. 23. qui in iracundiam illius non tranſiuit, & in vinculis eius non eſt ligatus, &c. Prouerb. 22. num. 10. eijce deriſorem, & exibit cum eo iurgium, ceſſabuntq. cauſæ, & contumeliæ, & Prouerb. 24. nu. 9. qui cogitat mala facere, ſtultus eſt, & cogitatio ſtulti peccatum eſt, & abominatio hominum detractor, & num. 22. eod. cap. cum detractoribus non commiſcearis, quoniam repentè conſurget perditio eorum, &

ruinam

ruinam vtriusque quis nouit? & detractionis opprobrium tunc non accipis de fratre, si prius non credis illa, antequam probet, Hieron. hic.

Ad nihilum deductus est in conspectu eius malignus, quia malignantes exterminabuntur, Psalm. 36. num. 9. & 1. Ioan. cap. 5. num. 17. scimus, quia omnis, qui ex Deo natus est, non peccat, sed generatio Dei conseruat eum, & malignus non tangit eum, propterea.

Ad nihilum deductus est malignus in conspectu iusti, qui supradicta facit, nempè, quia ingressus est sine macula, & operatur iustitiam, qui loquitur veritatem, & dolus non est in lingua eius, nec malum fecit proximo suo, malignantesq. eiecit; hunc enim Ecclesia glorificat, quia timet Deum, de istis dicit Scriptura, Eccles. 23. nu. 21. duo genera abundant in peccatis, & tertium adducit iram, & perditionem; anima calida quasi ignis ardens, non extinguetur, donec aliquid glutiat, & homo nequam in ore carnis suæ non desinet, donec incendat ignem, homini fornicario omnis panis dulcis, non fatigabitur transgrediens vsque ad finem.

Qui iurat proximo suo, & non decipit. Iuramentum implendum, Num. 30. num. 3. qui pecuniam suam non dedit ad vsuram, & munera super innocentem non accepit.

Qui facit hæc non commouebitur in æternum, Sap. 6. num. 3. Præbete aures, qui continetis multitudines, quia Dominus interrogabit opera vestra: horrendè enim, & citò apparebit nobis, & iudicium durissimum his, qui præsunt; potentes enim potenter tormenta patientur, & fortioribus fortior instat cruciatio: cura ergo disciplinæ dilectio est, & dilectio custodia legum illius est: custodia autem legum, consummatio incorruptionis est: incorruptio autem facit esse proximum Deo; concupiscentia itaquè sapientiæ deducit ad Regnum perpetuum, propterea dicit Psalmista.

Qui facit hæc, non commouebitur in æternum, Isai. d. cap. 33. num. 15. quis habitabit de vobis cum igne deuorante? cum ardoribus sempiternis? qui proijcit auaritiam ex calumnia, & excutit manus suas ab omni munere, &c. Prouerb. 22. num. 9. victoriam, & honorem acquirit, qui dat munera, animam aufert accipientium, & idem Prouerb. 17. num. 23. munera de sinu accipit, impius; vt peruertat semitas iudicij, quòcirca, Isai. 22. num. 15. & sequen. Vade ingredere ad eum, qui habitat in Tabernaculo, & dic ad Præpositum Templi, & dices ad eum, quid tu hic? aut quasi quis hic? &c. Ecce Dominus asportare te faciet, sicut asportatur gallus gallinaceus, &c. Coronans coronabit te tribulatione, quasi pilam mittet te in terram, &c. ibi morieris, & ibi erit currus gloriæ tuæ, ignominia domus Domini sui.

SOLILOQVIVM.

TIMOR tuus sit in me Domine, cuius cura disciplinæ sit mihi dilectio tua, ex qua legum custodia mihi erit, vt incorruptus seruiam tibi, Deo meo in Regno tuo; si enim te dilexero, ero sine macula in tuo tabernaculo, & si proximum meum amauero, legem tuam adimplebo. Custodi Domine hanc meam voluntatem, vt inoffensus perueniam ad locum sanctum tuum. Amen. Fiat Domine, &c.

IN PSALMVM XV.

Conserua me Domine, quoniam speraui in te. Dixi Domino: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.



CONTINVATVR ad præcedentem Psalmum, nàm in illo dictum fuit de Tabernaculo, & qui in illo habitare deberent; verùm, quia Iudæi poterant credere, quòd de illorum Synagoga esset sermo: nunc in isto Psalmo declarat se Spiritus sanctus per os Dauid, quòd non intelligebat, de Tabernaculo Iudæorum, nàm habitantes in illo non per hoc stabant in loco sancto Dei, in Cælo scilicet: cuius aditus adhùc erat reclusus; sed intelligeret de Tabernaculo Christi, & Ecclesiæ eius sanctæ, qui est Porta, per quam in Regnum Dei quilibet iustus ingreditur: patet ibi: Non congregabo conuenticula eorum de sanguinibus, nec memor ero nominum eorum per labia mea; nàm non amplius Simon, non Saulus, sed Petrus, & Paulus; mutantur enim in lauacro regenerationis, nec amplius peccatores inimici, sed amici, Ioan. 15. num. 15. & ad Tit. 3. num. 5. Ideò non de sanguinibus, quia ista noui Testamenti Religio est spiritualis, Isai. cap. 1. num. 11. holocausta arietum, & adipem pinguium, & sanguinem vitulorum, & agnorum, & hircorum nolui, ne offeratis vltrà sacrificium frustrà, num. 13. & Amos cap. 5. num. 21. & sequen. odi, & proieci festiuitates vestras, & non capiam odorem Cætuum vestrorum; quòd si obtuleritis holocaustomata, & munera vestra non suscipiam, & vota pinguium vestrorum non respiciam.

Patet etiam ex sequentibus versiculis, hunc Psalmum declarare, quale sit Tabernaculum, Christum scilicet, & eius Ecclesiam; nàm etiam de eiusdem Christi Passione loquitur, & de eiusdem morte, ibi: caro mea requiescet in spe, & non derelinques animam meam videre corruptionem, loquitur ipse Christus ad Patrem.

Tabernaculum ergo nostrum est Christus, & eius Ecclesia, qui est pars hæreditatis nostræ, nàm assumpsit carnem hominis; nos verò de suo accipimus immortalitatem, propterea pars hæreditatis nostræ. Hieron. hic. Et Dominus est pars Ecclesiæ suæ, quæ est hæreditas Christi, ad Tit. 3. num. 5. non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos apparuit benignitas, & humanitas Saluatoris nostri Dei, sed secundum suam misericordiam, saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abundè per Iesum Christum Saluatorem nostrum, vt iustificati gratiæ ipsius hæredes simus secundum spem vitæ æternæ, & ad Rom. 8. num. 17. hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi, cum ergo de quo Tabernaculo intellexisset, & declarauerit, subdit in hoc eodem Tabernaculo suos fideles conseruari, & qui in Iesu Christo sperant, dicens.

Iam ingressus sum sine macula Domine Iesu in Tabernaculum, & Ecclesiam effusa est super me aqua munda, & mundatus sum ab omnibus inquinamentis meis, Ezech. 30. nu. 25. Conserua me Domine in hac vita immaculata, vt mihi sit porta ad ingrediendum in Templum sanctum tuum in Cælum. Conserua me, & spiritum tuum in medio mei ponas, & fac vt in præceptis tuis ambulem, Ezech. 30. nu. 27. quia ingressus mei spes mea in te Domine est, Psalm. 60. nu. 4. etiam à iuuentute mea, Psalm. 70. num. 5. & ab vberibus matris meæ, Psalm. 93. num. 12.

Huius Psalmi Titulus iste est i Tituli inscriptio, ipsi Dauid. Hoc est ipsemet Dauid est titulus istius Psalmi; verùm quia, quæ continentur in Psalmo, nullo modo ipsi Dauid adaptari possunt, sed Iesu Christo, vt specialiter in quatuor vltimis versiculis, propterea Titulus iste erit, & est ipsemet Iesus Christus, qui est Saluator noster, & porta, seù Tabernaculum, in quo habitant omnes fideles, & electi eius, quòd confirmatur ex lectione Hebræa, quæ pro titulo sic habet: Humilis, & simplici Dauid, Christum autem illum esse non dubitatur, qui est humilis, & mitis, & mans suetus, Matth. 11. nu. 29. Discite à me aiebat, quia mitis sum, & humilis corde, & eò magis id patet, quòd Psalmus loquitur de Passione, & morte Christi: Tituli verò inscriptio in tumulis, & in sepulturis ponitur, quæ mortuorum corpora tenent, Hieron. hic. in Cruce enim Titulus positus est, super caput Iesu in Paschate post victoriam habitam de Diabolo: & ideò super victoriam, nàm vt ipsa veritas dixit, nunc Princeps huius mundi eijcietur foras, Ioan. 12. num. 31. Titulus quoque est, humilis, & mitis ipsemet Iesus Christus, qui est & ipsamet humilitas, & ad victoriam, quia iàm Diabolus iudicatus est, & in ipso non habet quidquam, propterea Pilatus dixit, quod scripsi scripsi, Matth. 27.

Summa huius Psalmi hæc est: Christus homo in Passione sua custodiri à Patre petit, in quo est spes sua, cuius filij bona ex Passione sua resultantia, non Patri, sed humano generi prosunt, cuius humani generis infirmitates iàm multiplicatæ, per aduentum eiusdem filij sublatæ sunt, non per sanguinem vitulorum, & similium, sed per proprium illius sanguinem, & sacrificium in altari; hæc est gens redempta, hæreditas Domini Iesus, à dextris enim eiusdem filij erat Pater, propterea lætabatur. Cor eius, & caro eius requieuit in spe, quando mortuus est, non enim dereliquit animá ipsius in inferno, nec caro sancta corrupta est, morsq. fecit illi vias vitæ, & in Resurrectione lętatus est, quia semper à dextris Dei Patris erit vsque in finem. Incipit ergo Psalmus.

Conserua me Domine, quoniam speraui in te, dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges. Ad cuius Psalmi intelligentiam præmittendum, quod dixit Iesus per Ioan. 17. num. 6. Manifestaui nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo; tui erant, & mihi eos dedisti, & sermonem tuum seruauerunt, & num. 11. Pater sancte serua eos in nomine tuo, vt sint vnum sicut & nos: cum essem cum eis seruabam eos in nomine tuo, &c. num. 15. non rogo, vt tollas eos de mundo, sed vt serues eos à malo, sanctifica eos in veritate.

Nomine ergo Discipulorum, & aliorum credentium, & fidelium, eundem sermonem loquitur Iesus filius Dei, pro eis, quos dedit illi Pater, idest pro Ecclesia, cum ipsi cum Christo sint vnum, vt ibidem Ioan. 17. num. 21.

Conserua ergo me Domine, idest omnes credentes in me, quia vnum sumus, quoniam speraui in te; nàm ipsi acceperunt, & cognouerunt verè, quia à te exiui, & crediderunt, quia tu me misisti, num 8. ibidem, & num. 13. nunc ad te venio, & hæc loquor in mundo, vt habeant gaudium meum impletum in semetipsis. Quoniam speraui in te, dixi Domino, Deus meus es tu: propterea quia crediderunt, quòd tu me misisti, quoniam bonorum meorum non eges: non sunt enim de mundo, sicut & ego non sum de mundo, ideò sanctifica eos in veritate, quoniam bonorum meorum non eges; non enim diuites, quia diuitias possideant, amat Deus, nam omnia, quæ in Cælo, & in terra sunt bona, creauit Deus, omnia sua sunt, propterea bonorum nostrorum non eget, quis enim quæsiuit hæc de manibus vestris? Isai. 1. num. 12. ad quem inquit respiciam, nisi ad pauperculum, & contritum spiri-

spiritu, & trementem sermones meos, Isai. 66. num. 2. ipsius enim sunt omnes feræ siluarum, iumenta in montibus, & boues, eius enim est orbis terræ, & plenitudo illius, Psalm. 49. num. 10. & 12. bonorum ergo meorum non eges, quia tua sunt.

Si verò de bonis, quæ ex Incarnatione, Passione, & Resurrectione, vt redimeremur, loquamur, illorum nec eget Deus, nàm propter nos hæc facta sunt, hæc ordinata sunt, vt redempti à morte vita cælesti fruamur.

Sanctis suis, qui sunt in terra eius, mirificauit omnes voluntates meas in eis; loquitur enim Christus, qui per Sanctos Apostolos suos, & electos, suam mirificauit voluntatem, & mysteria: in terra eius dixit, ad distinctionem terrenorum hominum, qui terrena sapiunt, sed de terra eius, hoc est in terra viuentium spem ponunt, hæc August.

Isti ergo, qui sunt in terra viuentium, in Ecclesia Dei Christum sequentium, benè dicunt, Dixi Domino, Deus meus es tu: nàm qui adhærent Domino viuunt vniuersi, Deut. 4. num. 4. quia benè illis non est sine Christo, quia omne bonum dependet ab illo, neque aliud est bonum, neque reperitur, nisi ipse solus, vndè Ambros. lib. de Virginibus. Omnia habemus in Christo, si vulnere carere desideras, medicus est: si febribus æstuas; fons est: si grauaris iniquitate, iustitia est: si Cælum desideras, via est: si tenebras fugis, lux est: si cibum quæris, alimentum est, Ambros. hæc.

Orans quoque Patrem Deum Iesus Christus homo factus, inquit, iàm ecce Pater, multis tribulationibus circundatus sum, & carnis afflictionibus, conserua me Domine, quoniam speraui in te, dixi Domino Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges, ità etiam orasse legimus Luc. 22. nu. 42. Marc. 14. nu. 36. Matth. 26. num. 39. & Ioan. cap. 17. num. 1. & 5. & 11. Pater sancte serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, Sanctos scilicet, qui sunt de terra eius; tui enim erant, dicit Ioan. d. cap. 17. num. 6. & mihi eos dedisti, & mirificasti voluntates meas in eis, quia tuum sermonem seruauerunt, & acceperunt, verba quæ dedisti mihi, & ipse dedi eis, nàm abs te esse cognouerunt, quia à te exiui, & crediderunt, quia tu me misisti, ibidem Ioan. num. 7. Mirificauit, nàm stupebant omnes in magnitudine Dei, omnibusq. mirantibus, in omnibus quæ faciebat, Luc. 9. num. 44. & sanus factus ille Paralyticus verbo Dei, repleti sunt timore, quia videmus mirabilia, Ioan. 5. num. 27. quia in potestate erat sermo eius, Luc. 4. num. 32. & cap. 2. num. 47.

Multiplicatæ sunt infirmitates eorum, propterea Iesus non credebat semetipsum eis, Ioan. 2. num. 24. multiplicatæ sunt infirmitates eorum, nàm quomodò possunt hæc fieri, dicebat Nicodemus, vt iterum nascatur homo; Ioan. 3. num. 9. quocircà dicebant, adauge nobis fidem, Luc. 17. nu. 5. multiplicatæ sunt infirmitates: Ducentorum denariorum panes non sufficerent his, non sunt autem nobis plusquam quinque panes, & duo pisces, Ioan. 9. num. 13. & manducauerunt, & sublatum est, quod superfluit illis fragmentorum duodecim Cophinæ, ibidem num. 17. multiplicatæ sunt infirmitates, nàm Petrus apprehendens eum cœpit increpare, vade retrò me Satana, dicebat Iesus, quoniam non sapis ea, quæ Dei sunt, Marc. 8. num. 33. erat cor eorum obscuratum, & non intellexerunt de panibus, quoniam timebant mergi, Marc. 6. num. 50. & 52.

Multiplicatæ sunt infirmitates eorum, nàm nec illis crediderunt, propterea

Iesus

Iesus exprobrauit incredulitatem eorum, Marc.cap.16.nu. 13.& 14. durus est hic sermo, dicebant Discipuli, & quis potest eum audire? Ioan.6.nu.61.& 67. ex hoc multi Discipulorum eius abierunt; Posteà accelerauerunt: ibant enim gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati, & omnes emulatores sunt legis, Act.21.num.20. & num.13. ego enim non solum alligari, sed & mori in Ierusalem paratus sum, propter nomen Domini nostri Iesu Christi; multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna, Act.4. num.32.& nu.19. si iustum est in conspectu Dei vos potius audire, quàm Deum iudicare; & Act.9. num.21.& Paulus continuò in Synagogis prædicabat Iesum; quoniam hic est filius Dei; stupebant omnes, ipse verò multò magis conualescebat, & confundebat Iudæos, num.22. in verbis enim sancti stabunt in iudicium, & non deficient in Vigilijs suis.

Accelerauit Dominus aduentum suum, vt erueret nos, Psalm.30. num.3. Sancti verò eius accelerauerunt passiones pro Christi nomine, vt hæredes fierent in domo Domini, Matth. cap.25. num.34. Diuus Bernard. in Serm. 2. de Vigilia Natiuitatis Domini; ò si cognosceremus, quomodò aduentum nostrum expectant, quantum desiderant, quantum solliciti quærunt, quàm libenter audiunt verba de nobis, &c. festinemus obsecro dilectissimi, festinemus, tota nos multitudo cælestis gloriæ expectat, exultare facimus Angelos, quando conuersi sumus ad pœnitentiam; proficiamus, & festinemus complere de nobis eorum lætitiam, hæc Bernard.

Acceleremus ergo, vt ab infirmitatibus nostris liberati, eruamur à peccatis, quæ mortem inducunt, iàm enim venit Medicus, vt sanet nos ab infirmitatibus nostris, quæ iàm multiplicatæ fuerunt.

Non congregabo de sanguinibus conuenticula eorum, nàm scriptum est, væ qui ædificat ciuitatem in sanguinibus, Abac.cap.2.n.12. Nec memor ero nominum eorum per labia mea: figuræ enim fuerunt illa sacrificia præterita, nunc cessauerunt holocaustomata illa per aduentum Iesus, Matth. cap.11. nu.13. omnes enim Prophetæ, & lex vsque ad Ioannem prophetauerunt; à diebus enim Ioannis Baptistæ vsque nunc, Regnum Cælorum vim patitur, violenti rapiunt illud, ibidem num. 11. Erunt tunc conuenticula, idest congregatio non carnalium, sed spiritualium, propter eà, & carnalia sacrificia cessarunt, Marc. cap.13. num.32. & numer. 33. Vnus est Deus, quem diligere debemus ex toto corde, &c. & diligere proximum nostrum, sicut se ipsum maius est omnibus holocaustomatibus, & sacrificijs. Non ergo congregatio ex sanguinibus, nec ex voluntate carnis, sed illorum erit, qui ex Deo nati sunt per baptismum, &c. & sic ex filijs spiritualibus erit congregatio iustorum; ideò nec memor ero nominum eorum per labia mea; sed spirituali mutatione obliuiscentur, quid fuerint, & filij Dei vocabuntur, neque iniquitas impij nocebit ei, qui iàm ab iniquitate, & impietate auersus erit, Ezech. cap.33. num.12.

Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei: tu es, qui restitues hæreditatem meam mihi: Christus enim est Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec, &c. Sacerdotum verò dicitur hæreditas Dominus, Leuitarum, & Ecclesiarum, Iosue 18. num.7. Pars ergo hæreditatis Christi est Dominus Deus Pater, quam Christus accepit de nostro humanitatem, & nos de suo immortalitatem, Hieron. & est caput Ecclesiæ, quia quòad Diuinitatem Dominus Filius, Dominus

Pater, Dominus Spiritus sanctus, & Dominus. Sed quò ad humanitatem Christi dicitur pars hæreditatis Deus Pater, nàm ipse Iesus à Patre missus est in mundum.

Tu es, qui restitues hæreditatem meam mihi, quia in Christo omnes fideles vnum sumus, Ioan. 17. nu. 21. iàm enim per lapsum Adæ perdita gens, per passionem Christi restituta fuit. Si nos ergo pars hæreditatis Domini, quæ est duratura in æternum, quid ad nos de portione illius, qui consumpsit illam cum meretricibus? Portio Sanctorum Dominus est æternus: cæteri verò eligant temporalem, vt cum ipsa, & ipsi finiantur. Populus Domini, hæreditas Christi est, & hæreditas Dei dicitur populus, quia quasi vir vnus consideratur, 1. Exod. 3. Propterea populus tuus, & hæreditas tua vocatur, 3. Reg. 8. num. 51. Tu es, qui restitues hæreditatem meam mihi; quam videlicet ipse sanguine suo denuò fecit esse suam per lauacrum regenerationis, quò & id assecuta est, vt Deus ipse pro parte hæreditatis ei esset, Ambros. super Psalm. Beati immaculati in via Domini, &c. Christus tibi portio, Christus tibi possessio est, &c. portio sua non caliditate siccatur, non imbre diluuitur, non frigore vritur, non tempestate quassatur, serua portionē quam elegisti.

Funes ceciderunt mihi in præclaris, etenim hæreditas mea præclara est mihi, inquit Ecclesia. Cum Deus sit hæreditas mea, Ioan. 12. num. 27. Nunc anima mea turbata est, & quid dicam? Domine Pater saluifica me ex hora, sed propterea veni in hanc horam, Pater clarifica nomen tuum, venit ergo vox de Cælo, & clarificaui, & iterum clarificabo; hæreditas mea præclara est mihi. Domine Iesu Patrem vocamus te, & post te ingredi non cessamus; pone nos in filios, & tribue nobis terram desiderabilem, hæreditatem præclaram exercituum Angelorum, Ierem. cap. 3. num. 19.

Funes dicit Iesus ceciderunt mihi in præclaris, idest in Patriarchis, & Prophetis, atque Apostolis; quoscunque enim aduocauit Pater, Christus illos recipit; propterea præclari dicuntur, Hieron. hic. Quia à Deo Patre funes isti cecidisse dicuntur, missi dicuntur, Ioan. d. cap. 17. nu. 6. & nu. 12. Pater sancte serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, custodiui, &c. Sciendum, quòd diuidebantur olim bona per funes quibus metiebantur agrorum termini, Psalm. 77. nu. 54. & eiecit à facie eorum gentes, & sorte diuisit eis terram, in funiculo distributionis; pars ergo, quæ Christum contigit in funiculo distributionis, cecidit in præclaris viris, vt suprà Apostolis, & à Deo datis, propterea hæreditas mea præclara est mihi, quia præclari sunt, & illi Sancti.

Benedicam Dominum, qui mihi in carne posito dedit illorum cognitionem, & vt illos redimerem sanguine meo, corroborauit, confortauitq., nàm & vsque ad nocturni passionis meæ, increpuerunt me renes mei, caro mea infirma: nàm orabam te Domine Pater, vt si possibile esset, transiret calix iste passionis, calicem, quem dedisti Pater, vt biberem, Luc. 22. nu. 42. & 44. & factus in angonia prolixius orabat, & factus est sudor eius, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram; increpuerunt me renes mei vsque ad mortem, spiritus siquidem promptus, caro autem infirma, Matth. cap. 26. num. 41. &c.

Prouidebam Dominum in conspectu meo semper, propterea non mea, sed tua fiat voluntas. Pater, dicebat; propterea ego clarificaui te super terram, opus consummaui, quod dedisti, vt faciam, Ioan. d. cap. 17. nu. 4. Prouidebam Dominum in conspectu meo semper, Prouerb. 3. nu. 6. in omnibus vijs tuis cogita Deum, & ipse corriget gressus tuos. Remedium, quod adhibebat in increpationibus erat habere

sem-

semper in conspectu suo Dominum Deum, vndè nec in passione potuit commoueri, quia à dextris Deus erat illius. Bonum ergo est semper respicere Dominum, vt semper abstineas te à peccato: Vndè veniens ad ea, quæ transeunt, non auferas oculos ab eo, qui semper manet, hoc præuidens, vt in eum post temporalia peccata recurras, August. Leuaui oculos in montes, vndè veniet auxium mihi, Psalm. 120. num. 1.

Quoniam à dextris est mihi ne commouear, qui semper habet ante oculos suos Deum, & ipse Deus est à dextris eius, ne commoueatur, ne vereatur minas hominum, quæ animas occidere non possunt.

Auxilium meum à Domino, qui non dat in commotionem pedem meum, d. Psalm. 120. n. 3. ideò scriptum est, quòd iustus in æternum non commouebitur, Prouerb. 10. nu. 30. & radix iustorum non commouebitur, Prouerb. 12. nu. 3. quia oculi Domini super iustos, & aures eius in preces eorum, Psalm. 33. num. 16. proptereà oculi mei semper ad Dominum, Psalm. 24. nu. 15. quoniam ipse euellet de laqueo pedes meos; &c.

Propter hoc lætatum est cor meum, quia Angeli Domini post tentationem accesserunt ministrantes ei, Matth. 4. num. 11. sicut, & in passione apparuit illi Angelus confortans eum, vt suprà, &c.

Propter hoc lætatum est cor meum, & exultauit lingua mea, prædicans timorem Domini, & laudes eius annuntians, Matth. 28. in fine.

Insuper & caro mea requiescet in spe, idest Ecclesia mea postquam vidit me à mortuis resurrexisse; quamuis enim ille Discipulus dubitauerit dicens, nisi videro, & tetigero, non credam, tamen cum audisset me dicentem, Thoma infer digitum tuum huc: & fixuram vide in manibus meis, & in pedibus, & pectore; Dominus meus, & Deus meus confitendo exclamauit, confessus est, & proptereà caro mea, idest Ecclesia mea requiescet in spe resurrectionis futuræ.

Quoniam non derelinques animam meam in inferno, in quo descendit anima Christi, vt animas Patrum ibi detentas liberaret; Quomodò verò anima relinquenda ibi erat illius, qui Dominus est Cæli, terræ, & inferni, cui omnia obediunt? nec à Diabolo, neque ab omnibus inferni Potestatibus poterat ibidem retineri, sicut nec sanctum corpus eiusdem Christi poterat corrumpi.

Notas mihi fecisti vias vitæ, idest per me notificatæ sunt alijs viæ vitæ, & ipsimet prædicauerunt, notumq; fecerunt, qui sum Via, Veritas, & Vita, vt humilitatem sequentes, & vestigia mea sectantes, superbia sublata, per quam à peccatis corruptio, spirituali resurrectione redirent homines ad merendam vitam æternam, vbi non cadit corruptio; sed lætitia adimplentur videntes vultum tuum; nàm visio vultus Dei ex se affert lætitiam, & dat vitam æternam; veritate dicente, hæc est vita æterna, vt cognoscant te Deum solum verum, Ioan. d. cap. 17. inquit ergo adimplebis me lætitia cum vultu tuo, delectationes in dextera tua vsque in finem. Dextera Dei est ipse filius Iesus Christus, in quo viuimus delectantes, vt viuamus lætantes in sæcula; viuimus inquam delectantes, quia obseruantia præceptorum illius, dierum longitudinem, & annos vitæ; & pacem affert, Prouerb. 3. num. 2. & num. 16. longitudo dierum in dextera eius, & in sinistra eius diuitiæ, & gloria; delectationes ergo dexteræ eius vsquè in finem, quia qui perseuerauerit vsquè in finem, hic saluus erit, ad Rom. 6. num. 22. habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem verò vitam æternam.

SOLILOQVIVM.

TV ergo Iesu Christe, qui es finis legis ad iustitiam omni credenti, in quo, vt dextera es Patris delectationes nostræ sunt, vsque in finem; Conserua me Domine, Deus meus, spes mea: mirabilia enim tua per os Sanctorum vidi, & audiui; voluntas mea semper sit in illorum consideratione; & omnis actio mea dirigatur ante conspectum tuum. Iàm enim peccata mea superassent me, propter illorum multiplicitatẽ, acceleraui tamen, vt ab illis liberarer: vt tu sis hæreditas, & pars calicis mei; iàm me pœnitet in amaritudine animæ meæ peccasse. Hoc autem factum est, quia tu vocasti me: nunc restitue Domine hæreditatem meam mihi, te ipsum, quæ nimis præclara est: & sic si peperceris, funes erunt etiam mihi in præclaris. Benedictus Deus, qui dat mihi intellectum, vt resistam voluptatibus carnis, & terrenis cupiditatibus, atque carnalibus tentationibus, & desiderijs.

Propterea cor meum lætatur, & lingua non cessabit annuntiare laudem tuam, quia, & Passio tua tutata est me, vt anima mea ab inferno extrahatur. Fac me Domine semper vias tuas sequi, vsque in finem, vt in perpetuum in te valeam delectari: Concede hoc Sancta Trinitas, & indiuisa Vnitas, ità fiat. Amen.

Sequitur Psalmus in ordine 16. incipiens.

Exaudi Domine iustitiam meam: intende deprecationem meam.



CONTINVATVR ad præcedentem hoc modo, cum in præcedentibus duobus Psalmis de Tabernaculo Dei, & de fidelium ingressu in illud dixisset; ne putaremus, quòd sola fides sufficeret, vt in illud ingrederemur; addit Psalmum hunc Dauid, ex persona Christi Iesu loquens; nàm ipsi Dauidi nullo modo verba Psalmi adaptantur.

Innocentes enim, & iustos, nec Dauid, neque cæteri hominum se vnquam ausi fuerunt dicere, neque fuere, præter Iesum Christum, & Mariam Virginem eius Matrem, & Dominam nostram: qui enim se esse sine peccato dixerit, ipse se seducit; quomodò innocens Dauid, qui adulterium, & homicidium commisit, & alia? quocircà ipsemet dixit, Psalm. 142. num. 2. Non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens, & propterea rogat, vt non intret in iudicium cum seruo, hic verò instat, vt iudicium suum prodeat de vultu Domini: loquitur ergo Dauid Propheta ex persona Christi Iesu dicens, Domine exaudi iustitiam meam, hoc est vide iustitiam meam, quia iàm in mundum veni, carnem assumpsi humanam, in qua multa passus sum damna, quocircà exaudi deprecationem meam, quia in tribulatione positus sum, vt tibi Pater obediens essem, vt peccata hominum morte, & passione mea delerem; propterea exaudi deprecationem meam, quam coram te pro peccatoribus effundo: auribus percipe orationem meam, quam tibi pro amicis meis, vt fides illorum non deficiat, transmitto; vias enim istas duras propter verba labiorum tuorum ego custodiui, quia tu ad hoc me misisti.

Quia

Quia ergo sola fides non sufficit, docet nos Iesus Christus, vt quemadmodum ille fecit, & nos faciamus; cum per multas tribulationes oporteat ingredi Tabernaculum. Ostendit ergo Tabernaculum, vt illud ingredi valeamus in XIII. Psalmo, & in sequenti: mirabilia Iesu Christi filij sui, Deus Pater ostendit nobis, vt credamus, quia ipse est filius Domini Dei viui; quia verò ab ipso exemplum accipere debemus, ità custodiendas vias duras, vt per illas ambulemus denuntiat, & vt in illas facilius vias duras ingrediamur, ipse Iesus deprecatur pro nobis in afflictione positis, & tribulatis, & orat tanquam pro suis amicis, vt Dominus Pater seruet nos, quos ille dedit illi, Ioan. 19.

Continuat ergo Dauid ad præcedentia hunc Psalmum, nàm primò ostendit nobis quale sit Tabernaculum Dei, secundò vt credamus veritati, quæ est Christus, demonstrat nobis mirabilia, tertiò si volumus ingredi Tabernaculum, tollamus crucem illius super nos vt deprecemur, oremusq. Dominum non in labijs dolosis, sed in veritate, & simplicitate cordis, Marc. 8. num. 34. qui vult venire post me, tollat crucem suam, & sequatur me.

Ait itaque Iesus, cum iustus sis Domine, propriam iustitiam meam exaudi, quia iàm mysteria Passionis iuxtà verbum tuum adimpleui, vt saluarem gentes, quæ in me creditura essent: exaudi ergo deprecationem meam pro populo, quem tu commisisti mihi, nàm credentes in me crucifixum, & mortuum dispersi sunt, afflicti sunt, exaudi meam deprecationem, & auribus percipe orationem meam; quia amici mei sunt, & tu mihi illos dedisti, & mei sunt; non enim vt homines faciunt, qui orant in labijs dolosis, vt circumueniat fratrem, prout in labijs dolo plenis Iudæorum contrà me iniustè iudicium iniquorum prodijt, sed in simplicitate cordis mei oro te, & quia illos diligo, rogo te Pater, vt de vultu tuo iudicium meum prodeat; oculi tui videant æquitatem, si enim feci iustitiam, quia pro illis, vt tibi satisfacerem iustus pro iniustis, iàm actor effectus sum in iudicio: meum enim ideò est iudicium; oculi ergo tui videant æquitatem; æquum est enim, vt vnicuique ius suum tribuatur, pro illis passus sum, vt salui fiant; salua ergo illos, qui me sequuntur in tribulatione sua, pro quibus rogo, vt intendas deprecationem meam: iusta enim est petitio mea, & ex animo sincero profecta, ideò iudicio defende causam meam, Ierem. cap. 50. num. 34.

Summa huius Psalmi hæc est, quòd Dauid nomine Christi petit à Patre, quia iàm Deus Pater, probauit cor ipsius, & firmitatem in tribulationibus, quæ maximæ fuerunt; orat, & deprecatur, vt perficiat opus, quod cœpit, sine aliqua mutatione, vel motione vestigiorum suorum; clamat vt exaudiatur, & orat, vt admirabilem faciat misericordiam suam, contrà rebelles Iudæos, resistentes voluntati Dei, qui ipsum tanquam impij afflixerunt, quorum os locutum est superbiam; propterea captiuum fecerunt illum, sicut leo paratus ad prædam, & sicut catulus leonis habitans in abditis; de nocte enim illum cœperunt, data Iudæ pecunia cautè, ne tumultus fieret; rogat interim, vt plebem sibi creditam ab alijs diuidat; Iesus verò in iustitia apparebit conspectui Domini, & tunc satiabitur, cum in mundo apparuerit gloria sua, quia tunc fiet vnum ouile, & vnus pastor, diuidens primò iustos ab impijs, & peccatoribus; vel.

Summa hæc est, quia omnis actio Christi est nostra institutio, vt si illum sequi desideramus, animas nostras præparemus ad tentationem, & ad resistendum Diabolo, & Angelis eius.

Incipit ergo Psalmus Dauid, exaudi Deus iustitiam meam. Scimus quia peccatores Deus non audit, Ioan. 9. num. 31. sed si ego peccator de præteritis pœnitentiam egero, & in futurum abstineam ab illis, benè potero dicere, exaudi Domine Iesu iustitiam meam, tu enim venisti, vt vocares me ad pœnitentiam, Luc. 5. num. 33. Matth. 9. num. 13. ecce ergo ego pœnitens, & conuersus iàm dolens peccata mea, Act. 3. num. 19. tu enim aliàs dixisti, quòd venit Iesus benedicens mihi, quia conuersus sum à nequitia mea, ibidem num. 26. ergo exaudi nunc iustitiam meam, auribus percipe obsecrationem meam, quia dolore afficior graui, quia peccaui tibi: cor contritum, & humiliatum tu non despicis: cor mundum crea in me Deus, & tunc exaudi iustitiam meam, vt spiritum rectum innoues in visceribus meis, Psalm. 50. nu. 12. vt gaudium sit in Cælo super me peccatore pœnitentiam agente, Ioel 15. num. 7. tu enim per Ezechiel. dixisti Domine, cap. 33. num. 12. impietas impij non nocebit ei, in quacunque die conuersus fuerit ab impietate sua; Exaudi Domine iustitiam impij ab iniquitate conuersi; propterea iustitia est, vt adimpleas, quod promisisti; intende deprecationem meam, quia peccatorem confiteor me fuisse.

Auribus etiam percipe orationem meam, quam pro deuotis, & amicis pronuntio non in labijs dolosis.

De vultu tuo iudicium prodeat. Nihil tibi absconditum est, & scrutator cordium es, & iudicabis, quia sincero corde, sine aliquo dolo oro te. Oculi tui videant æquitates. Homo sum carne hac corruptibili circundatus, & infirmitatibus plenus: Vndè haud mirum, si fragilis, si peccator; sed nunc conuersus sum ad te, qui talem me formasti, & per baptismum, & pœnitentiam nouum hominem me creasti: oculi tui videant æquitates, de vultu tuo iudicium meum prodeat in misericordia, non sicut super facientes mala, vt disperdas memoriam eorum, Psalm. 33. num. 17. in vultus tui lumine ambulabimus, Psalm. 88. num. 16. tunc confitebimur nomini tuo, & habitabimus recti cum vultu tuo, Psalm. 139. num. 14.

De vultu tuo iudicium meum prodeat; quia ex vultu tuo procedit illuminatio mea, Psalm. 43. num. 4. sed lætifica me in gaudio cum vultu tuo, Psalm. 20. num. 7. tunc enim aliud non iudicabo, nisi quod à te prouenieт, nec aliud proferam iudicans, quàm in te intelligo, Augustin. hìc: nec oculi mei aliud videbunt, quàm æquitatem, quia tu Domine benignus, & misericors: & æquitas sunt iudicia tua omnia, Psalm. 118. num. 75. propterea iudicia tua iucunda, Psalm. ibidem nu. 39. oculi ergo mei, & aliorum Præsulum ità videant æquitatem, & iustitiam, vt quam alijs prædicamus, opere compleamus. Probasti cor meum Domine, & visitasti in angustijs, in nocte, quia tristis, & velut in quadam præssura sum noctis tenebrosæ, in tribulatione Ecclesiæ tu probasti, & igne me examinasti: non solum nox est tribulatio, sed & ignis quia vrit, Augustinus.

Iussisti Domine, ait Iesus, vt pro populo isto carnem assumerem, & mortem subirem, nihil addidi verbis tuis, & in tribulatione positus omnia libenter sustinui, & non est inuenta in me iniquitas.

Propter verba labiorum tuorum ego custodiui vias duras, ignitum enim eloquium tuum vehementer, & ego seruus tuus dilexi illud, Psalm. 118. num. 140. Quamuis in tenebrosis collocaueris me, & circundederis me felle, & labore, Thren. 3. nu. 5. & 6. & effudisti in me quasi ignem indignationem tuam, Thren. 2. num. 4. & in igne furoris tui dedisti me in manus hominum insipientium, & fabricantium

cantium interitum, Ezech. cap. 21. num. 31. probasti me sicut ignis; Daniel 12. num. 10. non tamen est inuenta in me iniquitas.

Vt non loquatur os meum opera hominum, quoniam tu illuminasti lucernam meam, eloquio tuo igne exanimato, Psalm. 17. nu. 32. ideò locutus non sum verba hominum, quia verba tua Domine quasi ignis, & sicut malleus conterens petras, Ierem. 23. num. 29. per quæ in me aures aperuisti, & ego non contradico, & retrorsum non abij, Isai. 50. num. 5. vox tua ignis, in virtute, & magnificentia, & inter ardentes flammas ignis, Psalm. 20. num. 7. ego custodiui vias duras propter verba labiorum tuorum. Non sunt miscenda falsa prophanis, cælestia terrenis, quia ea vana, & caduca, & ideò.

Os meum non loquetur opera hominum, quæ parum duratura: omne enim opus corruptibile in fine deficiet, & qui illud operatur peribit cum illo, Eccles. 14. num. 20. cumq. me conuertissem ad omnia opera, quæ fecerunt manus meæ, & ad labores, in quibus frustrà sudaueram, vidi in omnibus vanitatem, & afflictionem animi, & nihil permanere sub Sole, dicit Salomon, Eccles. 2. num. 11.

Propter verba labiorum tuorum ego custodiui vias duras. Ab omni via mala prohibui pedes meos, vt custodiam verba tua, Psalm. 118. num. 101. quia principium verborum tuorum veritas, ibidem num. 160. & verba quæ loquitur spiritus recta sunt, Ioan. 6. num. 64. Propterea custodiendas vias duras nobis proponit, vt vitam habeamus æternam; durus est sermo, vt quisque abneget semetipsum, & tollat Crucem suam, & sequatur Christum; duriora tamen sunt transgressoribus, quæ comminata sunt æterna supplicia: propterea duris laboribus me exercui, & corpus meum animæ potestati tradidi, Hieron. hìc ideò iugum Domini Sanctis suaue propter spem vitæ æternæ, & ideò custodiam vias laboriosas mortalitatis humanæ, atquè Passionis, August. hìc, & Abac. in Cantico suo, seù Oratione, num. 16. Ingrediatur putredo in ossibus meis, & subter me scateat, vt requiescam in die tribulationis, vt ascendam ad populum accinctum nostrum; abscindetur de ouili pecus, & non erit armentum in præsepibus: ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Iesu meo, num. 18. Isai cap. 40. num. 4. & erunt praua in directa, & aspera in vias planas.

Sed si iugum Domini suaue, & onus leue, Matth. cap. 11. num. 30. quomodò via est dura, quomodò per multas tribulationes? vide quantum suaue, nam Discipulis cæsis, ne loquerentur in nomine Iesu, illi gaudentes ibant in conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt, pro nomine Iesu contumeliam pati, Act. 5. nu. 41. & 42. & ità etiam de alijs Martyribus, in silentio enim, & in spe erat fortitudo illorum, Ioan. 30. nu. 15. Visi sunt oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace, etsi coram hominibus tormenta passi sint, spes illorum immortalitate plena est, in paucis vexati, in multis benè disponentur, quia Deus tentauit illos, & inuenit illos dignos se: tanquam aurum in fornacem probauit illos, Sap. 3. nu. 3. & cap. 5. nu. 2. & per totum. Dura, & intolleranda credimus, quia nos omnes imbecilles sumus, Senec. Epistola 109. non ista difficiliora, sed nos eneructes. Cui addimus, & sine fide formata, atque spe gloriæ futuræ; cæterum si dura videntur principia, dulci etiam fine remunerantur, vt suprà, quia inter Sanctos sors illorum est, Iob 11. num. 16. miseriæ quoque obliuisceris, & quasi aquarum, quæ præterierunt, recordaberis, & quasi meridianus fulgor consurget tibi ad vesperam, & cum te consumptum putaueris orieris vt Lucifer, & habebis fiduciam proposita tibi spe.

Per-

Perfice gressus meos in semitis tuis, vt non moueantur vestigia mea; hic loquitur pœnitens, qui Christum Iesum vult in tribulationibus sequi; postquã ergo tanquam aurum in fornace probasti me, non inuenitur in me iniquitas, quia tu mecum es.

Confirma gressus meos vsque ad finem vitæ meæ, & non moueantur vestigia mea; iàm enim gressuum meorum fixi vestigia, quia vias tuas duras ex toto corde, & in spe certa ingressus sum, Non sicut mulier illa delicata, quæ vt in Deut. cap. 28. n. 56. super terrã ingredi non valebat, nec pedis vestigium figere propter molitiem, & teneritudinem nimiam; iàm enim viam duram pedibus meis calcaui, & vestigia pedum meorum impressa sunt in illa, & cognoscuntur, nondum ad portum salutis perueni. Perfice gressus meos, vt non moueantur vestigia, meæ scilicet fidei, ne aliquando à via hac iusta, & à iustitia declinans, vestigia gressuum meorum deleantur, & vestigio pedum suorum, omnes riui lacrymarum, quas fudi, exsiccentur, Isai. 37. num. 25. tu enim dixisti, quòd si iustus auerterit se à iustitia sua, & fecerit iniquitatem, omnes iustitiæ eius, quas fecerit, non recordabuntur, Ezech. cap. 18. num. 24. & cap. 33. num. 13. non moueantur vestigia meæ Domine, sed perfice gressus meos, & da locum pœnitentiæ, quia homo sum.

Ego clamaui, quoniam exaudisti me Deus, inclina aurem tuam mihi, & exaudi verba mea. Iàm in semitas Domini Iesu ingressus sum, & per illas ambulo; quia opera misericordiæ opere compleo, & tribulationes mundi propter Dei amorem libenter sustineo; iste est clamor meus, quia tu me exaudisti: hæc enim feci, quia dedisti mihi fidem, & vias tuas demonstrasti mihi; clamaui propterea, quia et si Sacramentum Regis abscondere bonum sit, opera tamen Domini reuelare, & confiteri honorificum est, Tob. 12. num. 7. orabat Tobias cum lacrymis, & sepeliebat mortuos, &c. & Angelus obtulit orationem eius Deo, ibidem num. 12. & quia acceptus erat Deo, necesse fuit, vt tentatio probaret illum; ità nunc Domine: opera bona, si quæ sunt, quæ feci, tua sunt; quia tu vias tuas demonstrasti mihi, & ego in illas ingressus confiteor magnificentiam tuam, & honorifico nomen tuum.

Ascendant quæso in conspectu tuo orationes meæ, & quia nunc illorum perseuerantiam bonorum desidero, & valdè cupio, inclina ad hæc aurem tuam, & exaudi nunc verba mea, iàm enim mundum contempsi; propterea tibi gratias ago, quia tu me illum contemnere fecisti, iàm in te credidi, quòd sis Deus meus, & Saluator meus; qui in hunc mundum, vt me saluares venisti, inclina aurem tuam, & exaudi me; in toto enim corde meo clamo, Psalm. 118. exaudi verba mea, vt non moueantur vestigia mea, sed perfice gressus meos, donec ad te perueniam, qui me redimere dignatus es.

Mirifica misericordias tuas, qui saluos facis sperantes in te, quò ad genus humanum; Dominus Iesus rogat Patrem, vt mirifica faciat opera misericordiæ, Psal. 30. num. 22. Benedictus Dominus, quoniam mirificauit misericordiam mihi in ciuitate munita, idest Ierusalem, de qua locutus est Dominus, quia inimici vallabunt eam, quasi dicat Psaltes, et si in delitijs mundi in Ciuitate ista, in qua abundabunt & miro tamen modo ostendit mihi Dominus infirmitatem meam, vt illis relictis soli Deo inseruirem; & talem intellectum ostendunt subsequentia verba.

Ego autem dixi in excessu mentis meæ, idest stupore mentis perculsæ tot malis, & velut extrà se positæ proiectus sum à facie oculorum tuorum, cum sic anxium me viderem, & tamen erat ille Rex, ideò inquit, exaudisti vocem orationis meæ, dum clamarem ad te, delicias enim malum appellat, Psalmista.

Mirificat misericordiam suam efficiendo, vt nostram cognoscamus infirmitatem, vt cognoscamus nosmetipsos, quales simus, cinis videlicet, & vasa lutea portantes. Magnum est illud donum Dei, quando ad memoriam miseriæ nostræ reducuntur, hinc Greg. homil. 62. super Ezech. 2. par. tunc nobis misericordiæ Dei mirificantur, cum nobis ad memoriam miseriæ nostræ reuocantur, August. non vilescant misericordiæ tuæ, vt minus amentur.

Vel mirifica misericordias tuas, qui saluos facis sperantes in te; Mirificauit misericordias suas, quando per Sanctos Apostolos infirmitates sanabat, & mortuos resuscitabat: mirificauit etiam, quando seipsum à mortuis resuscitauit, prius patiens iustus pro iniustis, Dominus pro seruo, nam Greg. ò mira circa nos pietatis tuæ dignatio, vt seruum redimeres, filium dedisti, & August. quis tanta dignè possit loqui? quis innocens affligitur, vt noxius liberetur: vt redimatur seruus, occiditur filius: & etiam quando Spiritum sanctum misit in Discipulos per quem varijs loquebantur linguis. Mirificauit in omnibus Sanctis suis, & quotidiè mirificat: pro vt de Sancto Francisco, Dominico, & de infinitis alijs legimus, & Caterina. Mirifica misericordias tuas, qui solo verbo restauras vniuersa, mittens operarios, vt impij, & infideles ad te conuertantur, vt omnes in te credentes salui fiant.

A resistentibus dexteræ tuæ custodi me Domine, custodi me, vt pupillam oculi. Qui resistũt dexteræ Dei, idest filio eius Iesu Christo, qui est Dominus, & fecit omnia; sunt Iudæi, Hæretici, Pagani, atque peccatores pertinaces. A resistentibus dexteræ tuæ tripliciter dicit Hieron. hìc. Dæmones Deum, Iudæi Christum, hæretici Ecclesiam, Deus liberet nos ab istis: dextera Domini inueniat, qui te oderunt, Psalm. 20. num. 9. & custodiat nos ab illis, à Dæmone insidiante, à Iudæis Christum negantibus, ab Hæreticis Ecclesiam impugnantibus; dextera Domini, idest Iesus Christus Filius Dei ita nos defendat, & custodiat ab his, vt pupillam oculi; hoc est non solum in grauibus, sed etiam à quantumuis minimis tentationibus, seù suggestionibus, quæ bonos possint corrumpere mores, & ad peccandum, & venialiter nos inducere possent, nàm si quid etiam minimum, in oculi pupillam ceciderit, impedit, & turbat lucem oculi.

Propterea petit, vt custodiat illum sicut pupillam, idest vt non sinat etiam in minimo lædi à resistentibus Iesu Christo, ità in cap. 32. nu. 10. in Deut. circumduxit eum, & docuit, & custodiuit, quasi pupillam oculi sui, & ideò dicebat Zach. 2. num. 8. qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei.

Sub vmbra alarum tuarum protege me à facie impiorum, qui me afflixerunt: afflictio Domini fuit Cruci affixio, flagellatio, mors, deniquè, quidquid enim mali potuerunt contrà Iesum Iudæi, illud fecerunt, neque aliquid vlterius afflictionis irrogandæ erat in illum, nisi in eius corpus mortuum custodia sepulchri. Quomodò ergo nunc dixit: protege me ab ijs, qui me afflixerunt? Commendat Ecclesiam suam Patri, dixerat enim, qui me persecuti fuerint, & vos persequentur, protege ergo Discipulos meos, Ecclesiam meam, sicut gallina sub alis protegit pullos suos, Ioan. 17. num. 15. non rogo, vt tollas eos de mundo, sed vt serues eos à malo, vt ipsi in nobis vnum sint, ibidem num. 2. rogansq. pro Ecclesia sua, rogat pro membris suis, rogat & pro se, qui est illorum Caput.

Inimici mei sunt tanquam puluis, quem proijcit ventus à facie terræ, vmbra tua sufficit, vt defendantur ab istis, protegantur à velamento alarum tuarum, Psalm. 60. nu. 5. & in vmbra alarum tuarum sperabunt, donec transeat iniquitas,

Psalm. 56. num. 2. Thren. 4. num. 20. in vmbra tua viuemus in gentibus. Protegas Domine Vmbra alarum tuarum vmbram nostram, Iob 40. nu. 17. nos enim vmbra sumus mortis, & tenebræ, Iob 3. num. 5. & sicut vmbra dies nostri, cap. 8. nu. 9. tu autem Domine in lucem producis vmbram mortis, Iob 12. nu. 22. protege nos sub vmbra alarum tuarum.

Inimici mei animam meam circundederunt, adipem suum concluserunt, os eorum locutum est superbiam. Inimici mei circundederunt animam meam, idest mysticum corpus meum: non diuitias, & facultates terrenas, nàm pauper erat Christus, & si his diuitijs oneratus fuisset, forsàn & has deturbassent, furati essent, ideò animam Christi circundederunt, da mihi animas, dicebat Rex Sodomorum Abrahæ, cætera tolle tibi, non accipiam, respondit Abraham; ne dicas ditaui Abraham, Genes. 14. num. 22. & sequen.

Propterà dixi, quia diuitias etiam, & facultates abstulissent, si illas Iesus habuisset. Circundederunt animam meam; quid facimus, quia hic homo multa signa facit, & totus mundus vadit post eum, Ioan. 12. num. 19. omnes credent in illum: & venient Romani, & tollent locum nostrum, & gentem, Ioan. 11. nu. 48. audi quomodò adipem suum concluserunt, num. 49. Pontifex Caiphas dixit, expedit nobis vt vnus moriatur pro populo, & non tota gens pereat; adipem suum concluserunt, dominium enim illarum gentium affectabant, & primos accubitus amabant, & Rabbi vocari; facultatesq. illarum gentium vsurpabant, & deuorabant domos viduarum, Luc. 20. num. 47. & pleni erant rapina, & immunditia, Matth. 23. num. 25. Luc. 21. num. 39. Adipem suum concluserunt, vt sues, qui de luto impinguantur; intus enim rapina pleni sunt, & immunditia sicut porci quærebant manuteneri Dæmones in grege porcorum, mitte nos in gregem porcorum, Matth. 8. num. 31. & concludamus pinguedinem nostram, vt manuteneamur in immunditijs, & rapinis; bibunt quasi aquam iniquitatem, Iob 15. nu. 16. adipem suum concluserunt, ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt, Dominus seruauit filijs illis dolorem Patris, & videbunt oculi eius interfectionem suam; & de furore omnipotentis bibet, Iob 21. num. 13. & 20.

Viscera enim illorum tunc adipe plena fuerunt, & medullis ossa eorum irrigata, Iob vt suprà num. 23. & 24. & in diem perditionis illorum seruatus est malus, & ad diem furoris ducitur, ibidem Iob num. 30. nam vsquè ad diem Iudicij vniuersalis, dispersio illorum, Daniel. 9. nu. 27. vsquè ad consummationem, & finem perseuerabit desolatio.

Cogitabant impij illi Iudæi, quòd sublato Iesu Christo, qui alios de rapina, & de iniquitatibus arguebat, se permansurus in suis dignitatibus, & officijs, & per consequens diuites efficiendos ex rapina: propterea adipem suum concluserunt, idest diuitijs affluere, & semper diuites permanere, & impinguatos, & supra modum ditatos, animam Christi circundederunt, vt morti traderent, tentabant enim itinera eius, & insidiabantur illi, Iob 30. num. 13. impinguati iàm erant, & incrassati recalcitrabant, Deut. 32. num. 15. & dereliquerunt Deum factorem suum, & recesserunt ab illo, & ducebant in bonis dies suos, Iob d. cap. 21. nu. 19. & in puncto ad inferna traditi sunt; venerunt enim Romani, & tulerunt eorum bona, & occiderunt illos, & igne omnia consummantes tradiderunt, impinguati erant de malitia, quia nolebant mandata Dei obseruare, Hieron. ideò dispersi, & ad nihilum redacti.

Os

Os eorum locutum est superbiam. Non dixerunt, veniat filius dilectus tuus, sed contrarius est operibus nostris, & contumelijs affectum occiderunt illum, Luc.20.num.14. hic est hæres, occidamus illum, vt nostra fiat hæreditas. Adipem suum concluserunt, os eorum locutum est superbiam, August. lætitia sua pingui cooperti sunt, posteaquam cupiditas eorum de scelere satiata est, os eorum superbiam locutum est, negauerunt enim Deum, non habemus Regem, nisi Cæsarem. Hunc vnde sit nescimus. Recede à nobis, scientiam tuarum viarum nolumus, quis est omnipotens, vt seruiamus illi, Iob d.cap.21.num.14. Veruntamen, quia non sunt in manu eorum bona sua, consilium impiorum longè sit à me, dicit Iob ibidem num.16.

Proijcientes me, nunc circundederunt me, oculos suos statuerunt declinare in terram. Postquam ligatum Iesum Pilatus tradidit voluntati Hebræorum, Ioan.19. nu.16.& eduxerunt eum extra palatium Pilati, & proiecerunt, & ad montem vbi crucifixus est, conduxerunt, omnis turba eorum, qui simul aderant ad spectaculum illud, videbat, quæ fiebant, Luc. 23. num. 48. circundantes circundederunt me, Psalm.117.num.12. & circundederunt sicut apes, num.13. Oculos suos statuerunt declinare in terram; quia videntes Iesum in Cruce pendentem blasphemabant dicentes, vah qui destruis Templum, &c. alios saluos fecit, seipsum non potest saluum facere; hora sexta tenebræ factæ erant super vniuersam terram, vsquè ad horam nonam, Velum Templi in duas partes scissum à summo vsquè deorsum; & terra mota est, & petræ scissæ sunt, & monumenta aperta, & multa corpora Sanctorum, qui dormierant surrexerunt, & nihilominus oculos suos statuerunt declinare in terram, quia terreni erant, & terrena quærebant, nequè signis credere volebant, quia Deus eorum, venter eorum. Non est timor Dei ante oculos eorum, Psalm. 35.num.2. obscurati sunt oculi eorum ne videant, Psalm. 68. num.24. & dorsum eorum semper incuruatum, ideò oculi eorum in finibus terræ, qui stulti erant, Prouerb.17.num.24. oculi eorum pleni erant, & nunc sunt puluere à pedibus introeuntium, à cogitationibus scilicet terrenis, & à concupiscentijs, Baruch 6.num.16. Act.cap.28. num.17. incrassatum est cor populi huius, & auribus grauiter audierunt, & oculos suos compresserunt: ne fortè videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & conuertantur, & sanem eos.

Susceperunt me, sicut leo paratus ad prædam, & sicut catulus leonis habitans in abditis. Ita enim Iesum Christum in Passione susceperunt, sicut leones insurgentes in ipsum, & sicut catulus leonis, qui rugit super prædam, sic & Iudæi, ducite eum cautè: occidatur; crucifigatur clamabant, Isai.2.num.29. Capto enim Domino, omnes in illum rugiebant, & tanquam contrà malefactorem, quærebant internecionem ipsius. Facit Isai.cap.31.num.4. leo capit prædam, & rapina cubile suum, seù speluncas implet præda, Nahum 2.n.12. Iudæi rapuerunt Christum, illi verò spoliati, dispersi reperiuntur propter prædam Christum. Et non populus meus, dicit Dominus vos, Isai.cap.57.num.19. Creaui fructum labiorum pacem, pacem ei, qui longè est, & qui propè, dicit Dominus, sanaui eum: impij verò quasi mare feruens, quod quiescere non potest, & redundant fluctus eius in conculcationem, & lutum, & non est pax impijs; populus autem Domini omnes iusti; in perpetuum hæreditabunt terram, Isai. 60. num.21. Susceperunt me sicut leo paratus ad prædam, cum fustibus, & lanternis tanquam ad latronem venerunt, ligauerunt, & colaphis ceciderunt; Ministri enim Diaboli erant, qui in cor illorum

misit,

misit, vt perderent Iesum, sed vt magis illi perditi essent: filij Diaboli sunt, Ioan. cap. 8. num. 44. vos ex patre Diabolo estis, propterea tanquam leo dicit Dauid, nam ipsi opera patris illorum fecerunt, idest Diaboli, & desideria patris illorum voluerunt facere, & ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit, quia veritas non est in eo, cum loquitur mendacia, ex proprijs loquitur, quia mendax est, Ioan. ibidem num. 44. sicut ergo leo rapuerunt, & sicut catulus leonis, idest filij Diaboli rugiebant, & vocibus suis inualescebant contrà Iesum. In abdito dicit, quia Diabolus in cordibus illorum quasi in obscuro habitat. Hieron. hìc.

Exurge Domine, præueni eum, & supplanta eum: eripe animam ab impio, frameam tuam ab inimicis manus tuæ, veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem, Psalm. 13. num. 3. Prouerb. 1. num. 16. sed perijt fuga à veloci, & fortis non obtinebit virtutem suam, & velox pedibus suis non saluatus est, Amos 2. nu. 14. & 15. In Passione Domini fuit iudicium huius mundi, tùnc Princeps huius mundi eiectus est foras, Ioan. 12. num. 31. Cum eleuatum fuit signum in montibus, hoc est Iesus Christus in monte Caluario, Deus Angelis mandauit dicens, ite Angeli veloces ad gentem conuulsam, & dilaceratam, ad populum terribilem, post quem non est alius, ad gentem expectantem, & conculcatam, cuius diripuerunt flumina terram eius.

Audi vlterius: In tempore illo deferetur munus Domini exercituum à populo Gentili diuulso, & dilacerato, à populo terribili, postquam non fuit alius à gente expectante, & conculcata, cuius diripuerunt flumina terram eius, ad locum Domini exercituum, montem Domini, Isai. 18. per totum.

Ecce quomodo Dominus exurgens liberauit populum Gentilem à manibus Diaboli. Ecce quia præuenit Dominus, & supplantauit Diabolum, & in inferno deorsum transmisit; præuenit Dominus, & supplantauit Diabolum, & Angelos eius, postquam Iesus Christus in Monte Caluario crucifixus, omnia traxit ad seipsum, Ioan. 12. nu. 32. ecce iàm erepta est anima ab impio, quia omnes Romani credunt in Iesum, qui exaltatus est in Cruce, in monte tracti ab illo, quorum animas Diabolus eripuerat.

Vide etiam, quia à Iudæis Sacerdotium sublatum est, & omnia iura tàm spiritualia, quàm temporalia ratione Sacerdotij, Framea enim ab illis inimicis manus Dei, idest filij Iesu Christi erepta est, Psalm. 9. num. 7. Inimici defecerunt frameæ in finem, & Ciuitates eorum destruxisti. Veniat & iterum Rex noster Iesus Christus in auxilium nostrum, & liberet Ecclesiam suam sanctam ab insidijs, & astutijs hæreticorum, Spiritus tuus Domine sanctus, disperdat, & dissipet hos infideles, & hæreticos, vel ad gremium Sanctæ Ecclesiæ illos reducat: Diabolo framea tua Domine propter peccata nostra concessa ad vindictam, libera Domine animam meam à peccatis, & non erit framea Diaboli circa nos.

Domine à paucis de terra diuide eos, in vita eorum. Respectu aliarum gentium, pauci sunt in Ecclesia tua Domine, & in paucis istis rogat separari à carnalibus in vita eorum; cum tamen Dominus dixerit, sinite vtraque crescere vsque ad messem, vsque in diem iudicij. De prædestinatis, nihilominus loquitur benè, vt veniant, & separentur ab ijs, qui non sunt prædestinati, vt dicitur, Multi vocati, pauci electi, hæc Hieron. ita in Isai. cap. 43. num. 6. & 7. & omnem, qui inuocat nomen meum, in gloriam meam creaui eum, formaui eum, feci eum, num. 8. educ foras populum cæcum, & oculos habentem, surdum, & aures ei sunt.

Alij

Alij dicunt impletam prophetiam, quando in die Paschatis, antequam circundaretur Ierusalem à Romanis quando curauit, vt fideles Discipuli, & Apostoli ab Angelo moniti discederent ab illa, diuisi in diuersas mundi partes, & sic liberi facti sunt ab obsidione Romanorum, quorum occisorum numerus fuit infinitus, pariterq. & captiuorum, itaquè dispartiti sunt in diuersas partes mundi Iudæi in subuersione Ierusalem, quæ dispersio adhùc durat, Daniel cap. 9. in fine, & durabit vsque ad finem, & Augustin. Domine perdens eos de terra, quam habitant, dispartire eos per Orbem terrarum in ista vita, quam solam vitam suam putant, qui æternam desperant.

De absconditis tuis impletus est venter eorum, sequitur Augustin. Non solum ista pœna eos consequetur visibilis, sed etiam de peccatis, quæ tanquam tenebræ absconduntur à lumine veritatis tuæ, adimpleta est memoria eorum, vt obliuiscatur Deum, saturati sunt porcina; idest immunditia, conculcantes margaritas sermonum Dei. Vulgata verò dicit, saturati sunt filijs, postquam ergo adipem suum concluserunt, ac propterea os eorum locutum est superbiam, cum in bonis terrenis esset spes illorum, & non in alio. Facti sunt greges Domini in rapinam illorum, Ezech. cap. 34. num. 8. & pleni immunditia, Matth. dicto cap. 23. nu. 25. facti inquam pleni diuitiarum huius mundi, de bonis raptis. De absconditis tuis adimpletus est venter eorum, tanquam ex immunditia sicut porci repleti; de absconditis dixit, quia quolibet anno, tanquàm thesaurus absconditus à Deo emanant fructus terræ. Dilatauerunt quasi infernus animas suas, & ipsi quasi mors, & non implentur; multiplicauerunt enim non sua, & aggrauauerunt contra se deorsum lutum, Abac. cap. 2. nu. 6. neque considerant, quia ex quo spoliauerunt gentes multas, & illi spoliabuntur ab omnibus, ibidem num. 8. quòd verificatum est, nàm Romani omnia bona illorum rapuerunt; & prius dictum, Eccles. 11. num. 4. In vestitu ne glorieris vnquam, nec in die honoris tui extollaris, quoniam mirabilia opera Altissimi solius, & gloriosa, & absconsa, & in visa opera illius: multi potentes oppressi sunt valdè, & gloriosi traditi sunt in manibus alterorum, ibidem num. 6. Herodes quamuis in Throno, & vestitus regia veste, percussus ab Angelo Domini, eò quod non dedisset honorem Deo, consumptus à vermibus expirauit, Act. cap. 12. num. 21. & 22.

Saturati sunt filijs, & dimiserunt reliquias suas paruulis suis, Iob cap. 21. nu. 7. Ierem. cap. 12. num. 1. quasi impij viuunt, subleuati sunt, confortati sunt diuitijs? Semen eorum permanet coram eis, propinquorum turba, & nepotum in conspectu eorum, &c. & num. 13. ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt, Psalm. 36. num. 35. Transiui, & ecce non erat, & quæsiui eum, & non est inuentus locus eius.

Saturati sunt filijs: quoniam magna erat in Ierusalem multitudo impia, & seditiosa, interq. ipsos homicidia, seditiones, furta, sacrilegia, prout ex historia Iosephi de bello Iudaico est videre: & hæc erant in pœnam illorum, qui dixerunt: Sanguis eius super nos, & super filios nostros: saturati sunt, & satiati sunt, effecti sunt inter ipsos rebelles, inimici, frater fratrem occidebat, & filius patrem. Saturati sunt; hæc autem inter eos dissidia, & quia hæc non fuere sufficiens pœna: quod reliquum fuit ex illis, à Romanis trucidatum, combustum, & captum, in seruitutem redactum. Istis ergo sic viuentibus, & residuo illorum, qui remanserunt ex Iudæis, Patres dimiserunt reliquias pœnarum, vt in æternam iuxtà illorum

in morte Christi oblationem, sanguis Christi in perpetuum super illos deueniret. Dimiserunt ergo reliquias paruulis suis, vt & ipsi non essent immunes à pœna delicti, & sacrilegij, quod perpetrarunt patres illorum.

Ego autem in iustitia apparebo in conspectu tuo, obseruans mandata tua; sic induta Ecclesia vestimento iustitiæ, coram Deo se præsentabit, & tunc satiabitur, quia apparebit Dominus in gloria sua, Isai. cap. 52. nu. 1. Consurge, induere fortitudine tua Sion; induere vestimentis gloriæ tuæ Ierusalem, Ciuitas sancta: Diuino conspectui te exhibe in tua iustitia, quia obseruasti mandata, tunc satiaberis, vt in Psalm. 106. num. 9. satiauit animam inanem, & animam esurientem satiauit bonis; Ego ego iustitia indutus vestiui me sicut vestimento, & diademate, iudicio meo, Iob 29. nu. 14. rationalem enim creaturam magnam fecit, cui nullo modo sufficit ad beatam requiem, quidquid ipsa minus est, & onus mihi cuncta, quæ Deus meus non est: dicit August. de Verbis Domini.

SOLILOQVIVM.

SVSCIPE etiam tu Domine Iesu Christe orationem meam, & deprecationem seruorum tuorum in afflictione positorum, qui à te redempti sunt sanguine tuo. Tu enim Domine Iesu vias duras custodisti, propter verba labiorum Patris tui, vt nos à morte liberares, atque redimeres: Perfice quæso gressus nostros in semitis tuis, vt stabiles, fixiq. in obseruatione mandatorum tuorum tuam gloriam iugiter extollamus in opere, proferamus in fide, laudemus in voce. Inimici nostri, & tuæ Ecclesiæ sanctæ multiplicati sunt: & animas nostras circundederunt; nàm potentes effecti in diuitijs terrenis os eorum loquitur superbiam contra nos, & sicut leones parati sunt ad prædam.

Exurge Domine, supplanta eos, dele illos, & frameam tuam, & animas nostras ab inimicis manus tuæ eripe: nos in te credentes, pauci sumus, diuide nos ab illis in terra, in qua illi spem suam fixere, cum è vestigio spem nostram nos in te firmam habeamus; multi sunt illi, nos pauci; ipsi diuites in terrenis, nos pauperes in cælestibus spem nostram ponimus; & quando in iustitia apparebimus, tunc in conspectu tuo satiabimur, quia tunc & tu apparebis in gloria tua. Audi me Iesu dulcissime pro Ecclesia orante, & deprecante. Tibi gloria, quia pro nobis passus es, & nos redemisti in sanguine tuo, gratias genuflexi agamus semper; Amen, fiat.



IN PSALMVM XVII.

Diligam te Domine fortitudo mea.



CONTINVATVR ad præcedentem; nàm suprà orauerat Dauid in persona Iesus Christi Patrem, vt liberaret illum à Iudæorum persecutione, & exaudiret deprecationem suam, & iustitiam suam; In isto verò Psalmo XVII. gratias agit Deo, quia exauditus est, & victor effectus de inimicis suis, à quibus illum liberauit Dominus.

Titulus Psalmi talis est, In finem puero Domini Dauid, qui locutus est Domino verba Cantici huius; in die, qua eripuit eum Dominus de manu omniũ inimicorum eius, & de manu Saul.

Materia huius Psalmi, aliquibus mutatis habetur, 2. Reg. cap. 22. numer. 2. in cuius carminis fine, hoc est in cap. 23. subsequenti immediatè posita sunt hac verba.

Hæc autem sunt verba Dauid nouissima: dixit Dauid filius Isai, dixit vir, cu constitutũ est de Christo Dei Iacob; egregius Psaltes Israel; Spiritus Domini locutus est per me, & sermo meus per linguam meam: dixit Deus Israel mihi locutus est fortis Israel dominator hominũ: iustus dominatur in timore Domini.

Ex quibus verbis propheticè locutum fuisse Dauid ostenditur in hoc Psalmo, & in omnibus Psalmis: quòd eò magis dicendũ, quia in translatione Chaldaica huius Tituli, dicitur. Locutus est Dauid in prophetia Carminis huius: Adde, quòd verba Psalmi in multis ipsi Dauidi minimè adaptari possũt, quũ in vers. 9. in persecutionibus Dauid nõ legimus, terrã commotam, & trementẽ, fundamenta montium conturbata, & cõmota quæ in passione Christi cõtigere, & vers. 14. & intonuit de cælo Dominus, & Altissimus dedit vocem suam, quòd factũ est in Monte Thabor, in Iordane quãdo baptizabatur Christus à Ioanne, & in passione Christi, & clarificaui, & iterum clarificabo; hic est filius meus dilectus, ipsum audite, Matth. c. 3. num. 6. Luc. 3. num. 22. Matth. 28. num. 51. & quod in vers. 20. & num. 25. Et retribuet mihi Dominus secundum iustitiam meam, & secundum puritatem manuum mearum retribuet. Non intres in iudicium cum seruo tuo, clamare solet Dauid, Psalm. 142. solus Christus innocens est, & iustus; Amplius laua me ab iniquitate mea, dicebat Dauid, & à peccato meo mũda me: quoniam iniquitatẽ meam ego cognosco, & peccatum meum contrà me est semper; quis ergo hominum dicat, retribue mihi secundum iustitiam meam?

Gratias ergo in hoc Psalmo agit Dauid, de liberatione, & victoria contra inimicos, prophetico tamen spiritu intelligens de Christo Iesu: quamuis Dauid secundum historiam cantauerit istud Canticum, cum eum persequerentur inimici, idem in passione sua cantauit Iesus, cantat Ecclesia.

In finem puero Domini Dauid; Canticum est ergo Dauid puero dicatũ, puero Domini Dei scilicet, qui tamquam homo minor est Patre, puero inquam, qui datus est nobis paruulus, & filius datus est nobis, cuius principatus factus est super humerum eius, Isai. c. 15. nu. 6. ipsi Christo dicatum, qui fortis est, & potens,

cuius victoria contrà inimicos eius,& contrà Saul Typum diaboli prædicitur. Et quamuis historiæ pars sit ipsius Dauid, cum ab inimicis persequeretur, Cáticum tamen est ipsius Christi, in sua passione per Dauidem prophetizatum; nàm sicut Dominus eripuit Dauidem à persecutione Saul; sic Christum rapuit, atque liberauit de manibus inimicorũ Iudæorum in sua passione,& à Saule Typo diaboli.

Locutus est ergo Dauid Domino verba Cantici huius, in die, qua eripuit eũ Dominus ab inimicis suis, cuius spiritus locutus est per os eius,& per linguam suam, 2.Reg.23. in princ. Spiritu Dei hæc scripta sunt, quæ de Christo venturo narrantur in illo; & prophetico locutus est ore Dauid, alioquin si simpliciter secundum historiam tantùm hæc intelligerentur, donum prophetiæ tolleretur à Dauide: & superfluum inter sacram Scripturam Canticum illud poneretur: vlterius nec verba omnia istius Psalmi, seù Cantici illi aptantur, vt suprà dixi.

Summa istius Cantici est. Gratiarum actio Deo Patri per Christum in quãtum homo, & pro membris suis, quia liberata sunt ab inimicis, & à diabolo, & in specie beneficia accepta explicantur.

Diligam te Domine fortitudo mea, firmamentum meum, refugium meum, & liberator meus, Deus meus adiutor meus, & sperabo in eo, & sic spes mea, protector meus, & cornu salutis meæ, susceptor meus.

Diligam te Domine ex toto corde, Matth.22.nu.17. diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua,& ex tota mẽte tua, quia tu es fortitudo mea. Nàm fortis est vt mors dilectio, Cantic.c.8.nu.6. per te enim Domine fortis sum, ideò te diligam, Augustin. ideò fortitudo mea, quia tu Deus fortis, Isai.cap.9.num.6. & cap.10.nu.22. immo Deus est fortissimus, magnus, & potens, & Dominus exercituum nomen tibi, & Ierem.cap.32.nu.18. & idem Ierem.c.27. ego feci terram, & homines, & iumenta in fortitudine mea magna, & in brachio extenso, Isai.44.nu.24. cum sequen. extendens cælos solus, stabiliens terram,& nullus mecum. Et in tempore passionis meæ tu fuisti firmamentum meum, Eccles.3.nu.34. & in tempore afflictionis meæ factus es firmamentum meum, 2.Reg.22.nu.19. tu enim sempiternus Dominus, qui creasti terminos terræ,& das lasso virtutem,& his, qui non sunt fortitudinem,& robur multiplicas, Isai.cap.40.nu.28. loquitur enim hæc Christus vt homo suæ Diuinitati: Hieron. hìc. Diligam te virtus mea. Vox Christi, Virtus mea, hoc est, Diuinitas: Virtus hominis assumpti. Et Ecclesiæ virtus est Christus, qui dicit: diligam te Domine. Si vox Christi est, cum sint vnum,& vna substantia Diuinitatis; quia dictum est: Vna potestas, vna voluntas, vna maiestas Patris, & Filij,& Spiritus sancti: quomodò dicit, diligam te Domine? Pater dicitur eò quòd habet filium, filius dicitur eò quòd habeat Patrem. Spiritus sanctus, nec Pater est, nec Filius, sed dilectio, quam habet Pater in Filio, & Filius in Patre. Vndè Paul. ad Roman.cap.5.nu.5. quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum, sanctum, qui datus est nobis, hæc Hieronym.

Diligam ego Christus homo te Domine Pater, cuius Diuinitas est in me, qui vnum sum tecum,& cum Spiritu sancto, propterea fortitudo mea, quia tu Pater diligis filium, & sicut Pater suscitat mortuos, & viuificat, sic & filius, quos vult viuificat, Ioan.5.num.21. diligam ego homo factus,& vt homo loquor tecum, Domine fortitudo mea: qui in me es, quia filius tuus sũ Deus de te Deo vero, fortitudo mea, quia non solũ diaboli tẽtationibus, quádo post ieiunium esuriui,

forti-

fortiter restiti, sed homines ab illo oppressos liberans, è mundo illum expuli: infernum, vbi Patres detinebantur, spoliaui: mortem morte mea destruxi, & tandem meipsum à mortuis resuscitans; effeci vt aduersarius in credentibus in me non habeat virium quidquam: fortitudo mea; quia solus ego ementes, & vendentes; & mensas numulariorum euerti, & funiculo è Templo eieci: imperaui Mari, & obediuit; fortitudo mea, quia in me erat Deus, & ego in te, & exaltatus omnia traxi ad meipsum, Ioan. 12. num. 32.

Firmamentum meum, nàm turris fui fortitudinis à facie inimici, & quia quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam, Ioan. 17. num. 12. & firmiter patiendo aduersariorum persecutiones sustinui, ponens faciem meam, vt petram durissimam, Isai. 50. num. 7. & scio, quia non confundar.

Quia refugium meum, & liberator meus es, omnes enim etiam noti mei in tribulatione dereliquerunt me, foras fugerunt à me, nec erat qui adiuuaret, Isai. 63. num. 5. Circumspexi, & non erat auxiliator, quæsiui, & non erat, qui adiuuaret, & de gentibus non est vir mecum, num. 3. tu solus Deus refugium mihi fuisti, nàm manum tuam, & potentiam tuam ostendi eis liberans me, simul, & Ecclesiam à manibus persequentium, à leonibus vnicam meam, & sciuerunt gentes, quia nomen est tibi Dominus fortitudo mea, & robur meum, & refugium meum, in die tribulationis meæ, Ierem. 16. num. 19. tu fuisti refugium meum à tribulatione, quæ me circundederat, Psalm. 31. nu. 7. & factus est mihi Dominus in refugium, & adiutorium spei meæ, Psalm. 93. num. 22. Psalm. 143. num. 7. Psalm. 43. num. 8. saluasti me de affligentibus me, & tu Domine Iesu, nos qui peccatores sumus, confugimus ad te Dominum iratum, confugimus tamen ad tuam bonitatem, August. de vera Innocentia, omnia quæ rationabiliter timentur rationabiliter declinantur, Deus sic timendus est, vt ab ipso ad ipsum confugiamus, & in alio loco declarat, quòd nemo ratione fugit ab ipso, nisi ab eius seueritate ad eius bonitatem, tunc enim liberator noster, si pœnitentes ad eum cōfugiamus in tribulationibus nostris.

Deus meus adiutor meus, Augustin. hìc. Deus meus, qui mihi adiutorium prius vocationis tuæ præstitisti, vt sperare in te possim. Adiutor in opportunitatibus in tribulatione, Psalm. 9. num. 10. si Deus est adiutor, nihil timendum est, ad Hebr. 13. num. 6. immo inimici despiciuntur, Psalm. 117. num. 6. & 7. Dominus mihi adiutor, & ego despiciam inimicos meos, & sperabo in eo; non enim spernam adiutorium mihi ad incipiendum, & ad perficiendum à Deo datum; sed in eo sperabo, benè operans, & mandata Dei seruans, Chrysostom. homil. 18. super Matth. Gratia est adiutorium infirmitatis meæ humanæ; adiutorium autem non dormientibus, sed vigilantibus dat. Deus meus adiutor meus, & sperabo in eo: posuit enim Deus adiutorium in potente, & exaltauit electum de plebe sua, Psal. 88. num. 20. in potente illud posuit, nàm & ipse quamuis homo, erat etiam Deus, & vt homo vocat adiutorium Dei spem suam; Psalm. 93. num. 22. omnia enim per ipsum facta sunt, Ioan. cap. 1. Baruch 3. num. 38. post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est. Et ego pariter sperabo in eum, quia Deus meus est adiutor meus, quia vocatione sua vocauit me, neque renui, & ideò in tribulationibus me protexit, Isai. 41. num. 9. à longinquis vocauit me, & dixit mihi, seruus meus es tu, elegi te, & non abieci te; ne timeas, quia ego tecum sum; ne declines quia ego Deus tuus cōfortaui te, & auxiliatus sum tibi, & suscepit te dextera iusti mei, n. 10. bonus Dominus, & cōfortans in die tribulationis, Nahum 1. Ecclesia loquitur.

Protector meus, & cornu salutis meæ, & susceptor meus. Protector est omnibus exquirentibus eum in veritate, Eccles. 2. num. 15. ad quem enim respicit Deus, & quis est fortitudo eius? oculi Domini super timentes eum, protector potentiæ, firmamentum virtutis, &c. adiutorium casus, Eccles. 34. num. 19. & 22. Dominus solus sustinentibus se in via veritatis, & iustitiæ. Protector meus, quia solus ipse potens ad sustinendum expectantes illum, sperantes in illum, potens in virtute: Confitebor igitur nomini tuo, quoniam adiutor, & protector factus es mihi, Eccles. 51. nu. 2. Cornu salutis meæ, posteaquàm vocasti me, vt in te sperarem, & tibi crederem, iàm in te speraui, & in te credidi, propterea protector factus es etiam mihi, ne in tribulationibus deficerem, semperq. mecum es, Psal. 9. nu. 15. & eripis, & educis de tribulatione animam meam, Psal. 141. num. 11. & Psal. 33. nu. 5. & 7. quia fortis, & potens tu es salus animæ meæ, tu cornu salutis meæ factus es, erexisti enim cornu salutis in domo Dauid pueri tui, Cantic. Zachariæ, Luc. c. 1. idest in Ecclesia Iesu Christi per aspersionem sanguinis eiusdem Iesu Christi pueri tui, propter humanitatem, quam assumpsit nostram, ideò seruus, & minor Patre, quocircà non perdidisti ex eis quemquam, quos dedit tibi Pater.

Propterea susceptor meus, quia tu vis, vt vbi tu es, sint & fideles tui in domo Patris tui, & ibi inter sanctos sors nostra sit, Ioan. 14. nu. 21. & amici Dei efficiamur, Sap. 3. num. 4. & inter filios Dei computemur, & simus, Sap. 5. num. 5. Susceptor ergo meus, quia per te accipimus requiem animabus nostris, Isai. 30. n. 15. si reuertimini, & quiescatis salui eritis: in silentio, & in spe erit fortitudo vestra. Protector meus; te enim Dominum, & Deum meum cognosco; non de me ipso præsumo, nec sicut superbus contrà te, cornu superbiæ meæ erigo, aduersus te: scio enim, atque profiteor, quia tu omnia fecisti, & me indignum ex nihilo creasti: inquit Ecclesia; seù homo Deo carus, vel si de filio Iesu Christo dicamus, non tanquam homo aduersum te me erigo, nec ex me aliquid facio, quia scio quòd tu semper mecum es; & ego te clarificaui super terram, & nunc clarifica me apud temetipsum, Ioan. 17. sed protectorem meum te inuoco, & cornu salutis meæ, idest firma columna salutis meæ tu es, & susceptor meus, quia ascendam in Cælum, & ad dexteram tuam sedebo in humanitate mea.

Propterea non meam gloriam, sed tuam Domine sancte Pater quærens, & laudans te, securus ero ab inimicis meis, quorum errores non mihi nocebunt, ità etiam laudans Ecclesia Christum, sicut Christus Patrem, ab inimicis suis salua erit, idest ab hæreticis, & illorum malitijs iniquis, & erroribus illorum, Christus verò à Iudæis, Hieron. hic.

Propterea cornu salutis repellens, & concutiens inimicos, & aduersarios fortes: laudans inuocabo te Domine, & ab inimicis meis saluus ero; laudent iusti Dominum: illum laudent habitantes in puluere, idest in humilitate, quia ros lucis, ros tuus, auxilium tuum erit, & terram Gigantum detrahes in ruinam, Isai. 26. nu. 19. laudent Cæli, quoniam misericordiam fecit Dominus: iubilent extrema terræ, resonent montes laudationem, quoniam Dominus redemit nos, Isai. 44. num. 23. Cantemus Domino, laudemus Dominum, quia liberauit animam pauperis de manu malorum, Ierem. 20. num. 13.

Quas passus est tribulationes, & dolores, vt eò magis nos infirmi in tribulationibus nostris firmi, & stabiles essemus, ostendit; nàm si ille Deus, & Dominus propter peccata nostra passus est, quare & nos qui pro peccatis affligimur, non

susti-

sustineamus aduersitates, vt illas sustinentes perpetuò quiescamus; inquit ergo.

Circundederunt me dolores mortis, & torrentes iniquitatis conturbauerunt me. Audi dolores mortis: tristis est anima mea vsque ad mortem, si possibile est, transeat calix à me, veruntamen fiat voluntas tua, Matth. 26. nu. 39. Marc. 14. nu. 35. sequen. Apparuit ei Angelus de Cælo confortans eum, & factus in angonia prolixius orabat, Luc. 22. num. 43. & 44. & factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram. Circundederunt illum dolores mortis; Ambros. super Lucam: doles Domine non tua, sed mea vulnera, non tuam mortem, sed meam infirmitatem, & non æstimauimus, te esse in doloribus, cum tu non pro te, sed pro me doleres; sed quid mirum si pro omnibus doluit, qui pro vno fleuit? quid mirum, si pro omnibus moriturus tædeat, qui Lazarum resuscitaturus lacrymatur? Ambros. hæc, Isai. 53. verè dolores nostros ipse portauit.

Torrentes iniquitatis conturbauerunt me: Audi torrentes iniquitatis: Seductor appellatur Iesus ab illis iniquis, potator vini, & quòd in Beelzebub Dæmonia eijciebat; quòd non esset missus à Deo dicebant; quòd se Regem faciebat, non est Rex nobis, non enim timemus Dominum, & Rex quid faciet nobis? Ose. 10. num. 3. & multa alia scelera procurabant per testes falsos. Ego redemi eos, & ipsi locuti sunt contrà me mendacia, Ose. 7. num. 13. propter quæ sicut torrentes iniquitatum conturbabant Christum innocentem; posuerat enim Deus in eo omnium nostrum iniquitates, neque ille os suum aperuit, propter scelus populi sui percussit illum Deus; quia Dominus voluit eum in infirmitate conterere, quamuis iniquitatem non fecerit, nec dolus fuerit in ore eius, Isai. d. cap. 53. nu. 8. & sequen. nos enim illum seruire fecimus in peccatis nostris, & præbuimus illi laborem in iniquitatibus nostris, Isai. 43. num. 24. Torrentes iniquitatis conturbauerunt me, non tamen absorbuerunt, quia Dominus erat in illo, Psalm. 123. num. 5. propterea torrentem pertransiuit anima mea, & pertransisset anima nostra aquam intollerabilem, nàm anima nostra erepta est de laqueo venantium, laqueus contritus est, & nos liberati sumus, quia Dominus dirupit fontes, & torrentes, & siccauit fluuios æthan, idest fortis, & confregit capita draconis, Psal. 73. nu. 14. & 15. immo torrentes illi conuersi sunt in picem, & humus eius in sulphur, Isai. 34. nu. 9. & terra eorum in picem ardentem conuersa, in perpetuum desolata à generatione in generationem, in sæcula sæculorum non erit transiens per eam, ibidem nu. 9.

Circundederunt me dolores mortis; torrentes iniquitatis conturbauerunt me: quia Christus est caput, & nos membra ipsius, & sic vnum corpus mysticum, omnes afflictiones nostras, & miserias dicit esse suas; dolores ergo, & gemitus eorum, qui erant in interitu, circundederunt Christum, Dominus enim in terram aspexit, vt audiret gemitus compeditorum, & solueret filios interemptorum, Psalm. 101. num. 21. posuerunt morticinia seruorum Dei, escas volatilibus Cæli, carnes Sanctorum tuorum bestijs terræ, Psalm. 78. nu. 2. & 3. effuderunt sanguinem eorum tanquam aquam in circuitu Ierusalem, & non erat, qui sepeliret; introiuit in conspectu eius gemitus compeditorum, idem Psalm. 78. nu. 11. Circundederunt Iesum gemitus, & dolores mortis seruorum suorum, & inimici veluti torrentes iniquitatis contrà Ecclesiam suam insurrexerunt, polluentes illam, d. Psal. 78. num. 1. conturbauerunt Christum.

Vlterius etiam quia mortui in inferno descendebant, nec erat, qui illas animas afflictas, & dolentes Sanctorum Patrum redimeret, propterea subiungit Psalmista.

Dolo-

Dolores inferni circundederunt me; compatiendo illis, qui mortui sunt, & interfecti ante Passionem meam, quia iàm liberassem illas, propterea sequitur dicens; præoccupauerunt me laquei mortis, idest præuenerunt Passionem meam in occidendo prius seruos meos.

His circundatus tribulationibus, & doloribus etiam meis, laudans inuocaui Dominum, & ad Deum meum clamaui: Ego Christus in humanitate mea consistens inuocaui Deum in toto corde meo, & vocem meam de Templo sancto suo exaudiuit; Hieronymus Templum corpus Dominicum, vbi exaudita est humanitas à diuinitate, & Ecclesia similiter à Christo. In Templo, in sancta Ecclesia. Et clamor meus, qui est in conspectu eius, introiuit in aures eius. In conspectu dixit iuxtà illud, cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum; Psal. 90.nu.15.ideò effundo in conspectu tuo orationem meam, & tribulationem meam,& intendis,quia humiliatus sum, Psal. 141.n.3.& 7.& introiuit in aures eius, quia intus oratione, scilicet mente inuocaueram illum tribulatus, & vox mea in aures eius deuenit; Dominus enim propè est omnibus inuocantibus eum, Psal. 144. nu. 18. & propè timentes eum salutare eius, Psal.84.nu.10.oratio enim mentalis est causa orationis vocalis; vndè Cassiod. creuit sermo, progrediente desiderio. Fuit sanè clamor Domini continuus, quia toto tempore vitæ suæ in hoc mundo fuit tribulatus, Luc. 9. num. 22. dicebat enim, Generatio mala quamdiù vos patiar, quousquè ero vobiscum, Matth. 17. num. 16. Luc. 9. num. 41. Augustin. de verb. Domini, Homil. 43. Tota vita ista intelligentibus tribulatio est; & factus est fortitudo pauperi, fortitudo egeno in tribulatione sua, Isai. 25.num.5. propterea omnis potestas ei à Deo fuit data in Cælo, & in terra, Matth. 28.num. 18.

Exauditus est Iesus Christus, vt patet, & optimè declarat S.Paul. ad Hebr. 5. Qui in diebus carnis suæ (loquitur de Christo) preces, supplicationesq. ad eum, qui possit illum saluum facere à morte cum clamore valido, & lacrymis offerens exauditus est pro sua reuerentia, & sequitur num.8. & quidem cum esset filius Dei, didicit ex ijs, quæ passus est obedientiam, & consummatus factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ, &c. Exaudiuit vocem, & clamor eius in aures Domini introiuit, nàm idcircò.

Commota est, & contremuit terra, fundamenta montium conturbata sunt, quoniam iratus est eis Deus; commota sunt, nàm dicebant, quid facimus, quia hic homo multa signa facit; Venient Romani, & tollent nostrum locum, & gentem, Ioan. 11. nu. 47. & 48. commota est, & contremuit terra, idest habitatores illius, fundamenta montium conturbata sunt, quia ex Iudæis, & ex gentibus, relictis Idolis, & superstitionibus Pharisæorum, & Pontificum multi credebant in illum: eandem enim gratiam Spiritus Sancti dedit Deus gentibus baptizatis, sicut Apostolis, Act. 11. num. 17. & 18. & gentibus pœnitentiam Deus dedit ad vitam.

Venerunt ergo Ministri ad Pontifices, & Pharisæos: vide quomodò fundamenta terræ conturbata sint, & dixerunt eis illi, nunquam sic locutus est homo, sicut hic; responderunt ergo eis Pharisæi, nunquid & vos seducti estis; nunquid ex Principibus aliquis credidit in eum; aut ex Pharisæis, sed turba hæc, quæ non nouit legem maledicti sunt: nunquid & Galilæus tu es? dixerunt Nicodemo, scrutare scripturas, & vide, quia à Galilæa non surgit Propheta, Ioan. cap. 7. num. 46. vsque ad finem.

Fundamenta conturbata sunt montium dissecabantur, & cogitabant interficere

illos,

illos, idest Apostolos, Act. 5. num. 33. commota est, & contremuit terra, nàm vbi erant Discipuli, & alij credentes, & cum orassent, motus est locus, in quo erant congregati, & repleti sunt omnes Spiritu sancto, Act. 4. num. 31. Pharisæi verò, & alij Primates stridebant dentibus suis, & dissecabantur, Act. 7. num. 54. quia commouebatur terra, quia numerus credentium in Christum ad prædicationem Apostolorum erat maximus, vt in d. cap. 11. num. 21. & suprà dictum est, ità vt occiderent Stephanum illos redarguentem, propterea stridebant in eum, & dissecabantur cordibus, d. cap. 7. num. 54.

Commota est, & contremuit terra, nàm ille Vas electionis prius Persecutor, tremens, & stupens factus est Vas electionis, Act. cap. 9. num. 7. & multò magis conualescebat, & confundebat Iudæos, ibidem num. 21. & commota est terra, quia & gentibus pœnitentiam dedit ad vitam, Act. 11. num. 18. & 24.

Commota est, & contremuit terra, nàm in Passione Christi terremotus facti sunt, Velum Templi scisum est medium, Luc. 23. num. 45. Marc. 15. num. 38. Matth. 27. num. 51. & ecce Velum Templi scissum est à summo vsque deorsum: terra mota est, & petræ scissæ, & monumenta aperta sunt, &c. Fundamenta montium, & ideò conturbata sunt, & commota sunt, nàm Dæmones, qui sunt fundamenta superborum, Hieron. hìc, videntes aperta monumenta, & multa corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexisse, conturbati sunt; viderunt enim Regem gloriæ in partes illas inferiores introisse; quis est iste Rex gloriæ? attollite portas, dicebat ille, quia est Dominus fortis, & potens. In partes infernales, quia sunt inferiores terræ partes, fundamenta montium sunt, illorum scilicet, qui illorum superbia sectantes desuper terram dum viuunt, superbientes habitant, vt facilius in inferiores partes ex diametro sibi contiguas post mortem descendentes, ibi in perpetuum commorentur.

Fundamenta montium conturbata, quia omnes Principes terræ videntes signa, & prodigia, quæ fiebant ab Apostolis, & ab alijs Discipulis, & fidelibus conturbati occiderunt illos, vitam illorum æstimantes insaniam; sed quid illis profuit superbia? Sancti inter filios Dei computati sunt, & inter Sanctos sors illorum est, isti verò superbi in malignitate eorum sunt consumpti, in inferno in æternum permansuri, Sap. d. cap. 5. per totum. Quia Dominus iratus est illis, propterea dilatauit infernus animam suam, & aperuit os suum absquè vllo termino, & descendent fortes eius, & Populus eius, & sublimes, gloriosiq. eius ad eum, Isai. cap. 5. num. 14. Iratus est eis, propterea Dominus contrà istos superbos, vt sciant, quia per ea quæ peccant; per hæc, & torqueantur, Sap. 11. num. 17. propter terrena etiam persecuti sunt Sanctos, & terreni, & cineres facti sunt, subditi Dæmonum in igne æterno commoraturi.

In aures tamen Domini introiuit clamor Iesu Christi, quia in omnem terram exiuit sonus vocis salutis æternæ, & ideò omnes Principes credent in illum, et si volent omnes salui fieri possunt, & conuenit illud Isai. 64. num. 5. ecce tu iratus es, & peccauimus, in ipsis fuimus semper, & saluabimur, idest per misericordiam tuam; si conuersi pœnitentiam egerimus; cum enim irascitur Dominus, misericordiæ suæ recordatur, Abac. 3. num. 2. facit Isai. 57. nu. 14. Viam facite, præbete iter, declinate de semita, auferte offendicula de via populi mei. Quia hæc dicit excelsus & sublimis, habitans æternitatem, &c. & cum contrito, & humili spiritu, vt viuificent spiritum humilium, & viuificet cor contritorum, non enim in

sem-

sempiternum litigabo, neque vsque ad finem irascar, &c. vndè sequitur Psalmista.

Ascendit fumus in ira eius, idest lacrymosa deprecatio pœnitentium, August. & Hieron. ex duobus fit fumus, ex qua & igne, per fumum lacrymæ excitantur, per ignem compunctio cordis intelligitur, & per lacrymas aqua: hæc Hieron. & ignis à facie eius exardescet, idest secundum Augustin. flagrantia charitatis post pœnitentiam de notitia eius exardescit, & post lacrymarum effusionem pœnitentis carbones succensi sunt ab eo; postquam enim è ligno lacrymarum fumus exiuit, quando ardebat, & præ dolore peccatorum lacrymas effundebat; immutatum est lignum in carbonem; per ignem, illius humiditatem deuorantem, & facti sunt carbones, idest incorruptibiles permanentes, in charitate, & amore Dei, quia igne amoris in Deum succensi sunt, August. de Ciuit. Dei cap. 12. homo proximus corruptioni, per iustitiam fit incorruptibilis anima eius in præsenti, & corpus in futurum, & tunc succendentur; quia corpora illorum beatificata erunt, & erunt ardentes in amore Dei.

Vel dicamus ascendit fumus in ira eius, & ignis à facie eius exarsit, carbones succensi sunt ab eo suprà dixit, quòd iratus erat Dominus, propterea commota, & contremuit terra, & reddit rationem quare iratus sit Dominus, nempè quia ascendit fumus peccatorum in conspectu Dei, ex cuius facie ignis exardescit, vt puniat illos; & ab illo igne cremati, & succensi facti sunt carbones in inferno, Thren. 4. num. 8. denigrata est facies eorum sicut carbones, & non sunt cogniti in plateis: adhæsit cutis eorum ossibus, aruit, & facta est, quasi lignum. Ignis succensus est in furore meo, dicit Dominus, & ardebit vsquè ad inferni nouissima, deuorabitq. terram cum germine suo, & fundamenta montium comburet, Deut. 32. num. 22.

Et hæc consonans videtur esse interpretatio ijs, quæ in Isai. cap. 65. num. 5. Isti fumus erunt in furore meo, ignis ardens tota die; loquebatur enim superiùs Propheta contrà incredulos, & contrà illos, qui in via bona non gradiebantur, sed post cogitationes suas, & alia faciebant facinora, vt ibi: vltio enim istorum erit in gehenna ignis ardens, qui de furore meo succensus est, cuius testimonij sensus est, dicit Isai. d. cap. 65. quòd ignis Dei, atque vindicta semper ardeat peccatoribus, & eos vsquè ad infernos persequatur, qualis erat diues ille, de quo Luc. 16. num. 19. terram quoque, idest carnem nostram, & genimina eius, idest carnis desideria, eadem flamma comburet, & fundamenta montium, quæ se eleuant contrà scientiam Dei, ipsos quoque montes disperdentur, & humiliati in pœnis montes esse desistant, Ose. cap. 7. num. 13. Væ eis, quoniam recesserunt à me; vastabuntur, quia præuaricati sunt in me; facti sunt, quasi arcus dolosus; cadent in gladio Principes eorum à furore linguæ suæ, & Prouerb. 5. num. 22. iniquitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringitur ipse morietur, quia non habuit disciplinam, & in multitudine stultitiæ suæ decipietur, & Isai. cap. 5. nu. 26. ecce festinus velociter veniet, & num. 28. sagittæ eius acutæ, & num. 30. & sonabit super illum in die illa, sicut sonitus Maris, aspicient in terram, & ecce tenebræ tribulationis, & lux obtenebrata est in caligine eius. Sed dices forsan, ò peccator, ò Magnates superbi, quia Deus in altis habitat, de istis non est illi cura, non est intelligens, aut requirens Deum; vel non est Deus, vel non creditis in Deo; non speratis in salutari eius, nec creditis in mirabilibus eius, Psal. 77. num. nu. 22. & 32.

& di-

& dicis, quid nouit Deus? & quasi per caliginem iudicat, nubes latibula eius; nec naturam considerat, Iob 22. num. 13. & 14. ò stultè? Deus vbiquè est, & ambulat per mare, & vestigia eius non cognoscuntur, Psalm. 76. num. 20.

Inclinat cælos, & descendit, & caligo sub pedibus eius; & consurget contrà domum pessimorum, & contrà auxilium operantium iniquitatem, & Dominus inclinat manum suam, & corruit auxiliator: & cadit cui præstatur auxilium, simulq. omnes consummantur, Isai. 31. nu. 2. & 3. Ierem. 21. num. 13. & 14. dicebant enim ibi, quis percutiet nos? aut quis ingredietur domus nostras? & visitabo super vos iuxtà fructum labiorum vestrorum, dicit Dominus, ad faciendum ignem in saltu eius, & deuorabit omnia in circuitu eius, & dixisti non est qui videat me, fiduciam habens in malitia tua: Sapientia tua, & scientia tua hæc docuit te; veniet malum, & nescies ortum eius, & irruet super te calamitas, quam non poteris expiare, veniet super te repentè miseria, quam nescies, Isai 47. num. 10. Vis cognoscere potentiam Dei? considera Cælum, & terram, Maria, & omnia, quæ in eis sunt, quia ipse fecit omnia, Isai. 44. num. 24.

Ego sum Dominus faciens omnia, extendens Cælos solus, stabiliens terram, & nullus mecum, irrita faciens signa diuinorum, & ariolos in fauorem vertens, conuertens sapientes retrorsum, & scientiam eorum stultam faciens, &c. & qui disperdit superbos, & Regnum à gente in gentem transfert propter iniustitias, & iniurias, & contumelias, & diuersos dolos, Eccles. 10. num. 8. & aufert spiritum Principum, Psalm. 75. num. 13. ecce gentes quasi stilla situlæ, & quasi momentum stateræ reputatæ sunt; ecce Insulæ quasi puluis exiguus; omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, & quasi nihilum, & inane reputatæ sunt ei, Isai. 40. nu. 15. & sequen. & num. 21. nunquid non scitis? nunquid non audistis? nunquid non annuntiatum est vobis ab initio, nunquid non intellexistis fundamenta terræ, qui sedet super gyrum terræ, & habitatores eius sunt quasi locustæ, qui extendit velut nihilum Cælum: quid mirum ergo, si in ira eius commouetur, & contremiscit terra? fundamenta montium conturbantur?

Nec putes, in terra solum esse talem potestatem, & tale imperium, nàm sequitur Psalmista noster num. 11.

Inclinauit Cælos, & descendit, & caligo sub pedibus eius; quia ipsius est tenebras, & caliginem in terra ponere, Amos 5. num 10. nunquid non tenebræ dies Domini, & non lux, & caligo, & nòn splendor in ea, dies tenebrarum, & caliginis, Sophon. 1. num. 15. Caligo sub pedibus eius; quia inquit Deus, tribulabo homines, & ambulabunt vt cæci, quia Domino peccauerunt, & effundetur sanguis eorum sicut humus, & corpora eorum sicut stercora, Sophon. 1. num. 17. in caligine enim offerens, faciem tuam velabis, & videbis terram, Ezech. 12. num. 6.

Inclinat Cælos, & descendit, vt puniat peccata nostra, quia caligo sub pedibus, vt oculi nostri cæci fiant, quia in peccatis obstinati sumus: demus ergo Domino Deo nostro gloriam, antequam contenebrescat, antequam offendant pedes nostri ad montes caliginosos, aliàs expectabimus lucem, & ponet eum in vmbram mortis, & in caliginem, Ierem. cap. 13. num. 16.

Conuertere ergo peccator ad Dominum, ne procrastineris, quia in ictu oculi, in momento, & in nouissimo tuba canet, 1. Corinth. 15. nu. 52. non tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die, in diem, subitò enim veniet ira illius, &

in

in tempore vindictæ disperiet te: Eccles. 5. num. 8. & 9. iter enim deuium ducit ad mortem, Prouerb. 12. num. 24. propterea dicit Psalmista.

Quia descendit, & ascendit super Cherubim, & volat super pennas ventorum, non volatu auium, sed volat super pennas ventorum, descendit enim, vt non illuminet, quia caligo sub pedibus, venit quippè mittere gladium, Matth. 10. nu. 34. venit vt obcæcati peccatores, tanquam inimici Dei, in caligine positi sub pedibus eius eijciantur in loca tenebrosa, in tenebras exteriores, & citò veniet, quia volat, non ambulat; volat, sed super alas ventorum, quia dixit, & facta sunt, Psalm. 144. num. 5. Casus enim malorum festinanter veniet, Eccles. 20. num. 20. memento ergo iræ, quoniam non tardabit, Eccles. 7. num. 18. Vindicta enim impij ignis, & vermis, ibidem num. 19. Posuit ergo tenebras latibulum suum, & totus (vt ità dicam) tibi peccatori tenebrosus est, quia inimicus eius es tu, dum pertinax steteris; ne mireris, quia latibulum suum posuerit tenebras, & in circuitu Tabernaculum eius: quia tibi est inuisibilis Deus, sed ipse videt te, & intima cordis tui. Quamuis Tabernaculum eius tenebrosa aqua in nubibus aëris tibi videatur: scias tamen, quia præ fulgore in conspectu eius transierunt grando, & carbones eius, tenebrosa tibi, quia dum in peccato es, non est illius auditus; si tamen conuertaris ad Dominum, oratio tunc tua penetrat Cælum, & nubes transeunt præ fulgore in conspectu eius, & ità transitus orationis iusti non habet impedimentum, & nubes transeunt, grando, & carbones ignis. Quòd si in peccato permanseris tonat de Cælo Dominus, & Altissimus dedit vocem suam per Prædicatores, & Doctores Ecclesiæ, monens te, vt dimittas peccata.

Deindè etiam grando, & carbones ignis, idest tonitrua tàm magna, tonant, quæ sunt voces Domini ad tui terrorem, vt non adijcias peccatum peccato, & te pœniteat, & post hæc etiam.

Mittit sagittas suas, & dissipauit eos, quos non pœnituit scelerum suorum. Fulgura multiplicant, & conturbant eos. Post hæc etiam vt securior fieret salus tua. Fontes aquarum, vt apparerent mandauit, vt ciues sanctorum, & domestici Dei efficiamini, superædificati super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum ipso summo angulari lapide Christo Iesu, ad Ephes. 2. num. 20. sunt enim illi duodecim Apostoli, quorum nomina in muro illius Ciuitatis habentis duodecim fundamenta, de quibus Apocal. 21. fontes quoque aquarum, baptizantes aquæ sunt, quæ totum hominem mundant, & soluunt à peccatis, si in nomine Sanctissimæ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus sancti ijs baptizentur.

Et hæc si fumum iræ Domini ad vindictam intelligamus, si verò, vt August. & Hieron. exponunt, fumus sint lachrymæ pœnitentium, vt pertinentia eadem referantur ad placationem iræ Dei, nec non, & ad natiuitatem Domini, sequens expositio vltrà superius ablata videtur conueniens, vt ad clamorem, & ad voces Ecclesiæ, & ad illius orationes ità Deus inclinarit aurem suam, & exaudierit illam, vt propterea Cælos inclinat, vt filius suus vnigenitus in Mundum veniret. Inclinauit ergo Cælos, & descendit, vt sanaret omnes; caligo tamen sub pedibus eius, quia inuisibilem Deitatem, & suorum iudiciorum occulta non fuerunt cognita per homines, si enim sciuissent, nunquam Auctorem vitæ crucifixissent, Paul, Act. 3. num. 15. & 17. vel caligo sub pedibus eius, quia quando venit, omnes infirmos, & peccatores inuenit, & ideò August. hìc dicit, quòd Deus humiliauit iustum, vt descenderet ad hominum infirmitatem.

Caligo inquit sub pedibus eius; quia illum non cognouerunt, & aliquatenus cognouerunt, vt testatur Ioan.7.nu.28. dicebat Iesus, & me scitis, & vndè sim scitis; plus tamen apud illos valuit malitiosa, & terrena consideratio,& gloria hominum, quàm gloria Dei, Ioan.12.nu.43. quàm veritas,quæ ex Prophetis,& Scripturis manifesta erat, & ex signis, quæ fecit illis Iesus; Vndè illemet ait, Ioan.15.num.22. si non venissem, & locutus fuissem eis, peccatum non haberent, nunc autem excusationem non habent de peccato suo: & in alio loco Ioan.d.cap.12.nu.37. cum autem tanta signa fecisset coram eis, & non credebant in eum; & in alio loco, si mihi non vultis credere, operibus credite, Ioan.10.num.32. vt cognoscatis, & credatis, quia Pater in me est,& ego in Patre,& ideò caligo sub pedibus eius,quia inimici Iesu scabellum pedum eius sunt, Psal.109.nu.1.Paul.1.Corinth.15.n.25.Inclinauit ergo Cælos, & descendit, & caligo, & inimici eius omnes sub pedibus eius, & idcircò, Amos 5.n.20. nunquid non tenebræ diei Domini,& non lux,& caligo, & non splẽdor in ea; & reuelabitur quasi aqua iudiciũ,& iustitia quasi torrẽs fortis, ibid.nu.24.

Descendit inclinans Cælos, vt omnes credentes in illum salui fierent, in sanguine suo: talis fuit illius charitas, & amor Patris erga nos, vt nec Pater proprio filio pepercerit, nec filius mori recusauerit, vt genus humanum saluaret, & Ecclesiam suam sanctam ab inimicis suis custodiret, quos ipse sub pedibus tenebat: ille, inquam, qui non in principio in abscondito locutus fuit, ex tempore antequam fieret ibi erat, & nunc Dominus Deus misit illum, & spiritus eius, de quo Isai.cap.48. num.14. filius nempè Dei Patris, qui propterea ascendit super Cherubim, & super pennas ventorum volauit, vt voluntatem Patris adimpleret; qui inclinauit Cælos, & descendit in vtero Virginis, vt homo fieret, & hominem redimeret, volauit, quia citò venit, & super pennas ventorum ascendens super Cherubim propter nimiam charitatem erga genus humanum, pro quo nec Pater pepercit vnigenito filio suo, nec ipse filius mori recusauit, vt illud redimeret; Ascendit super Cherubim charitate, scilicet feruidus, obedientia solicitus; quæ enim maior charitas, quam vt quis ponat animam suam pro amicis suis, Ioan.15.nu.15. Dominus enim, & Deus noster est, Creator noster est, & voluit fieri Redemptor moriendo pro nobis, vt iustitiæ Patris satisfaceret.

Ascendit super Cherubim, nàm nec illi Angeli Dei scientia pleni potuerunt tantam habere charitatem, sicut habuit Iesus filius Dei. Volauit, ideò & super pennas ventorum, quia ipse prius dilexit nos,& tali dilectione,quæ nec inuenitur in aliquo; nàm ipse dixit, sicut dilexit me Pater, & ego diligo vos, Ioan. d.cap.15.num.9.

Quid mirum si super pennas ventorum volauit? si super Cherubim ascendit? si omnes Angelos, & Archangelos in charitate erga nos superauerit, & excesserit? Pater enim, & Filius, & Spiritus sanctus vnum sunt, & tamen sicut diligit eum Pater, & ille diligit nos, maxima dilectio, immensa charitas, ineffabilis filij Dei bonitas & erga nos amor diuinus, vt nos cohæredes in Regno Cælorum essemus, ad Rom.8. num.16. quòd sumus filij Dei, si filij, & hæredes, cohæredes autem Christi fiemus, vt nos serui, & amici Dei efficiamur, & domestici, vt sors nostra inter Sanctos reputetur, & sit, Sap.d.cap.5. & quid vltrà? vt filij Dei nominemur, & simus, Luc.6. num.35. & 2.Corinth.6.num.18. Inclinauit ergo Cælos, descendit in terram, posuit tenebras latibulum suum; in vtero enim Matris Mariæ Virginis absconditus latebat; Sponsus in thalamo, Ioel 2.num.16. egrediatur sponsus de cubili suo, & sponsa de thalamo suo, Iob 22. num.14. nubes latibulum eius.

Posuit tenebras latibulum eius; posuit Iesus nasci inter filios Israel, inter suos iàm dilectos, sed tunc tenebris peccatorum sat inuolutos: in circuitu tamen eius Tabernaculum eius; in medio tamen eorum erat Tabernaculum eius, idest beata Virgo Maria, quæ fuit Tabernaculum Dei, in quo habitauit per nouem menses, in illo, & ex illa carnem assumpsit: Ini consilium, coge concilium, pone quasi noctem vmbram tuam in meridie, absconde fugientes, & vagos, ne prodeas, habitabunt apud te profugi mei, Moab, idest de Patre exiens esto latibulum eorum, finitus est enim puluis, consummatus est miser, defecit qui conculcauit terram, idest Dæmon; In misericordia præparatum est solium illius, qui sedet in veritate, in Tabernaculo Dauid iudicans, & quærens iudicium, & velociter reddens quod iustum est, Isai. d. cap. 16. num. 5.

Tenebrosa aqua in nubibus aëris. Prædicauerunt enim Prophetæ aduentum filij Dei, sed in figuris; tenebrosa aqua fuit; nam obscuræ videbantur Prophetiæ illorum: propterea aqua eorum, doctrina eorum tenebrosa in nubibus, idest in Prophetis. Nubes enim fuerunt, quia ex aqua, ex doctrina, ex Prophetijs de aduentu Domini corda aridorum hominum irrigauerunt, humectauerunt. Quæ iuxtà prædicationem Euangelij verificatæ sunt cessantibus tenebris post Euangelium prædicatum, aduentum Ioannis, Luc. 16. num. 16. & vox de nube lucida facta est Patris, hic est filius meus dilectus, ipsum audite; Aqua ex lucida nube descendens irrigauit corda Discipulorum, Luc. 9. nu. 34. & 35. erat enim verbum illud absconditum ab eis, & non intelligebant, quæ dicebantur, Luc. 24. nu. 41. adhùc illis non credentibus tunc aperuit sensum illis, vt intelligerent Scripturas, num. 45.

Præ fulgore in conspectu eius nubes transierunt, vide quomodò ex præsentia filij Dei, & fulgore illuminati sunt, quo etiam lumine desuper fulgurante cardines quoque maris operiat, Iob 36. num. 30. & quasi meridianus fulgor consurget tibi ad vesperam, & cum consumptum putaueris, orieris vt Lucifer, Iob 11. num. 17. 2. Reg. 22. num. 15. Præ fulgore in conspectu eius, succensi sunt turbines ignis, Vide inquam quomodò præ fulgore in conspectu eius transierunt grando, & carbones ignis. Hæc nihil profectò sunt martyria, ensis, ignis, grandines, & carbones; ibant enim gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati, Act. 5. num. 41. & Iesus proposito sibi gaudio sustinuit crucem, ad Hebr. 12. nu. 2. confusione contempta. Quando etiam transierunt nubes, quoniam scilicet Iudæi non intelligentes Scripturarum sensum, & occulta illarum, transierunt, dico, intelligentiæ illarum ad Gentiles, Act. 13. num. 46. sed transierunt in carbone, & igne: in verberibus scilicet, & in igne charitatis, quibus ad cognoscendum Deum moti sunt, Paul. ad Colossens. 1. num. 21. aliquando inimici in operibus malis, nunc autem reconciliati in corpore carnis eius, per mortem, &c. qui nunc gaudeo in passionibus pro vobis, & adimpleo ea, quæ desunt passioni Christi in carne mea pro corpore eius, idest cuius factus sum minister, &c. vt impleam verbum Dei, mysterium, quod absconditum fuit à sæculis, & generationibus, nunc autem manifestatum est Sanctis eius, quibus voluit Deus notas facere diuitias sacramenti huius gentibus, quod est Christus, &c.

Iterum dicamus. Præ fulgore in conspectu eius nubes transierunt, &c. nàm quamuis maiestas sua pannis inuoluta in præsepio iaceret, & sic latibulum suum in tenebris posuisset in caligine, in obscuro, audi Luc. cap. 2. num. 8. & pastores in regione eadem erant vigilantes, & custodientes vigilias noctis super gregem suum; attamen

ecce Angelus Domini ſtetit ſuper illos, & claritas Dei circunfulſit illos. Nubes noctis tranſierunt in conſpectu Domini, quando eos vigilantes claritas circunfulſit, & natum Saluatorem mundi; inuenerunt infantem pannis inuolutum, & poſitum in præſepio, & ſubitò facta eſt cum Angelo multitudo cæleſtis laudantium Deum, &c. ſic, & tù quoque anima mea vigila, cuſtodiens vigilias noctis, vt à peccatis, & ab offenſionibus, & à tentationibus Dæmonum abſtinens, claritas Dei circunfulgeat te, & audias Angelum cuſtodem cum alijs Angelis dicentem, Gloria in excelſis Deo, quia tenebræ tranſierunt à te in conſpectu Domini, ſpiritaliter nati in te.

Intonuit Chriſtus homo factus malis mala, bonis autem Regnum Cælorum, Matth.cap.5. per totum, & cap.7.num.13.& 21.& cap.11.num.20. Altiſſimus dedit vocem ſuam; Qui vult venire poſt me tollat crucem ſuam, ecce grando, & carbones ignis, ecce charitas, & amor in Deum, per grandinem, ideſt tribulationes, & perſecutiones ex Dei amore toleratas ſequimur Deum; intonuit Altiſſimus vocem ſuam, quia per grandinem, & tribulationes per quæ Dei dilectionem. Intrabimus in Regnum Cælorum.

Et miſit ſagittas ſuas, & diſſipauit eos; fulgura multiplicauit, & conturbauit eos. Poſt prædicationem verbi Dei his, qui non audierunt, nec obedire voluerunt, neque volunt credere Euangelio: intonuit enim de Cælo per filium ſuũ, & Apoſtolos ſuos perditionem malis; contrà quos, quia perſtiterunt in infidelitate vitæ, & malitiæ, miſit ſagittas ſuas, & diſſipauit eos; bonis verò vitam æternam, 2.Corinth. 2.n.14. Deo autem gratias, qui ſemper triumphat nos in Chriſto Ieſu, & odorem notitiæ ſuæ manifeſtat per nos in omni loco, quia Chriſti bonus odor ſumus in ijs Deo, qui ſalui fiunt, & in his, qui pereunt, alijs quidem odor mortis in mortem, alijs autem odor vitæ in vitam, non enim ſumus vt plurimi adulterantes verbum Dei, ſed ex ſinceritate; ſed ſicut ex Deo coram Deo in Chriſto loquimur; hæc Paul. Et Apocalypſ.21.num.8. timidis verò, & incredulis, & execratis, & homicidis, & fornicatoribus, & veneficis, & idololatris, & mendacibus pars illorum erit in ſtagno ardenti igne, & ſulphure, quod eſt mors occidens, hæc Ioan. Vel per Dei ſagittas intelligamus Sanctorum prædicationem, vim enim ſagittarum illa habet, quia per eam feriuntur hominum corda, & reducuntur ad ipſum verum Deum. Miſit ſagittas Prædicatores in Gentiles, & Idololatras, & diſſipauit Idola illorum, fulgura multiplicauit, quia Sancti ſuſcitabant mortuos, & alia miracula faciebant, quæ conturbabant etiam Iudæos, & Gentiles, Apocalypſ.21.num.8.

Et apparuerunt fontes aquarum Apoſtoli, & alij fideles; baptizabant enim credentes, & qui futuri erant fundamenta orbis terrarum ijdem reuelati ſunt Apoſtoli, qui poſt Chriſtum Dominum fuerunt, & ſunt fundamenta terræ, fundamentũ enim aliud nemo poteſt ponere, præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus, dicit Apoſtolus, 1.Corinth.3.num.11.& ad Epheſ.2.nu.20. ſuperædificat ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu, in quo omnis ædificatio conſtructa creſcit in Templum ſanctum Domini, in quo, & vos coædificamini in habitaculum Dei in ſpiritu. In Chriſti pariter morte reuelata ſunt fundamenta orbis terrarum, quando Velum Templi ſciſſum eſt à ſummo vſque deorſum, terra mota eſt, & reuelata ſunt fundamenta. Et apparuerunt fontes aquarum, qui ſecreta, & obſcura ſacræ Scripturæ declarauerunt, & manifeſta fecerunt; prius namque ſenſus Scripturæ obſcurus erat.

Nunc apparuerunt fontes aquarum, iſti ſunt fontes, qui irrigauerunt torrentem

spinarum, totam gentilitatem, de qua Ioel 3. num. 18. & fons de domo Dei egredietur, & irrigabit torrentem spinarum; has aquas haurierunt Apostoli, & Prædicatores de fontibus Saluatoris, propterea confiteamur Domino, & inuocemus nomen eius, Ioan. 12. num. 3. aperta est enim lingua mutorum, quia scissæ sunt in deserto, idest in gentilitate aquæ, & torrentes in solitudine, & quæ erat arida, est in stagnum, & sitiens in fontes aquarum, Isa. 35. n. 6. apparuerunt fontes aquarũ, quæ sitientibus, & bibẽtibus dant vitam æternam, Ioan. Apocal. 7. & deducet eos ad vitæ fontes aquarũ, & in eadẽ, Apocal. 21. & sitienti dabo de fonte aquæ vitæ gratis, nu. 6.

Copiosa sunt istarum fontium aquæ; nàm in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum, Psalm. 18. nu. 5. optimæ sunt, quia à petra, qui est Christus, nascuntur ad Galat. 1. nu. 12. ego enim nec ab homine accepi illud, neque didici, sed per reuelationem Iesu Christi à quo eduxit tamquam flumina aquas, Psalm. 77. nu. 16. purissimæ sunt etiam istæ aquæ à Domino nobis datæ, Ezech. 32. nu. 14. quia non propter aurum, & argentum, quæ tamquam lutum reputatæ sunt, Iob 41, num. 21. & sternent aurum sibi tamquam lutum, Sap. 7. num. 9. sed propter purissimum Christi sanguinem à quò purificandarum animarum vim habent.

Misisti sagittas tuas Domine, fulgura multiplicasti, fontes aquarum aperuisti, hæc omnia fecisti Domine, vt gentes ex prædicatione, ex miraculis conuersæ crederent in te; Ab increpatione tua Domine, ab inspiratione spiritus iræ tuæ conuersio peccatorum procedit, euangelizant, prædicant, monent Prædicatores exterius, sed interius tu Domine mittis Spiritus sancti donum in cordibus audientium, quia increpationes tunc Domine producunt effectum conuersionis, si corda fidelium igne tui amoris ad te traxeris; August. lib. 3. cap. 8. de Trinit. in ipsa vita nostram mentem iustificando formare non potest nisi Deus, prædicare autem Euangelium extrinsecus, & homines possunt; August. de Ciuit. Dei, lib. 15. cap. 16. Spiritus autem sanctus operatur intrinsecus, vt valeat ad aliquid medicinæ, quæ adhibetur extrinsecus; alioquin etiam si Deus ipse vtens creatura sibi subdita in aliqua specie humana sensus alloquatur humanus, siuè istos corporis, siuè illos, quos istis simillimos habemus, in somnis; nec, interiori gratia mentem regat, atque agat, nihil prodest homini omnis prædicatio veritatis, hæc Augustin. qui in alio loco de Gratia cap. 5. neque correctio adhibita ab homine aliquam vim habet, nisi intus operetur gratia Spiritus sancti, hæc inquit correptionis vtilitas, & tunc salubris, quando supernus medicus respicit; non enim aliquid proficit, nisi cum facit, vt peccati sui quemquam pœniteat, & quis hoc dat, nisi, qui respexit Apostolum Petrum negantem, & fecit stantem; & ibidem dicit August. tunc correptione proficit homo, cum miseretur, atque adiuuat, qui facit, quos voluit, etiam sine correptione proficere: & ibidem in cap. 14. & in cap. vltimo: quantùm ad nos pertinet, qui prædestinatos à non prædestinatis discernere non valemus; & ob hoc omnes saluos fieri velle debemus: omnibus ne pereant, vel ne alios perdant, adhibenda est à nobis medicinaliter seuera correptio; Dei autem est facere vtilem illis, quos præsciuit, & prædestinauit, conformes fieri imagini filij sui, hæc August.

Misisti ergo sagittas tuas, prædicatores tuos; veruntamen ab increpatione spiritus iræ tuæ procedit saluatio proximi.

Misit de summo, & accepit me, & assumpsit me de aquis multis. Quomodò autem Altissimus dederit vocem suam, & quæ sit vox Dei declarat Psalmista nomine filij Dei, dicens.

Misit me filium de summo, idest de Cælis Pater, & accepit me. Quò missus, nisi in vterum Virginis Mariæ? & quomodò accepit illum? nisi prout ab Angelo ipsi Virgini nunciatus, Luc. 1. num. 28. & 38. quòd pareret filium Dei Altissimi de Spiritu sancto respondente illa, Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum, Hieron. Misit sponsus ad sponsam; verum sponsum iunxit sponsæ, hoc est carnem in vtero Virginis Mariæ.

Propterea verbum caro factum est, & habitauit in nobis, misit non solum in Iudæam, sed in omnes gentes, vndè dixit.

Et assumpsit me de aquis multis aduersantium mihi, nàm ex quò Iudæi illum non receperunt, conuersus est ad omnes gentes, aquæ enim populi sunt, dicit Ioan. Apocalyps. 17. num. 15. Et gentes, & linguæ; assumpsit ergo illum in omnes populos Saluatorem, vt saluaret omnes illos, qui recepturi essent illum, Ioan. 1. nu. 12. redemptionem misit Deus populo suo, Psalm. 110. nu. 9. Et assumpsit me de aquis multis, idest de multis tribulationibus, quæ inuenerunt illum nimis, Psalm. 68. nu. 1. saluum me fac, quoniā intrauerunt aquæ vsque ad animam meam, & Psal. 65. num. 12. transiuimus per ignem, & aquam, & induxisti nos in refrigerium; assumpsit ergo illum de multitudine multorum populorum aduersantium: hæc Hieron. propterea sequitur.

Eripuit me de inimicis meis fortissimis, & ab his, qui oderunt me, quoniam confortati sunt super me: Inimici enim fortissimi Iudæi fuerunt, nàm vsquè ad effusionem sanguinis, immo & vsquè ad mortem turpissimam semper contrà Iesum institerunt, clamantes, sanguis eius super nos, & ab his hæreticis, qui oderunt me, idest Ecclesiam meam, cuius ipse sponsus, & caput: meam inquit, quia quod vni ex meis fecistis, mihi fecistis: confitentes me, Ioan. d. cap. 17. dicebant enim inimici Dei; quando morietur, & peribit nomen eius, Psalm. 40. num. 6. inualescebant contrà eum, crucifigatur dicentes, propterea dicit.

Quoniam confortati sunt, idest præualuerunt contra me adeò, vt Pilatus me crucifigeret: sed quid? aliàs dixisti, inimici mei, qui tribulauerunt me, infirmati sunt, & ceciderunt, Psalm. 26. num. 2. arcus fortium superatus est, 1. Reg. 2. num. 4. & infirmi accincti sunt robore. Iàm ligatus est Dæmon; sanè & nos iàm fortiores Dæmone facti sumus: nàm Dux noster Iesus Christus vicit, & ligauit illum: neque amplius is vincit, nisi volentem: Ne tu ad illum accedas, ne illius tentationibus, quæ multæ sunt, consentias, & fortior illo eris, Chrysost. homil. super Luc. 11. erat Deus Iesus eijciens Dæmonium, si contendimus, inquit, contrà eum, manifestū est quòd fortiores illo sumus; si autem negligimus, iste fortior inuenitur, nàm quamuis infirmus sit, tamen fortior est homine: fortem enim Diabolum nostra negligentia facit, non illius potentia: terret te fortitudo, ligatura confortet, si ergo aduersarium ligatum non vincis, opprobrio, & tormento dignus eris: hæc Chrysost. Ne te inimicus absquè resistentia capiat in venatione, idest in bello huius mundi: Vita enim hominis militia est, perpetuum bellum: facit illud Thren. cap. 3. num. 52. Venatione cœperunt me, quasi auem inimici mei gratis, idest absque resistentia.

Præuenerunt me in die afflictionis meæ, & factus est Dominus protector meus. Nocuerunt mihi illi, & priores fuerunt, dum mortale, & laboriosum corpus gero, dicit Iesus; Deus tamen Pater protexit filium suum, & filius Ecclesiam suā. Hieron. & Aug. Et Dominus factus est protector meus, & aliorum etiam exquirentium eum in veritate, Eccles. 2. nu. 13. Protector meus, & in ipso speraui, Psal. 143. n. 2. Psal. 30.

Et eduxit me in latitudinem, Agg.2.num.7. ibi videbitis latitudinem Ecclesiæ, quæ prius in Ierusalem restricta, nùnc autem quid dicit Dominus per os Prophetæ. Expecta adhùc vnum modicum, & commouebo Cælum, & terram, & mare, & aridam, & mouebo omnes gẽtes, & veniet desideratus cunctis gentibus, & implebo domum istam gloria, dicit Dominus, & nu.10. magna erit gloria domus istius nouissimæ plusquàm primæ, & in loco isto dabo pacem, dicit Dominus.

Eduxit Ecclesiam in latitudinem, quia in illa benedicuntur omnes nationes terræ, Genes.18.num.18. Genes.17.num.16. & dabo tibi puerum, cui benedicturus sum, eritq. in nationes, & Reges populorum orientur ex eo, diffusa enim, & dilatata est per totum terrarum orbem Ecclesia Dei.

Eduxit illam in latitudinem, & in eandem latitudinem exaudiuit illam Deus, Psalm.117.num.5. vel cum Hieronym. dicamus: eduxit me in latitudinem, idest Ecclesiam suam de tribulatione, & quasi de angustia in latitudinem, quæ est spes futuri, vel remuneratio vitæ æternæ, Hieron. vel de angustia, nàm latitabant fideles in criptis, & speluncis, nunc verò dilatata offert Deo sacrificia in Ecclesijs. Saluum me fecit ex sua bona voluntate, non ex meis meritis, dicit Ecclesia, Apost. ad Ephes. cap.1.num.5. & sequen. qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum, secundum propositum voluntatis suæ in laudem gloriæ gratiæ suæ, in qua gratificauit nos in dilecto filio suo, in quo habemus redemptionem per sanguinem eius, in remissionem peccatorum secundum diuitias gratiæ eius, quæ superabundauit in nobis in omni sapientia, & prudentia, & in cap.2. num.8. gratia enim gratis saluati sumus per fidem, & hoc non ex nobis, Dei enim donum est, non ex operibus, vt ne quis glorietur; Saluum me fecit, quoniam voluit me, antequam illum ego vellem: eruit me ab inimicis meis fortissimis: qui mihi irridebant, iàm volenti eum, & ab his, qui oderunt me, quia volo eum: hæc Augustin.

Et retribuet mihi Dominus secundum iustitiam meam, & secundum puritatem manuum mearum retribuet mihi, August. Retribuet mihi secundum iustitiam bonæ voluntatis, quia prior præbuit misericordiam, antequam haberem bonam voluntatem: hæc Augustin. & secundum puritatem manuum mearum, idest factorum meorum retribuit mihi, vt benefacerem, educendo me in latitudinem fidei, hæc Augustin. Beatus, qui custodit manus suas, ne faciat omne malum, Isai. cap.56.num.2. nàm adducet illum in montem sanctum suum, & lætificabo eum in domo orationis meæ, dicit Dominus, ibidem num.7. & Prouerb.cap.12.num.14. de fructu oris sui vnusquisque repletur bonis, & iuxtà opera manuum suarum retribuetur ei, & cap.13.nu.21. peccatores persequitur malum, & iustis retribuentur bona, Dominus enim vicissitudinem retribuit, Ierem.51.num.6. Quomodò secundum iustitiam meam? secundum iustitiam, inquit, ex sanguine Christi prouenientem; nàm postquam ipse pro nobis passus est, si in iustitia sua, hoc est in præceptis suis manebimus; si bona egerimus proximis nostris, & manibus nostris, hoc est ex substantia nostra pauperes educabimus, & carceratos visitauerimus, &c. iustitia est, & retribuet nobis Dominus, iuxtà illud, quod promisit, centuplum accipietis, vitam æternam possidebitis, Psalm.18.num.11. in custodiendis illis retributio multa, Prouerb.3.nu.16. longitudo dierum in dextera eius, & in sinistra eius diuitiæ, & gloria: hanc eandem rationem reddit Psalmista hìc. Quare Deus illum saluum fecit, & secundum puritatem manuum suarum retribuet illi, dicens.

Quia

Quia custodiui vias Domini, nec impiè gessi à Deo meo: custodiui enim mandata Dei, nec, quod impium esset, laudem dixi Idolo; iustitia iusti super eum erit, & impietas impij erit super eum, Ezech. 18. num. 20. & cap. 33. per totum, Prouerb. 3. num. 1. præcepta mea cor tuum custodiat, misericordia, & veritas non te deserant: circunda eos gutturi tuo, & describe in Tabernaculo cordis tui, & inuenies gratiam, &c. nàm qui custodit præceptum non experietur quidquam mali, Ecclesi. 8. num. 5. omnia opera iusti, vel vt sol in conspectu Dei, & oculi eius sine intermissione inspicientes in vijs eius, eleemosynam viri, quasi signaculum cum ipso, & gratiam hominis quasi pupillam conseruabit, & propterea resurget, & retribuet illi retributionem vnicuique in caput gentium, Eccles. cap. 17. num. 16. & sequen. dicite iusto, quoniam benè de illo erit, Isai. 3. num. 10. quoniam fructum adinuentionum suarum comedet. Quoniam custodiui vias Domini, nec impiè gessi à Deo meo. Idcircò retribuet mihi Dominus secundum iustitiam meam, & secundum puritatem manuum mearum, quia non canebam tuba ante me, quoniam pauperi subueniebam: sed simpliciter ex charitate Dei, & proximi, hæc exoluebam; sciebam enim quòd Deus, qui videt in abscondito, retribueret mihi, Matth. 6. num. 4. & num. 18. ideò custodiui mandata eius, quoniam iudicia omnia eius in conspectu meo semper, August. idest præmium iustorum, & pœnas impiorum, & flagella corrigendorum, & tentationes probandorum, perseuerante contemplatione considero, hæc August. Hieron. hìc.

Iudicia Dei quatuor, duo in præsenti, prosperitas malorum, & tribulatio Sanctorum, & duo in futuro, remuneratio Sanctorum, & condemnatio peccatorum, & facit quod in Sap. cap. 12. num. 22. scriptum est; Cùm ergo das nobis disciplinam, inimicos nostros multipliciter flagellas, vt bonitatem tuam cogitemus iudicantes, & cùm de nobis iudicatur, speremus misericordiam tuam; Vndè illis, qui in vita sua insensatè, & iniustè vixerunt, per hæc, quæ coluerunt, dedisti summa tormenta, etenim in erroris via diutius errauerunt, Deos æstimantes hæc, quæ in animalibus sunt superuacua, infantium insensatorum more viuentes: propter hoc tanquàm pueris insensatis iudicium in derisum dedisti; qui autem ludibrijs, & increpationibus non sunt correcti, dignum Dei iudicium experti sunt, hæc enim ibidem dicto cap. 12.

Secundum puritatem manuum mearum retribuet mihi, nàm Dominus solus sustinentibus se in via veritatis, & iustitiæ retribuit, nec dona iniquorum probat Altissimus, nec in multitudine sacrificiorum propitiabitur peccatis; nàm qui offert sacrificium ex substantia pauperum, quasi qui victimat filium in conspectu Patris sui, Eccles. 34. num. 21. cum sequen. Non enim pro his confidit in Domino, sed secundum puritatem manuum suarum sperat retributionem, quia custodiuit viam eius, siuè mandata eius; in custodiendis enim illis retributio multa, Psal. 18. nu. 12. accidat ergo mihi, sicut ei, qui ablactatus est super matre sua, & retributio in anima mea, Psalm. 130. num. 2. quia vias Domini custodiui, & à peccato, quasi à facie colubri fugi, Eccles. cap. 21. num. 2. ideò sicut ablactato super matre sua, qui est innocens, ità retributio sit in anima mea. Quia omnia iudicia eius in conspectu meo, pœnam peccatoribus, & vitam æternam iustis retribuentia considerabam, ideò, nec iustitias repuli à me, sed illas amplexus sum, & amplector, non sum sicut ad vomitum peccati reuertentes, vt canes, Prouerb. cap. 26. num. 11. sicut canis, qui reuertitur ad vomitum suum, sic imprudens iterat stultitiam suam,

ſuam, 2. Petr. 1. num. 22. ſicut ſus lota in volutabro luti.

Ego verò inquit, in innocentia ingreſſus, & in Domino ſperans, non infirmabor, Pſalm. 25. num. 1.

Et ero immaculatus cum eo, & obſeruabo me ab iniquitate mea: neque ad vomitum peccati, & infidelitatis amplius reuertar, ſed quid eſt homo, vt immaculatus ſit, & vt iuſtus appareat natus de muliere? Iob 15. num. 14. Audi Iob, quid dicat Dauid; ſi mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero, & emundabor à delicto maximo, Pſalm. 18. num. 14. Si iuſtitias meas non repuli à me, quia lex Domini immaculata conuertens animas, teſtimonium Domini fidele, iuſtitiam præſtans paruulis, præceptum Domini lucidum, illuminans oculos, Pſalm. 18. num. 8. & 9. Hæc enim omnia cuſtodiui, & in conſpectu meo ſunt ſemper iudicia eius, ideò.

Ero immaculatus cum eo; nàm oculi Domini ad fideles terræ, vt ſedeant ſecum, ambulans in via immaculata, hìc mihi ait, miniſtrabat, Pſalm. 100. num. 6. Fiat Domine cor meum immaculatum in iuſtificationibus tuis, vt non confundar, Pſalm. 118. num. 80. Vtinam quod in Sapientia dicitur in me eſſet, qui ſenex ſum, diuturnus, & annorum multitudine oneratus, nec tamen ſentio quòd cani ſint ſenſus mei, ideòq. nec ætas ſenectutis meæ immaculata dici poteſt, vt Sap. 4. nu. 8. Domine Ieſu ſuccurre mihi peccatori, & pœnitenti, vt inueniam gratiam tuam, & ingrediar in via tua, quia tu Domine lucerna mea, illumina tenebras meas, eloquium enim tuum ſcutum eſt omnibus ſperantibus in te, 2. Reg. 22. num. 29. 30. & 31.

Et ero immaculatus cum eo, quia imitator Dei ſum, ad Epheſ. 5. num. 1. Vias enim illius cuſtodiui, & omnia iudicia eius ſemper in conſpectu meo, iuſtitias eius non repuli à me, ergo ipſe ſemper mecum erit, vt ſedeam ſecum, quia ambulo in via immaculata, d. Pſalm. 100. num. 6. Et obſeruabo me ab iniquitate mea, ideſt me immaculatum ab hoc ſæculo cuſtodiam, Iacob. cap. 1. num. 27. Religio munda, & immaculata apud Deum, & Patrem hæc eſt, viſitare pupillos, & viduas, in tribulatione earum, & immaculatum ſe cuſtodire ab hoc ſæculo.

Et obſeruabo me ab iniquitate mea, tanquàm filius obedientiæ, non configuratus prioribus ignorantiæ meæ deſiderijs, ſed ſecundum eum, qui vocauit me ſanctum, 1. Petr. cap. 1. num. 15. Et tunc ero immaculatus cum eo, nàm ſcriptum eſt Sancti eſtote, quia Sanctus ego ſum, Leuit. cap. 11. num. 44. Petr. in eod. cap. 1. num. 16. & qui adhæret Domino vnus ſpiritus eſt, 1. Corinth. 6. num. 17.

Obſeruabo me ab iniquitate mea, à vana mea conuerſatione paternæ traditionis à qua redemptus ſum per ſanguinem Ieſu Chriſti, quia per ipſum fidelis factus ſum in Deo: quia renatus non ex ſemine corruptibili; ſed incorruptibili per verbum Dei viui permanentis in æternum, 1. Petr. in d. cap. 1. num. 23. ideò.

Obſeruabo me ab iniquitate mea: mea inquam, quia mecum ex peccato Adæ nata eſt, & omnis caro fœnum, verbum autem Domini manet in æternum, obſerua diligenter ne incurras plagam lepræ, ſed imple diligenter, quod præcepi, Deut. 24. num. 8. Bernard. de Conuerſ. Claude morti, obſera aditus, foramina obſtrue diligenter, & ſic demum non ſubeuntibus hoſtibus nouis, ſordes poteris purgare vetuſtatis.

Et retribuet mihi Dominus ſecundum iuſtitiam meam, & ſecundum puritatem manuum mearum in conſpectu oculorum eius. Non ſolum ſicut in verſiculo ſupe-

superiori, bona nobis facientibus, in hoc mundo Dominus centies multiplicando retribuet nobis, nullum enim bonum irremuneratum, Prouerb. 13. num. 21. Iustis retribuentur bona, sed si puritas manuum bona facientium in conspectu oculorum Domini talis erit, vt purè, & simpliciter, non propter vanam gloriam, non propter homines, vt videaris bonus, sed propter Deum illa feceris, in conspectu oculorum Dei semper permansura, vitam retribuet æternam, & bonis cælestibus frueris in æternum. Quæ autem, & qualis esse debeat retributio vnicuique secundum iustitiam declarat, dicens.

Cum sancto sanctus eris, & cum viro innocente innocens eris; hoc est, si eris sanctus, idest benè ordinatus, quia iuxtà verba Euangelij seruabis illius præcepta, circa dilectionem, quam in Deum habere debes, & in proximum, & firmatus in bonis operibus tecum erit Deus sanctus cum te sancto, & defensor tuus, & custodiet te, Psalm. 96. num. 10. Custodit Dominus animas Sanctorum; nec derelinquit Sanctos suos, in æternum conseruabuntur, Psalm. 36. num. 28. Similiter, & hoc respicit etiam personam propriam, si tu innocens eris: quia non adulteraueris, non occideris, &c. quæ propriam respiciunt innocentiam tuæ personæ, & Deus, qui semper est innocens, & cum te viro innocente innocens erit, hoc est semper coram Deo ambulabis.

Si vis ergo sanctus esse, opera, quæ faciunt homines timentes Deum, fac tu quoque, concomiteturq; te vitæ puritas tua, & humilitas, & Deus erit tecum, & cum illo innocens ambulabis: & Deus vult omnes homines saluos fieri, quid mirum si ille peruertatur, cum tu peruersus viam Dei deserueris.

Et cum peruerso peruerteris, dicit Psalm. Quia vnicuiquè iuxtà opera sua retribuet, bonis bona, malis verò mala, Hieron. Cum sancto sanctus eris; cum eo, qui à te sanctificatur, cum innocentem, idest cum eo, qui non corrumpit vitijs vitam suam; sanctificatur enim à Deo, qui sanctus est, Augustin. verò hic: Cum sancto sanctus eris, est etiam occulta profunditas, qua intelligeris, cum sancto sanctus, quia tu sanctificas. Et cum innocente, innocens eris, quia tu nulli noces; sed funiculis peccatorum suorum vnusquisque constringitur.

Et cum electo electus eris, & ab eo, quem eligis, eligeris. Sermo ergo iste Psalmistæ ad Christum dirigitur, qualis vnusquisque erit in seipso, vel erit in futuro, talis videbitur sibi Deus in futuro; Vndè cum sancto Deus videbitur sanctus, cum peruerso peruersus, & ità dicit S. Hieron. Cum sancto sanctus eris, cum eo, qui à te sanctificatur, & sic de electo dicitur; de peruerso autem, contrà quem Deus facit iustam vindictam, peruersus esse dicitur, quia apud peruersos peruersus videtur. Vel dicamus, cum sancto, &c. idest tu sanctus eris cum sancto, nàm ego Dominus, qui sanctifico vos, dicit Deus, Exod. 31. num. 13.

Vel iterum dicamus, cum sancto sanctus eris; vt doceat Psalmista viam nobis ad Regnum Cælorum faciliorem, nempè vt conuersationem nostram habeamus cum sanctis hominibus si nos sanctos esse cupimus: socios bonos tibi coniunge, Ambros. lib. 2. de Moribus, & Iacob. 3. num. 13. quis sapiens, & disciplinatus inter vos? ostendat ex bona conuersatione operationem suam in mansuetudine sapientiæ, 1. Petr. cap. 1. nu. 14. & 15. propter quòd succincti lumbos mentis vestræ sobrij perfectè sperate in eum, qui offert vobis gratiam, in reuelationem Iesu Christi quasi filij obedientiæ, non configurati prioribus ignorantiæ vestræ desiderijs, sed secundum eum, qui vocauit vos, sanctum, & ipsi in omni conuersatione sancti

sitis; & de familia Tobiæ legimus cap. 14. num. 17. omnis autem cognatio eius, & omnis generatio eius in bona vita, & in sancta conuersatione permansit, ità vt accepti essent tàm Deo, quàm hominibus, & cunctis habitantibus in terra, ad Philip. 3. num. 20. nostra conuersatio in cælis est, & 1. Petr. cap. 2. num. 12. Conuersationem vestram inter gentes habentes bonam, & idem cap. 3. num. 16. tu ergo, inquit, Hieron. Sanctus es natura Iesu Christe, quem tu sanctificaueris, & ab illo cognosceris, quoniam tu sanctus es; vox Prophetæ ad Christum, quem tu innocentem feceris, ab illo cognosceris, quòd tu innocens es, & quia nulli noces, ideò innocens; quem tu elegeris, vt sit electus ab illo cognosceris, quòd electus es, vt Paul. dicit, sequor autem sic quomodò comprehendam, in quo comprehensus sum à Christo Iesu, ad Philip. cap. 3. num. 12.

Cum peruerso peruerteris; Peruersum est hoc; quia ipsi peruersi sunt, Ose. 14. num. 10. rectæ viæ Domini, & iusti ambulabunt in eis, Præuaricatores verò corruent in eis, Ezech. 18. num. 25. nunquid via mea non est æqua, & non magis viæ nostræ paruæ sunt, ibid. in cap. 33. num. 20. non enim cogitationes meæ, cogitationes vestræ, neque viæ vestræ, viæ meæ dicit Dominus, Isai. 55. num. 8. quæ verò sint pœnæ peruersorum erga Deum, videas in Leuit. cap. 26. à num. 14. vsquè ad num. 44. Propterea quia ipsi peruersi sunt, Deus eis videtur peruersus; cum ipsi sint peruersi, idest malè versi à Deo malo culpæ, haud mirum, si & Deus sit illis peruersus malo pœnæ, & ideò in d. cap. 26. num. 21. in Leuit. si ambulaueritis ex aduerso mihi, ego quoque contrà vos incedam aduersus, & percutiam septies, & c. Peruersis quoque dicitur Deus peruersus, quoties enim Deus facit iustam vindictam, reprehendunt illum: & ità cum eligit pauperes, & reprobat potentes; cum eligit Petrum Piscatorem, & relinquit nobiles, hæc Hieron. Hoc asserunt peruersum, quibus omnibus respondet Dominus in Iob cap. 38. & cap. 40. num. 3. Quis est iste inuoluens sententias sermonibus imperitis, &c. nunquid irritum faciet iudicium meum, & condemnabit me, vt iustificetur, d. cap. 40. num. 3. quæ enim stulta sunt mundi elegit Deus, vt confundat fortia, & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non sunt, vt ea, quæ sunt destrueret, vt non glorietur omnis caro in conspectu eius, 1. Corinth. num. 27.

Quoniam tu populum humilem saluum facies, & oculos superborum humiliabis: Quis sit populus iste humilis, declarat Isai. cap. 60. num. 21. Populus autem meus, omnes iusti, in perpetuum hæreditabunt terram, germen plantationis meæ, opus manus meæ ad glorificandum; minimus erit in mille, & paruulus in gentem fortissimam. Ecce humilitas huius populi, minimus erit in mille, idest parua familia, referta multis fidelibus, Christianis scilicet, & paruulus, idest parua domus in gentem magnam, quod declarat sequens Capitulum, Isai. 61. ad annuntiandum mansuetis misit me, &c. & in fine: sic Deus germinabit iustitiam, & laudem coram vniuersis gentibus, & num. 6. Vos autem Sacerdotes Domini vocabimini, ministri Dei nostri, dicit vobis, fortitudinem gentium comedetis, & in gloria eorum superbietis; idest lætabimini, Isai. 65. num. 14. nunc ergo populum humilem saluum faciet Dominus, & Iudæos superbos, & altos humiliabit, Isai. d. cap. 65. in principio; ecce egò ad gentem, quæ non inuocabat nomen meum, & num. 13. ecce serui mei comedent, &c. ecce serui mei lætabuntur, & vos confundemini, ecce serui mei laudabunt præ exultatione cordis, & vos clamabitis præ dolore cordis, quia expandi manus meas, ibidem num. 2. ad populum

incre-

incredulum, &c. Populus, qui ad iracundiam prouocat me, ante faciem meam semper, &c. & num. 7. ecce non tacebo, sed vadam, & retribuam in sinu eorum, iniquitates vestras, & iniquitates patrum vestrorum simul, dicit Dominus.

Et oculos superborum humiliabis, Greg. Moral. 34. super illud Iob 40. omne sublime videt, nisi superbia per oculos, quasi per fenestras quasdam ostenderetur, nequaquam Psalm. diceret Deo, quoniam tu populum humilem saluum facies. Sed quare dixit, quoniam tu populum humilem saluabis, & non dixit tu populos saluos facies? respondit, quia vnica est Dei domus, vna Ecclesia, vna est fides, quæ saluum facit, qui enim extrà illam sunt, non populus eius sunt, vt Infideles, & Hæretici, omnes ergo iusti populus Dei, Isai. d. cap. 60. num. 21. si iusti, ergo humiles: humilia enim respicit Deus in Cælo, & in terra, Psalm. 137. num. 6. Psalm. 112. num. 5. & qui respicit in orationem humilium, Psalm. 101. num. 18. humiles ideò spiritu saluabit, Psalm. 33. num. 19. qui extrà Ecclesiam sunt, & domum istam, superbia eorum ascendit semper, Psalm. 73. num. 23. humiliabuntur tamen oculi eorum, & vanitas eorum, quia terrena sapiunt, & non cælestia. Veruntamen propter dolos posuisti eis; eiecisti eos dum alleuarentur, quomodò facti sunt in desolationem: subitò defecerunt, perierunt propter iniquitatem suam, Psalm. 72. num. 18. 19. 20. Velut somnium surgentium Domine in Ciuitate tua, imaginem illorum ad nihilum rediges, oculos superborum humiliabis.

Populum ergo tuum saluum facies, idest in Ecclesia tua omnes iustos, & fideles tuos existentes, qui in illa renascuntur per vnius Baptismi regenerationem, adeoque vnus populus vocantur, August. de Verb. Domini in Euang. secundum Luc. serm. 26. litera A. cap. 3. Vnum, ait, cogitate fratres mei, & videte in ipsa multitudine si delectat, nisi vnum: ecce Deo propitio quàm multi estis: quis vos ferret, nisi vnum saperetis? Vndè in multitudine ista quies? da vnum & populus est, tolle vnum, & turba est, quid est enim turba, nisi multitudo turbata? & ad Corinth. 1. cap. 1. num. 9. fidelis Deus, per quem vocati estis in societatem filij eius Iesu Christi Domini nostri, in societatem, & non in diuisionem, vnus enim est Iesus, nos socij, ergo vnus est populus, quia omnes coadiutores illius sumus, idem August. in eodem supradicto loco sequitur, dicens.

Audite Apostolum in d. cap. 1. ad Corinth. 1. num. 10. obsecro autem vos fratres per nomen Domini nostri Iesu Christi, vt idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata; sitis autem perfecti in eodem sensu, & in eadem sententia, & ad Philip. 2. nu. 2. Vnanimes vnum sentientes, nihil per contentionem, vel per inanem gloriam, ità in Euangelio Ioannis cap. 17. num. 12. vt sint vnum, sicut & vnum nos sumus, & in Act. Apost. cap. 4. num. 32. multitudinis autem credentium erat anima vna, & cor vnum, & ante illos, Isai. d. cap. 60. nu. 21. omnes iusti populus Dei, germen plantationis meæ ad glorificandum minimus erit in mille, & paruulus in gentem fortissimam; vt suprà dixi, Ierem. 32. num. 39. Dabo eis cor vnum, & animam vnam, & erunt mihi in populum, & ego ero eis in Deum, ibidem num. 38. Populum ergo Christianum humilem, & pœnitentiam agentem saluum faciet Dominus, idem habemus Eccles. 17. num. 20. pœnitentibus dat vitam iustitiæ, & cap. 12. nu. 30. misertus est Dominus pœnitentibus, Tob. 3. nu. 21. hoc autem pro certo habet omnis qui te colit, quòd vitæ eius si in probatione fuerit, coronabitur, si autem in tribulatione fuerit, liberabitur, si in corruptione fuerit, ad misericordiam tuam venire licebit, non enim delectaris in perditionibus

nostris,

nostris; quia post tempestatem tranquillum facis, & post lacrymationem, & fletum, exultationem infundis; Et oculos superborum humiliabis, oculus enim à furore turbatur, Psalm. 20. num. 10. Conturbatus est in ira oculus meus, ideò cum superbo oculo, & insatiabili corde non edebam, dicit Psalm. 100. nu. 5. & Eccl. 14. num. 8. nequam est oculus liuidi, & auertens faciem suam, & despiciens animam suam, Ezech. 7. num. 24. & quiescere faciam potentiam superborum, & humiliabitur superbia Israel, in facie eius, Osé. 2. num. 10.

Dixit ergo populum humilem, & nó populos, quia vnum vocaui eum, quamuis ex illo multi descendant, Isai. cap. 51. num. 2. Attendite ad Abraham patrem vestrum, & ad Saram, quæ peperit vos, quia vnum vocaui eum, & benedixit ei, & multiplicaui eum, Ezech. 37. num 22. & faciam eos in gentem vnam, &c. & Rex erit vnus, omnibus imperans, & paulò superius num. 19. & faciam eos in lignum vnum, & erunt vnum in manu eius, Malach. 2. num. 10. & 15. Nunquid non Pater vnus omnium nostrum? nunquid non Deus vnus creauit nos? nonnè vnus fedit, & residuum spiritus eius? & quid vnus quærit, nisi semen Dei, & quod est semen Dei, nisi omnes fideles, illi renati; non ex semine corruptibili, sed incorruptibili per verbum Dei viui, & permanentes in æternum, 1. Petr. cap. 1. num. 13; & Matth. 23. num. 10. & Magister vester vnus est Christus, & ità vnica Sponsa eius Ecclesia, vnus etiam populus eiusdem Ecclesiæ, sub eodem capite Christo, qui idcircò Christiani vocantur, idcircò ad Galat. 3. nu. 28. Vnum estis in Christo Iesu omnes vos; ergo semen Abrahæ estis secundum promissionem hæredes, & ad Romanos 12. num. 4. sicut enim in vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent, ità multi vnum corpus sumus in Christo, singuli autem, alter alterius membra: multi ergo sunt fideles, & membra Christi, qui est caput, nos autem populus eius, & oues pascuæ eius, Psal. 78. nu. 13. & ad Hebr. 2. num. 11. qui enim sanctificat, & qui sanctificantur ex vno omnes, propter quam causam non confunditur vocare nos fratres.

Sed clarius in cap. 3. num. 5. ad Hebr. Moyses, inquit fidelis erat; in tota domo eius tamquam famulus in testimonium eorum, quæ dicenda erant; Christus verò tamquam filius in domo sua, quæ domus sumus nos, si fiduciam, & gloriam spei futuræ vsque ad finem firmam retineamus, 1. Petr. cap. 1. num. 23. & idem in cap. 2. num. 5. tamquam in lapides viui superædificamini domus spiritualis, sacerdotium sanctum, & num. 9. vos autem gens sancta, populus acquisitionis.

Quoniam tu illuminas lucernam meam Domine, Deus meus illumina tenebras meas. Lucernam intellectus illuminat, qui est vera lux, & sine illa luce, vera non est aliqua lux, immo tenebræ sunt omnes, ipsa enim est, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum; lucerna sine lumine nihil lucet, tu Domine illumina lucernam, idest intellectum meum; illumina etiam tenebras cordis mei, idest ignorantias: iàm surrexi, qui dormiebam, & exurgo à mortuis, ideò illumina me Iesu Christe, ad Ephes. 5. num. 14. oculus enim meus lucerna est corporis mei, sed non lucet, cum fuerit nequam, & ideò etiam totum corpus meum tenebræ sunt, Matth. 6. num. 22. si ergo lumen, quod in me est, tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ erunt?

Domine illumina tenebras meas, lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis, Psalm. 118. num. 10. plenus sum tenebrarum; tota vita mea obscurata est à tenebris, & prauis cogitationibus in mente, Domine illumina tene-

tenebras meas; lux enim tua in tenebris lucet, & tenebræ eam non compræhendunt; illumina oculos meos, ne vnquam obdormiam in morte, ne quando dicat inimicus, prævalui aduersus eum, Psalm. 12. num. 5. reuela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua, Psalm. 118. num. 18.

Quoniam in te eripiar à tentatione, & in Deo meo transgrediar murum. Nunc Ecclesia loquitur, dicit Hieronymus, non enim ex se, sed à Deo eripitur à tentatione; postquam illuminatur à Deo, & illi datur fortitudo, & robur etiam ad sustinendas tentationes, & ad resistendum Diabolo, Psalm. 33. num. 5. & ex omnibus tribulationibus eripuit me, Psalm. 53. num. 9. cum ipsa enim est in tribulatione, eripiet eam, & glorificabit eam, Psalm. 90. num. 15. 2. Corinth. cap. 1. num. 9. & 10. non sumus fidentes in nobis, sed in Deo, qui suscitat mortuos, qui de tantis periculis nos eripuit, & eruit, in quem speramus: quoniam, & adhùc eripiet; & Ierem. cap. 1. num. 8. ne timeas à facie eorum, quia tecum sum ego, vt eruam te, dicit Dominus, & Ierem. cap. 4. num. 18. in tentatione ambulat cum eo, nouit enim Dominus pios de tentatione eripere, 2. Petr. cap. 2. num. 9.

Et in Deo meo transgrediar murum, quem inter homines, & Ierusalem cælestem peccata erexerunt; Augustin. hìc est enim murus de quo per Ezech. cap. 43. num. 8. & murus erit inter me, & eos; in Deo ideò transgrediar istum murum. Vel secundum Hieronymum, murus est continuatio in peccatis, peccata peccatis addendo, faciunt enim talem consuetudinem, quæ vt tollatur, quia dura est, vt murus, auxilio Dei opus est, & sine illo non possumus transgredi murum: proptereà dicit.

In te eripiar à tentatione, & in Deo meo transgrediar murum; qui enim confidunt in Domino, sicut mons Sion, non commouebuntur, quia montes in circuitu eius, & Dominus in circuitu populi sui, Psalm. 24. num. 1. & 2. transgrediar murum peccatorum, & in Ciuitatem sanctam Ierusalem introibo securus; vt illam, quam mihi ostendit Dominus Ciuitatem sanctam Ierusalem, quæ habet murum magnum, & altum, ingrediar, Apocalyps. cap. 21. num. 11. & 12. Vrbs, inquam, fortitudinis nostræ Sion Saluator noster, qui positus est murus, & antemurale, & aperiuntur in eo portæ, vt ingrediatur gens iusta custodiens veritatem, Isai. cap. 26. num. 2. hæc enim Ciuitas sancta est idem Saluator noster, qui aperuit portas suas, vulnera corporis sui, ad quem filij eorum, qui illum crucifigendo humiliauerunt, curui veniunt, & adorant vestigia pedum eius, illi inquam, qui detrahebant Iesu Domino, de quo Isai. cap. 60. num. 11. & 14. & 18. & salus muros eius occupabit, & portas suas laudatio, & num. 20. & erit tibi Dominus in lucem in sempiternum; sicut ipsemet Deus per Isai. cap. 56. num. 5. dixit; & custodientibus sabbata mea dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius, & filijs, & filiabus nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit.

Deus meus impolluta via eius, ipse enim est via, & veritas, & impolluta via, quia Deus est, & quis arguet illum de peccato, Ioan. cap. 8. num. 26. si murum ergo peccatorum inter nos, & Deum positum transgredi volumus, per viam impollutam ambulemus, vel cum Hieronymo dicamus; Impolluta via eius, quia non ex semine, sed de Spiritu sancto natus est in mundum; non in carne per peccatum originale maculata, sed in carne assumpta ex Maria Virgine ante partum, in

partu, & post partum, & specialiter vt Tabernaculum suum præseruata immaculata; pura, & sancta. Spiritus enim sanctus superueniet in te ò Maria, & virtus Altissimi obumbrabit tibi, & quod ex te nascetur, sanctus, immaculatus, à peccatoribus segregatus, vocabitur filius Dei.

Eloquia illius igne examinata charitatis suæ; nàm ità Deus dilexit mundum, vt vnigenitum suum daret, igne examinata sui amoris erga nos, quia nec morte turpissima mori pro nobis recusauit, ignita etiam, quia homines traxerunt ad sibi credendum, & quibus corda eorum ità exarserunt, vt nec mortem pro Christi nomine timerent; vt quæ hæredes Dei, & cohæredes illius efficeremur.

Speremus ergo in illo, qui est omnium sperantium in se protector. Sed aduerte, quia impolluta est via eius, viæ eius pulchræ, & omnes semitæ eius pacificæ, Prouerb.cap.5.num.17. si tu vis in illas ingredi, impollutus debes esse, nihil inquinatum in eas intrat, Sap.cap.7. num.25. omnia enim munda mundis; coinquinatis autem, & infidelibus nihil est mundum, sed inquinati sunt eorum, & mens, & conscientiæ, ad Titum cap.1. num.15. discedat ab iniquitate omnis, qui nominat nomen Domini, fidelis sermo: nàm si commortui sumus, & conuiuemus, si sustinebimus, & conregnabimus, si negauerimus, & ille negabit nos, ad Timoth.2. cap.2.num.11. & 19. impollutus ergo sis tu, si in viam impollutam, idest in Christum ingredi volueris, si in Ecclesia Dei vbi fides est perfecta, adnumerari desideras; eloquia enim Domini vera sunt, & igne examinata, quia ipse est Via, Veritas, & Vita, quia ipse est filius Dei; & qui diligit eum, & seruat sermonem eius, & Pater eius diligit eum, & ad eum venient Pater, & Filius, & mansionem apud eum facient, Ioan. cap.14. num.24. Luc. cap.22. num.30. Eloquia Domini igne examinata, quia lumen fuit in Israel in igne, & sanctus erit in flamma, Isai. c.10. num.17. Deus enim ità suos illuminauit; apparuerunt enim illis linguæ dispertitæ, tamquam ignis, seditquè suprà singulos eorum, Act. cap.2. num.3. & Matth.c.3. num.11. qui autem post me venturus est, &c. fortior me est, cuius non sum dignus calceamenta portare: ipse vos baptizabit in Spiritu sancto, & in igne, Luc.cap.3. num.16. Ioan.7. num.19. igne enim examinata fuerunt; nàm postquam Spiritus sanctus cecidit super illos, loquebantur varijs linguis, pro vt Spiritus sanctus dabat eloqui illis, Act. cap.11.num.15. & cap.19.num.6.

Eloquia Domini igne examinata, Paul. ad Hebr. cap.2. num.1. oportet abundantius nos obseruare ea, quæ audiuimus, ne forte pœnas luamus, idest perfectè pereamus; si enim qui per Angelos dictus est sermo, factus est firmus, & omnis præuaricatio, & inobedientia accepit iustam mercedis retributionem; quomodò nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem, quæ cum initium accepisset enarrari per Dominum ab eis, qui audierunt, in nos confirmata est contestante Deo signis, & portentis, & varijs virtutibus, & Spiritus sancti distributionibus secundum suam voluntatem.

Quoniam quis Deus præter Dominum? aut quis Deus præter Deum nostrum? Quis alius gentium Deus (nàm Deos vocabant illi, qui Idola manu faciebant) mirabilia facere potest quæ in hoc Psalmo, & in alijs narrata fuerunt, nisi solus Deus, & Dominus noster? qui fecit omnia, & per quem facta sunt omnia, & sine ipso factum est nihil. Ioan.1. solus enim ipse est Deus, & Dominus faciens mirabilia in Cælo, & in terra, qui continet omnia, & in quo sunt omnia, Isai.cap.37.num.16. & 20.

& 20. omnia enim Regna terræ cognoſcunt, quia tu es Deus ſolus, & in cap. 44. num. 24. mirabilia opera Altiſſimi ſolius, & glorioſa, Eccleſ. 11. num. 4. Vel dicamus cum Hieronymo, hìc contineri myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis, præter Dominum quòd dixit, Deus Pater intelligitur, præter Deum noſtrum, Filius, & tertia perſona idem Spiritus ſanctus, quia Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus ſanctus, vnus eſt Deus, Ieſus Chriſtus, ergo ſolus Deus, ſolus Dominus, in quo ſpes noſtra repoſita eſt, quia ipſe verus eſt Dominus, & Deus; non enim ſunt tres Dij, ſed vnus eſt Deus: quòd verò Deus Pater intelligatur per illud, præter Dominum, Iſai. declarat in d. cap. 48. nu. 26. non in abſcondito à principio locutus ſum, ex tempore antequam fieret, ibi eram, & tùm Dominus Deus miſit me, & ſpiritus eius, ecce Dominus Deus, & ſpiritus eius, miſit me filium vnigenitum, qualis ergo Pater, talis Filius, talis Spiritus ſanctus: quoniam quis Deus præter Dominum? quia Pater non eſt Filio maior, aut quis Deus præter Deum noſtrum? nec Filius maior Patre, minor quidem ſecundum humanitatem, ſed æqualis ſecundum diuinitatem.

Deus qui præcinxit me virtute; & poſuit immaculatam viam meam: Deus enim Pater, qui miſit filium ſuum in terram, vt carnem humanam ſuſciperet, hanc humanitatem, & animam præcinxit virtute, & potentia magna, qua vicit Diabolum, cuius poteſtas non erat in terra alteri comparabilis, Iob 41. num. 24. data eſt enim ipſi Ieſu omnis poteſtas in Cælo, & in terra, Matth. dicto cap. 28. num. 18. qua Diabolus iàm Princeps terræ eiectus eſt foras, Ioan. 14. num. 30. & cap. 16. num. 33. hanc eandem poteſtatem filius Dei dedit Diſcipulis ſuis, & alijs fidelibus, qui præcincti virtute, ità vt alieni omninò eſſent à mundanis cupiditatibus, & terrenis voluptatibus, non ſolum eijcerent Dæmonia, ſed curarent infirmos; mortuos ad vitam reuocarent, & alia mirabilia in virtute nominis Ieſu Chriſti, vt in Act. Apoſt. facerent. Immaculata poſita eſt via Domini, in qua ſolum præcincti virtute ambulant. Nec mirandum ſi ad Diſcipulos ſermo Pſalmiſtæ trahatur etiam: nàm, & illi cum Ieſu ſunt vnum; vt ipſe dixit per Ioan. cap. 17. num. 21. Ego in eis, & tu in me, vt ſint, & ipſi conſummati in vnum, num. 22. & 23. volo enim, vt vbi ego ſum, illìc, & miniſter meus ſit, Ioan. 17. num. 24. Poſuit ergo immaculatam viam, vt immaculati tantum per illam incederent, & vt immaculatus fierem.

Perficit pedes meos tamquam ceruorum, vt amore Dei accenſus, ſpinoſa huius mundi, & tribulationes ſuſtinerem: præcinctus ergo fuit virtute, circundatus tamen ærumnis, & magnis tribulationibus. Quid ergo tu, qui cum ſis miſer, & peccator, ſub capite ſpinoſo, Chriſti membrum delicatum profitens ſine cruce Regnum Cælorum ingredi poſſe præſumis? Poſuit, inquit, pedes meos, tamquam ceruorum, calcant cerui pedibus ſuis ſpinas, & tranſiliunt ſyluas, ſic Sancti faciunt, tranſiliunt ſyluas peccatorum, tormenta, & mundi tribulationes patiuntur, vt immaculati ſe cuſtodiant; firmam etiam habentes in Deo Ieſu fidem, & ità etiam ſyluas opinionum hæreticarum diuerſarum, & infidelitates tranſiliunt. Tunc illos Dominus ſuper excelſa conſtituit, excelſa charitate feruidos introducens illos in tabernacula ſua excelſa, per ſpem immortalitate plenam.

Qui docet manus meas ad prælium, vt diſcamus opere complere, quæ fide nouimus. Poſuit igitur viam immaculatam Dominus, viam charitatis, qua ad illum veniam, ſicut immaculata eſt via fidei, qua venit ad me: Et ſuper excelſa ſtatuet me, & ſuper cæleſtem habitationem figet intentionem meam, vt implear in omnem

plenitudinem Dei: hæc Augustin. Abac. cap.3.num.39. Deus Dominus fortitudo mea, & ponet pedes meos quasi ceruorum, qui docet manus meas ad prælium, & posuit vt arcum æreum brachia mea; non manum vnam tantùm, sed manus meas, inquit, nàm qui perfecit pedes ad currendum, & ad festinum auxilium sui, & proximi, manus etiam ambas ad subueniendum nos habere docuit. Veloces pedes inimici ad effundendum sanguinem, Psalm.13.num.3. fortiores esse debent pedes nostri, & veloces quasi capræ in montibus, 1. Paralip. 12. num. 8. vt super excelsa statuamur, & ad debellanda facinora manus nostræ, ad bellum assuetæ, & instructæ ad conterendum Diabolum sub pedibus nostris, ad Roman. 16.num.20. velociores simus. In manibus Iesu Christi cruci affixis fuit fortitudo eius, cornibus, idest clauibus in illa infixis, Abac.cap.3.num.4. & 5. & ideò docuit manus ad prælium, Bernard. Non manu armata, sed cruci affixa, non equo insidens, sed in cruce pendens, propterea egressus est Diabolus ante pedes eius, Abac.dicto cap.3. num.5. & nos si armatos fide, & charitate in nomine eius inueniet, super excelsa deducet, dicto cap.3.num.59. Victores in Psalmis canentes; talibus enim armis docet manus nostras ad superandum inimicos, qui nobis intercludere cælestia regna conantur. Augustin.

Et posuit, vt arcum æreum brachia mea. Non enim destitit Iesus, quin faceret voluntatem Patris sui, Isai.55.num.11. Verbum meum, quod egredietur de ore meo, non reuertetur ad me vacuum, sed faciet, quæcunque volui, & prosperabitur in his; ad quæ misi illud, & in fine erit Dominus nominatus in signum æternum, quod non auferetur.

Brachia ergo sua posuit, vt arcum æreum; nàm mente, & corpore fortissimus, redimendo mundum adimpleuit Patris voluntatem, Isai. cap. 4. num. 34. Cibus meus est, vt faciam voluntatem eius, qui misit me, vt perficiam opus eius, & idem Ioan. cap.5.num.36. opera enim quæ dedit mihi Pater, vt perficiam: ea ipsa opera, quæ ego facio, testimonium perhibent de me; quia Pater misit me; & in hoc brachio, & fortitudinis suæ dispersit inimicos suos, Psalm.88.nu.11. quia brachium eius est cum potentia, ibidem num.13. Sap. cap.10. num.22. multum valere sibi soli supererat semper, & virtuti brachij tui quis resistet? quoniam tamquam momentum stateræ, sic est ante te Orbis terrarum, sagittæ enim tuæ, & omnes arcus tui extensi, Isai.5.num.28. Brachium æreum, & nos habebimus, si intentione bona, & firma fortiter non deficiamus benè agere: Hieron. Posuisti vt arcum æreum brachia mea, idest posuisti infatigabilem intentionem bonorum operum meorum, Augustin. hìc.

Et dedisti mihi protectionem salutis tuæ, & dextera tua suscepit me. Posita est immaculata via eius, præcinctus virtute perfecti pedes eius tamquam ceruorum, & doctæ manus eius ad prælium, nec ista sufficientia erant, nisi dedisset ei Deus protectionem salutis suæ, & dextera Domini illum non suscepisset; loquitur enim Ecclesia ad Patrem, qui dexteram suam, idest filium eius vnigenitum dedit, vt Ecclesiam protegeret, susciperetq., quando enim filius incarnatus est, tunc suscepit Ecclesiam; quam prius corruentem per disciplinam erexit; multa enim Sancti in illa passi sunt tormenta, multæ calamitates, & afflictiones illorum fuere: quorum sanguine Ecclesia coædificata, ampliata fuit, quia dextera Domini suscepit illam, & dat illi protectionem salutis suæ. Quæ disciplina haud vnica fuit in illa persecutorũ suorum ætate, sed in finem vsque est perduratura: nàm semper erunt persecutores

illius, & hæretici impugnantes illam falsis dogmatibus, & doctrinis, quorum controuersiæ nostra salus erunt, quia, quamuis correctiones disciplinæ ex Dei permissu sint nobis: dextera tamen Domini suscipiet nos, qui etiam dabit nobis protectionem salutis nostræ. Hæc disciplina docet etiam, & docebit magis; siquidem dum hic sumus, necesse est vt sub doctrina simus, Paul. ad Hebr. 12. num. 11. omnis enim doctrina in præsenti non videtur esse gaudij, sed mœroris, sed posteà in futurum fructum pacatissimum exercitatis per eam, reddet iustitiæ. Vsque in finem ergo disciplina necesse est, quod fit, quia ex illa Deum nos diligere cognoscimus. Pater corrigit filios, quia illos amat, secus verò de his, qui extrà sunt disciplinam Dei, adulteri, & non legitimi filij, quòd Deus auertat, Paul. in d.cap. 12. ad Hebr. num. 8. quocircà dixit.

Et disciplina tua correxit me in finem, facit etiam disciplina Christi, nos grauitatem peccatorum nostrorum cognoscere, nàm si Deus filius, & innocens pro nostris peccatis crucifixus fuit, & mortuus, Isai. cap. 53. num. 4. verè languores nostros ipse tulit, & num. 8. propter scelus populi mei percussi eum, ergo grauissimorum peccatorum nos oneratos esse fatendum est; disciplina filij Iesu pro nobis grauitatem delictorum nostrorum ostendit: nàm vsquè ad finem disciplina Domini illum correxit, neque enim solum per totum vitæ illius curriculum Iesus multa damna in corpore passus est, sed etiam vsque in finem, quia voluit vt moreretur, vt nos à morte liberaret; vt etiam nos eadem disciplina, à Deo correcti vsquè in finem discamus illum amare quem Deus Pater correxit, quia, & ipse filius se spontè obtulit agnum immaculatum, vt nos in timore Dei viuentes, à morte liberati seruiamus illi, & hæc doctrina tua docebit me, & eadem correptio tua me docebit peruenire, quò me direxit. Dum ergo Deus nos punit in rectitudine, seu iustitia sustineamus, Isai. 26. num. 8. & in semita iudiciorum tuorum Domine sustinebimus te.

Dilatasti gressus meos subtus me, & non sunt infirmata vestigia mea; gressus Christi ipsemet Iesus, qui est Via, Veritas, & Vita, vt suprà. Nomen eius subtus illum dilatatum est, quando vox Discipulorum, & Apostolorum in omnem mundi regionem exiuit: sic etiam per Isaiam prophetatum erat, cap. 54. num. 2. & sequen. dilata locum tentorij tui, & pelles Tabernaculorum tuorum extende, ne parcas, longos fac funiculos tuos, & clauos tuos consolida, ad dexteram enim, & ad leuam penetrabit, & semen tuum gentes hæreditabunt, &c. & num. 16. ecce aduenict accola qui non erat mecum, aduena quondam tuus adiungetur tibi, & in Isai. cap. 26. num. 18. indulsisti Domine indulsisti genti, elongasti omnes terminos terræ. Qui sunt gressus eius subtus eum, nisi Apostoli, & credentes, qui legem Dei acceperunt, & in illam ambulauerunt: quorum pedes Ciuitatem sublimem calcauerunt, prostratam vsquè ad terram, Isai. 26. nu. 6. conculcabit eam pes, pedes pauperis, gressus egenorum, semita enim iusti recta est, rectus callis iusti ad ambulandum, num. 7. ibidem. Et ideò non sunt infirmata vestigia eius, semita eius recta est, via etiam eius vita est, idcircò non sunt infirmata vestigia eius, nec supplantabuntur gressus eius, Psalm. 36. num. 31. quia via Domini est, & non hominis; non est enim hominis via eius, nec viri est, vt ambulet, & dirigat gressus suos, Ierem. 10. num. 23. & quamuis hæretici, & infideles quotidiè cogitent, gressus Domini supplantare, Psalm. 139. nu. 3. & viam gressuum eius dissipare, Isai. 3. num. 12. quia tamen viæ Domini per semitas æquitatis, non arctabuntur gressus in

illam ingredientium, neque currens in illa habebit offendiculum, Prouerb. 3. n. 12. quia vestigium eius est lux Dei, Eccles. 50. num. 31.

Dilatasti gressus meos subtus te, quia enim Dominus Iesus multa passus est in terra, tribulationes, persecutiones, flagella, crucifixionem, & mortem, in hanc eandem viam ingressus est Martyrum candidatus exercitus, Confessorum infinitus numerus, Virginum, & Viduarum multitudo laudabilis, sancti Apostoli Domini, & Discipuli, qui omnes pro Christi nomine digni habiti sunt cōtumelias pati, & mortem sustinere, ad Hebr. 11. num. 35. 36. & 37. alij ludibria, & verbera experti insuper vincula, carceres, lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladij mortui sunt, nec viam Domini dissipauerunt inimici Dei, Isai. 3. num. 12. nec supplantati sunt gressus eius, dicto Psalm. 139. nu. 3. quin immo dilatati sunt gressus Domini, multi enim sunt, & in omnem mundi partem Martyres, & sanguinem effundere cupientes pro nomine Iesu semperq. erunt; quia audiunt Domini verba, si vis venire post me, tolle crucem tuam, & sequaris me; propterea digni sunt habiti, vt vestigia Christi Iesu comprehendant, Iob 11. nu. 5. & 7. Pauor enim mortis illis non appropinquauit, Isai. 54. nu. 14. ibant enim gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu mori, & contumeliam pati.

Non sunt infirmata vestigia Iesu; veniant hæretici, & infideles, dilacerare vestem Domini conantes, sed non possunt infirmare vestigia Domini; Cælum, & terra transibunt, verba verò illius non præteribunt, Luc. 21. num. 33. & quia nobiscum est Dominus vsquè ad consummationem sæculi omnibus diebus, Matth. cap. 28. num. 20. & propterea non sunt, neque erunt infirmata eius vestigia, quia Dominus nobiscum est; pro te enim, ait, rogaui Petre, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos, Luc. 22. num. 32. Non sunt infirmata vestigia à successoribus exemplo Ecclesiæ; immo persequar inimicos meos, & confringam, & non conuertar, donec deficiant, præcinxit enim me Deus fortitudine, ideò persequar, & confringam inimicos.

Dilatasti gressus meos subtus me. Quos gressus tuos, Domine Iesu, dilatauit Pater? Ecce, inquit, nàm de Cælo ad Vterum Virginis; de Vtero ad Præsepe, pauper in medio duorum animalium; de Præsepe ad fugam, quærebat enim Herodes animam meam ad perdendum eam: de fuga ad obedientiam fabri lignarij, subditus enim eram illis, ad ieiunium esuriens, ad labores, prædicandi, & docendi, & ductus in montem excelsum à Diabolo cum oblatione omnium mundi Regnorum, tandemq. ad flagella, & mortem turpissimam. Nec vestigia mea infirmata, quia omnia libenter sustinui, vt genus humanum à morte, morte mea, & passione liberarem; non sunt infirmata vestigia mea, vt faciam voluntatem tuam Deus meus; quia ipse volui; Osanna clamabant pueri; & me Regem suum constituere volebant, fugi, declinaui voces eorum, nec vestigia mea infirmata sunt, quia legem tuam Domine volui, voluntatem tuam adimplere non recusaui, mundum non dilexi: quia charitas Dei est in me: mundus enim transit, & concupiscentia eius, qui autem facit voluntatem Patris, viuet in æternum, 1. Ioan. cap. 2. nu. 16. Non sunt infirmata eius vestigia, quia peccatum in eo non est, tametsi peccatum se fecit; vt peccata nostra tolleret, 1. Ioan. cap. 3. num. 5. Paulus quoque non sibi infirmanda vestigia sua confidens dicebat; Quis separabit nos à charitate Christi? ad Roman. cap. 8. num. 35. & num. 38. Certus sum, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Archangeli, &c. neque creatura alia, neque fortitudo,

neque

neque altitudo, neque profundum, &c. poterit nos separare à charitate Christi.

Propterea dilatasti gressus meos, charitatis scilicet, vt latius charitatem operibus in ipsos exhiberem, qui subter me sunt, & membra mea, August. Non sunt infirmati siuè itinere, siuè signa, quæ impressi, ad imitandum sequentibus. Quomodò infirmari vestigia eius poterant, cum ipse sit ipsa charitas, Ioan.d.cap.7.nu.8. & num. 16. nunquid poterat diuidi Christus? 1. Corinth.1. num.12. si charitas est, quomodò vestigia eius contrà ipsum infirmari poterant? Homo erat Christus, tamen & Deus etiam, 1.Ioan.cap.4.num.2.ad Rom.8.num.3. 1.Timoth.3.nu.16. Mich.5.num.2. quamuis non duo, sed vnus Christus: vt in Symbolo, & sic impeccabilis, qui peccatum non fecit, nec in ore eius inuentus est dolus, Ioan. 8. num.46. & 1.Ioan.1.num.6. & tenebræ in eo non sunt vllæ; propterea, & vestigia mea, inquit, infirmata non sunt.

Persequar inimicos meos, & comprehendam illos, & non conuertar donec deficiant.

Crederem certè de inimicis Iudæis, & Hæreticis, atque Gentilibus loqui Psalmistam, non autem de affectibus carnalibus, & hoc ob subsequentes versiculos, & in specie ibi: clamauerunt, nec erat qui saluos faceret, ad Dominum, nec exaudiuit eos: & cominuam illos in puluerem, vt lutum platearum delebo eos: vitia enim nostra, & affectus carnales non clamant ad Dominum nisi pro vindicta, ecce sanguis fratris tui Abel clamat ad me, Genes.4. num.10. sic de clamore Sodomorum, Genes.18.num.20. At Iudæi clamabant, quando à Tito destructi fuerunt, nec Dominus exaudiuit eos, vt Ierem. dicebat cap.18.num.23. ne propitieris iniquitati eorum à facie tua, non deleatur peccatum eorum fiant corruentes in conspectu tuo, & in tempore furoris tui abutere eis; loquebatur enim de iniquitate, quam in Dominum Iesum fecerunt, hocq. est, quod hic dicitur. Persequar, & comprehendam, nec conuertar donec deficiant. Iam diximus alibi, & est nota multitudo occisorum, & dispersorum, & quomodò facta sit illis retributio. Posse tamen hæc ipsa aptari, & ad pœnitentem, & ad contritum, qui dolens de peccatis suis, promittit Deo abstinere in futurum ab illis, non negamus; ita Hieron. hic: Et non conuertar pugnare contrà illos, seù illa donec deficiant, donec non conuertar ab hac malitia, & sensualitate, hæc Hieron.

Facit quod per Ezech.cap.5.num.11. Pro eo quòd sanctum meum violasti in omnibus offensionibus tuis, & in cunctis abominationibus tuis: ego quoque confringam, & non parcet oculus meus, & non miserebor.

Confringam, nec potuerunt stare; taliter enim afflicti, & confracti fuerunt à Tito, quod nec vnus quasi ex illis remansit, qui posset stare, aut sedere, qui enim superuixerunt, serui facti sunt, & venundati, Deut.32.num.51. clausi quoque defecerunt, residuiq. consumpti sunt, Ierem. 21. num.9. & erit anima eius, qui aufugerit, quasi spolium.

Quatenus verò de inimicis domesticis, vitijs scilicet intelligamus, illud quod dicit ad Lucillum Seneca Epistola 88. ad propositum nostrum facere videtur; inquit enim. Nunquam satis cum vitijs litigamus; quæ, oro te Lucille, persequi, sine modo sine fine, nàm in illis quoque nec finis, nec modus est, subter te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius, Genes. cap.4. num.7. ad Senecæ verba posset accommodari.

Postquam ergo dilatasti Domine gressus meos, subtus me, vt non impediant

me

me angustiæ carnales: & non infirmatus sum per illas transiens, iam fortis, & constans, persequor ego inimicos meos; postquam non præualuerunt contrà me, & comprehendam illos, nàm quis poterit resistere vultui meo? Iob 41. num. 1. Deus enim excelsus est in fortitudine sua, Iob.cap.36. num.22. & brachium excelsum confringit, Iob cap.33. num.15. Confringam illos, nec poterunt stare Psalm. 67. num.22. Veruntamen Deus confringet capita inimicorum suorum, nec poterunt stare, nec etiam in terra illorum, nàm dispersi, in alijs vagantur, ceciderunt subtus pedes Christi conculcati; & qui ad illum conuersi sunt cadunt adorantes; in igne iræ meæ consumpsi eos, viam eorum in caput eorum reddidi, ait Dominus per Ezech.22.nu.33.vel quia subiecti facti sunt pedibus meis, idest fidelibus Christianis, Isai.52.num.7. Nahum.1.num.5.ad Rom.10.num.15.vel dicamus.

Confringam eos, nec poterunt stare, cadent subtus pedes meos in die scilicet Resurrectionis in futurum, idest in die Iudicij, Sophon.3.num.8. quapropter expecta me in die, dicit Dominus, in die Resurrectionis meæ in futurum, quia iudicium meum, vt congregem gentes, & colligam Regna, & effundam super eos indignationem meam, omnem iram furoris mei; in igne enim zeli mei deuorabitur omnis terra; quia tunc reddam populis labium electum, vt inuocent omnes in nomine Domini, & seruiant ei humero vno, & num. 12. & derelinquam in medio tui populum pauperem, & egenum, & sperabunt in nomine Domini; reliquiæ Israel non facient iniquitatem, &c. quoniam ipsi pascentur, & accubabunt, & non erit, qui exterreat, hæc ibi in Sophon. idem Abac.cap.2.per totum.

Et præcinxisti me virtute ad bellum: & supplantasti insurgentes in me subtus me; quibus armis Deus armatus sit ad bellum, & cum ijsdem armis confregerit inimicos, & vicerit, declarat in supradicto versiculo, quòd Deus scilicet Pater, illum præcinxerit virtute, idest fortitudine, dicit Hieron. contra Diabolum; nàm qua fortitudine præcinctus? nisi fluentia carnis desideria constringendo virtute, ne in tali pugna præpediret, August.hìc. patiens enim fuit Iesus, quia, vt dixi, ipse est charitas, quæ omnia suffert, omnia sustinet. Virtute ergo præcinctus ista vicit Diabolum, & mundum. Eadem virtute accinge nos Domine, vt influentia carnis nostræ mortalis desideria, & perstringantur, & vitia nostra curentur, ità enim cadent inimici nostri subtus pedes nostros, qui prius super capita nostra erigebantur: Sensualitates nempè carnis, & diabolicæ tentationes, quæ in dimidio nostrorum annorum nos affligebant, & cruciabant animam nostram, subtus pedes nostros sunt.

Supplantasti insurgentes in me subtus me: non possunt amplius inimici resistere, nàm perfectè subiecti fuerunt subtus Iesum, isti fuerunt Iudæi, qui domestici Dei erant, & populus eius, propterea dixit insurgentes in me, illi inquam, qui primos accubitus, & in capite sedebant, qui dicebant hunc Iesum scilicet vndè sit scimus; putabatur enim Iesus filius Ioseph, Luc.3.num.23.Christus autem, cum venerit, nemo scit, vndè sit, Ioan.7. num.28. magnificabant se, & super caput illius erigebantur, nunc subtus pedes Domini effecti. Sicut etiam Gentiles persequentes Apostolos, & Discipulos, & alios Christifideles sub pedibus Domini supplantati sunt, reddam vicissitudinem vobis, super caput vestrum, Ioel. d. cap.3. num.4.

Et Inimicos meos dedisti mihi dorsum, & odientes me disperdidisti. Qui prius anteibant, & fimbrias suas dilatabant, nec vultum meum aspicere dignabantur,

nunc

nunc Dominus dedit mihi illos dorsum post me vadunt, atque confugiunt, Hieronym. Fecit illos terga vertere; dorsum eorum incuruatum est, destitutum viribus, Psalm.68. num.24, omnis enim potestas data est Iesu in Cælo, & in terra, Matth.24.num.9. & odientes illum disperdidit, nàm quamuis esset multitudo inimicorum Iudæorum magna, conuersa est tamen in minimam inter gentes, quia Dominus disperdidit illam, iuxtà illud Baruch. cap.2.nu.29. & Psal.43. num. 12. in gentibus dispersisti nos, & Psalm.88.num.12. & in brachio virtutis tuæ dispersisti inimicos tuos, quoniam inimici tui Domine peribunt, & dispergentur omnes, qui operantur iniquitatem, Psalm.91.num. 10.

Clamauerunt, nec erat qui saluos faceret, ad Dominum, nec exaudiuit eos; clamauerunt, sed à malitia eorum non recesserunt, ideò non fuerunt exauditi, quia ad eos clamauerunt, qui nec illos saluos facere poterant, quis saluos facere poterit, quos Deus saluare non vult? August. Non parcet oculus meus, nec miserebor, cum clamauerint ad aures meas voce magna, non exaudiam eos, Ezech. cap.8.num.18. obturauerunt enim & ipsi aurem suam ad clamorem pauperis, Iesu Christi, & ipsi clamabunt, & non exaudientur, Prouerb.21.nu.13. vicissitudo redditur illis, Ioel d.cap.3.nu.4. ò infælices, nutriti fuerunt cum iucunditate, populus enim Dei erant, & dimissi sunt cũ fletu, Baruch 4.n.11. Contrà quos Ierem. cap.18. nu.23. clamat, dicens. Ne propitieris iniquitati eorum, & peccatum eorum à facie tua non deleatur, fiant corruentes in conspectu tuo, & in tempore furoris tui abutere eis; cui videtur respondisse Dominus, postquam dispersit illos, dicens: videbitis viam eorum, & consolabimini super mala, quæ induxi super Ierusalem, &c. & cognoscetis quòd non frustra fecerim omnia, quæ feci in ea, Ezech.14.num.23. Vocauit enim eos Dominus, & renuerunt, & extendit manus suas, & neglexerunt; despexistis, ait, omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis, ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo, cum vobis, quod timebatis aduenerit; cum irruerit repentina calamitas, quando superuenerit super vos tribulatio, & angustia, tunc inuocabitis me, & non exaudiam, Prouerb.cap.1.num.24. cum sequen. & Ierem cap.11.num.11. clamabunt ad me, & ego non exaudiam eos; Isai.24.num.20. & grauabit eum iniquitas sua, & corruet, & non adijciet, vt resurgat, Bernard. de tribus spiritibus in quodam sermone; Quàm grauis est hæc iniuria, & quàm grauis iudicanda, cum vilissimus vermis dedignatur audire Dominum Maiestatis clamantem ad se: ecce enim bonorum meorum non indiges Domine, & tu dicis conuertimini filij hominum, & clamas reuertere, reuertere. Semper certè illos exaudiuit Deus, quando post peccatum redierunt, & compuncti clamauerunt ad Dominum, vt latius aliàs diximus, nunc verò post mortem Christi clausum Iudæis est Cælum, cum non populus meus, quia extrà Ecclesiam sunt; ideò nec fuerunt exauditi tempore Titi.

Et comminuam eos, vt puluerem ante faciem venti, vt lutum platearum delebo eos. Quòd eorum superbia fuerit comminuta, satis patet, ex suorum librorum lectura, & ex Iosepho de bello Iudaico, omnes enim occisi, igne consumpti, trucidati, & qui pauci superfuerunt, captiui, venditi, ac serui effecti; & sicut puluis ante faciem venti proiecti, & in lutum conuersi, in plateis, ità superbia eorum euanuit. Qui enim dicebant; non habemus Regem, nisi Cæsarem, & hunc nescimus. Nunc sunt in conculcationem, vt lutum platearum, Mich. 7. num.10. Et qui etiam nunc extant in testimonium; luto vilior vita illorum, Sap.15.num.10.

inter-

interfecti eorum proijcientur, & de cadaueribus eorum ascendet fætor, Isa.34. num.3. & dedit illos, qui superfuerunt, in opprobrium sempiternum, & in ignominiam æternam, quæ nunquam obliuione delebitur, Ierem.23. num.40. & Iob in cap.4. num.21. inquit. Qui autem reliqui fuerint ex eis, auferentur, idest morientur, & non in sapientia: Loquitur de his, qui domos luteas habitant, qui terrenum habent fundamentũ, quod consummabitur velut tinea de manè vsque ad vesperam, succidentur, & quia nullus intelliget, in æternum peribunt, num.20. hæc Iob & in cap.30. num.19. dicit, quòd comparantur luto: tales enim superbi, & impij, quasi mare feruens, quod quiescere non potest, & redundant in conculcationem fluctus eius, & lutum, Isai.cap.57. num.20.

Hinc Iob iterum contrà istos insurgit, dicens cap.40. num.7. & num.8. respice cunctos superbos, & contere impios in luto suo: abscinde eos in puluere simul, & faciem eorum demerge in foueam. Dilatauit enim superbus Iudæus animam suam, quasi infernus: & ipse quasi mors, & non adimpletur vsquequo aggrauat contrà se densum lutum, Abac.cap.2. num.5. & 6. fiant tamquam puluis ante faciem venti, Psalm.34. num.5. & semita eorum non apparebit, Isai.41. num. 3. & num.15. ego posui te quasi plaustrum, triturans nouum habens rostra serrentia; triturabis montes, & comminues, & colles quasi puluerem pones, ventilabis eos, & ventus tollet, & disperges eos, idcircò erunt quasi nubes matutina, & sicut ros matutinus præteriens sicut puluis turbine raptus, & sicut fumus de fumario, Ose.cap.13. num.3. & erit populus quasi esca ignis, Isai.9. num.19.

Comminuam eos, vt puluerem, &c. quia & illi Dominum Iesum, vt in puluerem darent, institerunt, crucifixerunt, morti tradiderunt; nunc verò calicem soporis, calicem indignationis Domini biberunt, & bibunt, & positus est dictus calix indignationis in manu eorum, qui Iesum humiliauerunt, & dicebant illi, incuruare, vt transeamus, & posuerunt in terram corpus Domini, Isai.51. num.22. nunc illi bibunt, & potant vsque ad fæces, Ezech.23. num.34.

Eripies me de contradictionibus populi, constitues me in caput gentium. Contradicebant Iudæi Christo, nàm alij dicebaut, verax est, Ioan.3. num.1. nos scimus, dicebant alij, quia hic homo peccator est, Ioan.9. num.24. scriptum habemus, veh qui contradicit Factori suo, Sap.15. num.7. Isai.45. nu.9. & ad Rom.9. num.10. quia Deus dereliquit illos, eripies inquit me de contradictionibus istis; corruet enim hodie, & Pseudoprophetæ simul, Ose.4. num.4. & 5. & 6. conticuit populus, idest confusus remanet, eo quòd non habuerit scientiam, suscitauerunt falsiloquum aduersus faciem meam, contradicens mihi, aperuerunt super me ora sua, Iob.16. num.9. & 10. ecce omnes quasi vestimentum conteriti sunt, tinea comedit eos, Isai. cap.50. num.9.

Verùm non solum Christo Iesu contradicebant, sed etiam Discipulis eius, eandem sunt prosequuti contradictionem, Act.cap.13. num.45. & tunc Paulus, & Barnabas constanter dixerunt eis; oportebat vobis primum loqui verbum Dei, sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis vitæ æternæ, ecce conuertimur ad gentes, &c. & cap.18. nu.16. Paulus testificans Iudæis esse Christum Iesum contradicentibus, atque blasphemantibus excutiens vestimenta sua dixit ad eos; sanguis vester super caput vestrum, mundus ego, ex hoc ad gentes vadam, iuxtà illud Isai.cap.49. num.6. vt sis salus vsque ad extremum terræ.

Constitues me in caput gentium. Iudæi enim infideles sunt, iàm ille non

amplius populus meus, Isai.8.num.14. in lapidem offensionis, & in petram scandali, propterea Isaias Propheta magnus, & fidelis; qui spiritu magno vidit vltima, &c. ostendit futura, & abscondita, antequam euenirent, Eccles.48.num.28. & semen tuum dixit in cap.54. Isai. gentes hæreditabunt, nu.2. quia Israel Dominum non cognouit, & populus meus non intellexit, Isai. cap.1. num.3. & 24. heu cōsolabor super hostibus meis, ecce accola veniet, qui non erat mecum, d.cap.54. num.1. Ose.verò in cap.2.num.23. & 24. & miserebor eius, qui fuit absque misericordia, & dicam non populo meo, populus meus es tu; & ipse dicet Deus meus es tu, & in cap.1.nu.8.& 9. voca nomen eius, non populus meus, quia vos non populus meus, & ego non ero vester, neque addam amplius miserere domui Israel, sed obliuione obliuiscar eorum, ibidem num.6. Propterea eripe, dicit Iesus, de contradictione huius populi infidelis, & constitue me in caput gentium: sicut ab initio prædixi per Isai.55.num.4. ecce testem populis dedi eum, Ducem, & Præceptorem gentibus. Negauerunt enim illi Dominum, & dixerunt non est ipse, Ierem.5.num.12. & gentes, quæ non sectabantur iustitiam, apprehenderunt iustitiam; iustitiam autem, quæ ex fide est, ad Rom.d.cap.9.num.30.& populus Domini omnes iusti, qui in perpetuum hæreditabunt terram. Germen plantationis meæ, opus manus meæ ad glorificandum, dicit Dominus per os Isai.d.cap.60. num.21.

Constitues me in caput gentium. Iàm Domine sancte Pater venit tempus, Iudæi negauerunt me; Ecclesiam meam intrent gentes; constitue me caput illarum, hinc Mich.2.num.10. ascendet pandens iter inter eos, &c. & transibit Rex eorum coram eis, & Dominus in capite eorum, vndè Paul.ad Colos.3.num.10. & estis in eo repleti; qui est caput omnis Principatus, & Potestatis, & ad Ephes.1.num.22. omnia subiecit sub pedibus eius, & ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius, & plenitudo eius, qui omnia in omnibus adimplet, crescamus ergo in illo, qui est caput, Christus, ibidem num.15. & cap.5.num.23. Christus est caput Ecclesiæ, ipse Saluator corporis huius, & ad Coloss.cap.1.num.18. ipse est caput corporis Ecclesiæ in omnibus ipse primatum tenens.

Populus, quem non cognoui, seruiuit mihi, in auditu auris obediuit mihi. Ità etiam prædixit Isai.d.cap.55.num.5. ecce gentem, quam nesciebas vocabis & gentes, quæ te non cognouerunt ad te current propter Dominum Deum tuum, & Sanctum Israel, quia glorificauit te, vt latius dixi aliàs in titulo de vocatione gentium. Gens, quæ Deum non cognouerat, facta est dilecta, ac populus Dei electus; altera verò, quæ prius dilecta erat, facta est aliena à Deo, nec amplius populus eius; Abraham credidit Deo, & reputatum est ei ad iustitiam, populus autem Gentilis credidit, per auditum Iesu Christo, & reputatum est ei ad salutem, ad Rom.d.cap.9. num.30. quid ergo dicemus? quòd gentes, quare non sectabantur iustitiam apprehenderunt iustitiam, iustitiam verò, quæ ex fide est: Israel verò sectando legem iustitiæ, in legem iustitiæ non peruenit; quæ? quia non ex fide, sed quasi ex operibus, offenderunt enim in lapidem offensionis, sicut scriptum est; ecce ponam in Sion lapidem offensionis, & petram scandali, & omnis, qui credit in eum non confundetur, hæc Paul.

Abraham quia credidit meruit, vt semen eius multiplicaretur, & solus à Deo vocaretur, Isai.50.num.2. attendite ad Abraham Patrem vestrum, & ad Saram, quæ peperit vos, quia vnum vocaui eum, & benedixi ei, & multiplicaui eum;

& ta-

& tamen istud ipsum Abrahæ semen secundum carnem, è dilecto Dei, & è Dei plebe factum est non iam Dei dilectum, nec Dei plebs, quia, vt dixit Paul. d.cap.9. ad Rom. sectando iustitiæ legem, in legem iustitiæ non peruenit, quia non ex fide, sed quasi ex operibus; scilicet ab opera, quæ ex se nullius erant valoris, voluit iustus euadere, cum per eundem Apostolum dictum sit ad Ephes.2.num.8. gratia estis saluati per fidem; & hoc non ex vobis: Dei enim donum est, non ex operibus, vt ne quis glorietur; ipsius enim sumus factura, creati in Christo Iesu, in operibus bonis, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus, & ad Galath. 3. num. 10. quicunque ex operibus legis sunt, maledicti sunt; & ad Philip.3.num.8. Et inueniar in illo non habens meam iustitiam, quæ ex lege est, sed illam, quæ ex fide est Christi Iesu. Sic populus gentilis aliquando non populus, nunc verò populus Dei, 1.Petri cap.2.num.10. quia credidit in Iesum Christum Filium Dei viui, apprehenderunt iustitiam, quæ ex fide est, ad Roman. 9. & populus vnus, & iustus vocatur, quia ex fide viuunt, & sub nomine Christi, adeoquè Christianus populus dicitur.

Populus quem non cognoui seruiuit mihi, in auditu auris obediuit mihi; De Gentilibus sermo item est, qui nec Iesum viderunt, nec in præsentia illum tractauerunt; & tamen ex auditu, & prædicatione Apostolorum, & fidelium obediunt Euangelio; nec contradixerunt verbo veritatis, sicut scriptum est, Eccles. cap.4. num.30. ità etiam Matth. testatur cap.9.num.13.nunquid vult Dominus holocaustum, & victimas, & non potius vt obediatur voci Domini? 1.Reg.15.num.22. In auditu auris obediuit mihi; Iob cap.33.nu.8. dixisti in auribus meis, & vocem verborum tuorum audiui, Eccles.17.nu.11. Et magnalia Dei videt oculus eorum, & honorem vocis audierunt aures illorum; Et qui procul sunt venient, & ædificabunt in Templo Domini, & scietis, quia Dominus exercituum misit me ad vos, erit autem hoc, si auditu, audieritis vocem Domini, Zacch.6.num.15. Isai.cap.17. quia oblita es Dei Saluatoris tui, & fortis adiutoris tui non es recordata, propterea plantabis plantationem fidelem, & germen alienum seminabis.

Filij alieni mentiti sunt mihi, filij alieni inueterati sunt, & claudicauerunt à semitis suis. Nonnè filij alieni sunt, si ex patre Diabolo sunt? & desideria illius patris Diaboli facere volunt? Ioan.cap.8.nu.44. nimirum si mentiti sunt Iesu Christo, nàm neque ab initio Diabolus pater eorum in veritate stetit, quia non est veritas in eo, cum loquitur mendacia, ex proprijs loquitur, quia mendax est, & pater eius, Ioan. dicto cap.8.num.44. corruit in platea veritas, & æquitas non potuit ingredi. Multiplicatæ sunt, dicunt ipsimet, iniquitates nostræ coram Deo, scelera nostra nobiscum, & iniquitates nostras cognouimus: peccare, & mentiri contrà Dominum, Isai. cap.59.num.12. cum sequen. auersi sumus, inquiunt, ne iremus post tergum Dei nostri, vt loqueremur calumniam, & transgressionem concepimus, & locuti sumus de corde verba mendacij; num.14. ibidem, Ose.cap.5.nu.4. Non dabunt cogitationes suas, vt reuertantur ad Dominum, quia spiritus fornicationum in medio eorum, & Dominum non cognouerunt, in Dominum præuaricati sunt, quia filios alienos genuerunt, & ideò alienati non transibunt per illam amplius, Ioel 3.num.17. Mentiti sunt dicentes; Hunc nescimus: non habemus Regem nisi Cæsarem, mentiti sunt, quia illum sciuerunt, & vndè sit sciunt, Ioan. cap.7.nu.28. mentiti sunt, dicentes, hunc inuenimus peruertentem gentem, nàm venerat, vt saluaret, quod perierat.

Inue-

Inueterati sunt in hac alienatione à Deo, nàm adhuc obstinati remanent in infidelitate sua inueterati sunt, nàm quamuis lex, & Prophetæ vsque ad Ioannem, Matth. 11. nu. 13. permanent tamen vsque adhùc in lege Veteri, & nihilominus claudicauerunt à semitis suis, quia nec legem Veterem obseruant, & sequuntur sensum, & traditiones, quæ sunt contrà legem Veterem, ideò claudicauerunt à semitis suis, Matth. 21. n. 34. Progenies viperarum quomodò potestis bona loqui, cũ sitis mali? & nu. 39. generatio mala, & adultera; Quomodò etiam in lege Veteri claudicauerint, & claudicent, legite Matth. cap. 23. per totum: vbi de Scribis eiusdem legis dicitur, claudunt Regnum Cælorum, vbi nec ipsi intrant, nec introeuntes sinunt intrare; comedunt domos Viduarum; factum per illos Proselytum, posteà filium gehennæ constituunt, dicunt, Iuramentum per Templum nihil esse, sed super aurum Templi valere: decimant mentam, & anethum, & quæ grauiora sunt legis, iudicium, & misericordiam, & fidem relinquunt, extrà apparent mundi, intus autem rapina, & immunditia pleni, & vt latius, Matth. in d. c. 23. in abominationibus suis anima eorum delectata est, Isai. 66. num. 3. In Veteri ergo Testamento permanserunt, nouum verò recusarunt: sciebant Prophetas de Messia loquentes; & in omnibus Sabbatis, & Synagogis docebant, nec iuxtà semitas legis ambulauerunt; Venturum enim prædicabant, & aduentum negabant; claudicauerunt à semitis; nàm si Christum venturum docetis, cur postquam tempore præfinito aduenit, illum negatis? Claudicauerunt à semitis suis: à Prophetijs, quæ de aduentu Domini loquebantur, illis enim credebant vt patuit cum Herodes eis conuocatis audiuit, quia Christus erat nasciturus, in Bethleem Iudæ, iuxtà Prophetiam, Mich. 5. num. 2. Nonnè scriptura dicit, quia is oriturus ex semine Dauid, & de Bethleem Castello vndè erat Dauid.

Claudicauerunt, quia quod prædicabant, negauerunt, & negant, mentiti sunt mihi, quia alieni filij facti sunt, Diaboli scilicet, immo Diabolo peiores facti sunt; Dæmon enim credit, & contremiscit, isti verò non credunt, immo dicunt, quis Deus noster est? Ore confitebantur venturum Christum, corde negabant, cum iàm venisset, hypocritæ tristes, Isai. 29. num. 13. appropinquat populus iste ore suo, & labijs suis glorificat me, cor autem eorum longè est à me. Propterea peribit sapientia, à sapientibus, & intellectus prudentium eius abscondam, Matth. cap. 5. num. 7. sine causa autem colunt me, docentes doctrinas, & mandata hominum.

Mentiti sunt mihi, & inueteratorum malorum consuetudine roborati claudicauerunt à semitis suis; miscentes falsa prophanis, decipientes populos; Vsquequo claudicatis in duas partes? dicebat Elias 3. Reg. cap. 18. nu. 21. dicebant enim, vt in Matth. cap. 15. nu. 2. quare Discipuli transgrediuntur traditiones Seniorum? non enim lauant manus suas, cum panem manducant. Vide semitas illorum quales sint, & vos ò Iudæi quare transgredimini mandata Dei propter traditionem vestram? Claudicant hypocritæ, & consuetudine deuiant aberrando ab itineribus mandatorum Dei: Augustin. hæc. Claudicant, quia credunt Deum Patrem, Filium verò negant. Hieronym. immo ambobus pedibus claudicant, quia nec in Filium, nec in Deum Patrem, cum nec verbo eius credant; qui enim verba Dei non audit, non est ex Deo, Ioan. 8. num. 47. Claudicauerunt à semitis suis, idest Patrum, & Prophetarum, quorum leges isti præuaricati sunt, vt latius dixi in Tract. Iudæorum, seù contrà Iudæos, claudi sunt, cæci sunt, propterea non intrant in Ecclesiæ Christi Templum, 2. Reg. 5. num. 8.

Viuit Dominus, & benedictus Deus meus, & exaltetur Deus salutis meæ. Viuit Dominus, quia iustitiam dilexit in veritate, & in iudicio, & benedicent eum omnes gentes, ipsumq. laudabunt, Ierem. 4. num. 2. benedicatur Deus, quia quamuis ego innocens, & propter peccata populi mei, multa passus sim tormenta, & mortem non aperui os meum, & lingua mea malum non est locuta, Iob cap. 27. nu. 2. & sequen.

Viuit Deus, quia abstulit iudicium meum, & omnipotens, qui ad amaritudinem adduxit animam meam, quia donec superest habitus in me, & spiritus meus in auribus meis non loquentur labia mea iniquitatem, nec lingua mea meditabitur mendacium. Viuit Dominus, quia infideles isti Iudæi, & iniusti punientur, delebitur iniquitas eorum, & vsque ad consummationem, & finem perdurabit illorum, ac Templi desolatio, Daniel 7. num. 27. Isai. 50. nu. 9. omnes quasi vestimentum conterentur, & latius dixi in Titulo de Iudæorum desolatione, & perditione: Et benedictus Deus salutis meæ, qui liberauit me, qui fecit me inter mortuos liber, Psalm. 87. nu. 6. Cuius manus non est abbreuiata, vt me redimeret, & virtus ei fuit, & est ad liberandum, Isai. d. cap. 50. num. 2. & me iustum de angustia liberauit, Prouerb. 11. num. 8. vt latius de Resurrectione Christi dixi.

Exaltetur Deus salutis meæ super omnem superbum, & excelsum, & super omnem arrogantem, Isai. 2. num. 12. exaltetur Deus, & Dominus exercituum, in iudicio, & Deus sanctus sanctificetur in terra, & pascentur Agni iuxtà ordinem suum, & deserta in vbertatem versa aduenæ comedent, Isai. cap. 5. num. 17.

Deus qui das vindictas mihi. Propterea dilatauit infernus animam suam, & aperuit os suum absque vllo termino, scilicet in perpetuum, vt descenderent fortes eius, vt populus eius, & sublimes eius, gloriosiq. eius ad eum, Isai. 5. num. 14. vt scilicet qui primos accubitus, qui philacteria sua dilatabant, ibi perpetuò in igne permaneant, idcircò domum Iacob proiecisti Domine, & populum tuum, Isai. dicto cap. 2. num. 6.

Et subdidisti populos meos subtus me, Ecclesiam scilicet sanctam, in qua incuruati sunt colles mũdi, Abac. 3. subiecit ei populos, & gentes sub pedibus eius, Psal. 46. nu. 4. & hæc dicit Dominus meus Christo meo Cyro, cuius apprehendi dexteram, vt subijciam ante faciem eius gentes, & dorsa Regum vertam, &c. gloriosos terræ humiliabo, Isai. 45. nu. 1. & 2. subdidit illi etiam populos, qui inimici prius erant, quod, & salubris vindicta videtur, vt qui prius gloriabantur præesse, nunc subiecti glorientur in humilitate, Iudith cap. 8. num. 17. gloriam enim præcedit humilitas, Prouerb. cap. 15. num. 33. Psalm. 59. num. 9. in Idumæam extendam calceamentum meum mihi alienigenæ subditi sunt, Psalm. 85. num. 8. omnes gentes, quascunque fecisti, venient, & adorabunt coram te Domine, & glorificabunt nomen tuum.

Liberator meus de inimicis meis iracundis, in iracundia enim terræ dolos cogitant, dum pacificè mihi loquuntur, Psalm. 34. num. 20. Cor enim eorum plenum est dolo, & fallacia, elidas eos in medio Synagogæ, quoniam indignè accesserunt ad me, Eccles. 1. num. 40. iracundia animositatis illorum, subuersio illorum sit; Liberator de inimicis iracundis, iugum enim talium ferreum est, & vinculum eorum, vinculum æreum est, mors linguæ nequam, mors nequissima, & vtilis potius infernus, quàm illa. Vndè beatus est, qui tectus est à tali lingua, qui in iracundiam illius non transiuit, Eccles. cap. 28. num. 23. & sequen. Crucifige enim

clamabant gentes illæ bestiales, & iracundæ in passione Domini Iudæi, ità etiam Hæretici contrà Ecclesiam suam sanctam quotidiè clamant, crucifigatur Christus, deleatur Ecclesia eius iracundi, & superbi; ideò liberator meus de inimicis meis iracundis, atque Saluator, Daniel cap.6.num.27. Psalm.143.num.2. Cunctis enim diebus suis impius superbit, & numerus annorum incertus est tyrannidis eius, Iob cap.15.num.21. Cucurrit aduersus Deum erecto collo, & pingui ceruice armatus est: sed ramos eius arescecit flamma, & auferetur spiritus eius, dicto cap.15.numer.26. & 30.

Et ab insurgentibus in me, exaltabis me, à viro iniquo eripies me, Psalm.88. num.19. posui adiutorium in potente, & exaltaui electum de plebe mea, Augustin. & à Iudæis insurgentibus in me patientem, exaltabis me resurgentem. Verùm quia semper sunt Pseudochristi, & inimici Ecclesiæ suæ sanctæ, semper etiam Christus exaltabitur, & Ecclesia sua sancta extolletur, & ab illis libera remanebit, quia semper in magna constantia stat aduersus eos, qui illam angustiant; permanebit, nàm inter filios Dei computantur fideles eius, & inter Sanctos, & sors illorum, Sap. cap.5.num.4. in malignitate autem sua inimici consumpti, ibidem numer.13. Vndè Chrysost. super Matth.c.19. Serui Dei à persecutoribus non vincuntur; sed quantò magis afflicti fuerint, tantò magis charitatis feruore accenduntur; Impij verò secundum quæ cogitauerunt, correptionem habebunt, Nationis enim iniquæ diræ sunt consummationes, Sap. cap.2. num.10. & 19. submerguntur in aquis vehementibus, quasi plumbum, Exod.cap.15.num.10. flauit spiritus Domini, & operuit eos mare; Iusti verò in tribulationibus positi exaltantur, quia Dominus tentauit eos, Sap. dicto cap.2. num.5. igne examinati sunt, & non est inuenta iniquitas in illis, Psalm. 16.num. 34. flagellis ergo exaltantur iusti; iniqui verò in igne grauantur, iniquitatibus sicut onus graue grauatis super illos, Psalm.37.num.4. Vndè Gregor. Ipso infirmitatis nostræ pondere deorsum quotidiè ducimur, vt mira manu artificis per supereminentiam à flagitijs releuemur: humiliamini ergo sub potenti manu Dei, vt vos exaltet in tempore visitationis, quia superbis Deus resistit; humilibus autem dat gratiam, 1.Petr.cap.5.nu.5. & 6. & Baruc.4.num.15. filij patienter sustinete iram, quæ superuenit vobis, persecutus est enim te inimicus tuus, sed citò videbis perditionem ipsius; & super ceruices eius ascendes: ponit enim Deus humiles in sublime, & mœrentes erigit sospitate, Iob 5.num.9. & 12.

Propterea confitebor tibi in nationibus Domine, & nomini tuo psalmum dicam. Propterea tibi per me confitebuntur gentes Domine, & nomini tuo, & latius innotesces bonis operibus meis, hæc Augustin.

Vel dicamus: Iàm Domine Iudæi repulerunt me verbum tuum, iuxtà eloquium tuum, ego ad gentes conuersus coram illis confitebor tibi, gratias agens; quia illas gentes per me redimere dignatus es; propterea gratias coram illis tibi agam, & psallam cum illis laudes tuas; Confitebor tibi in populis Domine, & psallam tibi in nationibus, quia magna est super Cælos misericordia tua: exaltare super Cælos Deus, & super omnem terram gloria tua, vt liberentur dilecti tui, Psalm.107.num.3. & 5. Ecclesia loquitur confitebor tibi, & laudem dicam tibi, & benedicat nomini Domini: Dedit eam mihi Dominus linguam mercedem meam, & in ipsa laudabo eum, Eccles. cap.51.num.17. & 30. Confitebor Domino, quia fecit mirabilia; posuisti enim Ciuitatem in tumulum, Vrbem fortem in

in ruinam, domum electorum vt non sit Ciuitas, & in sempiternum non ædificetur, quia factus est fortitudo pauperi, fortitudo egeno in tribulatione sua; quia conuiuium fecit in monte Sinai omnibus populis: præcipitabitq. in eodem monte faciem vinculi colligati, qui orditus est super omnes populos.

Confitebor, & psalmum dicam nomini Iesu Christi, quia præcipitauit mortem in æternum, exultabimus, & lætabimur in eo, Isai. cap. 25. per totum; in monte extrà Ciuitatem passus, vt exeamus, & nos extrà Castra, improperium eius portantes, & per ipsum offeramus hostiam laudis semper Deo, fructum labiorum confitentium nomini eius, ad Hebr. cap. 13. num. 13. & sequen. Sic qui fuit Psalmus Iudæorum in contumeliam, Thren. 3. num. 63. nobis est in laudem, & in gratiarum actionem, quia Deus est noster, & misericors, & iustus; Cantemus, & psallamus in gloria, Psalm. 107. nu. 2. & 4. psallamus in nationibus; omnis terra adoret, & psallat tibi, Psalm. 65. num. 4. bonus est Psalmus, ideò sit iucunda, decoraque laudatio Deo, Psalm. 146. num. 1.

Et nomini tuo psallam, magnificans salutes Regis eius, & faciens misericordiam Christo suo, Dauid, & semini eius vsque in sæculum. Resurrexit Dominus Iesus, ideò magna est gloria eius; gaudium propterea venit mihi, inquit Ecclesia, à sancto super misericordia, quæ venit nobis, electis scilicet, ab æterno salutari Iesu nostro, & sicut viderunt vicini tribulationem, & captiuitatem, & tormenta à Iudæis, & ab Infidelibus, sanctis illata, Deo sic volente, ità in celeritate videbunt salutem nostram à Deo, quæ superueniet nobis, dicit Ecclesia, cum honore magno, & splendore æterno, Ioan. cap. 16. num. 20. Amen dico vobis, plorabitis vos, mundus autem gaudebit: Vos autem contristabimini, sed tristitia vestra conuertetur in gaudium, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis; cum iterum ego videbo vos, Baruch 4. num. 22. cum sequen.

Magnificans salutes, nàm in Ecclesia, qui saluantur quamuis diuersimodè, magnificantur per Christum eorum salutes; alij enim sunt Apostoli, alij Martyres, alij Confessores, & Doctores, Virgines, & Viduæ, isti sunt Regis Christi salutes; scilicet tales vocat diuersis modis ad salutem; hos dedit Pater Filio, & hos ipse vocauit, & neminem perdidit præter traditorem Iudam: fecit misericordiam pro nobis eidem Christo filio suo, Ioan. 17. Pater sancte serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi: vt sint vnum, sicut & nos, numer. 11. Quia dilectio, qua dilexit Pater filium suum, in nobis sit, & ipse Iesus, qui est vera dilectio etiam in nobis.

Fecit ergo misericordiam Christo suo Dauid, fortissimus nimirum Iesus, ità quippè nomen Dauid fortis interpretatur. Et semini eius, Ioan. dicto cap. 17. num. 20. Non pro eis rogo tantum, sed, & pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me, istud enim est semen illud bonum, in terram bonam, fructum centuplum afferens; Verbum enim est semen Dei, Matth. cap. 13. num. 4. cum sequen. Luc. cap. 8. num. 11.

Magnificat ergo Ecclesia salutes Regis, quia, & ipse Rex Iesus magnificat salutes fidelium, dicens, Venite benedicti Patris mei, percipite Regnum, quod vobis paratum est à constitutione mundi. Vide salutis plura genera: nudus eram, & cooperuistis me, in carcere, &c. item Apostolis, venite faciam vos Piscatores hominum, Matth. 25. nu. 34. & cap. 4. nu. 19. Venite ad me omnes, qui laboratis, Matth. cap. 11. num. 28. sedebitis super sedes duodecim, iudicantes, &c. filij enim Dei, &

cohæ-

cohæredes Christi vocabuntur, & erunt, ad Rom. cap. 8. num. 17. Ioan. 1. num. 12. & nota quòd secundum August. hìc. Quæcunque in hoc Psalmo scripta sunt, quæ ipsi Domino propriè, idest capiti Ecclesiæ congruere non possunt, ad Ecclesiam referenda sunt; totus enim hìc Christus loquitur, in quo sunt omnia membra eius, hæc Augustin.

Magnificemus ergo, & nos Christiani salutes Regis, & misericordias, quas nobis fecit Dominus Iesus, exaltemus, & laudemus nomen Domini Iesu, & glorificemus omnibus viribus nostris: superualebit enim, & adhùc, & admirabilis magnificentia eius; & maior omni laude exaltemus eum, repleamini virtute, ne laboretis, non enim comprehendetis, dicit Eccles. 43. num. 34. quis videbit eum, & enarrabit? & quis magnificabit eum sicuti est ab initio? multa abscondita sunt maiora his, pauca enim vidimus operum eius.

SOLILOQVIVM.

DILIGAMVS ergo Dominum Deum nostrum, quia in ipso est fortitudo nostra, firmamentum nostrum, & spes nostra; ipse protector noster, & salus nostra, per quem in Cælo fit habitatio nostra: & ab inimicis nostris liberatio nostra. In tribulationibus nostris inuocemus eum, & clamemus; quia à torrentibus iniquitatum nostrarum, quæ in articulo mortis circumstant, & à doloribus inferni liberabit nos; exaudit enim preces, & clamorem supplicantium ipsum in Templo sancto suo; & ideò nec potentiam inimici vereamur: nàm à facie Dei cómouentur fundamenta montium; & terra contremiscit, quando irascitur Deus, & fumus ascendit in ira eius.

Vt liberaret nos ab inimicis nostris, inclinauit etiam Cælos, & ipsemet Dei filius factus est homo, vt nos redimeret, & à peccato liberaret: Caligo sub pedibus suam abscondens diuinitatem: humiles corde saluabit, quando resurgens à mortuis ascédet in Cælum, & super Cherubim volabit, & velocius ventis, vt illuc nos reduceret, & cum illo ascenderemus ad Patrem, & quamuis posuerit tenebras latibulum suum, quia carnem assumpsit; in circuitu tamen eiusdem carnis, & animæ est diuinitatis eius Tabernaculum, quia ipse in Patre, & Pater in ipso est, vt Tabernaculum Dei cum hominibus fieret. Præ fulgore obscuritatis nubes transierunt, & gloria eius apparuit, & vestimenta eius facta sunt alba sicut nix, & nubes lucida obúbrauit eos, & intonuit Dominus eam vocem: Hìc est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui. Atque vt, & cæteri verbum illius audirent, misit sagittas suas, Apostolos, & Prædicatores, qui destruentes Idola, & absoluentes à peccatis, conturbauerunt inimicos Dæmones, & eius ministros Hebræos, & hæreticos. Hinc apparuerunt fontes aquarum, vt baptizati in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti salui fierent; reuelata sunt fundamenta Orbis terrarum, quæ sunt Apostoli sancti, suprà quos nos ædificati sumus; tribulationibus tamen haud nos deserentibus, cum virtus in infirmitate perficiatur, & spiritu oris sui à malo liberi erimus; atque in extremo infirmitatis nostræ assumit nos, & eripit ab inimicis fortissimis, qui propter prauam consuetudinem inueterati in malis, fortes erant, ne perderent nos. Factus est Dominus protector noster, & qui constituit nos in angustia, eduxit in latitudinem multitudinis misericordiarum suarum, & saluos nos

fecit, quia voluit; Et si post pœnitentiam, in puritate manuum nostrarum, & in simplicitate cordis nostri perseuerabimus, retribuet nobis secundum iustitias nostras, quia custodiuimus vias eius, ne impiè discedamus à Deo nostro. Et quia omnia iudicia eius sunt in ipsius conspectu, si iustitias eius non repellimus à nobis, eripiet, & ab iniquitatibus, quæ nos perdere possent: obseruabimus nos, & manus nostræ non cessabunt à bonis operibus, vt in conspectu oculorum eius appareant; immaculatos nos conseruare obnitemur, & vt cum sancto innocente, atque electo conuersatio nostra sit, nàm oculos superborum humiliat Deus.

Verùm quia tenebrosa est vita nostra, cum lucernam nostram Domine, & corda nostra illuminare digneris; vniuersas quoque eiusdem vitæ nostræ illumina tenebras, quia sic eripiemur à tentationibus carnis, & transgrediemur tentationum murum, aliàs inexpugnabilem, & ingressi in viam tuam impollutam, Deus meus, ambulabimus. Eloquia tua igne examinata sunt, probata sunt, vera sunt, tu ergo protector in te sperantium, iuxtà pollicitationes tuas adiuua nos; quia tu solus Deus, & Dominus noster, & non est alius extrà te. Tu qui virtute præcinxisti nos, & ponis immaculatam vitam nostram effice, ne vereamur transire pedibus nostris spinas huius mundi, super excelsa statuens nos, & docens, quomodò pugnare debeamus. Protege nos, & dextera tua defende, & disciplina tua corrige, & doceas simul; ità enim non erunt infirmata nostra vestigia, quamuis dilatati sint gressus nostri. Vita nostra sit in longitudine dierum; persequamur inimicos nostros abstinendo à peccatis, & non cessabimus, donec deficiant. Confringemus illos pœnitentiam agentes, donec ponamus illos subtus pedes nostros. Non quidem viribus id faciemus nostris: sed quia tu Domine præcinxisti nos virtute ad bellum, & supplantasti insurgentes in nos subtus nos, in fugam conuertens inimicos nostros, & disperdens odientes nos. Clamauerunt inimici, sed non erat, qui illos exaudiret, & saluos faceret, immo vt puluerem comminuisti illos, & vt lutum platearum delesti.

Eripe nos de contradictionibus populi, multarum scilicet tentationum, & constitue Dominum Iesum Christum in caput gentium, quæ eum non cognouerunt, quia seruient illi, cum iàm Iudæi alieni facti sint, & claudicent à vijs tuis.

Viuat Dominus Iesus Christus filius Dei Patris, benedictus sit Deus Pater, qui liberauit nos, & exaltetur Deus Spiritus sanctus qui illuxit nobis, Deus salutis nostræ; vnus Deus tantum, quamuis tres personæ. Qui subdit populos sub Iesu Christo, & dedit illi vindicandi potestatem, & liberando nos ab inimicis nostris iracundis, exaltauit illum ab insurgentibus in ipsum, & à viro iniquo.

Propterea nos populus tuus, & Ecclesia tua diffusa in omnes nationes confitebimur tibi bone Iesu, quia tu Saluator es filius Dei viui, sponsus, & caput nostrum, & in nomine tuo Domine psalmum dicemus. Salutes Regis magnificans, quia pro nobis fecisti misericordiam filio tuo fortissimo, & semini eius, qui in verbo filij tui crediderunt, & baptizati sunt. Exurge Domine, dilata funiculos Ecclesiæ, fiant omnes homines in te credentes, fiat vnum ouile, & vnus pastor Dominus omnium gentium Iesus Christus filius tuus, qui tecum viuit, & regnat in vnitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum, fiat Iesu dulcissime, & salua spiritum meum in die illa tremenda, protegens me dextera tua, &c. Amen.

IN PSALMVM XVIII.

Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum.



ITVLVS. In finem Psalmus Dauid. Summa hæc est; Quòd Deus ex operibus ab ipso creatis cognoscatur.

Continuatur ad præcedentem Psal. 17. nàm ibi gratias agit Christus Patri, qui dedit illi victoriam de inimicis, & ab ijs eum liberauit. In hoc vero Psalmo 18. Dauid, ipse enim fecit hunc Psalmum docet, & quis sit iste Christus, per comparationem ad quoscumque reliquos, & quàm nobilior alijs sit anima custodiens præcepta legis secundæ, ibi, lex Domini immaculata conuertens animas.

Et declarat quòd per ipsum omnia facta sunt, Ioan. 1. & sine ipso factum est nihil, quæ ipse verbo solo fecerit, Genes. cap. 1. per totum, in principio creauit Deus Cælum, & terram; dixit, fiat lux, & facta est lux, cum tenebræ essent super faciem abyssi: & lucem diuisit à tenebris, quas appellauit Noctem, & lucem, Diem: firmamentumq. vocauit Cælum, in quo fecit luminaria duo: Luminare maius, vt præesset diei, & Luminare minus, vt præesset nocti: & stellas, & posuit eas in firmamento Cæli, &c.

Ex his cognoscitur quis sit filius Dei, cui omnes creaturæ obediunt.

Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum. Hieron. hìc allegat id ad Rom. cap. 1. num. 20. Inuisibilia eius à creatura mundi, per ea; quæ facta sunt intellectu conspiciuntur, sempiterna quoque virtus eius, & Diuinitas: ità vt sint inexcusabiles qui talia considerantes non intelligunt, omnipotentiam scilicet in Deo solo esse: & quòd ipse sit Dominus, & Creator omnium, & etiam hominum, ipse ergo Iesus, qui Deus est: diuisit lucem à tenebris, vt illuminaret omnem hominem venientem in hunc mundum, verùm, quia multi sunt adhuc in tenebris, Deus facit, vt homo habens istud lumen Dei, eructet verbum Dei alteri homini, vt lumen & ille habeat, & hoc est quod dicit.

Dies diei eructat verbum, vt scilicet credentes, alijs vt credant, annuntient, & prædicant gloriam Dei. Verùm, quia testamentum Vetus, & illa lex tota erat in figura, de aduentu illius, per quem facta sunt omnia: nouum verò Testamentum sua claritate alterius obscuritatem ostendebat; & cum tàm Gentilitas, quæ in obscuro erat; quàm Iudæa, quæ nouum lumen non receperat, nox ambæ essent: nox veteris legis, nocti infidelium indicauit scienciam, quando ab Apostolis, & fidelibus Prædicatoribus scientia declarata fuit mysteriórum diuinorum, & tunc lux orta est in tenebris, sic diuisæ sunt tenebræ, & lux; ac lux diuisa est à tenebris, cum ijdem Apostoli indicauerunt scientiam testamenti vtriusque palàm prædicantes Deum filium suum vnigenitum misisse, vt humanum genus à peccato liberaret, & à morte perpetua.

Non sunt loquelæ, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum, Act. Apost. cap. 2. num. 4. & cœperunt loqui varijs linguis, & num. 8. & quomodò audiuimus linguam nostram, &c.

Nox ergo nocti indicat ſcientiam, & dies diei eructat verbum; nec miremini, ſi diei hominem iuſtum comparauerim, cum dixerit Ieſus, Vos eſtis lux mundi, Matth.5.num.14. poſui te in lucem gentium, Act.13.num.47. Quòd autem homines peccatores, & infideles nox ſint, & tenebræ, Ioan.3.nu.19. hoc autem eſt iudicium, quia dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem, erant enim mala eorum opera, Iob 3.num.23. Viro, cuius abſcondita eſt via, & circundedit eum Dominus tenebris, & cap. 5. num.14. per diem incurrent tenebras, & quaſi in nocte cæci palpabunt in meridie; & in cap.15.nu.22. non credit, quòd reuerti poſſit de tenebris ad lucem, nouit, quòd paratus ſit in manibus eius tenebrarum dies, Iſai.verò cap.9.num.2. Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam, habitantibus in regione vmbræ mortis lux orta eſt eis, quæ lux niſi verbum Dei, quòd prædicatum eſt ab Apoſtolis, & ab alijs fidelibus.

Cæli ergo enarrant gloriam Dei, Apoſtoli ſcilicet Domini prædicatione ſua, & opera manuum eius annuntiat firmamentum; Cælum nimirum, in quo fixæ ſunt ſtellæ Eccleſia in qua ſicut ſtellæ fulgent Sancti Doctores.

Iſtud firmamentum, & Cælum declarat opera manuum Dei, diuitias cæleſtes, & regnum æternum, Marc.16.num.16.& 17. qui crediderit, & baptizatus fuerit ſaluus erit; ſigna autem eorum, qui crediderint, hæc ſequentur. In nomine meo Dæmonia eijcient, &c. Super ægros manus imponent, & benè habebunt.

Opera manuum eius, hoc eſt mandatum, quod dedit pater filio, & eſt vita æterna, Ioan.12.num.50. prædicatum à fidelibus Cælum laudibus intonat. Opera eius annuntiat firmamentum, gaudete, quia nomina veſtra ſcripta ſunt in Cælis, Luc.10.num.25. nàm ſanguine Agni redempti ſumus: opus manuum Dei Ieſu; Vultis ergo noſſe Ieſum Chriſtum? conſiderate Cælum, & Eccleſiam, omnemq. ornatum eius; hoc quippe firmamentum, opera manuum Domini annuntiat: nàm per ipſum, & in ipſo quotquot iuſtitiæ indulgemus viuimus, mouemur, & ſumus, & redempti ſumus per ſanguinem eius, & domeſtici Dei facti ſumus, ac per eundem cæleſtes ſedes implebuntur, quæ vacuæ factæ fuerant per caſum Luciferi, & Angelorum eius.

Huic ſenſui conſequenter ſubditur, dies diei eructat verbum, qui enim cœpit opus, perficiet vtique, ipſe namquè Ieſus eſt lux vera, quæ illuminat credentes in illum, dies ergo lux Chriſtus, eructat verbum diei Apoſtolis, & alijs fidelibus, non enim eſtis vos, qui loquimini, dicit Ieſus, ſed ſpiritus Patris mei, qui loquitur in vobis, nolite cogitare quid, & quomodò loquamini, Matth.10.num.19. & 20.Marc.13.num.11. & nox nocti indicat ſcientiam; quomodo autem hoc intelligatur, audi Sap.cap.4.nu.6. ex iniquis hominis filij, qui naſcuntur, teſtes ſunt nequitiæ aduerſus parentes in interrogatione ſua, & cap.5, num.2. videntes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in ſubitatione inſperatæ ſalutis, in inferno enim poſiti ſunt, qui in malignitate ſua conſumpti ſunt. Ecce nox, & quomodò nocti indicet ſcientiam, cæteris ſcilicet in nocte ambulantibus, in tenebris peccati; pœnæ enim in exemplum populis, vt diſcant, 2. Paralip.7.num.20. Eccleſ.19.num.3. Nahum.3.num.6. Num.5.num.27.in exemplo enim diſciplina diſcitur, Prouerb.24.nu.32.qui autem euitat diſcere incidit in mala, Prouerb. 17. num. 16. & impij quid dicant, audi Sap.5.num.6. ergo errauimus à via veritatis, & iuſtitiæ lumen non luxit nobis Sol iuſtitiæ non eſt ortus nobis, laſſati ſumus in via iniquitatis, & perditionis, & ambulauimus vias difficiles, viam autem

Domi-

Domini ignorauimus: quid nobis profuit superbia, aut diuitiarum iactantia, quid contulit nobis? transierunt omnia illa tamquam vmbra. Ecce quomodò nox nocti indicat scientiam, vt exemplo peccatorum discamus, & nos pœnas effugere, aut tamquam auis, quæ transuolat in aëre, & post nullum signum itineris illius, &c. num. 13. sic & nos nati continuò desiuimus esse, & virtutis quidem nullum signum, in malignitate nostra consumpti sumus; talia dixerunt in inferno hi, qui peccauerunt, quæ ad nostram doctrinam scripta sunt, ad Rom. 15. num. 4.

Firmamentum annunciat opera eius, quod maius firmamentum quàm fides nostra; per illam enim homo mortalis fit immortalis, homo terrenus fit cælestis, fit amicus Dei, & cohæres Christi, magnum firmamentum fides, nam si habens fidem dixerit Monti; iacta te in Mare, fiet, & nihil impossibile ei erit, Matth. 17. num. 19. & 21. opera hæc annunciat firmamentum. Et aduerte, quia Cælum, & terram, & hominem; omnia hæc solo verbo fecit Deus, licet dicantur opera manuum eius, &c. & Psalm. 94. opera manuum tuarum sunt Cæli, & sic etiam de terra dicat, & aridam fundauerunt manus eius, quia non humanis membris distincta est natura Dei, qui vbiq. totus est, & nullo continetur loco, quod ergo fecit, sapientia fecit, quod manu fecit, virtute fecit, hæc August.

Nox nocti indicat scientiam. Afflictio damnatorum in inferno, qui in nocte Mortis sunt perpetuò, nostra est scientia, qui in hoc mundo sumus in nocte, & tenebris peccati inuoluti; scientia enim, & consideratione miseriæ eorum fit, vt qui illorum secuti fueramus scelera, conuertamur, ne in infernum eorum in pœnis socij incurramus. 2. Petr. cap. 2. num. 5. & 6. Originali mundo non pepercit Deus, diluuium mundo impiorum inducens, & Ciuitates Sodomorum, & Gomorrheorum in cinerem redigens, euersione damnauit, exemplo eorum, qui impiè acturi sunt, ponens, idem Iudas epistola vnica num. 7. Isai. 28. num. 19. solummodò sola vexatio dabit intellectum auditui. Nox nocti indicat scientiam, quando scilicet Iudas traditor signum dedit, quem osculatus fuero, ipse est, tenete eum, Matth. 16. nox semper est Iudæis, quia oculis suis non fuerunt digni videre videntem, Hieron. hic. sicut etiam Iudas nox fuit, quia totus Diaboli erat. Dies diei, & nox nocti, hoc est spiritus spiritui, & caro carni, vel spiritales spiritalibus, & nox nocti carnales carnalibus, vtrique enim audiunt, et si non vtrique similiter sapiunt, illi enim audiunt tamquam verbum eructatum: illi tamquàm scientiam annuntiatam; quòd enim ructatur præsentibus ructatur, quod autem annuntiatur longè positis annuntiatur, hæc Augustin. hìc.

Non sunt loquelæ, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum, non enim amplius Dominus in loquela labij, & lingua aliena loquetur ad populum, Isai. 28. num. 11. ad Corinth. 14. num. 21. quoniam in alijs linguis, & in labijs loquor huic populo, vt nec sic exaudiant me, dicit Dominus; an à vobis verbum Dei processit? aut in vos solos peruenit? d. cap. 14. num. 36. 1. Corinth. Dicebant enim, qui annunciat verbum suum Iacob, iustitias, & iudicia sua Israel, non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis, Psalm. 147. num. 8. & 9. Non ità nunc ò Iudæi renuistis enim illum: propterea ad gentes se conuerterunt Apostoli.

Non sunt loquelæ, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum, ità vt sint inexcusabiles, quia cum cognouissent Deum, non sicut Deum glori-

glorificauerunt, neque gratias egerunt: sed euanuerunt in cogitationibus suis, ad Rom. cap. 1. num. 21.

Propterea dicebat Paul. d. cap. 14. 1. Corinth. 18. Gratias ago Deo meo, quòd omnium vestrum lingua loquar, & in Act. Apost. cap. 2. num. 7. stupebant autem omnes, & mirabantur, dicentes; nonne ecce omnes isti Galilæi sunt, qui loquuntur, & quomodò audiuimus vnusquisque linguam nostram, in qua nati sumus? Parthi, & Medi, Ælamitæ, & qui habitant Mesopotamiam, Iudæam, & Cappadociam, Pontum, & Asiam, Phrygiam, & Pamphyliam, Ægyptum, & partes Libyæ, quæ est citra Cyrenen, & aduenæ Romani; Iudæi quoque, & Proselyti, Cretes, & Arabes, audiuimus eos loquentes linguis nostris magnalia Dei. Non sunt loquelæ, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum. Non tantum eo loco vbi Spiritu sancto impleti sunt, qui dabat eos pronuntiare, sed

In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum, vt nos in paradisum introeamus in Cælum, Augustin. ò pestilentiosè, litigiosè, pessimè, & adhuc errare volens? ò superbe fili, audi testamentum patris tui: ecce quid planius? quid apertius? in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum, nunquid expositore opus est? quid contrà conaris? Partem vis in lite retinere, qui potest totum in concordia retinere, hæc Augustin. ideò tamen illi non audierunt, quia non sunt ex veritate, qui enim est ex veritate audit vocem Domini, Ioan. 18. num. 36.

In Sole posuit Tabernaculum suum, vult manifestè Psalmista, quæ suprà dixit per Iesum Christum omnia creata fuisse, ex sequentibus versiculis declarare; manifestè dixi; nàm quid clarius, & quid manifestius Sole? propterea Tabernaculum suum posuit in Sole, in Ecclesia sua sancta, vt habitationem suam esse cum hominibus ostenderet; nasci enim voluit ex muliere Virgine Maria, vt homo similis nobis, caput Ecclesiæ suæ effectus pro homine satisfaceret Patri.

In Sole, in Virgine posuit tabernaculum, vt ex illa nascens palàm fieret hominibus, nàm aliàs inuisibilis Deus, idcircò carnem nostram assumpsit, vt visibilis appareret nobis, Apocalyps. 31. num. 3. ecce Tabernaculum Dei cum hominibus & Ezech. 32. num. 27. & erit Tabernaculum meum in eis, & ero eis Deus, & ipsi erunt mihi populus: Tabernaculũ, quod sibi posuit lucidius Sole est; quem enim Cæli non caperant, gremio suo continuit Beatissima Maria Virgo perpetua Dei Genitrix, in Cælo suprà Angelos, & Archangelos, suprà Cherubim, & Seraphim exaltata: Sol enim iste visibilis materialis, & qui deficiet iuxtà illud Sol, & Luna obscurabuntur, nec amplius dabunt lumen suum.

Maria verò semper lucida, semper Mater filij Dei permanet, in æternumq; permanebit, in Sole ergo isto, in sinu Mariæ decreto æterno posuit Tabernaculum suum filius Dei. Et ipse tamquam sponsus procedens de Thalamo suo à summo enim Cælo egressio eius in sinum sponsæ suæ Mariæ introiuit; Beata viscera Mariæ Virginis, quæ portauerunt æterni Patris filium: non ergo ex humano semine; sed à summo Cælo egressio Domini per superuenientem Spiritum sanctum in vtero eiusdem Virginis Mariæ.

Sole ergo est lucidior Maria ante sæcula in Dei mente creata, vt Mater Dei fieret, quomodò ergo non erit ab omni macula præseruata, quæ lucidissimum filium Dei, qui est ipsa lux, portare debebat, atque concipere? Virgo immacula-

culata ante, & post semper permanens, Templum Domini non manufactum, Sacrarium Spiritus sancti, quæ sola sine exemplo placuit Altissimo, succurre mihi seruo tuo.

In Sole etiam Tabernaculum suum posuit, vt Deus homo factus manifestus fieret in Ecclesia, & ab Ecclesia vt oculis est manifestum: quis ergo temerarius negare audebit? quis Hæreticus? aut Iudæus vidistis illum, opera illius sunt clara, quibus saltem credere deberetis, Ioan.5.num.36. & cap.10.num.38.

Processit igitur tamquam Sponsus de Thalamo, postquam ex vtero Virginis carnem assumens nascitur Iesus, vt pacem inter Deum, & homines poneret, propterea Angeli canunt, Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Non tibi Hæretice, qui lucem fugiens tenebrosus totus factus es, mortuus es, miserrime reuiuiscere, qui iam perditus, inueniat te Sancta Ecclesia Mater, cuius si seruus es, quare Dominum non audis? si Christianus es, audi Christum, si Filius es, audi Patrem, audi Matrem Ecclesiam, Augustin. hìc, qui te peccatorem inuitat dicens, veni fili, audi me, viam Domini docebo te: & tu conuersus dicas, peccaui Pater in Cælum, & in terram, & coram te, iam non sum dignus vocari filius, ipsa verò gaudens, & læta dicat, quod Luc.15.num.24.Proferte stolam primam, perditus erat, & inuentus est, mortuus est, & reuixit, ideò epulari, & gaudere oportet, num.32.

Tamquam Sponsus Christus processit ad sponsatam sibi in fide, Ose.2.num.20. & sponsabo te mihi in fide, & scies, quia ego Dominus, & num.24. & dicam non populo meo, populus meus es tu, & ipse dices Deus meus es tu: Ecce Sponsus de Thalamo procedens Virginis, desponsat in fide, aliàs non suum populum, populum sibi Gentilem; quia & ille Deum suum ipsum confitetur. Pœniteat te, & reuertere ad Dominum Deum tuum, vt confitearis peccata tua, vt audire & tu merearis à Patre, proferte stolam, quia ouem hanc, quæ perdita erat, inueni: conuocate amicos, & gaudeamus, mortua enim erat hæc ouis, & quia peperci ei reuixit; propter illam enim ego tamquam Sponsus exiui de Thalamo meo, vt in fide illam desponsarem mihi, vt Gigas de summo Cælo egressus cucurri viam, vt occurrerem illi, Psalm.58.num.6.

Et exultaui fortiter, vt Gigas ad currendam viam, à summo enim Cælo mea egressio, & occursus meus vsque ad summum eius, in quo cum Patre, & Spiritu sancto stabam Deus & sto æternaliter, ad Ephes.4.num.30. qui descendit, ipse est, qui ascendit super omnes Cælos vt impleret omnia.

Nec est quis se abscondat à calore meo, nàm omnibus do gratiam meam, vni sic, & alteri sic, 1.Corinth.12.nu.4. cum sequen. Non est qui se abscondat à calore meo; non est qui non habeat semina intellectus Dei, Hieron. hìc, nullus est, qui de calore gratiæ meæ non habeat aliquid, omnes enim nos vocat; exultauit vt Gigas ad currendam viam, hoc est, natus est, creuit, docuit, passus est, resurrexit, ascendit; cucurrit viam, non hæsit in via, & posuit idem Sponsus in Sole, hoc est in manifestatione Tabernaculum suum, hoc est sanctam Ecclesiam, hæc Augustin.

Ambros. verò in lib. de duodecim Patriarchis, saltu quodam venit in hunc mundum. Apud Patrem erat, & venit in Virginem, de Virgine in Præsepe transilijt, in Præsepe erat, qui fulgebat in Cælo: descendit in Iordanem, ascendit in Crucem: descendit in tumulum, surrexit è tumulo: & sedet ad dexteram Patris, tamquam

Gigas ad currendum cum magna velocitate, & fortitudine. Hæc omnia gessit, passus est, & consummauit Iesus, vt me indignum seruum suum redimeret; volauit super pennas ventorum, leuis enim erat natura eius assumpta, Isai. 19. nu. 5. ascendit super nubem leuem, vt ingrediatur Ægyptum, &c. sine iniquitate cucurrit, & direxit, Psalm. 58. nu. 5. tu quoque qui Christum sequi profiteris, neque sine iniquitate curras, & dirigas iter tuum; neque moreris; quid enim prodest sequi, si non contingat consequi? dicit Bernard. in homil. 22. super Cantic. Post te, ò Domine ire volunt, cum tamen ad te nemo, qui nolit, hoc scientibus cunctis, quòd delectationes in dextera tua vsque in finem, & propter hoc omnes volunt frui te, at non imitari, &c. non curant quærere, quod non desiderant inuenire, cupientes sequi, sed non consequi; sic curramus, vt comprehendamus, dicit Apostolus, 1. Corinth. 9. num. 10.

Et occursus eius vsque ad summum eius, nec est qui se abscondat à calore eius. In vanum ò Iudæi contrà Christum laboratis; nàm occursus eius vsque ad summum eius, nunquam Diuinitas illum deseruit, semper Pater Deus fuit cum illo; nec, quòd illum occidistis, sine iusta Dei vindicta permanebitis, quia non est qui se abscondat à calore eius, ab ira illius, idest à pœna quam vos habere debetis; de Ascensione Iesu Christi tractatur hic, & Ioan. 14. nu. 2. Vado vobis parare locum, & cap. 16. num. 7. & 8. & 29. A summo Cælo egressus eius, apud Ioannem verò, exiui à Patre, & veni in mundum, iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem, & occursus eius vsque ad summum eius.

Non est qui se abscondat à calore eius. Si non abiero Paraclitus non veniet ad vos, Ioan. vt suprà num. 7. si autem abiero mittam eum ad vos. Tunc nemo abscondet se à calore eius, venturi Spiritus sancti in ignis forma, nàm is & mundum arguet de peccato, contrà quod vindicta est, & ira Dei, quæ calor vocari potest, ira enim est calor circa cor, non quòd iracundia sit in Deo, sed quia nostra peccata pœnam merentur, in Sap. cap. 2. num. 3. vita nostra tamquam vestigium nubis transibit, & sicut nebula dissoluetur, quæ fugata est à radijs Solis, & à calore eius aggrauata; ita etiam in Baruch. cap. 2. num. 25. & ecce proiecta sunt ossa scilicet, Patrum in calore Solis, & in gelu noctis, &c. & Isai. 5. num. 24. propter hoc, inquit, sicut deuorat stipulam lingua ignis, & flammæ calor exurit, radix eorum sicut facula erit, & ideò exaltabitur Dominus in iudicio, & Deus sanctus sanctificabitur in iustitia, Isai. ibidem num. 16. ideò dilatauit infernus animam suam, & aperuit os suum absque vllo termino, & descendent fortes eius, & populus eius, & sublimes, gloriosiq. eius ad eum, Isai. d. cap. 5. num. 14.

Quia nec est qui se abscondat à calore eius, & Isai. cap. 25. num. 1. & quasi calore sub nube torrente propaginem fortium marcescere faciet, Ierem. verò c. 51. num. 39. in calore eorum ponam pectus eorum, & inebriabo eos, vt sopiantur, & dormiant somnum sempiternum, & non resurgant, dicit Dominus, tangit enim montes, & fumigant, & terram facit tremere, Psalm. 103. num. 32.

Non est qui se abscondat à calore eiusdem Spiritus sancti operantis multo proprius in hominibus iustis, per charitatis feruorem quo illos inflammat, prout contigit in Apostolis, Act. c. 2. Apparuerunt illis dispertitæ linguæ tamquam ignis, &c. & repleti sunt omnes Spiritu sancto, num. 3. & 4. nec fuit, nec est, qui se abscondat à calore ignis illius, quia omnes repleti sunt illo diuino calore ignis, & locuti sunt varijs linguis, emisit spiritum suum, & creati fuerunt, Psalm. 103. num. 30.

& renouata est terra nostra virtutibus, &c. & lætabitur Dominus in operibus suis.

Vide ergo, quàm sit dispar ratio operationis caloris eiusdē spiritus Dei, quem misit Iesus postquam ascendit ad Patrem. Primus calor est ignis pro punitione peccatorum, & illorum destructione: corrupti enim sunt, & abominabiles facti sunt, quia non erat, qui faceret bonum, neque vsque ad vnū, Psalm. 13. num. 1. & 3. sepulchrum patens est guttur eorum, nec vllus in peccatis persistentium à pœna se abscondere poterit illius ignis. Sicut ignis dicit Augustin. venit Spiritus sanctus, fœnum carnis consumpturus, aurum cocturus, & purgaturus, sicut ignis venit, & ideò explicans multò diuersos eiusdem Spiritus sancti ignis effectus in iustis, sequitur.

Lex Domini immaculata conuertens animas testimonium Domini fidele, sapientiam præstans paruulis.

Propterea enim lex Domini immaculata, quia per eius obseruantiam conuertuntur animæ redemptæ, laudes Deo damus, qui tam mirabilia solo verbo fecit, atque creauit, Cælum scilicet, & Terram, Solem, & Lunam, & Stellas, multoq. magis, quia fecit nos, redemit nos, omnia alia subiecit nobis; suprà Cælos ascendere faciet nos, & gloria sua frui in æternitate, si humiles, & mites erimus, hic, iuxtà quod nos ille docuit, Matth. 11. si legem, quam ipse tulit, obseruabimus; lex sancta, lex immaculata, quæ nos humilitatem docet; discite à me, quia mitis, & humilis sum corde: fidele testimonium Iesu Christi, per quod paruulis nobis scientia præstita est, & inuenietis, inquit, requiem animabus vestris, superbos dispetdens mente cordis sui; fidele testimonium, nàm humiles exaltatos videmus, & credimus, quia nisi humiles essemus, nec scientiam Dei apprehendissemus.

Propterea dixit, scientiam præstans paruulis, humilibus scilicet, scientia enim humana inflat, 1. Corinth. 8. num. 1. secus in scientia Dei; nàm quantò magnus es, humilia te in omnibus, inquit Eccles. cap. 3. num. 20. & coram Deo inuenies gratiam, quoniam magna potentia Dei solius, & ab hominibus honoratur. Lex Domini immaculata, quæ nullum reijcit peccatorem, si pœnitens, & dolens confiteatur peccata sua, Ezech. 18. nu. 21. si autem impius egerit pœnitentiam, dicit Deus ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit iudicium, & iustitiam, vita viuet, & non morietur, omnium iniquitatum eius, quas operatus est, non recordabor. Nunquid voluntas mea, est mors impij, dicit Dominus Deus, & non, vt conuertatur, & viuat? Isai. 44. n. 22. deleui, vt nubem iniquitates tuas, & quasi nebulam peccata tua. Fiat ergo in nobis cor nouum, & spiritum nouum, ibidem Ezech. nu. 31. conuertamur, & pœnitentiam agamus ab omnibus iniquitatibus nostris, & non erit nobis in ruinam iniquitas; omnia peccata nostra, quæ fecimus, nō imputabūtur nobis, Ezech. 33. n. 16.

Lex Domini immaculata, quæ animas vt conuertantur annunciat, & illam custodientibus dat lumen, & gratiam; testimonium Domini fidele sapientiam præstans paruulis. Propterea Iesus Patri gratias agit, quia Pater ea à prudentibus, & sapientibus absconderit, & paruulis reuelauerit, Matth. cap. 11. nu. 25. fidele testimonium, quia à Christo testificatur, qui est ipsa Veritas.

Incœpit enim Iesus prius facere, & posteà docere; reuelauit paruulis, nàm quia in Dei sapientia non cognouit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis saluos facere credentes, 1. Corinth. cap. 1. num. 21.

quoniam Iudæi signa petunt, sapientiam quærunt Græci, nos Christum crucifixum prædicamus, Iudæis scandalum, gentibus stultitiam, sed ipsis Græcis, & Iudæis vocatis Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam, quia quod stultum est Dei, sapientius est hominibus, & quod infirmum est mundi fortius est hominibus; nonnè stultam fecit Deus sapientiam huius mundi? hæc Paul.

Testimonium Dei fidele, idest Euangelium, quod prædicatur in vniuerso orbe, in testimonium omnibus gentibus, Matth. cap. 24. num. 14. testimonium Dei fidele Spiritus sanctus, Matth. cap. 3. num. 17. Luc. 9. num. 35. Ioan. 16. num. 13. quæcunque enim audiet, loquetur, ille me clarificabit, quia de meo accipiet, Isai. 44. num. 5. Præceptum Domini lucidum illuminans oculos, quia cognouimus Iesum Christum, qui factus est nobis sapientia à Deo, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio. Sic prophetauit Ierem. cap. 23. num. 5. ecce dies venient, & suscitabo Dauid, germen iustum, & regnabit Rex, & sapiens erit, faciet iudicium, & iustitiam in terra. Non glorietur ergo sapiens in sapientia sua, quæ stultitia est, sed in Domino glorietur humilis, cuius oculi per fidem illuminati, per sapientiam Christi didicit, Ierem. 9. num. 24. 1. Corinth. 1. in fine. Testimonium Domini fidele, quod nunquam præteribit, Psalm. 148. num. 6. præceptum posuit, & non præteribit. Et dedit Moysi coram præcepta, & legem vitæ, & disciplinæ docere Iacob testamentum suum, & iudicia sua Israel; Eccles. 45. num. 6.

Iustitiæ ergo Domini rectæ lætificantes corda: iudicia enim Dei iusta sunt, qui reddit vnicuique iuxtà opera sua, iustis enim promittit Regnum Cælorum, Matth. cap. 5. num. 3. & sequen. & beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt, num. 8. & Exod. 33. nu. 19. ego ostendam omnem bonum tibi, idest me ipsum, qui sum omne bonum.

Expectatio iustorum lætitia est, Prouerb. 10. num. 28. petunt tales iusti Patrem in nomine Iesu, & ipse hæc faciet illis, Ioan. cap. 14. nu. 13. iustitiæ Domini rectæ sunt, & lætificant, non tenent corda; custodiamus ergo mandatum Domini, quia lucerna est, & legem ipsius, quæ est lux, Prouerb. 6. num. 23.

Si itaque volumus Deum videre, cælestibus frui, & cohæredes Christi esse, inuocemus Spiritum sanctum, qui in cordibus nostris sui nominis amorem infundat, vt per immaculatam legem Domini conuersi, & illuminati, ad illum perueniamus, custodientes præcepta Dei. Sapiens enim corde præcepta suscipit, Prouerb. d. cap. 10. num. 8. vt humiles corde effecti per illum, oculi nostri illuminati sint ad perfectionem, læti tunc erimus; quia iustitiæ Domini rectæ sunt, & præceptum Domini lucidum, idest Euangelium eius sanctum, per quod, abnegantes nos sequamur Iesum Christum, Paul. ad Timoth. 1. cap. 3. num. 16. manifestè magnum pietatis est sacramentum, quod manifestatum est in carne, iustificatum est in Spiritu, apparuit Angelis, prædicatum est gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria. Fidelis sermo, & omni acceptione dignus, in quo inter cætera pietas commendatur, quæ ad omnia vtilis est, promissionem habens bonæ vitæ, quæ nunc, & futuræ, 1. ad Timoth. cap. 4. num. 5. & idem in cap. 1. num. 15. fidelis sermo, & omni acceptione dignus, quòd Iesus Christus venit in hunc mundum peccatores saluos facere, quorum primus ego sum. Et ne in deceptione cum illusoribus iuxtà proprias concupiscentias ambulantibus veniatis, qui dicunt, vbi est promissio, aut aduentus eius? omnia sic perseuerant, sicut ante ab initio creaturæ, &c. de qua 2. Petr. cap. 3. num. 4. nàm vt ibidem num. 8. Vnum

hoc

hoc non lateat, vos cariſſimi, quia vnus dies apud Dominum ſicut mille anni, & mille anni ſicut dies vnus, ſed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reuerti, aduenìet autem dies Domini, ſicut fur, in quo Cæli magno impetu tranſient.

Timor Domini ſanctus permanens. Non ſeruilis timor pœnæ, ſed ſanctus timor charitatis erga Deum, vt quem cauſat amor. Ne negligentia tua perdas illum, ſed ex toto corde tuo ames illum: initium enim omnis ſapientiæ eſt timor Domini, Pſalm. 110. num. 10. Eccleſ. cap. 1. num. 16. ſi ergo amor erga Deum debet eſſe continuus, & perpetuus, ſic, & timor permanens eſſe debet cum amore. Nunc etiam timorem Sancti habent, nàm ſcriptum eſt, Pſalm. 33. num. 10. timete Dominum omnes Sancti eius, quoniam nihil deeſt timentibus eum, & Pſalm. 51. num. 8. videbunt iuſti, & timebunt. Permanens timor ſit, quia propè timentes eum ſalutare ipſius, Pſalm. 84. num. 10. nàm, & ipſe Deus corroborat miſericordiam ſuam ſuper timentes eum, Pſalm. 102. & per timorem Domini omnis declinat à malo, Prouerb. 15. num. 27.

Propterea dicitur timor Domini fons vitæ, vt declinemus à ruina mortis, in timore Domini fiducia fortitudinis noſtræ, Prouerb. cap. 14. num. 26. & 27. dilectio Domini honorabilis ſapientia; timeamus ergo Dominum, quia timor Domini gloria, & gloriatio, & lætitia, & corona exultationis, Eccleſ. cap. 1. num. 14. timor Domini delectabit cor, & dabit lætitiam, & gaudium, & longitudinem dierum; timentiquè Dominum benè erit in extremis, & in die defunctionis ſuæ benedicetur, ibidem num. 13.

Sanctus ergo eſt timor Domini, quem quilibet Chriſti fidelis habere debet, ne offendat opere, aut verbo, alioué modo Deum, non metu pœnæ, ſed filiali reuerentia, atque timore, ſed debet etiam eſſe permanens, conſtans, & perpetuus; quia iuſtitia iuſti non liberabit eum, in quacunque die peccauerit, Ezech. dicto cap. 33. num. 12. Dilectio Dei honorabilis ſapientia, Eccleſ. cap. 1. num. 14. & 17. timor Domini ſcientiæ religioſitas, plenitudo ſapientiæ, corona ſapientiæ, & radix illius, & expellit peccata, igitur ſapientia, & diſciplina eſt timor Domini, & quod beneplacitum eſt ei fides, & manſuetudo, vt latius in d. cap. 1. in Eccleſiaſt. per totum.

Sed ſi vis habere timorem perfectum, obſerua legem Euangelicam; nàm videbis, quanta paſſus ſit Ieſus pro ſalute tua, fuge ingratitudinem, neque ſis immemor tantorum beneficiorum, time offenſionem propter beneficium; perfectus, & ſanctus eſt timor Domini propter ipſum Dominum, qui eſt ſolus diligendus, propter ſe, atque timendus; ne offendas illum, quia omnipotens eſt, bonus, iuſtus, & miſericors, Creator, atque Redemptor, & Glorificator, & quia ipſe prius dilexit nos; timor iſte ſic ſanctus erit pariter permanens in ſæculum ſæculi.

Iudicia Dei vera, iuſtificata in ſemetipſa. Neminem fallit Deus, Hieron. hic in ſemetipſo propter Vnitatem, in ſe enim iuſtificata ſunt præcepta Euangelica, non ſimus nobiſmetipſis ſapientes; quia vera ſunt iudicia Dei, & iuſtificata in ſemetipſa, non in hæreticorum commercio, non in diuiſione ſectarum illarum, ſed in Vnitate ſponſi, & ſponſæ Eccleſiæ ſuæ ſanctæ, cuius eſt interpretari de vero ſenſu, in Vnitate Spiritus ſancti. Neminem Euangelium, & Eccleſia Dei fallit, pacta, & promiſſiones Dei per ſe vera, & iuſtificata ſunt in ſemetipſa; nàm ſi de decem præceptis legis, quid magis iuſtificatum, honorare Deum; quid iuſtius? & ſi

de alijs est, de præmio reddendo iustis, quid sanctius? propter amorem Dei proximum amare, & in necessitatibus illi subuenire, quid naturalius, quid iucundius? & tandem, quid vtilius? nàm promittit, quod centuplum accipiemus, & vitam æternam possidebimus.

Iustificata sunt in semetipsa; nàm, & si Iudæorum aliqui, & Hæretici, non credunt, non per hoc incredulitas eorum euacuabit fidem: est enim Deus verax, & omnis homo mendax, sicut in Psalm. 50. num. 6. quia tibi soli peccaui, & malum coram te feci, vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cum iudicaris, ad Roman. cap. 3. num. 3. & 4. Adsit ergo charitas, quæ operit peccatorum multitudinem, 1. Petr. 4. num. 8. quia finis præcepti est charitas, 1. ad Timoth. 1. num. 5. de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta.

Demùm cùm Deus vnus sit, & vnus mediator Dei, & hominum, homo Christus Iesus, qui dedit in redemptionem semetipsum pro omnibus testimonium temporibus suis; in quo Paulus, & cæteri Apostoli positi sunt in fide, & veritate: Lex quoque Euangelica vera, & iustificata in semetipsa, quòd si ipsemet venit in mundum, vt nos redemptos iustificaret, nonnè iustificata sunt in ipso, & in semetipsis iudicia Dei? ad Timoth. 1. cap. 3. num. 16. & manifestè magnum est pietatis sacramentum, quo manifestatum est in carne, iustificatum est in spiritu, apparuit Angelis, prædicatum est gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria; Quæ, & desiderabilia certè super mel, & fauum, super omnia mundi Regna, dulcis est enim Dominus, & rectus, Psalm. 24. nu. 8. quàm dulcia sunt faucibus meis eloquia tua, Psalm. 118. num. 103. Spiritus Domini super mel dulcis, & hæreditas eius super mel, & fauum, Eccles. 24. nu. 27. & quid dulcius, quàm respicere in mandatis Domini? Eccles. 23. num. 37.

Iudicia ergo Domini vera, iustificata in semetipsa, Psalm. 24. num. 11. quia vniuersæ viæ Domini misericordia, & veritas requirentibus testamentum eius, & testimonia eius, & num. 15. & firmamentum est Dominus timentibus eum, & testamentum eius, vt manifestetur eis, & Eccles. cap. 18. num. 1. qui viuit in æternum, creauit omnia simul, Deus solus iustificabitur, & manet inuictus Rex in æternum; iudicia Dei vera, Prouerb. 8. num. 8. iusti sunt omnes sermones mei, & non est eis prauum quid, neque peruersum.

Desiderabilia super aurum, & lapidem pretiosum multum. Quia timor Domini odit malum, & melior est fructus obseruantiæ præceptorum Dei auro, & lapide pretioso, & genimina eius argento electo, Prouerb. d. cap. 8. nu. 19. & omne desiderabile illi non potest comparari, ibidem num. 11. nec comparaui illi lapidem pretiosum, quoniam omne aurum in comparatione illius arena est exigua, & tanquam lutum æstimabitur argentum in conspectu eius, Sap. 7. num. 8. & 9. non dabitur aurum obrizum pro ea, Iob cap. 28. num. 15. cum sequen. excelsa, & eminentia non memorabuntur comparatione eius, nec Topatius adæquabitur ei, & si vis scire quid sit sapientia vide eundem Iob in d. cap. 28. quia ecce timor Domini ipsa est sapientia, & recedere à malo intelligentia. Iudicia ergo Domini vera, iustificata in semetipsa, nàm dant intellectum vt recedas à malo, & timor Domini dat sapientiam, vt cognoscens Deum illi in simplicitate cordis tui seruias, & à malo diuertas, facit Sap. cap. 1.

Desiderabilia super aurum, & lapidem pretiosum, & dulciora super mel, & fauum. Nihil melius est quàm timor Dei, & nihil dulcius quàm respicere in mãdatis

Do-

Domini, d.cap.23.num.37. nihil est; quòd comparetur ei, & nihil dulcius quàm in lege Domini Euangelica respicere.

Comede ergo fili mi mel, quia bonum est, & fauum dulcissimum gutturi tuo, timeas Dominum; quia sapiens eris fortis, & doctus, robustus, & validus, Eccles. cap.24.nu.5.& 13. sic, & doctrina sapientum. Etenim seruus tuus custodit ea, & in custodiendis illis retributio multa, Ioan.15. num.10. Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea. Et amici mei eritis si feceritis, quæ ego præcipio vobis, num.13.& 15. diligi à Deo, & esse amicum Dei, non tibi videatur paruum, sed maximum beneficium; nam præter id, quod dicit, quòd fructum talium manebit, insuper & quodcunque petierint Patre in nomine Iesu, dabitur illis, num.16. noli autem regna petere, diuitiasq. atque aurum, quæ caduca sunt, sed cælestia, & æterna promittuntur, Matth.19.num.28.& 29. in via testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus diuitijs. Beati qui ambulant in lege Domini, & scrutantur testimonia eius, ideò in mandatis tuis exercebor, & in iustificationibus tuis meditabor.

Et aduerte quòd in eo Psalmo, qui est 118. Dei præcepta plurimis nominibus Dauid vocat, nempè mandata, æquitatem, iudicia, iustitias, iustificationes, testimonia, verbum, & sic in singulis ferè versibus facit illorum mentionem, vt num.30. Viam veritatis elegi, iudicia tua non sum oblitus; inclina Domine cor meum ad faciendas iustificationes tuas; custodiuit anima mea testimonia tua, & dilexit ea vehementer, num.167. eodem Psalm.118. seruaui mandata tua, & testimonia tua. Quæ sint verò ista mandata, vide Exod. d.cap.20.num.13. Matth. cap.19. num.18.

Fructus etiam quos ex illis percipiant serui Dei custodientes eadem mandata, in eodem Psalmo narrantur præcipuè à num.97. illorum siquidem custodia super inimicos prudentem facit super omnes docentes, & super senes intelligentem, custodit pedes à via mala; in custodiendis illis retributio multa: pax multa diligentibus eorum legem, & non est illis scandalum, nu.165. bonum est ergo mihi lex oris tui super millia auri, & argenti, ibidem numer. 72. seruus tuus custodit ea. Quàm dulcia ista sint custodiendo probat seruus tuus non loquendo, Augustinus.

Si etiam desideras eximiam qualitatem huius retributionis intelligere, vide Bernard. in Meditationibus. Præmium est videre Deum, qui est summum bonum, &c. In cuius conscientia peccatum non fuerit, videbit eum ad voluntatem, habebit ad voluptatem, fruętur eo ad iucunditatem, in æternitate vigebit, in puritate fulgebit, in bonitate gaudebit, hæc Bernard.

Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me, & ab alienis parce seruo tuo; Si mei non fuerint dominati tunc immaculatus ero, & emundabor à delicto maximo. Si paruulis datur sapientia, humilibus scilicet, quot sunt in mundo paruuli? quot sapientes? qui delictum superbiæ intelligant? qui velint humiles esse? nisi efficiamini sicut paruulus iste, non intrabitis in Regnum Cælorum, Matth. 18. nu. 29. Quis alteri subijcitur? Ingenio qui vult cedere nullus erit.

Obseruo mandatum Dei mei; sed insto vt primos accubitus habeam, cupiens ab alijs sic reputari obseruans præcepta, & vocari Rabbi.

Ab occultis meis munda me, & ab alienis adulatoribus, parce seruo tuo; Magister scimus, quia verax es, & viam Dei in veritate doces, hæc autem dicebant

Prouidens ergo Passionem Domini Psalmista, & orationem in Horto in agonia positi inquit.

Exaudiat te Dominus in die tribulationis, quando in Horto dicebas, Domine, si possibile est, transeat calix iste à me; veruntamen non mea voluntas fiat, sed adimpleatur tua, Matth. 26. num. 39. & 42. Marc. 14. num. 35. Luc. 22. num. 42. & 43. & 44. & factus est sudor eius, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram, & exauditus est; nàm apparuit illi Angelus de Cælo confortans eum.

Exaudiat ergo te Dominus in die tribulationis carnis assumptæ; protegat te hominem nomen Iesus, quod est nomen tuum Deus Iacob, nàm Dei filius, & homo tu es: protegat carnem tuam, Animamq. tuam, Diuinitas tua cum eadem carne assumpta existens, Ioan. cap. 10. nu. 17. ego pono animam à me ipso, & potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi eam; hoc mandatum accepi à Patre meo, ergo tu Iesu Christe exaudi animam tuam in tribulatione positam, Deus Iacob secundi Geniti filij Isaac, & sic Deus populi Christiani, quem ipse redemit sanguine suo. Exauditus est enim Iesus in die tribulationis suæ non pro omni populo, sed pro ijs, quos dedit illi Pater, quando orans dixisti, Pater, venit hora clarifica filium tuum; manifestaui nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi, pro eis rogo, non pro mundo, Ioan. cap. 17. num. 1. & 9. cum sequen.

Exaudiat Pater te Iesum Christum humanatum in die tribulationis tuæ, orantem enim illum videbat Propheta pro populo, quando Iesus dicebat, ignosce illis Domine, quia nesciunt, quid faciunt, & pro transgressoribus rogauit, Isai. 53. num. 12. nunquam enim Regem gloriæ crucifixissent, si talem agnouissent, Act. 3. num. 14.

Et loquens hic, Prophetam in auxilium humanitatis Christi inuocantem totam sanctam Trinitatem, ac dicentem, exaudiat te Dominus, scilicet Pater protegat te nomen Dei Iacob, idest Diuinitas tua, qui es filius Dei, hìc est, inquit filius meus dilectus, cui nomen Iesus, Mittat tibi auxilium de sancto, hìc est ille, de quo Ioan. 16. num. 7. si non abiero, Paraclitus non veniet ad vos: si autem abiero mittam eum ad vos.

Mittat tibi auxilium de sancto, Hieron. hoc est de semetipso, quia illa Diuinitas in suo corpore erat coniuncta. Et de Sion tueatur te, Augustin. Faciens tibi sanctificatum corpus, Ecclesiam de speculatione tutam, quæ expectat, quando venias. Ego verò ità dicere auderem, Domine tu vides, quia omnes derelinquent eum, & qui iuxtà illum erunt, de longè stabunt, & vim facient, qui quærunt animam eius, Ioan. 16. num. 32. tribulatio proxima est, & non est qui adiuuet, Psalm. 21. num. 12. nihil aliud in auxilium suum remanet in hoc mundo, nisi tu de Sion, idest de Cælo illud mittas, & illum tuearis, per Sion enim Cælum accipi testatur, Paul. ad Hebr. 12. num. 22. sed accessistis ad Sion Montem, & Ciuitatem Dei viuentis, Ierusalem cælestem, &c.

Exaudiat te Dominus in die tribulationis orabat enim Iesus, Ioan. 12. num. 27. nunc autem anima mea turbata est, & quid dicam? Pater clarifica me ex hac hora, sed propterea veni in hanc horam, Pater clarifica nomen tuum; Et venit auxilium de Cælo, vox enim audita est de Cælo, & clarificaui, & iterum clarificabo, &c. & ecce quia exauditus est Iesus in eadem hora de eo, propter quod venit in mundum, ibidem num. 31. Nunc iudicium est mundi, nunc Princeps huius mundi eijcietur foras, & ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum, confidite, ego

vici

vici mundum, Ioan. d. cap. 16. nu. 33. & in Mundum venit, vt vitam daret mundo, Ioan. 5. num. 17. & in cap. 12. num. 47. & in cap. 6. num. 33.

Hanc faciebat Iesus orationem; vt per ipsum mundus saluaretur, non pro se, quia sponte oblatus est, & quia voluit, & non aperuit os suum, & sicut ouis ad occisionem ductus est, Isai. d. cap. 53. num. 7. & num. 11. pro eo quod anima eius laborabit, videbit, & saturabitur, in scientia sua iustificabit ipse iustus seruus meus multos, & iniquitates eorum ipse portabit, Isai. d. cap. 53. num. 11. sic ergo precabatur Psalmista Deum, vt orationem eiusdem Iesu Christi exaudiret pro salute populi, pro quo seipsum ille Agnum immaculatum obtulit Deo Patri.

Protegat, inquit, te nomen Dei Iacob, nomen tuum, quod est Iesus Saluator, protegat, vt salues, quos saluare prædestinasti. Tibi tribuat auxilium de Sancto, non solum vt salues Ecclesiam tuam sanctam, & omnes, qui in futurum credent in te verum filium Dei Saluatorem, sed de Sion Monte, idest de Cælo, semper illam, & illos tueatur; propterea quippe ipsemet Iesus dixit; ecce vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi, neque relinquam vos orphanos, &c.

Memor sit omnis sacrificij tui, & holocaustum tuum pingue fiat; sacrificium omne Iesu Christi, fuit tota vita eius in tribulatione semper posita. Quamdiu vos patiar? quamdiu vobiscum ero? Consideremus quanta à Natiuitate sua is passus sit, in Præsepio, in medio animalium, in tempore magni frigoris; tum quum animam pueri quærebant, ad perdendum, fugere necesse fuit. Accipe Puerum, & Matrem eius, & fuge in Ægyptum, &c. Matth. 2. num. 13. & iterum, surge, & vade in terram Israel, num. 20. & timens ibi permanere, secessit in partes Galilææ, num. 23. subditus Mariæ, & Ioseph: in deserto per quadraginta dies permansit, & ieiunauit, voluit à Diabolo tentari, & tandem totum vitæ eius cursum, si considerare velis, totus in labore, in afflictione, in tribulatione, fatigatus, illusus, flagellatus, & crucifixus, qui nunquam visus est ridere, flere autem sic.

Tota ergo vita sua sacrificium Deo Patri fuit, quia semper in tribulatione posita fuit, Psalm. 50. num. 19. Sacrificium Deo spiritus contribulatus, propterea omnis sacrificij tui memor sis Deus Pater, & holocaustum pingue fiat: pingue per multitudinem credentium, & in fine vnus Pastor, & vnum ouile, Ioan. 10. num. 16. omnia enim trahet ad seipsum: pingue fiat, vt nullus pereat, vt omnes vnum simus, Ioan. d. cap. 17. per totum.

Memor sis omnis sacrificij tui, Thren. 3. num. 19. Recordare paupertatis, & transgressionis meæ, absynthij, & fellis; & num. 58. vidisti Domine iniquitatem illorum aduersum me, omnem furorem, vniuersas cogitationes, & opprobrium eorum, labia insurgentium mihi, & meditationes eorum aduersum me tota die, memor sis omnis sacrificij tui, & holocaustum pingue fiat; hoc est Mors tua sit omnium vita credentium. Omnis sacrificij tui, nam laudis etiam sacrificium dicitur, & iustitiæ, Psalm. 4. nu. 6. sacrificate sacrificium iustitiæ, & Psalm. 49. nu. 14. immola Deo sacrificium laudis, & in d. Psalm. 49. num. 23. sacrificium laudis honorificabit me; Iesus verò ad hoc venit in mundum, vt manifestaret nomen Dei, & clarificaret, Ioan. d. cap. 17.

Memor sis omnis sacrificij tui, quia mandatis Dei attendit, Eccles. 35. num. 1. sacrificium salutare est attendere mandatis, & discedere ab omni iniquitate; nam in ore eius, non inuentus est dolus; neque aliquis potuit arguere illum de peccato, Ioan. 8. num. 46. propterea Pater me diligit, Ioan. 10. num. 17. quia pono animam meam,

meam, vt iterum assumam eam: quia peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius, 1. Petr. 2. num. 22. Isai. 53. num. 9. 1. Ioan. 3. num. 5. immo, omnis, qui in me manet, non peccat, ibidem, Ioan. num. 6. & qui peccat, non vidit eum, nec cognouit eum. Non ergo solum Iesus Christus sacrificium bonorum operum, & tribulationum obtulit Deo Patri, & laudis, verùm etiam & holocaustum sui proprij corporis immolatum, & crucifixum, mortemque, atque sepulturam; vt existens in sepulchro, corpora Sanctorum multorum è sepulchro viuificaret. Pingue ergo factum holocaustum Domini Iesu, cum secum traxerit in Cælum corpora Sanctorum Patrum, & parauerit animis nostris iter patens ad illud ingrediendum; vt secum bonis Paradisi perfruamur, Isai. d. cap. 57. num. 23. qui autem fiduciam habet mei, hæreditabit terram, & possidebit Montem sanctum meum, & num. 15. hæc dicit Dominus, & sublimis habitans æternitatem, & sanctum nomen eius in excelso, & in sancto habitans, & cum contrito, & humili spiritu, &c.

Tribuat tibi secundum cor tuum, & omne consilium tuum confirmet; consilium Sanctissimæ Trinitatis id, vt homo redimeretur per illum, qui se obtulit. Quis fuerit ille missus, declarat idem Dominus per Isai. 44. num. 16. Audite hæc: non in abscondito locutus sum, ex tempore, antequam fieret, ibi eram; & tunc Dominus meus misit me, & spiritus eius, si Dominus, & spiritus eius misit, ergo erat qui missus est filius; cuius postmodum cor, & caro exultauerunt in Deum viuum, vt faceret voluntatem Patris, Ioan. 4. num. 34. Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius, qui misit me, & perficiam opus eius, & cap. 5. num. 36. opera, quæ dedit mihi Pater, vt perficiam, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me; vide ergo quomodò ipsemet Iesus declarat, quis illum miserit, per Ioan. d. cap. 5. num. 36. sicut, & ex d. Isai. expressè colligitur.

Tribuat tibi secundum cor tuum, qui ideò venisti, vt opera Diaboli dissolueres, 1. Ioan. 3. & vt filij Dei nominemur, & simus, num. 1. & num. 8. & est fidelis sermo, & omni acceptione dignus, quòd Christus Dominus venit in hunc mundum peccatores saluos facere, 1. ad Timoth. num. 15. Luc. cap. 19. num. 10. Matth. 18. num. 11.

Tribuat tibi secundum cor tuum, vt mundus per te habeat vitam; & saluetur, Ioan. dicto cap. 6. num. 13. Augustin. compleat omne consilium tuum, non solum quòd animam tuam posuisti pro amicis tuis, vt mortificatum granum copiosius resurgeret, sed etiam quòd cæcitas ex parte in Israel facta est, vt plenitudo gentium intraret, & sic omnis Israel saluus fieret, hæc Augustin. omne consilium tuum confirmet Deus Pater, vt bonis præmium largiaris, malis verò, qui nec credunt, punitionem. Festinet, & citò veniat, inquiunt illusores, opus eius; vt videamus, & appropriet, & veniat consilium sancti Israel, & sciemus illud, Isai. 5. num. 19. Descendat nunc de Cruce, si filius Dei est, & credemus ei, Matth. 27. num. 40. Luc. 23. num. 35. & Marc. 15. num. 32. ignorant enim, quia consilium Domini manet in æternum, Psalm. 32. nu. 11. & cogitationes eius in generatione, & generationem. Non crediderunt illusores illi, Prophetæ minanti, cogitabant enim Deum dereliquisse terram, iuxtà illud Ezech. cap. 9. num. 9. & Dominus non videt, proptereà veh illis, qui talia cogitabant: nec Iesu Christo crediderunt, quia oculus Domini non parcet eis, nec miserebitur, Ezech. d. cap. 9. nu. 10. Isai. 5. num. 28. sagittæ eius acutæ, & omnes arcus eius extensi: ad nihilum deuenient, & tamquam aqua decurrens: intendit arcum suum donec infirmentur, Psalm. 57. num. 8.

num. 8. Ecce festinus, velociter, sicut promisit, venit, non fuit deficiens, neque laborans in eo: non dormitat, neque dormit, neque soluitur cingulum renum eius, nec rumpitur corrigia calceamenti eius, Isai. d. cap. 5. nu. 26. & 27.

Firmetur consilium, inquit Propheta, omne tuum, idest festina aduentum tuum, vt redimas nos. Non dubitauit, consilium Domini firmum esse cum nosset, illud esse æternum; sed opere inquit, firmetur consilium tuum, vt citius venias, & redimas, infidelesq. condemnes, non quia proprium aliud sit ei, quàm parcere, & misereri, sed quia pœna debetur illis ex transgressione; Isai. 28. num. 21. vt operetur opus suum, idest iudicium vindictæ, peregrinum est opus eius ab eo, quia, vt dixi, proprium est misereri; ideò dicit Isai. peregrinum opus eius. Lætabitur tamen iustus, cum viderit vindictam, Psalm. 57. num. 11. lætabitur non amore vindictæ, sed amore iustitiæ, non in malo impiorum, sed in bono ipsius iusti, quia tales pœnas euasit, & bonis cælestibus fruitur, Isai. 65. num. 14. ecce serui mei lætabuntur, & vos confundemini, ecce serui mei laudabunt præ exultatione cordis, & vos clamabitis præ dolore cordis, & præ contritione spiritus vlulabitis, hæc Isai.

Iusti verò, dicit Psalmista, lætabuntur in salutari tuo, quia tu salutem omnibus gentibus præstitisti, Isai. 25. nu. 9. lætabimur in salutari tuo, quia, qui dimissi erant dispersi, veniunt collecti ab Oriente vsque ad Occidentem in verbo Sancti gaudentes in honorem Dei, Baruch 4. num. 7. nàm populus tuus omnes iusti, Isai. cap. 60. num. 21. & in nomine Dei nostri magnificabimur, quia merces eius cum Saluatore nostro, qui venit; & opus eius coram illo, & vocabunt nos populus sanctus, redempti à Domino, Isa. 62. num. 11. & si iusti erimus, in perpetuum hæreditabimus terram, & possidebimus Montem sanctum eius, Isai. d. cap. 57. num. 13. & ipse cum nobis habitabit, num. 14. & 15.

Exultemus ergo, & lætemur in misericordia Dei, Psalm. 30. num. 8. gaudete fratres, dicit Augustin. quia redemptionis pretium solutum est, non modica quantitate constamus, quibus omne factus est pretium, qui redemit, nascitur, vt doceret, moritur vt sanaret, Crux fuit mortifera Christo, sed salutifera Christiano, Augustin. in nomine tuo magnificabimur, quia tu benignus es super ingratos, & malos, Luc. 6. num. 35. nàm si ad te conuersi erimus, nec tu iniquitatis nostræ recordaberis, & nos salui erimus, & non erunt in memoria priora, Isai. 65. num. 17. quia tu potestatem habes dimittendi peccata, Luc. 5. nu. 12. & propterea in mundum venisti, vt illa tolleres, & deleres; nosq. redempti in nomine tuo magnificabimur & lætabimur, quia morte, & passione tua redempti sumus.

Sed aduerte, quòd Psalm. incipit à tribulatione, vt cogites; non in solo nomine Iesu te magnificari; dixit enim ipse. Qui vult venire post me, tollat Crucem suam, & sequatur me, abnegans seipsum; fides enim sine operibus mortua est, Iacob. 2. num. 17. & 20. sicut enim corpus sine spiritu mortuum est, ità fides sine operibus mortua est. Magnificaberis ergo, si ex operibus iustificaberis, exultant enim iusti in Domino, & gloriantur omnes recti corde, Psalm. 31. nu. 11. in lætitia verò huius mundi cor stultorum est, Eccles. 7. num. 1. Vis tamquam seruus Iesu vocari nomine alio, idest nomine eiusdem Iesu Christi, Isai. 65. num. 1. habeas etiam facta, quæ Christiano necessaria sunt. Christiani nomen bonum est, curam habeas de boni nominis conseruatione, Eccles. 41. num. 15. Isid. lib. 7. Ethic. non se glorietur Christianum esse, qui nomen habet, & facta non habet, vbi autem fidei Christianæ iunctum fuerit opus, certissimè, & iste Christianus est, quia se factis ostendit Chri-

Christianum, ambulans, sicus Christus ambulabat, & tales benè dicunt, in nomine tuo magnificabimur, quia tecum ambulantes, & in via sequimur vestigia tua.

Non confidamus ergo in verbis mendacij, dicentes, Christianus sum, Templum Domini, Templum Domini, Templum Domini est, quoniam si benè direxerimus vias nostras, & studia nostra, tunc lætabitur Dominus nobiscum in loco isto, Ierem. 7. num. 3. & 4.

Impleat Dominus omnes petitiones tuas, nunc cognoui, quoniam saluum fecit Dominus Christum suum; Nunc ait Psalmista quando vidit per reuelationem, Dominum passurum: pro eius liberatione, seù alleuiatione doloris, precabatur, videns etiam Dominum Iesum Christum pro salute vocatorum, & prædestinatorum rogaturum, Ioan. dicto cap. 17. per totum; serua illos, quos dedisti mihi; dixit.

Impleat Dominus omnes petitiones tuas, quales eæ fuere: clarifica me Pater claritate, quam habui, priusquam mundus fieret, Ioan. d. cap. 17. per totum. Nunc, dicit Propheta, quando accepit Spiritum sanctum, tunc cognouit, quòd saluaret Deus Pater filium suum; hæc Hieron. Impleat Dominus petitiones tuas, vt obtineas scilicet omnia, per quæ in mundum venisti, saluationem humanæ naturæ, quia iàm nunc cognosco, quòd Dominus saluum te fecit Christum suum; & quia resurgens à mortuis, ad Dei Patris dexteram permanes. Impleat petitiones tuas, quas, & in terra fudisti; & quibus nunc ad dexteram sedens Dei Patris, semper interpellas pro nobis, Paul. ad Roman. cap. 8. nu. 34. nunc cognoui, quia saluum fecit Dominus Christum suum, & ideò.

Exaudiet te de Cælo sancto suo, sicut exaudiuit, & de terra: itaut fieri nequeat, vt absque illo quis possit saluari; quia in ipso solo est salus quantuncunque potentium, quatenus ex brachio Domini auxilium habuerint, & propterea dicit.

In potentatibus salus dexteræ eius, quia non est alia salus nisi in brachio Iesu Christi.

Hi in curribus, & hi in equis, in quibus non est salus; nos autem in nomine Domini inuocabimus; ipsi obligati sunt, quia funibus peccatorum ligati, & ideò impœnitentes in infernum ceciderunt; Nos verò resurreximus, quia licet aliàs mortui essemus peccato, per Baptismum resuscitati sumus in Christo, & erepti de morte ad vitam, atque in infernum propemodum lapsi, erepti sumus in Cælum.

Domine saluum fac Regem Iesum Christum humanatum, & exaudi nos in die, qua inuocauerimus te, in die lucis nostræ fidei, & obseruationis mandatorum tuorum, in qua iustè inuocauerimus te, quia tunc exaudies.

Vel alio modo exponamus. In Potentatibus salus dexteræ eius; ac si dicatur, vis saluus fieri, & à dextera Dei defendi? non confidas in potentia tua, quæ inanis est, sed sis instar illorum Potentatum, de quibus dicitur, non in gladio suo possederunt terram; neque brachium eorum saluauit eos; sed dextera Dei, & brachium sanctum eius, quoniam complacuit in eis, hæc coram illo proferas. Quia peccauimus tibi Domine, propterea tunc repulisti, & confundisti nos, & auertisti nos retrorsum post inimicos nostros, & tamquam oues escarum in gentibus dispersisti nos, hæc venerunt super nos, quia obliti sumus te: In Potentatibus sit modò salus, & victoria nostra à dextera tua potentissima procedens.

Quia

Quia in te credimus Iesu Christe, & in te est spes nostra, & salus nostra; non in equis, & in curribus, neque enim sumus sicut potentes ij, qui victoriam ex suis equis, & curribus sibi arrogant; & non ex te Domine, ligati funibus superbiæ, dicentes: manus nostræ fecerunt, & non Deus, hæc omnia.

Nos pœnitentes Christiani in nomine Domini inuocabimus, illi in eorum potentia confisi, & obligati ceciderunt, nos autem surreximus à via mala, & à morte peccati, & erecti sumus; quia Dominus de Cælo sancto suo Iesum Christum pro nobis interpellantem exaudiuit, illi descenderunt in infernum viuentes, nos autem de manibus illorum liberati, & erecti in Cælum ascendemus.


Domine saluum fac Regem, hoc est salua nobis Regem Christum Dominum nostrum, protectorem, & Saluatorem; qui compatiens infirmitatibus carnis nostræ, quam ille assumpsit, sit nobis apud te perpetuus intercessor, vt in die, qua inuocauerimus te exaudias nos.

Vel dicamus; In Potentatibus salus dexteræ eius, nàm cum vita nostra militia sit super terram, Iob 7.num.1. qui benè, & fortiter aduersus insidias Diaboli pugnauerit, hic fortis est, & potens vir apud Dominum erit; facit quod dicit S.Thom.2.2.quæst.43.art.5. sed contrà, & art.6. pusilli scandalizantur, non fortes, non magnates, abstinent enim ab omni malo, & ab omni specie mali, neque scandalum recipiunt, ex D.Hieron.super Matth. qui scandalizauerit vnum ex pusillis istis, paruulus, inquit, scandelizatur, maiores enim scandala non recipiunt, Psalm.118.num.165. pax multa diligentibus legem tuam. De hac potentatum in spiritali militia fortitudine dicitur: Non est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem, sed aduersus Principes, & potestates, aduersus mundi Rectores tenebrarum harum, contrà spiritualia nequitiæ in cælestibus, ad Ephes.6.num.12. & deponentes omne pondus, & circunstans nos peccatum per patientiam currunt ad propositum sibi certamen, aspicientes in auctorem fidei, & consummatorem Iesum, ad Hebr.12.nu.1.& 2. & in disciplina perseuerauerit vsque in finem, Prouerb.3.num.11. In Potentatibus cælestibus computabitur salus eius dexteræ Domini.

Hi verò in curribus, & in equis habent potentiam, in illis gloriantur, & confidunt, nos autem, qui in Deo credimus, & præcepta eius seruamus, in nomine Domini inuocabimus; illi in equis luxuriæ, & curribus superbiæ alligati, & obligati ceciderunt; nos verò à Tyrannide illorum erepti surreximus, & erecti sumus, & in magna constantia stabimus aduersus eos, qui nos angustiauerunt, & abstulerunt labores nostros, Sap.cap.5.num.1. erecti sumus, quia regnum decoris, & diadema speciei, de manu Domini recipiemus, quoniam dextera sua protexit nos, regit nos, & brachio sancto suo defendit nos.

In potentatibus salus dexteræ eius, quia accipiemus armaturam, zelus Dei cum ille armabit creaturam suam ad vltionem inimicorum, d. Psalm.50. num.17.

Domine saluum fac Regem nostrum Christum, qui tali corona gloriæ coronauit iustum, & exaudi nos in die ista conflictationis, & pugnæ, in qua semper inuocamus te, ità fiat Iesu pie, Iesu dulcissime, Auctor, & Redemptor vitæ nostræ.



SOLILOQVIVM.

EXAVDI nos Deus in tribulatione diei huius, dum in hoc mundo versamur, protegetq. nos Iesus Christus, Deus Iacob; mittens nobis de sancto monte suo, de monte gratiarum suarum excelso, auxilium. Has oblationes nostras, & holocaustum in conspectu suo faciat, quas ex corde puro proferimus, quia tunc, si acceptaueris illas, læti in nomine tuo magnificabimur. Iàm te Christum à mortuis incolumem, & saluum resurrexisse confitemur, & ad dexteram Dei Patris pro nobis interpellantem te sedere cognoscimus, in cuius dextera salus nostra, si firmi, & fortes contrà Diabolicos incursus steterimus.

Non in curribus, & equis, non in commessationibus, & ebrietatibus salus nostra, sed in nomine tuo Iesu Christe surrecturos speramus, & erigendos; Tametsi, & nos per peccatum iàm mortui fuerimus, sicut, & potentes, quorum spes in mundo est, quiuè ceciderunt, & in inferno colligati sunt; Attamen ope tua diuina surreximus, & erecti sumus, Domine Iesu, adauge fidem nostram in te, qui es Rex noster, & in die huius cognitionis, & infirmitatis nostræ, atque pœnitentiæ, in qua inuocamus clementiam tuam, exaudi nos, protege nos, salua nos, libera nos ab omni peccato, ab ira tua, & ab insidijs Diaboli, vt victores contrà illum magis potentes in gratia tua perseueremus: Fiat ità Domine Iesu per immensam charitatem tuam, propter quam, vt nos liberares in mundum venire dignatus es, & pro nobis mori crucis morte, Iesu audi nos, Iesu exaudi nos, succurre nobis; & tu Pia Dei Genitrix. Amen.

IN PSALMVM XX.

Domine in virtute tua lætabitur Rex: & super salutare tuum exultabit vehementer.



AD præcedentem Psalmum ità continuatur. In illo XIX. Psalmo rogabat Deum, vt in prælio, quod erat Iesus Christus facturus cum Diabolo, protegeret illum; & auxilium ei mitteret: in isto verò XX. gratias agit Deo de protectione, exaltatione, & de eius coronatione.

Summa hæc est, Dauid in spiritu vidit Dominum Iesum Christum à Deo Patre, benedictionibus dulcedinis præuentum, & corona de lapide pretioso coronatum, ac de sua Resurrectione exultantem.

Domine in virtute tua lætabitur Rex. Veniat, nescio, quis Iudæus, aut Infidelis, & mihi dicat, quis sit ille Dominus, quæ sit illa virtus, & tandem quis ille Rex, qui lætatur. Quòd Dominus sit Deus non est dubium; & quid intelligatur per virtutis nomen declaratur, Act. cap. 1. num. 8. accipietis virtutem Spiritus sancti, igitur Spiritus sanctus est virtus Dei, Rex verò est Iesus Christus filius Dei viui, à Deo vir approbatus, in nobis, virtutibus, & prodigijs, & signis, quæ fecit Deus per illum, in medio Iudæorum hunc definito consilio, & præscientia Dei traditum, per manus iniquorum affligentes interemistis, dicebat Petrus Israelitis, Act. cap. 2. num. 22. Et quare Rex noster lætatur, quia Deus illum suscitabit, solu-

solutis doloribus inferni, iuxtà quòd impossibile erat teneri illum ab eo, dicit Petr. ibidem num. 24. Quòd virtus Dei sit spiritus eius habemus, Psalm. 30. num. 6. Verbo Domini Cæli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum: in virtute sua lætabitur, quia requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ, & intellectus, spiritus consilij, & fortitudinis, Isai. cap. 11. num. 2. in virtute tua, quòd verbum caro factum est, quia Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi, Luc. 1. num. 35. ideòq. quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur filius Dei.

Aliter. In virtute tua Domine, idest in filio tuo, virtus enim, vel sapientia Patris est filius, Rex animæ scilicet Christi, quæ ab æterno prædestinata est, lætatur virtute Diuinitatis, quæ carnem sibi vniuit assumptam; Rex enim est Christus, Matth. 2. num. 2. vbi est, qui natus est Rex Iudæorum? Luc. 23. num. 23. neque de alio Rege, nisi de Christo Iesu potuit intelligere, qui est Rex Regum, & Dominus dominantium; nàm quis alius Rex in benedictionibus dulcedinis præuentus natus est sine peccato? Cui corona à Deo in capite de lapide pretioso imposita est, & vita data in longitudinem dierum, in sæculum, & in sæculum sæculi semper viuens? in benedictionem datus est ne alius Rex in sæculum sæculi? in ipso Iesu benedicuntur omnes gentes in sæculum sæculi, quis lætificatus in gaudio cum vultu Domini Dei.

De Rege ergo Iesu Christo Messia loquitur Psalmista, de quo idem alibi, Dominus virtutum, ipse est Rex gloriæ Dominus fortis, & potens, Dominus potens in prælio.

Dominus ergo Pater, & Spiritus Sanctus lętificarũt Regem verbum humanatum, quod exultauit vehementer in salute, quam dat Pater credentibus in ipsum filium suum. Vndè benè hunc Psal. XX. Hebræorum antiqui Doctores interpretantur de verò Messia, & de Regno eius glorioso, neque de alio verè valet aliqua alia expositio, quia nec verba illius, vt suprà dictum est alteri cuilibet adaptari possunt, vel Angelorum, vel hominum.

Domine in virtute tua lætabitur Rex, & in salutari tuo exultabit vehementer, dicit August. hic: Quòd viuificas omnia, exultabit vehemẽter mortuus enim erat homo peccato: propterea missus à Patre, & Spiritu sancto est filius, vt viuificando redimeret electos suos.

Desiderium cordis eius tribuisti ei. Exultabit vehementer, quia adimplebit voluntatem Patris, vt esset Redemptor, & in effectu redimeret sanguine tuo filios hominum: Vndè cum aliàs dixisset delitias suas esse cum filijs hominũ, Prouerb. cap. 8. nu. 31. De desiderio suo vt moreretur pro illis ipsemet Iesus desiderabat, eo in extremo vitæ suæ paschate manducare cum Discipulis antequã pateretur, Luc. cap. 22. nu. 15. & oblatus est, quia voluit, Isai. d. cap. 53. nu. 6. Vis videre desideria cordis eius? Ideò venit, vt homo esset Templum Dei, & spiritus Dei habitaret in illo, Ioan. 3. num. 16. nescitis, quia Templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in vobis, & Ioan. 13. num. 1. cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos, & sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos, Ioan. 15. num. 9. vos autem dixi amicos, ibidem num. 15. manete in me, & ego in vobis, ibidem num. 3.

Aliter dicamus, Domine in virtute tua lætabitur Rex, hoc est, Domine fili venies, & assumes humanitatem nostram, & liberi erimus à morte perpetua; nàm in virtute tua, tu enim es potentia Patris, lætabitur humanitas à te assumpta, tuq.

de alijs est, de præmio reddendo iustis, quid sanctius? propter amorem Dei proximum amare, & in necessitatibus illi subuenire, quid naturalius, quid iucundius? & tandem, quid vtilius? nàm promittit, quod centuplum accipiemus, & vitam æternam possidebimus.

Iustificata sunt in semetipsa; nàm, & si Iudæorum aliqui, & Hæretici, non credunt, non per hoc incredulitas eorum euacuabit fidem: est enim Deus verax, & omnis homo mendax, sicut in Psalm. 50. num. 6. quia tibi soli peccaui, & malum coram te feci, vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cum iudicaris, ad Roman. cap. 3. num. 3. & 4. Adsit ergo charitas, quæ operit peccatorum multitudinem, 1. Petr. 4. num. 8. quia finis præcepti est charitas, 1. ad Timoth. 1. num. 5. de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta.

Demùm cùm Deus vnus sit, & vnus mediator Dei, & hominum, homo Christus Iesus, qui dedit in redemptionem semetipsum pro omnibus testimonium temporibus suis; in quo Paulus, & cæteri Apostoli positi sunt in fide, & veritate: Lex quoque Euangelica vera, & iustificata in semetipsa, quòd si ipsemet venit in mundum, vt nos redemptos iustificaret, nonnè iustificata sunt in ipso, & in semetipsis iudicia Dei? ad Timoth. 1. cap. 3. num. 16. & manifestè magnum est pietatis sacramentum, quo manifestatum est in carne, iustificatum est in spiritu, apparuit Angelis, prædicatum est gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria; Quæ, & desiderabilia certè super mel, & fauum, super omnia mundi Regna, dulcis est enim Dominus, & rectus, Psalm. 24. nu. 8. quàm dulcia sunt faucibus meis eloquia tua, Psalm. 118. num. 103. Spiritus Domini super mel dulcis, & hæreditas eius super mel, & fauum, Eccles. 24. nu. 27. & quid dulcius, quàm respicere in mandatis Domini? Eccles. 23. num. 37.

Iudicia ergo Domini vera, iustificata in semetipsa, Psalm. 24. num. 11. quia vniuersæ viæ Domini misericordia, & veritas requirentibus testamentum eius, & testimonia eius, & num. 15. & firmamentum est Dominus timentibus eum, & testamentum eius, vt manifestetur eis, & Eccles. cap. 18. num. 1. qui viuit in æternum, creauit omnia simul, Deus solus iustificabitur, & manet inuictus Rex in æternum; iudicia Dei vera, Prouerb. 8. num. 8. iusti sunt omnes sermones mei, & non est eis prauum quid, neque peruersum.

Desiderabilia super aurum, & lapidem pretiosum multum; Quia timor Domini odit malum, & melior est fructus obseruantiæ præceptorum Dei auro, & lapide pretioso, & genimina eius argento electo, Prouerb. d. cap. 8. nu. 19. & omne desiderabile illi non potest comparari, ibidem num. 11. nec comparaui illi lapidem pretiosum, quoniam omne aurum in comparatione illius arena est exigua, & tanquam lutum æstimabitur argentum in conspectu eius, Sap. 7. num. 8. & 9. non dabitur aurum obrizum pro ea, Iob cap. 28. num. 15. cum sequen. excelsa, & eminentia non memorabuntur comparatione eius, nec Topatius adæquabitur ei, & si vis scire quid sit sapientia vide eundem Iob in d. cap. 28. quia ecce timor Domini ipsa est sapientia, & recedere à malo intelligentia. Iudicia ergo Domini vera, iustificata in semetipsa, nàm dant intellectum vt recedas à malo, & timor Domini dat sapientiam, vt cognoscens Deum illi in simplicitate cordis tui seruias, & à malo diuertas, facit Sap. cap. 1.

Desiderabilia super aurum, & lapidem pretiosum, & dulciora super mel, & fauum. Nihil melius est quàm timor Dei, & nihil dulcius quàm respicere in mãdatis

Domini, d.cap.23.num.37. nihil est; quòd comparetur ei, & nihil dulcius quàm in lege Domini Euangelica respicere.

Comede ergo fili mi mel, quia bonum est, & fauum dulcissimum gutturi tuo, timeas Dominum; quia sapiens eris fortis, & doctus, robustus, & validus, Eccles. cap.24.nu.5.& 13. sic, & doctrina sapientum. Etenim seruus tuus custodit ea, & in custodiendis illis retributio multa, Ioan.15. num.10. Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea; Et amici mei eritis si feceritis, quæ ego præcipio vobis, num.13.& 15. diligi à Deo, & esse amicum Dei, non tibi videatur paruum, sed maximum beneficium; nàm præter id, quod dicit, quòd fructus talium manebit, insuper & quodcunque petierint Patre in nomine Iesu, dabitur illis, num.16. noli autem regna petere, diuitiasq. atque aurum, quæ caduca sunt, sed cælestia, & æterna promittuntur, Matth.19.num.28.& 29. in via testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus diuitijs. Beati qui ambulant in lege Domini, & scrutantur testimonia eius, ideò in mandatis tuis exercebor, & in iustificationibus tuis meditabor.

Et aduerte quòd in eo Psalmo, qui est 118. Dei præcepta plurimis nominibus David vocat, nempè mandata, æquitatem, iudicia, iustitias, iustificationes, testimonia, verbum, & sic in singulis ferè versibus facit illorum mentionem, vt num.30. Viam veritatis elegi, iudicia tua non sum oblitus; inclina Domine cor meum ad faciendas iustificationes tuas; custodiuit anima mea testimonia tua, & dilexit ea vehementer, num.167. eodem Psalm.118. seruaui mandata tua, & testimonia tua. Quæ sint verò ista mandata, vide Exod. d.cap.20.num.13. Matth. cap.19. num.18.

Fructus etiam quos ex illis percipiant serui Dei custodientes eadem mandata, in eodem Psalmo narrantur præcipuè à num.97. illorum siquidem custodia super inimicos prudentem facit super omnes docentes, & super senes intelligentem, custodit pedes à via mala; in custodiendis illis retributio multa: pax multa diligentibus eorum legem, & non est illis scandalum, nu.165. bonum est ergo mihi lex oris tui super millia auri, & argenti, ibidem numer.72. seruus tuus custodit ea. Quàm dulcia ista sint custodiendo probat seruus tuus non loquendo, Augustinus.

Si etiam desideras eximiam qualitatem huius retributionis intelligere, vide Bernard. in Meditationibus. Præmium est videre Deum, qui est summum bonum, &c. In cuius conscientia peccatum non fuerit, videbit eum ad voluntatem, habebit ad voluptatem, fruetur eo ad iucunditatem, in æternitate vigebit, in puritate fulgebit, in bonitate gaudebit, hæc Bernard.

Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me, & ab alienis parce seruo tuo; Si mei non fuerint dominati tunc immaculatus ero, & emundabor à delicto maximo. Si paruulis datur sapientia, humilibus scilicet, quot sunt in mundo paruuli? quot sapientes? qui delictum superbiæ intelligant? qui velint humiles esse? nisi efficiamini sicut paruulus iste, non intrabitis in Regnum Cælorum, Matth.18. nu.29. Quis alteri subijcitur? Ingenio qui vult cedere nullus erit. Obseruo mandatum Dei mei; sed insto vt primos accubitus habeam, cupiens ab alijs sic reputari obseruans præcepta, & vocari Rabbi.

Ab occultis meis munda me, & ab alienis adulatoribus, parce seruo tuo; Magister scimus, quia verax es, & viam Dei in veritate doces, hæc autem dicebant

tentantes eum, Ioan. 8. num. 8. Ab occultis meis munda me; & à suggestionibus Diaboli, & ab occasione peccandi, parce seruo tuo, idest ne permittas tentari vltrà vires.

Si ergo mei non fuerint dominati, & iactantia mea non me extollat, cupiditas terrenorum non me teneat, sensus mei non me conturbent; oculiq. non peccent lubrici; Tunc immaculatus ero, & emundabor à delicto maximo, ad Romanos 7. nu. 23. Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi Dei mei, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis, infælix homo, quis me liberabit de corpore mortis huius.

Ab occultis munda me, Augustin. Tolle mihi ex corde malam cogitationem, repelle à me malum suasorem, hoc est ab occultis munda me, & ab alienis parce seruo tuo: Diabolus etiam à principio sui delicti cecidit, & posteà Adam deiecit, Genes. 3. num. 6. Psalm. 35. num. 12. non veniat mihi pes superbiæ, & manus peccatoris non me moueat, & Psalm. 36. nu. 5. & 9. noli æmulari in eo, qui prosperatur in vita sua, & in homine faciente iniustitias: noli æmulari, vt maligneris, num. 8. manus peccatorum non moueat te, dicto Psalm. 35. hoc est ab alienis parce seruo tuo; August. dicamus ergo Domino, qui nouit videre quod purget, nouit inspicere quod sanet, illi dicamus.

Ab occultis meis munda me, & ab alienis parce seruo tuo, hæc Augustin. nos verò voluntatem abnegantes nostram, vt Deo seruire valeamus sine macula, ne nostri nobis dominentur sensus, profitemur, declaramus, & ità volumus; quia tunc immaculati erimus, & emundabimur à pressura carnis, & à cogitationibus iniquis, & cupiditatibus, quæ sunt delicta maxima; quæ in mente fixa semper esse videntur; & Dominum rogemus, vt secundum verbum suum gressus nostros dirigat, & non dominetur nobis iniustitia, omnisq. iniquitas. Et tunc immaculati erimus, & à delicto maximo emundabimur, dicamus, & cum intellectu cantemus, & cantando oremus, & orando impetremus, Augustin. hic.

Et erunt, vt complaceant eloquia oris mei, & meditatio cordis mei in conspectu tuo semper; eloquia cum meditatione, cum intellectu; hæc enim placent Deo, quando scimus, quid loquamur; quando loquimur, & corde meditamur; quando meditamur, & legem Domini, & mandata eius prius custodimus; quia tunc in custodiendis illis retributio multa.

Domine adiutor meus, & redemptor meus, adiutor meus, quia nisi esset lex, peccatum non cognouissem, legem dedit nobis immaculatam, vt nos illam seruantes immaculati essemus, & sanguine suo redempti ingrediamur in æterna Tabernacula.

SOLILOQVIVM.

CÆLI, idest Apostoli, & Discipuli tui Domine, atque fideles enarrant gloriam tuam: & opera manuum miracula facta firmamentum fidei annunciat, Tu Domine lux vera eructasti verbum Euangelij tui illis, quos lucem fecisti, lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis. Et nox nocti indicauit scientiam, tu enim nox eras, quatenus humanitate nostra Diuinitas tua cooperiebatur, & vt homo Iudæis, & gentibus in tenebris versantibus indicasti scientiam,

vt scirent te esse verum filium Dei viui; & quando in medio Templi repertus Puer fuisti docens, & interrogans; & quando misisti Apostolos, vt prædicarent Euangelium in vniuersò mundo, tunc ab omnibus voces eorum intelligebantur etiam vsque ad fines terræ: Ecce enim dicebant, quomodò audiuimus eos loquentes linguis nostris. Tu Domine Iesu quando venisti assumere carnem nostram, in Sole, in Mariæ Virginis vtero posuisti Tabernaculum tuum; ex cuius Thalamo tamquam Sponsus processisti; vt Gigas, & fortis, quia talis es, ad currendam viam exultasti. De summo Cælo fuit egressio tua, & post Resurrectionem vsque ad summum eius, in sinum Patris regressus tuus, & nihilominus, quamuis in altis habites, non est qui se abscondere possit à calore tuo, quo misso in specie ignis Spiritu sancto tuo corda inflammasti fidelium, puniens etiam nos, qui in infidelitate, & iniquitate sua permanserint, & non est qui de manu tua possit illos eruere.

Lex tua Domine immaculata neminem nisi purgatum admittens, vtpotè cuius sapientia non intrat in maleuolam animam: testimonium tuum fidele, quo vt ex scriptis patet Euangelicis, humiles, & videntes fiant, & læti; quia iustitiæ tuæ rectæ sunt, & præceptum tuum lucidum illuminans oculos mentis, vt proptereà timentes sint, & permaneant in tui amore, & reuerentia; quia iudicia tua vera, & in semetipsa iustificata dulciora sunt melle, & fauo, & super aurum, & lapidem pretiosum desiderabilia; dulcis enim es tu Domine; & seruo tuo illa custodienti maxima est retributio. Abscondita sunt delicta; & quis illa intelliget? munda me ab occultis meis, & ab alienis custodi me, parcens seruo tuo. Nàm si sensus mei in membris repugnantibus non dominati mei fuerint, immaculatus ero, & à delicto maximo emundabor, & tunc tibi Domine eloquia mea erunt placita, & quæ in corde erit meditatio mea, in conspectu tuo semper permanebit. Domine adiutor meus, vt discam mandata tua, aperi oculos meos; qui sanguinem tuum pro me misero peccatore fudisti, vt me redimeres; da, vt Passionis meditatio sit semper in corde meo: Redemptor meus, & liberator meus, adiuua incredulitatem meam; adaugeas fidem, accrescant misericordiæ tuæ, vt dignus seruus tuus efficiar; quod ipse præstare digneris, qui viuis, & regnas cum Deo Patre in vnitate Spiritus sancti Deus in sæcula sæculorum. Amen.

IN PSALMVM XIX.

Exaudiat te Dominus in die tribulationis: protegat te nomen Dei Iacob.



CONTINVATVR ad præcedentem, in quo de Gloria Christi, de celeri Aduentu à summo vsque deorsum, & de Legis, & noui Testamenti obseruatione tractatur.

Verùm quia Passionem illius præuiderat Propheta, Nomine Ecclesiæ sanctæ precatur Iesu humanato auxilium à Deo Patre, & complementum desiderij cordis sui: salutem scilicet Animarum nostrarum.

Titulus est in finem Psalmus Dauid, idest in Christum Canticum Dauid.

Summa illius est. Precatur auxilium in tribulatione, effectum petitionis cordis sui; & lætitiam Ecclesiæ ob Redemptionem ab ipso salutari eius factam.

Prouidens ergo Passionem Domini Psalmista, & orationem in Horto in agonia positi inquit.

Exaudiat te Dominus in die tribulationis, quando in Horto dicebas, Domine, si possibile est, transeat calix iste à me; veruntamen non mea voluntas fiat, sed adimpleatur tua; Matth. 26. num. 39. & 42. Marc. 14. num. 35. Luc. 22. num. 42. & 43. & 44. & factus est sudor eius, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram, & exauditus est; nàm apparuit illi Angelus de Cælo confortans eum.

Exaudiat ergo te Dominus in die tribulationis carnis assumptæ; protegat te hominum nomen Iesus, quod est nomen tuum Deus Iacob, nàm Dei filius, & homo tu es: protegat carnem tuam, Animamq. tuam, Diuinitas tua cum eadem carne assumpta existens; Ioan. cap. 10. nu. 17. ego pono animam à me ipso, & potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi eam; hoc mandatum accepi à Patre meo, ergo tu Iesu Christe exaudi animam tuam in tribulatione positam; Deus Iacob secundi Geniti filij Isaac, & sis Deus populi Christiani, quem ipse redemit sanguine suo. Exauditus est enim Iesus in die tribulationis suæ non pro omni populo, sed pro ijs, quos dedit illi Pater, quando orans dixisti, Pater, venit hora clarifica filium tuum; manifestaui nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi, pro eis rogo non pro mundo, Ioan. cap. 17. num. 1. & 9. cum sequen.

Exaudiat Pater te Iesum Christum humanatum in die tribulationis tuæ, orantem enim illum videbat Propheta pro populo, quando Iesus dicebat, ignosce illis Domine, quia nesciunt, quid faciunt, & pro transgressoribus rogauit, Isai. 53. num. 12. nunquam enim Regem gloriæ crucifixissent, si talem agnouissent, Act. 3. num. 24.

Et aduerte hic, Prophetam in auxilium humanitatis Christi inuocantem totam sanctam Trinitatem, ac dicentem, exaudiat te Dominus, scilicet Pater protegat te nomen Dei Iacob, idest Diuinitas tua, qui es filius Dei, hìc est, inquit filius meus dilectus, cui nomen Iesus; Mittat tibi auxilium de sancto, hìc est ille, de quo Ioan. 16. num. 7. si non abiero, Paraclitus non veniet ad vos: si autem abiero mittam eum ad vos.

Mittat tibi auxilium de sancto, Hieron. hoc est de semetipso, quia illa Diuinitas in suo corpore erat coniuncta. Et de Sion tueatur te, Augustin. Faciens tibi sanctificatum corpus, Ecclesiam de speculatione tutam, quæ expectat, quando venias. Ego verò ità dicere auderem, Domine tu vides, quia omnes derelinquent eum, & qui iuxtà illum erunt, de longè stabunt, & vim facient, qui quærunt animam eius, Ioan. 16. num. 32. tribulatio proxima est, & non est qui adiuuet, Psalm. 21. num. 12. nihil aliud in auxilium suum remanet in hoc mundo, nisi tu de Sion, idest de Cælo illud mittas, & illum tuearis, per Sion enim Cælum accipi testatur, Paul. ad Hebr. 12. num. 22. sed accessistis ad Sion Montem, & Ciuitatem Dei viuentis, Ierusalem cælestem, &c.

Exaudiat te Dominus in die tribulationis orabat enim Iesus, Ioan. 12. num. 27. nunc autem anima mea turbata est, & quid dicam? Pater clarifica me ex hac hora, sed propterea veni in hanc horam, Pater clarifica nomen tuum; Et venit auxilium de Cælo, vox enim audita est de Cælo, & clarificaui, & iterum clarificabo, &c. & ecce quia exauditus est Iesus in eadem hora de eo, propter quod venit in mundum, ibidem num. 31. Nunc iudicium est mundi, nunc Princeps huius mundi eijcietur foras, & ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum, confidite, ego

vici

vici mundum, Ioan. d. cap. 16. nu. 33. & in Mundum venit, vt vitam daret mundo, Ioan. 5. num. 17. & in cap. 12. num. 47. & in cap. 6. num. 35.

Hanc faciebat Iesus orationem; vt per ipsum mundus saluaretur, non pro se, quia sponte oblatus est; & quia voluit, & non aperuit os suum, & sicut ouis ad occisionem ductus est, Isai. d. cap. 53. num. 7. & num. 11. pro eò quòd anima eius laborabit, videbit, & saturabitur, in scientia sua iustificabit ipse iustus seruus meus multos, & iniquitates eorum ipse portabit, Isai. d. cap. 53. num. 11. sic ergo precabatur Psalmista Deum, vt orationem eiusdem Iesu Christi exaudiret pro salute populi, pro quo seipsum ille Agnum immaculatum obtulit Deo Patri.

Protegat, inquit, te nomen Dei Iacob, nomen tuum, quod est Iesus Saluator, protegat, vt salues, quos saluare prædestinasti. Tibi tribuat auxilium de Sancto, non solum vt salues Ecclesiam tuam sanctam, & omnes, qui in futurum credent in te verum filium Dei Saluatorem, sed de Sion Monte, idest de Cælo, semper illam, & illos tueatur; propterea quippè ipsemet Iesus dixit; ecce vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi, neque relinquam vos orphanos, &c.

Memor sit omnis sacrificij tui, & holocaustum tuum pingue fiat; sacrificium omne Iesu Christi, fuit tota vita eius in tribulatione semper posita. Quamdiù vos patiar? quamdiù vobiscum ero? Consideremus quanta à Natiuitate sua is passus sit, in Præsepio, in medio animalium, in tempore magni frigoris; tùm quum animam pueri quærebant, ad perdendum, fugere necesse fuit. Accipe Puerum, & Matrem eius, & fuge in Ægyptum, &c. Matth. 2. num. 13. & iterum, surge, & vade in terram Israel, num. 20. & timens ibi permanere, secessit in partes Galilææ, num. 23. subditus Mariæ, & Ioseph: in deserto per quadraginta dies permansit, & ieiunauit, voluit à Diabolo tentari, & tandem totum vitæ eius cursum, si considerare velis, totus in labore, in afflictione, in tribulatione, fatigatus, illusus, flagellatus, & crucifixus, qui nunquam visus est ridere, flere autem sic.

Tota ergo vita sua sacrificium Deo Patri fuit, quia semper in tribulatione posita fuit, Psalm. 50. num. 19. Sacrificium Deo spiritus contribulatus, propterea omnis sacrificij tui memor sis Deus Pater, & holocaustum pingue fiat: pingue per multitudinem credentium, & in fine vnus Pastor, & vnum ouile, Ioan. 10. num. 16. omnia enim trahet ad seipsum: pingue fiat, vt nullus pereat, vt omnes vnum simus, Ioan. d. cap. 17. per totum.

Memor sis omnis sacrificij tui, Thren. 3. num. 19. Recordare paupertatis, & transgressionis meæ, absynthij, & fellis, & num. 58. vidisti Domine iniquitatem illorum aduersum me, omnem furorem, vniuersas cogitationes, & opprobrium eorum, labia insurgentium mihi, & meditationes eorum aduersum me tota die, memor sis omnis sacrificij tui, & holocaustum pingue fiat; hoc est Mors tua sit omnium vita credentium. Omnis sacrificij tui, nam laudis etiam sacrificium dicitur, & iustitiæ, Psalm. 4. nu. 6. sacrificate sacrificium iustitiæ, & Psalm. 49. nu. 14. immola Deo sacrificium laudis, & in d. Psalm. 49. num. 23. sacrificium laudis honorificabit me, Iesus verò ad hoc venit in mundum, vt manifestaret nomen Dei, & clarificaret, Ioan. d. cap. 17.

Memor sis omnis sacrificij tui, quia mandatis Dei attendit, Eccles. 35. num. 1. sacrificium salutare est attendere mandatis, & discedere ab omni iniquitate, nam in ore eius, non inuentus est dolus, neque aliquis potuit arguere illum de peccato, Ioan. 8. num. 46. propterea Pater me diligit, Ioan. 10. num. 17. quia pono animam

meam, vt iterum assumam eam: quia peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius, 1. Petr. 2. num. 22. Isai. 53. num. 9. 1. Ioan. 3. num. 5. immo, omnis, qui in me manet, non peccat, ibidem, Ioan. num. 6. & qui peccat, non vidit eum, nec cognouit eum. Non ergo solum Iesus Christus sacrificium bonorum operum, & tribulationum obtulit Deo Patri, & laudis, verùm etiam & holocaustum sui proprij corporis immolatum, & crucifixum, mortemque, atque sepulturam; vt existens in sepulchro, corpora Sanctorum multorum è sepulchro viuificaret. Pingue ergo factum holocaustum Domini Iesu, cum secum traxerit in Cælum corpora Sanctorum Patrum, & parauerit animis nostris iter patens ad illud ingrediendum; vt secum bonis Paradisi perfruamur, Isai. d. cap. 57. num. 13. qui autem fiduciam habet mei, hæreditabit terram, & possidebit Montem sanctum meum, & num. 15. hæc dicit Dominus, & sublimis habitans æternitatem, & sanctum nomen eius in excelso, & in sancto habitans, & cum contrito, & humili spiritu, &c.

Tribuat tibi secundum cor tuum, & omne consilium tuum confirmet; consilium Sanctissimæ Trinitatis id, vt homo redimeretur per illum, qui se obtulit. Quis fuerit ille missus, declarat idem Dominus per Isai. 44. num. 16. Audite hæc: non in abscondito locutus sum, ex tempore, antequam fieret, ibi eram; & tunc Dominus meus misit me, & spiritus eius, si Dominus, & spiritus eius misit, ergo erat qui missus est filius; cuius postmodum cor, & caro exultauerunt in Deum viuum, vt faceret voluntatem Patris, Ioan. 4. num. 34. Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius, qui misit me, & perficiam opus eius, & cap. 5. num. 36. opera, quæ dedit mihi Pater, vt perficiam, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me; vide ergo quomodò ipsemet Iesus declarat, quis illum miserit, per Ioan. d. cap. 5. num. 36. sicut, & ex d. Isai. expressè colligitur.

Tribuat tibi secundum cor tuum, qui ideò venisti, vt opera Diaboli dissolueres, 1. Ioan. 3. & vt filij Dei nominemur, & simus, num. 1. & num. 8. & est fidelis sermo, & omni acceptione dignus, quòd Christus Dominus venit in hunc mundum peccatores saluos facere, 1. ad Timoth. num. 15. Luc. cap. 19. num. 10. Matth. 18. num. 11.

Tribuat tibi secundum cor tuum, vt mundus per te habeat vitam; & saluetur, Ioan. dicto cap. 6. num. 13. Augustin. compleat omne consilium tuum, non solum quòd animam tuam posuisti pro amicis tuis, vt mortificatum granum copiosius resurgeret, sed etiam quòd cæcitas ex parte in Israel facta est, vt plenitudo gentium intraret, & sic omnis Israel saluus fieret, hæc Augustin. omne consilium tuum confirmet Deus Pater, vt bonis præmium largiaris; malis verò, qui nec credunt, punitionem. Festinet, & citò veniat, inquiunt illusores, opus eius; vt videamus, & appropriet; & veniat consilium sancti Israel, & sciemus illud, Isai. 5. num. 19. Descendat nunc de Cruce, si filius Dei est, & credemus ei, Matth. 27. num. 40. Luc. 23. num. 35. & Marc. 15. num. 32. ignorant enim, quia consilium Domini manet in æternum, Psalm. 32. nu. 11. & cogitationes eius in generatione, & generationem. Non crediderunt illusores illi, Prophetæ minanti, cogitabant enim Deum dereliquisse terram, iuxtà illud Ezech. cap. 9. num. 9. & Dominus non videt, proptereà veh illis, qui talia cogitabant: nec Iesu Christo crediderunt, quia oculus Domini non parcet eis, nec miserebitur, Ezech. d. cap. 9. nu. 10. Isai. 5. num. 28. sagittæ eius acutæ, & omnes arcus eius extensi: ad nihilum deuenient, & tamquam aqua decurrens: intendit arcum suum donec infirmentur, Psalm. 57.

num. 8.

num.8. Ecce festinus, velociter, sicut promisit, venit, non fuit deficiens, neque laborans in eo: non dormitat, neque dormit, neque soluitur cingulum renum eius, nec rumpitur corrigia calceamenti eius, Isai.d.cap.5.nu.26.& 27.

Firmetur consilium, inquit Propheta, omne tuum, idest festina aduentum tuum, vt redimas nos. Non dubitauit, consilium Domini firmum esse cum nosset, illud esse æternum; sed opere inquit, firmetur consilium tuum, vt citius venias, & redimas, infidelesq. condemnes, non quia proprium aliud sit sui, quàm parcere, & misereri, sed quia pœna debetur illis ex transgressione; Isai.28. num.21. vt operetur opus suum, idest iudicium vindictæ, peregrinum est opus eius ab eo, quia, vt dixi, proprium est misereri; ideò dicit Isai. peregrinum opus eius. Lætabitur tamen iustus, cum viderit vindictam, Psalm. 57. num. 11. lætabitur non amore vindictæ, sed amore iustitiæ, non in malo impiorum, sed in bono ipsius iusti, quia tales pœnas euasit, & bonis cælestibus fruitur, Isai.65.num.14. ecce serui mei lætabuntur, & vos confundemini, ecce serui mei laudabunt præ exultatione cordis, & vos clamabitis præ dolore cordis, & præ contritione spiritus vlulabitis, hæc Isai.

Iusti verò, dicit Psalmista, lætabuntur in salutari tuo, quia tu salutem omnibus gentibus præstitisti, Isai 25.nu.9. lætabimur in salutari tuo, quia, qui dimissi erant dispersi, veniunt collecti ab Oriente vsque ad Occidentem in verbo Sancti gaudentes in honorem Dei, Baruch 4.num.7. nàm populus tuus omnes iusti, Isai. cap. 60. num.21. & in nomine Dei nostri magnificabimur, quia merces eius cum Saluatore nostro, qui venit, & opus eius coram illo, & vocabunt nos populus sanctus, redempti à Domino, Isa.62. num.11.& si iusti erimus, in perpetuum hæreditabimus terram, & possidebimus Montem sanctum eius, Isai.d. cap.57.num. 13. & ipse cum nobis habitabit, num. 14. & 15.

Exultemus ergo, & lætemur in misericordia Dei, Psalm. 30. num. 8. gaudete fratres, dicit Augustin. quia redemptionis pretium solutum est, non modica quantitate constamus, quibus omne factus est pretium, qui redemit, nascitur, vt doceret, moritur vt sanaret, Crux fuit mortifera Christo, sed salutifera Christiano, Augustin. in nomine tuo magnificabimur, quia tu benignus es super ingratos, & malos, Luc.6. num.35. nàm si ad te conuersi erimus, nec tu iniquitatis nostræ recordaberis, & nos salui erimus, & non erunt in memoria priora, Isai.65. num. 17. quia tu potestatem habes dimittendi peccata, Luc. 5. nu. 12. & propterea in mundum venisti, vt illa tolleres, & deleres; nosq. redempti in nomine tuo magnificabimur & lætabimur, quia morte, & passione tua redempti sumus.

Sed aduerte, quòd Psalm. incipit à tribulatione, vt cogites, non in solo nomine Iesu te magnificari; dixit enim ipse. Qui vult venire post me, tollat Crucem suam, & sequatur me, abnegans seipsum; fides enim sine operibus mortua est, Iacob.2. num. 17. & 20. sicut enim corpus sine spiritu mortuum est, ità fides sine operibus mortua est. Magnificaberis ergo, si ex operibus iustificaberis, exultant enim iusti in Domino, & gloriantur omnes recti corde, Psalm.31.nu.11.in lætitia verò huius mundi cor stultorum est, Eccles.7.num.1. Vis tamquam seruus Iesu vocari nomine alio, idest nomine eiusdem Iesu Christi, Isai.65.num.1. habeas etiam facta, quæ Christiano necessaria sunt. Christiani nomen bonum est, curam habeas de boni nominis conseruatione, Eccles.41.num.15.Isid.lib.7.Ethic. non se glorietur Christianum esse, qui nomen habet, & facta non habet, vbi autem fidei Christianæ iunctum fuerit opus, certissimè, & iste Christianus est, quia se factis ostendit

Christianum, ambulans, sicut Christus ambulabat, & tales benè dicunt, in nomine tuo magnificabimur, quia tecum ambulantes, & in via sequimur vestigia tua.

Non confidamus ergo in verbis mendacij, dicentes, Christianus sum, Templum Domini, Templum Domini, Templum Domini est, quoniam si benè direxerimus vias nostras, & studia nostra, tunc lætabitur Dominus nobiscum in loco isto, Ierem. 7. num. 3. & 4.

Impleat Dominus omnes petitiones tuas, nunc cognoui, quoniam saluum fecit Dominus Christum suum; Nunc ait Psalmista quando vidit per reuelationem, Dominum passurum: pro eius liberatione, seù alleuiatione doloris, precabatur, videns etiam Dominum Iesum Christum pro salute vocatorum, & prædestinatorum rogaturum, Ioan. dicto cap. 17. per totum; serua illos, quos dedisti mihi, dixit.

Impleat Dominus omnes petitiones tuas, quales eæ fuere: clarifica me Pater claritate, quam habui, priusquam mundus fieret, Ioan. d. cap. 17. per totum. Nunc, dicit Propheta, quando accepit Spiritum sanctum, tunc cognouit, quòd saluaret Deus Pater filium suum; hæc Hieron. Impleat Dominus petitiones tuas, vt obtineas scilicet omnia, per quæ in mundum venisti, saluationem humanæ naturæ, quia iàm nunc cognosco, quòd Dominus saluum te fecit Christum suum; & quia resurgens à mortuis, ad Dei Patris dexteram permanes. Impleat petitiones tuas, quas, & in terra fudisti; & quibus nunc ad dexteram sedens Dei Patris, semper interpellas pro nobis, Paul. ad Roman. cap. 8. nu. 34. nunc cognoui, quia saluum fecit Dominus Christum suum, & ideò.

Exaudiet te de Cælo sancto suo, sicut exaudiuit, & de terra: itaut fieri nequeat, vt absque illo quis possit saluari, quia in ipso solo est salus quantuncunque potentium, quatenus ex brachio Domini auxilium habuerint, & propterea dicit.

In potentatibus salus dexteræ eius, quia non est alia salus nisi in brachio Iesu Christi.

Hi in curribus, & hi in equis, in quibus non est salus; nos autem in nomine Domini inuocabimus; ipsi obligati sunt, quia funibus peccatorum ligati, & ideò impœnitentes in infernum ceciderunt; Nos verò resurreximus, quia licet aliàs mortui essemus peccato, per Baptismum resuscitati sumus in Christo, & erepti de morte ad vitam, atque in infernum propemodum lapsi, erepti sumus in Cælum.

Domine saluum fac Regem Iesum Christum humanatum, & exaudi nos in die, qua inuocauerimus te, in die lucis nostræ fidei, & obseruationis mandatorum tuorum, in qua iustè inuocauerimus te, quia tunc exaudies.

Vel alio modo exponamus. In Potentatibus salus dexteræ eius; ac si dicatur, vis saluus fieri, & à dextera Dei defendi? non confidas in potentia tua, quæ inanis est, sed sis instar illorum Potentatum, de quibus dicitur, non in gladio suo possederunt terram; neque brachium eorum saluauit eos; sed dextera Dei, & brachium sanctum eius, quoniam complacuit in eis, hæc coram illo proferas. Quia peccauimus tibi Domine, propterea tunc repulisti, & confudisti nos, & auertisti nos retrorsum post inimicos nostros, & tamquam oues escarum in gentibus dispersisti nos, hæc venerunt super nos, quia obliti sumus te: In Potentatibus sit modò salus, & victoria nostra à dextera tua potentissima procedens.

Quia

Quia in te credimus Iesu Christe, & in te est spes nostra, & salus nostra; non in equis, & in curribus, neque enim sumus sicut potentes ij, qui victoriam ex suis equis, & curribus sibi arrogant; & non ex te Domine, ligati funibus superbiæ, dicentes: manus nostræ fecerunt, & non Deus, hæc omnia.

Nos pœnitentes Christiani in nomine Domini inuocabimus, illi in eorum potentia confisi, & obligati ceciderunt, nos autem surreximus à via mala, & à morte peccati, & erecti sumus; quia Dominus de Cælo sancto suo Iesum Christum pro nobis interpellantem exaudiuit, illi descenderunt in infernum viuentes, nos autem de manibus illorum liberati, & erecti in Cælum ascendemus.

Domine saluum fac Regem, hoc est salua nobis Regem Christum Dominum nostrum, protectorem, & Saluatorem; qui compatiens infirmitatibus carnis nostræ, quam ille assumpsit, sit nobis apud te perpetuus intercessor, vt in die, qua inuocauerimus te exaudias nos.

Vel dicamus; In Potentatibus salus dexteræ eius, nàm cum vita nostra militia sit super terram, Iob 7.num.1. qui benè, & fortiter aduersus insidias Diaboli pugnauerit, hic fortis est, & potens vir apud Dominum erit; facit quod dicit S.Thom.2.2.quæst.43.art.5. sed contrà, & art.6. pusilli scandalizantur, non fortes, non magnates, abstinent enim ab omni malo, & ab omni specie mali, neque scandalum recipiunt, ex D.Hieron.super Matth. qui scandalizauerit vnum ex pusillis istis, paruulus, inquit, scandelizatur, maiores enim scandala non recipiunt, Psalm.118.num.165. pax multa diligentibus legem tuam. De hac potentatum in spiritali militia fortitudine dicitur: Non est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem, sed aduersus Principes, & potestates, aduersus mundi Rectores tenebrarum harum, contrà spiritualia nequitiæ in cælestibus, ad Ephes.6.num.12. & deponentes omne pondus, & circunstans nos peccatum per patientiam currunt ad propositum sibi certamen, aspicientes in auctorem fidei, & consummatorem Iesum, ad Hebr.12.nu.1. & 2. & in disciplina perseuerauerit vsque in finem, Prouerb.3.num.11. In Potentatibus cælestibus computabitur salus eius dexteræ Domini.

Hi verò in curribus, & in equis habent potentiam, in illis gloriantur, & confidunt, nos autem, qui in Deo credimus, & præcepta eius seruamus, in nomine Domini inuocabimus; illi in equis luxuriæ, & curribus superbiæ alligati, & obligati ceciderunt; nos verò à Tyrannide illorum erepti surreximus, & erecti sumus, & in magna constantia stabimus aduersus eos, qui nos angustiauerunt, & abstulerunt labores nostros, Sap.cap.5.num.1. erecti sumus, quia regnum decoris, & diadema speciei, de manu Domini recipiemus, quoniam dextera sua protexit nos, regit nos, & brachio sancto suo defendit nos.

In potentatibus salus dexteræ eius, quia accipiemus armaturam, zelus Dei cum ille armabit creaturam suam ad vltionem inimicorum, d. Psalm.50.num.17.

Domine saluum fac Regem nostrum Christum, qui tali corona gloriæ coronauit iustum, & exaudi nos in die ista conflictationis, & pugnæ, in qua semper inuocamus te, ità fiat Iesu pie, Iesu dulcissime, Auctor, & Redemptor vitæ nostræ.



SOLILOQVIVM.

EXAVDI nos Deus in tribulatione diei huius, dum in hoc mundo versamur, protegetq. nos Iesus Christus, Deus Iacob; mittens nobis de sancto monte suo, de monte gratiarum suarum excelso, auxilium. Has oblationes nostras, & holocaustum in conspectu suo faciat, quas ex corde puro proferimus, quia tunc, si acceptaueris illas, læti in nomine tuo magnificabimur. Iàm te Christum à mortuis incolumem, & saluum resurrexisse confitemur, & ad dexteram Dei Patris pro nobis interpellantem te sedere cognoscimus, in cuius dextera salus nostra, si firmi, & fortes contrà Diabolicos incursus steterimus.

Non in curribus, & equis, non in commessationibus, & ebrietatibus salus nostra, sed in nomine tuo Iesu Christe surrecturos speramus, & erigendos; Tametsi, & nos per peccatum iàm mortui fuerimus, sicut, & potentes, quorum spes in mundo est, quiuè ceciderunt, & in inferno colligati sunt; Attamen ope tua diuina surreximus, & erecti sumus, Domine Iesu; adauge fidem nostram in te, qui es Rex noster, & in die huius cognitionis, & infirmitatis nostræ, atque pœnitentiæ, in qua inuocamus clementiam tuam, exaudi nos, protege nos, salua nos, libera nos ab omni peccato, ab ira tua, & ab insidijs Diaboli, vt victores contrà illum magis potentes in gratia tua perseueremus: Fiat ità Domine Iesu per immensam charitatem tuam, propter quam, vt nos liberares in mundum venire dignatus es, & pro nobis mori crucis morte, Iesu audi nos, Iesu exaudi nos, succurre nobis; & tu Pia Dei Genitrix. Amen.

IN PSALMVM XX.

Domine in virtute tua lætabitur Rex: & super salutare tuum exultabit vehementer.



AD præcedentem Psalmum ità continuatur. In illo XIX. Psalmo rogabat Deum, vt in prælio, quod erat Iesus Christus facturus cum Diabolo, protegeret illum; & auxilium ei mitteret: in isto verò XX. gratias agit Deo de protectione, exaltatione, & de eius coronatione.

Summa hæc est, Dauid in spiritu vidit Dominum Iesum Christum à Deo Patre, benedictionibus dulcedinis præuentum, & corona de lapide pretioso coronatum, ac de sua Resurrectione exultantem.

Domine in virtute tua lætabitur Rex. Veniat, nescio, quis Iudæus, aut Infidelis, & mihi dicat, quis sit ille Dominus, quæ sit illa virtus, & tandem quis ille Rex, qui lætatur. Quòd Dominus sit Deus non est dubium; & quid intelligatur per virtutis nomen declaratur, Act. cap. 1. num. 8. accipietis virtutem Spiritus sancti, igitur Spiritus sanctus est virtus Dei, Rex verò est Iesus Christus filius Dei viui, à Deo vir approbatus, in nobis, virtutibus, & prodigijs, & signis, quæ fecit Deus per illum, in medio Iudæorum hunc definito consilio, & præscientia Dei traditum, per manus iniquorum affligentes interemistis, dicebat Petrus Israelitis, Act. cap. 2. num. 22. Et quare Rex noster lætatur, quia Deus illum suscitabit, solu-

solutis doloribus inferni, iuxtà quòd impossibile erat teneri illum ab eo, dicit Petr. ibidem num. 24. Quòd virtus Dei sit spiritus eius habemus, Psalm. 30. num. 6. Verbo Domini Cæli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum: in virtute sua lætabitur, quia requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ, & intellectus, spiritus consilij, & fortitudinis, Isai. cap. 11. num. 2. in virtute tua, quòd verbum caro factum est, quia Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi, Luc. 1. num. 35. ideòq. quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur filius Dei.

Aliter. In virtute tua Domine, idest in filio tuo, virtus enim, vel sapientia Patris est filius, Rex animæ scilicet Christi, quæ ab æterno prædestinata est, lætatur virtute Diuinitatis, quæ carnem sibi vniuit assumptam; Rex enim est Christus, Matth. 2. num. 2. vbi est, qui natus est Rex Iudæorum? Luc. 23. num. 23. neque de alio Rege, nisi de Christo Iesu potuit intelligere, qui est Rex Regum, & Dominus dominantium; nàm quis alius Rex in benedictionibus dulcedinis præuentus natus est sine peccato? Cui corona à Deo in capite de lapide pretioso imposita est, & vita data in longitudinem dierum, in sæculum, & in sæculum sæculi semper viuens? in benedictionem datus est ne alius Rex in sæculum sæculi? in ipso Iesu benedicuntur omnes gentes in sæculum sæculi, quis lætificatus in gaudio cum vultu Domini Dei.

De Rege ergo Iesu Christo Messia loquitur Psalmista, de quo idem alibi, Dominus virtutum, ipse est Rex gloriæ Dominus fortis, & potens, Dominus potens in prælio.

Dominus ergo Pater, & Spiritus Sanctus lętificarũt Regem verbum humanatum, quod exultauit vehementer in salute, quam dat Pater credentibus in ipsum filium suum. Vndè benè hunc Psal. XX. Hebræorum antiqui Doctores interpretantur de verò Messia, & de Regno eius glorioso, neque de alio verè valet aliqua alia expositio, quia nec verba illius, vt suprà dictum est alteri cuilibet adaptari possunt, vel Angelorum, vel hominum.

Domine in virtute tua lætabitur Rex, & in salutari tuo exultabit vehementer, dicit August. hic. Quòd viuificas omnia, exultabit vehemẽter mortuus enim erat homo peccato: propterea missus à Patre, & Spiritu sancto est filius, vt viuificando redimeret electos suos.

Desiderium cordis eius tribuisti ei. Exultabit vehementer, quia adimplebit voluntatem Patris, vt esset Redemptor, & in effectu redimeret sanguine tuo filios hominum: Vndè cum aliàs dixisset delitias suas esse cum filijs hominũ, Prouerb. cap. 8. nu. 31. De desiderio suo vt moreretur pro illis ipsemet Iesus desiderabat, eo in extremo vitæ suæ paschate manducare cum Discipulis antequã pateretur, Luc. cap. 22. nu. 15. & oblatus est, quia voluit, Isai. d. cap. 53. nu. 6. Vis videre desideria cordis eius? Ideò venit, vt homo esset Templum Dei, & spiritus Dei habitaret in illo, Ioan. 3. num. 16. nescitis, quia Templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in vobis, & Ioan. 13. num. 1. cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos, & sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos, Ioan. 5. num. 9. vos autem dixi amicos, ibidem num. 15. manete in me, & ego in vobis, ibidem num. 3.

Aliter dicamus, Domine in virtute tua lætabitur Rex, hoc est, Domine fili venies, & assumes humanitatem nostram, & liberi erimus à morte perpetua; nàm in virtute tua, tu enim es potentia Patris, lætabitur humanitas à te assumpta, tuq.

homo factus, & Rex noster exultabis super salutare tuum, quia saluabis animam tuam, & corpus diuina potestate tua resurgens, Ioan. cap. 10. num. 17. ego pono animam meam, & iterum sumam eam: nemo tollit eam, sed ego pono eam à me ipso, & potestatem habeo ponendi, potestatem habeo iterum sumendi eam, hoc mandatum accepi à Patre meo, & idem Ioan. cap. 5. num. 21. sicut enim Pater suscitat mortuos, & viuificat, sic, & filius, quos vult viuificat. Cognouit igitur in spiritu Dauid, filium Dei ante sæcula genitum à Patre, & hominem ex substantia Matris in sæculo nasciturum; propterea dixit, Domine fili Dei viui ante sæcula genite lætabitur in virtute tua corpus, & anima tua, quam assumpseris Regem enim vocat, quia Rex sum ego dicebat; Et exultabit vehementer in salutari suo, quia, & salutem cæteris credentibus in te dabis, propterea in salutare tuum exultabit vehementer, & Ecclesia vnà cum suo capite, & Rege Domino, atque in virtute tua, idest ope tua lætabitur.

Rex ergo noster Iesus Christus homo factus lætabitur in opere Diuinitatis suæ, quia redemit mundũ, & exultabit vehemẽter; propter hoc quippè venit filius Dei in mundum homo factus, vt desideriũ, quod habebat salutis humanæ adimpleret.

Desiderium cordis eius tribuisti ei. Videte fratres, quomodò desiderium suum Dominus adimpleuerit, nàm nec species ei, nec decor fuit, quia vidimus eum, & non erat aspectus; despectum, & nouissimum virorum, virum dolorum, & scientem infirmitatem, Isai. 53. num. 3. & 4. talis enim erat nostra infirmitas, vt ipse infirmitatem nostram acciperet, & ægrotationes nostras portaret, Matth. cap. 8. num. 17. desiderium tale erat cordis sui, vt peccata nostra ipse perferret in corpore suo super lignum, vt peccatis mortui iustitiæ viueremus, 1. Petr. cap. 2. num. 24. Cuius liuore sanaremur; sicq. Dominus voluit conterere eum, quia, & ipsi sic placuit, & ideò dicebat, desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscum, & quia perpetua charitate dilexit nos, Ierem. cap. 31. num. 3. ideò talia passus est, & tradidit in morte animam suam. Et voluntate labiorum eius non fraudasti eum, dicit Dauid, nàm voluntas Domini dirigetur in manu eius, Isai. d. cap. 53. num. 10. ideòq. & quod seruis suis promisit, adimpleuit, Psalm. 19. n. 5. Tribuat tibi secundum cor tuum, & omne consilium tuum confirmet, Ioan. 17. per totum, & cap. 14. num. 1. cor autem, & consilium ipsemet significauit, vbi dixit: In domo Patris mei mansiones multæ sunt, vado vobis parare locum; & iterum venio, & accipiam vos ad me ipsum, & num. 17. pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.

Desiderium cordis eius tribuisti ei, & voluntate labiorum eius non fraudasti eum; Hieron. Iàm quippè non sumus serui, sed amici Dei; Quod petiuit expletum est. Quomodò ipse, & Pater vnum sunt, & nos in ipso vnum sumus, d. cap. Ioan. 17. Et voluntate labiorum eius non fraudasti eum, idest secundum petitionem suam fecit, Psalm. 36. nu. 4. dedit ei petitiones cordis sui, diligit enim Deus nos dilectione maxima, num. 10. quia posuit animam suam pro nobis, quos sibi fecit amicos; ideò miserans attraxit nos ad se passione sua, Ierem. dicto cap. 31. num. 3. & hæc erat sua petitio.

Voluntate labiorum eius non fraudasti eum. Quotquot namq. factæ iàm fuerunt promissiones Dei, in illo impletæ sunt, 2. Corinth. 1. nu. 19. etenim quamuis æternus propter scelera nostra, peccata multorum tulerit, pro transgressoribus tamen rogauit, & non fuit fraudatus à desiderio, quia disciplina pacis nostræ super

eum, & liuore eius sanati sumus, Isai.d.c.53. nec fel peccatorum nostrorũ nocuit ei.

Quoniam præuenisti eum, dicit Dauid, in benedictionibus dulcedinis. Hieronym. quoniam præuenisti eum in benedictionibus dulcedinis, hoc est, à longè quando Melchisedech benedixit Abraham, & deindè quotquot benedictiones in Patriarchis vsque ad aduentum Christi, Christus in ipsis benedictus est, quoniam præuenisti eum, hoc est, ante præuenit eum in benedictionibus dulcedinis, quàm à Iudæis fel porrectum gustasset, quia ante eum istæ benedictiones præuenerunt. Gustauit, & noluit bibere; Gustauit, quia de morte nostra suscepit, noluit bibere, quia die tertia resurrexit, noluit bibere, hoc est, non permansit in morte, hæc Hieronym. Et voluntate labiorum eius non fraudasti eum. Fidelis enim Dominus in omnibus verbis suis, & sanctus in omnibus operibus suis, Psalm.144.num.13. Isai.49.num.7. hæc dicit Dominus, &c. Reges videbunt, &c. & adorabunt propter Dominum, quia fidelis, &c.

Quoniam præuenisti eum in benedictionibus dulcedinis, Sap.cap.7.num.24. cum sequen. ad Hebr. cap.1.num.3. Quem constituit hæredem vniuersorum, per quem fecit, & sæcula, purgationem peccatorum faciens, ideò ante omnia sæcula, in ipso benedicendæ erant omnes gentes benedictionibus dulcedinis; quid enim dulcius quàm de morte transire ad vitam? in ipso autem vita erat, vita erat lux hominum, & lex spiritus vitæ in Christo Iesu liberauit me à lege peccati, & mortis. Quid dulcius misercordia Dei, sine qua consumpti essemus? Præuenisti eum in benedictionibus dulcedinis, quia, vt dixi, omnes in nomine Iesu Christi salui facti sunt, & ideò sequitur.

Posuisti in capite eius coronam. Quam coronam? nisi Sanctorum omnium, in Domino credentium congregationem. Hinc ad Philippens.4.nu.1. Fratres mei charissimi, gaudium meum, & corona mea, Isai.62.num.3. & erit corona gloriæ in manu Domini, & diadema Regni in manu Dei sui.

Corona est de lapide pretioso; quia omnes iusti, & Sancti Dei superædificati sunt super lapide pretioso Christo Iesu, ad Ephes.2.num.20. in quo omnis ædificatio constructa crescit in Templum sanctum in Domino, in quo, & vos coædificamini in habitaculum Dei in spiritu, hæc Paul. & 1.Corinth.3.num.11. fundamentum enim aliud nemo potest ponere præter id, quod positum est, quod est Christus Iesus. Corona hæc est, & cælestis gloria, qua coronantur etiam illi, qui legitimè certauerint, 1.Timoth.2.num.5. & Iacob cap.1.num.2. Beatus vir, qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit accipiet coronam gloriæ, quam repromisit diligentibus se, & 1.Petr.cap.5.num.4. & cum apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcessibilem gloriæ coronam; simus ergo, & nos fideles vsque ad finem, & nobis dabit Dominus coronam gloriæ, Apocal.cap.2. n.10.

Præuenisti ergo eum in benedictionibus dulcedinis, Genes. cap.26.nu.24. benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, vt in gentibus benedictio Abrahæ fieret in Christo Iesu; Abrahæ enim dictæ sunt promissiones, & semini eius, non dicit, & seminibus, quasi in multis, sed quasi in vno, & semini tuo, qui est Christus, ad Galat.3.num.14.& 16. & declarat Isai. cap.51. num.2. attendite ad Abraham Patrem vestrum, & ad Saram, quæ peperit vos, quia vnum vocaui eum, & benedixi ei, & multiplicaui eum. Præuenisti eum in benedictionibus, nàm Dominus posuit verba sua in ore eius, & vmbra manus suæ protexit illum, vt plantet Cælos, & fundet terram, Isai.51.nu.16. gloria, & honore

coronasti eum, quia prædicans præceptum Domini Rex constitutus à Deo super montem sanctum eius, idest super Ecclesiam, Isai. 2. num. 2. & erit in nouissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & eleuabitur super colles, & fluent ad eum omnes gentes, & num. 13. & transibit Rex eorum coram eis, & Dominus in capite eorum, posuit coronam in capite eius, & coronauit eum in vasis virtutis, corona aurea expressa signo sanctitatis, & gloria honoris, opus virtutis, & desideria oculorum ornata, Eccles. 45. nu. 9. & 14.

Vitam petijt à te, & tribuisti; Christus, vt Deus, qui non eget aliquo auxilio, sed vt homo vitam petijt, nàm vt homo mortuus est, & vt homo resurrexit, dicto cap. 53. num. 10. & Deus voluit conterere eum in infirmitate, si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longæuum, & voluntas Domini in manu eius dirigetur.

Propterea tribuit ei longitudinem dierum, in sæculum sæculi. Quis alius, ò impie Iudæe, est qui pro alio posuit animam suam, vidit semen longæuum. Si moritur quomodò vidit? Eia impie, in Christo solo hæc verificantur, quia resurgens à mortuis, iàm non moritur, semper videns est, & viuens, interpellans pro semine suo, pro populo suo, qui sunt omnes fideles credentes in illum, Isai. cap. 60. in fine: Populus tuus omnes iusti, &c. & est nobis in lucem sempiternam, & Deus noster in gloriam nostram, Isai. dicto cap. 60. num. 20. Vitam petijt Christus à Deo, vt mortuus resurgat, tu autem Domine miserere mei, & resuscita me, Psalm. 40. num. 11.

Magna est gloria eius in salutari tuo: gloriam, & magnum decorem imposuisti super eum. Magna est gloria eius in salutari tuo: nàm per hominem mors, & per hominem Christum resurrectio mortuorum, per Adam omnes moriuntur, per Christum omnes viuificabuntur, ille mortem peccando introduxit in mundum, Iesus Christus Patri obediendo præcipitauit mortem in sempiternum, Isai. 25. num. 8. ille in sudore vultus sui, Genes. 3. num. 19. Christus verò in lætitia, & exultatione, quia factus est fortitudo pauperi, fortitudo egeno in tribulatione sua, spes à turbine, vmbraculum ab æstu, Isai. dicto cap. 25. Magna est gloria eius; nàm ipse est corona gloriæ in manu Domini, & diadema Regni in manu Dei sui, Isai. 62. num. 3. Adam nos perdidit, Iesus Christus nos saluauit, Isai. dicto cap. 62. num. 11. & 12. & idem Isai. cap. 45. num. 21. non est Deus iustus, & saluans præter me, conuertimini ad me, & salui eritis omnes fines terræ. Ecce Saluator tuus, ecce merces eius cum eo, & opus eius coram illo, & vocabunt eos populus sanctus redempti à Domino; & gloriam Domini quis enarrare poterit? Reple Ecclesiam tuam inenarrabilibus verbis tuis, vt gloriam tuam in aliqua parte valeat pronuntiare, Eccles. 36. num. 16. vide Iob 38. per totum.

Magna est gloria eius; nàm in nomine Iesu omne genu flectitur, cælestium, terrestrium, & infernorum, ad Roman. 14. num. 11. & ad Philip. 2. num. 10. Isai. dicto cap. 45. num. 23. Magna est gloria eius in salutari tuo, in redemptione tua, qua nos redemisti. Quid enim gloriosius quàm quòd homo alioquin miser sit cũ Deo, sit in Deo, sit, & quodammodò Deus? Luc. cap. 17. nu. 21. ecce Regnum Dei intrà vos est, & in alio loco, vos autem, quem me esse dicitis, vos qui estis Dij? Matth. 16. num. 16. & Hieron. lib. 3. Comment. in Matth. dicto cap. 16. hæc est magna gloria filij. Bernard. de diligendo Deo, loquens de Beatis dicit. Totum diuinum est, quod sentitur, sic affici deificari est, quomodò stilla modica

aquæ

aquæ infusa vino deficere à se tota videtur, dum & saporem vini, induit, & colorem.

Magna est gloria in salutari suo, quia virtute propria à mortuis resurrexit, gloriam, & magnum decorem imposuisti super eum, quando post Resurrectionem suam ascendit ad Cælum, & sedere fecisti eum ad dexteram tuam; August. hìc. Magna est gloria in salutari tuo, quòd Deus ità humiliatus sit, vt nos redimeret, carnem nostram assumpserit, & Deus homo factus sit, magna gloria, quia ideò exaltatus est super Choros Angelorum, & ad dexteram Dei Patris, homo Deus factus sedeat, Isai. d. cap. 53. num. 12. ideò dispertiam ei plurimos, propter quòd Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen, & in nomine Iesu omne genu flectatur, ad Philip. 2. num. 2.

Magnum verò decorem imponet super eum, quando in nubibus Cæli, in Maiestate sua apparebit, iudicaturus viuos, & mortuos; nàm tunc veniet cum Potestate magna, & Maiestate, Matth. 16. num. 27. & cap. 24. num. 30. Marc. 13. num. 26. Tunc videbunt filium hominis venientem in nubibus cum virtute multa, & gloria, Isai. 2. num. 11. & 21. tunc abscondat à facie timoris Domini, à gloria Maiestatis eius; tunc exultabunt omnia ligna syluarum à facie Domini, quia venit, quoniam venit iudicare terram, Psalm. 95. num. 2. Gloriam, & magnum decorem imponens super eum, quia data est ei omnis potestas in Cælo, & in terra, Matth. 28. num. 17. & constitutus est super omnia opera Domini, d. Psalm. 8. num. 6.

Quoniam dabis eum in benedictionem, in sæculum sæculi, nàm omnis creatura benedicit illum, quia per illum omnia facta sunt, Ioan. 1. Daniel cap. 3. n. 52. Genes. cap. 2. nu. 3. In te benedicentur omnes cognationes terræ. Lætificabis eum in vultu tuo, nàm si nos omnes reuelata facie, gloriam Domini speculantes in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem, tamquam à Domini spiritu, 2. Corinth. 2. num. 18. quod gaudium, & quam lætitiam habere dicemus filium Dei, in vultu Dei Patris, cum sit idem Deus, & vnius essentiæ? Lætificasti eum in gaudio cum vultu tuo, quem leuauit ad te, dicit August. vel secundum Hieronym. hìc erit tecum semper in Cælis, & tunc filium lætificabis in gaudio, cum adunata fuerit illa multitudo Sanctorum, & numerus restitutus ei, gaudebit Christus pro acquisitis, pro quibus passus est. In hilaritate enim vultus Regis vita, Prouerb. 16. num. 15. Lætificasti eum in gaudio cum vultu tuo; tenuisti manum dexteram meam, & in voluntate dilexisti me; & cum gaudio suscepisti me, Psalm. 72. num. 24.

Quoniam Rex sperat in Domino, & in misericordia Altissimi non commouebitur. Hucusque locuta est Ecclesia de Christi humanitate; cum enim suprà extulisset Redemptionem, ex Passione Iesu Christi, dicens, Magna est gloria in salutari tuo: & post Passionem magnum decorem imponens super eum, quia per illum mali homines, quando in Maiestate sua venerit, iudicabuntur, iusti verò in ipso benedicentur, & ipse in vultu Dei lætabitur, dicit Dauid, quia cum iustus sit, & speret in Deo subleuabitur, Prouerb. cap. 29. num. 25. nec commouebitur in misericordia Altissimi, qua genus humanum liberatum per eius fuit Passionem, qua Deus voluit conterere eum in infirmitate, vt poneret animam suam pro peccatis gentium, Isai. 53. num. 10. nàm Dominus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico, retrorsum non abij: ideò corpus meum dedi percutientibus, &

genas

genas meas vellentibus, faciem meam non auerti ab increpantibus, & conspuentibus in me, &c. Isai.cap.50.num.6. & num.9. quia Dominus est auxiliator meus. Et in misericordia eius erga genus humanum, propterea non commouebor, quia ego libentissimè passus ob idipsum sim mortem.

Rex ergo Christus sperat in Domino, & ponens animam suam pro amicis, quia est misericors non commouebitur, hinc Ecclesia orans Dominum pro familia sua, dicit, Christum non dubitasse manibus tradi nocentium, & Crucis subire tormentum. Ad Christi autem imitationem, & de homine misericorde idem Dauid ait. Iucundus homo, qui miseretur, & commodat, nec in æternum commouebitur, quia paratum erat cor eius sperare in Domino, confirmatum est cor eius, non commouebitur donec adimpleat, & donec despiciat inimicos suos, & cornu eius exaltabitur in gloria, Psalm.111. num.5.cum sequen.

Voluit Dominus filium suum Iesum Christum Dominum nostrum conterere, & quodammodò disciplinam illi pro nobis dare, tuncq. in eodem Christo, & spes effulsit respectu eorum, quæ nondum habuit, & conformatio ad Dei misericordiam. Ignorant tamen inimici eius, quòd cum Dominus dat nobis disciplinam, illos multipliciter flagellat; vt bonitatem suam cogitemus iudicantes, & cum de nobis iudicatur speremus misericordiam suam, Sap.12.num.22. Vndè Oseas 12.num.6. misericordiam, & iudicium custodi, & spera in Deo tuo semper, nullus enim sperauit in Domino, & confusus est, Eccles.2.nu.11.& prius nu.9. qui timetis Dominum, sperate in illum, & in oblectationem veniet vobis misericordia, mutabunt enim fortitudinem, assument pennas sicut Aquilæ, current, & non laborabunt, & ambulabunt, & non deficient, Isai.40.num.31.

Rex noster sperat in Domino salutem nostram, ideò venit gaudendo à Sancto super misericordia, quæ venit nobis ab ipso æterno salutari nostro filio Dei vnigenito, Baruch 4.num.22. super salutari ergo diuino exultauit vehementer, & in Dei veritate lætatus est, dum percutiebant pectora in Passione sua. Emit nos in luctu, & ploratu, & adspicient ad me, quem crucifixerunt, Zach. 12.nu.10. & plangent eum planctu, quasi super vnigenitum, & dolebunt super eum, vt doleri solet in morte primogeniti. Et reduxit nos Ecclesiæ suæ post Resurrectionem suam in gaudio & iucunditate in sempiternum, sicut viderunt vicini Sion captiuitatem nostram à Deo, sic viderunt in celeritate salutem nostram, quæ nobis superuenit cum honore magno, & splendore, Baruch d.cap.4.nu.24. quando Christus Dominus noster propria virtute surrexit, & ascendit ad Cælum, & ibi sedet ad dexteram Patris.

Iàm Domine Iesu passus es pro nobis, & non fuisti commotus in misericordia tua; inueniatur nunc manus tua omnibus inimicis tuis; dextera tua inueniat omnes, qui te oderunt, cum ad iudicandum veneris, dicit Augustin. Potestas tua appareat, & inueniatur omnibus inimicis tuis, qui eam in humilitate tua non intellexerunt, nec voluerunt credere, idem dicit Hieron.hic.

Iam Domine venisti saluare quod perierat, Matth.18.num.11.& in misericordia Dei non commoueris, idest non recusas expectare, vt pœnitentes fiant inimici tui: non recusas longitudinem misericordiæ tuæ. Ideò venisti misericors, vt miserearis omnium nostrum, nàm per Isai.cap.46.nu.4. dixisti; vsque ad senectam ego ipse, & vsque ad canos ego portabo, ego feci, & ego feram. Inimici tui gloriantur in infirmitatibus tuis, fac vt redeant præuaricantes ad cor,

nàm

nàm tu Domine dedisti iàm salutem in Sion, in Ecclesia tua, vbi est gloria tua, Isai. d. cap. 46. num. 13.

Cognoscent te Saluatorem, & Dominum, si manus tua inueniat illos, affligendo illos, vexatio enim dat intellectum, Isai. 28. num. 19. et si permanserint odientes, dextera tua inueniat odientes te, maiori pœna affligendo, & corrigendo, vt sic cognoscentes scelera sua conuersi ad te laudent in Ecclesia nomen tuum: si enim grauiter flagellentur, & puniantur non poterunt effugere robur manus dexteræ tuæ; propterea dicitur, non fugiat velox, Ierem. cap. 46. nu. 6. nec saluare se putet fortis, Gigas enim non saluabitur in multitudine virtutis suæ, nec Rex in virtute sua multa, Psalm. 32. num. 16. faciunt, quæ dicta sunt in Sapien. cap. 19. per totum. Impijs autem vsque in nouissimum sine misericordia ira superueniet.

Dextera tua inueniat omnes, qui te oderunt, dans illos in vexationem, afflictionemq. omnibus Regnis terræ, in opprobrium, & in maledictionem, Ierem. 24. num. 9.

Donec ponas eos, vt clibanum ignis in tempore vultus tui; vultus enim tuus super facientes mala, Psalm. 33. num. 10. incensa, & suffossa ab increpatione tua peribunt, Psalm. 79. num. 17. Imperante te, & illos increpante, cessabunt à persecutione Ecclesiæ tuæ, ab odio, quem habent, cupiditasq. illorum mala peribit radix omnium peccatorum. Ignem venisti mittere in terram, optans, vt accendatur, Luc. 12.

Pones ergo eos, vt clibanum ignis, vt inflammati igne tui amoris accensi, combustis illorum peccatis recipias eos in æterna Tabernacula. Intrinsecus enim clibanus incenditur, sic eorum conscientiæ intrinsecus ardeant charitate, & doleant intrinsecè eò quod bona non fecerunt, & peccata illorum diù abscondita esse contenderunt à facie Dei; nunc verò recti habitent cum vultu tuo, Psalm. 139. num. 14.

Vel pones eos, vt clibanum ignis in tempore vultus tui, quando ostendes te in Maiestate tua visibilem omnibus, iudicabis omnes gentes; Adulterantes enim quasi clibanus incensus, dicit Ose. cap. 7. num. 4. & 6. & 7. constitues eos ardentes intrinsecus conscientia impietatis suæ, hæc August. deinde conturbati vindicta Domini post accusationem conscientiæ, dabuntur igni æterno deuorandi, & hoc est, quod dicit Psalm.

Dominus in ira sua conturbabit eos; & deuorabit eos ignis, Psalm. 105. exarsit ignis in Synagoga eorum, flamma combusit peccatores, & Isai. 66. num. 44. & videbunt cadauera virorum, qui præuaricati sunt in me: vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur; & erunt vsque ad satietatem visionis omni carni, &c.

Dominus in ira sua conturbabit eos, & deuorabit eos ignis; Nàm dicet illis, quando venerit in nubibus in Maiestate sua, & omnes Angeli eius cum eo, Matth. 24. num. 30. Marc. 13. num. 14. Luc. 21. num. 25. dicet enim illis, qui à sinistris sunt; discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis eius, Matth. 25. num. 41. Dominus conturbabit eos eijciens foras, & mittens in ignem, quo continuò, ac semper deuorabuntur nunquam deficientes, neque igne cessante.

Fructum eorum de terra perdes, & semen eorum à filijs hominum. Fructus

impij cum sit ad peccatum, Prouerb. 10. num. 16. ipsi iàm ad ignem damnati, non amplius in terra erunt, in qua peccare queant, sic ignis ardens exterminabit fructum illorum, Sap. 16. num. 22. nec non, & semen eorum, idest discipulos, & filios, quos mala doctrina generarunt.

Quoniam declinauerunt in te mala. Expedit, dicebant Iudæi, quòd vnus moriatur pro populo, Ioan. 11. num. 50. ideò declinauerunt in Christum, idest intenderunt, contrà illum machinati sunt mala, & declinauerunt ad iniquitatem, quam cœperunt sequi post miseriam, Iob. 36. num. 21. declinauerunt in me iniquitates. Præcipita Domine linguas eorum, Psalm. 54. num. 4. & 10. iniquis illis recta videbatur via permanendi in iniustitijs, & malignitatibus suis, sed nouissima illorum duxerunt ad mortem, Prouerb. 16. num. 25. ideò cogitauerunt consilia, vt tollerent Iesum. Quæ non potuerunt stabilire; occidamus iustum, quia est contrarius operibus nostris, Sap. 2. Ioan. 11. iube custodiri sepulchrum, postquam occisum illum Discipuli sepelierunt, ne Discipuli furentur, &c.

Non potuerunt stabilire consilium, nàm surrexit Dominus, & dissipata sunt consilia illorum; illi verò à Romanis iussu Dei occisi, dispersi sunt, & in inferno sepulti; fructus eorum de terra perditus est, & semen illorum simul, idest filij, & descendentes, succisi sunt omnes, qui vigilabant super iniquitatem, qui declinauerunt frustrà à iusto, Isai. 29. num. 20. & 21. Iuuenes morientur in gladio, filij eorum, & filiæ eorum morientur in fame, & reliquiæ non erunt ex eis, Ierem. 11. num. 22. & 23.

Quoniam pones eos dorsum, in reliquijs tuis præparabis vultum eorum. In dorsum positi sunt vsque adhuc, quamuis non omnes, quia credentes salui facti sunt; subtus enim populus Iudaicus factus est, dispersus, profugus; In reliquijs tamen eorum, hoc est, in filijs suis Apostolis scilicet, & fidelibus Christum Iesum prædicantibus opera manuum Domini præparabit vultum eorum, nàm cum videant supradictos filios suos in medio eorum sanctificantes nomen meum, dicit Dominus, & sanctificabunt sanctum Iacob, & Deum Israel prædicabunt, scient errantes spiritu intellectum, & mussitatores discent legem, mussitatores, idest susurrones Iudæi contrà Christum murmurantes, Isai. d. cap. 29. num. 23. & 24. illis positis dorsum, extrà Ecclesiam, extrà Dei protectionem, qui obstinati negauerunt, adhucq. negant filium Dei Redemptorem nostrum.

In reliquijs verò illius gentis, quæ saluæ fieri debent, præparabit Dominus vultum eorum, hoc est aperiet illis intellectum, & cognoscent, confitebunturq. Iesum Christum: vultus enim pro cognitione proponitur, Psalm. 4. num. 7. signatum est super nos lumen vultus tui Domine, & Psalm. 66. num. 2. Illuminet vultum suum super nos, & Psalm. 88. num. 16. in lumine vultus tui ambulabimus, Isai. cap. 10. num. 21. & sequen. Reliquiæ conuertentur, reliquiæ inquam Iacob ad Deum fortem; si enim fuerit populus tuus Israel quasi arena maris, reliquiæ conuertentur ex eo; Consummatio abbreuiata inundabit iustitiam; Consummationem enim, & abbreuiationem Dominus Deus exercituum facit in medio terræ.

Dorsum ponet eos, Luc. 13. num. 28. & cum videritis Abraham, Isaac, Iacob, & omnes Prophetas in Regno Dei, vos autem expelli foras, dicet vobis Dominus, discedite à me omnes operarij iniquitatis, &c. ibi erit fletus, & stridor gentium.

Vel

Vel dicamus, In reliquijs tuis præparabis vultum eorum, quod reliquiæ scilicet Israel, quæ saluæ fient, vt dixi, cum Sanctis alijs iudicabunt Nationes, & dominabuntur populis, & præcipuè reliquiæ Israel iudicabunt Israelitas impios, qui tale iudicium audientes, atque videntes reliquiarum suarum turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in subitatione insperatæ salutis, Sap. 3. nu. 8. & cap. 5. nu. 1. Itaque in reliquijs tuis præparabis Domine vultum eorum, idest iudicium eorum, per quod increduli condemnabuntur. Nec mirandum, quòd sint illos iudicaturi; nàm 1. Corinth. 6. nu. 2. ait Apostolus. Nescitis quòd Angelos iudicabimus, & Iud. nu. 14. ecce Dominus venit in Sanctis millibus suis facere iudicium contrà omnes, & arguet omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum, Vos autem ipsos, nu. 20. arguite iudicantes, &c. venient ergo Angeli Domini, & separabunt bonos à malis, Matth. 13. num. 9. & cap. 24. num. 32.

SOLILOQVIVM.

EXALTARE Domine in virtute tua; cantabimus, & psallemus virtutes tuas. Iam Domine in humilitate carnis nostræ venisti; in secundo Aduentu exaltare, & demonstra potentiam tuam, & virtutem tuam; iàm scimus, quia in Maiestate, & cum Angelis tuis, cum tota potestate venturus es. Veni Domine in magna Maiestate tua, & in virtute tua magna.

Tunc enim nos serui tui cantabimus, & psallemus virtutes tuas, si dederis nobis cor sincerum, & mundum, operationes in conspectu validas, conscientiam puram, & perseuerantes in tuo seruitio famulatum: vt in iudicio tuo cum Sanctis tuis condemnantes impiorum Iudæorum, & Hæreticorum impietates, audiamus vocem; nobis intonantem, & dicentem: Venite, & vos benedicti Patris mei, percipite Regnum, quod vobis paratum est à constitutione mundi, quod nobis per suam misericordiam concedat, & Deus Pater omnipotens. Amen. Sancti Dei succurrite nobis. Amen.

IN PSALMVM XXI.

Deus Deus meus respice in me: quare me dereliquisti? longè à salute mea verba delictorum meorum.

PSALMVM istum ad literam de Christo omnes Doctores exponunt, ità vt cum quidam Theodorus illum ad literam de Dauide explanasset à Synodo Toletano damnatus fuerit.

Titulus est: In finem pro susceptione matutina. Hebræi: super ceruam matutinam, Psalmus Dauid, seù, Canticum Dauid; verba dicti Psalmi alio adaptare nec valemus, nec possumus, vt in expositione illorum verborum latius demonstrauimus.

Continuatur ad præcedentem, nàm in illo de gloria Christi, de eius coronatione, & præuentione in benedictionibus, de eius immortalitate, de malo Hebræorum consilio, quod non potuerunt contrà Christum stabilire, & de illorum punitione. Nunc in isto XXI. declaratur mortis genus, quam Christo intu-

intulerunt, propter quod deorsum positi sint, & in ignem condemnati, quia Dominum vitæ crucifixerunt, & morti tradiderunt. De genere mortis, foderunt, inquit, manus meas, & pedes meos, & dinumerauerunt omnia ossa mea, quam quum reliquiæ salutæ faciendæ, quæ eum resurrexisse cognoscent, & humani generis Redemptorem fuisse, confitebuntur.

Summa istius Psalmi est, de Passione Domini, de eius Resurrectione, de institutione Conuiuij, idest Sanctissimi Sacramenti Eucharistiæ, quod est eius corpus, quod edentes vitam æternam habebunt; caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus, qui manducat meam carnem viuet in æternum, Ioan.6. num.56. & 59.

Titulus ergo. In finem, in Christum pro susceptione matutina reassumendo iterum corpus suum, quando de mane surrexit, quæ reassumptio fuit in gloria, de qua Psalm. 27.nu. 24. & cum gloria suscepisti me; in aurora enim surrexisse testatur August. Hieron. & Greg. Patres.

Si verò legamus, super Ceruam matutinam, vt Hebræi, & etiam ex hoc Passio Domini demonstratur, qui ad modum Ceruæ fuit, quasi venatione perquisitus à Iudæis. Circundederunt, inquit Psalm. me canes multi, & secundum Hieronym. hic, litera est, circundederunt me venatores, Resurrectio etiam ex Ceruis demonstratur; qui montes excelsos ascendunt, Psalm. 103. montes excelsi Ceruis, sic Christus de inferis ad Cælum ascendit: Cerua enim pro humanitate Christi accipitur, prout latius infrà.

Deus Deus meus respice in me: quare me dereliquisti? longè à salute mea verba delictorum meorum, Deus meus clamabo per diem, & non exaudies, & nocte, & non ad insipientiam mihi. Christus Dominus noster in Cruce existens ista declarauit; eundem sermonem dicens, Deus Deus meus, vt quid dereliquisti me? non quia derelicta sit vnquam Humanitas Christi à Diuinitate, sed vt ostendat nobis Passionem suam in vera Humanitate, quam ille assumpserat. Longè à salute mea verba delictorum meorum, non quòd sua fuerint delicta, sed loquitur de delictis ouium suarum Israel, propter quas venerat; verba enim dixit delictorum meorum, illorum scilicet hominum rebellium, qui continuè instabant, & clamabant contra Iesum, vt illum dolo traderent, sic in Psalm.58.num.13. Delictum oris eorum sermonem labiorum ipsorum, & comprehendantur in superbia sua, & Psalm.35.num.4. Verba oris eius iniquitas, noluit intelligere, vt benè ageret. Dicebant enim quid facimus, quia hic homo multa signa facit, moriatur vnus pro populo: instabant, postquam illum cœperant, vt crucifigeretur dicentes, si non esset hic malefactor non eum tradidissemus tibi: crucifigatur, vah qui prophetizas; alios saluos fecit, seductorem appellantes Iesum nostrum.

Delictorum ergo verba populi mei, longè à salute mea, à me Saluatore, qui propterea, vt saluarentur veni, & carnem suscepi. Verba delictorum istorum, qui iàm erant populus meus, nunc autem non populus meus, longè ipsum fecerunt à salute mea, quam daturus illi eram. Illud ergo delictorum meorum refertur ad populos, ad homines, non ad Iesum.

Postquam, vt saluarem illos, veni in mundum, non cessaui die, ac nocte clamare; non tamen ad insipientiam mihi, quia iàm sciebam, illos perditos fore, & quòd nec me, nec meos Discipulos recepturi erant, Isai. d. cap. 49. Audite

Insu-

Infulæ, & attendite populi de longè, & num. 4. In vacuum laboraui sine causa, & vanè fortitudinem meam consumpsi; Ego iudicium meum cum Domino; & opus meum cum Deo meo.

Propterea dico, Deus Deus meus, vt quid dereliquisti me? Iudicium meum cum Domino illud est, quod sequitur; Tu autem in sancto habitas laus Israel, quasi dicat, Audiui Pater vocem tuam: iam veni in mundum Domine ad saluandas oues, quæ perierant, domus Israel, Matth. 10. nu. 6. & 16. & 24. carnem assumpsi, at excæcatum est cor populi huius, & aures eius aggrauatæ, recordare Domine, quia homines sunt, & peccatores, omnes iniusti, & vana opera eorum, Isai. 41. n. 29. veruntamen illorũ miserearis Domine, cum tu ipsa sis misericordia.

Tu autem in sancto habitas, laus Israel, Gentiles namque cum Deum non cognoscerent, dicebant, vbi est Deus eorum? sed Israel laudabat te, benedicebat tibi, laus tua in ore Israel erat, non in populo Gentili, qui Idola venerabatur. In sancto habitas Domine, in Cælo, exindè sic istum dilexisti, vt me filium tuum ad illum mitteres, miserere Domine, miserere populi huius nostri.

In te propterea sperauerunt Patres nostri: sperauerunt, & liberasti eos; in te sperauerunt, & non sunt confusi: nam acceperunt diuinum responsum tuum; & salui facti sunt.

Ad te clamauerunt, & salui facti sunt, in te sperauerunt, & non sunt confusi; in sancto habitas Domine, vbi est misericordia. Vel dicamus, Christum Patres illos appellasse, cum ex parte Matris Mariæ eos Patres habuerit, filius enim Dauid vocabatur, & filius Abraham, ad Roman. cap. 1. num. 13. de filio (inquit) suo, qui factus est ei ex semine Dauid secundũ carnem, qui prædestinatus est filius Dei.

Sperauerunt Patres, sed isti sperauerunt Dominum Iesum, Isai. 1. nu. 2. & Deus spreuit eos, Psalm. 77. num. 59. & ad nihilum deduxit valdè Israel.

Popule meus attende ad me, quia lex mea à me exiet, at si tu non attendas iudicium meum in lucem populorum requiescet. Propè est iustus meus, dixit Pater egressus est Saluator meus, & brachia mea populos iudicabunt, me insulæ expectabunt, & brachium meum sustinebunt, salus mea in sempiternum erit, & iustitia mea non deficiet, Ioan. 51. num. 5. & sequen. ipsi verò spreuerunt me, & opprobrium sum illis, Isai. d. cap. 49. nu. 6. parum est, vt sis mihi seruus (ad filium tamquam ad hominem loquitur) ad suscitandas tribus Iacob, & fæces Israel conuertendas, ecce dedi te in lucem gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ; Populus meus omnes iusti in perpetuum hæreditabunt terram, Isai. c. 60. num. 21. & in die illa erit Dominus exercituum, gloria, corona, & sertum exultationis residuo populi mei, Isai. 28. num. 5.

Sed Domine sancte Pater, respondit Iesus; Ego sum vermis, & non homo, opprobrium hominũ, & abiectio plebis. Vermis, quia humiliatus sum nimis, & vsque ad mortem, mortem autem crucis, quam homines isti intenderunt mihi inferre; vah dicebant illudẽtes, & blasphemantes me. Vermis, quia in terra sum, & absque semine Viri, natus ex Maria Virgine, sicut vermis in ligno sine Patre; Vermis, cuius habitaculum est mihi nunc in terra; sed ne timeas vermis Iacob, Isai. 41. quia etsi vermis, ascẽdes in Cælum. Opprobrium hominũ sum, & abiectio plebis. Omnes enim illudebant ei dicentes, vah qui prophetizas, salua teipsum, Psal. 108. mouerũt capita sua, & ego factus sum opprobrium eis; adiuua me Domine Deus, & sciant, quia manus tua hæc fecit, & tu Domine fecisti ea: maledicẽt mihi, & tu benedices.

Sequitur Psalm. num. 7. omnes videntes me deriserunt me, locuti sunt labijs; & mouerunt caput. Ignosce tu Domine illis, quia nesciunt quid faciunt, Luc. 23. nu. 34. Cui Dominus, Consurge, Consurge induere fortitudinem brachium Domini: Consurge sicut in diebus antiquis, in generationibus sæculorum; nunquid non modò tu percussisti superbū, vulnerasti Draconem? nunquid non tu siccasti mare, & posuisti profundum maris viam, vt transirent liberati, Isai. d. cap. 51. n. 11. & nunc qui à Domino redempti sunt, reuertentur, & num. 12. quis tu, vt timeres ab homine mortali? & à filio hominis, qui quasi fœnum ità arescet.

Nunc Propheta loquitur dicens, num. 9. Sperauit Christus, vt homo in Domino, eripiat eum, & saluum faciat eum, quoniam vult eum, scilicet talem habere; ità Hieron. sine peccato, per quem peccata mundi tolleret, iuxtà Isai. 53. nu. 4. & 5. Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit, ipse vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra; disciplina pacis nostræ super eum, & liuore eius sanati sumus, & quia sperat in Domino eripiat eum, si vult, ab istis tribulationibus, & illum saluum faciat, quia potens est; Vel dicamus, ista esse verba Principum Sacerdotum, quæ in spiritu repræsentat Propheta hic: Confidit in Deo, liberet nunc, si vult, eum, dixit enim, quia filius Dei est, idem Luc. 23. num. 35. & hic sanior videtur, & aptior intellectus; saluum ergo faciat eum, quoniam vult eum, idest si vult eum.

Quoniam tu es, qui extraxisti me de ventre spes mea ab vberibus Matris meæ, num. 10. Iterum Christi humanitas iudicium cum Domino dicit, Domine tu me de ventre Matris extraxisti; Verbum aptissimum, vt intelligamus, sine hominis ministerio, vel semine genitum fuisse Dominum Iesum Christum virtute sola Spiritus sancti, ex purissimis sanguinibus, & in ventre Virginis Mariæ, tu enim Domine fuisti, qui ex consensu Virginis de ventre illius extraxisti me.

Quod autem de Spiritu sancto virtus Altissimi, vt Deus è Maria Virgine pariturus esset, prædixit Deus ipse, & per Isai. cap. 66. nu. 9. Nunquid ego, qui alios parere facio, ipse non pariam, dicit Dominus? & paulò superius, num. 7. antequam parturiret peperit, & antequã veniret partus eius, peperit masculum. Quod omnes, etiam Rabbini intelligunt de partu Messiæ; id enim sic exponitur. Antequam Beata Virgo Maria dolorē partus sentiret, peperit, quia sicut Virgo cōcepit, ità sine dolore peperit. Benè ergo ait Iesus extraxisti Domine me de ventre; Spes mea ab vberibus Matris meæ, in te proiectus sum ex vtero. Cum ergo tu Domine virtute tua carnem de ventre Virginis me suscipere fecisti, & de eodem ventre sine dolore Matris, quia semper fuit Virgo, me extraxisti; ex quo vbera Matris, quæ lacte cælesti plena erant, ego suxi; Spes mea in te fuit Domine, immo in te proiectus sum ex vtero, antequam lac sugerem.

De ventre Matris meæ Deus meus es tu; ne ergo discedas à me, quoniam tribulationes circundederunt me, & dolores mortis inuenerunt me, præoccupauerunt me laquei mortis, Psalm. 17. num. 6. sequitur Psalm.

Quoniam tribulatio proxima est, & non est qui adiuuet. Omnes enim fugerunt in eiusdem captura, Iesu solo relicto, Matth. 26. nu. 56. Marc. 14. nu. 50. ecce venit hora, vt vnusquisque in propria dispergamini, & me solum relinquatis; tu Domine solus sancte Pater mecum es, Ioan. 16. n. 32. Iàm Ceruam, seù Ceruum inuenerunt Venatores, iuxtà Titulum istius Psalmi, Pro Cerua matutina, in finem secundum Hebræos: Videamus modum Venationis.

b Circundederunt me vituli multi: Tauri pingues obsederunt me: Vituli, ait, lasciuientes, Iudæi enim lasciuientes, & incontinentes erant; ex vna ergo parte Iudæi venerunt ad Iesum, quem in horto orantem inuenerunt, vt illum caperent; Ex altera verò parte Tauri pingues, idest Principes illorum, qui pingues dicuntur, & Tauri propter superbiam, & crassitudinem malitiæ, ità Hieronym. Tauri multi, Matth. cap. 26. num. 47. & cum Iuda turba multa missi à Principibus Sacerdotum, & Senioribus, Marc. cap. 14. num. 43. cum turba multa à summis Sacerdotibus, & Scribis, & Senioribus, cum ergo vidissent eum Pontifices, & Ministri clamabant, crucifige, Ioan. 19. num. 6. & cap. 18. num. 3. Accepit cohortem à Pontificibus, & Pharisæis Ministros, ecce quomodò Vituli multi, plebs multa scilicet, Tauri multi, ecce Principes Sacerdotum superbi, qui concilium fecerunt aduersus Iesum, vt illum caperent, Matth. d. cap. 27. in princ. Matth. 23. per totum. Tribulatio proxima est, Ceruа iàm inuenta est Tauri, & Vituli præparati ad illam capiendam, & occidendam, concilium inter Venatores fit, quomodò sit capienda Cerua, ne fugiat, atque è manibus illorum euadat, concilium faciunt Principes Sacerdotum, & Seniores populi aduersus Iesum, aduersus Ceruam, vt eum dolo tenerent, & occiderent, Matth. 26. num. 4. Et ecce vnus ex Discipulis Iudas Iscariotes Venator Diaboli, quid vultis, ait, mihi dare, & ego eum vobis tradam? & exindè quærebat opportunitatem, Matth. d. c. 26. n. 15. & dedit illis signũ, dicens, nu. 48. quemcunque osculatus fuero, ipse est, tenete eum: Sciebat enim locum, & Iudas, qui tradebat Iesum, quia frequenter Iesus conuenerat illùc, trans Torrentem scilicet Cedron, vbi erat hortus, Ioan. 18. in princ.

c Audistis Venatores, & exploratores Diaboli Iudæ traditionem Magistri; audite etiam Tauros pingues, Principes scilicet, & Seniores; Aperientes os suum sicut leo rapiens, & rugiens, gauisi sunt audita proditione Iudæ, Matth. cap. 14. num. 11. Luc. 22. nu. 6. Constituerunt illi triginta denarios argenteos, Matth. 26. nu. 15. Inuenta est præda, in horto, capitur à Iudæis, & à turbis, quid faciendum consulunt, ducitur Cerua ad Caipham, Matth. 26. n. 57. quærunt falsum testimonium aduersus eum, vt eum morti traderent, Matth. 28. in princ. Marc. 15. in princ. aperuerunt os suum dicentes, crucifigatur, Ioan. 19. num. 6. sic clamabant Pontifices, & Ministri.

Sicut aqua effusus sum, & dispersa sunt omnia ossa mea, num. 15. factum est cor meum tamquam cera liquescens in medio ventris mei, Luc. d. c. 22. nu. 44. & quando antequam caperetur, factus in agonia prolixius orabat, & factus est sudor eius, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram, ecce sicut aqua effusus est Iesus, cor suum conturbatum est, dereliquit eum virtus sua, nàm factus est in agonia: & Psalm. 37. nu. 9. rugiebam à gemitu cordis mei, & Psalm. 101. n. 6. à voce gemitus mei adhæsit os meum carni meæ, & cum sanguis eius ex impositione capiti eius coronæ spineæ arctissimæ impositæ, quæ ad medium vsque frontis descendebat, & ex flagellis toto corpori suo datis, hàc enim atque illàc perfluebat sanguine, & vt dicit Beata Brigitta in suis Reuelationibus lib. 1. cap. 10. & lib. 4. cap. 70. Dei genitrice id sic enarrante: Plurimis riuis sanguinis ex aculeis infixis decurrentibus per faciem eius, & crines, & oculos, & barbam replentibus, vt quasi mihi nisi sanguis totus videretur; nec ipse me astantem cruci videre potuit, & d. c. 10. n. 9. & quod amarius erat, cum retraherentur flagella, carnes ipsis flagellis sulcabantur; cumq. filius meus totus esset sanguinolentus, vt in eo non inueniretur sanitas,

nec quid flagellaretur: tunc vnus, quia concitato in se spiritu quæsiuit; nunquid interficietis eum sic iniudicatum? & statim secuit vincula eius; sicut ergo aqua effusus est, & eadem Brigitta, omne corpus pallidum, & languidum ex fluxu, & egressione sanguinis, Brigitta cap. 10. lib. 1. num. 12.

Et dispersa sunt omnia ossa mea. Factum est cor meum tamquam cera liquescens in medio ventris mei, Thren. cap. 3. num. 4. vetustam fecit pellem meam, contriuit ossa mea, & Psalm. 30. num. 11. conturbata sunt ossa mea. Dispersa ossa dicuntur Iesu, quia lingua Iudæorum gladius acutus erat, acuerunt linguas suas, sicut serpentes, venenum aspidum sub labijs eorum, Psalm. 139. num. 4. & Psalm. 58. num. 8. ecce loquuntur in ore suo, & gladius acutus in labijs eorum, hinc Eccles. cap. 28. nu. 21. flagelli plaga liuorem facit, plaga autem linguæ comminuit ossa, & Brigitta dicto cap. 10. num. 9. & in fine, & manum ipsam ex parte perforabant, quò os solidius erat, & eodem lib. 4. cap. 70. num. 6. indè alia manus ad reliquum cornu non attingens distenditur, & pedes similiter ad foramina distenduntur; Cancellatiquè, & quasi à tibijs infrà distincti duobus clauis ad crucis stipitem, per solidum os, sicut, & manus erant, confinguntur. Sed quomodò factum est cor meum tamquam cera liquescens, audi eandem Brigittam dicto cap. 10. lib. 1. nàm quandoquè dolor, de membris, & neruis corporis perforatis ad cor ascendebat, quod recentissimum erat, & incorruptum, & incredibili dolore, & passione vexabat ipsum: & quandoque dolor à corde in membra lacerata descendebat, & sic mortem prolongabat eum amaritudine. Ecce cor eius liquescens, quia dolor ex illo ad plagas perfluebat, sicut cera liquescens: & paulò inferius eadem Brigitta, Venter autem, consumptis iàm humoribus, dorso applicatur; Vel dicamus, quòd vulneratus fuit Christus, & cor etiam eius vulneratum est, ex quò sanguis in medio ventris tamquam aqua effusus est, & etiam extrà apparuit sanguis, & aqua, Ioan. 19. num. 34.

Aruit tamquam testa virtus mea, cum iàm non essent amplius in Iesu vires, neque humores, sicut in testa, cum coquitur humor tollitur, & fit arida.

Aruit tamquam testa virtus mea, & lingua mea adhæsit faucibus meis, ob idipsum, quod defecit humor, vndè Thren. 4. num. 4. adhæsit lingua lactentis ad palatum eius in siti.

Et nihilominus hæc satis tibi Domine visa non fuerunt; Quin etiam in puluerem mortis, hoc est me mori voluisti, deduxisti me, in cogitationibus scilicet Iudæorum, credebant quippè, quòd si morerer, non amplius essem resurrecturus; Vndè dicebat, Melius est, vt vnus moriatur pro populo, ne tota gens pereat; in hoc eodem Psalm. num. 19. ipsi verò considerauerunt, & inspexerunt me, &c.

Circundederunt me canes multi consilium malignantium obsedit me, cum in crucem tollerer tamquã latrantes cõtrà me. Nec dum enim satis satiati, me reliquerunt; sed summa crudelitate ijdem institerunt, vt foderent manus meas, & pedes meos clauis impositis in illis, vt corpus in cruce sustineretur, dinumerauerunt omnia ossa mea, nàm ità flagellatũ, & verberatum, percussum relinquerũt, vsque ad costas, itaut costæ viderentur, immo, & maxillæ submersæ apparuerũt, & vultus lugubris, os apertum, & lingua sanguinolenta, venter dorso inhærens, consumpto humore, quasi non haberem viscera, vt sup. ex B. Brigitta in lib. 1. d. cap. 10. nu. 12.

Ipsi verò considerauerũt, & inspexerunt me. Considerabãt enim dicẽtes, nonnè hìc est, qui Lazarum mortuũ resuscitauit, qui talia fecit, quæ nunquam visa sunt,

nec homo facere potuit? neque sic locutus est homo, sicut hic homo? Ioan. c.7. num. 46. Ventis, & mari imperauit, & comminatus est eis, Marc.4. num. 39. dicens, tace, & obmutesce, & cessauit ventus, & facta est tranquillitas magna, Luc.9.num.24.

Propterea sedentes seruabant eum, dicit Matth. cap.27. num.36. & Zach.12. num.10. & aspicient ad me, quem crucifixerunt, Ioan.19.num.37. videbunt in quem transfixerunt: sinite, & videamus, an veniat Elias ad liberandum eum, Marc.15.num.36.

Considerauerunt, & inspexerunt me, dicit Psalmus supradictus: alij enim capita ipsorum mouebant, illudentes ei, si filius Dei es, salua te ipsum, liberet nunc eum Dominus de manibus nostris, alij verò dicebant; verè hic filius Dei erat, Matth.27.num.54. inter quos Centurio, Luc.23.num.47. glorificauit Deum, verè hic homo iustus erat: alij percutientes pectora sua reuertebantur, ibidem Luc. num.48. sedentes ergo seruabant eum, Matth. dicto cap.27.nu.36. & stabat populus spectans, & deridebant eum principesq. cum eis, Luc.23.num.35.

Diuiserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem, Matth. cap.27.num.30. & postquam illuserunt ei, & num.35. diuiserunt vestimenta eius sortem mittentes, Ioan.19.num.24. quærebant in totum memoriam Iesu delere, itaut neque illius vestigium inueniretur, neque etiam vestimenta eius reperirentur. Quapropter Iudæi posteà denunciauerunt Petro, & Ioanni, quos comprehensos tenebant, ne vltrà loquantur in nomine Iesu vlli hominum, Act. cap.4. num.18. & eò magis numerus credentium augebatur in Domino, & multa turba Sacerdotum obediebat fidei, Act.cap.6.nu.7. & 8. donec in omnem terram fides Christi diffusa sit.

Milites qui crucifixerunt eum diuiserunt vestimentum, quod erat superius, tunicam verò, quæ erat inconsutilis, non diuiserunt, iuxtà enim carnem Iesus illa stabat: Vestis verò, seù pallium, quod superius erat, corpus tegebat, nec enim hæc sine mysterio magno; cum enim superficialis littera Testamenti Veteris totum esset in figura, instar externæ vestis operiebat, quod intus erat diuisa ea est, nàm quidam ex infidelibus circuncisionem, quæ ex lege Veteri, alij verò aliam partem, vt Iudæi, & Hæretici, & Schismatici; Vestis verò, seù tunica inconsutilis, & interior integra remansit; legem scilicet designans Euangelicam, quæ semper indiuisa, intacta erit, & vsque ad consummationem sæculi perdurabit; nec illa tunica cecidit in sortem Iudæo alicui, sed militi, qui Gentilis erat, ad denotandum, quòd sors Euangelica, & fructus passionis nō cecidit in populo Iudæorum, sed in populo Gentili ad fidem conuerso. Ità Valent. in dicto Psalmo, quia Gentilitas saluanda erat.

Nunc incipit secunda pars Psalmi supradicti 21. num.20. Tu autem Domine ne elongaueris auxilium tuum à me; Fiat Domine circà passionem meam voluntas tua, libenter patior pro salute illorum, quos dedisti mihi, & pro eis ego sanctifico me ipsum, vt, & ipsi sint sanctificati in veritate, Ioan.17. num.19. sed tu Domine auxilium tuum ne longè facias à me, non rogo amplius, vt transferas calicem istum à me; immo dixi traditori Iudæ, quòd facis, fac citius, Ioan. cap.13.num.27. sed tu Domine fac me citò venire ad te, quamuis Diuinitas mea sit semper tecum. Ad defensionem meam conspice, ne quid mihi illa pars inferni voracis præualeat, hic Hieronym. Ne diutius ibi pro liberatione animarum

sanctarum detineat; post dies enim tres me dixi resurrecturum; Ad defensionem meam conspice, describitur ergo hic resurrectio Christi ex virtute Deitatis, quam homo Christus post narrationem passionis suæ pro humani generis salute, conspice, dicebat, ad defensionem, idest accelera, festina, Text. Chald. non ad defensionem corporis, quod iàm dilaniatum, & laceratum totum, itaut ossa dinumerari possent, sed ad defensionem animæ meæ, idest Ecclesiæ meæ, quam sanguine meo redemi.

Erue à framea animam meam, & de manibus canis vnicam meam, quæ enim anima Christi, & quæ vnica sua, nisi fideles illius, Ecclesia scilicet sua sancta, quæ vnica est, vna tantùm, & illi dilectissima, pro qua tanta passus est tormenta; Ioan. 17. num. 11. & pro eis sanctifico meipsum; iàm ego non sum in mundo, & hi in mundo sunt; loquitur de suis fidelibus, serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, vt sint vnum, sicut, & nos; serua eos à malo, num. 13. & 19. & sequen. non pro eis rogo tantùm, sed pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me, vt omnes vnum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, & vt ipsi in nobis vnum sint.

Ad defensionem igitur dilectæ meæ, animæ meæ conspice Domine, vt eruas eam à framea, nàm multa passuri sunt fideles mei, Ecclesia propter nomē meum, plantaturi sancti Martyres sunt Ecclesiam sanguine suo; sed Domine ne diù patiaris illos tormentis affici, ad defensionem conspice; quia mei sunt, & animam posui pro illis, & vnum sunt, quia illorum est vna fides credentium, & pietas actionum, Act. cap. 4. num. 32. erat cor vnum, & anima vna multitudinis credentium, Sap. cap. 7. num. 27. ad quos Deus per Zach. cap. 2. num. 8. qui tetigerit vos, tanget pupillam oculi mei.

Salua me ex ore leonis, & à cornibus vnicornium humilitatem meam. Populum scilicet meum fidelem, Ecclesiam meam; libera eam, quia sine macula est, ab ore leonis, Diaboli scilicet, & à cornibus vnicornium, hoc est à Patre superborum, qui est Diabolus, & ab Angelis eius; Reddit rationem, cur debeant ab illis inimicis superbis liberari, quia fideles, & iusti, quia me sequuntur, ergo humiles sunt, & quicunque humiliauerit se, hìc maior est in Regno Cælorum, Matth. 18. num. 4. hinc Paul. 2. Corinth. cap. 12. num. 21. humiliet me Deus apud vos, Psalm. 118. num. 71. bonum mihi quia humiliasti me, idcircò, Prouerb. 18. num. 12. cor hominis antequam glorificetur, humiliatur, non patiaris ergo animam meam, gentem meam, quam sic vt animam meam diligo, in humilitate sua turbari à Diabolo.

Incipit tertia pars Psalmi nu. 23. Narrabo (inquit) nomen tuum fratribus meis, & in medio Ecclesiæ laudabo te; Scio, quia semper exaudis me Domine Pater; non patieris fideles meos, & Ecclesiam meam vinci à Diabolo, & à ministris eius, semperq. immobilis, & constans persistat in soliditate fidei, ad hoc enim ego veni in mundum, & ero cum illis vsque ad consummationem sæculi.

Propterea rogaui pro Petro Vicario meo, vt non deficiat fides sua, vt ille conuersus confirmaret fratres suos. Narrabo propterea nomen tuum fratribus meis, idest Apostolis, in medio Ecclesiæ, quam ex Iudæis, & ex Gentilibus collegi; laudabo te. hinc Paul. ad Hebr. cap. 2. nu. 10. Decebat eum, propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloria adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem consummare; qui enim sanctificat, & qui sanctificatur, ex

vno omnes, propter quam causam non confunditur eos fratres vocare, dicens; nunciaui nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesiæ laudabo te.

Qui timetis Dominum, laudate eum, vniuersum semen Iacob glorificate eum.

Timeat eum omne semen Israel, quoniam non spreuit, nec despexit deprecationem pauperis.

Nec auertit faciem suam à me, & cum clamarem ad eum exaudiuit me, num.24.&25.

Christus loquitur exhortando fideles, vt laudent Deum; fideles inquam tàm ex genere Iudæorum secundum carnem, quàm Gentiles ex fide generati, & de semine Iacob effecti; propterea dixit, vniuersum semen Iacob glorificate eum, date gloriam Deo, qui mittens filium suum vnigenitum liberauit vos omnes à pœnis inferni, propterea glorificate eum, idest gloriam exhibeatis illi, coram omnibus viuentibus in testimonium meæ virtutis, & potentiæ.

Qui timetis Dominum, laudate eum, timeat ergo eum omne semen Israel, quoniam non spreuit, nec despexit deprecationem pauperis, quia timor Domini est gloria, & gloriatio, & lætitia, & corona exultationis, Eccles. cap. 1. num. 11. vos fideles, qui timetis Deum, qui notitiam Dei habetis, & illum colitis, sic Ionas cap. 1. num. 9. ego sum Hebræus, & Dominum Deum Cæli ego timeo, qui fecit mare, & aridam; Vniuersumq. semen Israel glorificate eum, Laudate eum, quia non spreuit, nec despexit deprecationem pauperis Christi; & pauper nasci voluit, & mori, vt nos saluaret. Narraui nomen Domini fratribus, & fidelibus, qui cognoscunt, quòd tu Domine misisti me filium tuum, notum feci nomen tuum, dicit Christus, & notum faciam, vt dilectio, qua dilexisti me, in ipsis sit, & ego in ipsis, Ioan. 17. num. 26. Nec auertit faciem suam à me, & cum clamarem ad eum, exaudiuit me, Luc. 10. nu. 21. In illa hora exultauit Spiritu sancto, & dixit; confiteor tibi Pater Domine Cæli, & Terræ, quòd abscondisti hæc à Sapientibus, & reuelasti ea paruulis, quocircà num. 23. conuersus ad Discipulos suos dicit, Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis: & Psalm. 20. num. 3. desiderium cordis eius tribuisti ei, & voluntate labiorum eius non fraudasti eum: Vitam petijt à te, & tribuisti ei, & voluntate labiorum eius non fraudasti eum.

Apud te laus mea in Ecclesia magna; vota mea Domino reddam in conspectu timentium eum. Apud te (inquit) laus mea in Ecclesia magna, ergo apud Deum non est laus Christi in Synagoga Hebræorum, Isai. cap. 1. nu. 13. ne offeratis vltra sacrificium frustrà; incensum abominatio est mihi, Neomeniam, & Sabbatum, & festiuitates aliàs non feram, Kalendas vestras, & solemnitates vestras odiuit anima mea, manus enim vestræ sanguine plenæ sunt, Isai. 59. num. 2. iniquitates vestræ diuiserunt inter vos, & Deum vestrum; non amplius ergo in Synagoga sunt vota Christi, quæ in figuris contingebat illi, sed realiter, & vera vota Christi, idest sacrificium sui corporis, quod continuè sub speciebus panis, & vini consecratis à Presbyteris, & in conspectu timentium eum, Christianorum scilicet offertur.

Quem pauperes, idest Apostoli, & successores, alijq. humiles, & Deum timentes edent, & saturabuntur, & laudabunt Dominum, qui quærunt eum, viuent corda eorum in sæculum sæculi: quia panis ille panis est vitæ in sæculum sæculi: et si dat vitam, ergo est ipse Deus, & homo Saluator Iesus Christus, cuius

corpus sumitur, & sanguis, cum nullus alius possit dare vitam, nisi ipse solus.

Reminiscentur, & conuertentur ad Dominum vniuersi fines terræ; nàm non credentes, & considerantes Martyrum constantiam, Euangelizantes pauperes, quos aliquando in derisum habebant, & vitam illorum æstimabant insaniam, quia videbant illos in magna constantia stantes; Propterea hæc videntes, & considerantes turbabuntur timore horribili pœnitentiam agentes, dicentes intra se, & præ angustia spiritus gementes. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem sine honore, ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & nos errauimus à via veritatis, Sap. cap. 5.

Hæc, & prædicta reminiscentes conuertuntur ad Dominum, qui nunquam gremium redeunti claudit, qui, etsi fuerint peccata grauiora, & multa, & quasi coccinnum dealbabuntur inquit, sicut nix. Edent pauperes prædicti in præexpositorum votorum Christi conuiuio cum alijs fidelibus, & ad Dominum conuersis, & viuent corda eorum in sæculum sæculi; iusti enim in perpetuum viuent, Sap. cap. 5 num. 17.

Et adorabunt in conspectu eius vniuersæ familiæ gentium; omnes scilicet nationes cadent in conspectu illius, Sanctissimo Sacramento Eucharistiæ genua flectentes, & adorantes Dominum, relictis enim Idolis, & Dæmone, cognoscent, Domini esse Regnum, & quod ille est, qui dominatur Gentibus, ideo dixit.

Quoniam Domini est Regnum, & ipse dominabitur gentium. Manducauerunt, & adorauerunt omnes pingues terræ; in conspectu eius cadent omnes, qui descendunt in terram. Et non solum de hoc pane edent pauperes, vt suprà dixi, sed etiam omnes diuites plebis, Principes, & Iudices terræ, atque alij Magnates de terra, immo cadent omnes isti, adorantes illum, & genua ei flectentes; hæc enim Latriæ adoratio, quæ soli Deo debetur, propterea necessariò de Christo Iesu intellexit Dauid, nàm aliàs quomodò adoratur, quod manducatur, etsi adoratur, quomodò non est ipse Deus, qui creauit nos, & redemit. Quod verò Propheta intellexerit de Christo Iesu Messia, tunc venturo, quem Deum esse profitetur, & confessus est, patet ex sequentibus versiculis num. 33.

Et anima mea illi viuet, & semen meum seruiet ipsi. Non ergo Dauid sancte erat Deus tempore tuo? non illi viuebas? quomodò illi viuet tunc anima tua? & semen tuum seruiet ipsi? Latent in his mysteria Redemptionis nostræ per Christum facienda; non enim tunc apertæ erant portæ Paradisi, nullus ante Christi aduentum in illum ingressus est, patefactus est tunc, nullus ex aqua, & Spiritu sancto renatus erat, nec propterea poterat introire in Regnum Dei, Ioan. 3. nu. 5. nondum enim venerat filius Dei, nec passus erat, vt nos redimeret, quos sibi elegerat.

Hinc dicebat Iesus Matth. cap. 11. num. 12. A diebus autem Ioannis Baptistæ, vsque nunc Regnum Cælorum vim patitur; & violenti rapiunt illud, omnes enim Prophetæ, & lex vsque ad Ioannem prophetauerunt, Et semen meum seruiet ipsi, idest posteritas mea, quæ ex aqua, & Spiritu sancto regenerata erit, seruiet ipsi: ex eius enim semine fuerunt Maria, & aliqui Discipuli, ac Ioseph secundum carnem, & secundum spiritum alij credentes. Anima mea illi viuet, qui est vera hostia, & oblatio pro peccatis, non illæ Hircorum, & Taurorum, Isai. cap. 1. quæ Deo acceptæ non erant.

Quod, vt clarius ostendat Dauid, non generationi tunc præsenti, sed venturæ,

hanc

hanc redemptionem, hanc noui Sacramenti institutionem annuntiandam dixit; nàm tunc in figura omnia contingebant illis, nunc verò cessauit figura, ad Hebr. cap. 10. num. 1. vmbram enim habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum, & num. 11. offerens hostias, tunc Sacerdos, quæ numquam possunt auferre peccata; Cum autem venit Christus, annunciabitur aduentus eius per Discipulos, & Apostolos eius, & iustitia Domini populo, qui nascetur, quem fecit Dominus. Et quomodò quem fecit Dominus? nonne omnes populi à Domino facti sunt; quem fecit Dominus, ait, regenerando per fontem Baptismatis.

Vnde Ioan. d. cap. 17. num. 6. manifestaui, inquit, nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo, tui erant, & mihi eos dedisti, & ipsi acceperunt, & cognouerunt verè, quia à te exiui, & crediderunt, quia tu me misisti, & num. 14. ego dedi eis sermonem tuum, & mundus eos odio habuit, quia non sunt de hoc mundo, sicut, & ego non sum de hoc mundo. Qui ergo non cognoscunt Iesum Christum, non sunt de populo Dei; sunt de hoc mundo, non illos fecit Dominus, hoc est non vocauit, neque prædestinauit.

SOLILOQVIVM.

QVAM vehemens bone Iesu tuus in me amor. Cum iàm in delictis ipse versarer longè à Deo salutari meo, id quod mihi dicendum fuisset, tu quasi [illegible] de temet ad Patrem protulisti, conquerens, quòd te dereliquerit, me potius illum derelinquente. Obtulisti eidem in Sancto habitanti preces, repræsentans ei Patrum nostrorum fiduciam in ipsum, & orationes ab eo exauditas. Ego, ego verius, quam tu, dixerim, vermem me esse, & quatenus peccator, opprobrium hominum, & abiectionem plebis. Impetra mihi dulcis Iesu, vt, & me sperantem in ipso eripiat, saluetq. Pater Deus meus, quem fide teneo saluum ex suo me velle beneplacito. Quid ni id certo credam? sat exploratum habeo, illum, vt saluaret me, filium suum vnigenitum te in mundum misisse, vt humanitate mea assumpta, meis subiectus ærumnis, & persequutiones subires, & opprobria, cruciatus, flagella, Cruci affixionem, ariditatem præ nimia sanguinis effusione, ac denique mortem, qua mei destrueres mortem peccati. Vtinam in diuisione vestimentorum tuorum, id mihi contingat, te ipso induam Iesu Christo vestimentis salutis meæ. Instat adhuc Domine Diabolus, vt tamquam leo cum satellitibus suis instar tot vnicornium, me in interitum peccatorum dilaceret. Nouam mihi fer opem: Erue ab illis animam meam. Te prædicabo fratribus: te insignibus in medio Ecclesiæ celebrabo laudibus: Excitans fideles vniuersos ad idipsum. Eximia commemorabo à te, & illis præstita beneficia, in primis sacri corporis, ac sanguinis tui in Eucharistiæ Sacramento exhibitionem ad spiritalem saturitatem: tùm & multiplicem vocationem ad celsissimum tui obsequium. Resurgens, redemptione nostra per te expleta, Regnum, & vt homo adiisti super omnes Gentes. Precor amabo, te cælestem Regem, vt vniuersi populi sic de tuo corpore manducent, & saturentur, vt & Reges quique in eodem Sacramento te adorent prostrati in terram. Sicq. ò Deus cordis mei, anima mea tibi viuet, & quicquid meum dici potest semen, vel in conuersis ad fidem

per

per me, vel in operibus meis, in tui erit seruitium; Et confido Cælos ipsos iustitiæ tuæ significatione annunciaturos nouam in dies ad te conuersorum sobolem. Quo nil magis mihi est in optatis. Fiat, fiat.

IN PSALMVM XXII.

Dominus regit me, & nihil mihi deerit: in loco pascuæ ibi me collocauit.



TITVLVS Psalmi Dauid. Continuat materiam præcedentis Psalmi XXI. Dauid, & cum in illo de Christi Passione, de Sacramento Sanctissimæ Eucharistiæ, & de Redemptione nostra, atque sua tractauerit, ibi anima mea illi viuet; & semen meum seruiet ipsi.

Nunc in præsenti gloriatur de eodem, in loco scilicet pascuæ se esse à Domino collocatum, quia Dominus illum regit, & propterea nihil ipsi deerit, & ità quis sit locus pascuæ per subsequentia declarat, ità, vt nulli dubium sit locum Pascuæ intellexisse Ecclesiam Dei Catholicam, & sic etiam de Sacramentis, nempè de Baptismo, Confirmatione, Pœnitentia, Eucharistia, Vnctione.

Ad cuius intelligentiam præmitto, quæ per Isai. cap. 40. num. 10. & Ezech. cap. 34. num. 24. & suscitabo super eos oues, scilicet Pastorem vnum, qui pascet eas, seruum meum Dauid, ipse pascet eas, & ipse eis erit in Pastorem, & faciam eis pactum pacis. & num. 31. Vos autem greges mei, Greges Pascuæ meæ, homines estis, & ego Dominus Deus vester.

Christus est Pastor, qui Dauidem, ac semen eius, & quod ex carne, & quod ex spiritu ab illo processurum erat posuit in loco pascuæ. Ibi me collocauit, idest pascet me scientia, & doctrina sua sancta, Ierem. cap. 3. num. 15. Luc. 24. nu. 45. tunc aperuit eis sensum, vt intelligerent scripturas.

Nihil mihi deerit, non dicit deest in præsenti, sed deerit tempore nempè Redemptionis futuræ; quia Dominus regit me, dirigit gressus meos ad salutem animæ consequendam, quia in loco Pascuæ iàm me collocauit; in Ecclesia sua inter electos, & prædestinatos me posuit, eduxit me; & semen meum de populis, congregans nos de terris: & introduxit in terram suam, & pascet nos in montibus Israel; in riuis, & in pascuis vberrimis. In montibus excelsis Israel erunt pascua eorum, & in pascuis pinguibus ego pascam oues meas, Ezech. dicto cap. 34. num. 14. Aperuit mihi sensum venturi Messiæ, & intelligentiam scripturarum. Cum Dominus me regat, & in dictis Pascuis me collocauerit, hoc est in gremium Ecclesiæ suæ sanctæ me posuerit, me collocauerit, nil mihi deesse poterit, inquit, Credidit enim Christum futurum Redemptorem nostrum, & nos aqua Baptismatis renascituros, iuxtà illud Ezech. cap. 36. nu. 25. effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, & dabo vobis cor nouum, & spiritum nouum ponam in medio vestri, ideò dicit Dauid.

Super aquam refectionis educauit me. Aquam refectionis vocat Baptismi Sacramentum, quia reficit hominem; renouat illum: Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, &c. Animam meam conuertit, quæ iam perdita erat: nàm

tunc

tunc Baptizatus, & conuersus ad Dominum; & si ambulauero in medio vmbræ mortis, inter peccatores mundi huius, diuq. hic vixero, non timebo mala: quia tu mecum es: vnde Christus, vt in Ioanne cap. 16. num. 33. In me pacem habeatis, in mundo pressuram habebitis, sed confidite, ego vici mundum; non timebo ergo mala, quia Dominus meus, Auxiliator meus, ideò posui faciem meam, vt petram durissimam, Isai. 50. nu. 7. & scio quia non confundar.

Deduxisti me super semitas iustitiæ propter nomen tuum; Iesus venit ad Iudæos in via iustitiæ, & non crediderunt ei; Publicani autem, & meretrices crediderunt ei, præcedent Iudæos in Regno Dei, quia illi videntes opera Christi, pœnitentiam non fecerunt, nec curarunt, vt crederent ei; Matth. cap. 21. num. 32. ipsi enim fuerunt rebelles lumini, nescierunt vias eius, nec reuersi sunt per semitas eius, Iob 34. num. 15. At verò Dauid, quia deductus est super semitas iustitiæ propter nomen Iesu Christi, egitq. pœnitentiam, ipsum secum habens Iesum. Non timebo, inquit mala, etiam si in vmbra mortis ambulauerim, ductus in semitas iustitiæ, quia cum in illas quis ingressus fuerit, non arctabuntur gressus eius, & currens non habebit offendiculum, Prouerb. 4. num. 13. Perfice tu Domine gressus meos, in semitis tuis; in obseruatione præceptorum tuorum, vt non moueantur vestigia mea, Psalm. 16. num. 5. da mihi intellectum, vt scruter legem tuam, & custodiam illam in toto corde meo; deduc etiam me in semitam mandatorum tuorum, Psalm. 118. num. 14. & 15. Verbum enim tuum lucerna est pedibus meis, & lumen semitis meis, ibidem num. 105. Quid enim est aliud ambulare in semitas iustitiæ propter nomen Iesu Christi? nisi habere vitam in Christo, cum ipse sit Via, Veritas, & Vita? Ioan. 14. num. 6. ideò dicitur, In semita iustitiæ vita, Prouerb. 12. num. 28.

Deduxisti ergo Domine Prophetam super semitas iustitiæ, postquam effudisti super illum, & semen eius aquam mundam, nam tunc cor nouum, & spiritum nouum in illis posuisti, & posuisti spiritum tuum in medio illorum, efficiens, vt in præceptis ambularent, & iudicia tua custodirent, & operarentur, Ezech. d. cap. 36. num. 25. cum sequen. Vnde quamuis ambulauerint in medio vmbræ mortis, non timebunt mala; quia tu cum illis es, Mich. cap. 7. num. 8. Ne læteris inimica mea, quia cecidi, consurgam, cum sedero in tenebris Dominus lux mea est.

Virga tua, & baculus tuus ipsa me consolata sunt, Virga directionis, Virga Regni eius: dirigit enim per præcepta Euangelica ad fruitionem Regni Cælestis, & ad obseruationem illorum dat robur, præbet auxilium. Baculus tuus, idest virtus tua, quæ nos comitatur, & dat vires ad illorum obseruationem, ipsa me consolata sunt, quia aliàs sine te non potest homo saluus fieri, consolationes tuæ lætificauerunt animam meam, Psalm. 93. num. 19.

Parasti in conspectu meo mensam, aduersus eos, qui tribulant me: Quid per mensam intelligat Dauid, videamus: suprà Psalm. 21. num. 25. dixerat. Timeat eum omne semen Israel, quoniam non despexit deprecationem pauperis; sed quare timendus Dominus? quia escam dedit timentibus se, Psalm. 110. num. 10. in qua esca memoriam fecit mirabilium suorum; illamq. edent pauperes, & saturabuntur, & viuent corda eorum in seculum seculi: hanc etiam omnes Principes, & diuites terræ adorauerunt, & manducauerunt; & in conspectu eius cadent omnes; qui descendunt in terram, d. Psalm. 21. nu. 30. Hanc mensam parauit Dominus in conspectu Dauid, & seminis eius, super quam esca Corporis Christi

posita

posita est; hæcq; sufficiens est, & valida aduersus vos qui tribulant illum, atque aduersus omnes hostes visibiles, & inuisibiles, & carnales concupiscentias.

Parasti ergo mensam aduersus omnes, qui tribulant me; ibi enim est Corpus; & Sanguis Domini nostri Iesu Christi, & quæ illo maior armatura animæ nostræ? hinc Paul. ad Ephes. cap. 6. num. 11. induite vos armaturam Dei, vt possitis stare aduersus insidias Diaboli, & nu. 13. propterea induite vos armaturam Dei, vt possitis resistere in die malo: ipse enim Iesus est panis vitæ, Ioan. 6. nu. 34. & 35. & nu. 52. ego sum panis viuus, qui de cælo descendi, si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternũ: & panis quem ego dabo, caro mea est, pro mundi vita.

Impinguasti in oleo caput meum. Quid est caput impinguatum oleo? oleum effusum est nomen Iesu Christi, vt caput meum sit oleo impinguatum, tota mens mea, intellectus meus, plena sit amoris nominis Domini Dei Iesu Christi; viuo ego, sed non ego: viuit autem in me Christus.

Et calix inebrians quàm præclarus est. Sanguis Iesu Christi rectè sumentem inebriat, quia terrenorum obliuionem causans. Comedite, & bibite amici, inuitabat ille, Cant. 5. nu. 2. bibite, & inebriamini carissimi vino amoris Dei. Quid enim bonum est eius, & quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines, Zach. 9. nu. 17. idest quid habet Christus optimum, quo nos alat, nisi Corpus suum sub specie panis, & Sanguinem sub specie vini.

Et misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ: Et vt inhabitem in domo Domini, in longitudinem dierum. Et in alio loco Psalm. 30. nu. 22. benedicam Domino; qui mirificauit misericordiam suam mihi in Ciuitate munita, idest miro modo ostendit, mirabilem fecit, vel mirandam exhibuit secundum Chald. misericordiam suam in Ciuitate munitata, in Cælo, in Ierusalem.

SOLILOQVIVM.

MIRIFICAVIT misericordiam suam populo Christiano, quia ad perfectum illum deducit per legem Euangelicam; lex enim antiqua nihil ad perfectum deduxit. Si vis ergo anima mea quòd misereatur tui Deus, obserua, quæ suprà dicta sunt; quæ admissa es in Ecclesiam Dei, vt discas documenta Euangelica, accepisti aquam Baptismi, instructa in eadem lege Euangelica, per semitas mandatorum ambula propter Christum: quia tunc nullum poterit super te nocumentum Diabolus dare, quia Dominus erit tecum, & ex omni tribulatione eripiet te; Concupiscentiam disciplinæ habeas, propterea dicit Dauid; Virga, & baculus tuus ipsa me consolata sunt; consolatur enim disciplina virgæ, & baculi Domini. Cura disciplinæ dilectio est, & dilectio custodia legum illius est, custodia autem legis consummatio incorruptionis est; incorruptio autem facit esse proximum Deo.

Ad quam disciplinam retinendam, & adipiscendam mensa Domini in conspectu tuo sit semper, quia per illam obsistes tribulantibus, custodit te à tribulationibus: & calix te inebrians præclarus est ad fortitudinem suscipiendam: & oleum sanctum Chrismatis impinguat caput, & ideò illo vtere iuxtà præceptum Ecclesiæ: per hæc enim omnia consequeris, vt misericordia Domini subsequatur te omnibus diebus vitæ tuæ; & vt post hanc vitam inhabites in domo Domini, cælestiq. in patria in perpetuum; quod concedat Deus Pater, vnigenitus Dei filius, sanctusq. Paraclitus Spiritus, Trinus & Vnus Deus. Amen.

IN PSALMVM XXIII.

Domini est terra, & plenitudo eius: orbis terrarum, & vniuersi, qui habitant in eo.

SVMMA huius Psalmi. Declaratur celsitudo Dei, ac Domini Iesu Christi, & quòd per ipsum filium Dei innocens manibus mundoq. corde in Cælum ascendet.

Continuatur ad præcedentem; Cum in Psalmo XXI. Propheta asseruisset nuncianda esse populo, qui nascetur, quem fecit Dominus, mirabilia Dei, ibi: Et annunciabitur Domino generatio ventura, &c. atque fore, vt anima sua Christo viueret, & semen eius seruiret eidem, vt ibidem num. 33. & in præcedenti XXII. significasset, se ab eodem Domino in loco pascuæ collocatum, vt doceret ex suo semine nascituros, vel ex spiritu: constitutumq. ab eodem Deo Iesum Dominum domus suæ, idest Ecclesiæ, vt erudiret Principes eius sicut semetipsum, & senes eius prudentiam doceret, Psalm. 104. nu. 21. & 22. Ostendere illis volens Dauid, quantum sibi licitum esset, ac posset, quis, qualisvè sit Deus in excelso.

Incipit ab illius potestate, & dominio, ac immensitate, vt exindè saltem cognosceretur; qualis ille sit, dicens.

Domini est terra, & plenitudo eius: orbis terrarum, & vniuersi, qui habitant in eo.

Quia super maria fundauit eum, & super flumina præparauit eum.

Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto eius? Dictu mirandum! quomodò audeat suprema ascendere, & se Cæli facere Ciuem, ac domesticum Dei immensi, & incomprehensibilis, cum homo sit vermis tamquam fumus, & vmbra.

Quis ergo ascendet in montem Domini? aut quis stabit in loco sancto eius? si Christianus es, in loco pascuæ collocatus, aqua sacri baptismatis mundatus, deductus es per semitas iustitiæ, quia præceptorum Dei conscius factus es, inter filios Dei computatus es; & regnum, quod paratum est nobis per Iesum Christum percipies.

Sed, an sufficiant hæc, ò Propheta sancte, dic nobis? Aliud requirit à te Propheta, nimirùm, vt sis.

Innocens manibus, & mundo corde, perseuerantiam scilicet habeas in bonis operibus, & mundas habeas manus; idque non, vt ab hominibus videaris, quando hæc facies. Qui non accepit in vano animam suam, inquit. Homo enim vanitati subditus est, si vt iustus videaris, hæc facies; tu scis, quæ de illo dicta sunt; Domine non sum sicut iste Publicanus, eleemosynas do, &c. recepisti mercedem tuam. Ne igitur in vanum accipias animam tuam, ne decipias te ipsum noli fieri sicut hypocrita exterminans faciem tuam, vt videaris ieiunans.

Nec iures in dolo proximo tuo; Vir enim dolosus non dirigetur in terra sermo tuus sit sic, sic; non, non; nec iures vana per Deum. Qui talia facit, & operatur bonum; hic accipiet benedictionem à Domino, & misericordiam à

Deo salutari suo; qui namque sic pœnitens erit, & mundus accipiet benedictionem à Domino, beati enim mundo corde, quia Deum videbunt.

Hæc est generatio quærentium eum, quærentium faciem Dei Iacob. Quia populus Domini omnes iusti; qui in perpetuum hæreditabunt terram, germen plantationis meæ dicit Dominus, opus manus meæ ad glorificandum, Isai.c.60. nu.21. istud est semen Dauid, quod seruiet Domino Deo suo, quis ergo ex nobis timens Dominum, audiens vocem serui sui, ambulabit in tenebris, & non erit lumen ei? speret in nomine Domini, vt innitatur super Dominum suum, & non aperiet cor suum ad seruiendum Deo? Isai. cap.50. nu.11.

Timeat ergo eum omne semen Israel, & laus eius sit in Ecclesia magna Dei. Attollite portas vestras ò Principes animarum scilicet vestrarum, nos qui seruimus Deo, cui seruire regnare est, nos Christi fideles; nos qui Iesum Christum confitemur, filium Dei, qui Christiani vocamur, qui oues pascuæ eius sumus, & in loco pascuæ positi, attollamus portas cordis nostri, vt introeat in illas Rex gloriæ Iesus cum Cæli militia. Dominus enim fortis est, & potens; Dominus potens in prælio. Nàm mortem nostram ipse moriendo destruxit, & vitam resurgendo reparauit; qui exaltat nos de portis mortis, Psalm. 9. num. 5. Aperite portas iustitiæ Domino, & ingredientes per illas confitemini Domino: Ecce ipse stat ad portam vestram pulsans: attollite portas ò Principes Christiani, qui non homines, sed Dij estis, & introibit Rex gloriæ; hæc enim est porta Domini; iusti, idest cælestes spiritus cum illo intrabunt in eam, Psalm. 117.num.19. & 20. Aperiantur portæ, & ingrediatur gens iusta custodiens veritatem, Isai.26.num.2. introeamus portas eius gradientes per semitas iustitiæ in confessione, Psal.99.n.4. atria eius in hymnis, & confiteamur illi, ipseq. Dominus Deus noster ante nos ibit; & gloriosos terræ humiliabit; portas ferreas conteret, & vectes ferreos confringet, aperietq. nobis ianuas Cæli, quæ portæ non claudentur, Isai.45.num.2.

SOLILOQVIVM.

VNVM est Domine, quod in desiderio est animæ meæ: vnum, & à te omnibus cordis mei visceribus efflagitare obnitor; vt tuam inhabitem domum, vbi, & te Deo perfruar dilecto meo. Tu terræ, marisq., ac vniuersorum in mei commodum es conditor; quapropter ascendam spero in montem sanctum tuum, & in locum habitationis gloriæ tuæ: si tua efficaci adiutus gratia, innocentiam in operibus probauero, cordisq. puritatem tuis exhibuero oculis. Studeam Domine Deus meus, ne in vanum anima mea operetur bonum ad inanem, scilicet gloriam: nec dolosis iuramentis meum decipiam proximum. Si enim hæc mihi præstiteris, adscriptum censebo, & me in generationem quærentium te, quærentium tui faciem Dei Iacob supplantantis Diabolum. Et hilariter cunctis dicam fidelibus. O vos, qui Principes estis animarum vestrarum, attollite potentiarum portas: vt introeat ad vos Rex gloriæ, qui fortis es, ac potens in prælio, cum ijs, qui nos impugnare non desinunt, & Dominus pariter es virtutum, spirituumq. cælestium ministrorum salutis nostræ. Intra igitur bone Iesu apertas portas animæ meæ. Si enim tu mecum, & intra me fueris nedum timebo quicquam, sed, & suauissimis fruar delicijs spiritus. Fiat, fiat.

IN

IN PSALMVM XXIV.

Ad te Domine leuaui animam meam: Deus meus in te confido, non erubescam.



TITVLVS: In finem; Psalmus ipsi Dauid. Christo scilicet Psalmus; Cui de Resurrectione, & Redemptione Ecclesia gratias agit, & diuinum auxilium implorat.

Continuatur ad præcedentem, in quo de Resurrectione Christi; verùm quia hæc fuit ad nostram resurrectionem, in hoc Psalmo Propheta implorat auxilium Christi, vt & populo Christiano, totique Ecclesiæ prosit sua Redemptio.

Summa videtur hæc esse: imploratio diuini auxilij, vt in viam suam nos dirigat, & peccatorum nostrorum remissionem faciat; inquit ergo.

Ad te Domine leuaui animam meam. Cognoui Domine, quia misericordia tua præuenit me, Psalm. 58. nu. 11. propterea dolui, quia tibi peccaui, atque doleo, quia ex quo aperuisti mihi oculos mentis meæ dolere cœpi, quòd prius ab illis non declinaui, non enim anteà cognoscebam peccatũ, nisi post legem tuam, ad Rom. 3. nu. 20. per legem inquam fidei, quæ dat auxilium ad illud euitandum: siquidem per obseruationem illius hominem iustificas Deus, & per eandem legẽ euangelicam, cognosco inquit Ecclesia, seù homo, nihil me posse sine gratia tua, ad Rom. 5. n. 15. & sequen. Ad te ergo Domine leuaui animam meam, quia non amplius in carne sum, sed in spiritu tuo Christe, qui te suscitauit à mortuis; leuaui animam meam, vt viuifices corpus meum mortale, ad Rom. 7. num. 10. & 11. & accipiam spiritum adoptionis filiorum Dei, ibidem num. 14.

Ad te Domine Iesu Christe leuaui animam in spe, charitate, & fide, quam habui in te proiectus: te Dominum sequi volo in humilitate, & afflictionibus, & ærumnis; nec, quia vilia exercere videar, erubescam, in te enim confido, post te venire cupio, & quas mihi dederis tribulationes sustinebo; scio enim quia nullus, qui sperauit in te, Domine confusus est, Eccles. 2. nu. 11. neque est confusio confidentibus in te, Daniel cap. 4. nu. 40. & si sciam, quia omnes, qui piè viuere volunt, in te Christe Iesu patientur tribulationes, 2. Timoth. 3. num. 12. ad te nihilominus leuaui animam meam, quia ad seruitutem tuam accessi præparans animam meam ad tentationem: sustentationes tuas Domine sustinere volo etiam in dolore, Eccles. d. cap. 2. nu. 4. cum norim in igne probari argentum, & aurum, homines verò in camino humiliationis.

Ad te, ais, leuaui animam meam Deus meus: ergo antè anima tua erat in tenebris: & leuauit se, quia in spiritu vidit leuatum signum in nationes, vt congregarentur dispersi, Isai. 11. nu. 12. & cap. 5. nu. 26.

In te confido, non erubescam, ait Ecclesia, quæ si confides in Domino eleuatur, de qua Isai. cap. 2. nu. 3. In nouissimis diebus erit præparatus mons domus Domini in vertice montium, & eleuabitur super colles, & fluent ad eum omnes gentes, & ibunt populi multi, & dicent; Venite, ascendamus ad montem Domini, ad domum Dei Iacob, & docebit nos vias suas, & ambulabimus

in ſemitis eius; quia de Sion exibit lex, & verbum Domini de Ieruſalem.

Ad te leuaui animam meam, dicit fidelis pœnitens. Quia aures meæ audierunt verbum poſt tergum monentis; & hæc eſt via dicebat, ambulate in ea; & non declinetis neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram, Iſai. cap. 30. num. 21. Non contradixi Domine monitionibus tuis, leuo ad te animam meam in contritione maxima poſitam, & dolore: in te confido, quia tu cor contritum non deſpicis: neque ego coram te confiteri peccata mea erubeſco, reminiſcere miſerationum tuarum, & miſericordiarum tuarum, delicta iuuentutis meæ, & ignorantias meas ne memineris, ſed propter nomen tuum propitiare peccato meo, quod multum eſt, in te confido, quia dulcis es Domine, dimitte vniuerſa delicta mea.

Ex hoc verſiculo ſi audiri deſideramus à Deo, præparationem animæ noſtræ docemur habere, Eccleſ. cap. 18. nu. 1. Antè orationem præpara animam tuam ad tentationem; & hoc facilè nobis erit; ſi deſpicientes terrena, ad diuina conſpicienda nos erigamus: vt dicit Gloſſa hìc. Ad tentationem dixit, quia omni tempore contritionem, & dolorem, & tentationes, & tribulationes ſufferre debemus, Eccleſ. dicto cap. 2. num. 3. ſuſtine ſuſtentationes Dei, coniungere Deo, & ſuſtine, vt creſcat in nouiſſimo vita tua, omne, quod tibi applicitum eſt, ſuſtine, & in humilitate tua patientiam habe, & in Pſalm. 36. num. 9. Suſtinentes autem Dominum, non minuentur omni bono: ipſi hæreditabunt terram, Dominus enim ſolus ſuſtinentibus ſe in via veritatis, & iuſtitiæ, Eccleſ. 34. nu. 22. qui enim induxit nobis mala, ipſe rurſum adducet nobis ſempiternam iucunditatem, cum ſalute noſtra, Baruch cap. 4. num. 29. ſed docemur etiam peccatorum noſtrorum confeſſionem, Prouerb. cap. 28. num. 13. qui abſcondet ſcelera ſua non dirigetur, qui autem confeſſus fuerit, & reliquerit ea, miſericordiam conſequetur, Iſai. cap. 38. num. 15. recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ, Matth. cap. 3. num. 6. baptizabantur confitentes peccata ſua, Iacob. cap. 5. nu. 16. Ioan. cap. 1. num. 9. ità etiam in hoc Pſalmo num. 7. ibi, delicta iuuentutis meæ, & ignorantias meas, ne memineris, & num. 11. propter nomen tuum propitiaberis peccato meo, multum eſt enim, Eccleſ. 4. num. 31. non confundaris confiteri peccata tua, & cap. 17. num. 26. & 27. antè mortem confitere, à mortuo quaſi nihil, perit confeſſio, confiteberis viuens, viuus, & ſanus confiteberis.

Eccleſia ergo, ſiuè populus Chriſtianus in afflictione poſitus non deſperatur, ſed ſuſtinendo libenter perſecutiones tamquam à Deo miſſas, ad Deum conuerſa, inquit. Ad te Domine leuaui animam meam, in te confido, non erubeſcam; & maiora ſuſtinendo tormenta, vt te ſolum lucrifaciam, ideò non erubeſco teſtimonium tuum, Domine noſter Ieſu Chriſte, ob quam cauſam hæc patior, ſed non confundor: nec catenam meam erubeſco, 1. Timoth. 1. num. 8. & 16. 1. Petr. cap. 4. nu. 13. Communicantes paſſionibus Chriſti gaudete, vt in reuelatione gloriæ eius gaudeatis exultantes, Si exprobramini in nomine Chriſti, beati eritis, quoniam quod eſt honoris, gloriæ, & virtutis Dei, & qui eſt eius ſpiritus, ſuper vos requieſcet.

Quid facere poſſunt inimici mei? Corpus perdere poſſunt, non tamen animam, quæ tua eſt, quæ ad te conuerſa clamat, Domine in te confiſa ſum, non confundar. Depaſti ſunt vineam iſtam tuam, Iſai. cap. 3. num. 14. poſuerunt

illam desertam, ascenderunt vepres, & spinæ super eam, Isai.5.num.6. Hæretici lacerauerunt eam,& infideles. Non irrideant inimici mei; sit germen istud tuum Domine in magnificentia, & gloria, & fructus terræ sublimis, & exultatio his, qui saluati fuerint de Israel, Isai. dicto cap.5.num.2. Domine Deus in te confido; non erubescam, erubescant autem illi, & erubescant valdè velociter, Psalm.6. num.11. erubescant ipsi impij, & deducantur in infernum, muta fiant labia dolosa, Psalm.30. num.18. sint quasi non sint, qui contradicunt Ecclesiæ tuæ, & pereant, Isai.41. num.11. Ego verò non confundar, neque erubescam, confusionis adolescentiæ meæ oblita sum, & opprobrij viduitatis meæ non recordabor amplius; quia tu venisti, vt mundares me, & per aquam Baptismi lauares omnia fidelium meorum delicta. Tu Domine dilatabis locum Tentorij mei, & pelles Tabernaculorum meorum extendes, longosq. facies funiculos meos, vt gentes semen meum hæreditare possint, Isai.54.nu.3. & sequen. nunc Deus omnis terræ vocaberis, num.5. Tu verò, inquit anima mea, pars mea es, Thren. cap.3.num.24. propterea expectabo auxilium tuum.

Non irrideant me inimici mei, si aduersus illos, qui me quotidiè angustiant, constanter permanens in te sustineo, quia scio, quòd non confundar, Sap.cap.3. num.5. Tob.2. num.15.

Etenim vniuersi, qui sustinent te non confundentur. Dixisti namque Domine, Ad punctum, in modico dereliquerim te: (hæc enim vita mortalis respectu æternæ modicum punctum est) & in miserationibus congregabo te, in momento indignationis abscondi faciem meam parumper à te, & in misericordia sempiterna misertus sum tui; Isai. dicto cap.54. num.8. Montes commouebuntur, & colles contremiscent, misericordia autem mea non recedet à te, &c. num.10. ibidem Isai.

Non confundentur qui te sustinent, Dominus excelsus, & sublimis, & sanctum nomen tuum in excelso, & in sancto habitans, & cum contrito, & humili spiritu. Vt viuifices spiritum humilium, & viuifices cor contritorum, Isai.c.57. num.15. & paulò superius, qui fiduciam habet tui, hæreditabit terram, & possidebit montem sanctum tuum, Eccles.cap.11. nu.12. Est homo marcidus egens recuperatione, plus deficiens virtute, & abundans paupertate, & oculus Domini respexit illum in bono, & erexit eum ab humilitate ipsius, & exaltauit caput eius, &c. & num.10. bona, & mala: vita, & mors: paupertas, & honestas, à Deo sunt; dilectio,& viæ bonorum apud ipsum, error, & tenebræ peccatoribus concreata sunt, qui autem exultant in malis, consenescunt in malo, ibidem nu.16. loquimini ergo verbum, & non fiet, inite consilium, & dissipabitur, quia nobiscum Deus, Isai. cap.8. num.10.

Erubescant inimici, quia, vt dicit Eccles.cap.11.nu.29. in fine, hominis denudatio operum eius; timentis autem Deum peccata, quæ per pœnitentiam fleuerit, non imputabuntur ei, Ezech.18.num.17. & 20. iustitia iusti super eum erit, & impietas impij super eum erit, idem Ezech. cap.33. num.12. & sequen. Bernard. in Serm. de illis Verbis, Iob 5. In sex tribulationibus liberauit eum, dicit sic: Manet eis, scilicet impijs horror in exitu, dolor in transitu, pudor in conspectu gloriæ Dei magni, Isai. cap.41.nu.11. ecce confundentur, & erubescent omnes; qui pugnant aduersum te, erunt quasi non sint; de confidentibus autem in Domino egeni, & pauperes quærunt aquas, & non sunt, lingua eorum

siti aruit; Ego Dominus exaudiam eos, Deus Israel non derelinquam eos, aperiam in supinis collibus flumina, & in medio Camporum fontes, ibidem Isai. num. 17. Non confundentur in tempore malo, & in diebus famis saturabuntur, quia peccatores peribunt, &c.

Neque irrideant me inimici mei; etenim vniuersi, qui sustinent te, non confundentur. Aliquando habuerunt nos in derisum, sed timore seruili turbati remanserunt, & mirati sunt in subitatione insperatæ salutis, & in malignitate eorum consumpti: talia in inferno positi confitentur, Sap. dicto cap. 5. num. 2. & 13. & 14. timentium verò filiali timore Dominum, quamuis oculis insipientium mori visi sint, & æstimata sit afflictio exitus illorum, spes tamen immortalitate plena est, Sap. dicto cap. 3. num. 2. & 4. & ità vniuersis in Deum sperantibus contingit, quia non confundentur, donec reportent finem fidei suæ, salutem scilicet animarum, 1. Petr. cap. 1. num. 9. hinc Eccles. 6. nu. 8. qui timetis Dominum, credite illi, & non euacuabitur merces vestra; & paulò superius nu. 16. Crede Deo, & recuperabit te, & dirige viam tuam, & spera in illum, serua timorem illius, & in illo veterasce: Confusi, quia speraui, Iob 6. num. 20. & 10. hæc mihi sit consolatio, vt affligens me dolore non parcat: nec contradicam sermonibus Sancti, Ideò confusi, quoniam audierunt opprobrium, & operuit ignominia facies eorum, Ierem. 51. nu. 51. Sap. dicto cap. 2. & 5.

Confundantur omnes iniqua agentes superuacuè; Qui iniqua agit, superuacuè agit: nàm quærit, & facit momentaneum peccatum mortale, quod nihil est, & ità confidit in nihilo, concepit dolorem, & peperit iniquitatem, Isai. cap. 59. num. 4. Iob 15. num. 35. ad nihilum redactus sum, & nesciui, Psalm. 72. nu. 22. & Isai. 41. num. 24. ecce vos estis ex nihilo; & opus vestrum ex eo, quòd non est, vt perdat in perpetuum quod est: gloria, & pax in æternum, Psalm. 30. n. 7. odisti obseruantes vanitates superuacuè; iustus autem sperans in Domino exultabitur, & lætabitur in misericordia tua, & num. 19. erubescant impij, & deducantur in infernum; muta verò fiant labia dolosa, quæ aduersus iustum loquuntur iniquitatem in superbia, & abusione.

Confundantur iniqui, nàm occulta eorum manifesta apparebunt, Bernard. de Contemptu mundi: Quid illud confusionis erit, quid doloris, quando dissipatis filijs, & dispersis, vniuersa denudabuntur, ignominia, fames apparebit; quando immortalis factus ille conscientiæ vermis internus tota malignitate corrodet, sed non consummet infœlicem animam, nec erit vllus dissimulationis locus. Ideò etiam confusi, quia Deus spreuit eos, Psalm. 52. nu. 6. Ierem. verò cap. 20. nu. 11. Confundantur vehementer, quoniam non intellexerunt opprobrium sempiternum, quod nunquam delebitur.

Confundantur omnes iniqua agentes; nàm Psalm. 59. num. 14. Dominus irridebit illos, & ad nihilum illos deducet; & de execratione, & mendacio, annunciabuntur in consummatione, in ira consummationis, & non erunt; Psalm. 58. num. 9. & 14. superuacuè exprobrauerunt animam meam, Psalm. 34. num. 7. & induti sunt confusione erubescentes, ibidem num. 26. & 27. Erubescant ergo impij, & deducantur in infernum, d. Psalm. 30. num. 29. confundantur quoniam Deus spreuit illos, Psalm. 52. nu. 6. Confundantur vehementer, quia non intellexerunt opprobrium sempiternum, quod nunquam delebitur, Ierem. cap. 20. num. 11. & cap. 23. num. 40.

Con-

Confundantur iniquè agentes vana, iniquè facientes ad acquirenda, quæ transeunt, Augustin. hic, confundantur in die iudicij illi, qui vsque in finem in malitia ipsorum perseuerant, illi; qui super perpetratum in me scelus illud addiderunt, vt sigillis tumulum communirent, Hieron. hìc, qui dicit, quòd vsque hùc Dominus de Passione locutus est.

Vias tuas Domine demonstra mihi, & semitas tuas edoce me. Non ad curiositatem, sed ad vtilitatem meam, & proximi mei; vt docente te vias tuas, ambulem in semitis tuis, Isai. 2. num. 3. illas dico, per quas venitur ad Regnum tuum: Viæ enim tuæ, viæ pulchræ, & omnes semitæ tuæ pacificæ, & qui tenuerit eas, beatus, Prouerb. 3. num. 17. Vias tuas demonstra mihi, & cum tu Iesu Christe sis Via, Veritas, & Vita, Ioan. 6. num. 14. Veni Domine, & demonstra illam mihi, vt oculi mei sint videntes te Præceptorem meum, via tua, in qua ambulare cupio, Isai. 30. num. 20. & replebis me iucunditate cum facie tua, Act. 2. nu. 28. & postquam veneris, vt salues nos, semitas tuas edoce me, & vt sequens te per semitas mandatorum tuorum tecum ingredi valeam in Regnum Cælorum; pauci enim sunt; qui viam tuam inueniant, cum angusta sit porta, & arcta via, quæ ducit ad vitam, Matth. 7. num. 14.

Domine semitas tuas, quæ arctæ sunt, edoce me, & adiuua me, vt illas sequar. Per vias intelligit Hieronymus hìc Mandata Dei, vnde dicit, nota fac mihi mandata tua, semitas tuas edoce me, semita enim est minor, quàm via; per semitam intelligitur arcta, & angusta via, quæ ducit ad vitam. Hinc aliàs dixit, deduc me in semitam mandatorum tuorum, quia ipsam volui, fac me obseruare mandata tua, quia sic ego volo, & desidero: sed sine te nihil possum, Ioan. 15. num. 5. dirige me in veritate tua, & edoce me, vt neque ad dexteram, neque ad sinistram declinem, Isai. d. cap. 30. num. 21.

In te Domine fiduciam ex toto corde meo habeo, & in omnibus vijs meis, semper ante oculos meos cogito, & habeo teipsum; tu ergo etiam gressus meos dirige sicut promisisti, Prouerb. 3. num. 6. Isai. 45. num. 13. vt quando veneris, prout in spiritu ego video te venturum ad saluandum nos, aperiantur oculi cæcorum, & aures surdorum pateant, ad hoc, vt cognoscamus, quòd tu es via, & semita, via, quæ vocabitur Sancti, in qua vir pollutus non est ingressurus, nec transiturus, & ita nobis erit ista via directa, vt nec stulti errent per eam, Isai. 35. nu. 4. vsque ad finem, & cap. 48. num. 16.

Dirige me in veritate tua. Vox Ecclesiæ, dicit Hieron. dirige me; quia ego tortuosus sum, in veritate tua, idest in Christo, doce, vt nihil peruersum agam, hæc Hieronym. Doce me facere voluntatem tuam, quoniam tu Deus Saluator meus, & te sustinui tota die: neque enim dimissus à te de Paradiso, & in longinquam Regionem peregrinatus, per meipsum redire possum, nisi occurras erranti: nam reditus meus toto tractu temporis secularis misericordiam sustinuit, hæc Augustin. Quia tu es Deus Saluator meus; nam tua Passione, & Resurrectione mihi factus es salus; propterea te tota die expectans iuxtà propheticum sermonem, tuum aduentum sustinui, quia credidi, te venturum esse, vt me vocares: nec festinaui, quia Prophetis credidi, te lapidem mittendum in fundamentis Sion, lapidem probatum, angularem, pretiosum, in fundamento fundatum, iuxtà Isai. cap. 28. num. 16. & cap. 16. in princ. & cap. 11. in princ. & per totum; & cap. 9. num. 6.

Diri

Dirige me in veritate tua, & doce me; quia tu es Deus, qui venturus es, Iesus Christus Redemptor, Saluator meus, tota die vitæ meæ sustinui, quia tu venturus es, vt doceas me tuam iustitiam, Ose. cap. 10. num. 12. sustinui expectans te: Veni Domine, & noli iàm amplius tardare, relaxa facinora plebis tuæ, Abac. 2. num. 3. si moram fecerit expecta illum, quia veniens veniet, & non tardabit: ex fide sustineo tota die, in fide mea viuo, propter Sion non tacebo, & propter Ierusalem non quiescam, donec egrediatur, vt splendor, iustus eius, & Saluator eius, vt lampas accendatur, Isai. cap. 62. in princ. Non quiescam, donec audiam; ecce Saluator tuus venit, ecce merces eius cum eo, ibidem num. 11 desideratus cunctis gentibus, Agge. 2. num. 8. Malach. 3. in princ.

Reminiscere miserationum tuarum Domine, Genes. cap. 9. num. 15. & 16. Tamquam oblitum te Domine homines putant, quia non venis; propterea, & ipsi pastores ignorauerunt intelligentiam, omnes in viam suam declinauerunt, Isai. 56. num. 11. immo dixerunt in corde suo, non est Deus, Psalm. 52. num. 1. Isai. 52. num. 5. ad Rom. 2. num. 24. non taceas, seù dissimules, neque cesses iuuare nos aduentu tuo, quoniam inimici tui sonuerunt, tumultuati sunt; super populum tuum malignauerunt, Psalm. 82. num. 3. & 4. Reminiscere misericordiarum tuarum, quas à sæculo nobis promisisti, Genes. d. cap. 9. num. 16. & misericordiarum tuarum, quæ à sæculo sunt, quæ in æternum coædificata est in Cælis, Psalm. 88. num. 3. magna enim est misericordia tua Domine, & propitiatio tua conuertentibus ad te, Eccles. 7. num. 28. à sæculo sunt, quæ nunquam defecerunt miserationes tuæ, Thren. 3. num. 22. Miserationes tuæ super omnia opera tua, Miserator, & misericors es Domine; patiens, & multum misericors, Psalm. 144. num. 8. & 9. & si ad punctum quasi nos dereliquisse videaris; in modico, & in momento indignationis faciem tuam à nobis abscondisse, in misericordia tamen sempiterna misertus es nobis, Isai. 54. num. 8. & num. 10. Nomen tuum est miserator Dominus noster: propterea misericordia tua non recedat à me, Psalm. 88. num. 24. dixisti: misericordia mea cum ipso, & num. 25. in æternum seruabo illi misericordiam meam: propterea.

Delicta iuuentutis meæ, & ignorantias meas ne memineris, sed secundum multitudinem miserationum tuarum illa obliuiscaris. Quare de delictis iuuentutis, & non de alijs, quæ in senectute fiunt, veniam petit Psalmista? cum habeamus, Sap. cap. 4. nu. 17. quòd aliqui senes in nihilum computabuntur, & sine honore erit nouissima senectus illorum. Et in Daniel cap. 13. num. 5. de illis duobus senibus Iudicibus, & Presbyteris exardentibus in concupiscentiam Susannæ: dicitur egressa est iniquitas de Babylone à senioribus, & Isai. 65. nu. 20. Peccator centum annorum maledictus erit. Proh dolor, & confusio mea in senectute plena, & in amaritudine animæ propter peccata mea, & scelera mea; humiliter confisus in tua misericordia, quæ maior est iniquitate mea, audeo dicere: Domine delicta iuuentutis meæ, & ignorantias ita delere digneris, vt nec iniquitatum senectutis meæ, & ignorantiarum mearum recorderis. Ideò autem Dauid de delictis iuuentutis veniam petit, quia iàm senex factus, & seruus Dei, innocens à peccatis, & Deo carus in ipsa sua senectute, nec illa cogitauit semper de præteritis dolens, Psalm. 50. & in omnibus alijs Psalmis.

Verùm quamuis promptitudo ad peccandum maior sit in iuuene, quàm in Sene, re tamen vera in vtroque est propter carnis fragilitatem, Psalm. 118.

ſæpe expugnauerunt me à iuuentute mea; dicendum iuuentutem ad vtramque referri ætatem, in qua delinquimus per fragilitatem, ac ignorantias, quæ ſunt cauſæ peccati. Cum ergo præteritorum peccatorum doleat, haud dubium, quin, & ſimul doleat eorum, quæ in ſenectute perpetraſſet, & eſſent præſentis temporis.

Ideòq. de delictis potiſſimum in iuuentute deprecatur Dei obliuionem, quia error, & tenebræ peccatoribus concreatæ ſunt, & ſi quis exultat in malis, conſeneſcet etiam in malis, Eccleſ. 11. num. 16. Domine ne memineris delictorum meorum, & ignorantiarum iuuentutis, quæ vicina eſt lapſibus, quia malarum æſtus cupiditatum feruor calentis inflammat ætatis, Ambroſ. in lib. de Viduis.

Sed ſecundum multitudinem miſericordiarum tuarum memento mei tu. Verba ſunt Eccleſiæ; Vt hominem ſaluares, ſtatuiſti aduentum tuum in mundum; ſi ante iſtum aduentum in lege ſcripta peccaui, tu dele Domine delicta mea; ſi poſt Baptiſmum per ignorantias meas deliqui, tu ne memineris; ſic omnis ætas præcedens comparata ad ſequentem, iuuentus dici poteſt.

Secundum miſericordiam tuam memento mei tu, propter bonitatem tuam Domine. Non ſecundum merita mea, propter quæ iram tuam mœreor, ſed ſecundum bonitatem tuam oculus tuus Domine reſpiciat me in bono, Eccleſ. d. cap. 11. num. 13. & erige me ab humilitate mea; vt videntes me adorent te Deum omnipotentem, quia tu ſolus bonus es Domine ſperantibus in te, Thren. 3. nu. 25. Animæ quærenti te bonus, & ſuauis eſt ſpiritus tuus in omnibus, ideoq. eos, qui exerrant, partibus, ideſt paulatim corripis, & de quibus peccant admones; & alloqueris, vt relicta malitia credant in te, Sap. 12. num. 1. cum ſequen. tu vnus es ſolus bonus Deus, Matth. 19. nu. 17. fac ergò mihi ſignum in bonum, Pſalm. 85. num. 17. & ſuſcipe ſeruum tuum in bonum, Pſalm. 118. num. 122.

Dulcis, & rectus Dominus, propter hoc legem dabit delinquentibus in via. Dulcis in Euchariſtiæ Sacramento, in quo corpus ſuum nobis dedit ad manducandum; rectus, dùm vnicuiq. tribuit iuxtà opera ſua, & quia rectis, & iuſtis, qui comedunt, dat vitam æternam, & delinquentibus legem dedit, vt accedentes ad idem Sacramentum poſt confeſſionem peccatorum noſtrorum, & dolentes, habeamus vitam æternam, Pſalm. 146. num. 3. qui ſanat contritos corde, & alligat contritiones eorum, Ioan. cap. 7. num. 55. Vndè 1. Petr. cap. 2. num. 1. & ſequen. Deponentes omnem malitiam, & omnem dolum, &c. ſicut modo geniti infantes, rationabile ſine dolo lac concupiſcite, vt in eo creſcatis in ſalutem; ſi tamen guſtatis, quoniam dulcis eſt Dominus. Dulcis eſt Dominus, dicit Auguſt. hic: quia quandoq. peccantes, & impios ità miſertus eſt, vt omnia priora donaret; ſed etiam rectus Dominus, qui poſt miſericordiam miſerationis, & veniæ, quæ habet gratiam ſine meritis, digna vltimo iudicio merita requiret, hæc Auguſt.

Colligitur igitur, quòd dulcis eſt Dominus, quia perire non patitur, rectus, quia punire non obliuiſcitur, ità etiam Bernard. de Gradib. humilitatis, & in ſerm. de Cœna incip. Panem Angelorum, &c. Ipſe eſt Ieſus, qui dulcis eſt in voce, dulcis in facie, dulcis in operatione, dulcis apparebit in Diuinitatis apparitione. Dulcis nàm in primo aduentu ſuo, ità dulcis, vt ad ſaluandos nos animam ſuam poſuerit; dulcis, cum ità deſideret ſalutem noſtram, vt, & Apoſtolo ſuo Petro mandauit dimittendum delinquentibus nedum ſepties: ſed & ſeptuagies ſepties, Matth. 18. num. 21.

Rectus

Rectus verò, quia in secundo aduentu, quando venerit iudicare viuos, & mortuos, iusta, rectaq. illius sententia, qui bona egerunt ibunt in vitam æternam, qui verò mala in ignem æternum; vnde Greg. in homil. de Ascensione; hoc nobis perpendendum est; quia is, qui placidus ascendit, terribilis veniet, & quicquid nobis cum mansuetudine præcipit, cum districtione exiget, quia tantùm ad iudicium districtius veniet, quantò nobis antè iudicium patientiam prærogauit, hæc Greg.

Dulcis, vt dixi in Sacramento, quod nobis præbet Eucharistiæ ad augmentum suæ gratiæ, Psalm. 30. num. 20. quam magna multitudo dulcedinis tuæ, quam abscondisti timentibus te: rectus quia in illo prius debet præcedere Sacramentum pœnitentiæ, quod ordinauit ad remissionem culpæ, vt, & si illam feceris; & si toto corde pœnitebit, dulcis tibi fiat Dominus.

Diriget mansuetos in iudicio, docebit mites vias suas. Audite mansueti, & lætamini, Psalm. 33. num. 13. quia Dominus saluos vos faciet, Psalm. 75. nu. 10. magnus Dominus Deus noster, suscipiens mansuetos, d. Psalm. 146. num. 6. humilians autem peccatores vsque ad terram, & num. 7. præcinnite ergo Domino in Confessione; oculus enim Domini respicit vos in bono, erigens vos ab humilitate vestra, Eccles. d. cap. 11. nu. 13. & exaltabit vos in salutem, Psalm. 149. nu. 4. non enim in multitudine est virtus tua Domine, dicebat Iudith cap. 9. num. 16. nec superbi ab initio placuerunt tibi, sed humilium, & mansuetorum semper tibi placuit deprecatio. Teneant ergo mansueti disciplinam, quia Dominus dabit illis gratiam, Prouerb. 3. num. 34. & cap. 4. num. 13. ipsa enim disciplina est via vestra, nàm & ipse Dominus Iesus, quasi Agnus mansuetus, qui portatur ad victimam, Ierem. cap. 11. num. 19. & Sophon. 2. num. 3. Quærite Dominum omnes mansueti terræ, quærite iustum, quærite mansuetum. Mansuetus est Dominus, Isai. 62. num. 11. Zachar. cap. 9. num. 9. ecce Rex tuus veniet tibi iustus, & Saluator, ipse pauper, & ascendens super Asinam, & super pullum filium Asinæ, propterea spiritus Domini super illum, &c. ad annunciandum mansuetis misit illum, vt mederetur contritis corde, & prædicaret captiuis indulgentiam, & clausis apertionem, Isai. 61. num. 1. & iudicabit in iustitia pauperes, & arguet in æquitate pro mansuetis terræ, Isai. cap. 11. num. 4. Dirigit ergo mansuetos in iudicio, nam quod beneplacitum est illi, dicit Eccles. cap. 1. nu. 35. fides & mansuetudo.

Docebit mites vias suas, Psalm. 85. num. 5. Quoniam tu Domine suauis, & mitis, & multæ misericordiæ omnibus inuocantibus te, docet, vt sequantur illum, in ieiunio, fletu, & planctu, vt scindant corda sua, & non vestimenta illorum, & conuertantur ad illum, quia benignus est, & misericors, patiens, & multæ misericordiæ, Ioel cap. 2. num. 13. & Matth. cap. 11. num. 29. tollite iugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris, iugum enim meum suaue, & onus meum leue: Beati mites, quia ipsi possidebunt terram, Matth. 5. num. 4. docet misericordiam, & veritatem, cum ipse sit ipsa veritas, & misericordia.

Vniuersæ viæ Domini misericordia, & veritas requirentibus testamentum eius, & testimonia eius; Ad quid namq. de Cælo ad terram venit? nisi, quia misericors, & misericordia motus est; vt liberaret nos à pœnis inferni? Veritas est etiam via Domini, quæ de terra ex Maria Virgine orta est, & nouimus illum esse ipsam veritatem, ego autem, dicebat, sum Via, Veritas, & Vita, Ioan. 14. nu. 6.

Vni-

Vniuersæ ergo viæ Domini misericordia, & veritas, Ioan.1.num.17. Gratia, & veritas per Iesum Christum facta est; sed audi: nàm subiungit. Requirentibus testamentum eius., & testimonia eius. Quid est requirere testamentum eius,& testimonia eius? Vis noscere, quòd Christus est filius Dei, & quòd idem in mundum, vt crucifigeretur aduenerit: vt non sit tibi sicut Iudæis scandalum, & gentibus stultitia, lege,& scrutare testamentum vetus,& testimonia Apostolorum, ac testamentum nouum, Ioan.5.num.11. quia ea testimonium perhibent de illo, & cap.7.num.57. Act.17.num.11. inuenies enim, quod testamentum vetus nihil aliud est, nisi obscura in figuris significatio futurorum in nouo; testamentum verò nouum est manifestatio veteris testamenti, August. de Catechizandis rudibus. Si ergo quæ in testamento veteri in figura scripta sunt de filio Dei, & de eius aduentu, hæc declarata reperies in testamento nouo. Vniuersas Domini vias inuenies esse misericordiam, qua nos redemit, & veritatem, qua impios, & incredulos condemnabit, seù iudicabit, Hieron. Dulcis, & rectus Dominus, quia qui se miserum confitetur, miseretur illi Deus, testimonia enim tua Domine credibilia facta sunt nimis, Psalm.92.num.5. Si ergo vias Domini veritatis, & misericordiæ ingredi cupis, require, idest custodi, ità Hieron. & Chald. Testamentum Domini, idest pactum de lege seruanda factũ à Deo cum hominibus,& testimonia, idest præcepta, quia cum his Deus agit misericordiam,& seruat præcepta, seù pactum. Obserua tu,& custodi testimonia, de quibus Bernard. in Serm. de tribus Testimonijs; Dicit Ioannes, quòd tres sũt, qui testimonium dant in terrâ, Spiritus, Aqua, & Sanguis, hi tres vnum sunt; à sanguine, inquit Bernardus, aqua, & spiritu habetur testimonium, si contines à peccato, si dignos agas pœnitentiæ fructus, si facis opera vitæ, credas ergo, quoniam Iesus Christus est filius Dei, qui venit per aquam, & sanguinem, & spiritus est, qui testificatur, quoniam Christus est veritas, Ioan.1.cap.5.nu.6. & vicisti mundum, si fidem concomitentur & opera, quia fides sine operibus mortua est, ad Rom.cap.13.num.2. ad Galat.5.num.6. non ex fide tantùm, sed ex operibus iustificatur homo, Iacob.4.nu.24. & 26. Infidelis verò tribus istis testimonijs non credens, immo contradicens negando Spiritum sanctum; vel ei contradicendo, sanguinem Christi indignè etiam sumendo, nec aquam salutaris pœnitentiæ amplectendo; iste habebit partem cum diabolo, & in inferno cruciabitur in perpetuum; & pro illo nemo audebit testimonium dicere bonum, Iob 9.num.19.

Propter nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo, multum est enim. Desunt merita, sed supplet gratia: peccatum est multum, multus es etiam tu Domine ad ignoscendum, Isai.55.nu.7. tu enim Saluator es, & ideò in mundum venisti, vt vbi nullæ suppetunt causæ meritorum, suppleat immensa gratia tua Redemptor noster Iesu Christe Saluator, vt nos perditi propter peccata nostra in tuo nomine salui fiamus, Act.2.nu.21. & omnis quicumque inuocauerit nomen Domini, saluus erit, ad Rom.10.nu.13. Ioel 2.nu.32. Per lauacrum enim aquæ Baptismi peccata nostra delentur, Isai.12.nu.3. & 4. & factus est mihi in salutem: haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris. Nomen Iesus, quod salutem importat; dulce est, & suaue; consecratum ab æterno; nunciatum ab Angelo, prophetatum Salomonis Oraculo, qui ait, oleum effusum, nomen tuum; non est aliud nomen sub cælo datũ, in quo saluari oporteat, ipse enim

solus

solus saluum faciet populum suum à peccatis eorum, Bernard. in Sermon. de Cœna Domini, incip. Panem Angelorum.

Propitiaberis peccato meo multum est enim, confessio necessaria est, vt hìc, & Isai. dicto cap. 12. num. 4. Confitemini Domino, &c. & aliàs dixi. Propitiatur ergo peccatis nostris, cum ille ad hoc venerit, vt peccata nostra portaret, Isai. 53. num. 11. & 12. Ioan. 1. num. 19. Eccles. cap. 4. num. 31. Mirentur, inquit Gregor. 22. cap. 14. Moral. quicumque volunt in quamlibet castitatis continentiam, integritatem iustitiæ mirentur viscera pietatis; ego enim non minus in eo admiror confessionem humilium peccatorum, quàm tot sublimium gesta virtutum, scio enim quia per infirmitatis verecundiam plerumque grauioris est certaminis commissa peccata prodere, quàm non admissa vitare, hæc Gregorius. Oculi Domini super timentes eum: protector potentiæ, firmamentum virtutis, tegmen ardoris, & vmbraculum meridiani, deprecatio offensionis, & adiutorium casus, exaltans animam, & illuminans oculos, dans sanitatem, & vitam, & benedictionem, Eccles. 34. num. 19.

Propter nomen tuum, quod ab omnibus pœnitētibus cognitum est, tu propitiaris iniquitati omnium, & peccati eorum non memoraberis amplius, Ierem. cap. 31. nu. 34. idem in Psalm. 64. nu. 4. iniquitatibus nostris tu propitiaberis, & Psalm. 102. nu. 3. ipse enim, qui propitiatur omnibus iniquitatibus nostris; nàm apud eum est propitiatio, Psal. 129. nu. 4. hinc Ioan. 2. cap. 2. n. 2. habemus aduocatum apud Patrem, Iesum Christum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris tantùm, sed etiam pro totius mundi, & in cap. 4. nu. 9. in hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam filium suum Vnigenitum misit Deus in mundum, vt per eum viuamus, & num. 10. & misit filium suum propitiationem pro peccatis nostris, &c.

Expendenda sunt tamen ea verba, quæ in Eccles. cap. 5. num. 5. ad nostram doctrinam scripta sunt; De propitiato peccato, noli esse sine metu, neque adijcias peccatum super peccatum, & ne dicas, Miseratio Domini magna, est multitudinis peccatorum miserebitur meorum, misericordia enim, & ira ab illo citò proximant. Propitiaberis peccato meo, propter nomen tuum, multum est enim, Augustin. non solum peccata mea donasti, quæ antequam crederem admisi; sed & peccato meo, quod multum est, quia & in via non deest offensio, sacrificio contribulati spiritus propitiaberis, hìc Augustin. Grande est peccatum originis generale, quod nisi Deus per Baptismum delere dignetur, aliter non abluatur, Hieron. hìc. Grande est peccatum, quod in via committitur, idest post Baptismum, nàm pretium illius mors Christi fuit, si ergo ad vomitum iterum reuertaris, mortem Christi iterum procuras. O me miserum, quoties Christo mortem dedi, qui propter nomen suum, quod est Saluator, saluare me dignatus est? Vniuersæ viæ tuæ Domine misericordia, & veritas, non solum enim septies, sed septuagies septies, semper scilicet paratus in misericordia suscipere me, non reluctantem, & pœnitentiam agentem, mea delens delicta, & in sinu suo me recipiens, ideò subiungit Psalmista dicens.

Quis est homo, qui timet Dominum? hoc est, quis est, qui eò ipso quòd homo est, non timeat Dominum, à quo omnia bona procedunt, ideò legem statuit ei in via, quam elegit; legem tibi statuit, si viam in timore Domini elegisti, relinquens te in manu cōsilij tui, si volueris mandata seruare, quæ conser-

uabunt

uabunt te, & si volueris in perpetuum fidem placitam facere, idest fidelitatem Deo gratam seruare, Apposuit tibi aquam, & ignem, ad quod volueris porrige manum tuam, ante te Mors, & Vita; bonum, & malum; quod volueris, dabit tibi Dominus, Eccles. 15. nu. 14. cum sequen. Si malum eliges; bestialis es, & non homo, superbus, & alienus, qui non pertimescis timore, qui vitas correptionem, & secundum voluntatem tuam inuenies comparationem, & tuis insectationibus argueris, Eccles. 32. nu. 21. cum sequen. quia sine ratione viuis, vt carnalis viuis, & secundum ea, quæ caro desiderat, quæ semper est aduersaria spiritui; quid autem nequius, quàm eligere, & facere quod excogitauit caro, & sanguis? Virtutem altitudinis Cæli conspice, nàm omnes homines terra, & cinis, Eccles. 17. nu. 30. ò Domine Iesu dele iniquitatem meam, scelera mea, & peccata mea; legem tuam amplector, ne memineris iniquitatum mearum antiquarum, sicut promisisti, quia iàm auersus sum ab iniquitate mea; Ezech. 18. num. 22. omnium, dixisti, iniquitatum eius, quas operatus est non recordabor, in iustitia sua, quam operatus est, viuet, idem Ezech. 33. num. 11. in quacumque die conuersus fuerit ab impietate sua, iniquitas eius non nocebit ei, si ergo timueris Dominum, legemq. eius, quam tibi statuit, & alijs cum timentibus.

Anima tua in bonis demorabitur, & semen tuum hæreditabit terram. Ità dixit Dominus populo per Moysem, Deuter. 30. nu. 19. Testis est mihi Dominus, quòd proposuerim vobis vitam, & mortem, benedictionem, & maledictionem; elige ergo Vitam, vt, & tu viuas, & semen tuum, &c.

In quibus verò bonis demorabitur anima iusti, in Psalm. 102. num. 11. cum sequen. declarantur. Propitiabitur omnibus iniquitatibus eius, sanat infirmitates suas, vitam de interitu redimit, & replet in bonis desiderium suum, renouans, vt Aquila iuuentutem suam; ità Prouerb. cap. 19. nu. 23. Timor Domini ad vitam, & in plenitudine commorabitur.

Legem statuet ei in via, quam apprehendit, qui timet Dominum, excipit doctrinam eius, & qui vigilauerit ad eum inueniet benedictionem, & qui quærit legem, replebitur ab ea, Eccles. 33. nu. 19. ille ergo, qui homo erit, qui sapiens erit, qui doctrinam Domini excipiet, qui nec odit mandata, & iustitias; non occurrent mala, sed in tentatione Deus eum conseruabit, & liberabit à malis, nec illidetur quasi in procella maris, quia cùm sit sensatus, credit legi Dei, & lex illi fidelis, Eccles. 34. num. 1. cum sequen.

Tu verò cum hominem te profitearis esse, & bona corporis, & animæ habere desideres, cur timorem Domini non habebis? cur, si sapiens sis, legem eius non amplecteris; & mandata eius non custodies? lex tibi posita est ne impunè amplius pecces, Augustin. hic. Sed Domine Iesu, quis præter te dabit talem nos habere mentem, vt timeamus te, & custodiamus mandata tua vniuersa in omni tempore, vt benè sit nobis, & filijs nostris in sempiternum? Deut. c. 5. nu. 29. sed audi ex cap. 30. nu. 14. in Deuter. Paul. ad Roman. cap. 10. nu. 8. Propè est verbum in ore tuo, & in corde tuo, hoc est Verbum fidei, quod prædicamus, quia si confitearis in ore tuo Dominum Iesum Christum, & in corde tuo credideris, quòd Deus illum suscitauit à mortuis, saluus eris; Corde autem creditur ad iustitiam, ore autem fit confessio ad salutem, dicit enim Isai. c. 28. num. 16. omnis qui credit in illum, non confundetur, hæc Paul.

Si ergo vis habere Dei timorem crede in illum, quia si præcepta eius, sicut ipse dixit, seruaueris in timore eius, habebis vitam æternam, si verò egeris mala, in ignem æternum eris.

Timeas ergo Deum non timore seruili, sed amore, & dilectione in illum, semper pauidus, ne gratiam eius amiseris; nemo enim certus est an amore, vel odio dignus sit: propterea semper operare bonum in conspectu eius; ità tamen timeas, vt sit tibi spes, ad Roman.cap.8. per totum, & num.22. scimus autem quod omnis creatura ingemiscit, & parturit vsque adhùc: non solum autem illa, sed, & nos ipsi primitias spiritus habentes, & ipsi intrà nos gemimus adoptionem filiorum Dei expectantes, redemptionem corporis nostri; spe enim salui facti sumus; spes autem, quæ videtur non est spes, nàm quod videt quis, quid sperat? si autem quod non videmus, speramus, per patientiam expectamus.

Quis est ergo homo, qui timet Dominum? Ipse enim dixit homini, ecce timor Domini, ipsa est sapientia, & recedere à malo intelligentia, Iob d.cap.28. nu.28. Initium enim sapientiæ est timor Domini, Psalm.110. nu.10. Sequitur Psalm. Intellectus bonus omnibus facientibus eum, scilicet intellectum: hoc est, sanè sapiunt, qui faciunt eum intellectum, idest quod intelligunt faciendum, vt faciant iuxtà præcepta Dei, tali enim sic facienti laus in sæculum sæculi. Vbi verò non est scientia animæ, non est bonum, vt Prouerb.19.nu.9.& 20.suscipe disciplinam, vt sis sapiens in nouissimis tuis. Timor ergo Domini initium sapientiæ, Prouerb.cap.1.nu.7. Eccles.1.nu.16. & cum iustis, & fidelibus agnoscitur, scilicet operando. Timor Domini (sequitur Ecclesiasticus) scientiæ religiositas, religiositas custodiet, & viuificabit cor; iucunditatem, atque gaudium dabit illi, scilicet, qui legem datam ei custodierit, eamq. elegerit, vt adimpleret, Baruch cap.3.nu.20. Iuuenes viderunt lumen: viam autem disciplinæ ignorauerunt, neque intellexerunt semitas eius, neque filij eorum susceperunt eam. Timor Domini ipse est thesaurus eius, idest salus nostra, Isai. cap.33. num.6. Qui ergo timet Dominum, datam ei legem à Domino seruare debet, si ad ea, quæ elegit, deflectens, Hieron. hìc. dicens, simile per Moysem ad populum Dominus protestatur, Deuter.30. num.19. vobis proposui vitam, & mortem, benedictionem, & maledictionem, elige ergo vitam, vt, & tu viuas, & semen tuum, & diligas Dominum Deum tuum, atque obedias voci eius, & illi adhæreas, ipse enim est vita tua, & longitudo dierum tuorum.

O homo si scires donum Dei, quod dat timentibus se, nunquam discederes ab illo; nàm dedit quodammodò legem Christo, vt timenti illum esset ipse Christus via illius, Ioan.cap.17. num.6. & sequen. manifestaui nomen tuum hominibus quos dedisti mihi de mundo; tui erant, & mihi eos dedisti; & sermonem tuum seruauerunt, & num.9. pro eis rogo, quos dedisti mihi non pro mundo, quia tui sunt, & sermonem meum seruauerunt, & nu.12. ego seruaui eos in nomine tuo, & nemo ex eis perijt, & nu.19. & pro eis sanctifico me ipsum, vt sint, & ipsi sanctificati in veritate, & num.24. volo, vt vbi sum ego, & illi sint mecum.

Quis est homo, qui timet Dominum? sciat quòd Iesus Christus est via illius, est protector, & Saluator eius, nàm Deus Pater illi commisit; vt alios custodiret, & seruaret; propterea anima eius in bonis demorabitur, qui Christum

Ducem, & Præceptorem acceperit, & per opera iustitiæ hæreditatem capiet in Regno Cælorum, in Regno viuorum, & dum in hoc mundo, in via Christi gradietur, sperabit in præmijs futuris; Sed audi, quòd opera requiruntur, nàm sequitur Psal. & semen eius, idest secundum Glos. opera eius, idest fructũ operum eius in Cælo percipiat; vndè Aug. hìc, & semen eius, idest opus eius hæreditatem solidam instaurati corporis possidebit, qui enim seminat in lachrymis, in benedictione, & exultatione metet, Psal. 125. nu. 5. euntes ibant post Christum, & flebant, mittentes semina sua: Venientes autem venient in Cælũ cum exultatione, portantes manipulos suos; dicit sapiens Prouerb. cap. 19. nu. 20. Consilium, & suscipe disciplinam, vt sis sapiens in nouissimis tuis; nàm timor Domini ad vitam, & in plenitudine commorabitur, ibidem n. 23. absque visitatione pessima.

Infirmi nos sumus, nihilq. ex nobis valemus, Dominus est firmamentum timentibus eum. Postquam te Christo filio suo commisit, testamentum etiam nouum dedit illi, vt manifestum illud faceret nobis, Ioan. dicto cap. 17. num. 8. verba, quæ dedisti mihi, dicit Iesus Patri, dedi eis, & ipsi acceperunt, & cognouerunt verè, quia à te exiui, & crediderunt, quia tu me misisti.

Firmamentum est Dominus timentibus eum, Dominus enim solus sustinuit te in via veritatis, & iustitiæ, protector potentiæ, & firmamentum virtutis, tegmen ardoris, & vmbraculum meridiani, Eccles. dicto cap. 34. num. 39. quia oculi Domini super timentes eum, & testamentum ipsius, vt manifestetur illis, ità etiam habetur 2. Reg. 22. nu. 19. præuenit me in die afflictionis meæ, & factus est Dominus firmamentum meum. Hìc Propheta, qui nunquam de Christi aduentu dubitauit, alios etiam timentes Deum exhortatur, dicens; firmamentum firmatum est apud Dominum, qui neminem fallit, quia Christus Iesus filius Dei viui, veniet, & manifestè veniet, & vos videbitis, quia veniet, & manifestabitur vobis, timentibus Deum: Vndè Paul. 1. Timoth. 3. nu. 16. Et manifestè magnum est pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, iustificatum est in spiritu, apparuit Angelis, prædicatum est Gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria, &c. est autem sermo de Iesu, ac Testamento nouo manifestato per Christum nobis, de quo loquitur, & Psalmista: nàm lex vetus, quæ Christum annunciauit per litteram velata, in ipso Christo Iesu manifestatur, Hieronym. hìc. Infirmorum enim erat timor; nunc verò quia timor Domini glorificatum est per Orbem terrarum, firmat timentes eum, hæc Augustin. Per illud nomen testamentum ipsius manifestatum in toto Orbe terrarum. Et hoc est semen, de quò suprà, nàm hæreditas Christi gentes sunt, & termini terræ, & semen eius hæreditabit terram, hinc Gregor. in cap. 5. in Moral. sicut in via sæculi timor debilitatem, ità, & in via Dei timor fortitudinem gignit. Si vis ergo, quòd Iesus sit tibi manifestus, audi eundem Dominum Iesum in Ioan. cap. 14. nu. 21. qui habet mandata mea, & seruat ea, ille est, qui diligit me, qui autem diligit me diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum; diligamus ergo Iesum, vt manifestetur nobis; Cogitatum nostrum habeamus in præceptis Dei, & in mandatis illius maximè assidui simus; & ipse nobis dabit cor ad seruiendum illi: in omni animo nostro accedamus ad illum, & conseruemus omnes vias eius in omni virtute nostra, inuestigemus illum, & manifestabitur nobis, Eccles. cap. 6. nu. 27. & sequen. & superius num. 23. Sapientia doctrinæ secundum

nomen est eius, & non est multis manifesta; quibus tamen cognita est, permanet vsque ad conspectum Dei; in impio autem secus; nàm quia non recedit de tenebris, non credet frustrà errore deceptus, quod aliquo pretio redimendus sit, Iob 15. num.31. ideò.

Oculi mei semper ad Dominum: quoniam ipse euellet de laqueo pedes meos. Posteaquam notas fecit Dominus timentibus eum vias suas, & legem statuit homini in via Cæli, quam elegit, timens Dominum, quia donec viuit, ambulat in carne mortali, & corpus, quod corrumpitur aggrauat animam, & terrena habitatio deprimit sensum multa cogitantem, Sap.9.num.15. ne incidat in laqueum, consulit quid illi faciendum, dicens, vt terrena fugiat, tametsi terrenus sit, & postquam ad Dominum leuauit animam suam, terrena relinquat. Semper ne cadam, pauidus ero, ne autem in laqueum incidam Diaboli, oculos meos semper ad Dominum leuabo; considerans æternam requiem, & momentaneum, quod mihi terrenum profertur, effugiam; Non timebo periculosa, & terrena, dum terram non intueor, quoniam ille, quem intueor, euellet de laqueo pedes meos, August. hìc.

Oculi ergo mei semper ad te Domine, tui etiam oculi respiciant me, & omnes gressus meos considerent, Prouerb.5.nu.21. Respice in me, & miserere mei, Psalm.85.nu.16. quia vnicus, & pauper sum ego. Ecce respice, ego seruus tuus à te redemptus, Isai.64.nu.9. ne memineris iniquitatis meæ; respice Domine de domo tua sancta in me, & inclina aurem tuam, & exaudi me, Baruch 2.nu.16. Psal.68.nu.17. Iàm conuersus sum ad te, & oculi mei semper ad te, oculi etiam tui, qui respiciunt fidem, Ierem.5.nu.3. respiciant etiam me seruum tuum. Vnicus enim sum, & pauper: tu ad pauperculum, & contritum spiritu, & trementem sermones tuos respicis, Isai.66. num.2. contemptum me, & abominatum respice, vt sciant Gentes, quia tu es Deus meus, 2. Machab.1.num.27.

Pauper sum ego, ait de se Iesus, quamuis in omnibus diues; ipse enim fecit Cælum, & terram, Genes.1. per totum: in principio creauit Deus Cælum, & terram, Paul.2.Corinth.8.n.9. scitis enim gratiā Domini nostri Iesu Christi, quoniam propter vos egenus factus est, cum esset diues, vt illius inopia vos diuites essetis. Et vnicus, quia solus peccatum non feci, nec inuentus est dolus in lingua mea, Isai.d.cap.53.nu.9.Ioan.Epist.1.cap.3.nu.5. Vnicus etiam, quia solus passionis tempore remansi relictus ab omnibus Apostolis, & domesticis meis, Matth. cap.26.nu.56. Pauper: ideò factus sum in derisum omni populo, & Canticum eorum tota die, Thren.cap.3.nu.14. illudebant enim ei dicentes, vah, Matth. cap.27.num.29. Vnicus sum, quia propter me solum facta sunt omnia; & ego solus in increpatione mea desertum facio mare, & flumina in siccum pono, Isai. cap.50.nu.2. & 3. qui etiam indui Cælum tenebris, num.4. à sexta enim hora tenebræ factæ sunt super vniuersam terram, Matth. cap.27.nu.45. Luc.cap.23. nu.45. Patri spontè me obtuli in mundum pro redemptione hominum venturum, Ego Deus Saluator, & homo factus propter hominem, despectus, & nouissimus Virorum, Vir laborum, & sciens infirmitatem, & quasi absconditus vultus meus, itaut nec me reputauerint: verè languores hominum ipse tuli, & dolores pariter illorum portaui, miserere, nàm, & homines quasi à te Patre meo percussum, & humiliatum, & quasi leprosum me putauerunt, Isai.c.53. num.4.

Tribulationes cordis mei multiplicatæ sunt, de necessitatibus meis erue me. Haud sermo est de tribulationibus peccatorum, pro vt recentiores hic intelligũt, nàm Propheta (vt ostendimus) loquitur ex persona, vel filij Dei, vel eius Ecclesiæ. In Christo autem filio Dei, quot fuerint cordis eius tribulationes habes, Marc. cap. 9. nu. 11. quomodò scriptum est in filium hominis, vt multa patiatur, & contemnatur, Matth. 17. nu. 12. sic, & filius hominis passurus est ab eis, & num. 16. ò generatio incredula, & peruersa, quousquè ero vobiscum; & quousque patiar vos; & cap. 26. num. 38. Tristis est anima mea vsque ad mortem, Marc. 14. nu. 36. & sequen. Et factus in agonia prolixius orabat, Luc. cap. 43. & factus est sudor eius, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram, num. 44. & vltimò nihil fuit in vita sua aliud, quàm persecutiones, tribulationes, afflictiones, & tandem ab amicis suis derelictus, ab inimicis flagellatus, corona spinea coronatus, consputus, delusus, crucifixus, & mortuus; nonnè tibi videntur tribulationes eius fuisse multiplicatæ? In eo non est inuenta sanitas, Isai. 50. per totum, & num. 6. Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus, faciem meam non auerti ab increpantibus, & conspuentibus in me, & vidimus eum, & non erat aspectus, despectum, & nouissimum virorum, Isai. dicto cap. 53. nu. 3. & Luc. 9. nu. 23. oportet filium hominis multa pati, & reprobari à Senioribus, & Principibus Sacerdotum, & Scribæ occidi, &c.

Multiplicatæ sunt cordis tribulationes ante passionem, & post passionem cordis, & corporis; proptereà orabat, vt de necessitatibus suis erueretur, & si fieri posset, transiret à se calix iste, ità suprà per Luc. d. cap. 43. & Matth. vt suprà, vt homo necesse erat pro hominibus illum mori, & nihilominus, quia resurrexit à mortuis, ereptus est de morte ad vitam; si ambulauero in medio tribulationis meæ, viuificabis me, Psalm. 22. num. 14. ità etiam Baruch clamabat in cap. 3. num. 1. & nunc Domine omnipotens Deus Israel, anima in angustijs, & spiritus anxius clamat ad te, audi Domine, & miserere, quia Deus es misericors, & miserere nostri.

Iterum audias quæso: Tribulationes cordis mei multiplicatæ sunt; quid tum? De necessitatibus, vt te eruat Dominus flagitas, & de tribulationibus in corde multiplicatis nihil petis: quid sibi vult hoc? Paul. ad Roman. 5. nu. 3. sed gloriamur in tribulationibus, scientes, quòd tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò spem, spes autem non confundit, quia charitas diffusa est in cordibus nostris, &c. & Iacob. cap. 1. nu. 2. omne gaudium existimate fratres carissimi, cum in tentationes varias incideritis, scientes, quòd probatio vestræ fidei patientiam operatur, patientia autem opus perfectum habet, vt sitis perfecti, & integri, in nullo deficientes; Vndè Beatus, inquit, qui suffert tentationem, quia cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, ibidem num. 11. præparandam ergo animam nostram ad tentationem, qui Deo seruire cupimus, dicit Eccles. cap. 2. num. 1. quoniam pius, & misericors Dominus, qui remittit in die tribulationis peccata, & num. 13. & sicut in sereno glacies, soluentur peccata tua; idem cap. 3. num. 17. si credideris ei, hæreditabit illam, & erunt in confirmatione creaturæ illius; quoniam in tentatione ambulat cum eo; & in primis elegit eum; timorem, & metum, & probationem inducet super illum; & cruciabit illum in tribulatione doctrinæ suæ, donec tentet eum in cogitationibus suis, & credat animæ illius, & firmabit illum, & iter adducet

directum ad illum, & lætificabit illum, Ecclesi.cap.4.num.19. & 20. propterea Gregor. in Moral. lib.31. cap.23. quem allegat Isid. in lib.3. Sentent. cap.58. de Tribulatione iustorum, Iustus, inquit, in aduersis se probari cognoscat, non deijci; & in lib.20. Moral. cap.21. idem Gregor. Tunc magis sunt oculi Dei super iustos, quando affligi ab iniquis prouidentia superna permittit; nàm tunc eis gaudia disponuntur æterna; quando præsenti tribulatione probantur. Haud mirum ergo si Sanctus liberationem à tribulationibus non desiderat, neque petat, cum nobis exemplum præbere voluerit pro illarum sustentatione, vt tamquam milites fortes illas sustinentes, gloriosi apud Deum Patrem efficiamur; quocircà idem Isid. vbi suprà. Qui vitæ futuræ præmia diligenter excogitat, mala omnia vitæ præsentis æquanimiter portat, quoniam ex illius dulcedine, huius amaritudinem temperat, & ex æternitate illius breuitatem huius despicit transitoriam, hæc Isid. Ideò viri sancti plus formidant prospera, quàm aduersa, quia Dei seruos prospera deijciunt, aduersa verò erudiunt, Gregor. in lib. Moral. 5. cap. 1. Exod. in cap. 1. nu. 12. quantòq. opprimebant eos, tantò magis multiplicabant, & crescebant. Via vitæ increpatio disciplinæ, Prouerb. c.6. nu.23. ità etiam legitur in Matth. cap.7. num.25. nàm contrà eum, qui ædificauit supra petram descendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit, fundata enim erat supra viuam petram, & ità etiam oportuit Christum pati, & ità intrare in Regnum Cælorum, idcircò Iob 5. nu.17. Beatus homo, qui corripitur à Deo, increpationem ergo Domini ne reprobes, quia ipse vulnerat, & medetur, percutit, & manus eius sanabunt, & antequam conteratur, exaltatur cor hominis; & antequam glorificetur, humiliatur, Prouerbi 18. num. 12. De necessitatibus suis, vt illum eruat rogat, non de tribulationibus, nàm illæ cogunt, vt aliquid faciant, istæ verò non cogunt, quia voluntariè pro amore Dei sustinentur.

Multiplicatæ sunt, ait Iesus, tribulationes meæ hoc est, etiam illorum, qui sequuntur me, illi enim membra mea sunt, propterea quod vni illorum factum est, mihi fecerunt, Matth. 25. nu.4. non tamen Domine sancte Pater illos vltrà vires pati sinas; de necessitatibus meis, idest in membris meis illatis erue me, Augustin. in Tract. 28. in Ioannem, circà initium: Non enim Christus in capite, & non in corpore, sed Christus totus in capite, & corpore: quod ergo membra eius, hoc ipse, quod autem ipse non continuò membra eius, nàm si ipsi non essent membra eius, non diceret Saulo, quid me persequeris? non enim Saulus ipsum, sed membra eius, idest fideles eius in terra persequebatur; noluit autem dicere electos meos, seruos meos, postremò honorabilius fratres meos; sed me, hoc est membra mea, quibus ego sum caput. Fidelis tamen, ait Apostolus est Deus, qui non patietur vos tentari suprà id, quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione prouentum, vt possitis sustinere, 1. Corinth. 10. num. 13.

Propterea de necessitatibus meis erue me, idest libera eos de angustijs huius mundi, vt vnum sint nobiscum, Ioan. 17. nu. 27. non enim fortitudo eius imminuta est; qui sperans in Domino, petit ab angustijs, & necessitatibus liberari, Prouerb. 24. num. 10. & 14. vndè Iob cap. 27. num. 2. Viuit Dominus, qui abstulit iudicium meum, & omnipotens, qui ad amaritudinem adduxit animam meam; quia donec superest halitus in me, & spiritus Dei in naribus meis,

non loquentur labia mea iniquitatem, nec lingua mea meditabitur mendacium, donec deficiam, non recedam ab innocentia mea, num. 4. & 5. nec tamen inducamur in tentationem: docuit nos Iesus Christus, vt oremus in sua oratione, quæ incipit, Pater noster, qui es in Cælis, &c. Matth. 6. nu. 9. & sequen.

Vide humilitatem meam, & laborem meum, & dimitte vniuersa delicta mea. De Cælis descendi, & homo factus sum, labor mihi fuit immensus, prout legitur in Matthæo, & alijs, atque hæc libenter sustinui, libenter passus sum pro populo meo: dimitte nunc Domine vniuersa delicta mea; mea dixi, quia populus meus omnes, qui sunt in Ecclesiæ corpore meo; Isai. 60. num. 21. germen plantationis meæ opus manus meæ ad glorificandum. Non enim in multitudine est virtus tua Domine, neque in æquorum viribus voluntas tua est; nec superbi ab initio placuerunt tibi; sed humilium, & mansuetorum semper tibi placuit deprecatio; Iudith. 9. num. 10. & vt viuifices spiritum humilium, & cor contritorum, habitas ideò cum contrito, & humili spiritu, Isai. 57. num. 15. vide ergo humilitatem meam, idest me sequentium, & labores eorum, vt dimittas vniuersa delicta eorum.

Respice inimicos meos, quoniam multiplicati sunt, & odio iniquo oderunt me, custodi animam meam, & erue me; non erubescam, quoniam speraui in te. Quid vis ò Propheta postquam Dominus inimicos tuos corporales, & spirituales respexerit? Tu Domine, inquis, sis animæ meæ protectio; propterea, quia sperans in te non erubesco: non timeo multitudinem illorum, loquitur enim Ecclesia, cuius multi sunt inimici: Nihilominus non erubesco, ait, quia spero in te, quia, & si multi inimici, minimus tamen ero in mille, & paruulus in gentem fortissimam, tu enim Domine in tempore isto facies istud, Isai d. cap. 60. nu. 22. ita enim vnus persequitur mille, & Dauid decem millia, Psalm. 32. fugit, num. 41. quia Dominus conclusit, & vendidit eos, num. 42.

Propterea etiam tu Domine mihi dixisti ne timerem: quare non confundar, neque erubescam; ad punctum enim, & si videaris dereliquisse me in modico, in miserationibus etiam magnis dixisti, congregabo te; in momento indignationis abscondisti faciem tuam parumper à me; in misericordia tamen sempiterna semper misertus es mei, ita enim dixisti Redemptor meus per Isai. d. cap. 54. num. 4. 7. & 8.

Respice ergo Domine tantum inimicos meos, & odium illorum iniquum contra me; protege me, quia sperans in te non confundar; scio enim quod iustos de angustia liberabis, & tradentur impij pro illis, Prouerb. 11. num. 8. & ita ergo etiam effugiam de angustia, Prouerb. 12. num. 13. & ideò non expaui ad multitudinem nimiam, Iob cap. 31. num. 34.

Benedictus sis semper Domine Deus meus, quia docuisti manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum, Psalm. 143. num. 1. & subdis populum meum sub me, num. 2. & Psalm. 17. & posuisti vt arcum brachia mea, num. 37. & 38. & dedisti mihi protectionem salutis tuæ, & dextera tua suscepit me; propterea persequor inimicos meos, & comprehendã illos, & non conuertar donec deficiant.

Custodi ergo animam meam, & erue me, quia paratus sum te Pastorem, & Dominum meum sequendo, ponere animam meam pro te: nec propterea timeo tormenta impiorum, quia innocentes etiam, & recti adhæserunt mihi, quia sustinui te: nam perfectio, & rectitudo, simplicitas, & æquitas adiunxerunt se mihi;

hæc

hæc enim placent Deo, cum ipse sit iustus, & iustitias cogitet, æquitatemq; videat vultus eius, Psalm. 10. num. 8. Tu enim Domine rectus cum sis, & rectè incedentes in via tua diligis, atque defendis; Si ergo Deus pro nobis, quis erit contrarius noster? recti adhærent mihi, stant simul mecum; quis est aduersarius meus? accedat ad me, ecce Dominus auxiliator meus, quis est, qui condemnet me. Isai. 50. num. 8. & 9.

Vel, & securius dicamus, hæc de Iesu Christo dicta fuisse; Custodi animam meam, & erue me; innocentes, & recti, quos tu mihi dedisti, adhæserunt mihi; quibus manifestaui nomen tuum, & sermonem tuum seruauerunt: quia cognouerunt, quòd omnia, quæ dedisti mihi, abs te sunt, & ideò adhærent mihi, quia sustinui te, & clarificaui te super terram, Ioan. d. cap. 17. num. 4. & seqq. adhæserunt mihi, & facti sunt mei, & membra de corpore meo, & ideò Pater sancte serua eos in nomine tuo, vt sint vnum, sicut & nos.

Libera Deus Israel Ecclesiam scilicet tuam sanctam ex omnibus tribulationibus suis, August. Redime populum tuum Deus, quem præparasti ad visionem tuam, ex tribulationibus suis, non tantùm, quas foris, sed etiam quas intus tolerat, hæc August.

Deus Israel, idest animarum videntium Deum, libera nos de angustijs omnibus, & de omnibus tribulationibus nostris; ad te enim animam meam leuaui, in te spero, & non confundar; confundantur iniqua agentes superuacuè. Tu verò Domine vias tuas demonstra mihi, & semitas tuas doce me; vt sequar te Deum Saluatorem meum. Delicta iuuentutis meæ ne recorderis; misericors enim, & bonus es tu Domine, dulcis, & rectus; propterea legem dedisti nobis, vt si ceciderimus, pœnitentiam agentes liberemur: quatenus mites, & mansueti; quia tunc tu dirigis nos in iudicio, vt impleantur mandata tua; quorum obseruatione vniuersæ viæ tuæ misericordia, & veritas apparebunt: Tu Iesus es, & Saluator; salua ergo timentes te Domine in nomine tuo, & propitiare peccatis nostris; quia anima mea in bonis demorabitur, & semen meum hæreditabit terram. Tu es firmamentum timentibus te, & testimonium, vt manifestetur nobis, ideò oculi mei semper ad te Domine, vt respiciens te non incidam in laqueũ. Respice etiam tu in me miserando, quia vnicus essem sine te; & pauper. Tribulationes cordis mei multiplicatæ, & si sint, de necessitatibus meis eruas me Domine.

Vide humilitatem meam, & laborem meum, & dimittas vniuersa delicta mea. Tua dixisti Domine delicta, quia mea sunt, & tu illa portasti. Vt vides, multiplicati sunt inimici, & odio iniquo oderunt me; Custodi tu Domine animam meam, & libera me à peccatis, nàm non erubescam, quoniam spero in te, & ità à peccatis liber factus, adhærent mihi innocentes, & recti, Orationes Sanctorum scilicet, quia sustinui legem tuam, & præcepta tua. Propterea orant Sancti dicentes; libera Deus Israel, idest homines iustos in Ecclesia tua existentes, ex omnibus tribulationibus suis, ità fiat Domine Iesu, vt Ecclesia tua tranquilla crescat, & multiplicetur in omni bonitate, & humilitate.



SOLI-

SOLILOQVIVM.

AD te ergo Domine in tribulationibus, & periculis existens leuaui animam meam, vt protegar à te: dirigasq. me in viam tuam, & dimittas peccata mea: Deus meus misericordia tua præuenit me; ideò dolens, & contritus præparaui animam meam ad te, vt etiam mandata tua obseruarem decreui.

Propterea oculi mei semper ad te, vt euellas de laqueo pedes meos; respice in me pauperem, & vnicum sine te; quia peccatum meum multum est, sed propter nomen tuum propitiare mihi; inimici multiplicati sunt, sed si auxiliator meus eris, quis contrà me? Ecclesiam tuam tribulationibus circundatam libera Domine, vt multiplicata fidelibus, laudes etiam tuas decantans facilius aduersarijs resistat; Domine Iesu exaudi me, firmamentum nostrum, & refugium nostrum, protege, defende, & guberna, vt te auxiliante; in omnibus tibi placere valeamus. Amen.

IN PSALMVM XXV.

Iudica me Domine, quoniam ego in innocentia mea ingressus sum: & in Domino sperans non infirmabor.



TITVLVS: In finem Psalmus Dauid: idest ipsi Christo ab Ecclesia dicatus.

Continuatur ad præcedentem, in quo imploratur auxilium Christi, vt Redemptio illius prosit Ecclesiæ suæ sanctæ; Verùm quia auxilium Dei non datur, nisi benemerenti, & legitimè certant: Ecclesia ipsa in hoc Psalmo ostendens innocentiam suam, & in solo Domino suam esse spem, excitat Dominum ad auxilium suum præstandum; quia esse se benemerentem profitetur, & instat, vt talis probetur.

Summatur hoc modo; Ecclesia Dei petit iudicari, sed non cum impijs, & malignantibus.

Incipit ergo Psal. Iudica me Domine, quoniam in innocentia mea ingressus sum, &c. Hunc Psalmum de Dauide non posse intelligi arbitramur; nam ex lectura illius facilè deprehenditur; quando enim Dauid ità innocens fuit; vt cum innocentibus lauare posset manus suas, vt infrà num. 4. non recedet gladius de domo tua, dixerat ei Dei nomine Nathan, vsque in sempiternum, eo quòd despexeris me, 2. Reg. 12. num. 10. & 1. Paralip. 28. num. 3. Deus autem dixit mihi, non ædificabis domum tuam nomini meo, eò quòd tu sis vir bellator, & sanguinem fuderis.

Non ergo de Dauide, sed de Christo Iesu, cui Ecclesia commendat se, ne cum impijs perdat animam suam, quos illa odio habuit, & semper diligendo decorem Dei, permansit in innocentia, sicut, & in principio. Verùm sanè est, quòd Dominus purgauit peccata Dauid, & exaltauit in æternum cornu eius; & dedit illi testamentum Regni, & sedem gloriæ in Israel, Eccles. 47. num. 13. non tamen dici potuit ingressus illius in innocentia, sed in speciali Dei gratia, & misericordia.

Iudica me Deus, quoniam ego in innocentia mea ingressus sum; idest innocenter incessi in viam huius vitæ; non dubitat de iudicio Dei, qui hæreditatem suam non derelinquit; quoadusque iustitia conuertatur in iudicium, Psalm. 93. num. 14. & 15. & quia sic incedendo rectè scit, quòd vita viuet, dicente Iesu, Fac hoc, & viues; & si vis ad vitam ingredi, serua mandata, Matth. 19. num. 17. Luc. 10. num. 28. eoq. odio habet malignantium, & iniquorum conuentum, vt nec cum illis partem aliquam habere velit, vel in iudicio.

Propterea dixit; odiui Ecclesiam malignantium, & cum impijs non sedebo. Inter peccatores in terris Ecclesia Dei nata est, sed cum illis, nec partem habere vult, quocircà instat pro iudicio iudicari petens, allegans innocentiam suam, & voluntatem Deo seruiendi, quòd spes eius in Deo sit; quam minimè infirmandam profitetur, quantumcumque inter peccatores in hac sit vita. Ab illis semper declinauit, sciens, quòd corda innocentium sermonibus blandis seducunt, ad Rom. cap. 16. num. 18. Non infirmabor inquit, semper sperans in te, & si ad amaritudinem Deus ducat animam meam, ideò dixit; Proba me, & tenta me: quia donec superest halitus in ore meo, & spiritus Domini in naribus meis, non loquentur labia mea iniquitatem: nec lingua meditabitur mendacium: neque recedam ab innocentia mea, Iob. 27. num. 3. cum sequen.

Iudica ergo me Domine, vt iudicium cantem tibi Domine: psallam, & intelligam in via immaculata, quando venies ad me: perambulabo in innocentia cordis mei, in medio domus meæ, Psalm. 100. num. 1. & sequen. quia spero in te, qui non priuas bonis eos, qui ambulant in innocentia, Psalm. 83. nu. 13. immo parcis in innocentia cordis mei, Psalm. 77. num. 72. in munditia enim manuum saluabitur innocens dicit Iob cap. 22. num. 30. & iustitia sua non deficiet, Isai. 51. num. 6.

Non tamen & si innocens sit, in sua innocentia superbè se iactat, & instat, vt ideò iudicetur, nàm iuxtà illud Iob in cap. 9. num. 20. si innocentem me ostendero, prauum me comprobabit, sed in Domino sperans, inquit, non infirmabor: non deficiam, quia aduocatum habeo Iesum Christum, qui interpellat pro me; ad Rom. 8. num. 34. & 1. Ioan. 12. nu. 1. Redemptor meus fortis; Dominus exercituum nomen eius iudicio defendit causam meam, Ierem. cap. 50. nu. 34. & iustitia mea non deficiet, Isai. 51. num. 6. Iudica ergo me Domine, qnoniam post misericordiam, quam tu prærogasti; innocentiæ meæ habeo aliquod meritum, cuius viam custodiui, hæc Augustin. nec tamen in me, sed in Domino meo sperans, permanebo.

Iudica me, idest iudicio discretionis à gente scilicet non sancta, Psalm. 42. idest non me ità iudices in futuro iudicio, sicut iudicabis peccatores, sed in misericordia tua, & secundum misericordiam tuam, quia quamuis inter peccatores sim, non infirmabor, sed firmus in fide permaneo.

Proba me Deus, & tenta me; vre renes meos, & cor meum; nam postquam viam tuam ingressus sum; & propter misericordiam in illa innocens me custodio, in lege tua ambulans, ac in te sperans non infirmabor, nàm si Deus, inquit Paul. ad Rom. 8. nu. 32. si Deus pro nobis, quis contra nos? quis accusabit aduersus electos Dei? Deus qui iustificat, quis est, qui condemnet? Proba me Deus, & tenta me, quia nec tribulatio, nec angustia, nec fames, nec nuditas, neque gladius, neque persecutio separabit me à charitate Christi: proba me

Deus,

Deus, & tenta me, quia certus sum, quòd neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit me separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu, Domino nostro, hæc Paul.

Dauid ergo in persona Ecclesiæ, non quia Deo non sit notum cor illius, qui scit omnia, præsentia, præterita, & futura, sed tamquam credentium pia Mater, & Magistra docet credentium constantiam in tentationibus necessariam: spes enim fidelium immortalitate plena debet esse: & Deus tentat illos, vt se dignos illos inueniat, Sap. d. cap. 3. num. 5. Necessaria est patientia in tribulationibus, & constantia iustorum, aduersus eos, qui ipsos angustiauerunt, Sap. d. cap. 5. in princ. & hæc est probatio, quam Deus facit de electis. Permittens, vt ipsis electis suis afflictiones, & alia damna corporalia inferantur: quò ità probati, tamquam aurum in fornace, quasi holocausti hostiam accipiat eos, d. cap. 3. num. 7. Ideò nobis modernorum opinio in hoc versiculo haud apta visa est, dicentium, Dauidem hìc non petere tentari, ac probari per aduersitates, ac renes suos, & cor suum aduri igne tentationum; sed postulare tentari à Deo per exactam explorationem, & inspectionem: vt Deus notam faciat hominibus innocentiam serui sui, ad suæ Diuinitatis gloriam: nam proba me inquit, & tenta me, vre renes, &c. quoniam misericordia tua ante oculos meos est; Gratia enim Dei, & misericordia est in Sanctis suis: & respectus in electos illius, Sap. 4. nu. 15. Certum habens, quòd omnis, qui colit Deum, si vita eius in probatione fuerit, coronabitur, si autem in tribulatione fuerit, liberabitur, & si in correptione fuerit, ad misericordiam Dei venire licebit, vt dicitur, Tob. 3. nu. 21. & sequen.

Propterea melius dicendum petere Dauid probari, tentari in tribulationibus corporis, & spiritus; hoc est in angustijs, & necessitatibus mentis, & corporis; Vincula enim illius alligatura salutaris, Eccles. 6. num. 32. dixit, Sacrificium Deo spiritus contribulatus, Psalm. 50. quia corpore, & spiritu contribulatus est.

Vel etiam dicamus; Tenta me, vre renes meos, & cor meum: hoc est, Domine Deus, ità credo in sapientiam tuam, in filium venturum tuum; qui me redempturus est: vt quamuis timor, & metus, & probatio inducatur super me, & crucies in tribulatione doctrinæ, & tentes me in cogitationibus meis; Securus nihilominus sim, cum tu in tentatione ambules mecum; quoniam & si timorem, & metum, & probationem induces super me, tu tamen firmabis me, & iter adduces super me directum, hoc est facies viam expeditiorem, sublatis impedimentis, & difficultatibus, & lætificabis me, Eccles. 4. num. 18. cum sequen. Glos. in cap. 4. Eccles. super verbum illud, & cruciabit illum in tribulatione doctrinæ suæ, donec tentet eum; idest inquit, manifestet alijs bonitatem suæ mentis: sic enim tentauit Abraham: Genes. 22. vt manifestaretur alijs obedientia Abrahæ; Quæ faciunt ad relatam superius opinionem recentiorum.

Crederem tamen opinionem communem, vt dixi esse veriorem iuxtà doctrinam Pauli supradictam: vniuscuiusque enim opus, quale fuerit, ignis probabit, 1. Corinth. 3. num. 13. & Psalm. 16. num. 3. igne me examinasti, & non est inuenta in me iniquitas; vos enim inquit ad Thessal. 1. cap. 2. num. 14. imitatores facti estis fratres Ecclesiarum Dei, quæ sunt in Iudæa in Christo Iesu; quia eadem passi estis, & vos à Contribulibus vestris, sicut etiam ipsi à Iudæis, &c. Inquit tamen Hieron. quòd Ecclesia probari se rogat, vt ipsa se noscat, & ab alijs cognoscatur

pro-

probata; probari tamen debet, sicut Iob, vt se cognosceret, & ab alijs cognosceretur, sicut illi Reges fecerunt, qui illum visitauerunt, Iob c. 2. nu. 12. proba me in tentationibus, & tenta me, ne aliquid delicti in me remaneat, vt iustitia sit cingulum lumborum meorum, & fides Cinctorium renum meorum, Isai. 11. nu. 5. Vre renes meos, igne scilicet Spiritus sancti tui, qui propè sit mihi in intimo cordis mei, quia in misericordia tua semper speraui; non sicut impij, qui in vijs suis malis prosperantur, quia ori illorum propè tu es; sed longè à renibus eorum, idest ab intimis cordis eorum, quos quasi Gregem ad victimam congregas; vt punias scilicet. Tu Domine probasti cor meum, tecum nosti, & vidisti me, Ierem. 12. nu. 2. quia complacui in veritate tua, & ibi reuelaui causam meam; qui probator es iusti: qui vides renes, & cor meum, Ierem. 11. nu. 20. & cap. 17. nu. 10. & cap. 20. nu. 12. Iudica causam meam in innocentia mea; Corripe me Domine, veruntamen in iudicio, & non in furore tuo, ne fortè ad nihilum redigas me, Ierem. 10. nu. 24. In iudicio inquit, idest moderatè: tu enim fidelis es Domine, qui non patieris me tentari suprà id, quod possum: sed facies etiam cum tentatione prouentum, vt possim sustinere, ad Corinth. 1. cap. 10. nu. 13. Proba prius me, vt cognoscant, quia à te probatus sum; & ego cognoscam me prædestinatum, & sic vocatum, & iustificatum, quia quos tu iustificas, illos, & glorificas, ad Roman. 8. num. 30. Tunc tenta me, & vre renes meos, & cor meum, quia à te defensus, & in misericordia tua confidens, non timebo mala, quoniam tu mecum eris, Gregor. 8. Moral. inquit, Sancti Viri dum occulta se dispositione suspecti sunt, prius ipsa prospera pertimescunt, tentari appetunt, flagella concupiscunt, &c. Bernard. in Serm. de Beato Benedicto, Disce, quantumcunque tentatio acerba sæuiat, non credas propterea te derelictum à Deo, sed esto constans, & videbis citò auxilium Dei super te.

Fiducia desiderantis tentari consistit in eo, quod in sequenti vers. dicitur per Prophetam. Quoniam misericordia tua est ante oculos meos, sed quare in misericordia Dei confidit? quia inquit; Complacui in veritate tua; conuerte me, & conuertar; quia tu Dominus meus, Ierem. 31. num. 18. ergo prius didicerat, prius veritatem Dei nouerat Propheta Domini, qui enim timent Dominum, non erunt incredibiles verbi illius; Eccles. 2. num. 18. & custodient mandata illius, & patientiam habebunt vsque ad inspectionem illius; dicentes, si pœnitentiam egerimus, incidemus in manus Domini, & non in manus hominum, ibidem num. 21.

Non sedi cum Concilio vanitatis, & cum iniqua gerentibus non introibo. Sed hæc quare vitanda? quia complacui in veritate tua ambulare, in Christo filio tuo; in verbo tuo, quod caro factum est, plenum gratiæ, & veritatis; ipse enim dixit, si habueritis fidem sicut granum sinapis, & dicetis huic arbori moro, eradicare, & transplantare in mare, & obediet vobis: Luc. 17. nu. 6. & nihil impossibile erit vobis, Matth. 17. num. 19. Fidem habeo in Christum venturum, qui liberaturus est me, ideò seruo mandata eius, quia vera sunt, & complaceo in illis ex misericordia Dei. Ideò fiduciam habeo in Domino ex toto corde meo, & in omnibus vijs meis cogito illum, qui dirigat gressus meos, Prouerb. 3. nu. 5. & cum tali fiducia spero habitare Montem sanctum Domini, Isai. 57. num. 13. nec aquæ multæ poterunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam, Cantic. cap. 8. num. 7.

Quo-

Quoniam misericordia tua ante oculos meos, & complacui in veritate tua; ideò tenta me, castiga me, vt eruditus fiam; eram quasi iuuencus indomitus, & postquam ostendisti mihi, percussi femur meum, Ierem.cap.31.nu.19. ideò ab igne tentationis renum, & cordis eripies me, arguar ab illo, sed non exurar, quia non in me, sed in veritate Dei complacui, qui illuxit in corde meo ad illuminationem, scientiæ charitatis Dei in facie Christi Iesu; 2.Corinth.4. num.6. & in num. 8. In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur, aporiamur, sed non destituimur, persecutionem patimur, sed non derelinquimur, deijcimur, sed non perimus; semper mortificationem Iesu in corpore nostro circumferentes, vt, & vita Iesu manifestetur in corporibus nostris, hæc Paul. Ideò ante oculos meos semper tua misericordia est, quia quamuis tentatus, tribulatus, & derelictus videar; Confido tamen, quia tu pones me desertum, quasi delicias, & quasi hortum tuum erit solitudo mea; & gaudium, & lætitia, Isai. cap.51.num.3. secundum enim magnitudinem tuam, sic, & misericordia tua mecum erit, Eccles.2.num.23. Act.cap.18.nu.10. dixisti aliàs, noli timere, sed loquere, ne taceas, quia ego tecum sum, & nemo apponetur tibi, vt noceat tibi.

Non sedi cum Concilio vanitatis, quia complacui in veritate, non in nomine tantùm, sed intus in corde, vbi tu vides Domine: ideò, etsi absens corpore, allectus à voluptatibus, & delitijs, tamen in corde meo non recessi vnquam à te Christo Iesu, non cogitaui mala, nec in illis permansi.

Propterea dixi, vre renes meos, à delectationibus, ne aliquid mali delectent; vre cor meum, ne aliquid mali etiam cogitem; August. Vndè autem vris renes meos? igne verbi tui: Vndè vris cor meum? calore spiritus tui; quia non est qui se abscondat à calore eius, Psalm.18. num.7.

Tenta ergo me, sed vre renes meos, vt non delecter in cogitationibus, vre cor, vt neque in cogitationibus offendam; quasi dicat, non cadam, in committendo peccatum actuale, Vel in illorum cogitatu, facit Eccles.23. Quis superponet in cogitatu meo flagella; & in corde meo doctrinam sapientiæ, vt ignorationibus eorum, idest delictis cogitationũ non pareat mihi; vt scilicet statim timore, vel pœna reprimam; quasi dicat; quis reprimet, vt malum non cogitem, vt non appareant delicta impiorum, & non adincrescant ignorantiæ meæ; & multiplicentur delicta mea, & peccata mea abundent; non adincrescant ignorantiæ meæ, idest in peccatis meis cogitationis; addantur peccata oris, & operis, & ità peccata mea abundent, & ità gaudeat super me inimicus Diabolus, scilicet.

Domine Pater, & Deus vitæ meæ, omne desiderium auerte à me, num. 5. & aufer à me ventris concupiscentias, & concubitus concupiscentiæ ne apprehendant me; prohibens, me scilicet tali desiderio consentire: hæc in Eccles. & hoc est, quod dicit Psalm.

Vre renes meos, & cor meum; non sedi cum Concilio vanitatis hucusquè; Vre tamen renes, & cor, vt etiam in futurum non sedeam, non permaneam in his cogitationibus, & delectationibus prauis.

Non sedi cum Concilio vanitatis, non fui consentiens consilio eorum, qui volebant Authorem vitæ interficere, Luc.23.nu.51. vel spem meam, & cogitatum meum non posui in terrenis, quæ omnia transitoria sunt, & vanitates, Eccles.cap.1. per totum, & num.13. vidi cuncta, quæ fiunt sub Sole; & ecce vniuersa vanitas, & afflictio spiritus; & idem cap.2. neque aliquando consentiens,

sedi in peccato, Tob.cap.4.nu.6. nec euanui in cogitationibus meis, ad Rom. 1. num.22. nec facientibus mala consensi, qui digni sunt morte; ad Rom. d. c. 1. num.32. non sedi cum concilio vanitatis, idcircò, quia complacui in verbo veritatis tuæ, Ierem.15.nu.17. non sedi cum Concilio ludentium, & gloriatus sum à facie manus tuæ: solus sedebam, quoniam comminatione repulisti me, Prouerb.30.nu.8. duo, rogaui te, Vanitatem, & verba mendacij longè fac à me.

Odisti obseruantes vanitates, Psalm.30.num.7. quid est vanitas nisi deceptio vana? Psalm.61.num.9. Vani filij hominum, mendaces filij hominum in stateris, vt decipiant ipsi de vanitate in idipsum: datur enim à Deo nobis rectum iudicium discernendi bona à malis: qui non cognoscit distantiam boni, & mali, Eccles.cap.6.nu.5. pergit ad tenebras, & obliuione delebitur nomen eius, nu.4. si mala eligimus, ipsi nos decipimus, quia eligendo peccatum, recedimus à Deo, & anima nostra cremabitur.

Et ideò non solum non sedi, idest non consensi cum his, qui in Concilio vanitatis sedent, & illas profitentur, verùm nec cum iniqua gerentibus introibo: consentire, seù sedere in Concilio vanitatis, est causam præbere omnis iniquitatis perpetrandæ: August. hìc, 2.ad Timoth.2.nu.16. profana autem, & vaniloquia deuita: multum enim proficiunt ad impietatem; & sermo eorũ, vt Cancer serpit.

Non solum non sedi in vanitatibus, quæ mihi præsentantur in intellectu, expellendo cogitationes vanitatum, illis non consentiendo; sed nec cum iniqua agentibus non introibo; nec illos videbo; propterea dixi Psalm.118.num.37. Domine auerte oculos meos ne videant vanitates, in via tua viuifica me; statue seruo tuo eloquium tuum, in timore tuo. Nec Angelis peccantibus pepercit, in quibus reperit prauitatem, Iob 4. nu.18. propterea illos vinculis æternis sub caligine reseruauit, Iuda cap. vnico, num.6. nec originali mundo pepercit, diluuium mundo impiorum inducens, Genes.7.nu.1. & 11. Ciuitates Sodomorum in cinerem redegit, exemplum eorum, qui impiè acturi sunt ponens, 2.Petr.2.num.6. Adeòq. cum similibus iniqua agentibus non introibo, nàm vt dicit Petr.d.cap.2. quia Dominus nouit pios de tentatione ista eripere; iniquos verò in diem iudicij reseruare cruciandos: qui velut irrationabilia pecora naturaliter, in perniciem, & in captionem in his, quæ ignorant, blasphemantes in corruptione sua peribunt; percipientes mercedem iniustitiæ, voluptatem existimantes diei delicias, &c. in conuiuijs suis luxuriantes, vobiscum pellicientes animas instabiles, &c. hæc Petr.

Ecclesiam, & collectionem malignantium odiui, Psalm.100. num.3. & 10. scilicet, facientes præuaricationes odiui; declinantem à me malignum non cognoscebam: & detrahentem proximo persequebar, idem in Psalm.118.nu.113. Iniquos odio habui, propterea, declinate à me maligni; quia vestra conuersatio obseruationem mandatorum Dei impedit, nu.115. gladius enim est in labijs eorum, sed tu Domine deridebis eos, Psal.58.nu.8. at gladius eorum intret in corda ipsorum, Psalm.36.nu.15. & cum impijs non sedebo: nàm si in verbo malignantes odiui, eò magis operantes iniquitatem, & impietatem detestor: neque cum illis societatem habebo. Primi enim, idest malignantes induuntur confusione, Psal.34.nu.26. & Psal.93. In malitia enim eorum disperde illos Domine; nu.23. & fient, vt stercus terræ, & ante faciem tuam Domine facti sunt, vt stipula, Psal.82.n.4. & 11. cum seqq. Eripe ergo me de luto, vt non infigar, Psal.68.n.15.

quia nolui malignari in malignantibus, neque zelaui facientes iniquitatem, quia scio, quòd qui malignantur, exterminabuntur, Psal. 26. nu. 1. & 9. non ergo solum malignantium Congregationem odiui: sed nec cum peccatoribus, qui impij dicuntur, sedebo: & Psal. 91. n. 12. despexit enim illos oculus meus, quia insurgentibus in me malignantibus audit auris mea punitionem scilicet, & Ioa. in 2. Epist. num. 11. qui autem dicit illi, Aue, communicat operibus malignis, & Deus non porrigit manum malignis, Iob 8. nu. 20. Propterea cum nec in cogitationibus malis perstiterim, & mala operantes odio habuerim, neque cũ illis me iunxerim.

Lauabo etiam manus meas, vt ab operibus malis abstinens circundare Altare tuum possim; fidelibus tuis me adiungendo, & fidem tuam cum omni cordis, & operis puritate, & innocentia amplectendo; hanc autẽ manuum lotionem lachrymis meis, & pœnitentia ductus, baptizatusq. cõplebo, atque perficiam: August. Lauabo manus meas in innocentibus: Munda faciam inter innocentes opera, lauabo inter innocentes manus meas, quibus amplexabor sublimia tua.

Quando piè cogitas de operibus tuis, & innocenter graderis coram oculis Dei circundare aptus es Altare Dei, quia est Altare coram oculis Dei, in quod ingressus est Sacerdos, qui pro nobis se primus obtulit. Est, & sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti Altare cæleste, quod haud dignè complectitur, nisi ab eo, qui lauat manus in innocentibus; nàm multi Altare hoc tangũt indignè: & tolerat Deus, pati iniuriam ad tempus Sacramenta sua: sed nunquid fratres mei, quomodò sunt parietes isti, sic erit Ierusalem Cælestis? nùm quomodò reciperis cum malis intrà parietes istos Ecclesiæ, ità recipieris cum malis in sinum Abrahæ? Minimè verò: timeas, & laua manus tuas, & circunda Altare Domini.

Vt audias vocem laudis, & enarres vniuersa mirabilia eius; vt audias inquit, idest, vt intelligas; hoc est enim audire coram Domino; non quomodò sonos istos, quos multi audiunt, & multi non audiunt; Quàm multi, quo ad nos audientes sunt, & quo ad Deum surdi sunt, & quamuis aures habeant, non tamen illas, de quibus Iesus, qui habet aures audiendi audiat. Audire ergo vocem Domini est intelligere intus, quia quicquid in te mali est de peccatis, tuum est: quicquid boni in iustificationibus Dei est, &c. deindè subiungit August. Lauabo inter innocentes manus meas, &c. idest ex ipso bono meo, non de me præsumam, sed de te, qui dedisti mihi ne laudare velim de me in me, sed de te in te; hæc August. si ergo humilis conuersus es, vt illumineris, non dicas, quia ex te factus sis illuminatus, sed ab illo, qui illuminat omnem venientem in hunc mundum, Ioan. 1. si ergo qui aliquando tenebrosus, ad Ephes. 5. n. 3. nunc autem in Domino lucere confitearis; quid habes, quod non accepisti, si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? 1. Corinth. 4. nu. 5. quæ enim dedit humili, aufert superbo, quia qui dedit, potest auferre, Augustin. Aspergas me ergo Domine hyssopo, & mundabor, lauabis me, & super niuem dealbabor, Psalm. 50. nu. 9. ampliusq. laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me: num. 4. vt audiam vocem laudis tuæ, & enarrem omnia mirabilia tua; & lætetur Sion, idest Ecclesia tua, Psalm. 96. num. 8.

Vis ergo ò Sacerdos, ò Christiane Altare Domini digne circundare, laua manus tuas inter innocentes, vt mundus sis ante Sacramenti sumptionem, & conscientia purus; Tunc in Ecclesia audies laudem vocis Dei, & cum psallentibus in ea, narrabis etiam mirabilia eius, qui fecit te, & redemit te, qui replebit

in bonis desiderium tuum, vt etiam enarres mirabilia sua in Ecclesia magna, in populo graui, cuius decor sunt omnes, qui in ea sunt, & gloriam Dei quærunt. Si diligis eum procul sis à concilio vanitatis, à præsumptione in homine, neque impijs consentias, & non intres, neque sedeas in congregatione eorum, tuncq. dicere poteris.

Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ. Propterea peto à te, ne perdas cum impijs animam meam, & cum Viris sanguinum; cum humanum sanguinem sitientibus, & homicidis vitam meam. Vel aliàs cum peccatoribus quibuscunque, iuxtà Psal. 50. ibi, Libera me de sanguinibus, in quorum manibus iniquitates sunt, dextera eorum repleta est muneribus, Prouerb. 22. nu. 9. Victoriam, & honorem acquiret, qui dat munera: Animam autem aufert accipientium, nihilominus munus, & iniquitas delebitur, & fides in æternum stabit, Eccles. 40. nu. 12. & Isai. 5. nu. 18. Trahunt iniquitatem in funiculis vanitatis, & quasi vinculum Plaustri peccatum, & nu. 23. iustificant impium pro muneribus, & iustitiam iusti auferunt ab eo, Mich. 3. nu. 11. In muneribus Principes eius iudicant, & Sacerdotes in mercede docent, & Propheta eius in pecunia diuinabitur, ideò Sion quasi ager arabitur, & Ierusalem quasi aceruus lapidum erit, & Mons Templi in excelsa syluarum.

Lauabo igitur inter innocentes manus meas, circundabo altare tuum, vt audiam laudem vocis tuæ, & enarrem mirabilia tua.

Dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ; & nihilominus addit. Ne perdas cum impijs animam meam, & cum Viris sanguinum vitam meam. Quid est hoc? Innocens lauat manus, quia ab operibus malis abstinet, ab Ecclesia recipitur, psallit, & laudes Domini audit, mirabilia Domini enarrat, diligit fideles, & sanctos, & tamen dicit, ne perdas cum impijs animam meam: nonnè scriptum est, Fac hoc, & viues, Ioan. 13. nu. 10. At, & id quoque scriptum etiam reliquit Iesus, Luc. 17. Cum hæc omnia feceritis, dicite quia inutiles serui estis; inutilis verò seruus iubet paterfamilias, vt tollatur, & eijciatur in exteriores tenebras, Matth. 25. nu. 30. & 29. omni habenti dabitur, & abundabit, ei autem, qui non habet, & quod videtur habere, auferetur ab eo, idem Matth. cap. 13. nu. 12. Videte ergo quomodò audiatis? qui enim habet, dabitur illi, & quicunque non habet, etiam quòd videatur se habere, auferetur ab illo, Luc. 8. nu. 18. quocircà dicebat Iob 9. nu. 30. si totus fuero, quasi niuis, & fulserint velut mundissimæ manus meæ, tamen sordibus intinges me, & abominabuntur me vestimenta mea; Benè igitur Dauid ad supradicta hæc subiecit, Ne perdas Domine cum impijs animam meam, ne permittas me vltrà vires tentari.

Nàm, etsi dixeris mihi, quòd si iustitiam fecero, vita viuam, non tamen in me confido, nec in operibus meis bonis; sed in tua misericordia; etenim sine te nihil facere possum, Ioan. cap. 15. nu. 5. nisi maneam in te, ibidem num. 4. Quin, & in te confidens, ni tecum mansero, tuq. mecum, facilè labar in iniquitatem, & peccatum; & tunc omnes iustitiæ meæ obliuioni tradentur, & in iniquitate mea, quam operatus essem, morerer; quod Deus auertat, Ezech. cap. 13. nu. 14. & cap. 33. nu. 13. Domine adiuua ergo me, & esto auxiliator, & protector meus, ne derelinquas me, & ne perdas cum impijs animam meam; sed da locum pœnitentiæ, vt conuersus ad te dolens, tibiq. adhærens rectè, & per te viuam securus.

Exau-

Exaudi preces meas, & orationes meas, & educ me, propter te, Baruch 2. nu. 14. dum ero in itinere huius vitæ, in bonis operibus meis non confidam, sed semper, dum discussio venerit, atque ventura ira, nàm, vt dicit Eccles. 9. nu. 1. sunt iusti, atque sapientes, & opera manuum eorum in manu Dei; & tamen nescit homo, vtrum amore, an odio dignus sit, sed omnia in futurum seruantur incerta: & 1. Corinth. cap. 9. nu. 26. Ego autem sic curro non quasi in incertum, sic pugno non quasi aërem verberans: sed castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne cum alijs prædicauerim ipse reprobus efficiar: cum ergo exarserit in breui ira eius, apprehende disciplinam, & non irascetur Dominus, & non peribis de via eius, Psalm. 2. num. 13. Igitur Domine, cum ego dilexerim decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ, ne perdas cum impijs animam meam, & cum Viris sanguinum vitam meam.

Quæ, qualisvè sit ista domus Domini, explicat Baruch 3. num. 24. O Israel quam magna est domus Dei, & ingens locus possessionis eius? magnus est, & non habet finem: excelsus, & immensus, &c. magnus, & decorus locus, per quem repleta est terra: vt cognoscant gloriam Domini quasi aquæ; Vrbs fortitudinis nostræ Sion Saluator, Isai. 26. num. 1. sed quomodò autem repletus sit locus gloria Domini? lege Agge. cap. 2. num. 8. Adhùc vnum modicum est, & ego commouebo Cælum, & terram, mare, & aridam, & mouebo omnes gentes; (vide locum Domini) & veniet desideratus cunctis gentibus, & implebo domum istam gloria, dicit Dominus, & num. 10. magna erit gloria domus istius nouissimæ plusquam primæ; & in loco isto dabo pacem, dicit Dominus, 1. Esdr. cap. 3. num. 10. & 12. Fundato Templo Domini, steterunt Sacerdotes Domini in ornatu suo cum Tubis, & Cymbalis laudantes Dominum, Ecclesia est illa domus Dei, & locus Domini decorus, vbi habitat ipse Dominus, qui à cunctis gentibus honoratur, quæ impleta est gloria Dei. Virginis quoque venter, locus habitationis Iesu filij Dei dici potest: Domus verò Ecclesia sancta: hæc est Virga vna, quam vocauit Dominus decorem, Zach. cap. 11. num. 7.

Dilexi decorem domus tuæ, Ecclesiam tuam scilicet Sanctam, & locum habitationis gloriæ tuæ; idest omnes tuos fideles, in quibus tu Deus habitas: quia, & ipsi in te Vnum sunt; ego in eis, & tu in me, & vbi ego sum, & ipsi mecum sunt, Ioan. 17. num. 21. & sequen.

Venite, dicit Isai. cap. 2. Ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & ambulemus in semitis eius; iste enim est mons Domini in vertice mótium præparatus; ad quem fluunt omnes gentes, & in quo Christus gloriosus reali corpore suo in nube est, Exod. 16. in speciebus scilicet Sacramenti obumbratus; Bernard. in Serm. de Verb. Apostoli; Obsecro primum omnium, quid enim aliud debet cogitare fidelis intrans ad orationem, quam propheticum illud. Ingrediar in locum Tabernaculi admirabilis vsque ad domum Dei, Psal. 41. num. 5.

Hunc locum si ingredi cupimus, mundemus conscientias nostras, vt in innocentia nostra ingrediamur: & in Domino sperantes non infirmemur; nos enim castigans castigat Dominus, sed morti non tradit patientem; Aperiantur iustitiæ portæ, vt ingressi in eas confiteamur Domino; hæc enim est porta Domini, iusti intrabunt in ea, Psal. 117. nu. 18. & 19. transeamus per portas has, Isai. 62. nu. 10. Vt Templum Domini ingredi valeamus; Dominus enim Deus

omnipotens Templum est, & Agnus illius Ciuitatis cœlestis, quæ non eget Sole, neque Luna, vt luceat in ea; nàm claritas Dei illuminauit eam, & lucerna eius est Agnus; in cuius lumine ambulabunt gentes: sed nil in eam aliquod coinquinatum non intrat, sed hij duntaxat qui sunt scripti in libro Vitæ Agni, Apocalyps. cap. 21. nu. 22. cum sequen. Portæ eius non clauduntur per diem, quia nox non est illic, ibidem num. 25. Festinemus ergo ingredi, ad Hebr. cap. 4. nu. 11. in illam requiem, ne in idipsum quis incidat incredulitatis exemplum.

Non perdas cum impijs animam meam. Qui prius iudicari, ac discerni causam suam à Domino flagitarat, nunc considerans, se inter peccatores positum reperiri perditionem animæ, seù corporis sui, timens, rogat Deum, ne, & cum impijs ab ipso condemnetur, nàm in destructione Ierusalem credendum est, aliquos fideles cum impijs perditos fuisse; ne perdas, inquit, cum impijs animam meam, & cum viris sanguinum vitam meam.

In quorum manibus iniquitates sunt, dextera eorum repleta est muneribus. In Populo iniquitates sunt, & in Magistratibus subuersio iustitiæ propter munera: occidebant enim, & propter munera liberi erant à pœna: & ità omnes iniqui, & impij facti sunt; vna enim caro facti sunt, maiores enim subuertentes iustitiam porcinos sibi ipsis spiritus associant, & adhærendo eis, vnum cum eis efficiuntur, Bernard. in Serm. de Beato Benedicto; Bibiunt quasi aquam iniquitatem, sed ignis deuorabit Tabernacula eorum, qui libenter munera accipiunt, Iob cap. 15. nu. 16. & 34. Augustin. hic. Patuit enim illi manus ad accipiendum iudicium linguæ alienæ, & perdidit iudicium conscientiæ suæ; accipit quod sonat, & transit, perdit, quod dictum, & nunquam transit, tenet inania, dimittit solida; Verbum Dei semper dicitur, nunquam transit, Verbum hominis mox, vt dictum fuerit, transit. Loquitur de his, qui laudes pro munere accipiunt, ideò dicit, quòd non solum propter aurum, & argentum aliquid accipit; sed etiam propter laudem, qui iudicat malè, munus accipit, & munus, quo nihil inanius: hæc ex Augustin.

Propterea scriptum est Exod. 16. nu. 19. non accipietis personam, nec munera; quia munera excæcant oculos sapientum; & mutant verba iustorum, & in Leuit. cap. 19. nu. 9. non facies quod iniquum est, nec iniustè iudicabis: iustè iudica non considerans personam pauperis, nec honores vultum potentis; Vndè Hieron. hic dicit, Est munus à lingua, & munus à manu, & est munus ab obsequio; à lingua laus, hoc est fauor humanus; à manu, à rebus terrenis; ab obsequio seruitium indebitè impensum, Isai. 33. nu. 15. Quis poterit de vobis habitare cum igne deuorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis? Audi, qui ambulat in iustitijs, & loquitur veritatem, qui proijcit auaritiam ex calumnia, & excutit manus suas ab omni munere, qui obturat aures suas, ne audiat sanguinem, & claudit oculos suos, ne videat malum, iste in excelsis habitabit, & Regem in decore suo videbunt oculi eius; hæc Isai.

Ne perdas igitur cum Viris sanguinum animam meam, & à prædictis delinquentibus, & delictis libera me, quia innocenter vixi: ideò ingressus in Ecclesiam, quæ adhùc admixtos habet malos; decor tamen illius, vt domus Dei in me est, quem ego dilexi. Redime me de tribulatione, & quia miser sum, miserere mei; Redemptio tua prosit mihi: omnes enim peccauimus, & egemus gloria Dei, iustificati gratis per gratiam, per Redemptionem, quæ est in Christo

Iesu, ad Roman. 3. num. 24. in quo habemus redemptionem, & remissionem peccatorum, ad Ephes. 1. num. 7. Domine libera me, quia pes meus stetit in directo itinere, in via tua, in obseruatione mandatorum tuorum, appropinquaui pedibus tuis, vt acciperem doctrinam tuam, & sapientiam tuam, Deut. 33. nu. 3. posui pedes meos super quinque illorum Regum capita, de quibus Iosue c. 10. nu. 24. posui super sensus corporeos meos, ne mihi dominarentur, & ingrediens domum tuam Domine custodiui pedem meum, Eccles. 4. nu. 17. iniec illos, scilicet pedes in compedibus illius, idest in doctrinam Ecclesiasticam, Eccles. 6. num. 25. in qua veram sapientiam intellexi, & percepi: propterea euigilaui ad eam, gradus ostiorum illius exterens, ibidem nu. 36.

In innocentia mea ingressus sum, ambulauit pes meus iter rectum, à iuuentute mea, Eccles. cap. 51. nu. 20. semita mea recta fuit, rectus callis meus ad ambulandum, Isai. cap. 26. num. 7. & in semita iudiciorum tuorum Domine sustinui te: Nomen tuum, & memoriale tuum in desiderio animae meae; quae desiderauit te nocte; sed in spiritu meo, in praecordijs meis mane vigilabo ad te, ibidem Isai. nu. 8. & 9. Sedebam, quando Asina & ipsa iungens se parieti attriuit pedem meum, Num. cap. 22. num. 25. & cognoui, quia consentiens carni, pes meus non in directo ambulauit, sed attritus claudicabat. Domine redime dixi, & miserere mei, iam enim attritus, & compunctus poenitet me, te offendere: fundus meus in te Christe est, qui es via. Non amplius intingatur pes meus in sanguine, Psalm. 67. nu. 14. neque offendas ad lapidem, Psalm. 90. nu. 12. sed lucerna pedibus meis sit verbum tuum, & lumen semitis meis, Psal. 118. n. 105. eripe animam meam de morte, & oculos meos à lachrymis; pedes meos à lapsu, vt placeam tibi in regione viuorum, Psalm. 114. num. 8. & 9.

SOLILOQVIVM.

VENISTI Domine, vt saluares me, & ego in te sperans, & firmus rogo te, innocens, quia Baptismo ablutus, sum ingressus in Ecclesiam tuam, vt iudices me. Si tribulationes dederis mihi, sustinebo illas, & in misericordia tua sperans, non infirmabor; nec in vanitatibus, & cum malignantibus sedebo; at in Ecclesia tua circundabo altare tuum, lauans crimina mea in confessione, & poenitentia: vt audiens laudes tuas, caeteris etiam ipse mirabilia tua annunciare valeam. Decor meus es tu Domine Rex gentium; nec vllus est tibi similis. Et à Ierusalem tua omnis decor tuus egressus, quando Iudaei te occiderunt: nunc requies in Ecclesia tua inuenitur; decor vitae est in illa, & vincula illius alligatura salutaris, quia lauasti eam aqua, & oleo vnxisti, vestiens illam discoloribus, scilicet vestibus pulchris Sacerdotalibus, & ornasti eam ornamento in aurem, & super os suum, & corona decoris in capite suo, & facta est decora vehementer. Locum habitationis, & decorem gloriae tuae dilexi; ne propter prauorum, qui in illa admixti sunt cum iustis demerita, perdas cum impijs animam meam, sed redemptio tua prosit mihi; quia innocens ingressus sum, & in via tua ambulo; & in Ecclesijs Redemptionem per sanguinem tuum populo Christiano, quem diligis, praedicabo. Domine Iesu Redemptor meus, & Deus meus, libera me, redime me, salua me; omnis cogitatio mea sit apud te, solum te quaeram, te desiderem, quia amor meus es tu dulcissime Iesu. Amen.

IN PSALMVM XXVI.

Dominus illuminatio mea, & salus mea: quem timebo?



ITVLVS huius Psalmi: In finem, Psalmus Dauid antequam vngeretur.

Tres fuerunt Dauid vnctiones: Prima in Betlehem quando viuente Patre pascebat oues: Samuel enim in medio fratrum eius vnxit illum; & directus est tunc spiritus Domini à die illa in ipsum, 1.Reg. cap.16.nu.13. cum autem anteà non haberet spiritum Domini, nec Psalmus iste ab eo compositus fuit, cap.23. in 2.Reg.nu.2. Spiritus Domini locutus est per me, & sermo eius per linguam meam.

Secunda vnctio in Hebron fuit, quando viri Iuda venerunt, & vnxerunt ibi Dauid, vt regnaret super domum Iuda, 2.Reg. cap.2.num.4. & quamuis Psalmi verba, tamquam vmbræ futurorum, quæ in Ecclesia futura erant, adaptari ad hanc possint; cùm sicut Dauid persecutiones passus vsque tunc fuerat, & etiam post vnctionem secundam supradictam, ità Ecclesia Dei magnas fuerit passa tribulationes, ad Hebr.c.10.nu.1. Vmbram, inquit habens lex futurorum bonorum non ipsam imaginem rerum; & omnia in figuris contingebant illis, 1.Corinth. cap.40.

Minimè tamen verba dicti Psalmi titulo illi adaptari posse videntur, quoad secundam istam vnctionem; nàm quomodò non times ò Dauid ante vnctionem in Regem: si etiam post Regnum adeptum in fugam verteris? Festinate, dicebas duobus seruis tuis, & sequacibus, egredi, ne fortè veniens occupet nos, & impellat super nos ruinam, & percutiat Ciuitatem in ore gladij, 2.Reg. cap.5.num.14. 16. & 30. trepidauit fugiens pedibus suis. Porro Dauid ascendebat Cliuum oliuarum, scandens, & flens, nudis pedibus incedens, & operto capite. Times post adeptum Regnum, & quando tibi vires erant longè maiores, & ante non times? Dominus etiam tua erat ante illuminatio, & nunc etiam; & dicis non timebo, neque trepidabo? semper in fuga, & non times? 1.Reg.cap.19.num.2.& 10. & cap.20. 21. & 22.cum sequen. ne in manus eius incideres, 1.Reg.cap.27.

De tertia vnctione, qua vnctus fuit super omnes Tribus Israel, & Iuda, de qua Paralip.cap.11.nu.3. & cap.12.nu.38. nàm tunc, postquam eum Dominus liberauerat de manu omnium inimicorum suorum, & de manu Saul, non est dubium cecinisse carmen, de quo 2.Reg.cap.22. Dominus petra mea, & robur meum, & Saluator meus, &c. Cæterum verba istius Psalmi, nec tertiæ adaptantur vnctioni, nàm, & tunc magis timebat Seba, quàm Absalon, 2.Reg.cap.20. num.6. ait Dauid ad Abisai; nunc magis afflicturus est nos Seba filius Bochri, quàm Absalon, &c. ne fortè, dicebat, inueniat Ciuitates munitas, & effugiat nos, &c.

Quamobrem proprius ad Christum Psalmus referendus, & ad Ecclesiam eius sanctam, quæ in fide Christi firmata tamquam supra petram, ante adeptum Regnum, & potestatem in terra, idest ante mortem Christi, quamuis ab omnibus, quasi derelicta apparuit; omnes enim relicto solo Iesu fugerunt, Matth.cap.26.

num.

num.56. In Domino tamen Iesu Christo confidens, & ab ipso illuminata cantet, Dominus illuminatio mea, &c.

Titulus ergo Psalmi. In finem, idest in Christum, antequam Rex in gentes vngeretur, hoc est antequam ipse pateretur, antequam ipsemet se declararet, omnem habere in Cælo, & in terra potestatem, Matth.cap.28. num.18. Marc. cap.16.num.15. In quem Ecclesia confidens, eiusq. in lumine illuminata, & illustrata inquit. Quamuis me Iudaicus populus deserat, propter librum repudij, quo Deus Synagogam dimisit, cum iniquitatibus Iudæi venditi fuerint, & in sceleribus illorum dimiserit illos Deus, Isai.cap.50.num.1.& 2.ob multitudinem tamen Gentium, quas in fide Christi paritura, ac super illas vnà cum eodem Sponso meo Christo regnatura sum, læta decanto.

Dominus illuminatio mea, quem timebo? idest, & si Iudæi te Sponsum meum occidere volunt, nunquam à te discedam, quia es illuminatio mea. Quamuis enim post Christi crucifixionem quodammodò facta sit vidua, non tamen remansit confusa: vnde dicebat, Dominus auxiliator meus, ideò posui faciem, vt petram durissimam: quia petra est Christus, & scio quòd non confundar: iuxtà est, qui me iustificat, quis contradicet mihi? ecce Dominus auxiliator meus; ecce omnes, quasi vestimentum conterentur; tinea comedet eos. Isai.d.cap.50.num.8. & sequen. Passa est Ecclesia Dei, nàm à Gentilibus, & Tyrannis damnata, Sancti illius morte turpissima affecti, crucifixi, lapidati, secti, quorum mundus non erat dignus: & tamen inquit.

Dominus illuminatio mea, quem timebo? salus mea Dominus, protector vitæ meæ à quo trepidabo? placeo, inquit Apostolus mihi in infirmitatibus meis, in contumelijs, in necessitatibus, in angustijs pro Christo, cum enim infirmor, tunc potens sum, 2.Corinth. cap.12.nu.10. & ad Rom.cap.8.num.34. Si Deus pro nobis, quis contrà nos? quis accusabit aduersus electos Dei? quis separabit nos à charitate Christi? Tribulatio? &c.

Continuatur ad præcedentem, nàm in illo fit oratio ab Ecclesia in persecutionibus existente; in isto tamquam ab illis liberata in Christo defensore, & fortis effecta non timet persecutores, liberata à magno periculo.

Summa hæc est: illuminatus à Deo expellit omnem timorem inimicorum. Illuminatus enim gratias Deo agit, nam postquam Deus conuertit illum, egit pœnitentiam, & postquam ostendit illi, percussit fœmur suum, confusus est, & erubuit, quoniam sustinuit opprobrium adolescentiæ suæ, Ierem. cap.31. num.19.

Incipit ergo Psalmus Dauid: Dominus illuminatio mea, & salus mea, quem timebo? quomodò illuminatum te dicis? forsan ex te? non, sed à Spiritu sancto, sicut in omnibus Psalmis verba sunt Spiritus sancti, patet in 2.Reg.cap.23. aliàs allegato in princ. Dixit Dauid filius Isai. dixit, vir, cui constitutum est de Christo Dei Iacob, egregius Psaltes Israel, Spiritus Domini locutus est per me, & sermo eius per linguam meam: Ecclesiæ ergo sunt verba; sed à Spiritu sancto illuminatæ, à Christo, qui est vera lux, qui illuminat omnem venientem in hunc mundum, Ioan.cap.1. illuminat per fidem, & saluat per passionem suam; ad Ephes. cap.1. num.7. Præpara lucernam Christo tuo, Psalm.131.num.17. & ipse illuminabit illam: ad Ephes. cap.5.nu.14. hoc est, conserua præcepta Patris tui; & legem matris tuæ, idest Ecclesiæ sanctæ suæ; mandatum enim est lucerna,

& lex

& lex lux, & via vitæ increpatio disciplinæ, Prouerb. cap. 6. nu. 20. & 22. & tunc Dominus illuminatio erit tua, & non timebis; gustabis, & videbis, quia bona est negotiatio tua, & non extinguetur in nocte lucerna tua: quia Passio Domini Iesu Christi saluabit te, Chrysost. homil. 14. in imperfect. omnis gloria Dei, & omnis salus hominum in Christi morte posita est, ad Hebr. cap. 5. num. 9. Consummatus, factus est omnibus obtemperantibus sibi, causa salutis æternæ.

Dominus illuminat, recedant tenebræ: ille me saluat, recedat infirmitas, Augustin. ambulans in lumine firmus, quem timebo? non enim talem salutem dat Deus, quæ possit ab aliquo extorqueri, aut tale lumen, quod possit ab aliquo obtenebrari.

Dominus illuminans, nos illuminati, Dominus saluans, nos saluati, præter ipsum nos tenebræ, & infirmitas, hæc August.

Nos ergo illuminati erimus, si ad Dominum accedamus, Psalm. 33. num. 6. accedite ad eum, & illuminamini: & vt accedamus, libenter verba Euangelij salutis nostræ, Paul. ad Ephes. cap. 1. num. 13. audiamus; declaratio enim sermonum eius intellectum dat paruulis, Psalm. 118. num. 130. timorem Domini docebit nos, Psalm. 33. num. 12. etenim neque erimus incredibiles verbo illius, Eccles. cap. 2. num. 18. ipse enim facit misericordiam in multa iustitia, diligentibus eum, & custodientibus præcepta eius, Deut. cap. 5. num. 10. doctrina illius, quasi antelucanum illuminat omnibus, & enarrat illam vsque in longinquum, penetrans omnes inferiores terræ partes, & inspicit omnes dormientes, illuminans omnes sperantes in Dominum, Eccles. cap. 24. num. 45. requiramus diligenter in libro Domini, & legamus, vnum ex eis non defuit, Isai. cap. 34. nu. 16.

Qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illucescat in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ claritatis Dei in facie Christi Iesu; vt illuminati dicere valeamus, si Deus pro nobis, quis contrà nos? si Deus nostra salus, & illuminatio, quem timebimus?

Dominus semper illuminet nos, & saluet, vt tenebræ nos non apprehendant, nec ab illis obtegamur, nec enim videtur sola sufficere illuminatione Domini per Euangelium, nam nec iustitia iusti liberabit eum, in quacunque die peccauerit, Ezech. cap. 33. num. 12. Dominus sit illuminatio tua, hoc est, vt in lumine suo ambules, non declinans ad dexteram, nec ad sinistram, oculi tui sint videntes semper præceptorem tuum, nàm Dominus non faciet auolare à te vltrà Doctorem tuum, idest nunquam deerit, qui te doceat, & semper habebis Christum docentem per scripturas, & suos Doctores, Isai. d. cap. 30. nu. 21. hæc est enim via, in qua ambulandum est. Si vis ergo quòd Domini illuminatio tibi prosit, toto tempore vitæ tuæ ambula in luce ipsius, in præceptorum eius obseruatione, quia tunc salus tibi erit, Psalm. 55. num. 5. & num. 11. in Deo laudabo verbum, in Domino laudabo sermones; quicquid facis in Domino facias, siquidem quicquid extra Deum est, tenebræ sunt; Neque timeas à timore nocturno, quia scapulis suis obumbrabit tibi, & sub pennis eius ambulabis, Psalm. 9. num. 4. & 5. vt audacter dicas, quid faciet mihi homo, si Dominus sit adiutor meus? immo despiciam inimicos meos, Psalm. 117. num. 6. si in illuminatione eius ambulabo: Protector meus erit; & tunc à quo trepidabo? Protector potens est, & firmamentum virtutis: propterea qui timet Dominum nihil trepidabit, & non pauebit, quoniam ipse est spes eius, Eccles. cap. 4. nu. 16.

& num.

& num. 19. Protector ergo meus à quo trepidabo? Protegitur mortalis à mortalibus, & securus est, protegitur mortalis ab immortali, & trepidabit? Augustin. Non in gladio, nec in hasta saluat Dominus, sed in nomine suo saluat, 1. Reg. cap. 17. num. 45. & num. 47. Dominus mihi adiutor, non timebo, quid faciat mihi caro? d. Psalm. 55. num. 5. & 11. Derideat humana, qui habet Deum in mente, Chrysost. homil. 33. super Epist. ad Hebr. Dominus enim custodit illum, Dominus protectio eius, super manum dexteram illius, Psalm. 120. num. 5.

Dominus protector vitæ meæ à quo trepidabo? An à Diabolo, an ab hæresi, dicit Ecclesia, an ab alio quouis persecutore? Deus non porrigit manum malignis, Iob cap. 8. num. 20. & ideò non timebo: ad quid enim trepidare? ne forte tollant spem meam in Deo? possunt ne ab inuito auferri, quæ dat, tutaq. vult Dominus omnipotens? non vincitur Deus, neque quod ipse dat, ab homine, vel Dæmone auferri potest, ni nos velimus. Dominus enim excelsus in fortitudine sua, & nullus ei est similis, Iob cap. 31. num. 22. & cap. 38. quis poterit sonitum magnitudinis eius intueri? Iob cap. 26. num. 14. quomodò posset aliquid permanere, nisi tu voluisses? Sap. cap. 11. num. 26. non dimittas tu spiritualia, quæ Deus dedit tibi, quia non timebis temporalia: nihil enim potest Dæmon in temporalibus, nisi quatenus à Deo sibi permissum fuerit; vt de Iob legimus cap. 1. Augustin.

Accepit potestatem in infirma, & amisit maxima, & summa, & non est ista potestas irati, sed pœna damnati; nec ipse potest habere aliquam potestatem, nisi permissus, vel ad pœnam nostram, vel ad probationem; ergo quia nobis nemo potest auferre quod dat Deus, non timeamus, nisi Deum, hæc Augustin.

Dum appropiant super me nocentes, vt edant carnes meas, Vt tollant substantiam meam, bona temporalia, Mich. cap. 3. num. 3. Comederunt carnem populi mei, & pelles eorum desuper excoriauerunt, & ossa eorum confregerunt, & conciderunt, quasi in lebetis, & quasi carnem in medio ollæ, non propterea timebo, nec trepidabo, quia Deus protector meus.

Appropiant super me, vt edant carnes meas. Verum est, quòd tribulant me inimici, sed de ipsis, quid dicitur? quid experimentum docet? veniant Iudæi, & Romani, qui Dominum, & Ecclesiam angustiauerunt, Sanctos Dei occiderunt. Ipsi verò inimici mei, inquit Ecclesia, infirmati sunt, & ceciderunt, nos verò surreximus, & liberati sumus, Psalm. 19. num. 9. cum surrexerint impij abscondentur homines, cum illi perierint, multiplicabuntur iusti, Prouerb. cap. 28. num. 28. impij verò secundum quod cogitauerunt, correptionem habebunt: infœlix est, & vacua spes illorum, & labores sine fructu, & inutilia opera eorum. Sap. cap. 3. num. 10. quoniam spes impij tamquam lanugo est, quæ à vento tollitur, Sap. cap. 5. num. 15. iusti autem accipient coronam decoris, &c. ibidem num. 17.

Et si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum, quia fortior est mecum vsque ad consummationem sæculi, Matth. cap. 28. num. 20. Non timebo pruinam, vt irruat super me nix, Iob. cap. 6. num. 16. Dominus conterens bella, Dominus nomen est illi, Iudith cap. 16. num. 2. qui potest immittere gladium in omnibus castris, & mutua cæde truncare, Iudic. cap. 7. num. 22. Dominus pugnabit pro me, cum sit ille bellator fortis.

Propterea si exurgat aduersum me prælium, in hoc ego sperabo. Speciosa mise-

misericordia Dei in tempore tribulationis, & quasi nubes pluuiæ in tempore siccitatis, Ecclesf.cap.35.nu.25. & gentibus reddet vindictam, donec tollat plenitudinem superborum, & sceptra iniquorum contribuet, ibidem num. 25. Quocircà nec hostium machinationes, nec iniquorum bellum aduersum me timebit cor meum, in Deo speraui, quid faciet mihi homo? Psalm. 55. ideò dixit Ambros. lib. de Ioseph, quòd ibi plus est auxilij, vbi plus est periculi, quoniam dextera sua tegit nos, & brachio sancto suo defendit nos, Sap. d. cap. 5. num. 17.

Nec mirum, si iustus nec mortem timeat, nec viuere recuset, nam iustus semper in lumine Dei ambulans, cogitat, quæ sunt Dei, cogitare autem de illo sensus est consummatus, quia optima est cogitatio, & quia vigilat propter illum, citò securus est, quoniam dignos se ipso circuit, quærens, & in vijs ostendit se illis hilariter, & in omni prouidentia occurrit illis, & concupiscentia sapientiæ Dei deducit ad regnum perpetuum, Sap.cap.6. nu.15. cum sequen.

Si exurgat aduersum me prælium, in hoc ego sperabo. Quid possunt aduersum me, corpus possunt occidere, animam verò non possunt perdere; proptereà ibant iusti gaudentes à conspectu Concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati, Act. cap. 5. num. 41. Confidens ergo in Domino, & in potentia eius, non timet impiorum consilia, neque bellorum incursus contra ipsum.

Non timebit cor meum, quia auxiliator Dominus vitam æternam diligentibus eum, & legitimè certantibus promittit. Quid verò timeat cor meum tanto auxiliatore? quid timeat, inquam, ærumnas, & pericula præsentis vitæ breuissimæ, & fragilissimæ cum omnis homo terra, & cinis sit? Ecclesf.cap.10.num.9. & cap.17.nu.31. & dies vestri quasi vmbra, 1. Paralip. cap. 29. nu. 15. Psalm. 143. nu.4. quis sapiens, & non intelliget hæc? cum vita nostra morti sit propinqua? vt in Sap.d.cap.5.nu.13. sic, & nos nati, continuò desiuimus esse.

Cur timebo in præsentis vitæ die mala? Cùm quotidiè instet dies mortis, tàm ex carnis caducitate, quàm ex insidijs inimicorum, qui nos (Deo permittente) affligunt, & circundant. Senex, idest morti propinquus redditur paratior ad sustinendum seueritatem mortis, & multò magis paratior ad sustinendum omnia alia pericula, ex Ambros. in Hexam. homil. 1. Non timeatis, ait Propheta, exercitum Castrorum, neque impetum inimicorum, scilicet propter spem longioris vitæ, vel fœlicitatis præsentis, quæ momento decurrit, sed parati estote pro amore Dei vitam perdere, vt vitam habeatis æternam, & fœlicem.

Dominus illuminatio nostra; quia iàm in te credimus, & præcepta tua custodimus, propterea salus nostra es, & quid timebo? quid faciat Diabolus, & homo? non trepidabo, quia Dominus est protector meus. Approprient super me nocentes, & edant carnes meas, cum Laurentio dicam, Assatum est iàm, scilicet corpus meum, manduca, quia non timeo tormenta tua; Vel cum Ignatio? Vtinam fruar bestijs, quæ mihi sunt præparatæ, quas, & oro mihi veloces esse, ad interitum, & ad supplicia, & allici ad comedendum me, ego me vrgebo, vt deuorent me, Hieron. de Scriptorib. Ecclesiast. Iuxtà est qui iustificat me, quis contradicet mihi, Isai.c.50.nu.8. Opera enim illorum, opera inutilia, & opus iniquitatis in manibus eorum; pedes eorum ad malum currunt, & festinant, vt effundant sanguinem innocentem, quia confidunt in nihilo, Isai. cap. 59. num. 4.

hoc est enim edere carnes, Ezech.cap.34.nu.3. lac comedebant, & lanis operiebantur, & quod crassum erat, occidebant.

Sed qui tribulant me, inimici mei, infirmati sunt, & ceciderunt. Conteret enim Dominus scelestos, & peccatores simul, & consummentur, Isai.1.nu.28. Ierem.cap.6.num.21. dabo in populum istum ruinas, & ruent in eis Patres, & filij simul, vicinus, & proximus peribunt.

Sint ergo aduersum me castra, quid possunt, cum Dominus bellator fortior illis sit? & mecum sit? & si prælium exurgat, spes mea, quæ est in te Domine, liberabit me. Exaltatur cor meum in Domino, dilatatum est os meum super inimicos meos, quia lætatus sum in salutari tuo: non enim est fortis, sicut tu Deus noster, 1.Reg.cap.2.num.1. & 2. Vnum, idest, quod petij à Domino, nempè salutare suum, vt eo veniente habitem in sinu eius in æternum.

Vnam petij à Domino vnicam stellam illam, de qua Num.cap.24.num.17. quæ ex Iacob oriri debuit, in qua benedicerentur omnes nationes terræ, Genes. cap.18. & cap.28.num.14. & cap.16.num.14.

Vnam petij à Domino, quam concupiui, & est salutare suum, quod promittit. Memor ergo esto verbi tui, seruo tuo, in quo mihi spem dedisti; Psalm.118.num.49. istud expectabo; Vnam rem requiram, diuinis obtemperans mandatis, quia lex tua meditatio mea est, quia in verbis tuis semper speraui, Psalm.118. num.147. 166. & 174. Faciem tuam illumina super seruum tuum, d. Psalm.118. num.135. Vnum est illud, de quo apud Luc.10. nu.42. vnum dixit esse necessarium, studium scilicet diuinarum Scripturarum: Beati, qui scrutantur testimonia eius; in toto corde exquirunt eum, Psalm.118.nu.2.

Vt inhabitem in domo Domini. Non dicit, in Tabernaculo peregrinorum, & quodammodò militantium in hac vita, vbi semper sunt hostes; sed in domo Domini, in qua semper manebimus; ergo, dicit August. hìc. Tabernaculum, ibi domus, in qua beati, qui ambulant, Psalm. 118. num.1. omnibus diebus vitæ meæ. Ibi enim vnus est, & sine occasu dies; & hanc diem concupiui.

Vnam petij; hanc requiram; sed hanc vnam quomodò requires? ambulando in mandatis Dei, & in illorum obseruatione; vt post hanc ærumnosam vitam habitem in domo Domini in æternum, vbi videbo Deum sicuti est, 1.Ioan.cap.3. num.2.

Si vis in domo Domini habitare, necesse est, vt efficiaris Tabernaculum Dei in hac vita mortali, hoc est, vt fias Templum Domini sanctum, in quo inhabitare Dominus dignetur, 1.Corinth.cap.3.nu.16. Nescitis quia Templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in vobis? Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos, 1.Corinth.cap.6.nu.19. An nescitis, quia membra vestra Templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est, quem habetis à Deo, & non estis vestri? Empti enim estis pretio magno, glorificate, & portate Deum in corpore vestro. Si tu es Templum Dei enitere, vt ità Templum te serues, quomodò Templum est, & Iesus filius Dei, in quod nihil inquinatum intrat; vt tale Templum Dei, & tu sis, vsque in finem, in quo non sit peccati macula, si cupis habitare in domo Domini.

Vnam peto ego, Domine, peccator, & miser homo, vt dimittas peccata mea, & conserues me in omni opere bono, vt Templum tuum in hac vita dignus efficiar: hanc requiram, peccatorum scilicet remissionem, & à malis me protegas, vt

inhabitem in domo tua, omnibus diebus vitæ meæ. Veni Domine adiuua me, dele iniquitates meas, vt dignum Tabernaculum tuum fiam: tuis inebrier vberibus, & fruar cupitis amplexibus, donec illucescat dies, Prouerb. cap. 7. nu. 18. dies, inquam illa mihi illucescat, quæ est sine occasu, quæ æterna est requies Sanctorum tuorum, vt, & ego videam voluptatem tuam Domine; vt visitem Templum tuum, vt videam inquam dilectionem tuam, pulchritudinem tuam, & illam contempler, vt finita hac nocte mea, luci tuæ hæream: tunc enim erit mane meum, nocte transacta, tunc mane illo astabo tibi, & videbo, Psalm. 5. nu. 5. Modò ego non video, quia cecidi, tunc astabo, & contemplabor, Augustin. cecidit enim homo, & non inniteretur, nisi cecidissemus: nos cecidimus, ille descendit: ille ascendit, nos leuamur; quia nemo ascendit, nisi qui descendit, Ioan. cap. 3. nu. 13. vt nos, qui cecidimus ascendamus.

Vt videam voluptatem Domini, idest bonum Domini, omnia enim quæ fecit Dominus, vidit quod essent bona, Genes. cap. 1. & 2. mutabilia tamen, ideò non fœlix est, qui talia bona desiderat. Vndè August. Verè autem fœlix est, non si id habet, quod amat; sed si id amat, quod amandum est; multi enim sunt miseri magis habendo, quod amant, quàm carendo: amando enim res miseras miseri, sunt miseriores; propitius verò Deus, cum malè amamus, negat quod amamus: iratus autem dat amanti, quod malè amat, ad Rom. 1. nu. 24. Tradidit Deus eos in concupiscentiam cordis eorum. Habes negantem petitum, propter quod ter Dominum rogans, 2. Corinth. 12. n. 7. vt auferret ab eo stimulum carnis, & dixit, sufficit tibi gratia mea, nàm virtus in infirmitate perficitur. Cognoscamus ergo infirmitatẽ cordis nostri, reijcientes transitoria huius mundi, & solum bonum desideremus; qui fecit omne bonum, quod est omnis boni bonum, cui non additur, quod sit ipsum bonum, ex quo cuncta sua sunt bona.

Hanc voluptatem Domini, vt contempler desidero, quia vnum ipsum incommutabile est; non terrena, quæ mutabilia sunt, & per se non sunt bona, nisi ab illo procedant, qui est simpliciter bonus.

Vt videam igitur voluptatem Domini, & visitem Templum eius, necesse est, vt ego Templum Domini efficiar; quia tunc Deus inhabitare dignabitur, & tunc visitabo Templum Domini, si Dominus erit in Templo meo, vndè August. hìc, vt Templum suum me protegat, ero Templum eius.

Vt visitem ergo Templum eius, idest humanitatem Christi Iesu filij Dei, Ioan. c. 2. nu. 21. soluite Templum hoc, ille autem dicebat de Templo corporis sui; Vnam hanc petij à Domino, vt visitem Iesum Christum, qui pro me sanctitatis suæ manifestatione sanctificabitur, & ego per illum ero sanctificatus, ipse erit in me, & ego ero in illo, quia ipse dixit, Volo Pater, vt vbi ego sum, & illi sint mecum, Ioan. cap. 17. num. 24.

Vt inhabitem in domo Domini, & visitem Templum eius, filium suum necessarium est, vt sequar vestigia eius; vt particeps fiam eorum, qui cælestem vitam in terris agunt; & à Templo suo sancto protegar.

Contemplabor quoque in Templo Domini materiali; & delectabor ibi in delectatione eius; locus quippè ad contemplandum magis aptus est Ecclesia Dei: Custos enim illius est Spiritus sanctus, qui dat dulcedinem suam ibi requirentibus illum; Vndè Psalm. 30. nu. 20. Quàm magna dulcedinis tuæ multitudo Domine, & Psal. 91. Plantati in domo Domini in atrijs domus Dei nostri florebunt.

Quoniam abſcondit me in Tabernaculo ſuo, in die malorum protexit me, ad Pſalm. 30. num. 21. Abſcondes eos in abſcondito faciei tuæ à conturbatione hominum, proteges eos in Tabernaculo tuo à contradictione linguarum; benedictus Deus, quoniam mirificauit miſericordiam ſuam mihi in Ciuitate munita, caro Christi eſt Tabernaculum eius Diuinitatis: ſic etiam per faciem caro intelligitur.

Abſcondiſti me in Tabernaculo tuo; hoc eſt, vita mea in te Chriſte; qui es vita mea, in te poſita eſt, ad Coloſſenſ. cap. 3. num. 3. mortuus enim eram, & vita noſtra eſt nunc abſcondita cum Chriſto in Deo. Loquitur enim Eccleſia, cuius caput Chriſtus eſt: Ipſe Saluator corporis eius, quod ideò nutrit, quia qui ſunt in Eccleſia, ſunt membra corporis eius; nouus enim homo formatus quiſque eſt, per paſſionem Chriſti, & eò differentius à Patre Adam, quòd per Chriſtum vitam habemus æternam: ſecus verò per Adam, & Euam, per quos mortis compotes facti ſumus peccati. Ideò abſconditi ſumus in Tabernaculo eius, quia tamquam ipſius membra in corpore eius permanemus ſecuri, poſtquam ipſe tradidit ſemetipſum pro nobis, ideſt pro Eccleſia, vt eam ſanctificaret, mundans lauacro aquæ in verbo vitæ.

Qui ergo in Eccleſia Chriſti iuſti ſunt, in Ciuitate munita poſiti ſunt, quia illuminati meditantur, & in ſenſu cogitant circumſpectionem Dei, & excogitant vias illius in corde ſuo, & ideò in abſconditis ipſorum intelligentes vadunt poſt illum, quaſi inueſtigatores, & in vijs illius conſiſtentes, protegentur ſub tegmine illius à feruore, & tribulatione, & in gloria eius requieſcent, Eccleſ. cap. 14. nu. 22. cum ſeqq. eſt enim requies.

Igitur in abſcondito Tabernaculi humanitatis Chriſti, & in die malorum, perſecutionum, & tribulationum mearum, protexit me, dum anxiaretur cor meum, in petra exaltauit me: Pſalm. 60. num. 3. qui dignos fecit, atque facit ſuſtinentes ſe ſua diuina miſericordia, nàm facti ſunt digni contumeliam pati pro nomine Ieſu; protecti dicuntur, quia in contumelijs illis non defecerunt, perſtiterunt in amore fraternitatis, quia vnus erat ſpiritus in eis, & vna fides.

In ſingulari loquitur Eccleſia, quæ in multorum congregatione conſiſtit; protexit me in die malorum in abſcondito Tabernaculi ſui, vt me exaltaret in petra, in fortitudine Chriſti, ſuper quem ædificata ſum Eccleſia eius, ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu, ad Epheſ. cap. 2. num. 20. Iſai. cap. 28. nu. 16. ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem probatum, angularem, precioſum, in fundamento fundatum, fundamentum æternum ſuprà petram ſolidam, Eccleſ. cap. 26. nu. 24. iàm miſſus eſt lapis iſte Chriſtus.

Ideò ſequitur Pſalmus, & nunc exaltauit ſuper inimicos meos caput meum, iàm Chriſtus caput Eccleſiæ ſuper inimicos ſuos exaltatus, quia ei data eſt omnis poteſtas in Cælo, & in terra, vt Matth. cap. vlt. num. 18. Petra hæc refugium herinacijs, ideſt tribulatis, & humilibus, Pſalm. 103. num. 18. & exaltatio fidelium, Num. cap. 24. nu. 21. Tutum ergo habitaculum noſtrum, ſi in petra poſuerimus nidum noſtrum.

In petra, inquit, exaltaſti me, Pſalm. 60. num. 3. nàm ſuprà dictam petram ſtatuit pedes meos, Pſalm. 39. nu. 3. & direxit greſſus meos; in abſcondito ergo Tabernaculi eius ſuprà petram ſtemus, & clauſo oſtio cubiculi noſtri adoremus Patrem, vt in foramina petræ, in plagas Ieſu Chriſti introducat nos, &

nos protegat dextera sua, donec transeat, vt iudicet nos, Exod. cap. 33. nu. 22. vt videre possimus posteriora eius, idest finem Christi, & postmodum illo frui in Cælo, sicut est.

Ingrediamur hanc petram, vt in illa abscondamur à facie Diuinæ Maiestatis, Isai. cap. 2. num. 10. & 21. à facie timoris Domini, vt in foraminibus petræ videamus posteriora eius, & vt cum populo bibamus de spiritali, consequente eos petra, petra autem est Christus; 1. Corinth. cap. 10. num. 4. vt de petra melle saturati simus, Psalm. 8. num. 17. Attendamus itaque ad petram, vndè sumus excisi, Isai. cap. 51. nu. 1. & ad cauernam laci, de qua præcisi sumus; ad petram, idest ad sepulchrum Saluatoris nostri Iesu, in quo conditus est, è quo resurgens à mortuis, innumerabiles filios genuit, propterea appellatus Abraham, idest Pater multarum gentium; & præcepta eius, & mandata custodiamus; quia in foraminibus petræ videbimus gloriam Dei. Lex enim Dei lux est maioribus, qui maioris sunt capacitatis: mandatum verò lucerna minoribus, seu iunioribus; Via verò Vitæ increpatio disciplinæ, ex ignorantia, vel infirmitate peccantibus, Prouerb. cap. 6. nu. 23.

Iuuenes, & Virgines, Senes cum iunioribus laudate Dominum, ingrediamur petram; firmemur in fide suprà fundamentum firmissimum Christum, & tunc erunt oculi nostri videntes præceptorem nostrum, Isai. cap. 30. nu. 20. Adducetq; nos Deus Israel cum iucunditate in lumine maiestatis suæ, cum misericordia, & iustitia, quæ est ex ipso, Baruch cap. 5. nu. 9. Metuamus ergo Dominum, quia inueniemus illum, Eccles. cap. 6. nu. 16. quia si in puluere humiliabimur, in petra exaltabit nos, nàm, & ipse Christus humiliauit se, vt simul exaltaret te super inimicos tuos.

Circuiui, & immolaui in Tabernaculo eius hostiam vociferationis; cantabo, & psalmum dicam Domino. Circuiui, & consideraui in me ipso Cælum, & terram, & omnia opera tua, & expaui, Iob cap. 37. num. 1. videns mirabilia tua, propterea in Ecclesia tua immolaui hostiam vociferationis, iubilationis, quæ verbis explicari non potest: hostiam etiam gratiarum actionis, & gaudij. Granum Sinapis consideraui, de quo Matth. cap. 13. num. 31. seminatum in agro, quod minimum erat omnibus seminibus, nunc autem creuit, & factum est maius omnibus oleribus, & arbor, ità vt volucres Cæli veniant, & habitent in ramis eius: in omni enim loco Ecclesia tua, & in omnes partes terræ, tu Iesu Christe exaltari super inimicos tuos; propterea in eadem Ecclesia toto orbe terrarum diffusa cantabo, & psalmum dicam Domino.

Circuiui, & immolaui in Tabernaculo tuo, hostiam iubilationis, & vociferationis, quia Ecclesia tua iàm secura tibi seruiet libertate, psalmum dicam nomini tuo, nec vnquam cessabo. At si non cesset tribulatio nostra, donec in hac lachrymarum Valle permanserimus, nec etiam fletus ad te Domine, & oratio nostra cessabunt; cælestem vnam illam requirentes patriam, pro qua gemimus, & deprecamur te.

Exaudi Domine vocem meam, qua clamaui ad te, miserere mei, & exaudi me: Omnia Domine tu potes, & nulla te latet cogitatio. Tibi dicit cor meum, postquam tanta passa sum tempestates, & tribulationes, quæsiui vultum tuum; iàm mundatum est cor meum, tu dixisti, beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt, Matth. cap. 5. num. 8. tibi ergo dixit cor meum, exquisiuit te

facies mea, faciem tuam requiram, hanc vnam petij à te Domine, hanc, vt obtineam videre, suppliciter, exoro, adiuues me.

Non auertas faciem tuam à me, vt contemplari possim vultum tuum, contemplari dilectionem tuam per omnes dies vitæ meæ: Ne auertas faciem tuam à me, ne tradens in desideria cordis mei, in immunditiam, ad Roman. cap. 1. num. 24. ne auferas te mihi, quem amo, auerte tamen faciem tuam à peccatis meis, vt miserearis, Psalm. 50. sed non auertas faciem tuam à me, vt perdam te: & ne declines in ira à seruo tuo: Auerte ergo faciem tuam à peccatis meis, delendo iniquitates, sed non abscondas faciem tuam à me, vt contemplando dulcedinem tuam delecter in te solo Deo meo Redemptore: cum iratus fueris misericordiæ recordaberis, correptionem non effugio, dummodò non declines à seruo tuo.

Adiutor meus esto, ne derelinquas me, neque despicias me Deus salutaris meus. Etenim si dereliqueris me, non ero potens ex me ipso saluare me, neque diligere te: adiuua ergo me Domine, vt in te proiectus amem te: Viam docuisti: præcepta tua reliquisti, sine lumine tuo, & si viam illam sim ingressus, & in ea tua sim, nisi des mihi intellectum, & sis mihi adiutor illius iter perficere non potero. Deduc me in semitam mandatorum tuorum, quia ipsam volui, sed sine tuo lumine nihil est meum velle; confiteor me vmbram, sub vmbra alarum tuarum protege me, nec despicias me, quia Deus salutaris meus es; homo sum, & mortalis, & tu Domine homo factus es, & mortalis, vt immortalem me faceres: opprobrium sum hominum, quia peccator, & tu Domine fieri dignatus es opprobrium, & abiectio plebis, vt omnium peccata portares: quapropter ne despicias me Deus, salutaris meus; Sanguine tuo redemptus sum, ne declines in ira à seruo tuo; sed quia peccaui tibi, hìc me corripe, vt in Cælo fruar te; hìc corripe non tamen in ira tua; sed secundum misericordiam tuam peccata mea dele; Infirmus sum, sane me, Psalm. 6. nu. 3. puluerem me in pœnitentia fateor, sed in foramine petræ inclusus, da, vt sim petra firmissima in tui dilectione, in tui amore me consolida, firma, & corrobora.

Quoniam Pater meus, & Mater mea dereliquerunt me; Dominus autem assumpsit me. Dereliquerunt me, quia ego dereliqui eos, nàm nec in te credebant, mundus scilicet, qui te non cognouit, Ioan. cap. 1. Vel etiam primos parentes dicamus Adam, & Euam, qui per pomum facti sunt mihi alieni, dum me genuerunt ad mortem.

Proptereà Dominus assumpsit me, qui perditus eram, & in filium suum iterum renasci me fecit, per Baptismum ex aqua scilicet, & Spiritu sancto, Psal. 17. nu. 17. Misit de Cælo, & accepit me, & assumpsit me de aquis multis; & Ioan. cap. 3. nu. 3. Amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit denuò, non potest videre Regnum Dei, & num. 5. renatus ex aqua, & Spiritu sancto.

Quocircà ad literam etiam possumus intelligere verba de Patre, & Matre, quia nos conceperunt in peccatis, Psalm. 50. Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea; Dominus verò assumpsit me per lauacrum regenerationis, & redemit me, & liberauit me de manibus Diaboli, cui in Baptismo renunciaui.

Facit quod dicit Paul. ad Galat. cap. 4. nu. 3. Nos cum essemus paruuli, sub elementis mundi eramus seruientes; at vbi venit plenitudo temporis, misit Deus

filium suum, vt eos, qui sub lege erant, redimeret, vt adoptionem filiorum reciperemus, modò ergo Pater noster Deus est, & Mater nostra Ierusalem, ibidem Paul.nu.26. Regnum mundi,& Ciuitates huius sæculi, quæ me genuerunt, & caduca promittebant, reliqui, & à te assumptus; ab his sum derelictus, hæc Hieronym. Dominus ergo assumpsit me, & Pater meus, & Mater mea dereliquerunt me.

Legem pone mihi Domine in via tua, & dirige me in semitam rectam propter inimicos meos. Tu Domine iàm suscepisti me, legem etiam pone mihi, da mihi gratiam ex quo suscepisti me in gremio tuæ Ecclesiæ,vt seruando legem tuam ambulem in via; & vt facilius ambulem tu lux mea, & vita mea, dirige me in semitam rectam, ne ad dexteram, vel ad sinistram declinem; Væ enim dicit Eccles.2. nu.16. qui perdiderunt sustinentiam, & qui dereliquerunt vias rectas, & diuerterunt in vias prauas, & quid facient cum inspicere cœperit Dominus? Luc. cap.9.nu.62. nemo mittens manum ad aratrum, & respiciens retrò aptus est regno Dei; Vndique circundant inimici mei, vt deuiem ab illa: si adiutor meus eris, & Dux meus, non timeo inimicorum,Diaboli scilicet illecebras, ac tentationes; non timeo tormenta, quæ dare in carne mea minantur aduersarij mei, dummodò, te adiuuante, non consentiam iniquitatibus eorum, dummodò anima mea illæsa permaneat; Insurrexerunt illi testes iniqui, sed mentita est iniquitas sibi, idest sibi ipsis mentiti sunt, & non mihi; quia vniuscuiusque vitium in suum recurrit auctorem.

Propterea ne tradideris in animam tribulantium me, ne consentiam videlicet illis, qui me tribulant, Augustin. si consenseris tribulantibus te in anima, quodammodò non deuorabunt carnem, sed voluntate peruersa animam tuam manducabunt, hæc Augustin. Propter inimicos meos, qui nunquam saturantur malis, proximorum suorum, insurrexerunt testes iniqui; Sed, Deo protegente, ipsummet mendacium eorum destruxit illos; quia dum in alios mendacia dicunt, in seipsos supplicia præparant,ossa eorum implebuntur vitijs adolescentiæ eorum, & cum eis in puluere dormient, Iob cap.20.nu.11.

Inter ergo tot pericula, & inimicorum perturbantium insidias, inter tàm magnam tentationum turbam, spem tamen in misericordia Dei habens, inquit fidelis, siuè Ecclesia.

Spero videre bona Domini in terra viuentium; Non in terra morientium; in terra viuentium, inquit, vbi verè sunt bona immortalia, immutabilia, sempiterna, dulcia; Hæc est spes iustorum, qui in Domino confidunt; propterea contradicentes, & persecutores disperibunt, Psalm.36. nu.18.& 22. Ierem.51. nu.58. in ignem erunt, & disperibunt, quia non credunt. Ego verò credo in Iesum meum, qui redemit me, qui est summa bonitas, qui daturus est mihi regnum sempiternum, & me faciet cohæredem suum; qui eruet me à terra hac morientium.

Legem ergo pone mihi Domine, inquit iustus, cui à Domino datur responsum. Expecta Dominum, sustine has tribulationes libenter, viriliter age, confortetur cor tuum; expecta, iterum dico tibi, Dominum; verax enim est Dominus, & non mentietur, noli perdere sustinentiam; quis enim permansit in mandatis eius, & derelictus est, aut quis inuocauit eum, & despexit illum? quoniam pius, & misericors est Deus, & remittit in die tribulationis peccata, &

pro-

protector est omnibus exquirentibus se in veritate, Eccles. cap. 2. num. 12.

Sustineamus ergo Dominum, & confortetur cor nostrum. Ebrios in Deo Patre, Filio, & Spiritu sancto: vnum simus, sicut ipse dixit, Ioan. 17. num. 21. ità, & ipsi in nobis vnum sint, ad Galat. cap. 3. nu. 26. omnes enim filij Dei estis per fidem, quæ est in Christo Iesu, & nu. 28. omnes vos vnum estis in Christo Iesu.

Expectemus Dominum, vt videamus bona Domini non in terra hac mortali, sed in terra viuentium: sustineamus, viriliter agamus, sustinendo procellas inundantium fluctuum, vt audire mereamur, Venite benedicti Patris mei, percipite Regnum, quod vobis paratum est à constitutione mundi, quia mecum fuistis in tentationibus meis, & substinuistis.

SOLILOQVIVM.

DOMINVS sit illuminatio nostra, ità vt tenebræ nos non comprehendant, Protector noster, ità vt neminem timeamus aduersantium; edant tametsi carnes meas, spiritus meus erit cum Deo, & ipsi cadent in infernum; veniat infernus totus ad mecum præliandum, spes mea magis in Deo crescet, illos confundendo.

Vnam petij à Domino firmitatem fidei in Iesum Christum; hanc requiram, mandatis eius obtemperando, vt Templũ eius visitando videam etiam illius voluptatem. Vt quando perturbauerint me mala, protegat, & abscondat in abscondito sui Tabernaculi, & tunc in ipso, qui petra est, Christo exaltatus super inimicos meos, confundentur illi; & ego semper laudans Dominum, & exultationis voces emittens, rogabo Dominum, vt me exaudiat, & misereatur mei, quia cor meum totum est Domine in tui dilectione, aliud non requirens, nisi te. Non tamen fugiam latrantium persecutiones; sed tu non declines Domine diù permittens illas, sed auge fidem meam in te, quia scio, quòd tunc non despicies me, neque derelinques me sicut pater meus, & mater dereliquerunt me, tu verò assumpsisti me.

Propterea in via tua legem mihi pone, vt sustinere valeam, quæ tu mandasti; dirige me in semitam rectam, ne inimici glorientur perdidisse me, animam scilicet meam. Testes iniquos inuenerunt contrà me, at iniquitas illorum mentita est sibi. Credo Domine in terra viuentium bona videre: expectabo te. Interim, te adiuuante, viriliter agam. Tu verò Iesus meus conforta cor meum, & ego expectabo te, vt me perducas in Paradisum exultationis. Amen.

Ita fiat Domine per admirabilem Ascensionem tuam, cuius commemorationis dies nunc agitur, fiat Iesu dulcissime, vt sis mihi adiutor, protector, & lux, quæ me illuminet in hac tenebrosa lachrymarum Valle, in hac procellarum maris tempestate, & fluctuatione; dele Domine delicta mea, & in futurum concede, vt abscondar in abscondito Tabernaculi tui, donec tu venias, vt iudices me secundum multitudinem misericordiæ tuæ, Amen: Laus sit Deo Patri, tibiq. Filio eius Iesu Christo, & Spiritui sancto, qui ab vtroque procedit. Deo gratias; Finis.

IN PSALMVM XXVII.

Ad te Domine clamabo, Deus meus ne sileas à me: ne quando taceas à me, & assimilabor descendentibus in lacum.



CONTINVARI videtur posse ad præcedentem. Ecclesia antequam Christus vngeretur in Regem, hoc est antequam is pateretur, in spiritu vidit, per illius Passionem populum suum liberatum: adeòq. dixit se non timere aduersantium insidias, & gratias egit Deo, quia in Christo ipso Caput, & Protector eius factus est. Nunc verò idem Christus homo factus, & qui sponte se obtulit pro populo sibi commisso passurum, gratias agens Deo Patri ab illo petit sui corporis Resurrectionem, & populo suo benedictionem.

Summa hæc esse videtur. Oratio Christi ad Patrem pro sui corporis Resurrectione, & gratiarum actio pro populo, cuius protector, & fortitudo factus est.

Ex Titulo, qui incipit, Psalmus ipsi Dauid; & ex lectura Psalmi patet, de Passione Christi Dauidem loqui, nàm omnes, præter Iesum Christum, descendentibus in lacum assimilati sunt, vnus enim est introitus omnibus ad vitam, & similis exitus, Sap. cap. 7. num. 5. & 6. nec refloruit caro Dauid postquam mortuus est; Caro verò Christi resurrexit, ascendit in Cælum, & sedet à dextris Dei Patris.

Incipit ergo Dauid enarrare, quæ in spiritu vidit in Christo passuro, orationem nempè, quam Deo Patri facturus erat, in Cruce pendens, de qua Matth. cap. 27. nu. 46. Marc. 15. nu. 34. ità etiam in Psalm. 21. num. 1. qui est de Passione Domini loquitur dixit enim, Eloi, Eloi, Lamma sabacthani, Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?

Ad te Domine clamabo, tunc scilicet, quando in Cruce ero, non dicit ad te clamaui, neque ad te Domine clamo, sed tunc ad te Domine clamabo, Deus meus ne sileas à me, Matth. verò Deus meus, vt quid dereliquisti me? Iudæis perfidis videris me dereliquisse; si diù in sepulchro carnem meam permiseris permanere: apud illos assimilabor alijs mortalibus; quod, & contestati sunt, dicentes, Iube custodiri sepulchrum, ne veniant Discipuli eius, & furentur illum; non enim credebant ipsam Resurrectionem Iesu Christi, quia hominem ipsis similem putabant, furabuntur, dicebant illi, corpus eius, & erit peior priori nouissimus error, Matth. cap. 27. num. 64.

Tunc ergo dicit Christus per os Dauid, Ad te Domine clamabo. Et quid clamabis? Deus meus ne sileas à me. Nonne in Horto, quando orabas, vt auferret à te Calicem, si fieri posset, apparuit Angelus confortans te? Luc. cap. 22. num. 43. apparuit Angelus confortans eum; & factus in agonia prolixius orabat; nihilominus ait, ne sileas à me ne diù corpus meum in sepulchro permittas permanere: vt ij cognoscant me Deum verum, & hominem esse: nam si aliquando differes Resurrectionem meam, cogitarent aduersarij me similem esse descendentibus in sepulchrum, in cauernam, in lacum, & corpus meum esse corruptibile, sicut cætera mortuorum corpora.

Ne

Ne sileas, ne taceas, sed clarifica me claritate illa, quam habui priusquam mundus esset apud te: venit hora, clarifica filium tuum, vt filius tuus clarificet te, Ioan. d. cap. 17. num. 1. & num. 5. venit hora, nàm aliàs me clarificasti, antequam in mundus venissem, quando per os Dauid dixisti, Psalm. 2. num. 7. ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te; Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech, Psalm. 109. num. 4. Ex eo, quòd Verbum æternum humanitati assumptæ vnitum persistit in me, palàm facio, quòd non sim talis homo, quales sunt cæteri, qui nascuntur in profundam miseriam sæculi huius, vbi tamquam sileas, non cognoscitur Verbum tuum, hæc Augustin. ne ergo sileas à me, neque taceas.

Exaudi Domine vocem orationis meæ, dum oro ad te: vocem orationis meæ inquit, nàm cum clamore valido, & lachrymis in diebus carnis suæ, preces, supplicationesquè obtulit ad Deum, qui posset illum saluum facere à morte, & exauditus est pro sua reuerentia, ad Hebr. cap. 5. num. 7. Tamquam parturiens nunc loquor, vociferor, & clamo, Isai. cap. 42. num. 14. Domine, ne sileas à me, exaudi Domine vocem meam dum oro ad te, ne sileas à me, sed exurge, & intende iudicio meo; tu vidisti Domine, ne sileas; Domine, ne discedas à me, Psal. 34. num. 22. obmutui, & non aperui os meum, quoniam tu fecisti, Psal. 38. num. 10. tu verò nè sileas, neque taceas à me, sed clarifica me, ego enim humiliatus sum; & silui, ibidem nu. 3. annunciaui tamen iustitiam tuam in Ecclesia magna, veritatem tuam, dicens, Psalm. 39. num. 10. & 11. tu verò ne sileas, sed

Exaudi vocem orationis meæ; hanc autem orationem Christus in Cruce fecit, quando pro omnibus orauit, & extendens manus suas in Cruce dixit, dum extollo manus meas ad Templum sanctum tuum, ista nos docent, quando oramus manus nostras in sancta extollere, Psalm. 133. nu. 3. in noctibus extollite manus vestras in sancta, & benedicite Dominum.

Dum extollo manus meas ad Templum sanctum tuum. Dum obediens voluntati tuæ, vt hominem redimerem per Passionem meam, extollo manus meas, membra scilicet mea, quæ sunt Apostoli, & credentes, ad Templum sanctum tuum, & in conspectu tuo illos adduco, vt, & ipsi sint Templum sanctum tuum, 1. Corinth. cap. 6. num. 19. an nescitis, quoniam membra vestra Templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est, quem habetis à Deo, & non estis vestri? nescitis, quia Templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in vobis? & Ioan. dicto cap. 17. nu. 21. vt omnes vnum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, vt, & ipsi in nobis vnum sint, dum extollo manus meas, dum patior, vt, & ipsi salui fiant.

Exaudi deprecationem, quam pro membris, manus meas extollens, ad Templum tuum sanctum offero; nàm si caro mea diutius remaneret in sepultura, cogitarent me esse sicut cæteri descendentes in lacũ; nec mirum, nàm, & illi duo, qui ipsa die Resurrectionis ibant in Castellum, tristes erant, quia sperabamus, dicebant, quòd ipse redempturus esset Israel, Luc. cap. 24. num. 20.

Ne quando ergo taceas, & assimilabor descendentibus in lacum, nàm, & fideles tristes erunt non videntes meam à mortuis Resurrectionem: sicut prædixi illis: sperabamus, dicebant, quasi iàm spes illorum esset vacua; præsertim cum, & latronum, qui mecum crucifigentur: corpora in puluerem reducentur, & cum sceleratis reputatus est, Isai. cap. 53. num. 12. sicque & de me cogitarent.

Ne simul trahas me cum peccatoribus, & cum operantibus iniquitatem ne perdas me. Moriar pro peccatoribus, & iniquitates eorum ego portabo: tu enim Domine iniquitatem omnium in me posuisti: ne trahas me cum illis, sed, vt dixisti Domine, quòd ego dabo impios pro sepultura, & diuites pro morte mea: Isai.cap.53.nu.9. hoc est dandò impios Iudæos, qui me interfecturi sunt, in manibus Romanorum, vt ipsi sint pro sepultura, pro pœna, quia iniustè iudicabunt me, quando ego de angustia, & iudicio sublatus ero.

Moriar ego cum peccatoribus, quia cum iniquis reputatus sum: sed cum illis Domine ne me tradas; & cum operantibus iniquitatem ne me perdas: vt non sic peream, mortem suscipiens; sicut homines iniqui illi in pœnas iniquitatum suarum punientur, in lacu, in inferno est habitatio eorum; ego autem innocens sum, & sicut Agnus ad occisionem missus sum, Isai. cap. 42. num. 4. Ierem. cap. 11. num. 19. de angustia, & de iudicio ero sublatus; vt fruar mea gloria sempiterna.

Ipsi iniqui loquuntur pacem cum proximo suo, dicentes, Magister scimus, quia à Deo existi, &c. mala autem in cordibus eorum, Matth. cap. 22. num. 16. licet ne, dicebant, dare censum Cæsari an non, vt accusarent illum, Iesus autem cognita nequitia eorum, quid me tentatis hypocritæ? &c.

Da illis Domine secundum opera eorum, & secundum nequitiam adinuentionum ipsorum, Ierem.cap.17.nu.10. Dat vnicuique iuxtà viam suam, & iuxtà fructum adinuentionum suarum. Non precatur istud malum ipsis Iesus, sed pœnam futuram annunciat illis; quæ erit secundum opera eorum, & secundum adinuentiones eorum, ac si dicat, ex eo quòd non te intelligunt per tot beneficia ipsis collata, intelligant per pœnam de condigno ipsis inferendam: retribuebant mihi mala pro bonis, & odium pro dilectione mea, Psalm. 34. num. 12. omnia opera illorum mala erant, & in auaritiam, Matth.cap.23.num.14. Matth. cap. 15. num. 5. quodcunque munus est ex me, tibi proderit, & non honorificabit Patrem suum, aut Matrem suam. Omnes nequitiæ eorum in Galgala, in Idolo auaritiæ, & superbiæ, & ideò propter inuentionem traditionum eorum, de domo mea eijciam eos, Osè.cap.9. num. 15. iuxtà adinuentiones, & vias eorum redde illis, Osè. cap. 12. num. 2. & quia irritauerunt Dominum in adinuentionibus suis, Psalm. 105. num. 29. & multiplicata est in eis ruina.

Linguæ eorum, & adinuentiones eorum contrà Dominum, & prouocauerunt oculos Maiestatis eius, proptereà ruent, & concident, Isai.cap.3.nu.8. & 10. & recipient mercedem iuxtà opera eorum, & fructum secundum adinuentiones suas, Ierem.cap.32.nu.19. & in insidijs suis capientur iniqui, Prouerb.cap.11. num.6. & 9. Simulator, & callidus ore decipiunt amicum, & prouocant iram Dei, & morientur in tempestate, Iob. cap. 36. num. 13. & 14.

Cum his ne trahas me, qui loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum. Illi peccatores sunt, & euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum, ideò Deus tradidit illos in desideria cordis eorum in immunditiam, vt contumelijs afficiant corpora sua in semetipsis, qui commutauerunt veritatem Dei in mendacium, ad Rom.cap.1. num.24. & 26. Ne tradas me cum istis; labia dolosa in corde, & corde locuti sunt, Psalm. 11. num. 3. & in Psalm. 54. num. 22. molliti sunt sermones eius super oleum, & ipsi sunt iacula; extendunt linguam suam, quasi arcum mendacij, & non

non veritatis; confortati sunt in terra, quia de malo ad malum egressi sunt, & Deum non cognouerunt, Ierem. cap. 9. num. 8. sagitta vulnerans lingua eorum dolum locuta est; in ore suo pacem cum amico suo loquitur, & occultè ponit insidias.

Quoniam non intellexerunt opera Domini. Nàm neque Primates opera Domini cognouerunt, audi Ierem. cap. 5. num. 5. Ibo ad Optimates, & loquar eis, ipsi enim cognouerunt viam Domini, iudicium Dei sui, & ecce magis hi simul confregerunt iugum, & ruperunt vincula: confidunt in sermonibus mendacij, Ierem. cap. 7. num. 8. in dolo renuerunt scire Deum, & dicunt, vbi est verbum Domini? veniat Ierem. cap. 17. num. 15. Quis Dominus Deus noster est? Ipsi pastores ignorauerunt intelligentiam: sumamus vinum, & impleamur ebrietate: & erit sicut hodie, sic, & cras, & multò amplius Isai. cap. 56. num. 11. & num. 12. Sap. cap. 2. num. 6. operatus est Iesus multa opera in Iudæis, neque illa intellexerunt, nec illis crediderunt, Ioan. cap. 5. per totum, & num. 36. cum seqq. Nunc autem excusationem non habent de peccato, quia venit Iesus, & cum eis locutus est, Ioan. cap. 15. nu. 22. Viderunt Iesum, sed quoniam accesserunt malignè ad eum, & cor eorum erat plenum dolo, & fallacia: Eccles. cap. 1. num. 4. ideò obcæcati non intellexerunt opera Domini, & ideò in malignitate eorum sunt consumpti, Sap. cap. 5. num. 13. excæcauit enim illos malitia eorum, quia noluerunt scire Sacramenta Dei, Sap. cap. 2. num. 23.

Sequitur Psalm. Et in opera manuum eius destrues illos. Impijs enim Deus reddet vindictam, Eccles. cap. 12. num. 7. ipsi ædificabunt, & ego destruam, dicit Dominus, Malach. cap. 1. num. 4. & sicut ventus vrens dispergam eos coram inimicos, Ierem. cap. 18. num. 17. quia non intellexerunt opera Domini, verte impiós, & non erunt, Prouerb. cap. 12. num. 7. Iustus de angustia liberatur, & traditur impius pro eo, Prouerb. cap. 11. num. 8. hominem malo animo tentauerunt, & Deum, & hominem negauerunt. Hunc scimus vndè sit, Ioan. cap. 7. nu. 27. Christus autem cum venerit, nemo scit, vndè sit, & obcæcati tenebrosi facti sunt, oculi enim eorum nequam erant, ideò corpora eorum tenebrosa, Matth. cap. 6. nu. 23. si lumen, quod in te est, tenebræ sunt, ipsæ tenebræ, quantæ erunt? tenebrosi, & sine lumine inciderunt in foueam, quam fecerunt? Eccles. cap. 27. num. 29. & cap. 10. num. 8. in Eccles. Et in opera manuum eius destrues eos. Facienti nequissimum consilium, super ipsum dissoluetur, & non agnoscet, vndè adueniat illi, Eccles. d. cap. 27. num. 30. & num. 32. laqueo peribunt, qui oblectantur casu iustorum, dolor autem consummet illos, antequam moriantur, quia non cognouerunt opera Domini, Augustin. & vndè manifestum est eis hoc accidisse? hinc quoniam non intellexerunt opera Domini, hæc ipsa nimirum iàm resultatio fuit, vt quem maleuolo animo hominem tentauerunt, non cognoscerent Deum, quem consilio incarnatum Pater misit, hæc Aug.

Et in opera eius populi, qui occiderunt Christum, disperdes, & destrues illos, & non ædificabis eos, Daniel 9. nu. 27. & vsque ad consummationem, & finem perseuerabit desolatio, Ezech. cap. 7. num. 14. Ira enim mea per vniuersum populum eius, & num. 13. Isai. cap. 1. num. 7. quia oblita es Dei Saluatoris tui, & fortis adiutoris tui non es recordata: propterea plantabis plantationem fidelem, & germen alienum seminabis, Isai. cap. 17. nu. 10. quod est Gentilitas.

Quando faciebas iniquitatem, cogitabas, quia non erat, qui videret te;

 attamen

attamen veniet super te malum, & nescies ortum eius, & irruet super te calamitas, quam non poteris expiare, veniet super te repentè miseria, quam nescies, Isai. cap.47. num.10. & 11.

Benedictus Dominus, quoniam exaudiuit vocem deprecationis meæ, nàm venit vox de Cælo, num. 28. clarificabo, & iterum clarificabo, Ioan. cap. 12. exaudiuit vocem, Isai. cap.45. num.13. ego suscitaui eum ad iustitiam, & omnes vias eius dirigam, ipse ædificabit Ciuitatem meam, &c. idest Ecclesiam meam, & num. 14. post te Gentiles, scilicet ambulabunt quasi vincti: quia spiritus trahet illos, & te adorabunt, teque deprecabuntur, tantum in te est Deus, & non est absque te Deus: Verè tu es Deus absconditus, Deus Israel Saluator.

Exaudiuit vocem deprecationis meæ; nàm Iudæi confusi sunt, & erubuerunt omnes; simul abierunt in confusionem fabricatores errorum, Isai. vt suprà, nu.16. Exaudita est oratio mea, & liberasti me à perditione, & eripuisti me de tempore iniquo, Eccles. cap.51. nu.15.

Dominus adiutor meus, & protector meus, & in ipso sperauit cor meum; & adiutus sum. Confitebor nomini tuo, quoniam adiutor, & protector factus es mihi: & liberasti corpus meum à perditione, à laqueo linguæ iniquæ; & à labijs operantium iniquitatem, Eccles. cap.51. num.3. in Domino lætabitur cor meum, quoniam adiutor, & protector meus est, Psalm.32. nu.20. & 21.

Augustin. Dominus adiuuans tanta patientia, & immortalitate protegens resurgentem, & in eo sperauit cor meum, idest humanitas mea, & adiutus sum, vt resurgerem, nàm caro mea refloruit resurgendo, & reuelata est gloria Domini, & vidit omnis caro pariter, quod os Domini locutum est, quod manet in æternum, Isai. cap.41. nu.5. & 8. sicut enim fortis egressus est Dominus de sepulchro, & duxit cæcos, Gentiles scilicet in viam, quam nesciebant, & in semitis, quas ignorabant, eos ambulare fecit, quia Dominus vocauit eum in iustitia, & apprehendit manum eius, & seruauit eum: & dedit illum in fœdus populi, in lucem gentium, vt aperiret oculos cæcorum, & educeret de conclusione vinctum, de domo carceris sedentem in tenebris, Isai. cap.42. per totum: & in principio, ecce seruus meus suscipiam eum, &c.

Et in ipso sperauit cor meum, & adiutus sum: qui enim in Domino sperant, mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut Aquilæ, current, & non laborabunt; ambulabunt, & non deficient, Isai. cap.40. nu.31.

Et refloruit caro mea, & ex voluntate mea confitebor ei. Caro enim Christi refloruit in sua Resurrectione, cum iàm à tribulationibus huius mundi liberatus est. Floruit caro Christi, quando ex Virgine natus, de Spiritu sancto conceptus carnem nostram suscepit; Carnem nostram assumpsit speciosus forma præ filijs hominum, Psalm.44. nu.15. Isai. cap.11. nu.1. Egredietur, &c. & flos de radice eius, &c. Act. cap.13. nu.23. Cantic. cap.2. Ego flos campi, & lilium conuallium. Huius floris in passione mutatus color eius, nàm non erat ei species, neque decor, Isai. cap.53. nu.2.

Refloruit sol in Resurrectione eius, in Sole enim posuit Tabernaculum suum, Psalm.18. nu.6. qui in passione, quasi absconditus erat. Flos qui refloruit, in quem desiderant Angeli respicere, & ad cuius odorem reuiuiscunt mortui, & sub cuius aspectu cuncta sunt posita.

Re-

Refloruit caro mea, Apostoli mei, qui prius fugerant, reuersi sunt, Matth. cap. 24. num. 75. Act. cap. 11. num. 21. & per totum librum illum reflorent omnes iusti, Isai. cap. 26. num. 19. venient mortui tui, interfecti in te resurgent; expergiscimini, & laudate, qui habitatis in puluere, quia ros lucis, ros tuus, &c. & Isai. cap. 66. num. 14. videbitis, & gaudebit cor vestrum, & ossa vestra, quasi herba germinabunt, & cognoscetur manus Domini seruis eius, & indignabitur inimicis suis.

Ex voluntate mea confitebor illi, Psalm. 53. num. 8. Voluntariè sacrificabo tibi, & confitebor nomini tuo, Matth. cap. 11. num. 25. Confitebor tibi Pater, quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis, voluntariæ enim oblationes Deo caræ sunt, Ezech. dicto cap. 46. num. 12. cum fecerit Princeps spontaneum holocaustum, aut pacifica voluntaria Domino: aperietur ei porta, quæ respicit ad Orientem, &c. & ad Corinth. 2. cap. 8. nu. 3. secundum virtutem testimonium illis reddo, & suprà virtutem voluntarij. Voluntaria ergo oris mei beneplacita fac Domine, Psalm. 118. nu. 108. quia Christus est cum iustis, qui non mortis timore, sed libera voluntate confitentur illum: propterea inquit, & in voluntate tua ego, idest mei fideles, quorum caput ipse sum, confitebor tibi voluntariè.

Dominus fortitudo plebis suæ. Qui illam per Baptismum facit fortem, & per prædicationem credentium, ad Rom. cap. 10. num. 1. Fratres voluntas quidem cordis mei, & obsecratio ad Deum sit pro illis ad salutem. Ipse ergo Dominus dat virtutem, & fortitudinem plebi suæ, Psalm. 67. num. 36. Isai. cap. 25. num. 4. factus es fortitudo pauperi, fortitudo egeno in tribulatione sua.

Et protector saluationum Christi sui est, illorum, quos ipse Christus vocauit, Deus est protector, Ioan. cap. 17. num. 11. Pater sancte serua eos, quos dedisti mihi.

Quocircà dicit, saluum fac populum tuum Domine, & benedic hæreditati tuæ. Populus Dei omnes iusti, in perpetuum hæreditabunt terram, germen plantationis meæ, opus manus meæ ad glorificandum, Isai. cap. 60. num. 21. Et benedic hæreditati tuæ. Postquam semen tuum gentes hæreditauerunt: Et hæc est hæreditas tua Domine: Accola quæ venit, quæ non erat tecum, Aduena, quondam tuus, qui adiunctus est tibi, populus Gentilis, qui credit in filium tuum Vnigenitum: Hæc est hæreditas seruorum Domini, & iustitia eorum apud te Domine, Isai. cap. 54. num. 4. & 15. cum seqq. Fortitudo illius tu Domine, & factus es illi in salutem, Psalm. 117. num. 14.

Et rege eos, & extolle illos. Sustolle illos super altitudinem terræ, & ciba illos hæreditate Iacob, Isai. cap. 58. num. 14. Tu enim Domine Pater dixisti mihi, Postula à me, & dabo tibi gentes, Psalm. 2. num. 8. Ecce iàm quos dedisti mihi, tui sunt, serua illos, rege illos, & extolle illos, vt vbi nos sumus, & illi nobiscum sint, Ioan. dicto cap. 17. num. 24. Ego sum vnus de populo tuo Domine, rege me, & salua me etiam, vt vsque in finem vitæ meæ fideliter tibi seruiam, extolle me de hac vita mortali, vt ad immortalem gloriam extollar.



SOLILOQVIVM.

AD te Domine clamo, ne discedas à me; concede, vt moriens tibi viuam; exaudi orationem meam, dum in hoc corpore, & Templo tuo extollo ad te manus meas; ne cum operantibus iniquitatem perditus inueniar, nec cum illis, qui pacem loquuntur, corda verò illorum plena sunt malitia: iuxta opera illorum iudicabis illos, non enim cognouerunt te, & propterea incidunt in foueam, quam sibi fecerunt. Benedictus sis Domine, quia adiutor, & protector meus factus es, cor meum in te sperauit. Refloreat caro mea, quia dolens confiteor, me tibi soli peccasse. Voluntariè me sacrificabo tibi, qui benedicis hæreditati tuæ. Sum, & ego hæreditas tua: propterea illam, quam populo tuo, & hæreditati à Patre petisti benedictionem, des, & etiam mihi seruulo tuo indigno, vt in illa ambulans ad Cælum extollar, vbi tu es cum Patre, & Spiritu sancto. Domine emitte spiritum tuum in hac die Pentecostes, & creabor, & renoua faciem terræ, huius corporis mei, vt mundatus ab omnibus peccatis lauacro Pœnitentiæ, & tuæ gratiæ lumine illustratus, audire merear: Veni fili; quia perditus eras, & te inueni, accipe stolam candidam, & ingredere in Tabernaculum meum. Fiat Domine Iesu dulcissime, &c. Amen.

IN PSALMVM XXVIII.

Afferte Domino filij Dei: afferte Domino filios Arietum,

TITVLVS. Psalmus Dauid in consummatione Tabernaculi. Continuatur ad præcedentem; nam in illo fuit tractatum de Passione, & Resurrectione Domini nostri Iesu Christi, per cuius mortem, & resurrectionem omnia adimpleta sunt, quæ in figuris dicta erant, & per consequens vetus Tabernaculum Dauid consummatum; & deletum; ideò in hoc præsenti Psalmo agitur de laudibus Domini Iesu Christi post consummationem, & adimpletionem omnium, & de eius potentia; dixit enim in Cruce, emittens spiritum, consummatum est; & post Resurrectionem suam, data est mihi, inquit, omnis potestas in Cælo, & in terra, Matth. cap. 28. num. 18. Ioan. 19. num. 30.

Summa hæc est: Laudes Deo nostro, qui Ecclesiam suam perfectam faciendo, in omni virtute benedicit populo suo in pace, corpus suum resuscitatum Deo Patri dedicando.

Afferte Domino filij Dei, Filios Dei vocat ad offerendum Domino, filij Dei autem sunt omnes iusti, Isai. 60. nu. 21. qui ergo volunt afferre Domino acceptabile sacrificium, iusti sint; ad pauperculum enim, & contritum spiritu, & trementes sermones suos respicit Dominus, Isai. 66. nu. 2. & qui immolat in peccatis bouem, inquit, quasi qui interficit Virum, ibidem Isai. nu. 3. Vndè Gregor. in lib. Moral. Ab omnipotenti Deo munus ex manu non accipitur, quod corde obligato ex malitia perficitur, mundari enim debet prius, qui munus offerre vult Deo, quia omne, quod Deo datur, ex dantis mente pensatur, & ideò

non Abel ex muneribus, ſed ex Abel mu nera oblata placuerunt, Eccleſ. c.34. nu.23. Dominus ſolus ſuſtinentibus ſe in via veritatis, & iuſtitiæ, dona impiorum non probat Altiſſimus: nec in multitudine ſacrificiorum eorum propitiabitur peccatis, & num.24. Qui offert ſacrificia ex ſubſtantia pauperum, quaſi qui victimat filium in conſpectu Patris ſui, Eccleſ.35.nu.14. Noli offerre munera praua; non enim ſuſcipiet illa Dominus.

Iàm nunc eſt conſummatum Tabernaculum Dauid, quod erat figura veri Tabernaculi, Eccleſiæ ſcilicet ſanctæ Dei, Luc.16.nu.16. Lex, & Prophetæ vſque ad Ioannem. Vos filij Dei, qui in ea vocati eſtis; vt doceatis alios, Apoſtoli Sancti, & Euangeliſtæ, afferte Domino quos ad Christi fidem filios Arietum conuertitis, vt, & ipſi vobiſcum afferant Domino gloriam, & honorem; Afferte filios Gentilium, qui ſunt prædeſtinati, vt Eccleſiam perfectam conſtituant; nàm nihil aliud eſt Eccleſia, niſi fidelium congregatio: Honor, & gloria Deo Patri, & nomini eius, hoc eſt Ieſu Chriſto in Eccleſia iàm omni virtute perfecta, vt afferant bono animo, Eccleſ. cap.35.nu.10. & in illa adorent Dominum per opera bona veſtra; verboq. & exemplo honorificent Deum, & magnificent Dominum Ieſum Chriſtum, quoniam iàm ſurrexit, & habitat in excelſo; & impleuit Sion, Eccleſiam ſuam iudicio, & iuſtitia, Iſai. 33. numer.5. & factum eſt opus iuſtitiæ pax, & cultus iuſtitiæ ſilentium, & ſecuritas, vſque in ſempiternum; nàm ſedit populus Domini in pulchritudine pacis, & in Tabernaculo fiduciæ, & in requie opulenta, Iſai. cap. 32. nu. 17. & 18.

Vetus iàm error abijt, & ſeruabit pacem, pacem, quia in eo ſperamus, quia incuruabit habitatores in excelſo, Iſai. cap.26. nu.4. & 5. Indulſiſti Domine, indulſiſti. Nunquid glorificatus es? non Domine, quia peccatores ſunt, & non ſunt reuerſi, ibidem Iſai. num.15. non recedat miſericordia tua Domine à nobis, etſi peccatores ſimus, quia in te confidentes reuertemur ad te, Iſai. cap.54. nu.10. Scimus, quia fidelis es, vt remittas nobis peccata noſtra, 1. Ioan. cap.1. num.9. & emundes nos ab omni iniquitate; ecce nos ab Apoſtolis tuis docti noſmetipſos tibi offerimus, laudem tuam annunciantes, & te filium Dei omnipotentis credentes: tu enim pro nobis hoſtiam precioſiorem Patri obtuliſti teipſum, Iſai. cap.53. num.7. 1. Petr. cap.1. num.19. & 20. ad Hebr. cap.9. num. 14. Nos, vt idem faciamus inuitat, & excitat Dauid, monetquè, vt quod poſſumus præſtemus, atque optimum, quod habemus, quod eſt cor noſtrum, offeramus: Bernard. in Serm. de Purificatione. Quod noſtrum eſt, & voluntatem noſtram non aliena offerimus, hinc ſuper id 1. Regum cap.15. nu.22. Melior eſt obedientia, quàm Victimæ, Gregor. Papa, inquit, 25. Moral. Obedientia Victimis iure præponitur, quia pro victimis caro aliena, pro obedientia verò voluntas propria immolatur, 2. Corinth. cap.8. nu.11. Nunc verò, & facto percipitur, vt quemadmodum promptus eſt animus voluntatis, ità ſit, & perficiendi, ex eò quod habetis, ſi enim voluntas prompta eſt ſecundum id, quod habet, accepta eſt, non ſecundum id, quod non habet.

Afferte Domino filij Dei, nos filios veſtros, quos per Euangelium generaſtis, filios Arietum, quibus duo cornua ſicut, & vobis duo teſtamenta, quæ prædicaſtis, nouum, ac vetus, per quæ totum mundum viciſtis. Afferte noſmetipſos, quia voluntariè ſacrificamus illi, Pſalm.53. num.8. non in gregibus noſtris,

nec in armentis nostris ibimus ad quærendum Dominum; nàm tunc non inueniemus; quia ablatus est à nobis, Ose.9.num.6. sed voluntariè, & animo hilari, gloriam, & laudem Domino Deo damus: quia fecit nobiscum misericordiam suam. Afferte filij Dei nos filios vestros, & date nobis occasionem gloriandi pro vobis, vt habeamus, quid dicamus, vt gloriemur apud eos, qui in facie gloriantur, & non in corde, 2.Corinth. cap.5.nu.12.

Afferte Domino gloriam nominis eius, afferte Domino gloriam, & honorem. O filij Dei, filios Gentilium, & Iudæorum, Domini populum affertis, Eccles. cap.36.nu.16. nàm tunc replebitur Ecclesia inenarrabilibus verbis Dei, quia gloria Domini populus suus, in hoc enim populo tuo, & gente tua est gloria tua Domine, & honor tuus, posuit Dominus Deus gloriam suam in gentibus, & fidelibus suis, Ezech.39.nu.2.

Afferte filij Dei Gentiles filios Arietum, quia faciem suam Dominus auertit; & abscondit à Iudæis, & iudicium Domini viderunt omnes gentes; date gloriam nomini eius Iesu Christo filio Dei, qui per passionem suam nos aduenas coniunxit Ecclesiæ suæ in sanguine suo. Accola, qui extrà Ecclesiam erat, qui cum illa non erat, Isai. cap.54.nu.15. & venerunt in Sion laudantes, & lætitia sempiterna super capita eorum, gaudium, & lætitiam obtinebunt, Isai.cap.51. nu.11. Nos scilicet, qui redempti sumus à Domino. Honorificetur igitur Dominus in operibus nostris; vt per bona opera nostra glorificetur, & honoretur, & per Orbem innotescat sanctum nomen eius; Creati enim sumus in Christo Iesu in operibus bonis, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus; ad Ephes. cap.2.num.10. Plantatio Domini sumus ad glorificandum eum, Isai. cap.65. num.3. iàm glorificatus est Dominus in filijs Dei Apostolis, & si pauci, leuauerunt tamen vocem suam, atque laudauerunt Dominum, & de mari hinnierunt, & in mundo clamauerunt, & in doctrinis glorificauerunt Dominum, & in Insulis Maris nomen Dei Israel, Isai. cap.24. num.14. & quidem in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum, Psalm.18. num.5.

Adorate Dominum in Atrio sancto eius. In dilatato, & sanctificato corde: August. In decore sancto. Hieron. In sanctificatione perfecta, in qua Deus habitet, Chald. In decore sanctitatis. Non in luxurijs, & impudicitijs, sed in corde perfecto, in conscientia pura, adorate Dominum in Atrio sancto, inquit, eius, nàm cor hominis bonum, cor Deo seruiens Tabernaculum Dei est, Apocalyps. cap.21.nu.22. & Dominus Deus omnipotens Templum illius est, & Agnus.

Adorate in Atrio sancto eius Dominum, in Ecclesia, quæ est Atrium Domini, de quo 1.Petr.cap.2.num.6. ecce pono in Sion lapidem summum, angularem, electum, preciosum, & qui crediderit in eum, non confundetur, ex Isai. cap.28.nu. 16. Atrium Domini est, & fidelium iustorum cor, de quo Dominum autem Christum sanctificate in cordibus vestris, 1.Petr.cap.3.nu.15. hoc est adorate Dominum in Atrio sancto eius, Agg.cap.1.nu.7. & 8. Ponite corda vestra super vias vestras, ascendite in montem, portate ligna, & ædificate domum, & acceptabilis mihi erit, & gloriabor, dicit Dominus. Ascendant sursum corda nostra, comitentur bona opera nostra, & ædificabimus domum, in cuius Tabernaculo erit Dominus, & Agnus, quem adorabimus in Atrio sancto eius, in dicta Ecclesia, in dicta cordis nostri domo spirituali per nos ædificata; &

qui sedet in throno, habitabit super nos, Apocalypſ.cap.7.nu.15. Pſalm.99.n.4. Introite portas eius in confeſſione, atria eius in hymnis confitemini illi. Vtinam (vt dicit S. Bernard. in ſerm. de Purificatione) quis mihi tribueret Domine, vt oblationem meam dignetur tua Maieſtas ſuſcipere.

Duo munera habeo Domine, ſcilicet corpus, & animam, vtinam tibi perfectè in ſacrificium laudis poſſem ea offerre; bonum eſt mihi, longèq. glorioſius, atque vtilius, vt magna tibi offeram, quàm vt deferam ipſi mihi. Ecce Tabernaculum Dei cum hominibus. Si biberis aquam fontis vitæ, quam ſitienti promittit ſe daturum Deus habitabit tecum, vt inquit Ioan. de Throno audiuiſſe vocem, & quod ipſi populus eius erunt, & ipſe Deus cum eis erit eorum Deus, Apocalypſ.21.num.30. Sitiamus aquas iſtas, de quibus hìc Dauid, dicens.

Vox Domini ſuper aquas; nàm dicit Dominus ſe daturum ſitienti de fonte aquæ vitæ, & gratis, ibidem Ioan.nu.6. hæc eſt vox illa Dei ſtantis in hoc fonte vitæ: ecce fons vitæ, venite ſitientes, quia Dominus eſt cum hominibus illam bibentibus in eis habet Tabernaculum, & habitat cum illis, ab illo autem potum ſumentes non ſitiemus amplius in æternum; quia aqua, quam dat nobis, fit in nobis fons vitæ ſalientis, in vitam æternam, Ioan.4.nu.14. Vox Domini ſuper aquas. Nàm Ieſu baptizato, & orante apertum eſt Cælum, & deſcendit Spiritus ſanctus corporali ſpecie, ſicut columba in ipſum, & vox Patris de Cælo facta eſt: tu es filius meus dilectus, in te complacui mihi, Luc.3.nu.22. Matth. cap.3.num.17. Vox Domini ſuper aquas, Deus Maieſtatis intonuit, Dominus ſuper aquas multas. Super populos multos: aquæ enim ſunt populi, gentes, & linguæ, Ioan. Apocalypſ.17.num.15. nàm cum in omnem terram exierit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum; omnes voces audientes baptizati ſunt in nomine Domini, & Filij, & Spiritus ſancti, vt eſſent Tabernaculum Dei, & vt habitaret Deus cum illis, Ioan. Apocalypſ. dicto cap.21.nu.3. Vox Domini in virtute, quæ ex illo exiens ſanat omnes, Luc.5.nu.17. Marc.6.nu.2.

Vox Domini ſuper aquas, ſuper tribulantes iuſtos ſuos, & ſanctos ſuos, vocem enim dederunt nubes, & vox tonitrui in rota; timuerunt aquæ, & turbati ſunt abyſſi, Pſalm.76.nu.17. nàm aquas fluminis adduxit Dominus fortes, & multas, Regem Aſſyriorum, & omnem gloriam eius, & aſcendet ſuper omnes ripas eius, & ibit per Iudam inundans, & tranſiet, vſque ad collum veniet, Iſai.8.nu.7.& 8. non ſit ille vobis pauor, Dominum exercituum ipſum ſanctificate, ipſe pauor veſter, & ipſe terror veſter, Iſai. dicto cap.8.num.13. Quia vox Domini ſuper aquas, vt tentet iuſtos, Sap.cap.3.nu.13. ſed in paucis vexati in multis diſponentur benè, num.9. ibidem. Vox tamen Domini ſuper aquas; nàm ſuperbiam infidelium quieſcere faciet, & arrogantiam fortium humiliabit, Iſai.cap.13.nu.11.

Vox Domini in virtute, quia credentes afflictos liberabit ab infidelium inſidijs, & inter filios Dei illos computabit, Sap.cap.5.nu.1. cum ſeq.

Vox Domini in magnificentia. Surgite mortui, venite ad Iudicium, Sophon. cap.3.nu.8. & Dominus dabit vocem ſuam ante faciem exercitus ſui, Ioel c.2. nu.11. & cap.3.nu.2. Congregabo omnes gentes, & deducam eas in Vallem Ioſaphat, 2.Petr.cap.3.nu.7. & ſeq. at ille ſurgens Ventum increpauit, & tempeſtatem aquæ, & ceſſauit, & facta eſt tranquillitas, Luc.cap.8.nu.24. quis putas,

hìc est, quia, & Ventis, & Mari imperat, num. 25. & obediunt ei? Matth. c. 8. num. 24.

Vox Domini in magnificentia, quoniam magnificè fecit; haurietis enim aquas in gaudio de fontibus Saluatoris, & factus est nobis in salutem, Isai. cap. 12. nu. 3. Domine Deus meus magnificatus es vehementer, Psalm. 103. nu. 1. & 24. quàm magnificata sunt opera tua Domine, ideò facti sumus lætantes, nàm magnificauit Dominus facere nobiscum, Psalm. 125. nu. 3. Demus ergo nomini eius magnificentiam, & confiteamur illi, nàm opera Domini vniuersa bona valdè, Eccles. 39. nu. 20. & 21. & quamuis Dominum quantumcunque poterimus, glorificauerimus, superualebit tamen adhùc, & admirabilis magnificentia eius, Eccles. 43. n. 32. multam enim gloriam fecit Dominus, magnificentia eius à sæculo, Eccles. cap. 44. nu. 2.

Vox Domini in magnificentia, nàm germen suum fecit in magnificentia, & gloria, & fructus terræ sublimis; dedit enim filium suum Christum in terram, qui est, & fructus noster, Isai. 4. nu. 2. Vndè Psalm. 84. nu. 15. terra nostra dabit fructum suum, & glorisissima protectio illius diuina, erga nos, Isai. d. cap. 4. nu. 5. Magnificentiam ergo gloriæ sanctitatis Domini loquamur, & mirabilia eius narremus, quia eleuat omnes, qui corruunt, & erigit omnes elisos, Psalm. 144. n. 5. & 14. escam dedit timentibus se, Psalm. 110. nu. 5. panem scilicet Angelorum, Psalm. 77. nu. 25.

Vox Domini confringentis Cedros, & confringet Dominus Cedros Libani, Isai. 51. nu. 6. Cæli sicut fumus liquescent, terra sicut vestimentum atteretur, & habitatores eius, sicut hæc interibunt; & Psalm. 75. nu. 13. Terribili, & ei qui aufert spiritum Principum, terribili apud Reges terræ, & Psalm. 73. nu. 14. Tu confregisti capita Draconis; quis potest resistere vultui eius? Iob 40. nu. 7. Disperdit superbos, respicit omnes superbos, & confundit eos, & abscondit eos in puluerem, & animas eorum demergit in infernum: immutat cor Principum populi terræ, Iob 12. num. 24. & decipit eos, idest errare facit, vt frustrà incedant per inuium.

Vox Domini confringentis Cedros Libani, idest altos veluti Cedros præ superbia, inaniquè scientia, 1. Corinth. cap. 1. num. 27. Quæ stulta sunt mundi eligens, vt confundat sapientes. Libanus candor interpretatur. Adeòq. benè potissimum Cedros Libani confringere dicitur vox Domini: quia elatos candore nobilitatis terrenæ confundens, ignobilia huius mundi elegit, quorum prædicatione ostendat Diuinitatem suam, & comminuet eos tamquam Vitulos Libani, Augustin. & amputata superba celsitudine illorum deponit eos ad imitationem humilitatis suæ, qui tamquam Vitulus per ipsam huius sæculi nobilitatem ad victimam ductus est; Vndè Augustin. in Serm. de Ascensione: Altus est Dominus, humilias te, & veniet ad te: erigis te, & fugit à te: & humilia de proximò respicit, vt attollat, Psalm. 137. num. 6.

Vox Domini confringentis Cedros Libani, nàm fortitudo potentium, vt fauilla stuppæ, Isai. 1. nu. 31. Incuruabitur altitudo virorum, & sublimitas hominum, Isai. 1. nu. 11. & 13. Cedros inquit Libani, superbos scilicet, & altiora quærentes ad explendam illorum insaniam, & malitiam; sunt enim ipsi arbores sine fructu, steriles, elati; quocircà Isai. 41. nu. 19. dabo in solitudinem Cedrum, & spinam, & myrtum, & lignum oliuæ, &c. triturabis, inquit Isai. vt sup. nu. 15. & 16.

montes, & comminues, & colles quasi puluerem pones, ventilabis eos, & ventus tollet, & turbo disperget eos, & Ierem. 22. num. 7. & succident electas cedros tuas, & præcipitabunt in ignem, Zach. 11. num. 1. Aperi Libane portas tuas, & comedat ignis cedros tuas; vlula abies, quia cecidit cedrus, quoniam magnifici vastati sunt; vlulate quercus Basan, quoniam succisus est saltus munitus, Amos 2. num. 9. ego autem exterminaui Amorrhæum à facie eorum, cuius altitudo cedrorum altitudo eius; & fortis ipse quasi quercus, & contriui fructum eius desuper, & radices eius subter. Amorrhæi enim rebelles dicuntur, & amari, Ezech. 17. num. 22. & 24. & scient omnia ligna Regionis, quia ego Dominus humiliaui lignum sublime; & siccaui lignum viride, & frondere feci lignum aridum.

Et comminuet eos, tamquam vitulum Libani, saltare faciat illas cedros Libani succisas, & communitas, sicut saltant vituli, nàm, & montes ipsi à facie Domini sicut cera fluxerunt, & à facie eius omnis terra, Psalm. 96. vel sensu altero: Non multiplicabit eos superbè elatos, sicut cedri Libani multiplicari solent, Psalm. 91. num. 13. sed comminuet eos, sicut propter sacrificia vituli, qui pascebant in monte Libani, sacrificabantur, & numerus eorum minuebatur, & sensus est iudicio meo, hos scilicet superbos, & iniquos, quos cedris assimilauit, paulatim exterminabit, non quia impotens sit Deus in bello subijcere impios iustis, aut bestijs sæuis, aut verbo duro simul exterminare, sed partibus iudicans dabat locum pœnitentiæ, non ignorans, quia nequam est natio eorum, & naturalis malitia eorum, subest enim illi, cum voluerit, posse; sed suauis est spiritus Domini in omnibus, ideòq. eos, qui exerrant, partibus corripit, & de quibus peccant, admonet, & alloquitur, Sap. cap. 12. num. 1. & num. 8. sed & his tamquam hominibus pepercisti, & misisti antecessores exercitus tui vespos, vt illos paulatim exterminarent, ità etiam vituli comminuebantur per sacrificia, quæ tunc fiebant.

Vel dicamus, comminues eos, tamquam vitulum Libani, idest in frusta pones illos, sicut vitulus Libani, quando sacrificatur; Et hæc faciet Christus, qui per Diuinitatem ab æterno est filius Dei dilectus, & per humanitatem in tempore erit filius vnicornium, ex Iudæis nasciturus, & carnem assumpturus; qui meritò vnicornes dicti sunt, quòd cornu, roburq. suum omne vnico in testamento veteri tantùm habeant, non enim credunt nouo testamento.

Filius iste Dei dilectus, & oriundus ex Iudæis, Iudæos ipsos sic vni inhærentes litteræ veteris testamenti posteà comminuit, non tamen consumpsit, vt bonitatem Domini cogitarent iudicantes, aliàs enim eum Dominus, quando illis disciplinam dabat, conuersi ad Dominum misericordiam sperabant, tunc enim dicebant, inimicos illorum multipliciter Dominum flagellare, Sap. d. cap. 12. num. 22. dormiunt in confusione, & ignominia, quoniam Deo peccauerunt, Ierem. cap. 3. num. 3. & 25. propterea venit leo, & posuit terram eorum in solitudinem, Ciuitatesq. eorum vastatæ, positæ sunt in solitudinem, vt illis prædixerat Ierem. cap. 4. nu. 7. Vocem tubæ, Christi scilicet, & Discipulorum eius noluerunt audire, non audiemus, dicebant, propterea mala Dominus adduxit super illos, Ierem. 6. nu. 19. & non amplius populus Domini Ose. 1. num. 9. operiet eos confusio, & peribunt in æternum, Abdias cap. vnico, num. 10.

Comminuet eos, &c. ità comminuisti, vt sicut dixit Isai. d. cap. 1. num. 9. nisi

Domi-

Dominus reliquisset illis semen, quasi Sodoma fuissent, & quasi Gomorrha similes essent, propterea.

Vox Domini intercidentis flammam ignis, Ne viuos omnes illos consummeret, diuidens flammam ignis furoris sui, ijs pepercit, qui credidissent, eos verò adussit, qui in sua perstitissent incredulitate, concutiens simul desertam Gentilitatem, vt derelicta Idololatria vocem concutientis audiens, fieret populus Domini, & gens sancta fieret, quocircà dicit Psalm.

Et commouebit Dominus desertum Cades, hoc est commouebit desertum, genus Gentile, & fiet sanctitas Domini, quod sonat vox Cades, Isai. cap. 19. nu. 16. & stupebunt, & timebunt à facie commotionis Domini exercituum, & quæ sequuntur. Ideò stupebunt, quia doctrina bona dat gratiam, Prouerb. 12. nu. 8. Isai. 49. num. 6. dedi te in lucem gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ, & Act. 13. nu. 46. Vobis oportebat primum loqui verbum Dei, sed quoniam repellitis illud, & dignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes; audientes autem gentes gauisæ sunt, & glorificabant verbum Domini, quotquot erant prædestinati ad vitam æternam, num. 48.

Vox Domini concutientis desertum. Audi concutientem, Isai. dicto cap. 49. num. 8. Dedi te in fœdus populi, vt suscitares terram, & possideres hæreditates dissipatas. Et commouebit Dominus desertum, Isai. vt supra num. 9. dices, quia vincti sunt, exite, & his, qui in tenebris reuelamini, idest in lucem prodite, seù apparete: super vias pascentur, & in omnibus planis pascua eorum, proptereà sequitur.

Vox Domini præparantis ceruos, & reuelabit condensa. Cerui Prædicatores verbi Dei sunt, qui verbum Domini prædicantes, populum Gentilem iuxtà viam Domini ducentes, pascunt illum, Ierem. cap. 23. num. 4. Et suscitabo super eos pastores, & pascent eos, & Nahum cap. 1. num. 15. Ecce super montes pedes euangelizantis, & annunciantis pacem, Et reuelabit vox Domini condensa, quæ videntur obscura in lege, & mysteriorum cælestium, Ecclesi. 42. num. 19. Dauid idcircò Psalm. 33. num. 12. Venite filii, audite me, timorem Domini docebo vos: & ecce vox speculatorum tuorum, quam leuantes simul laudabunt, quia oculo ad oculum videbunt, Isai. cap. 52. num. 8. cum conuerterit Dominus Sion, & animas pauperum saluas fecerit, Psalm. 71. num. 13. & in Templo eius omnes dicent gloriam.

Aliàs cerua pepererat in agro, in campo Iudæorum, idest in Synagoga, & reliquit partum, quia non erat herba, propterea quia non venit pluuia in terram, Ierem. 44. num. 4. & 5. Rationem ponit Matth. cap. 23. num. 34. & 37. Ierusalem; quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti? ecce relinquetur vobis domus vestra deserta.

Ecce nunc quia noluistis, Ecclesia conuertit se ad gentes, nàm Dominus ibi in isto agro præparauit ceruos, Apostolos scilicet, & euangelizantes, & parientes filios, & inueniet herbam, vt pascant, & emittant rugitus, & separentur filij eorum, & pergant ad pastum, Iob. 39. num. 3. ecce quia Dominus vocauit duodecim, & cœpit eos mittere binos, Marc. 6. num. 7. & exeuntes prædicabant, vt pœnitentiam agerent, num. 12. & Luc. cap. 10. num. 2. Messis quidem multa, operarij autem pauci, & misit illos binos ante faciem suam; filij enim ceruorum

statim

ſtatim mittebant rugitus ſuos docentes, & exeuntes, prædicabant, vt pœnitentiam agerent, Marc. vt ſuprà, ecce filij earum, qui ſeparantur; poſtquam ceruæ incuruatæ ſunt ad fœtum, & pepererunt, & emittunt rugitus paſcentes. Paſcant paſtores ſuas oues; paſce oues meas, dicebat Ieſus Petro, Ioan. 21. num. 10. & 17. & aſſumpſi mihi duas virgas, vnam vocaui decorem, & alteram vocaui funiculum, & paui gregem, Zach. 11. num. 7.

Vox Domini præparantis ceruos, per quos reuelauit condenſa, & arcana ſacrarum Scripturarum, propterea in Templo Domini omnes dicunt gloriam. Cerui enim vocantur Euangelizantes, quippè qui ſerpentes tollunt, & quibus ſi mortiferum quid biberint nihil nocebit: id nanque peculiare eſt ceruorum, vt tranſeant, & calcent ſpinas, atque ſerpentes, prout hic ait Hieron. Non eſt vacua ſpes illorum, & inanis ſicut illa peccatorum, Sap. d. cap. 3. nu. 11. propterea cornua illorum plena ſunt virtute, & fortitudine in Deo, qui omnia implet bonitate, Pſalm. 103. num. 28.

Cerua cariſſima, & gratiſſimus hinnulus, vbera tua inebrient me in omni tempore, in amore tuo, vt iugiter, & ego delecter. Non deteſtor tuam diſciplinam, ſed increpationibus tuis acquieſcit cor meum, audio libenter voces docentium me, & Magiſtris inclino aurem meam, Prouerb. cap. 5. num. 12. & 19. proficiam ergo ſicut cornua cerui de virtute in virtutem, in omni tempore, etenim deſiderat anima mea ad te Domine, ſicut deſiderat cerua ad fontes aquarum, Pſalm. 41. num. 1. vt in Templo tuo cum Beatis tuis, & ego dicam gloriam tibi in excelſis Deo. Qui diluuium ſecretorum tuorum habitare feciſti in corde iuſto; qui diluuio gratiarum tuarum impleſti ſeruos tuos, Act. cap. 2. per totum, & in illis ſedebis Rex in æternum.

Dominus diluuium inhabitare facit, ideſt mundum hunc iniuriarum plenum, atque vitiorum facit Sanctos ſuos inhabitare inter tot iniuſtos, & peccatores; vt illos ad modicum tentatos dignos ſe inueniat, vtq. ijdem accipiant Regnum decoris, & diadema ſpeciei de manu ipſius, quoniam dextera ſua teget eos, & brachio ſancto ſuo defendet eos, Sap. d. cap. 5. num. 17. Impij verò ſecundum cogitationem, quam cogitauerunt, correptionem habeant; quia neglexerunt iuſtum; Sap. d. cap. 33. num. 10. Et ſedebit Rex in æternum ſuper iuſtos, iniuſtos verò perpetua pœna condemnabit: iuſtis, & electis virtutem dabit dimicandi contra mundum, & illius inſidias, & in finem eidem populo ſuo benedicens dicet, Venite benedicti Patris mei, percipite Regnum, Matth. cap. 25. num. 34.

SOLILOQVIVM.

VT igitur benedictio Dei Patris, & Filij, & Spiritus ſancti deſcendat ſuper nos, ò Apoſtoli, & omnes Sancti filij Dei afferte nos ſeruos veſtros, & fratres ante conſpectum eius, vt digni efficiamur promiſſionibus Chriſti: & dignè gloriam, & honorem etiam nos illi afferamus, & in Atrio cordis noſtri illum adoremus. Venit iam vox Domini ſuper aquas, quia in eius nomine baptizati ſumus, & ideò nos populus eius effecti. Probauit nos Dominus in aquis multis, huius mundi tribulationibus, non tamen receſſit à nobis, neque deſeruit Dominus, nàm venit vox eius in virtute, in qua confirmati ſumus, ad reſiſtendum Diabolo, & nobiſcum eſt vſque ad conſummationem ſæculi. Vox quippè

eius

eius est in magnificentia per Sacramentum Eucharistiæ, confringens Cedros nostros Libani, superbiam scilicet nostram sono vocis suæ per Sacramentum pœnitentiæ, vt dolentes, & confitentes peccata nostra liberi simus à pœna.

Orta est etiam vox Domini intercidentis flammam ignis, de latere illorum per Sacramentum Matrimonij, quos castitas non apprehenderit. Commoueatur igitur desertum hoc corpus nostrum à conscientia praua, & concutiatur, & tritturetur per vocem Domini, vt per extremam vnctionem, quam nobis reliquit in Ecclesia, peccatorum nostrorum reliquiæ submergantur, & eradicentur penitus ab anima nostra. Adhuc etiam vox Domini præparauit Ceruos, Pastores, & Prælatos, vt quorum remiserint peccata, sint illis remissa; accedat vox illorum ad ipsa elementa, & erunt Sacramenta Domini, & armatura nostra contrà Diabolum, hæc enim condensa, per Apostolos reuelata sunt nobis, vt in Templo gloriam demus Deo omnipotenti; nec in diluuio iniquitatum huius mundi inhabitare vereamur: quia nobiscum Deus per supradicta Sacramenta, inhabitat in æternum; per quæ datur populo eius virtus ad pugnandum, & ad tentationibus resistendum. Benedicat nobis populo suo Dominus in pace, vt in pace in idipsum dormientes quiescamus. Excita Domine potentiam tuam, & virtutem tuam super nos; adauge nobis fidem, adiuua incredulitatem, vt in te collecti vnum tecum efficiamur in Regno tuo.

Mitte Domine Barnabam, cuius hodie festum percolimus; ad Antiochiam, ad vehiculos cordis nostri, vt per exhortationem suam promoueantur corda nostra ad te Domine venire, vtque tecum permanere valeamus. Fiat Domine Iesu. Amen.

IN PSALMVM XXIX.

Exaltabo te Domine, quoniam suscepisti me: nec delectasti inimicos meos super me.



TITVLVS Psalmus Cantici in dedicatione Domus Dauid.

Augustinus ad præcedentem continuat hunc Psalmum: quòd in superiori Psalmo assertum Tabernaculum consummatum, vbi habitamus tempore belli in præsenti vita; in hoc verò sermo sit de dedicatione Domus, quæ in sempiterna pace permanebit in vita futura.

Summa hæc est: Dedicatio Corporis Christi facta Patri post Resurrectionem, vt vita nostra, & pax nostra sit.

Exaltabo te Domine, inquit Christus ad Patrem, quoniam suscepisti me de morte, & posuisti me ad dexteram tuam. Ecclesia verò dicit Christo. Exaltabo te Domine; quoniam carnem nostram suscepisti, nec delectasti inimicos meos super me. Iam sterilis eram, & non pariens, & vt leuaui in circuitu oculos meos; & vidi omnes gentes congregatas, quæ venerunt mihi; dixi, quis genuit mihi istos? quia ego sterilis, & non pariens, transmigrata, & captiua; & istos, quis enutriuit? ego destituta, & sola; & isti vbi erant? Non delectasti inimicos meos Diabolum, & Iudæos super me; sed leuasti manum tuam ad gentes, Isai. 49. nu. 22. & suscepisti me, vt vno populo effecto, dedicaremus domus

nostras, corpora nostra tibi, in bello existentia, exemplo capitis nostri Iesu Christi, qui in carne nostra, quam assumpsit multa patiens, & mortem, corpus suum de angustijs erectum, postquam resurrexit, dedicauit, & ad dexteram tuam collocauit: Ecclesia tua Domine iam est in via; modò fabricatur, postea dedicabitur, & tunc apparebit gloria populi tui, quæ modò latet: sæuiunt contrà illam inimici Iudæi, & Heretici, atque Infideles, facientes hæc, te Domine permittente, Iob cap. 2. num. 5. mitte manum tuam dicebat Diabolus Deo, & tange eum, nihil ergò habet Diabolus, & inimici nostri, nisi malam voluntatem, quia manus Domini ad bonum probationis habet per id instrumenti executionem. Sic Pilato dicebat Iesus, Ioan. cap. 19. nu. 11. non haberes in me potestatem, nisi tibi datum esset desuper, Augustin. Vnusquisque enim malus habet apud se voluntatem nocendi; vt autem possit nocere, non habet in potestate: Diabolo tradatur nocendi voluntas, Domino meo probandi potestas; non in exercitu, nec in robore, sed in spiritu meo, dicit Dominus exercituum, Zach. cap. 4. num. 6. ideòq. Diabolus occidit filios Iob, & tulit omnem substantiam, ipse verò Iob dixit, Dominus dedit, Dominus abstulit, sic Domino placuit, &c. non consentias tu sugestionibus Diaboli, & ipse in te nullam habebit potestatem. Adam in Paradiso consensit Mulieri, vt de Paradiso emitteretur, Iob in stercore respuit mulierem, vt ad Paradisum admitteretur, nam illa dicebat, adhùc tu permanes in simplicitate tua, Iob cap. 2. hæc Augustin. ideò inimici contrà Ecclesiam, & contrà electos non sunt delectati, nec iucundati, nisi ad modicum. Lege quæ aliàs diximus ex Sap. in cap. 5. Stabunt iusti in magna constantia aduersus eos, qui se angustiauerunt. Sed post dedicatum Templum, post Martyrum tormenta, quid dicunt tribulantes? num. 4. & seqq. Nos insensati, &c. errauimus à via veritatis, lassati sumus in via iniquitatis, & in malignitate nostra consumpti sumus. Quid nobis profuit superbia nostra, aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis? Iusti autem in perpetuum viuent, & apud Dominum est merces eorum, & ideò accipient Regnum decoris, &c. Exaltabo te Domine in corde meo, quia tu solus Altissimus in omni terra ex te ipso, Psalm. 82. num. 19. in corde meo exaltabo te, quia tu Rex meus, & Dominus meus es: te ipsum solum quæro, te volo, exaltare super Cælos Deus, & in omnem terram gloria tua, Psalm. 56. num. 6. & num. 12.

Exaltabo te Domine, quoniam suscepisti me, & factus es fortitudo mihi pauperi, & egeno in tribulatione mea, Isai. cap. 45. num. 4. quia non delectasti inimicos meos super me, nec lætificasti illos. Dicebant inimici mei Iudæi: Nunc si Filius Dei est, descendat de Cruce, & deludebant me, Matth. cap. 27. num. 40. sed, & Diabolus, & Iudæi confusi discesserunt, postquam me à mortuis resurrexisse viderunt, læti sunt aduersum me, & conuenerunt, Psalm. 34. num. 15. sed breuis eorum lætitia; nàm Deus respiciens, restituit animam meam à malignitate eorum, à leonibus vnicam meam, num. 17. Præpositus mortis doluit victam mortem, dicit Augustin. Enarrat. 2. Ero mors tua ò mors; morsus tuus ero inferne, Ose. 13. num. 14. confusus Diabolus, ad Hebr. cap. 2. num. 53. quia per mortem destructus est, qui habebat mortis imperium, idest Diabolus, & liberauit Dominus eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxij erant seruituti, quem enim in expositione praua proiectum deriserunt, in finem euentus mirati sunt, Sap. cap. 11. num. 16.

Quo-

Quoniam suscepisti me. Et quomodò illum suscepit Deus, nisi quia se humiliauit filius, homo factus? Nec delectasti inimicos meos super me, immo gens & Regnum, quod non seruierit mihi peribit, propterea portæ meæ iugiter apertæ sunt, nec die, ac nocte claudentur, vt fortitudo gentium afferatur mihi; & Reges earum, adducantur, Isai.cap.60.nu.11. Et venient curui ad me filij eorum, qui humiliauerunt me, & adorabunt vestigia pedum meorum omnes, ibidem num.14.

Nec delectasti inimicos meos super me, quoniam suscepisti me. Protexisti me à conuentu malignantium, à multitudine operantium iniquitatem, Psal.63. num.3. Iudæi inimici fidem in Christum, quam gentes habebant, extinguere, & in totum tollere procurabant, totus mundus vadit post eum, inquiunt, Ioan. cap.12.num.19. quid facimus, quia hic homo multa signa facit, si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, Ioan.cap.11.num.47.

Nec delectasti inimicos meos super me. Non delectasti inimicos meos, ministros Diaboli super me; ad hoc enim venerat Iesus, vt morte sua saluum faceret populum suum, ipsi verò cæci, & ignorantes, Dæmonum scilicet ministri instant, vt moriatur. Vos nescitis quidquam aiebat eorum Pontifex Caiphas; quia expedit, vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat; & ab illa die cogitauerunt, vt interficerent eum, Ioan. d.cap. 11.num.50.& seqq. Confusus remansit Diabolus: confusi, & Iudæi illius ministri. Exaltetur manus tua, & non videant, dicebat Isai.c.26. nu. 11. videant, & confundantur zelantes; idest inuidentes Populi saluti gentium, & ignis hostes tuos deuoret.

Exaltabo te Domine, quoniam suscepisti me, quando in mundum veni, me lapidem in fundamentum domus meæ tibi obtuli, itemq. lapis factus sum in caput anguli, & domus tota constructa, tibi Deo Patri dicata est, & sedeo ad dexteram tuam. Exaltabo te Domine, quòd cum me fundamentum domus meæ reprobantes tollere non potuerint; profectò multò minùs regnante me in Cælo domum benè fundatam, destruere nequibunt Ministri Diaboli hæretici. Superædificati iàm sunt Ciues Sanctorum super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum, in me summo angulari lapide, in quo omnis ædificatio constructa crescit, in Templum sanctum, in Domino, ad Ephes. cap. 2. num. 2. & seqq. in quo, & electi coædificantur in Tabernaculum Dei in spiritu, nu.22.& 1.Petr. cap.2.num.6. super me inquit, quia quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis, qui enim tetigerit vos, tanget pupillam oculi mei, Zach. cap.2. nu. 8. Matth. cap. 25. num.8.

Nec delectasti inimicos meos super me, neque super Ecclesiam, contrà quam portæ inferi non præualebunt, Matth.cap.16.num.18. Nouit Dominus de tentatione pios eripere: iniquos verò in die Iudicij reseruat cruciandos, 2.Petr.cap.2. nu.8. multum enim valere Domino soli supererat semper, & virtuti brachij sui quis resistet? Sap.cap.11.num.22.

Domine Deus clamaui ad te, & sanasti me. Et ipse sanatus est, cuius liuore nos sanati sumus, Isai. cap. 53. num.5. Quis enim est sanatus nisi tu ò peccator; propter cuius salutem ipse vulneratus est; obduxit cicatricem tibi, & vulneribus suis sanauit te, Ierem.cap.30.num.17. Clamauit autem orans ante Passionem, & in Cruce, Augustin. Quem sanauit, qui nunquam ægrotauit? Verbum Deum? Verbum Diuinitatem? Non; sed mortem carnis portabat, sanaturus te de vulnere

suo,

tuo, sanata est autem caro, quando resurrexit; Audi Apostolum, Vide veram sanitatem, 1. Corinth. 15. n. 54. Absorpta est mors in victoria, Vbi est mors aculeus tuus? Vbi est mors contentio tua? Ergo exaltatio illa nostra tunc erit vocis, Christi modò est exaltatio, hæc Augustin.

Misit Deus verbum suum, & sanauit eos, & eripuit de in interitionibus suis, Psalm. 100. num. 20. per sapientiam sanati sumus, idest per Iesum Christum quicunque placuerunt tibi Domine à principio, Sap. 9. nu. 19. Tu enim es Domine, qui vitæ, & mortis habes potestatem, & deducis ad portas mortis, & reducis: tuus est enim sermo, qui sanat omnia, Sap. 16. nu. 13. Cum angustiaretur in me anima mea, Domini recordatus sum, vt veniat ad te oratio mea ad Templum sanctum tuum, & subleuaui de corruptione animam meam, Ioan. 2. nu. 7. & 8. & 3. Clamaui de tribulatione mea ad Dominum, & exaudiuit me, de Ventre inferi clamaui, & exaudisti vocem meam, proiecisti me in profundum; Veruntamen rursus videbo Templum sanctum tuum.

Domine eduxisti ab inferno animam meam, saluasti me à descentibus in lacum, Psalm. 39. nu. 3. & eduxit me de lacu miseriæ, & de luto fæcis, Act. cap. 2. num. 24. & 27. quem Deus suscitauit solutis doloribus inferni, iuxtà quod impossibile erat teneri illum ab eo, Psalm. 15. nu. 8. Prouidebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi ne commouear, &c. quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.

Saluum me fecit, ait, & pia anima, à descendentibus in lacum, à lacu miseriæ huius mundi, & occasione peccandi. Ne essem similis descendentibus in lacum saluauit me, Psalm. 142. num. 7. de lacu isto infimo inuocaui te Dominum in Cruce pendentem, & tu exaudisti me, Ierem. Thren. cap. 3. num. 55. Augustin. Qui sunt, qui descendunt in lacum? omnes peccatores mergentes in profundum. Lacus est profunditas sæculi. Quæ est ista profunditas sæculi? abundantia luxuriæ, & nequitiæ; qui ergo in libidinibus se immergunt, in terrenis descendunt in lacum: Tales Christum persecuti sunt, Augustin.

Facit quod dicitur Sap. d. cap. 10. num. 13. Hæc, idest sapientia, filius scilicet Dei verbum, iustum non dereliquit, sed à peccatoribus liberauit eum, & in Vinculis non dereliquit eum, descenditq. cum illo in foueam.

Psallite Domino Sancti eius; & confitemini memoriæ sanctitatis eius. Confitentur, quia Dominus Iesus, memor fuit nostri ad saluandum nos, qui promiserat se venturum in mundum, carnem nostram assumpturum, vt sanguine suo nos redimeret, vt per Isai. cap. 4. num. 2. In die illa erit germen Domini in magnificentia, & gloria, & fructus terræ sublimis; & idem Isai. cap. 51. num. 4. propè est iustus meus, egressus est Saluator meus, Ezech. cap. 34. num. 23. & suscitabo super eos Pastorem vnum, qui pascet eos, idem cap. 37. num. 24. & Pastor vnus erit omnium, Exod. cap. 23. nu. 20. Ego mittam Angelum meum, qui præcedat te, &c. obserua eum, quia est nomen meum in illo; propè est, vt tempus eius veniat, & dies eius non elongabuntur, Isai. 14. in princ. idem dicit Agg. cap. 2. nu. 7. & 8. & nos latius de isto Aduentu Domini locuti sumus in Tract. contrà Hebræos.

Confitemini ergo, quia Dominus memor fuit nostri, confitemini aduentum eius; nàm qui non confitetur Iesum Christum venisse in carnem, hic est seductor,

& Antichristus, 2. Ioan. 2. num. 7. qui confitetur in ore suo, & in corde suo Dominum Iesum Christum, & crediderit, quòd Dominus illum suscitauit à mortuis, saluus erit, ad Roman. 10. nu. 3. propè ergo est in ore tuo verbum, & in corde tuo, hoc est verbum fidei, quod prædicamus, inquit Apostolus, dicto cap. 10. num. 7.

Post dictam confessionem Domino psallamus, operantes bonum, vt illi placeamus: nàm aliàs si manifestum sermonem non dederimus, sicut cæteris, qui animam non habent, assimilabimur; Tibia enim, & Cithara nisi per digitorum distinctionem sonitum dederint, quomodò scietur quod canitur, 2. Corinth. cap. 14. num. 7. Orabo spiritu, orabo, & mente, psallam spiritu, psallam mente, ibidem num. 15. Spiritu ergo Domino psallamus; Spiritu confiteamur illum esse filium Dei, qui pro nobis mortuus, & resurrexit, Vox gaudij, Vox lætitiæ, Vox Sponsi, & Vox Sponsæ, Vox dicentium confitemini Domino exercituum, quoniam bonus Dominus, quoniam in æternum misericordia eius, Ierem. cap. 30. num. 11. Psalm. 105. num. 1. Non recedat memoria eius, & nomen eius requiretur à generatione in generationem, Eccles. cap. 39. num. 13. & 20. date nomini eius magnificentiam, & confitemini illi in voce labiorum vestrorum, & in Canticis labiorum, & Citharis, & dicetis in confessione, opera Domini vniuersa bona valdè: Opera omnis carnis coram illo, & non est quidquam absconditum ab oculis eius, & nunc in omni ore, & corde collaudate, & benedicite nomen Domini, ibidem num. 41.

Psallite Domino Sancti eius, nàm omnia Sanctis in bona ab initio creata sunt, & impijs, & peccatoribus in mala conuertentur, Eccles. 39. nu. 32. Psallite Domino Sancti eius, quia resurrexit Dominus, & nos resurgemur, nec amplius moriemur; Caput nostrum Christus surrexit, & nos membra eius resurgemus, ad Roman. cap. 6. num. 5. & seqq. & num. 8.

Nec amplius obliuiscamur beneficiorum Dei, quia nec ipse Deus oblitus est nostri, ideò confitemini memoriæ sanctitatis eius; Bernard. in Serm. de Annunciatione; in Tympano, & Choro psallendum est, vt ipsa mortificatio carnis suæ, ac pœnitentiæ, & iustitiæ opera in veritate, & concordia sint. Quæ dixi, dicit Dauid, scilicet ideò dixi, vt vos salui sitis, ità etiam dixit Iesus, vt per Ioan. cap. 5. nu. 34. Nàm Deus vult omnes homines saluos fieri, 1. ad Roman. cap. 2. num. 4. & ad agnitionem veritatis venire, vt effugiatis iram indignationis Domini.

Quoniam ira in indignatione eius, & vita in voluntate eius. Tibi apposita est Mors, & Vita; Mors, & Vita in manu linguæ, Prouerb. cap. 18. nu. 21. dedit vobis Dominus viam vitæ, & viam mortis, Ierem. cap. 21. nu. 8. Christus pro nobis mortuus est, nunc iustificati in sanguine ipsius salui erimus ab ira per ipsum: ad Roman. cap. 5. nu. 9. & 28. regnauit peccatum in mortem, nunc autem regnat gratia per iustitiam in vitam æternam per Iesum Christum Dominum nostrum, ibidem Paul. num. 20.

Vis iram Domini fugere, & eius indignationem? Attende tibi, & doctrinæ, scilicet Ecclesiæ, & insta in illis, hoc enim faciens, & te ipsum saluum facies, & eos qui te audierint, ad Timoth. 1. cap. 4. nu. 16. Ambula in vijs Domini, quia iter deuium ducit ad mortem; hæc est ira, & indignatio Domini, non quod tecum re ipsâ iratus sit, cum in Deo non sint humani motus, & cum desideret te saluum

saluum fore; At ideò ira, quia condemnans reum, facit contrà naturalem suam voluntatem, quæ est, vt saluus quisque fieret. Cæterum quia, & iustus est, pœna sequitur delictum, Sap.14.nu.31. non enim iuratorum virtus, sed peccantium pœna perambulat semper iniustorum præuaricationem. In semita iustitiæ ambula, in qua est vita, ambula in vijs Domini, in cuius voluntate est vita, quia ipse est Via, Veritas, & Vita, Ioan.cap.11.num.25.& cap.6.num.40.

Ira indignationis Dei prouenit à te, ò peccator, Ierem.17.nu.4. quoniam tu ignem succendisti in furore meo, vsque in æternum ardebit, pœnitentiam agas de peccato, & parcet tibi Dominus, Ierem.18.nu.11. Ego fingo contrà vos malum, & cogito contrà vos cogitationem, reuertatur vnusquisque à via sua mala, & dirigite vias vestras, & studia vestra. Videns Iesus vestra opera, quia conuersi estis de via vestra mala, miserebitur vestri, & non faciet malum, quod dixit Ioan.3.num.10. immo audi vlterius, quid dicat Deus, Ierem.dicto cap.18.nu.8. Si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo, quod locutus sum aduersus eam, agam, & ego pœnitentiam super malo, quod cogitaui, vt facerem ei, & subito loquar de gente, & de Regno, vt ædificem, & plantem illud.

Ergo in voluntate eius, quia vult vitam tuam, & ad hoc te creauit, Sap.2. num.23. quoniam Deus creauit hominem inexterminabilem, & ad imaginem, & similitudinem suam fecit illum, inuidia autem diaboli mors introiuit in orbem terrarum, imitantur autem illum, qui sunt ex parte illius. Mors ergo, & pœna à diabolo; Vita verò à Deo, qui cum magna tranquillitate iudicat, & cum magna reuerentia disponit nos, Sap.cap.12.num.18.& propterea iudicans dat locum pœnitentiæ, ibidem num.10.& 20. per quæ possint mutari à malitia; non te ergo superet ira, vt aliquem opprimas; ne, & in iram indignationis Dei, & tu incidas, Iob cap.36.nu.18. Itaquè non est in Deo ira, sed iusta vindicta.

Ira in indignatione: cum Adam, & Eua eiecti de Paradiso mortui sunt, sed non sine spe, quia vita in voluntate eius, Quid est in voluntate eius, inquit Augustin. non in meritis nostris, non in viribus nostris saluos nos fecit, non quia digni eramus; quo enim est peccator dignus nisi supplicio?

Ad vesperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia. Psallite ergo Domino sancti eius, operantes bonum, & orantes, dum in hoc tenebroso Tabernaculo mundi existitis; flentes infirmitatem vestram, Tob. cap.12. num.12. Quando orabas cum lacrymis, & sepeliebas mortuos, &c. ego obtuli orationem tuam Domino. Cibat nos Dominus pane lacrymarum, Psalm.79.nu.6. ideò potum nostrum cum fletu miscebam, Psalm.101.nu.10. & audit Dominus orationes nostras cum planctu, Isai.cap.38.nu.5. audiui orationem tuam, & vidi lacrymas tuas.

Ad vesperum fletus demoretur. Scindentes corda nostra, conuersi ad Dominum in ieiunio, fletu, & planctu, quia dedit nobis filijs Ecclesiæ suæ sanctæ doctorem iustitiæ, qui descendere faciet ad nos imbrem matutinũ, & serotinum, Ioel 2.nu.12.& 23. exultate, & lætamini in Domino Deo nostro, ibidem nu.23. euntes, & flentes mittamus semina nostra, Psalm.125.nu.7. quia si ad vesperum fletus, ad matutinũ erit lætitia. Propterea ad vesperum Doctor noster Iesus Christus crucifixus, & de mane surrexit à mortuis, vt, & nos de tenebroso mundo ereptos, illùc nos perducat, vbi ipse est vera lux, in cælestem patriam quæ non

eget Sole,& in qua nec occidit vltrà Sol,& Luna non minuitur,quia ibi erit nobis Dominus in lucem sempiternam,& complebuntur dies luctus nostri, Isai.6. num.20. Apocalypſ.cap.21.num.23. Ciuitas illa non eget Sole, neque Luna, vt luceat in ea; nàm claritas Dei illuminat eam,& lucerna est Agnus; nox non erit illic,S.Gregor.in homil.9. super Ezechiel. Quid fratres agendum est miseris nobis, nisi vt vigilemus, & mala, quæ egisse meminimus, fletibus puniamus, vel per lamenta pœnitentiæ perueniamus ad terminum vitæ; ne si affligi pœnitendo nolumus,postmodum sine fine sentiamus: & Bernard. in Serm. de Vigilia Sancti Andreæ: est autem vniuersum præsentis pœnitentiæ tempus,vigilia quædam solemnitatis; magni, & æterni Sabbati, quod præstolamur. Nec causaberis Vigiliam longiorem, si æternitatem festiuitatis attendas.

Qui seminant in lacrymis, in exultatione metent, dicto Psalm.125.num.6. Diù eris in fletu, ò Genus humanum,dicit Augustin. quia ex Adam omnes nascimur: qui propter peccatum abscondit se à Deo, qui ambulabat in Paradiso ad vesperam, Genes.cap.3.num.8. ad vesperam fletus fuit, & ad matutinum lætitia, quando cœpit oriri lux fidelibus, quæ occiderat peccatoribus,nàm ideò,& Dominus Iesus Christus in matutino surrexit de sepulchro, vt quod dedicauit in fundamento, hoc promitteret domui, hæc Augustin.

Quid dixisti ò Adam? cui Deus in voluntate sua præstitit decori tuo virtutem, nàm in Paradiso eras, omnibus in lætitia fruebaris, atque Dei gloria,& dicere poteras:

Ego in abundantia mea, non mouebor in æternum. Si tua erat abundantia bonorum, quomodò à fruitione illorum eiectus es, vt in sudore vultus tui vescereris pane tuo? Genes.cap.3.nu.18. Terra, quæ tibi fructus suaues, & gloriam producebat, nunc spinas, & tribulos germinat tibi, & successoribus tuis: quamobrem dicas potius, in abundantia ærumnarum vitam duco,& in puluerem reuertar; Non ergo ex te erat decor tuus, & virtus tua, sed ex voluntate Dei, idest hæc tibi tradita erant; si præceptis illius obediuisses. Comedisti, & perijsti, quia peccasti, nunc tamen viuis, quia vita tua Christus fuit, in quo tu viuis, quia ipse in te viuit, ad Hebr.cap.2.num.14. quia pueri communicauerunt sanguini, & carni, & ipse similiter participauit eisdem, vt per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium, idest diabolum, & liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxij erant seruituti, hæc Paul.

Vel dicamus, hæc in persona Christi Dauidem dixisse. Quid dicis ò diabolo? omnia regna mundi tibi dabo, si cadens adoraueris me; dic, vt lapides isti panes fiant, Matth.cap.4.nu.4. cum seq. si filius Dei est,descendat de Cruce dixere, & Iudæi ministri tui, Matth.cap.27.num.42. Ego dixi, inquit Iesus, in abundantia mea, quia mea sunt omnia, & vita, & mors; nàm de sursum veni, & super omnes sum, & omnia dedit Pater in manu mea, Ioan.cap.3.num.31. & 34. & vitam habeo in memetipso, Ioan.cap.5.num.25. In abundantia potestatis meæ non mouebor à decreto meo in æternum, idest, dum vitam agam in mundo; ad id quippè veni, vt morte mea, genus humanum à morte liberarem, 2.Timoth.cap.1.nu.9. & seq. qui liberauit nos, & vocauit nos vocatione sua sancta, non secundum opera nostra, &c. qui destruxit quidem mortem, illuminauit autem vitam, & in incorruptionem per Euangelium, ideò debuit fratribus assimilari carnem suscipiendo, vt misericors esset, & fidelis Pontifex ad

Deum, vt repropitiaret delicta populi. In eo enim, in quo passus est ipse, & tentatus, potens est eis, qui tentantur auxiliari, ad Hebr. dicto cap. 2. num. 17. & 18. Quid me tentas Diabolo? Possum, & omnia mala tua euitare, & te destruere; possem è Cruce surgere, & non mori, quia Vita, & Mors in manu mea; non mouebor in æternum, quia populum meum saluum facere volo, & humilitate mea te superbum Diabolum destruere morte mea.

Audeat fortasse, & vilis homo terrenis abundans opibus. Et hæc dicere, ego autem in abundantia mea dixi, non mouebor in æternum? diues es tu? & quomodò abundans es; si semper eges? quantò enim plus habent diuites, tantò plus egent, plus desiderijs vastantur, cupiditatibus dissipantur, timoribus cruciantur, tristitia contabescunt, hæc Augustin. Diuites eguerunt, & esurierunt; inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono, Psalm. 33. num. 11. saturitas diuitis non sinit eum dormire, Ecclesi.cap. 5. num. 11.

Vera abundantia est in Christo Iesu, quia gratia Dei erat in illius humanitate, cuius vultum intuentes facillimè poterant diligere, & formidare, ex cuius corporis decore, virtus exibat ad sanandos omnes, iuxtà Vaticinium Isai. 35. nu. 5. Luc. 7. nu. 22. Splendor eius vt lux est, Habac. 3. nu. 4. quia Deus, & homo erat vnus Christus, qui passus, & mortuus, quia voluit, nec in abundantia suæ potestatis redemptionem sui populi relinquere voluit, quamuis ità acris, & acerba fuerit pœna in corpore suo, à Iudæis illata, vt propterea Dauidi visum sit, Deum Patrem ab illo faciem suam auertisse.

Auertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus: propter quod, & ipse Iesus dicebat in Cruce, Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me? Matth. cap. 27. nu. 46. Marc. 15. n. 34. Et in horto anteà orauerat item ad Deum Patrem; Ad te Domine clamabo, & ad Deum meum deprecabor, dicens; si fieri potest, vt calix iste transeat à me, Matth. 26. nu. 39. Veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu; quia ego in abundantia mea non mouebor in æternum. Sicut Pater suscitat mortuos, & viuificat, sic, & filius hominis, quos vult viuificat, Ioan. 5. nu. 21. & si Iesus Christus suscitat alios, benè poterat, & se ipsum liberando ab inimicorum insidijs, illos destruere, & ad nihilum deducere. Facit quod dixit Deus per Isai. 66. num. 9. nunquid ego, qui alios parere facio, ipse non pariam, dicit Dominus? si ego qui generationem alijs tribuo, sterilis ero, ait Dominus Deus tuus? Et nihilominus non mouebor in æternum ab eo, quod in Sacro Dei Patris Concistorio statutum est, ante creationem mundi ab æterno, ad Rom. 16. num. 25. Ibi secundum reuelationem mysterij temporibus æternis taciti; quod nunc patefactum est per scripturas Prophetarum secundum præceptum æterni Dei, &c. & ad Hebr. cap. 9. num. 12. æterna redemptione inuenta.

Auertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus: quomodò factus es conturbatus Domine, qui prius dixisti, non mouebor in æternum? Non est turbatus, qui mortis habet imperium, qui sponte obtulit se in holocaustum pro populo suo, qui sua voluntate exhibuit se Patri. Propter te ò peccator turbatus, qui permanes in peccato, Propter te ò hæretice, qui fonte Baptismatis ablutus in Ecclesiam Dei mendacibus verbis, & dentibus eam laceras; Propter te ò Iudæa Gens; quia propter te venit, vt saluaret te, & renuisti; vobis enim oportebat prius loqui verbum Dei, sed illud repellitis, & iudicatis vos indignos vitæ æternæ, ecce conuertimini ad Gentes; Act. cap. 13. num. 46. Turbatus ergo

 Iesus,

Iesus, quia illos passio sua non iuuabat: turbauit semetipsum Iesus, & infremuit spiritu, & lachrymatus est; nàm Lazarus iàm mortuus in monumento fœtet; iàm quatriduanus est, Ioan. cap. 11. num. 33. non sum missus, nisi ad oues, quæ perierunt domus Israel, Matth. cap. 15. num. 24. At illi tenuerunt eum, & flagellis cæsum occiderunt, tradentes Pontio Pilato. Turbatus, quando videns Ciuitatem fleuit super illam, Luc. cap. 19. num. 41. dicens quia venient dies in te, & circundabunt te, & coangustabunt te vndiquè, & ad terram prosternent te, & filios tuos, qui in te sunt, & non relinquent in te lapidem super lapidem, eo quod non cognoueris tempus visitationis tuæ.

Ideò ad te Domine clamabo, dicit in eius persona Propheta, tunc scilicet, quando in manibus Iudæorum flagellabor, & ad te Deum meum deprecabor, vt parcas illis, quia nesciunt, quid faciunt, Ioan. cap. 23. nu. 34. vt quos dedisti mihi non perdam, Ioan. cap. 17. num. 17. perdam illos, si non à mortuis resurrexero: nàm audisti Domine, quid dicebant Apostoli, qui erant tristes, Sperabamus dicebant, & iàm tertia dies est, Luc. cap. 24. nu. 21. si enim caro mea non resurget.

Quæ vtilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem? si, & quos dedisti mihi, non credent: Iudæi enim iàm non credunt, immo latus meum vulnerauerunt; immo pecunias militibus dederunt, vt dicerent, quod illis dormientibus venerunt Discipuli mei, & sustulerunt corpus meum, Matth. 28. nu. 11.

Nunquid confitebitur tibi puluis, aut annunciabit veritatem tuam? A mortuo quasi nihil perit confessio, Eccles. cap. 17. num. 26. Gloriam meam dederunt inimici in puluerem, Psalm. 7. num. 6. Si in puluerem mortis deduxeris corpus meum, Psalm. 21. num. 16. nunquid confitebitur tibi puluis, educ de custodia, Domine animam meam, ad confitendum nomini tuo: me expectant iusti, &c. Psalm. 141. num. 8. Vt autem alicui annunciem mirabilia tua, laudes tuas, vitam æternam, resurgat caro mea, non eat in corruptionem, quæ enim si abiero in puluerem vtilitas in sanguine meo?

Nunquid confitebitur tibi puluis, aut annunciabit veritatem tuam, August. Confessio gemina est, aut peccati, aut laudis: quando nobis malè est, in tribulationibus confiteamur peccata nostra, Eccles. cap. 4. num. 31. non confundaris confiteri peccata tua, & dicto cap. 17. nu. 26. non demoreris in errore impiorum; ante mortem confitere. Facit Isai. cap. 26. nu. 16. Domine in angustia requisierunt te, in tribulatione murmuris doctrina tua eis; dolens enim clamat in doloribus, quando verò nobis benè est, in exultatione, & iustitia confiteamur laudem Deo, sine confessione tamen non simus, hæc Augustin.

Audiuit Dominus, & misertus est mei; Quia Dominus Pater exurgere me fecit à mortuis; Dominus factus est adiutor meus; nàm.

Conuertisti planctum meum in gaudium mihi, conscidisti saccum meum, & accinxisti me lætitia. Ex planctu gaudium ortum est, quod dedit Dominus ipsi ex vulneribus in corpore illatis, corpus gloriosum factum est, & lætitia circundatum, & quod in capite Christo, etiam in electis suis dispositum est; nàm illos non tanget tormentum mortis, quia animæ illorum in manu Dei sunt, dabit enim illis fidei donum electum, & sors in Templo acceptissima, & fructum gloriosum bonorum laborum eorum, Sap. cap. 3. num. 14. & 15. & inter filios Dei reputabuntur, Sap. cap. 5. num. 5.

Sac-

Saccum inquit corpus suum; quia omnium delicta in illo portauit, & ità propter scelus populi à Iudæis percussus est, & vulneratus, vt nec species, neque decor illi esset, Isai. cap. 53. per totum, Saccus percussus est, Agg. cap. 1. num. 6. ità vt à planta pedis, vsque ad verticem Capitis non esset in illo sanitas; Circundedit me, lanceis suis conuulnerauit lumbos meos, concidit me vulnere super vulnus; Iob cap. 16. num. 14. & 15. & delicta nostra per illa vulnera, per saccum pertusum abierunt.

Conscidisti saccum meum, sed circundedisti me lætitia. Quia salus per i. sum, facta est populo suo: saccum solum de numero nostro Dominus habebat, assumpsit saccum mortalitatis pro nobis, qui meritum mortis non habebat, Augustin. super Psalm. 34. num. 13. Ego autem cum mihi molesti essent, induebam me cilicio. Quid est hoc, induebam me cilicio? hoc opponebam persecutoribus, quod habeo de cilicio, vt hominem illi putarent. Abscondit se ab oculis persequentium, quia indigni erant persecutores, qui viderent indutum cilicio, hæc Augustin.

Conscidisti Domine saccum meum, & circundedisti me lætitia, quia libenter passus sum, & omnium iniquitates ipse in corpore meo posui, quia dilexi fratres, quos dedisti, & animam meam pro illorum salute posui; propterea, & membra mea Sancti, scilicet mei, ibant gaudentes à conspectu concilij, quia digni habiti sunt pro nomine meo contumeliam, & mortem pati; quia, & ego gaudens veni in mundum, vt, & illos sanguine meo redimerem.

Conscidisti saccum meum Domine, sed tamen circundedisti lætitia, quia libenter mortem suscepi, vt, & illi essent mecum, & ego cum illis in Paradiso; tui enim sunt Domine sancte Pater, propterea non compungar, vt cantem gloriam tuam. Ideò Dominus meus in æternum confitebor tibi, quia per te salus iustorum facta est mihi; quia ego in illis, & ipsi in me, Ioan. dicto cap. 17. num. 21. Virga tua, & baculus tuus ipsa me consolata sunt, Psalm. 22. num. 5. ideò non compungar, quia parasti in conspectu meo mensam aduersus eos, qui me persequuntur.

SOLILOQVIVM.

PERDITVS eram Domine Iesu, & tu suscepisti me, ego verò in corde meo exaltabo te; nec inimici mei propterea præualuerunt aduersum me, quia ad te clamans sanus factus sum, vt nec infernus deglutiret me, cum descendentibus in lacum: psallite Sancti Domino, quia memor fuit mei Dominus Iesus, non enim in ira, & pœna, sed vita nostra in voluntate eius.

Ad vesperam in hoc mundo fletus, & tribulatio, vt ad matutinum nobis sit lætitia. Præualeat gratiarum abundantia, vt non mouear in æternum, propter persecutiones, & mundana gaudia, non ex meis viribus, quia ex me insufficiens sum: sed quia ex tua benignitate præstitisti decori meo resistendo virtutem. Igne me examinasti quasi auertens faciem tuam à me, & si turbatus, ad te Domine tamen clamaui, & deprecatus sum. Enimuerò quæ vtilitas mihi, quòd sanguinem tuum pro me fudisti, si descendam in peccatorum corruptionem? Sanè haud puluis confitebitur tibi. Si cum peccatis in puluerem redactus mortuus fuero, in infernum detrusus ero; certum est autem, quòd ij, qui sunt in

inferno,

inferno, non confitebuntur tibi, neque narrabunt in mundo veritatem tuam: Audi me Domine, & miserere mei, adiutor sis meus: Conuertas in gaudium planctum mihi. Iam saccus corporis mei plenus est rimarum, conscidisti tu Domine illum: sed in lætitia, nàm lætus passus sum, quia tu circundedisti me lætitia; ideò non compungar, dummodò sciant omnes, & cantent, quia hæc est gloria tua, non virtus mea Domine Deus. In sæcula confitebor, quia tu es Redemptor meus, & Deus meus; qui Præcursorem tuum Ioannem, cuius hodiè festum percolimus, ob id misisti, vt nobis testimonium perhiberet de lumine: vt omnes in te filium Dei crederemus. Illius vox non sit iàm clamantis in deserto, sed in corde meo, & vias meas dirigens dicam animæ meæ, Ecce Agnus Dei, ecce, qui abstulit peccata tua, dignè ambula per semitas eius, vt ipsius sanguis custodiat te in vitam æternam. Adhæreant Domine Iesu corpus, & sanguis tuus visceribus meis, ità vt in illis non remaneat vlla scelerum macula. Fiat Domine Iesu, vt ex Resurrectione tua læti leuemur in Cælum, ad Sanctorum eorum societatem Patrum, propter quos non es dedignatus descendere in infernum. Amen.

IN PSALMVM XXX.

In te Domine speraui, non confundar in æternum: in iustitia tua libera me.



TITVLVS Psalmi: In finem Psalmus Dauid pro extasi. In finem quid sit aliàs demonstrauimus, ad Rom. 10. num. 4. finis enim legis, Christus ad iustitiam omni credenti; finis autem non consummens, sed perficiens; perfecit enim eam, per quam venerat in mundum redemptionem Gentis, resurgendo à mortuis: incepit illam per Aduentum, perfecit verò per Resurrectionem suam sanctã.

Extasis verò est mentis excessus ex intentione ad superna; Diuina enim reuelatio aliquando rapit mentem ad arcanum aliquod intuendum, prout omnes Sancti habuerunt, quibus arcana Dei reuelata sunt, Mundum istum excedentia, de qua 2. Corinth. cap. 5. num. 13. & Act. Apost. cap. 11. num. 5. & cap. 22. nu. 18. Psalm. 62. num. 28. vel ex pauore, & timore pro vt hìc; num. 23. Ego autem dixi in excessu mentis meæ, proiectus sum à facie oculorum tuorum, &c. & Psal. 115. num. 11. Ego dixi in excessu meo: omnis homo mendax: propterea cor tuum meditabitur timorem, Isai. 33. num. 18. inquit, & idem Isai. cap. 8. num. 19. Dominum exercituum sanctificate, ipse pauor vester, & ipse terror vester.

Continuatur ad præcedentem Psalmum; suprà in proximo Psalmo dictum est, de domo iàm in Cælis ædificata per Resurrectionem Iesu Christi, qui sedens ad dexteram Patris se ipsum illi obtulit; Verùm quia ad dictam domum, idest ad Cælum non peruenitur nisi per multos labores, & cruces, ideò Ecclesia hìc in extasi considerans tribulationes, & persecutiones futuras petit auxilium à Deo, vt ab illis eruatur.

Summa hæc est. Spes in Deo, qui liberabit Ecclesiam suam à Persecutoribus.

Incipit ergo Psalm. In te Domine speraui, non confundar in æternum, in iustitia tua libera me. Quis loquatur Iesus Christus, an Ecclesia parum scire refert;

nàm

nàm cum Iesus sit caput Ecclesiæ suæ, nosq. membra illius, vnum corpus, & caput erit Christus, 1. Corinth. cap. 12. num. 12. sicut enim corpus vnum est, & membra habet multa, omnia autem membra corporis cùm sint multa, vnum tamen corpus sunt, ità, & Christus; nàm quamuis nos multa membra simus in Christo, vnum tamen corpus, Christus scilicet, & nos membra eius: loquitur enim de fidelibus, vt patet ibi nu. 27. Vos autem estis corpus Christi, & membra de membro, & ideò ad Ephes. 5. nu. 30. quia membra sumus corporis eius, de carne eius, & de ossibus eius, &c. & erunt duo in carne vna, nu. 32. Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, & in Ecclesia, Augustin. inquit, Vis vnitatem corporis videre, atque personæ? lege Isai. cap. 61. num. 11. vbi Christus sic loquitur. Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima in Deo meo, qui induit me vestimentis salutis, & indumento iustitiæ circundedit me, quasi sponsum decoratum corona, & quasi sponsam ornatam monilibus suis. Quare se sponsum, se sponsam, nisi quia duo in carne vna, cur non duo in voce vna? hæc Augustin. Loquatur ergo Christus, quia in Christo loquitur Ecclesia, & in Ecclesia loquitur Christus, & corpus in capite, & caput in corpore; si ergo Christus loquatur, vel Ecclesia loquatur idem est; quod tamen ipsius Ecclesiæ fuerit extasis, de qua infra, verosimile est; nàm multa sunt in hoc Psalmo verba, quæ Christo difficilè adaptari posse videntur.

In te Domine speraui. Quod est loquelæ tuæ principium? quid habes tribulationis ò Ecclesia? ò Christi fideles omnes, qui vnum corpus estis cum Christo? Quia in excessu mentis meæ vidi, quòd proiectus sum à facie oculorum Dei; quia Hæretici, & infideles Iudæi absconderunt laqueum mihi, & quamuis Domine ostenderis mihi, quia in manibus tuis inimicos concludes, & pedes Euangelizantium dilatabis, nihilominus, quia inimicis opprobrium factus sum, & animam meam consiliati sunt, vt eripiant.

Propterea me ab oculis tuis proiectum, in excessu mentis meæ dicebam; non præualeant mihi inimici mei, quoniam in te speraui Domine, non confundar in æternum. Sit pauor in mente mea: sit inimicorum multitudo contrà me, non confundar in æternum: non recedat à me diuina consolatio, quamuis sit in mente mea conturbatio; paueo, sed spero; Christus loquitur, quamuis quædam in hoc Psalmo congruè Christo adaptari minimè posse videantur, loquitur tamen Christus, quia in membris Christi Christus, Augustin. Domine sine te nihil, totum in te erit, sine nobis potes totum, nos nihil sine teipso. Ergo in quacunque extasi loquatur Psalmus, siuè in pauore, siuè in intentione ad superna, dicimus in Christi corpore positi, dicamus omnes, quasi vnus, quia omnes vnitas, hæc Augustin.

In te Domine dicit populus Christianus, speraui, quia scio quòd in te sperans non infirmabor, Psalm. 25. num. 1. pluuiam voluntariam segregabis Deus hæreditati tuæ; quæ infirmata erat, & tu perfecisti eam, Psal. 67. n. 10. Non confundar in æternum, nullus enim sperauit in te, & confusus est, Eccles. 2. nu. 11. neque ego confundar confusione illa, quæ adducit peccatum, Eccles. 4. nu. 25. Eam enim confusionem, quæ est in æternum, perhorresco. Sunt qui abominationem fecerunt, & confusi sunt, quin potius confusione non sunt confusi, & erubescere nescierunt, propterea cadent inter ruentes, & corruent in tempore visitationis, Ierem. 6. nu. 15. tales iniqui nescierunt confusionem, Sophon. 3. nu. 5.

pro-

propterea abalienati sunt in confusionem, Ose. 9. num. 10. & facti sunt abominabiles sicut ea, quæ dilexerunt, vt ibi: Paul. ad Rom. cap. 6. num. 21. Quem fructum tunc habuistis in illis, in quibus nunc erubescitis? nàm finis illorum mors est, quæ est stipendium peccati, confusione ad tempus confundar, quia erubescendo præterita peccata non formidabo; dicit Augustin. Vndè Isai. 38. num. 15. recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ, quia illorum erubesco recordatione.

Non confundar ergo Domine confusione illa æterna in iudicio tuo, quando ad sinistram existentibus dices, Matth. 25. num. 4. ite in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis eius. Cogitans ergo pœnas istas perpetuas, & pauens rogat, dicens: In te Domine speraui, non confundar in æternum, Psalm. 79. num. 1. quia ego seruus tuus sum, Psalm. 115. num. 16. noli reprobare me à pueris tuis, Sap. 9. num. 5. modò confundar Domine erubescendo, quia peccaui, sed aufer à me illam in æternum confusionem. Respiciens peccata mea, perturbatur anima mea, & horresco respectionem, & de horrore erubesco, & de rubore me corrigo. Si Adam post inobedientiam in vetiti pomi gustu præ confusione, à Deo fugiens se se abscondit; quid ego post tanta flagitia, post tanta facinora præsumam?

In iustitia tua libera me, & eripe me. Si nos tui corporis membra sumus per gratiam tuam Domine, ergo iustitiæ tuæ, nostra etiam erit participatio, cum sit à te nobis donata, gratis enim redemisti nos, ad Rom. 3. nu. 24. quia salus à nobis non est, sed à Deo. Et si tua Redemptio ex iustitia tua est, non ex mea; igitur in tua iustitia, cuius etiam nos participes fecisti, adiuua nos, libera nos; non enim à nobismetipsis nos iustitiam habemus, nisi vt puniamur; sed vt liberemur, tua est, non nostra iustitia.

Libera ergo nos tu Domine, qui ex impio facis iustum, ad Rom. 4. num. 5. & ex tua gratia liberatio nostra est; non enim inuenisti Saluator, quod corones, sed quod damnes, non inuenisti merita bonorum, sed inuenisti merita suppliciorum, solus sine peccato venisti, qui nos omnes peccatores inuenisti, & propterea, quia omnes peccamus, omnes egemus gloria tua, ad Rom. 3. nu. 23. Tuum est iustificare impium, quia nemo seipsum iustificat, Iob 9. num. 20. si inquit, iustificare me voluero, os meum condemnabit me, ipse ergo est, qui gratis nos liberat, ipse est, qui de impio facit iustum, & hoc est iustificare impium pœnitentem.

In iustitia tua libera me, & eripe me, scilicet de inimicis meis, & de manibus operantium mala, Psalm. 58. num. 1. & 3. & de fouea, quam statuerunt animæ meæ, libera me propter te, 4. Reg. cap. 19. nu. 34. quia spes mea est in te, saluante me, Eccles. 34. nu. 15. propterea inclina aurem tuam, quia diligo te, Psal. 70. num. 1. & d. cap. 34. d. num. 15. & oculi Domini in diligentes se, vt saluet eos propter nomen sanctum suum de manu odientium, & de manu inimici, Psal. 105. num. 8. & 9. Sperantes in te Domine adiuuas, & liberas eos, & eruens eos à peccatoribus, saluas eos, Psalm. 36. num. 4. In te Domine, non in arcu meo sperabo, nec gladius meus saluabit me, sed tu Domine, qui saluas nos de affligentibut nos, Psalm. 43. num. 7. & 8. vana est enim salus hominis, Psalm. 107. num. 13. In iustitia tua libera me, & eripe me, Psalm. 143. num. 7. & 11. Quia non inuenisti in me iustitiam meam, erue me in tua: idest illud me eruat, quod me iustificat,

quod

quod ex impio facit pium, quod ex iniquo facit iustum, hæc Augustin.

Inclina ad me aurem tuam, accelera, vt eruas me. Inclina Cælos, & descende, Psalm. 143. num. 5. Veni Domine, & noli tardare; in tenebris ego sum, orietur in me lux tua, Isai. 58. num. 10. Adiutor meus, & protector meus es tu, Deus meus, ne tardaueris, Psalm. 39. nu. 18. Domine noli tardare, quia exaltatur inimicus super me, Psalm. 12. num. 3. sed mitte, quem missurus es, Exod. cap. 4. num. 13. accelera Domine, nàm propter Sion non tacebo, & propter Ierusalem non quiescam, donec egrediatur, vt splendor iustus tuus, & Saluator eius accendatur vt lampas, Isai. 65. num. 1. accelera, vt contritis medearis, & captiuis, vt indulgeas, Isai. 61. num. 1. excita Domine potentiam tuam, & veni, vt salues nos, Psalm. 79. num. 3. & 4. qui sedes super Cherubim, manifesta te coram Ephraim, &c. manifesta te mundo. Vsquequo auertis faciem tuam in finem? Psalm. 88. num. 47. accelera, vt eruas me, iniqui enim, qui in iniquitatibus suis confidunt, dicunt: Festinet, & ità veniat opus eius, vt videamus, & appropiet, & veniat consilium Sancti Israel, & sciemus illud, Isai. 5. num. 19. Circumueniamus iustum, opprimamus pauperem iustum, Sap. 2. num. 10. videamus, si sermones illius veri sint, num. 17. dixit enim, se citò venturum, Isai. 51. nu. 14. & cap. 58. num. 7. & sanitas tua citò orietur.

Accelera, vt eruas me. Redde vicissitudinem illis super caput illorum, Ioel 3. num. 48. citò, & velociter, Luc. 18. num. 8. consurgat in illos furor tuus Domine, Iosue 23. num. 26. ferens mihi præsidium libera me, Iosue cap. 10. num. 6. citò anticipent me misericordiæ tuæ, quia pauper sum, Psalm. 78. nu. 8. & d. Psal. 39. num. 18. Domine solicitus sis mei, accelera, vt eruas me. Quare accelera inquis? nunquid in fletu, in momento capiet te, & educet te secum in lacum? Vita inquit, hominis breuis est, Iob 14. num. 5. & cum inter peccatores viuam erui cupio, ne malitia mutet intellectum meum, aut fictio decipiat animam meam, fascinatio enim nugacitatis obscurat bonam mentem, cap. 4. num. 11. in Sap.

Instat etiam, vt acceleret iusto, qui consummatus in breui confitebitur diù vixisse super tuam bonam viam, Sap. vt suprà num. 13. quia placita erit Deo anima illius, propter hoc, vt properet educere illum de medio iniquitatum instat, Sap. d. cap. 4. num. 14. ideò accelera inquit, vt eruas me, quia tempus breue est, 1. Corinth. 7. nu. 29. quoniam tamquam momentum stateræ, sic est ante Deum Orbis terrarum, & tamquam gutta roris antelucani, quæ descendit in terram, Sap. cap. 11. nu. 23. Isai. cap. 40. nu. 15. ecce gentes quasi stilla situlæ, & quasi momentum stateræ reputatæ sunt. Et quia non inuenisti in me iustitiam meam, erue me in tua, hoc est, illud me eruat, quod me iustificat, quod ex impio pium facit; sed tu Domine accelera, vt eruas me, Augustin. Dum ergo dicit, accelera, exauditur, non enim cuperet, dico ego, ille dissolui, nisi speraret esse cum Christo, ad Philip. cap. 1. num. 23. accelera ideò dicit, quia hoc totum, quod nobis videtur quandiù voluitur sæculum, intelligas perniciem esse: non est diù, quod habet extremum, dicit Augustin. transuolant tempora, & quod tibi tardum est in oculis Dei breue est. Hanc celeritatem in extasi Ecclesiam intellexisse. hic August. asserit, complaceat tibi Domine, vt eruas me à peccatoribus, Psalm. 39. num. 14.

Esto mihi in Deum protectorem, & in domum refugij, vt saluum me facias. Increduli, & subersores sunt mecum, & cum scorpionibus habito, Ezech. cap. 2. num.

num.6. tu scis Domine, protege me à conuentu istorum malignantium, & operantium iniquitatem, Psalm.63.num.3. fugiant à facie pauoris, & à via formidinis, vt cadant in foueam, Isai.24.nu.18. Ierem.48.nu.44. Quæ est domus refugij, nisi tu ipsemet, tu domus refugij nostri, per quam salui sumus: Custos noster, & protector es tu Christe fili Dei, & verus Deus, qui perditum, & reuersum ad te cum gaudio me suscepisti.

Esto tu Deus meus, protector meus, vt ad domum tuam, corporis scilicet tui, quod à mortuis resurrexit, confugientes, salui fiant, Psalm.26.num.4. Esto mihi refugium in domo tua, in Tabernaculo tuo, vt ego replear bonis domus tuæ; Sanctum enim est Templum tuum, mirabile in æquitate: Beatus ille quem elegisti, & assumpsisti; quia inhabitabit in atrijs tuis, Psalm.64.nu.5.

Esto mihi in domum refugij. Fortis est domus tua Domine, contrà quam non præualent portæ inferi, Matth.cap.16. num.18. quia tu Deus fortis meus, in quem spero; scutum meum, & cornu salutis meæ, eleuator meus, & refugium meum, saluator meus de iniquitate liberans me, 2.Reg.cap.22.nu.3. quia tu solus deles peccata mea, ideò in domum tuam fugio, quia peccaui tibi; nàm non est mihi in alio refugium, nisi in te Domine.

Accelera, vt eripias me, & in tua iustitia eruas me, vt dimittas peccata mea; & ædifices in me tuam iustitiam; nàm quò fugiam nisi ad te? adiutorem inuenire desiderans, non iratum; quò ibo à spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? si ascendero in Cælum tu ibi es, si descendero in infernum ades, Psalm.138.n.7. quocunque iero, te inueniam; & si irasceris, vltorem te inuenio, si placatus es, adiutorem, Augustin. hic. Ad te ergo fugere, non à te mihi restat. Vt euadas hominem Dominum, quicunque seruus es, fugis in ea loca, vbi non est Dominus tuus: vt euadas Deum, fuge ad Deum: præsto sunt omnia, & nuda omnipotentis oculis, nàm si saluus non fuero, quomodò fugio? sana me, & fugio ad te: quia tu sanas omnes infirmitates meas; nàm si me non sanas, ambulare non possum; fugere quomodò potero? fugient iniqui, & non saluabuntur ex eis, qui fugerint, si descenderint vsque in infernum, indè manus Dei educet illos, & si vsque ad Cælum ascenderint, indè detrahet eos, Amos cap.9.num.2. cum seqq. Fugiamus ergo ad Dominum Deum, ad custodem nostrum Iesum Christum, ad Samaritanum, qui nos in terra vulneratos inuenit, & miserebitur, & vulnera nostra curabit. Misertus est genus humanum, ideò transiens de Cælo ad terram accessit, vt vulnera nostra curaret, Luc.10.nu.33. & de terra ad Cælum, vt illic domus refugij nobis esset, vbi ille custos noster permansit, vt nos saluaret, si ergo Deus pro nobis, quis contrà nos? ad Rom.8.nu.31. Ingrediamur domum illam refugij, quia lapidea est, & munita, sic quippe in Hebr. legitur: Esto mihi in lapidem fortissimum, & in domum munitam. Domus illa lapidea est Iesus, sub cuius custodia ab omni mortis impetu securi erimus; Vtinam in nomine ipsius ad dictam domum suam nos deducat, ibiq. nos nutriat. Non propter merita mea, quæ nulla sunt, sed propter nomen tuum Dux meus sis, vt non aberrem à te, & enutrias, vt validus sim ad manducandum escam, qua pascis Angelos. Dux Ecclesiæ est Iesus Christus, in cuius nomine ab omnibus inimicis est secura, & salua, & viuet vsque in sæcula, & enutriens filios, & illos deducens in gremium salutis; enutrit enim filios suos lacte cælesti, Dei sapientia, cibo spirituali corporis Christi, & sanguinis eiusdem, vt in fortitudine cibi illius, ad

domum

domum refugij perueniamus securi, ad Timoth. 1. cap. 4. Sanctificetur per verbum Dei, & orationem. Hæc proponens eris bonus Minister Christi Iesu enutritus verbis fidei, & bonæ doctrinæ, quam assequutus es, 1. ad Timoth. c. 4. nu. 6. & ipse Dominus erit Nutritius tuus, Ose. 11. nu. 3. & ego quasi Nutritius Ephraim portabam eos in brachijs meis, ipsi enim cura est de nobis, 1. Petr. cap. 5. num. 7. Iacta ergo super Dominum curam tuam, & ipse te enutriet, Psalm. 54. num. 23. Matth. 6. num. 25.

Vel dicamus. Hæc verba fuisse Christi rogantis Patrem, vt Ecclesiam, quam ipse sanguine suo plantauit, Sanctis paulatim aggregatis in toto orbe terrarum diffusam enutriat carne sua, quam illi dedit ad manducandum: vt fortis sit ad resistendum hostium insidijs: propterea sequitur Psalm.

Educes me de laqueo hoc quem absconderunt mihi, quoniam tu es protector meus. Si in nomine Iesu ambulauero, erit in sumptione cibi illius, idest corporis, & sanguinis eius, fortitudo talis, vt facilè in ipso eius nomine disrumpam vincula Diaboli, & in laqueum, & captionem eius non incidam, sed per viam Christi incedendo perueniam ad securam ipsius arcem.

Educes me de laqueo, de muscipula, dicit Augustin. tetendit arcum Diabolus, inimici extenta est muscipula, in qua errorem posuit, & terrorem; errorem, quo illiciat, terrorem quo frangat, & rapiat; tu claude ianuam cupiditatis contrà errorem, tu claude ianuam timoris contrà terrorem, & educeris de laqueo, de muscipula, hæc August. in errore cupiditatis tentatur Christus, Matth. dicto cap. 4. nu. 2. quando à Diabolo dictum est illi, dic, vt lapides isti panes fiant, omnia regna mundi tibi dabo, si cadens adoraueris me; Clausa est Diabolo ianua: Non in solo pane, &c. & Deum tuum adorabis; Diabolus recessit ab eo ad tempus, Luc. 4. num. 13. ad tempus tamquam rediturus, quia tentatio timoris restabat. Cor meum conturbatum est in me, & formido mortis cecidit super me; timor, & tremor venerunt super me, & contexerunt me tenebræ, Psalm. 54. nu. 5. & 6. propterea ante passionem cœpit pauere, & tedere, Marc. 14. nu. 33. & apparuit illi Angelus de Cœlo confortans eum, Luc. 22. nu. 43. Totum ergo corpus Christi tentatur vsque ad finem; August. Fratres mei quando iussum est nescio quid contrà Christianos mali simul impingebatur, in hoc corpus totum impingebatur; impulsus euersus sum, vt caderem; & Dominus suscepit me, Psal. 117. nu. 13. eductus est Iesus de laqueo, de muscipula, quam illi absconderant inimici, similiter, & nos in Deo speremus; & educet nos de tribulationibus inimicorum nostrorum, & Domino spiritum nostrum commendemus, prout fecit Iesus Christus, de quo verba Psalmi loquuntur, qui in passione sua commendauit spiritum suum Patri, Luc. 23. nu. 46. dicens; In manus tuas Domine commendo spiritum meum; quid enim aliud hoc est, quam dicere, commendo Ecclesiam meam, fideles meos? 1. Corinth. 6. nu. 19. An nescitis, quoniam membra vestra, Templum sunt Spiritus sancti? qui in vobis est, quem à Deo habetis, & non estis vestri? & cap. 3. n. 6. Corinth. 1. nos etiam, idest Ecclesia dicit Christo, In manus tuas commendo spiritum meum, postquam tu me redemisti Domine Deus veritatis. Redemisti eos, quorum spes est in te Domine non in vanitatibus huius mundi.

Odisti enim obseruantes vanitates, superuacuè: nam frustrà amant terrena, qui frui cupiunt cœlestia, ideò dicit superuacuè illos amare, quæ ad perditionem animæ illorum deseruiunt: odit Deus tales, non quia illos odio habeat, sed quia illi

odio habent sémetipsos respuentes cælestia propter terrena, quæ citò deficiunt, odit perditionem eorum, non animam eorum, quam saluam esse desiderat.

Odit obseruantes vanitates superuacuè, quia vanitates ipsæ sunt superuacua, adeoquè, qui illas tenere se putant, re vera nihil tenent, sed ipsi tenentur, tenent mortalia, & amittunt æterna; obseruant vanitates, quæ transeunt, & nihil sunt, & amittunt vitam æternam, Prouerb. 30. nu. 10. Vanitatem, & verba mendacia longè fac à me. Non odit Deus tales, sed odit peccatum, & pœnam propter illos, ad quos sanguine suo redimendos venit; nunquid ò vanitatum obseruatores, ò in homine sperantes nunquid nescitis? nunquid non audistis, quòd in Deo spes vestra esse debet? nunquid annunciatum non est vobis, nolite confidere in principibus in filijs hominum, in quibus non est salus? Psal. 145. nu. 2. clama, ne cesses, dicit Deus per Isai. 40. nu. 6. sed quid clamabo? omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quasi flos agri, exsiccatum est fœnum, & cecidit flos, ibidem nu. 8. Verbum autem Domini manet in æternum, exortus est Sol cum ardore, & arefecit fœnum, & flos eius decidit, & decor vultus eius deperijt, Iacob. 1. nu. 11. quid dicit custos? venit mane, si quæritis, quęrite, cõuertimini, venite, Isai. 21. n. 12.

Ego autem in Domino speraui, exultabo, & lætabor in misericordia tua; inquit Ecclesia, Non in me, sed in te Domine speraui, propterea exultabo, quia tu respexisti humilitatem meam, Psalm. 118. num. 80. Hæc me consolata est in humilitate mea, quia eloquium tuum viuificauit me, & saluasti de necessitatibus animam meam, quia respexisti humilitatem meam. Propterea in spiritu humiliato constitutus seruiens tibi Domine in humilitate animæ meæ, flensq. rogo te Domine, vt secundum voluntatem tuam sic mecum facias misericordiam tuam, & sicut inimicorum meorum cor est conturbatum, ac propterea dentibus suis fremunt, & tabescunt, Psal. 111. n. 10. ità de mea humilitate cor meũ lætum in te glorietur, & exultet, Iudith 8. nu. 17. Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi, quòd in domum tuam ibo, adeò tuta spes mea est, vt non verear, & id addere eiusdem Psalmi, stantes sunt in atrijs tuis pedes mei, Psalm. 121. nu. 1. & 2. opus tuum est Domine saluatio mea, redemptio mea, non enim veniam ad te, nisi tu traxeris me, Ioan. 6. num. 44. & cap. 11. nu. 31. nemo eripiet me de necessitatibus meis, nisi tu Domine; multæ enim sunt, & spero de illis propter misericordiam tuam me eripiendum. Non irrideant me inimici mei, vt non confundantur, qui sperant in te.

Et de necessitatibus saluasti animam meam. Quæ sunt istæ necessitates animeæ; vide Paul. ad Rom. 7. nu. 24. & per totum; Condelector enim, ait, legi Dei secundum interiorem hominem; video autem aliam legem, in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. Infelix ego homo, quis liberabit me de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum. Facit Sap. 8. nu. 21. Et sciui, quoniam aliter non possum esse cõtinens, nisi Deus det. Quòd ergo non consentias concupiscentiæ, gratia Dei est, qui de necessitatibus liberat animam tuam. Vndè ergo salua facta est anima tua, dicit August. de necessitatibus. Quia respecta est humilitas tua? nisi prius humiliareris, non te exaudiret, qui te à necessitatibus liberare desiderat; humiliatus Paul. qui dixit, Infelix ego homo, quis liberabit me de corpore mortis huius? Cupiditates ergo nostræ, quando validæ sunt, & quando eis seruimus, necessitates vocantur.

De

De istis necessitatibus saluasti animam meam, quia illis non consensi, illis non seruiui, & tu Domine idcircò in manibus inimici, non me conclusisti, quia humilitatem meam vidisti, quia in peccato perseuerare nolo; & sic gratia tua de inimici manibus eruisti. Tu verò statuisti in loco spatioso pedes meos, ne angustiati pedes mei irent in se, & in currendo in se deijcerent me, August. Ideò angusta via laboranti, amanti verò lata est. Quæ prius angusta erat ob spinas, animam meam suffocantes, sublatis suffocantibus spinis per gratiam Dei, qui respexit humilitatem meam, facta est spatiosa; itaut verè dicam, Statuisti in loco spatioso pedes meos. Hieron. in Epist. ad Pammachium: Ager spinosus, nisi ante cultoris labores fuerit extirpatus, non mittit in se iactatum semen, sed suffocat, &c. sic, & tu succidas mundiales curas, culparumq; omnium materias, & verbum Domini operabitur in te. Tollas ergo curas, & locus erit spatiosus, & via lata erit pedibus tuis, & spatiosa, statuisti in loco spatioso pedes meos, Quia in omnem terram Apostoli mei, & fideles prædicauerunt verbum tuum.

Miserere mei Domine, quoniam tribulor: Quomodò superius dixisti, quia in æternum non confundar, exultabo, & lætabor, saluasti de necessitatibus animam meam, dilatasti, & statuisti in loco spatioso pedes meos, nunc verò, Miserere mei Domine, quoniam tribulor, in eodem verborum filo, in eadem oratione contraria dicis? lætabor, & miserere, quoniam tribulor; si tribularis, quomodò lætaris? si lætaris, quomodò tribularis? Annunciaui, & locutus sum, multiplicati sunt super numerum, Psalm. 39. num. 6. Audi quæso, quare tribulatur Ecclesia; Concluserunt piscium multitudinem copiosam, & rumpebatur rete, Luc. cap. 5. nu. 6. Ioan. 21. nu. 6. miserunt rete ad dexteram, & non valebant illud trahere, præ multitudine piscium, & adiuuantibus socijs impletæ sunt ambæ nauiculæ, itaut penè mergerentur.

Iàm orbis dexteram, & sinistram penetrasti ò Ecclesia Dei, Isai. 54. nu. 3. lætata es, quia iàm sterilis, & postea peperisti, nunc quia dilatata turbaris, Isai. 35. nu. 1. & cap. 54. in princ. ad punctum in modico, iàm derelicta tibi videris à Domino, quia in miserationibus magnis congregauit te, &c. Quid mirum, si tribularis, cum in tàm magna hominum multitudine multiplicata sis? Congregatione, inquit, congregabo Iacob totum, totum, scilicet electos meos ex Israel, in vnum conducam reliquias Israel, idest in vnum ouile, pariter ponam illum, quasi gregē in ouili, quasi pecus in medio caularum tumultuabūt à multitudine hominum, Mich. 2. nu. 12. Ideò tribularis, quia est intrà rete tuum piscium multitudo, rete rumpere conantur, sed non rumpetur. Tribularis, an ignoras, quia in tribulatione dilatauit tibi Dominus? Psalm. 4. nu. 20. est tamen adiutor in opportunitatibus, in tribulatione, Isai. 25. nu. 4. Psalm. 9. nu. 10. Coronabit te Deus in tribulatione, Isai. 22. nu. 18. Quid mirum ergo si tribularis? nàm vbi turba, ibi assidua commotio, Ecclesi. 18. nu. 32. inquit enim ne oblecteris in turbis, nec in modicis, assidua est commotio illorum. Sunt in Ecclesia, & intrà rete illius boni, & mali, Hæretici scilicet, & peccatores, vnà cum iustis, ac sanctis, tribulatur in perditione multorum, sed lætatur in paucorum corona. Vide ergo quomodò lætatur, & læta petat auxilium sibi exhiberi in tribulatione perditorum, in Vespere.

Ad vesperum fletus, & ad matutinum lætitia, spes nostra sit in Iesum, qui est stella splendida, & matutina, Apocalyps. 22. num. 16. Turbatus ambulas in hac tenebrarum valle, lætaberis in matutino lætitia, & in die nouissimo ridebis,

Prouerb.31.nu.25. quando iterum apparuerit gloria Domini, vt ea, & cælestibus bonis eius fruaris. Tunc ascendet pandens iter ante eos; diuident, & transibunt portam, & ingredientur per eam, & transibit Rex eorum coram eis, & Dominus in capite eorum, dicit Mich. d.cap.2. nu.13. Veniet mihi gaudium à sancto super misericordia, quæ veniet nobis ab æterno salutari nostro, emisit in luctu, & planctu, reducet nos Dominus cum gaudio, & iucunditate in sempiternum, Baruch 4.num.23. Apocalypſ.22. Beati, qui lauant stolas in sanguine Agni, vt sit potestas eorum in ligno Vitæ, & per portas intrent Ciuitatem.

Miserere mei Domine, quoniam tribulor ab Hæreticorum, & Iudæorum vocibus, & calumnijs. Ideò in ira mea conturbatus est oculus meus, quia zelaui super iniquos pacem peccatorum videns, Psalm.72.num.3. foris sunt, ideò canes, & venefici, & impudici, & homicidæ, & Idolis seruientes, & omnis, qui amat, & facit mendacium, Apocalypſ. d.cap.22.nu.15. Cui loquar? & quem contestabor, vt audiar? incircuncisæ sunt aures illorum, & audire non possunt; & verbum Domini factum est eis in opprobrium; ideò conturbatus in ira oculus meus, Ierem.cap.6.nu.10. Confusum est gaudium meum à filijs hominum; Ioel 1.nu.12. quia ad opus tuum Domine non respiciunt; & propterea dilatauit infernus animam suam, & aperuit os suum absque vllo termino: quia in terram aspicere voluerunt, & ecce tenebræ tribulationis, & lux obtenebrata est in caligine eius, Isai.cap.5.nu.12. & 14. & 30. & ad terram intuebitur, dicit Isai. cap.8.num.22. & ecce tribulatio, & tenebræ, dissolutio, & angustia, & non poterit euolare de angustia sua; Lætari non possum in Iudæorum perditione, ait Ecclesia, Sap.cap.1.nu.13. ideò miserere mei Domine, quoniam tribulor, quoniam conturbatus est in ira oculus meus, non quia odissem illos, sed illorum odi peccatum. Loquaris ergo ad Gentes, quæ verba Dei audire, & credere parati sunt, Act.cap.13.nu.46. & 47. Multi enim sunt vocati, pauci verò electi, Matth.20.nu.16. lætor ergo in salutari tuo Domine, Isai.25.n.9. Quia expectaui te, & saluabis me, ideò exultabo, eo quia venit mihi gaudium à Sancto super misericordia, quæ veniet nobis ab æterno salutari nostro, Baruch d.cap.4.n.23.

Tribulor nihilominus, quia ex corpore meo infecta oriuntur membra multa, quorum sanitatem desidero. Propterea anima mea, & oculus meus in ira conturbatus est, & venter meus; defectio detinuit me pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam, Psalm.118.nu.53. quoniam abundauit iniquitas, & refrigescit charitas multorum, Matth.24.num.12. Haud mirum, si conturbata sit Ecclesia, nàm in illa multa quidem membra, vnum autem corpus: etenim in vno spiritu, omnes nos in vnum corpus baptizati sumus, siuè Iudæi, siuè Gentiles, siuè serui, siuè liberi, & omnes in vno potu potati sumus, 1.Corinth.10. num.4. Si quid patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra, vos autem estis corpus Christi, & membra de membro, Paul.1.Corinth.12.nu.20. cum seqq. Quia ergo peccatores sunt ex illa, conturbatur, irascitur contrà illos, contrà scilicet peccata, quia non conuertuntur ad Dominum, caput Ecclesiæ, quia non sunt vtilia membra in corpore, vt vnanimes in vno spiritu, in vno corpore glorificent Deum, & Dominum nostrum Iesum Christum.

Miserere ergo mei Domine, quoniam tribulor; Multa membra corporis mei, putrefacta sunt, totum corpus meum corrumpere præsumunt, tribulor Domine in corpore præ dolore illorum, qui defecerunt à me; tribulor in oculis meis

pro-

propter oculos eorum, qui declinant in terram, Psalm. 16. nu. 11. Quid creatum est nequius prauo oculo? malus est enim oculus nequam, ideò ab omni facie lachrymabitur, Eccles. 31. num. 14. & 15. & anima mea turbata est valdè; sed tu Domine vsquequo? aperi tu Domine oculos tuos, & vide; quia non mortui, qui sunt in inferno, sed quorum spiritus acceptus est à visceribus suis, dabunt honorem, & iustificationem tibi. Arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Dei ad destructionem munitionum, consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam Dei, & in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi, & in promptu habentes vlcisi omnem inobedientiam, 2. Corinth. 10. num. 4. Nunc verò anima mea, quæ tristis est super magnitudine mali, incedit curua, & infirma, & oculi deficientes, & anima esuriens dat tibi gloriam, & iustitiam Domino, Baruch 2. nu. 17. & 18. Propterea miserere mei, & sana eos, qui quærunt mala mihi sana contritiones eorum, Psalm. 59. nu. 4. quia commoti sunt, conuertantur sedentes in vmbra mortis, Ose. 13. nu. 8. Illuminare his, qui in tenebris, & in vmbra mortis sedent, Ierem. cap. 1. nu. 79.

Defecit in dolore vita mea, & anni mei in gemitibus. Non clamo amplius, quia defecit in gemitibus vita mea, eo quod abundauit iniquitas, & refrigescit charitas multorum, Augustin. Quando Ecclesia videt multos ire in peruersum, gemitus suos deuorat apud se, vt dicat Deo, gemitus meus non est absconditus à te, Psalm. 37. nu. 9. rugiebam à gemitu cordis mei, num. 10. sed dicit pater familias in Euangelio sustine adhuc: vt crescat zizania cum tritico. Iussisti Domine, vt sustinerem vsque ad messem, Matth. 13. num. 25. vt non conturbarer, quòd malos à sanctis tuis vsque in finem, nec segregare, nec emendare possim. Sed tu Domine vide, & considera, quia ecce ferè omnes iniusti, & vana opera eorum, & ventus, & inania simulachra eorum, Isai. 41. nu. 29.

Confundantur, & erubescant, qui pugnant aduersus Ecclesiam tuam, sint quasi non sint, si verba tua audire neglexerint.

Defecit in dolore vita mea, & anni mei in gemitibus. Notat Augustin. in alio Psalmo, quod ideò gemitus, quia orat: In principio enim Psalmi exultatio, & lætitia, quia psallit, hìc verò gemit, quia orat, geme ergo de præsentibus psalle de futuris; ora de re, psalle de spe: hæc August. in Psalm. 29. Ideò anni mei in gemitibus, quia semper erunt persecutores mei propter nomen tuum, quod confiteor, & in quo sita est vita mea, cum tu sis vita mea.

Infirmata est in paupertate virtus mea; & ossa mea conturbata sunt; virtus in infirmitate perficitur, 2. Corinth. 12. nu. 9. quomodò ergo virtus tua infirmatur in paupertate? Virtus Ecclesiæ est verbum Dei, 1. Corinth. cap. 1. num. 18. Verbum Christi ijs, qui salui fiunt, idest nobis Dei virtus est, pereuntibus verò stultitia est; Gemit ergo Propheta nomine Christi, siuè Ecclesia videns multas futuras hæreses, & verbum Domini adulterantes, de quibus 2. Corinth. 2. nu. 17. non sumus sicut plurimi adulterantes verbum Dei, &c. Quid diceret nunc Apostolus, si tot hæreses, tot Pseudoprophetas videret; Certè cum Propheta, & ipse diceret, Infirmatam esse in paupertate, in perditos homines virtutem Dei, idest verbum Dei. Etenim illud derelinquentes, dicuntur pauperes, & infelices, quia negligunt verbum Dei, & à Domino recedunt, Sap. d. cap. 3. nu. 10. & 11. non enim virtus Dei infirmatur, sed nos; qui peccatores, & infirmi dicimur, quia

illa n recipere nolumus. Et ossa mea conturbata sunt, idest potentes, qui cum in gremio essent Ecclesiæ, conturbati recesserunt; quot enim Reges, & Duces, quot Iudæos, & potentes sermone, vel per se, vel per alios turbant verbum Dei falso prædicantes, & docentes, quæ sunt ad interitum animæ?

Infirmata est in paupertate virtus Dei, & ossa mea conturbata, ne illud recipiant, verbum Dei, ideò Sap.cap.5.num.13. Cum cæteris, qui in inferno positi sunt, dicent, & nos nati continuò desiuimus esse: & virtutis quidem nullum signum valuimus ostendere, in malignitate nostra consumpti sumus: Talia dixerunt in inferno hi, qui peccauerunt, ibidem num.14. in illis enim infirmata est Ecclesiæ virtus, ac verbum Dei, quia pauperes fuerunt in spiritu non credentes in Iesum. Vndè benè subiectum est.

Super omnes inimicos meos factus sum opprobrium, vicinis meis, & timor notis meis. Similia, & infrà in Psalm.43.nu.14. & Psalm.78.nu.41. Ijs qui propè erant, vt fidem acciperent, magis opprobrium factus sum, quàm inimicis; nàm, & Iudæi multa opprobria Christo dixerunt, & Hæretici similiter Ecclesiæ opprobria dicunt; illamq. lacerant. Mali verò Christiani, siuè Hæretici peiores quam infideles sunt, & magis Ecclesiæ infesti, Chrysost. in homil.32. in imperfecto dicit, Melius est, vt non sit arbor, quàm, vt sit quidem, & fructum non afferat; Vndè dicebatur de illo Traditore: Bonum ei fuisset, si natus non fuisset homo ille, Matth.26.nu.24. à foris: apparent hominibus iusti, intus autem pleni sunt hypocrisi, & iniquitate, Matth.23.nu.28. Claudunt enim Regnum Cælorum ante homines, & illi nec intrant, nec introeuntes sinunt intrare: ibidem num.13. Virtus Dei in illis infirmata est, in paupertate, quia ignorauerunt sapientiam Dei.

Mecum considerate fratres, verba Psalmi, quomodò tàm clarè de Christo, & eius Passione loquantur.

Super, inquit, inimicos meos factus sum opprobrium vicinis meis, & timor notis meis; Missum se dixerat ad oues tantùm, quæ perierant domus Israel, Matth.15.n.4. Gentes ergo cæteræ omnes, quæ erant extrà censebatur inimicæ. Quamobrem cum Apostoli prædicarent Iesum Authorem Vitæ, mortem spontè suscepisse stultitiam id appellabant, 1.Corinth.1.nu.23. Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Gentibus stultitiam, Iudæis verò scandalum, ipsis autem vocatis Iudæis, atque Græcis Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam, &c. Magis sanè quàm Gentibus inimicis meis factus sum opprobrium Iudæis vicinis meis, pro quorum salute veni, qui seductorem me appellarunt, conspuerunt, crucifixerunt, illuserunt, atque blasphemarunt, quando in Cruce pendebam. Et timor notis, ait, meis; Nàm omnes relicto illo fugerunt, Matth.26.nu.56. Marc.14.nu.50. & hæc est dies tertia sperabamus, dicebant; duo illi Discipuli, quia ipse esset redempturus Israel, &c. propterea increpans illos dixit, ò stulti, & tardi corde ad credendum, Luc.24.nu.21. neque Thomas credebat, Ioan.20. nu.25. Vide ergo quàm grauius Iudæorum peccatum: illis enim opprobrium, gentibus verò stultitia, videbatur, & ipsa mors Christi timorem etiam notis, familiaribus eius inferebat; Qui videbant me, ait, & si mecum se morituros iactabant, attamen foras fugerunt à me, passionis tempore, & post emissionem spiritus, & omnibus obliuioni datus sum tamquam mortuus à corde; ipsorum Iudæorum, cogitantium, me ità mortuum, vt non resurgerem; iube custodiri sepul-

ſepulchrum inſtabant. Apoſtoli diſperſi omnes, Thomas non credebat Reſurrectionem, alij timebant. Infirmata eſt ergo in omnium paupertate ſpiritus, ideſt in incredulitate eorum virtus Chriſti, & oſſa eius conturbata, nàm eius potentiam negantes dicebant, alios ſaluos fecit, ſaluet ſeipſum, ſi filius Dei eſt, &c. deſcendat de Cruce: durat incredulitas, ideò infirmata eſt virtus, tolle incredulitatem, & firma erit in te virtus, exhibeas te Medico, qui ſtat ad oſtium cordis tui, & pulſat, & virtute ſua curaberis ab infirmitate infidelitatis, & ſtatuet in loco ſpatioſo pedes tuos.

Iterum dicamus, infirmata eſt in paupertate virtus mea; non tamen ſublata; nàm Dominus Ieſus carnis noſtræ infirmitatem ſuſcepit, naſciq. in Præſepio voluit pauper, & humilis, cum alioqui diues in omnes ſit, & Cælum, & terram fundauerit, mariaq. & omnia, quæ in eis ſunt creauerit. Infirmata viſa eſt virtus eius, quia humilem ſe Patri oſtendendo, & carne noſtra circundatus ità effectus eſt pauper, vt nec vbi caput reclinaret, habuerit.

Conturbata ſunt oſſa eius, quando paſſus eſt, vt à Iudæis ipſe Dominus, & illorum Creator crucifigeretur, & vt colaphis cæderetur à ſeruis, & flagellaretur à viliſſimis, & infimis vermiculis terræ: quos ſolo oculi ictu, vt terra deglutiret illos facere poterat: tametſi potius Patrem rogauit, vt illis ignoſceret, quia neſciebant quid facerent. Conturbata eſt fortitudo illius, oſſa illius, nàm in Horto cœpit contriſtari, & mœſtus eſſe, Matth. 26. num. 37. & cœpit pauere, & ait, triſtis eſt anima mea vſque ad mortem, Marc. 14. num. 33. & 34.

Infirmata autem re vera eſt virtus illius, ſolum vſque ad mortem. Siquidem poſt Reſurrectionem data eſt ei omnis poteſtas in Cælo, & in terra, Matth. 28. num. 18. Non eſt enim amplius infirmata virtus illius, qui nobiſcum eſt vſque ad conſummationem ſæculi, qui & nos ſecum eſſe voluit in Cælo, Ioan. 17. num. 24. qui ad noſtrum miniſterium facit Angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos ignem vrentem; qui coronat nos in miſericordia, & miſerationibus, Pſalm. 102. num. 4. qui iudicaturus eſt viuos, & mortuos, & ſedet ad dexteram Patris.

Qui videbant me, foras fugerunt à me. Videbant Apoſtoli miracula, quæ fecerat Ieſus, multiplicationem panis, mortuorum Reſurrectionem, infirmorum ſalutem, languidorum, & malè habentium ſanitatem, Transfigurationem in Monte; audierant Patris vocem; Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui, & nihilominus, qui viderunt, quin, & in nomine meo ſigna fecerunt, foras fugerunt à me, obliuioni datus ſum illis, tamquam mortuus à corde.

Et factus ſum tamquam vas perditum; quoniam audiui vituperationem multorum commorantium in circuitu, Ierem. cap. 51. num. 34. Reddidit me quaſi vas inane, & Thren. 4. num. 2. quomodo computati ſunt in vaſa teſtea, opus manuum figuli? Aſſimilat vaſi inani, ac perdito, quia audiuit vituperationem multorum in circuitu commorantium, & nihil ei reſpondit, ſed tamquam Agnus manſuetus, qui ducitur ad occiſionem, Iſai. cap. 53. num. 7. Tamquam hominem mortuum habebant Iudæi Chriſtum, in ſuo peccato fraudulenti, & vaſa peſſima, quorum cogitationes concinnabant ad perdendum mitem in ſermone mendacij cum loqueretur pauper iudicium, Iſai. 32. num. 7.

Audiui, inquit, vituperationem multorum, qui in circuitu Crucis ſtabant,

& male-

& maledicebant, vituperantes ministerium meum, & me tamquam vas perditum reputabant, & inutile, & fractum, Marc. 15. num. 29. cum seqq. nàm non ingrediebantur, non intrabant, stabant in circuitu, stabant forás, qui in circuitu stabant, quando flagellabatur Dominus Iesus, quando Corona spinea coronabatur, quando Crucem humeris suis portabat, vt in illa crucifigeretur, si non esset malefactor, non tibi tradidissemus eum, Ioan. 18. num. 30. Luc. 23. num. 18. seducit populum, dicebant; se facit Regem; non est hic homo missus à Deo, qui non custodit Sabbata; vas perditum est, crucifigatur, clamabant. Peruenerat ad locum holocausti Iesus Crucem portans, vt immolaretur. Angelo prohibente Abraham non percussit filium, Genes. 22. nu. 13. hic verò Iesu obtemperante, vt feriretur Angelo confortante, Luc. 22. num. 34. ille obtemperauit, vt parceret vni, Iesus obediuit, vt redimeret omnes: ibi, vt impleretur sacrificium, & vt sine sanguine non desisteretur, inuētus est aries hærens in vepre cornibus, qui immolatus est: Iesus in Cruce eleuatus, & illi affixus ex semetipso perficiens, & consummans sacrificium animam propriam Deo reddidit, ibi leuans Abraham oculos suos, vidit post tergum inter vepres arietem cornibus hærentem, Iesus verò oculos suos eleuans ad Patrem vidit in circuitu tempestatem validam, Psalm. 49. num. 2. inter vepres Iudæos stantes, pro quibus obtulit se ipsum Patri, vt à peccato liberarentur. Vas integrum Isaac, quia tunc non moritur, vas perditum Iesus, quia à Iudæis blasphematur, & crucifigitur, vt vitam det credentibus. Benè quasi vas perditum Iesum credebant, quia sua perditione, idest morte, mortem perdidit in æternum: mortui ipsi erant, qui mortuum Christum, nec surrecturum sperabant. Ideò vas perditum illis, quia in Christi vase non intrantes, extra vas Christi, in vase inferni perpetuò perditi reperiuntur, Ideò perditi, quia nec ingredientes portam permanebunt in circuitu dubietatis.

In eo dum conuenirent aduersum me, accipere animam meam consiliati sunt, ò impij, ò stulti: succensa est enim quasi ignis impietas vestra; veprem, & spinam vorabit, & succendetur in densitate saltus, & conuoluetur superbia fumi, Isai. 9. num. 18. idest vos impios, qui estis sicut vepres, & spinæ vorabit ignis calamitatis, & inferni in densitate; idest more densi saltus: igne correpti conuoluetur, & euanescet, vt solet fumus eleuatus. Inite consilium, & dissipabitur; inciderunt in lapidem offensionis, & in petram scandali, in laqueum, & in ruinam habitantibus Ierusalem, Isai. 8. num. 18. & seqq. & Ierem. 15. nu. 25. tu scis omne consilium eorum aduersum me in mortem.

In circuitu stabant contrà Ecclesiam, contrà Christianos, vt eijciant me de Ecclesia, & tunc accipere animam meam; nàm eijcere de Ecclesia, est accipere animam; omne autem quod est extrà Ecclesiam perditum est, infernale est, quia tunc consentirem iniquitatibus illorum, & tunc ero in circuitu cum illis, & non in mansione in Ecclesia, si iniquitatibus adhærebo illorum. In circuitu circumeunt, & non intrant, quia rotam temporis amant; dicit Augustin. non intrant ad veritatem, quia non amant æternitatem temporalibus dediti; tamquam rotæ constricti, de quibus Psalm. 82. num. 14. Pone Principes eorum vt rotam, quæ semper circumuoluitur, cum ruit in præceps, nec ad punctum temporis potest consistere: hinc dicitur Prouerb. 11. num. 18. tempus facit opus instabile, & supra Psalm. 11. num. 9. In circuitu impij ambulant. In circuitu

stant,

stant, quærentes, quem deuorent, 1. Petr. cap. 5. num. 8. Augustin. Ego autem inter hæc opprobria, inter hæc scandala, inter hæc mala, inter istas seductiones, foris iniquitates & peruersitates intus; cum attenderem iustos, & quos imitarer quærerem, & deessent, quid feci? quod consilium inueni?

Ego autem in te speraui Domine, dixi Deus meus es tu, in manibus tuis sortes meæ. Qui in te Domine sperant, mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut Aquilæ, current, & non laborabunt, ambulabunt, & non deficient, Isai. 40. num. 33.

In te speraui Domine: Quia dum ambularem in tenebris, dedisti mihi lumen, Isai. 50. num. 10. Eccles. 24. num. 45. Et tulisti de manu mea calicem soporis, maledictionis, & furoris fundum calicis indignationis tuæ, & non adijcies, vt bibam illum vltra, sed posuisti illum in manibus eorum, qui me humiliare tentabant: dicentes, incuruare, vt transeamus scilicet super te, sicut super terram, veruntamen confusi sunt, quia in te Domine speraui, Iob cap. 6. num. 20. quoniam bonus es sperantibus in te, & animæ te quærenti, Thren. cap. 3. num. 25.

Ego autem in te speraui Domine, quia dixi, quia cognoui, quòd tu sis Deus meus, & in manibus tuis sortes meæ. Non sicut peccatores, qui in te sperant, sed non timentes te, adeoque opera eorum sequuntur illos, Prouerb. 24. nu. 12. reditq. homini iuxta opera sua, Prouerb. 12. num. 14. In præceptis Domini non ambulauerunt, sed iuxtà iudicia gentium, quæ in circuitu illorum sunt, operati sunt, Ezech. 11. num. 12. non sit spes tua in homine, quia maledictus, qui in homine spem ponit, Ierem. cap. 17. num. 5. & ponit carnem brachium suum, & à Domino recedit cor eius, Augustin. si attendis adhuc hominem, & eum quæris imitari, & ex illo pendere, adhuc lacte vis nutriri; & fies Mamotreptus, quales dicuntur pueri, qui diù sugunt, quod non decet, etenim lacte vti, tamquam per carnem velle sibi cibum traijci, hoc idem est per hominem viuere, idoneus esto ad mensam, inde cape, vnde ille cœpit, aut fortasse non cœpit, fortè vtiliter, & in malum incidisti, quem bonum putasti: vt in vbere quasi materno, amaritudinem quasi inuenires, & ea offensione repelleretis, vt ad Cælum validiorem inuitareris; faciunt enim hoc Nutrices Mamotreptis, vt aliqua amara ponant in papillis suis, quibus offensi paruuli ab vbere resiliant, & ad mensam inhient, hæc Augustin.

In te Domine spero, quia Deus meus es tu; tu pro me crucifixus es, tu Redemptor meus, fortis meus, in fixura clauorum, in manibus tuis est salus mea, vita mea, & hæc sunt sortes meæ; idest gratia tua, qua me liberare dignatus es; non sorte, sed voluntate tua; non meis præcedentibus meritis, nec ex operibus; sors mea tu Domine, quia tu vocasti me, tu suscepisti. Propterea confitebor tibi, quia Deus meus, & Dominus meus; Quid salubrius, quid securius, quàm in Domino sperare? Psalm. 72. nu. 28. mihi adhærere Domino bonum est, & ponere in Domino spem meam; nàm tales adducuntur in Montem sanctum Domini, & lætificantur in domo orationis eius, Isai. 56. num. 6. Ideò in manibus tuis sortes meæ tunc erunt, quia gratiam, & gloriam dabit mihi Dominus, Psalm. 83. num. 12. & cum gloria suscipiet me, Psalm. 77. nu. 24. Voluntas ergo Domini Dei in humano genere sors est, sors veniens de Dei occulta voluntate, apud quem non est iniquitas; non enim ille personas accipit, sed occulta

illius

illius iustitia tibi sors est, Augustin. Non ideò illi Mago fuit pars, neque sors, in sermone suo, quia pecunia donum Spiritus sancti emere volebat, Act. cap. 8. num. 20. & 21. Cor enim illius non erat rectum coram Deo, ex eo quod gratis datur, sors vocatur. Non ideò, dicit Augustin. expauescas, quia dixit in manibus tuis sortes meæ; sortes enim sunt hæreditas Ecclesiæ, & hæreditas Ecclesiæ est vsque ad vltimos fines terræ, Psalm. 2. dabo tibi hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ, num. 8. & Paul. 2. Timoth. 1. num. 9. collabora Euangelio secundum virtutem Dei, qui nos liberauit, & vocauit vocatione sua sancta, non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum, & gratiam, quæ data est nobis in Christo Iesu ante tempora secularia, manifestata est autem nunc per illuminationem Saluatoris nostri Iesu Christi, qui destruxit quidem mortem, illuminauit autem vitam, & incorruptionem per Euangelium.

Non ergo spes mea in manibus hominis, sed sortes meæ in manibus Domini, qui eripuit me de manibus inimicorum meorum, & à persequentibus me, ne præualeant mihi. Et super tribulantes me mittit manum suam, Psalm. 80. nu. 15. Et quamuis, si de hominibus Inimicis, & Hæreticis Psalmum intelligamus, non sunt tamen ij odio habendi, ne, vt dicit Augustin. Cum odit malus, quem patitur malum, sint duo mali; diligat bonus, & quem patitur malum; vt vel vnus sit malus, hæc Augustin. Ac sciant tales hæretici, & inimici homines crucifixoribus Christi esse peiores, Bernard. in Serm. de Conuers. Pauli, Agnoscite dilectissimi, & expauescite eorum consortia, qui salutem impediunt animarum, horrendum penitus sacrilegium, quod & ipsorum videtur excedere facinus, qui Domino Maiestatis manus sacrilegas iniecerunt, Psalm. 142. num. 12. Perdidisti omnes, qui tribulant me, Isai 63. num. 8. & factus est eis Saluator in omni tribulatione eorum non est tribulatus, & Angelus faciei eius saluauit eum; effundant ergo tribulati in conspectu Domini orationes suas, & tribulationes suas ante ipsum pronuntient, Psalm. 141. num. 3. & ipse Dominus exaudiet illos, Psalm. 119. num. 1. sint multi, qui persequantur te, non tamen tu declines à mandatis eius, Psalm. 118. nu. 157. quia ipsos cadere videbis, tu autem surges, & erigeris, Psalm. 19. num. 9. super quem factum est verbum Domini in gaudium, & lætitiam cordis tui, quia super te inuocatum est nomen Domini, Ierem. cap. 15. num. 16.

Inimici nostri, de quibus Psalmus, sunt Diabolus, & Angeli eius, inuident enim, vt ne illuc, vnde deiecti sunt, ascendamus nos; animas nostras, ab his Dominum Deum, vt eruat, rogemus; cum istis colluctationem habemus, de qua Paul. ad Ephes. 6. num. 12. & 13. aduersus Principes, & Potestates, aduersus mundi Rectores tenebrarum harum, contrà spiritualia nequitiæ in cælestibus.

Illumina faciem tuam super seruum tuum, vt ego illuminatus à facie tua corde tutius tibi seruiam, Psalm. 118. num. 135. & Psalm. 42. num. 1. Iudica me Deus, & discerne causam meam de gente non sancta, & saluum me fac in misericordia tua: non in mea iustitia, sed in tua misericordia: non quia ego sum dignus, sed quia tu misericors, Augustin. Domine non confundar, quia inuocaui te in domo cordis mei; sermones tuos posui in corde meo; ideò longè facias iniquitatem à Tabernaculo meo: sis mihi tu omnipotens contrà hostes meos; in vijs meis splendeat & lumen tuum, Iob 22. num. 22. cum seqq. vt illu-

illuminatus, & inclinans oculos meos sim in gloria tua, & saluus fiam, ibidem num. 29. ad te Domine cor meum direxi, spiritus ideò tuus, & flatus tuus sint mecum, Iob 34. num. 14.

Domine non confundar, quia inuocaui te. Iusta peto Domine, quia te ipsum peto, te quæro in simplicitate cordis mei, in humilitate mea, vt saluum me facias à persequentibus animam meam, qui perdere eam volunt, tu illam Domine mihi dedisti, tua est, & vt ad te reuertatur desidero. Non quæ terrena sunt peto, sed vt animam tuam, quam mihi dedisti, saluam facias, inuoco te Deum in me, vt tu Domine permaneas in me. Non confundar ergo, quia inuocaui te; quia tu dixisti te futurum mecum vsque ad consummationem sæculi omnibus diebus, Matth. 28. num. 20. tua enim sunt omnia, qui amas animas, Sap. 11. num. 27.

Erubescant impij, & deducantur in infernum, quia te Deum Creatorem non cognoscunt, dicentes, vbi est Deus eorum? Psalm. 113. nu. 2. Propter hoc, quia insensatè, & iniustè viuunt, per hæc, quæ coluerunt, dabis summa tormenta, & tamquam pueris insensatis iudicium in derisum dabis, Sap. 12. nu. 23. & seqq. tunc, & si verum Deum agnoscent cum exterminabuntur muta tamen fient labia dolosa, quando in infernum deducentur. Tunc stabunt iusti in magna constantia aduersus eos, qui se angustiauerunt, Sap. cap. 5. num. 1. & 3. & dicent, hi sunt, quos habuimus aliquando in derisum, & in similitudinem improperij, in malignitate nostra consumpti sumus, talia dixerunt in inferno, qui peccauerunt, num. 14.

Muta fiant labia dolosa, quæ loquuntur aduersus iustum iniquitatem, in superbia, & in abusione, 1. Petr. cap. 2. num. 15. Voluntas Dei est, vt benefacientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam, occidat eis Sol, quamuis adhuc dies sit, confundantur, & erubescant, Ierem. d. cap. 15. num. 9. ab omni malitia eorum, Ierem. 12. num. 22. Muta fiant eorum labia dolosa, & lingua eorum adhæreat palato illorum, & sint muti, Ezech. 3. num. 27. Quæ loquuntur aduersus Christum, aduersus iustum, iniquitatem in superbia, & in abusione, siue contemptu. Quare dicit Augustin. in superbia, & contemptu, quia, inquit, contemptibilis Iesus apparuit superbis, qui tàm humilis venit, Ierem. 49. num. 15. ecce enim paruulum dedi te in gentibus contemptibilem inter homines, idem Abdias cap. 1. vnico nu. 2. Psalm. 118. nu. 141. Adolescentulus sum ego, & contemptus: Sed quare caput, & membra in hoc mundo contemptibiles, nisi vt cum capite Iesu cohæredes, & in Cælo Reges efficiamur.

Erubescant impij, qui terrena sapiunt; vt amittant æterna. Conturbentur superbi, qui amittunt cælestia, vt cum Lucifero sepeliantur in damnatione perpetua. Deducantur in infernum labia muta, qui propter linguam eorum malignam contrà iustum labijs dolosis illum circumuenientes falsa protulerint testimonia, in superbia, & in ambitione. Nos scimus, quia hic peccator est, non est hic homo à Deo, qui Sabbata non custodit, Ioan. 9. nu. 16. & tu doces nos, cum in peccatis totus natus sis, num. 34. ibidem, quare non adduxistis illum, nunquid, & vos seducti estis? Ioan. 7. nu. 45. ignorantia, & superbia obcæcauit illos, & cum superbo detractata est ad inferos superbia illorum, ad infernum detrahentur in profundũ laci, Isai. 14. nu. 11. & 15. Damnationem istorũ iusti considerantes, & gloriam timentiũ Dominum speculante cum Psalmista clamabant.

Quàm

Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te. Hanc non cognouerunt impij, extenderunt enim linguam suam quasi arcum mendacij & non veritatis, confortati sunt in terra, quia de malo ad malum egressi sunt, & non cognouerunt Dominum, Ierem. 9. num. 3. non gustauerunt Domini dulcedinem, quia palatum de febri iniquitatis perdiderunt; quomodò ergo gustabitis, si palatum non habetis, ad hæc bona gustanda? Augustin. quomodò ostendam, si non est cui dicam, gustate, & videte, quia suauis est Dominus omnibus diligentibus se, Psalm. 53. nu. 9. Beatus qui sperat in eo.

Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine: quam abscondisti timentibus te; Perfecisti autem sperantes in te in conspectu filiorum hominum. Quomodò hæc ò Psalmista? nam contrarium habemus in Euangelio, sunt enim verba Iesu Christi, Matth. 11. num. 25. Confiteor tibi Pater Domine Cæli, & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis: paruuli sunt humiles, & timentes Dominum, quomodò ergo abscondita multitudo dulcedinis timentibus Dominum? Ierem. etiam per os Domini dixit, Oculi tui Domine respiciunt fidem, percussisti eos, & non doluerunt: forsitan pauperes sunt, & stulti ignorantes viam Domini, iudicium Dei sui, ibo ad Optimates, & loquar eis, ipsi enim cognouerunt viam Domini, iudicium Dei sui, & ecce magis hi simul confregerunt iugum, & ruperunt vincula, in cap. 5. num 3. cum seqq. omnibus ergo abscondita est dulcedo Domini, vel tantum paruulis?

Sed aduerte quia in secundo casu Ieremiæ omnes mali erant, & renuerunt accipere disciplinam, indurauerunt facies suas supra petram, ideò percussi sunt, vt ibi, quia cæcis sublata est agnitio veri Dei; paruulis verò, de quibus in Euangelio Matthæi data est gratia, quia humiles fuerunt, & fidem habuerunt, ideò arcana Scripturæ intellexerunt, per reuelationem Iesu Christi, ideò dixit, reuelasti ea paruulis, scilicet Discipulis meis; secreta sua, scilicet de Aduentu Messiæ, & de via salutis, vndè Chrysost. quem Tostat. in Matth. d. cap. 11. quæst. 57. refert, inquit. Reuelatum esse paruulis, lætitia dignum est, occultare autem Scribis, & Pharisæis non est lætitia dignum, sed lachrymis. Sapientes enim Scribæ, & Pharisæi vocabantur, qui legem interpretabantur: Prudentes verò erant, qui docebantur, sapientibus, & prudentibus absconditum fuit, quod paruulis piscatoribus Discipulis est reuelatum. Superbia ergo sapientum fuit causa, vt secretum non reuelaretur ipsis, putabant enim se Sapientes esse. Paruuli autem, qui se putabant ex humilitate sapientes non esse; reuelationem accipiunt, & ipsa humilitas est eis causa dispositiua, vt reuelentur ipsis mysteria, sicut superbis, & ipsa superbia est causa demeritoria, vt absconderentur, vt scilicet Deus, qui semper absconditus est, non eis reuelaretur, d. Psalm. 17. num. 12. & posuit tenebras latibulum suum, redeuntibus ergo, & in viam salutis incedentibus dixit Dauid, ò pueri, ò fideles, magna est multitudo dulcedinis Domini, quæ vobis adhuc abscondita, sed non sublata, immo reseruata pro vestra fruitione, & salute; illis verò, qui coràm hominibus Dominum confitentur, nec tormenta eorum timent, perfecta est in corde dulcedo, spesq. quam in Deum habent, & ideò non sentiunt tormenta Tyrannorum. Perfecta est dulcedo confitentium: quia te confitentur in conspectu filiorum hominum: glorificant te Deum Iesum Christum, Saluatorem prædicantes. Et ideò reputata est illorum confessio ad iustitiam, quia constantes fuerunt in confessione fidei, & steterunt coram hominibus

in

in magna constantia aduersus eos, qui se angustiauerunt, ad Galat.3.nu.6. & 2.Timoth.4.num.8. Reposita est mihi corona iustitiæ, quam repromisit Deus diligentibus se, ideò dicit.

Perfecisti eis, qui sperant in te, in conspectu filiorum hominum, dulcedinem: Quia loquebar de testimonijs tuis in conspectu regum, & non confundebar; Psalm.118.num.46. idcircò.

Deus abscondit eos in abscondito faciei suæ, à conturbatione hominum, à persecutione peccatorum quatenus tu non confundaris, non erubescas, Augustin. Vis viuere, vt Christianus? vis sequi vestigia Domini tui? obijcitur tibi erubescis, & erubescendo dimittis. Viam perdidisti: videris tibi corde credidisse ad iustitiam, sed perdidisti: ore fit confessio ad salutem, ad Roman.10.num.10. & num.8. propè est verbum in ore tuo, & in corde tuo, hoc est verbum fidei, quod prædicamus; quia si confitearis in ore tuo Dominum Iesum, & in corde tuo credideris, quòd Deus suscitauerit illum à mortuis, saluus eris; si vis ergo, inquit Augustin. ambulare viam Domini, etiam in conspectu hominum, spera in Deum, idest noli erubescere de spe tua, quomodò viuit in corde tuo, sic & habitet in ore tuo, hæc Augustin. Opprobrium ergo Christi tu non erubescas, qui ideò signum Crucis in fronte portas, & tunc spera tibi perfectionem fidei, & dulcedinis fore, si coram hominibus Christum non erubueris confiteri: & absconderis à tribulatione hominum in abscondito faciei tuæ. Qui sic se gerent, videbuntur oculis insipientium mori, illorum autem animæ in manu Dei sunt; exitus illorum æstimabatur afflictio, illi autem sunt in pace: etsi coram hominibus tormenta passi sint, spes illorum immortalitate plena est, Sap. dicto cap.3. in princ. in paucis vexati, in multis disponentur, quia absconditi sunt in abscondito faciei tuæ, Domine in fide quam in Christum filium tuum habent, quem intuentes, & animo considerantes illius pulchritudinem, & potestatem, cætera mortalia spernent, illuminatio enim vultus tui Domine teget eos, ne ab humana malitia conturbentur. Iob, Deus dedit, Deus abstulit; absconditus Deus erat in illo, Iob cap.1.num.21. & cap.2. per totum, foris pauper erat, intus diues: istæ gemmæ laudis Dei non exirent de eius ore, nisi thesaurum haberet in corde; Augustin. Et à contradictione linguarum eorum, qui Ecclesiam tuam quotidie inficere tentant Hæretici, & Iudæi infideles. In Tabernaculo tuo, in hac militanti Ecclesia, cuius est interpretari de vero Scripturarum sensu, proteges illos, quia quidquid ab illa definitum est, sanctum est.

Benedictus Deus, qui nos sua benedictione dignos fecit: quoniam misericordiam suam in Ciuitate contrà omnes diabolicos incursus, munita Angelorum, & hominum congregatione muniuit; Benedictus Deus, qui posuit nos in hac Ciuitate munita, Psalm.59.num.11. & in isto loco munito, Psalm.70. num.3. Psalm.107.num.21. Quoniam mirificauit misericordiam suam mihi in Ciuitate munita, in ipsomet Iesu Christo, qui est Sponsus Ciuitatis Ierusalem sanctæ nouæ de cælo descendentis, à Deo paratæ, sicut Sponsa ornata Viro suo; Istud est Tabernaculum Dei cum hominibus, & habitat cum eis, cuius Templum est Dominus omnipotens, & Agnus, Apocalyps.21.num.2. & seq. & in quo non intrat aliquod coinquinatum, d.cap.21.nu.27. posuit nos in hac Ciuitate munita, quia quos illi dedit Pater, non perdidit ex eis quemquam, præter traditorem Iudam, Ioan.cap.17.num.12. quos, inquit, dedisti mihi custodiui.

Mirificauit misericordiam suam in Ciuitate hac munita, flagellis, percussionibus, & morte tandem turpissima, propter quæ data est ei omnis potestas, omne roboris munimen in cælo, & in terra, & vt credentes in illum, cohæredes fierent in domo sua; quis deducet me in hanc Ciuitatem munitam? quis stabit in loco sancto eius? Innocens manibus, & mundo corde, Psalm. 22. nu. 25. Esto nobis Domine in Deum protectorem, & sic in locum munitum, vt saluos nos facias, dicto Psalm. 7. nu. 3. Verùm quia Dauid innocentes tantùm, & mundo corde in hanc Ciuitatem ingressuros videbat, in excessu mentis suæ, in pauore scilicet positus, considerans peccata sua, & offensiones Deo factas exclamans dixit.

Ego dixi in excessu mentis meæ, proiectus sum à facie oculorum tuorum. Quia tibi peccaui Domine, & malum coram te feci; in te conuersus pœnitentiam agens, &, vt cor mundum, & nouum creares in me, rogaui, sciens quòd non vis mortem peccatoris, sed vt magis conuertatur, & viuat, Ezech. c. 18. num. 32. Non ignorans quæ dixisti, quia si conuersus fuero, & egero pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus meis, non erit mihi in ruinam iniquitas mea, Ezech. dicto cap. 18. num. 31. Matth. cap. 3. num. 2. Ideò exaudisti vocem orationis meæ, quia clamaui ad te: & quare Ciuitatem hanc munitam non ingrediar, si conuersus à vijs meis pessimis clamaui ad te, Ezech. cap. 33. n. 11. & 12. Dixisti Domine, quod impietas impij non nocebit ei, in quacumque die conuersus fuerit ab impietate sua, & dicto cap. 18. num. 30 Conuertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobiscum in ruinam iniquitas, ideò exaudisti me, quia clamaui ad te. Propterea ad vos ò Sancti conuersus audacter dico, diligite Dominum, quoniam veritatem respexit Dominus.

Ego dixi in excessu mentis meæ, proiectus sum à facie oculorum tuorum; quia cum in multa inciderim mala, mihi videbatur, quòd tu non adiuuisti me, nec oculi tui me viderint in terram cadentem, quòdq. tu abstulisses iudicium Deus omnipotens, & in amaritudinem adduxisses animam meam, Iob cap. 27. nu. 2. Sed quomodò tu Domine, qui oculum finxisti, non consideras? Psalm. 93. imperfectum meum viderunt oculi tui, Psalm. 138. num. 16. & quæ abscondita sunt, videns abscondita cordis, cognoscis, Psalm. 43. num. 22. & absconditorum es cognitor, Daniel cap. 13. num. 42. Peccaui; recessisti à me, ideò à facie tua turbatus sum, & considerans te, timore solicitor, quum tu Deus omnipotens cor molliuisti malleo tribulationum, & conturbasti me, Iob cap. 23. num. 15. cum seq.

Propterea dixi in excessu mentis meæ, proiectus sum à te; ecce clamo ad te, ne proijcias me à facie tua, quia pœnitet me fecisse peccata, & tu Domine exaudisti me, Gregor. in homil. 10. super Ezechiel. Pensandum est, quomodò ei in electis suis mœror amaritudinis placeat, qui amittere timent Deum: si sic ei, & in reprobo placuit pœnitentia; quia perdere timebat præsens sæculum, hæc Gregor. Clama corde, non voce ad Deum, dicit Augustin. Si clamas, clama intus, vbi Christus audit; multi silentes labijs, corde clamauerunt, multi ore strepentes corde auerso nihil impetrare potuerunt. Augustin. Eia ergo ò Christiani, ò electi Dei, ò peccatores, corde clamemus ad Dominum, & exaudiet nos.

Diligamus Dominum, quoniam tunc ex corde nostro ad illum clamamus, qui est cognitor cordis: & qui veritatem requirit retribuet abundanter facientibus superbiam.

Viriliter agamus pœnitentiam toto corde nostro, & ad Dominum conuersi clamemus, dicentes, adiuua nos Domine, quia perimus, & tranquillitas fiet, & saluabit nos. Confortetur cor nostrum, ò fideles, qui speramus in Domino; quia nullus in Domino confidens repertus est confusus, Ideò in tua iustitia Deus meus libera me; accelera,& eripe me; Inclina aurem tuá,quia tu Dominus Deus meus, protector es, & refugium meum. Laquem parauerunt inimici pedibus meis, sed tu de illo educes illos; & in loco spatioso eos statues; vt saluus fiat spiritus meus; Cuius tu solus Redemptor es,& aliorum non quærentiũ vana superuacuè.

Lætabor in misericordia tua, quæ in humilibus diffusa est, saluans de necessitatibus animam fidelem, & de manu inimicorum illam liberans. Tribulatio inuenit me, propterea oculus meus, quo te mente cernebam, & anima mea, qua te diligebam, & venter meus, quo tui recordabor, conturbata sunt. Delictorum multiplicitatem respiciens conturbatus sum. Præ dolore vita mea defecit, & anni mei in gemitibus finiuntur; Opprobrium factus sum vicinis, quia infirmata est in paupertate virtus mea; ideò in paupertate Ecclesia virtus, & robur meum infirmata, quia prauos euellere, & à se eradicare non sinit Diuinitas tua, mixtos eos volens cum iustis ad eorum probationem, quocircà audaciores in persequendo me fiunt, & timor inuadit amicos meos, qui foras fugerunt à me, illisq. tamquam mortuus datus sum obliuioni; & quia in circuitu stant Ecclesiæ, vituperationem à multis recipiunt, ne sequantur Christum. Consilium inierunt, vt perderent animam meam.

SOLILOQVIVM.

EGO tamen mandata tua Domine seruabo, & in te spes mea, & sortes meæ semper erunt. Appareat super me facies tua, humanitas tua; & misericordia tua multiplex super me dilatetur. Te ipsum quæro Domine, te ipsum volo, non dedigneris exaudire me, quia inuocaui te. Obmutescant autem impij, & qui nolunt te, & in inferno sit illorum demersio, cum superbis, & iniquis. Timor tuus Domine sit in me, vt dulcedo gloriæ tuæ non abscondatur à me: Et coram hominibus confitebor te, vt, & tu in Tabernaculo tuo protegas me ab Hæreticorum contradictione: donec in Ciuitate tua cælesti mirificæ misericordiæ tuæ comprehendantur, & dilatentur super me, munita ea est tua Ciuitas pro his; qui mundo sunt corde. Recogitans tibi annos meos, in amaritudine mea paueo, sed simul, & spero, Proiectum me à facie tua verebar, adeòq. corde dolens ad te clamaui, & tu remisisti peccata mea,sicut promisisti. O vos ergo, qui vocati estis, & in Ecclesia, & tentationibus permansistis cum Christo, diligite Dominum mecum in intimo cordis, quo, & ad illum clamate non in verbis clamosis tantum: quoniam Deus, qui verax est, & noscit corda hominum, mercedem largietur vobis; superbis verò dabit pœnarum retributionem.

Viriliter agamus, non turbetur cor nostrum, quòd tribulationes patiamur; Confortetur cor nostrum sperantes in Domino, Sanctos in nostra intercessione

inuocantes, & præsertim Sanctum Confessorem Dominicum, cuius hodie festum præclarum agimus, eum deprecantes, vt pro nobis intercessor existat, qui diligendo Iesum Christum Dominum nostrum, meruit eum omni humilitate esse multarum gentium Magistrum, & Ductorem. Concedat nobis Dominus salutem, & pacem, vt in humilitate nostra vincamus omnem superbiam, & mundanam vanitatem, & Christum ex intimis cordis diligentes muniamur, & nos in sancta Ciuitate sua, & fruamur bonis sempiternis. Fiat Domine Iesu per intercessionem Matris tuæ, & Dominæ nostræ Mariæ Virginis, vt & miraculo Niuis die crastina celebrando, & extinguatur in nobis calor igneus cupidinis, & anima nostra sicut nix dealbata fruatur æterna beatitudine. Amen.

IN PSALMVM XXXI.

Beati, quorum remissæ sunt iniquitates: & quorum tecta sunt peccata.

TITVLVS huius Psalmi: Ipsi Dauidi intellectus.

Continuatur Psalmus iste ad præcedentem hoc modo. Superioris titulus erat iste, In finem pro ecstasi Psalmus Dauid. In finem, idest in Christum, ad quem peruenitur in ecstasi, designanter pauorem, & dolorem, nec non & eiusdem Christi passionem, & misericordiam Dei, quibus saluamur. In isto autem Psalmo exhibetur à Domino Dauidi, simulq. & Ecclesiæ modus, quo salubriter vtantur significatis in præexposita ecstasi, pauore scilicet, ac dolore, Christi quæ passione, ac Dei misericordia, vt saluemur, ac si dicatur. Remissionem peccatorum tuorum petas à Domino, &, vt illam obtineas confitearis peccata tua, quò Beatus dicaris, & ambules in via recta, & quæ sequuntur. Nullis ergo præcedentibus meritis nostris præcedit nos misericordia Dei, vt iustificemur.

Sine macula esse debet, qui placere Deo desiderat; & sine macula esse non potest, nisi is cui remissa est iniquitas, tectumq. peccatum, ità vt illi id Dominus non imputet. A Domino ergo est salus nostra, quia ab ipso peccatorum nostrorum remissio: hæc autem legem Dei scrutanti dantur, nàm cum ipso scrutabili, stat ipse scrutans Deus, corda hominum.

Et quidem placere Deo non potest quisquam sine intellectu, & intellectus ad hoc, vt sit bonus debet esse cum disciplina: propterea scrutatio Scripturæ est necessaria, ex qua instruimur ad disciplinam, cuius perseuerantia necessaria est cum operationibus bonis; quia super eos, qui in illis benè gradiuntur, & perseuerant firmat Deus oculos suos, vt in hoc ipsomet Psalm. num. 8. intellectus bonus omnibus facientibus eum; laudatio eius manet in sæculum sæculi, Psalm. 110. num. 10.

Inquit ergo Dauid, postquam intellectum bonum habuit, & hæc est summa huius Psalmi. Beatus eris, si in Domino sperans confitearis peccata tua, quia Deus remittet tibi.

Relicta malitia credas in Dominum, quia ipse bonus, & suauis est, & de quibus peccas, admonet, & alloquitur, vt illum sequaris, Sap. cap. 12. num. 2.

Spes

Spes tamen in Domino ità sit, vt non præsumas ad Regnum de iustitia tua, & non præsumas ad peccandum de Dei misericordia; & ab vtroque reuocat præceptum diuinum, & ab illa altitudine, & ab ista profunditate, illùc si ascenderis, præcipitaberis, hìc si lapsus fueris demergeris; August. Iterum dico, quod breuiter fixo animo teneas, ne præsumas ad regnum de iustitia tua, ne præsumas ad peccandum de misericordia Domini, nàm præsumentes de se, & de sua virtute gloriantes humiliat Deus, Iudith 6.nu.15. Quid verò facere debeas, docet Psalm. Non taceas, sed confitearis peccata tua; quia tacendo inueterantur ossa tua, sit in Domino spes tua, & operare erga Deum, & proximum bona; nàm si fidem habeas, nec charitas sit in te, nihil es, 1.Corinth.13.nu.3. Beati, dixit Isai.cap.32.nu.20. qui seminatis super omnes aquas, immittentes pedem bouis, & asini, vtentes scilicet charitate in omnes, nàm aquæ multæ, populi multi, Apocalyps.cap.7. & sine differentia, & sine acceptatione docentes, & auxilium proximo dantes, vt saluetur, ideò dixi in omnes, nàm pes bouis, & asini pedem vtrunque populum significat Gentilem, & Iudæum, beatus eris.

Hæc est intelligentia, quam ex Psalmi titulo colligimus, nempè fidem sine operibus esse mortuam, Iacob.2.nu.17. & opera etiam bona, vt puta, non occidere, &c. sine fide, nec bona vocanda, ad Roman.4.nu.2. si enim Abraham ex operibus iustificatus est, habet gloriam, sed non ad Deum. Auertat, dicit Augustin.. talem gloriam à nobis; sed illud potius audiamus, 1.Corinth.1.nu.31. qui gloriatur, in Domino glorietur, de iustitia, quæ ex fide est, non de illa, quæ est ex operibus; vndè Genes.15.nu.6. Credidit Deo Abraham, & reputatum est illi ad iustitiam; quia credidit, ideò obtulit filium, ideò ex operibus cooperantibus fidei iustificatus. In lege nemo iustificatur apud Deum, ad Galat. cap.3.nu.11. iustus autem ex fide viuit, Habac.2. num.4. idcircò dixit Paul. ad Roman.cap.3.nu.27. & 28. Vbi est ergo gloriatio tua? exclusa est. Per quam legem? factorum? non: sed per legem fidei; arbitramur enim iustificari hominem per fidem sine operibus legis; Docet nos Apostolus, ne de operibus nostris præsumamus absque fide: & ideò merito operum tuorum si accepisti fidei gratiam, ne præsumas; ecce quomodò sit impius, si in merito operum suorum præsumat. Sicut autem de operum merito absque fide recta, haud præsumendum, Ità nec præsumendum de ijsdem, nisi, & spem rectam habeamus; siquidem, aut illud speras quod sperandum est, sed non ab illo, à quo sperandum est: aut hoc speras, quod sperandum non est etiam ab illo, à quo vita æterna speranda est. Pro bonis operibus sperasti, terrenam quandam fœlicitatem, impius es, non est ista merces fidei, & spei. Cara res est fides, vili illam adduxisti; ex fide ergo quæ per dilectionem operatur, atque ex spe recta iustificatur homo non ex operibus ante fidem, Iacob. cap.2. nu.20. & seqq. Abraham offerens Isaac ex operibus iustificatus est, quoniam fides cooperabatur in operibus illius, & fides consummata est, Paul. ad Galat.5. nu.5. nos autem spiritu ex fide spem iustitiæ expectamus; nàm in Christo, neque circuncisio, neque præputium aliquid valet; sed fides, quæ per charitatem operatur; plenitudo enim legis charitas est, ad Rom.13. num.10. nàm non adulterari, &c. & si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur diliges proximum tuum, sicut teipsum: Nunc autem, dicebat Paul. 1.Corinth.13.nu.13. manet fides, spes, charitas, horum autem maior est charitas, 1.Petr.cap.4.nu.8. sine qua parum prodest, &

fides, ni illius habeat simul, & opera, sicut spes sine operatione boni nil prodest. Dæmones credunt Deum, & filium eius Vnigenitum, & sanctum Spiritum; spes tamen illis deficit, atque charitas, nec tamen quia credunt, ideò iustificantur, Act. cap. 6. nu. 17. Multa turba Sacerdotum obediebat fidei, quid enim est obedire fidei, nisi adimplere ea omnia, quæ ad formatam fidem requiruntur?

Audite, quæ dixit Iesus Discipulis, Ioan. cap. 15. nu. 8. In hoc clarificatus est Pater meus, vt fructum plus afferatis, & efficiamini mei Discipuli, & num. 10. si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea, Quod, & quale præceptum, ibidem num. 12. declarat, dicens; *Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos: maiorem hanc dilectionem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis.*

Vos amici mei estis, si feceritis, quæ ego præcipio vobis, loquitur ad habentes fidem, discipulos scilicet, & tamen operationem vltrà fidem requirit, nàm si eius volumus esse Discipuli, oportet, vt tollamus Crucem, & sequamur illum, adiungitq. Matth. 10. n. 13. Qui non tollit Crucem suam, & non sequitur me, non est me dignus, Matth. 16. nu. 24. si fides esset sufficiēs ad iustificationem, quomodò Crucem nostram, vt portemus iniunxit; quomodò si non visitauimus infirmos, pauperi adiutores non fuimus, tametsi fidem habeamus, in ignem æternum condemnabimur; Ergo Paulus Discipulus contrà Magistrum, & Dominum erit, quia fidem sufficere asserat? absit: Intelligit ergo Paulus de fide, quæ cum operibus bonis fuerit consummata; Itaque, vt non sit sterilis fides tua, stude, vt illam concomitentur opera tua bona: & tunc charitas benè operantis dabit tibi spem bonæ conscientiæ: spem enim gerit bona conscientia, sicut è contrà mala conscientia tota in desperatione, Augustin. & propterea idem Paul. 1. Corinth. cap. 13. nu. 2. Etsi fidem habeam, ità vt montes transferam; charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest, idem Paul. 1. Timoth. 1. nu. 8. Finis præcepti est charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta, à quibus quidam aberrantes conuersi sunt in vaniloquium, &c. finis autem præcepti, quid sit, docet Augustin. hic: quo perficiuntur præcepta, non quo consummuntur; Finitur cibus, vt non sit, finitur tunica, vt perfecta sit, qui vult ergo habere bonam spem, habeat bonam conscientiam, & qui vult habere bonam conscientiam credat, & operetur, hæc Augustin.

Et hæc quoad titulum istius Psalmi de exhibito disciplinæ intellectu. Prophetæ autem docenti in hoc Psalmo, hominem non proprijs meritis, sed Dei gratia saluari consonant, quæ habentur, Iob 33. nu. 16. Aperit aures virorum, & erudiens eos instruit disciplina, vt auertat hominem ab his, quæ facit, vt liberet eum de superbia.

Incipit itaque Psalm. Beati, quorum remissæ sunt iniquitates: & quorum tecta sunt peccata; Beatitudo igitur hominis est esse sine peccato, hoc est, si sint sibi à Deo remissa peccata; hic enim laudabilis, & gloriosus, quia in gratia est Dei omnipotentis, remissio quippè peccatorum ex collata est eiusdem Dei gratia, quæ autem prærequirantur ad istius diuinæ gratiæ adeptionem, audi Ioan. os aureum, de quo in cap. Non potest, de pœnit. dist. 1. quod est cap. 41. Non potest, inquit, quis gratiam Dei cælestis accipere, nisi prius purgatus fuerit ab omni sorde peccati, per pœnitentiæ confessionem, per donum Baptismi Saluatoris. Et Ambros. in lib. de Paradiso, non potest quisquam à peccato iustificari,

nisi peccatum antea fuerit confessus, de quo in cap. Non potest, quod est 38. & in cap. Sufficit, quod est 61. de poenit. distinct. 1. sufficit poenitenti confessio, quae primum Deo offertur, deindè Sacerdoti, &c. perfecta verò poenitentia cogit peccatorem omnia libenter sufferre: in corde enim contritio, in ore confessio, in opere tota humilitas, haec est fructifera poenitentia, eadem distinct. 1. de poenit. quod est 40.

Beati, quorum remissae sunt iniquitates: & quorum tecta sunt peccata. O te felicem Dauid, qui de Gregis custodia ad Regnum perductus, non tamen, quia Rex es, beatum te dico; at ideò beatus es, quia remissa sunt tibi peccata. Etenim in crimen lapsus adulterij, & homicidij, per multos menses de delicto minimè fuisti correptus cum in terris te maiorem, qui te corripere posset non inuenires, & tamen post intellectum tibi à Deo datum, non superbisti, quod Rex esses, sed humiliatus ad Nathan Prophetae increpationem peccatum confitendo, ab eodem Propheta, à Deo misso audisti, transtulit Dominus peccatum tuum, 2. Reg. cap. 12. num. 7. Itaque non de Regno tuo, non de potestate tua terrena, sed quia audisti Dominum transtulisse peccatum tuum; in te reuersus, Beatum dixisti, cuius remissae sunt iniquitates, & peccata.

Sed aduerte Dauid, quia non tibi poena, sed tantum culpae remissio dicitur, & ideò non recedet gladius de domo tua, vsque in sempiternum, & puer, qui ex Bethsabea natus est, morietur, d. cap. 12. 2. Reg. 9. acceptat poenam Dauid, iacet in terra ieiunus, ibidem num. 16. dat in celebrationibus decus, ornat tempora vsque ad consummationem vitae, vt laudarent nomen sanctum Domini, & amplificarent mane Dei sanctitatem, Ecclef. 47. num. 12. & ideò Dominus purgat peccata eius, nu. 13. & hunc Beatum asserit, cui Dominus non imputauit peccatum; vt cognoscant posteri, non glorificandos, quia sint Reges, non quia potentes, sed quia Deum timentes, & disciplinam eius recipientes, atque poenitentes, & humilianti, talos enim diligit Deus, & illorum peccata dimittit; hosq; verè beatos, hos felices, quia audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.

Beatus, cui Dominus dat intellectum; vt dolens de peccatis suis remissionem mereatur obtinere à Domino, & indulgentiam peccatorum, vt ambulet in vijs eius vsque ad finem; Nec sine ratione beatus, cuius remissa est iniquitas, nàm in Dei gratia is positus dicitur; quid verò desiderabilius, quid maius gratia Dei? qua peccata tolluntur, August. contra Iulian. de quo in cap. Nemo tollit, de Consecrat. distin. 4. quod est 139. Nemo inquit, tollit peccata mundi, nisi solus Christus, qui est Agnus tollens peccata Mundi: tollit autem, & dimittendo, quae facta sunt, vbi & Originale continetur, & adiuuando, ne fiant; & perducendo ad vitam, vbi fieri omninò non possunt. Nota varios diuinae Iustitiae effectus.

Beati quorum remissae sunt iniquitates, per gratiam Iesu Christi, si tamen contritio, & confessio tua praecesserint ad peccatum cognitum execrandum, & excitandam fidem, ad quaerendam, & inueniendam remissionem peccati virtute Sacramenti, meritò Passionis Christi Iesu, qui solus est expiatio peccati.

Tria sunt, quae in hoc Psalm. complectitur Dauid, vt gratiam apud Dominum inueniamus, Remissionem iniquitatum per confessionem, praecedente contritione, quae non habetur sine Dei gratia praeueniente, de poenit. distinct. 1. cap. 1. & 2. tegumentum peccatorum, teguntur autem peccata per satisfactionem, & bono-

bonorum operationem, Ambrof.lib.de Ieiunio. Operimentum eſt, quod animam tegit, ne à tentatione deprehendatur, ne à tentatione nudetur, tegit abſtinentia, tegit gratia, dum remittit: tegit abſtinentia dum abluit. Et hæc adiuuat Dei gratia ne fiant, vt dicit Auguſtin. & Gregor. homil.4. ſuper Ezech. Peccatum tegimus cum bona facta malis actibus ſuperponimus, iſtud tegumentum eſt ſubtractio propriæ voluntatis, quæ optimè fit per opera pœnalia.

Et Beati quorum ſunt tecta peccata, & hæc tria tibi erunt ſi contritus, & confeſſus, confidensq. in Domini Paſſione præteritorum delictorum te pœnituerit, & per abſtinentiam, & per bona opera à futuris te abſtinueris; nàm Deus hæc ex parte tua adimplendo, adiuuabit, tegetq. ne cadas, & tertio perducet te vitam, vbi peccata fieri non poſſunt omninò, & ideò hic pro hoc tertio dicit.

Beatus vir, cui non imputabit Dominus peccatum, nec erit in ſpiritu eius dolus, neque eſſe poterit, quia ad vitam æternam impeccabilem per merita Paſſionis Ieſu Chriſti perducetur.

Beati ergo, quorum remiſſæ ſunt iniquitates per contritam confeſſionem, & quorum tecta ſunt peccata per abſtinentiam, & per bona opera; Beati ſunt tales, quia illis, non imputabit Dominus peccatum, nec erit in ſpiritu eius dolus, quia ducetur in locum vbi non eſt peccatum.

Beati ergo verè pœnitentes, in quorum ſpiritu non eſt dolus, vtpotè, qui confitentur peccata ſua, quæ gratia Ieſu Chriſti, & merita Paſſionis eius illis remiſſa ſunt. Benè autem adiectum, nec in ſpiritu eius dolus. Ne quis doloſè ipſa ſua agat in peccatorum confeſſione, deq. eorum gaudeat putata remiſſione: ne quis doloſè operiat peccata ſua, ſicut Phariſæi; qui vt monumenta dealbata à foris, iuſti videbantur, intus verò pleni dolo, & iniquitate, Matth. 23. num. 27. mundant enim quod de foris eſt calicis, & paropſidis, intus autem pleni ſunt rapina, & immunditia, ibid. Matth. nu.25. doloſi enim ſunt, & proptereà iniqui, ideò de corde puro, de conſcientia vera debet fieri confeſſio, & talium tecta ſunt peccata, Auguſtin. Nec ſic intelligatis, quod dixit peccata cooperta ſunt, quaſi ibi ſint, & viuant: tecta dixit, vt non viderentur; quid enim erat Dei videre peccata, niſi punire peccata? hoc eſt enim Dei videre peccata, ideſt punire peccata; vnde in Pſalm. 50. Auerte faciem tuam à peccatis meis, peccata ergo tua non videat Deus, vt te videat, ſicut Nathanaelem, cum eſſet ſub arbore fici, Ioan. 1. num. 47. Vmbra fici non impediuit oculos miſericordiæ Dei, vidit, cum eſſet ſub ficu, quia ſcilicet dolus in eo non erat, ibid. nu.46. ideò vidit opera ſua bona Ieſus, vidit fructum bonum humanitatis ſuæ; folia fici nec arida erant, ſed virida, ideò ficus groſſos produxerat ſuos, Cantic. cap. 2. num. 13. Cuius fructus dulcis gutturi ſuo, num. 4. faciat Deus, dum in hac carne permanemus, fructus noſtros bonos, dirigat voluntates noſtras, vt ipſi fideliter ſeruiamus; ficus arida non fiat, vt fructus illi dignos reddamus; dolus nec ſit in ſpiritu noſtro, ſed mens pura, mens ſancta ſit nobis in vijs illius, & non abſtrahatur ad aliena, Prouerb. 7. num. 25. nec ſimus mente pertractantes præuaricationem, Nahum cap. 1. num. 11. ſed annos æternos in mente habentes, Pſalm. 77. num. 6. mente ſeruiamus legi Dei cum Apoſtolo, ad Rom. 7. num. 25. vbi inquit: Orabo ergo ſpiritu, orabo & mente; pſallam ſpiritu, pſallam & mente; fratres nolite fieri pueri in ſenſibus, ſed malitia paruuli eſtote; ſenſibus autem perfecti eſtote, 1. Corinth. 14. num. 15. cum ſeqq.

Non

Non sit ergo in spiritu nostro dolus, sed in mente habeamus, qualiter acceperimus, & audiuerimus, vt seruiamus Deo, pœnitentiam agentes, Apocal. cap. 3. num. 3. abominatio enim est Domino labia mendacia, Prouerb. 12. num. 22. Deus tegat vulnera nostra, non nos tegamus, dicit Augustin. quia si tu tegere volueris erubescens, Medicus non curabit, Medicus tegat, & curet, emplastro enim tegit, sub tegmine Medici sanatur vulnus, sub tegmine vulnerati celatur vulnus, sed non ei, qui omnia nouit.

Quoniam tacui inueterauerunt ossa mea, dum clamarem tota die. Si clamasti, quomodò tacuisti? Tacuit, quia non confessus est peccata sua: clamauit, quia in meritis suis confisus, bona ex suo merito sperabat. Ecce quomodò clamat, non sum sicut cæteri hominum, adulteri, rapaces, &c. Luc. 18. nu. 11. vel clamabant eius peccata multiplicata, sicut Sodomæ, & Gomorrhæ scelerum clamor multiplicatus erat, Genes. 18. num. 20. & peccatum eorum aggrauatum erat. Ideò inueterauerunt ossa mea, ex consuetudine peccandi, quæ clamabant apud Deum tota die. Remansi in vetustate, qui nolui confitendo amare nouitatem, Augustin. Dum clamarem tota die, quia quotidie peccabam, & peccata mea erant contrà me, illaq. clamabant apud Deum, & clamorem exactoris non audiebam, Iob 39. nu. 7. clamabat illudendo peccatum, & tamquam stultus confusus remanebat, Prouerb. 24. num. 9. clamabat conscientia, quia peccata opprimebant illam. Et benè facit, quod dixit Iob 30. num. 16. tunc autem marcescit in me metipso anima mea, & possident me dies afflictionis.

Quoniam die, ac nocte grauata est super me manus tua, dum configitur spina, nec mirum si post in se reuersus confiteatur delictum suum: nam mulctato pestilente sapientior erit paruulus, & si sectetur sapientem, sumet scientiam, Prouerb. 21. num. 11. Faciunt, quæ dicta sunt per Isai. 25. per totum, & nu. 12. & extendet manus suas sub eo, sicut extendit natans ad natandum, & humiliabit gloriam eius cum allitione manuum eius. Exaltabatur Phariseus, & humiliatus est, humiliabatur Publicanus, & exaltatus est, vt humilietur Phariseus, manus Domini super illum, vt grauet, vt exaltetur Publicanus humilitas intercessit. Vide quàm dispar sit exitus, quam manus Domini differentes pariat effectus; illum grauat, qui se exaltat, pondere manus suæ: istum subleuat, quia fortis ad istum subleuandum, sicut fortis est ad superbum humiliandum, Augustin. Quàm leuis fuit manus subleuantis, vt in illo fortis, & in illo fortis ad illum præmendum, fortis ad illum subleuandum, ideò sequitur.

Conuersus sum in ærumna mea, dum configitur spina, propterea, quia grauata est super me manus tua: continuæ tribulationes apprehenderunt me, & factus sum miser, dum configitur spina; dum à conscientia mea quotidie compungor, dum conscientia peccati pungit me, Iob 30. num. 17. nocte os meum perforatur doloribus, & num. 27.

Interiora mea efferbuerunt, absquè vlla requie, præuenerunt me dies afflictionis, & ossa mea aruerunt præcaumate, nu. 30. in Hebræo enim legitur conuersus est viror meus in siccitate æstatis, quæ siccat omnia; æstas enim, & vt melius dicamus; Sol iustitiæ quasi igneos radios exsufflans immittit, Ezech. 30. num. 12. & faciam alueos fluminum aridos, & Psalm. 65. nu. 6. conuertit mare in aridam, & continuò animam, & conscientiam peccatoris stimulat, ità cruciatur ex se peccator, vt ossa eius exsiccentur, Prouerb. 17. nu. 22. Greg. Moral. 29.

Plagæ in secretioribus ventris absterguntur mala, cum exterius percutimur ad peccatorum nostrorum memoriam tacti, afflictiq. reuocamur.

Confixa est spina; compuncta est conscientia; & ideò quia cognouit, & Deus ignoscit; Deus operuit, quod illi ego notum feci; operuit, quia tegit, quia occultauit, quia pepercit, & ideò impietatem peccati mei remisit. Delictum ergo meum cognitum tibi feci, quia tu Domine cor meum spina confixisti, quia compuncta conscientia me miserum inueni. Postquam gratiam Dei me amisisse cognoui, dixi tibi, peccaui, & delictum meum notum tibi feci. Anteà non clamaui ad te confitendo illud, modò hanc iniustitiam meam non abscondo: nàm quandiù tacui, & silui à bonis, dolor meus renouatus est, & inueterauerunt ossa mea.

Nunc scio Domine, quia non est hominis via eius, nec viri est, vt ambulet, & dirigat gressus suos, corripuisti me Domine, veruntamen in iudicio, & non in furore tuo, ne fortè ad nihilum redigeres me, Ierem. 10. num. 23. & ideò delictum meum cognitum tibi feci, quia locum pœnitentiæ tu mihi dedisti in peccatis, & peccata mea miserando dissimulasti propter pœnitentiam, Sap. 11. num. 24. & cap. 12. nu. 10. & 20. iustus enim est accusator sui, Prouerb. 18. nu. 17. ideò, vt iustificetur dixit, peccata sua, Psalm. 50. Hieron. in lib. 1. Comment. in Matth. cap. 19.

Audite mirabilia fratres: Manus Domini tangit peccatorem inueteratum; punit Deus, vt saluet: vulnerat, & medetur: turbat, vt gaudeat; ibi grauata est manus sua, quia confixit spinam; fixa spina conuersus est peccator, in ærumna, in miseria, in sui perditionis cognitione.

Ego opulentus repentè contritus; tenuit ceruicem meam, confregit me, Iob 16. num. 13. mordet conscientia in corde, delictum suum patefacit, & iniustitiam suam; iàm habemus peccatorem, & contritum, & pœnitentem, sequitur confitendi propositum, nec dum tamen est confessus, nàm dixit confitebor, & statim subsequitur peccatorum remissio, dixi confitebor, & tu remisisti impietatem delicti mei, Isai. 65. num. 24. eritq. antequam clament, ego exaudiam, adhùc illis loquentibus ego audiam, quia confitendi propositum habuit, & ità dicendum, quòd in voto confessus fuerit; cùm aliàs Deus, qui est cognitor, & scrutator cordium, & probat renes, Ierem. cap. 11. num. 20. & cap. 12. num. 10. si confitendi propositum non habuisset, nec veram contritionem habuisset, peccata illi non remisisset.

Præcedit ergo Dei gratia, qua manus Dei aggrauatur, & super peccatorem configitur spina, & conscientia turbatur, sequitur contritio, qua conuersus est in ærumna, & tertiò denique delicti manifestatio, qua suo tempore Sacerdoti fit confessio.

Verùm, quia superius Dauidem monuimus, non pœnam, sed culpam illi remissam; sanctus Propheta, cui benè hæc omnia nota erant, subiungit post, Deo factam delicti sui confessionem ex ore suo, nàm Deo nota sunt omnia absque nostra manifestatione, & accusatione.

Confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino. Non aduersus alium; ipse enim, inquit, sum reus culpabilis; ipsemet peccator qui coram te peccaui; tu verò remisisti impietatem delicti mei, delesti culpam, & impietatem delicti, pro qua venit pœna infligenda, remisisti. Sed quomodò remisisti? Remisit,

inquit,

inquit, in tempore opportuno, tunc enim pro deletione totali orabit omnis Sanctus. Tempus verò opportunum id erit, quando filius Dei venerit, ad liberandas animas Sanctorum Patrum, & aliorum fidelium ab inferno, vbi detinebantur vsque ad aduentum illius; Veni Domine inquit, noli tardare, relaxa facinora plebis tuæ.

Tempus opportunum erit, quando manifestabitur testamentum nouum, quando manifestabitur gratia Christi, dicit Aug. quocircà Isai. 49. nu. 8 7. ecce dedi te in lucem gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ, & n. 8. in tempore placito exaudiui te, & in die salutis auxiliatus sum tui, &c. hunc locum allegat Paul. 2. Corinth. 6. n. 2. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. Opportunum tempus, quia iàm venit Christus, vt deleat peccata nostra; opportunum nobis ad exorandum, dum in hac vita manemus. Antè obitum tuum operare iustitiam, quoniam non est apud inferos inuenire cibum, Eccles. 14. nu 47.

Et ideò omnis Sanctus pro hac impietatis remissione, non expectato aquarum diluuio, idest iudicio vniuersali, sed in tempore opportuno, tempore acceptabili, durante scilicet vita sua orabit omnis Sanctus: nàm post mortem cessabit talis oratio, Bernard. in Serm. de omnibus Sanctis, ecce hæc sunt, quæ mundant oculum cordis oratio, & confessio, ideò post mortem cessant, quia tunc tempus erit iustitiæ, & non misericordiæ, nunc verò tempus pœnitentiæ, & confessionis, ecce ergo tempus acceptabile, dicit Paul. ecce nunc dies salutis, in futuro verò, tempus erit retributionis, & ideò Iesus, vt in Matth. 25. num. 41. his, qui à sinistris erunt, dicet, discedite à me maledicti in ignem æternum.

Veruntamen in diluuio aquarum multarum ad eum non approximabunt, per preces suas. Pro hac ergo peccati remissione orabit omnis Sanctus in tempore opportuno; ego verò orationem meam ad te Domine tempus beneplaciti Deus, Psalm. 68. num. 14. omnis Sanctus, idest Ecclesia, in qua tot Sancti reperiuntur in tempore opportuno, in die tribulationis, in beneplacito tuo Domine, inuocabit te, Eccles. cap. 2. num. 12. & 13. quoniam pius, & misericors est Dominus, & remittit in die tribulationis peccata, & protector est omnibus requirentibus se in veritate. In tempore opportuno orabit, ità vt in diluuio aquarum multarum ad illum aquæ non approximent, idest, vt dixi, in die nouissimo, pœnæ, quæ super impios mandabuntur, non approximent tali pœnitenti, aquæ enim multæ non poterunt extinguere charitatem, Cantic. 8. num. 7. nec fluuius obruet eam, non demerget illum tempestas aquæ, neque absorbebit illum profundum, neque vrgebit super illum puteus os suum, d. Psal. 68. nu. 16.

Veruntamen in diluuio aquarum multarum permanentes, qui natant in diluuio aquarum multarum, in multiplicitate variarum doctrinarum, cum vna sit orthodoxa doctrina Dei; sicut vna est aqua salutaris Baptismi, ad Deum non approximabunt, vnaquæque gens fabricata est Deum suum, 4. Reg. 17. nu. 29. sed ad Deum non appropinquabunt. Consulite Beelzebub, dicebat Ochozias, ideò ab Elia audiuit, morieris, 4. Reg. cap. 1. num. 4. In tribulatione erat, nam ægrotabat, clamabat, sed tacebat, ideò inueterata sunt ossa eius, non patefecit delictum suum Domino, neque contritus erat, nec confessus; ideò audiuit, morieris. Ad Deum non appropinquabit, quia erat in diluuio aquarum multarum. Vera aqua est, quæ docet confiteri Domino, Psalm. 91. quæ docet confiteri peccata, Psalm. 40. num. 5. ego dixi Domine miserere mei; sana animam meam,

meam, quia peccaui tibi, miserere mei, quia tibi soli peccaui, Psalm. 50. nu. 5.

Auertat nos Deus ab isto aquarum diluuio; non sumus in illo, sed circundamur ab illo, præmunt nos, sed non opprimunt, dicit Augustin. vrgent, sed non demergunt.

Esto nobis Domine tu refugium, & præssura, quæ circundat nos, exultatio mea redime me. Audio, inquit Augustin. vocem gaudij, exultatio mea, audio gemitum, redime me; gaudes, & gemis; gaudeo in spe, gemo adhùc in re, Paul. ad Rom. cap. 12. num. 12. Spe gaudentes, in tribulatione patientes, exulto igitur, quia spe gaudeo, gemo, quia in tribulatione patior, & patiens sum, ideò redime me, Paul. ad Rom. 8. num. 23. Ideò ingemiscimus ipsi in nobismetipsis, primitias spiritus habentes adoptionem filiorum Dei expectantes, redemptionem corporis nostri, & num. 24. Spe enim salui facti sumus; spes autem, quæ videtur, non est spes, nàm quod videt quis, quid sperat? si autem quod non videmus speramus, per patientiam expectamus, Augustin. Si speras gaudes, si per patientiam expectas, adhùc gemis; non enim opus est patientia, vbi nihil mali perpateris, vbi præmeris, ibi est angustia. Ergo si per patientiam expectamus, adhùc dicimus, redime me à præssura, quæ circundedit me; quia verò spe salui facti sumus, simul vtrunque dicimus. Exultatio mea redime me, tolerantia, quæ dicitur longanimitas, quæ dicitur patientia, quæ dicitur non est nisi in malis, hæc Augustin.

Tu es refugium meum in tribulatione, quæ circundedit me, non enim in varijs sum doctrinis, non in multitudine aquarum multarum immersus, sed circundatus: ingemisco redemptionem corporis mei expectans, ideò tamen tribulor, quia circundant me; exulto tamen, quia in te spes mea est, vt eruas me à circundantibus me Hæreticis, & tribulationibus. Meruit responsum accipere David, merear, & ego pœnitens audire, quia dabis mihi intellectum, vt instruas me in via, qua gradior, firmans oculos tuos, non vt in ea hæream, sed vt ab ea non aberrem, donec perueniam ad illam, vbi non iàm spes, sed res erit; interim gradiens per illam spe gaudebo, quia eripies me à circundantibus me, nàm, vt dicit Greg. Moral. 23. Per nocentia vitia discimus, quod nobis perferientia flagella agnoscimus, quid de hoc mundo fugiamus; per illa enim restringimur, ne intrinsecus extollamur, per ista comprimur, ne quid extrinsecus appetamus; hæc Sanctus Greg. Propterea Deus refugium meum, & liberator meus, Dominus firmamentum meum, & refugium, & liberator meus, Psalm. 45. num. 1.

Tu es refugium meum à tribulatione, qua circundedit me, exultatio mea erue me à circundantibus me. Remissa est culpa, remissa est tibi impietas peccati tui, quomodò nunc dicis, vt liberet te in tribulatione, & à circumstantibus? Pœna est propter delictum, iam asseris tibi remissum delictum, ergo & pœna. Culpa remissa fuit, quia confessus est peccatum, quia pœnituit, quia doluit. Attamen ideò tribulationes sunt, quia non est remissa pœna; sed etiam non remissa pœna permanet gratia Dei, tutum refugium nostrum, consolatio nostra, exultatio nostra: Sis tu Domine mihi in refugium, adiutor mihi, nàm non timebo mala, quia tu mecum es; immo Virga tua, & baculus tuus ipsa me consolata sunt, Psalm. 22. num. 4. quia virga est directionis, Virga Regni tui, Psalm. 43. num. 7. Virgam æquitatis vocat Paul. ad Hebræos cap. 1. num. 8.

Vera æquitas, quia per illam ducimur ad Regni Cælestis fruitionem, hæc est enim illa disciplina, quæ nos ducit ad vitam, Prouerb. 10. num. 17. Via vitæ custodienti disciplinam. In arca Tabernaculi in Sancta Sanctorum erat Vrna aurea habens manna, & virga Aaron, quæ fronduerat, ad Hebr. 9. nu. 4. fronduerat enim, quia patienter tribulationes supportantes proficiunt de virtute in virtutem, de tribulatione ad patientiam, de patientia ad gloriam; illis enim, qui veritatem, & misericordiam in cordibus suis custodiunt, quid repromittitur? inuenient gratiam, & bonam disciplinam coram Domino, Prouerb. 3. nu. 4. diligamus ergo disciplinam, si volumus habere sapientiam, si Dei filium habere desideramus, Prouerb. 12. num. 1.

Sed si exultas, iterum dico, quomodò tribularis? Exulto, quia vigilans, propter aduentum filij hominis citò futuri, & si coniecturæ, dandus est locus signis, & securus sim, Sap. 6. nu. 16. & 19. sed quomodò securus, quia cura disciplinæ dilectio est, & dilectio custodia legum illius est, custodia autem legum consummatio incorruptionis, incorruptio autem facit proximum Deo, concupiscentia ergo sapientiæ deducit ad Regnum perpetuum, num. 21. tribulationis tentatio probat homines iustos, Eccles. 27. nu 6. & ad clamorem eorum Dominus liberat eos, quia iuxtà est Dominus ijs, qui tribulato sunt corde, d. Psalm. 33. nu. 18. cum seqq. & protector eorum in die tribulationis, Psalm. 36. nu. 39. & 40. & facit ad Hebr. 12. nu. 11. omnis enim, inquit, disciplina in præsenti quidem videtur non esse gaudij, sed mœroris; posteà autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet iustitiæ, & ad Thessal. 1. n. 6. Et vos imitatores nostri facti estis, & Domini, excipiẽtes verbum in tribulatione multa, cum gaudio Spiritus sancti; ecce quomodò tribulatio in susceptione verbi, & quomodò exultatio cum gaudio Spiritus sancti; qui nobiscum est in tribulatione, Psalm. 90. n. 15. quia in tribulationis fine apparebit fluens mel, in quo intingere poteritis in summitate Virgæ, & illuminabuntur oculi vestri, 1. Reg. 14. nu. 27. nàm tribulationes, quas in seruos suos permittit Deus in hoc mundo, quid aliud sunt, nisi parum quid pro salute tua pati, vt non ipsam Dei Virgam, sed tantum summitatem illius Virgæ patienter sustinens; dulcia gustes de manu Dei; in summitate enim Virgæ Dei, vt in læuitate pœnæ tu correptus sis, in cuius summitate etiam apparebit fluens mel, si manu tua illum attingens, ori tuo posueris illum, bona operando, & laudes Deo dando gustabis, & lucem perpetuam obtinebis, Ideò leuis respectu gaudij perpetui dicitur tribulatio huius mundi, occidere enim animam non possunt, etsi corpus lacerent, quia in paucis vexati, in multis disponentur, Sap. cap. 3. nu. 5. aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione.

Exultatio mea erue me, non subtrahendo, sed me ad te trahendo, vt exultans veniam ad te, susceptor meus, & refugium meum, Psalm. 58. num. 17.

Intellectum tibi dabo, & instruam te in via hac, qua gradieris; Da nobis igitur auxilium de tribulatione, quia vana salus hominis, Psalm. 59. nu. 13. Erue me à circundantibus me, non vt de tribulationibus eripias, sed saluum me fac, vt custodiam mandata tua, Psalm. 118. nu. 146. mandata enim tua meditatio mea est, & si tribulatus, & angustiatus sim, ibidem nu. 143. scio enim quod per multas tribulationes oportet intrare in Regnum Dei, Act. 14. nu. 21. nec facio animam meam pretiosiorem, quam me; Act. 20. nu. 23. non impediant in malis me circundantes, viam rectam, vt possim ad te venire per semitas mãdatorum tuorum,

ne ad te venienti iter occludatur. Tribulant me isti, sed tu refugium meum deduces me, & ideò paruipendo tormenta illorum. Erue me à circundantibus me: Dauidi, seù Ecclesiæ oranti respondit Deus.

Intellectum tibi dabo, & instruam te in via hac, qua gradieris, firmabo super te oculos meos. In via, quæ est Christus, ipse enim est Via, Veritas, & Vita, ipse enim ducet cæcos in viam, quam nesciunt, & in semitis, quas ignorauerunt ambulare illos faciet, Isai.42.nu.16. & ideò dixit Isai. 54. decanta sterilis laudem, quæ non pariebas, quia Deus firmauit oculos suos super te, dicens: Intellectum tibi dabo; intelligentia enim Dei, seù sapientia illius, ipse est filius Vnigenitus Iesus Christus, dabo tibi, inquit intellectum: mittam scilicet filium meum in mundum, & ipse instruet te in via sua, qua gradieris. Ille est, qui à Deo venit Magister, Ioan.3.num.2. Ideò Petrus nomine Ecclesiæ aiebat, Magister, sequar te, quocunque ieris, Matth.cap.8.nu.19. quia solus, vnusq. est Magister Christus, Matth.23.num.10. qui instruit Ecclesiam sanctam suam, vt gradiatur in via sua; abnegantes ergo nos, & desideria sæcularia nostra, sequamur Dominum, si volumus post illum venire.

Nec mirum, si dicat; Intellectum tibi dabo, nàm qui misit illum, secum est, & non reliquit illum solum, properea dixit, tibi dabo, Ioan.8. num.29. Ego enim, & Pater vnum sumus, dicebat Iesus, Ioan.cap.10.nu.30. & is quem misit Deus, verba Dei loquitur, Ioan.cap.3.num.34. Ego ex me ipso non sum locutus, sed qui misit me Pater, ipse mihi mandatum dedit, quid dicam, & quid loquar, & scio quod mandatum eius vita æterna est: Quæ ego loquor, sicut dixit mihi Pater, sic loquor, Ioan.12.num.50.

Propterea, ait, intellectum tibi dabo, ipsemet est enim Deus, qui loquitur, & instruam, & firmabo super te oculos meos, ità vt nec portæ inferi præualeant aduersum te, Matth.16.nu.18. Sursum sit mens tua, nec terrena respicias, & cor tuum non putrescet. Illi est cura de nobis, ideò omnem solicitudinem nostram super illum mittamus, 1.Petr.cap.5.num.7. Et instruam te in via, quæ semita, sancta vocabitur, per quam non transibit pollutus. Et hæc erit vobis directa via, ità vt stulti non errent per eam; non erit ibi leo, & mala bestia, non ascendit per eam, nec inuenitur ibi; & redempti à Domino conuertentur, & venient in Sion cum laude, & lætitia sempiterna super capita eorum, Isai.cap.35. nu.8. Firmabo super te oculos meos. Non aufert Dominus à iusto oculos suos, Iob 36. num.5. Psalm.33. num.16. Oculi Domini super iustos, & aures eius ad preces eorum; Custodiunt ergo vias meas oculi eius, Prouerb. cap.15.nu.26. Iob cap.34.num.11.

Oculi quoque mei sint semper ad Dominum, Psal. 24. quomodò ipse euellet de laqueo pedes meos, August. Quasi diceret; Quid faceres de pedibus tuis, cum non ante te attendis, oculi eius sunt in vijs tuis, Iob 24.nu.23. & tu oculus sis cæco, & pes claudo, Iob 29.nu.15. hoc est sis tu erga pauperes, & proximos charitate plenus, & illis adiutor, vt permaneas, & tu ante oculos Domini; nàm oculi Domini malos contemplantur, & bonos, Prouerb.15.nu.13. ergo & tu leua oculos tuos semper ad Dominum, extollet oculus tuus lachrymarum multitudinem, Iob 16.nu.21. quia ipsæ lauant crimina tua, remissas manus, & soluta genua erigite, dicit Paul. ad Hebr. d.cap.12.nu.12. & gressus rectos facite pedibus vestris, vt non claudicans quis erret, magis autem sanetur. Et non dicas à Deo

ab-

abſcondar; & ex ſummo quis mei memorabitur, in populo magno non cognoſcar, quæ eſt enim anima mea in tàm immenſa creatura, Eccleſ. 16. nu. 16. nàm videt omnia Deus, & viæ veſtræ coram Deo non ſunt abſcondita ab oculis ipſius, & oculi eius ſine intermiſſione aſpicientes, in vijs veſtris, quæ non ſunt ab oculis eius abſconditæ, Eccleſ. cap. 17. num. 13. & 16.

Nolite fieri ſicut equus, & mulus, quibus non eſt intellectus. Non cognoſcunt tales Dominum, ſicut Bos, & Aſinus, qui cognouerunt poſſeſſorem ſuum, Iſai. 1. nu. 2. & 3. & Præſepe Domini ſui: Sunt equus, & mulus, qui Deum à ſe, & à mente ſua excludunt, & libidini vacant, cum ipſis non ſit intellectus, Tob. 2. nu. 17. Contrà quos, vt Eccleſia inſurgat, Deus iubet, dicens; In chamo, & fræno maxillas eorum conſtringe, qui non approximant ad te, Prouerb. 5. nu 22. Iniquitates ſuæ capiunt impium, & funibus peccatorũ ſuorum conſtringitur. Ideò Eccleſia ieiunia conſtituit, quò vitia comprimuntur, & ità concupiſcentiam refrenamus. Grauis ignis eſt, inquit Ambroſ. 6. de Pœnit. non demus illi alimenta luxuriæ, paſcitur libido conuiuijs, nutritur, & delitijs, vino accenditur, ebrietate inflammatur, Ezech. 38. n. 4. circumagam te, & ponam frænum in maxillis tuis. In chamo, & fræno puniat Eccleſia, non appropinquantes ad ſe, vtrunque enim gladium habet. Dum configitur ſpina, conuertitur peccator in ærumna, vexatione dante intellectum. Quòd ſi non conuertatur nimis reſiſtens chamo, & fræno, ſic indomitus, vt dicere de illo queat: Prodit tamquam ex adipe iniquitas eius, Pſalm. 72. nu. 7. Aſcendat indignatio Domini contrà illum in furore ſuo, Ezech. vt ſuprà, num. 19. cum ſeqq. Equus indomitus euadet durus, & filius remiſſus euadet præceps, Eccleſ. 30. num. 8.

Poſſunt eadem ſumi, vt verba Eccleſiæ ad Deum orationes fundentis pro prædictis peccatoribus, & pro infidelibus, vt in chamo, & fræno illos conſtringat, nempe pro populo Gentili, qui equo indomito comparabatur propter ſuam ſuperbiam: Populus autem Hebræus mulo, propter eius tarditatem, & ſegnitiem, ſeù pigritiam, ponamus Gentilitati frænum per os, & ſapientiam prædicantium Apoſtolorum, cui ipſi contradicere non potuerunt, & miraculorum frequentiam, propter quæ appropinquantes facti ſunt Ieſu Chriſto, in illum credentes, Iſai. 52. nu. 10. Parauit Dominus brachium ſanctum ſuum in oculis omnium gentium, & & num. 15. ſuper ipſum continebunt Reges os ſuum, quia quibus narratum non eſt de eo, viderunt; & qui non audierunt, contemplati ſunt, & Iſai. 49. nu. 22. Ecce leuabo ad gentes manus meas, & ad populos exaltabo ſignum meum, &c. & num. 23. vult in terram demiſſo adorabunt te, & puluerem pedum tuorum lingent. Pigritiam verò populo Iudaico conſtringet, niſi enim in fine, quando fiet vnum Ouile, & vnus Paſtor, pigri, & duri ſtant interim, vt fidem ſuſcipiant Ieſu Chriſti. Reliquiæ conuertentur, reliquiæ inquam, Iacob ad Deum fortem; ſi enim fuerit populus tuus Iſrael, quaſi arena maris, reliquiæ conuertentur ex eo, conſummatio abbreuiata inundabit iuſtitiam, Iſai. cap. 10. num. 22.

In chamo, & fræno conſtringe maxillas eorum. Solo enim verbo tuo Domine incuruabitur tibi omne genu, quia tuæ ſunt iuſtitiæ, & imperium, Iſai. 45. num. 25. qui non approximant ad te, Pſalm. 72. num. 27. quia qui ſe elongant à te, peribunt: perdidiſti omnes, qui fornicantur abs te.

Multa flagella peccatoris, quia multa eſt dilectio Creatoris, Sap. 11. num. 27. parcis autem omnibus, quia tua ſunt Domine, qui amas animas; qui enim diligit

filium, assiduat ei disciplinam, Eccles. 30. num. 1. Prouerb. 13. nu. 24. & cap. 23. num. 13. vt lætetur in nouissimo suo. Ideò multa dat flagella, quia continua sunt peccata, resipiscant peccatores; & conuertetur Dominus ad illos.

Vel dicamus. Multa esse flagella, quia sunt multa peccatorum genera: quodlibet enim peccati genus, habet, & flagellum condignum peccato. Per quæ peccat quis, per hæc, & torquetur, Sap. 11. nu. 17. Irroget nobis Deus sua flagella, vt illa sustinentes lætemur in gloria sua, gloriemur in tribulatione, vt permaneamus in exultatione, ad Rom. 5. nu. 2. Recta sint corda nostra, vt sperantes in Domino circundet nos misericordia sua, quia bonus est Dominus rectis corde, Psalm. 72. n. 1. Si ergo sis corde rectus, cuicunque aliquid accidit, dicat, Dominus dedit cum Iob. 1. nu. 21. Dominus abstulit, ecce rectum cor, sicut Domino placuit, ità factũ est. Ad Deum refer flagellum tuum, quia ipse dat, ipse aufert; nisi enim Deus permittat Diabolo, vt flagellet, nullam habet in nos facultatem à se, August. Diabolus habet potestatem desuper, aut ad pœnam impijs, aut ad disciplinam filijs, Paul. ad Hebr. 12. nu. 5. Fili mi, noli negligere disciplinã Domini: neque fatigeris dum ab eo argueris. Quem enim diligit Dominus, castigat: flagellat autem omnem filium, quem recipit: In disciplina perseuerate. Tamquã filijs vobis offert se Deus: quis enim filius, quem non corripit Pater? Omnem, dicit August. vis videre? quẽ omnem? etiam vnicus sine peccato, non tamen sine flagello: Vndè ipse vnicus portans infirmitatẽ tuam, & præfigurans in se personam tuam, etiam corporis tui, cum appropinquaret passioni, ex bonitate, quam gerebat, contristatus est, vt te lætificaret, contristatus est, vt te consolaretur, vt ergo adhæreamus Domino, & vnus Spiritus simus cum eo, 1. Corinth. c. 6. & cum illo dicamus: si possibile est transeat Calix à me, veruntamen non sicut ego volo, sed fiat voluntas tua; suscipientes Crucem, vt ex eius Cruce, & passione gaudeamus, & lætemur in nostra tribulatione, quia ex eius meritis, & passione, tribulatio nostra propter peccata nostra, fiet nobis in fine lætitia, & in Domino Iesu exultatio nostra. Multæ enim tribulationes iustorum, & de omnibus illis liberabit eos Dominus per gratiam suam; neque enim sunt condignæ passiones nostræ ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis, ad Rom. 8. nu. 18. Insint nobis Domine hæc flagella tua, vt nobis proficiant ad æterna gaudia; des nobis disciplinam, vt bonitatem tuam cogitemus, iudicantes, & cum de nobis iudicatur speremus misericordiam tuam. Domine nobis disciplinam des; quia tunc inimicos nostros multipliciter flagellas, Sap. 12. nu. 21. Suppleat misericordia tua, quia in nobis deficit propria iustitia; misericordia, inquit Dauid, & veritas obuiauerunt sibi, Psalm. 54. iustitia, & pax osculatæ sunt; quidam cum flagellantur, à Domino percutiuntur, ex flagello proficiunt, quosdam verò damnant flagella, & non liberant, sed eis ex hac vita incohant, & in æterna percussione perdurant.

Hæc tamen versiculi pars ad tempus præsens referenda ex subsequentibus videtur. Sperantes in Domino circundabit misericordia. Non enim est spes post mortem, ergo de viuis loquitur. O quam bonus, & suauis est Domine spiritus tuus in omnibus, ideòq. eos, qui exerrant, partibus corripis, & de quibus peccant admones, & alloqueris, vt relicta malitia, credant in te Domine, Sap. dicto cap. 12. nu. 1. & 2. Tribulationes antemittit, tamquam antecessores exercitus Vespas scilicet; vt illos paulatim exterminarent, partibus iudicans das locum pœnitentiæ, d. c. 12. nu. 10. & 18. subest enim sibi cum voluerit posse; sed cum magna

disp-

disponit reuerentia. Sperantes ergo in Domino misericordia circundabit, Psal. 33. num. 8. Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos.

Lætamini in Domino, & exultate iusti, & gloriamini omnes recti corde. Lætemur, quia tribulamur, & exultemus, quia spes nostra est vitæ æternæ. Ideò in Domino gloriemur, quia ab ipso omnes iusti iustificantur, rectos enim corde decet collaudatio, Psalm. 32. nu. 1. Ideò recti corde, quia voluntatem suam in Domino posuerunt; qui peccata sua confitentur. Iusti sunt, quia ex fide viuunt; quia sine timore tormenta hominum, & Diaboli nihil faciunt. Bernard. in Sermone, qui incipit, Iustum deduxit Dominus per vias rectas: Accusator sui, ideò iustus, quia ad viam accedit, iustus, quia ex fide viuit, quia per viam rectam ambulat, & quidem iustus, quia ad finem appropinquat.

SOLILOQVIVM.

IN Domino gloriemur, dicit Apostolus, cui, & successoribus datur facultas dimittendi peccata; Confiteamur delicta nostra Deo, quia obtegendo illa faciet nos per suam misericordiam Beatos; Lætetur cor quærentium Dominum. In quorum ore non est dolus, quia non imputabitur eis peccatum. Beati ergo quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata, & cui non imputauit Dominus peccatum. Quoniam tacui, ò me miserum, quia tametsi clamans ad te, tacui inquam, quia nec per contritionem dolui pro peccatis meis, nec illa confessus sum, immò in illis per prauum habitum inueteraui. Misisti Vespas, & dum configitur spina, manus tua super me die, ac nocte aggrauata est; dans tempus pœnitentiæ, per quam possem à malitia mea mutari. Ecce Domine iàm sum conuersus in ærumna, miseriam cognosco meam, delicta mea, & scelera mea cognita tibi facio, & me illa commisisse pœnitet. Confitebor, dixi, aduersum me iniustitiam meam tibi Domino; Cor meum contritum Domine non despicias, sed peccati mei impietatem remittas, in hoc tempore contritionis, & confessionis tibi opportuno.

Orat ad te omnis iustus, tota Ecclesia, quia in nouissimo non erit amplius opportunum tempus appropinquandi ad te per deprecationes istiusmodi. Refugium meum Deus meus Iesus Christus es tu; erue me à circunstantibus me huius sæculi tribulationibus. Intellectum dedisti mihi, Viam tuam aperuisti, per quam ambulem: oculos tuos, & diuinum aspectum tuum super me formasti; vt in dilectione [illegible]. Superbia, & iactantia equi non sit in me; asini pigritia, & segnities [illegible] procul absit, & discedat à me. Non enim appropinquare ad te valeo, nisi in chamo, & freno illam constrictam remoueas à me. Non sunt tibi incognita multa peccatoris flagella; veniant omnia super me; dummodò misericordia tua circundet me. Lætabor, & exultabo in illis propter te; in virtute tamen, & in nomine tuo gloriabor.

Miserere mei Deus per Sancti tui Apostoli Matthæi merita, & passionem, cuius hodie festa percolimus; vt iugiter simul cum illo gratias agam tibi, quia à perditione liberasti me. Exaudi me Domine, & custodi me, vt in viam tuam ingressus, te auxiliante, progrediens veniam ad te. Dulcissime Iesu Saluator animæ meæ protege me. Fiat Domine Iesu Creator meus, Redemptor, Dominus meus, & Deus meus, Deo gratias. Amen.

IN PSALMVM XXXII.

Exultate iusti in Domino: rectos decet collaudatio.



TITVLVS. In finem Psalmus Dauid.

Ad præcedentem Psalmum continuatur, quia in illo instruimur, quomodo in via Domini ambulemus, per dolorem, & peccatorum confessionem nostrorum; Verùm, quia non sufficiebat pœnitentia, nisi innixa super meritis Christi venturi, qui tolleret mundi peccata, propterea in hoc Psalmo subditur, exultate iusti in Domino, quia mittet Deus filium suum, in mundum, vt fiat peccatorum remissio.

Summa exultent iusti, quia veniet filius Dei.

Exultate iusti in Domino: rectos decet collaudatio. Cantate ei canticum nouum, quia omnia opera eius in fide. Quid noui est ò Dauid? propter quod nunc iustos ad lætandum, & collaudandum Dominum inuitas? & ad cantandum nouum canticum inducis? Quæ primo promissa fuerunt, ecce venerunt, dicit Dauid cum Isaia, Antequam oriantur, audita vobis facio; cantate canticũ nouum, laus eius ab extremis terræ, Isai.42.n.9. sed vndè hoc? quia propè est iustus Domini, Isai.51.nu.5.& 6. Quis hæc nota fecit tibi? Primus, & nouissimus, qui est, & absque illo non est Deus. Constituit enim populum antiquum, per cuius Prophetas quæ ventura sunt annunciauit, Isai.47.nu.6.& seqq. Vide Isai.30.nu.20. Et erunt oculi tui videntes præceptorem tuum, Isai.46.n.4. Ecce Deus vester, ecce Dominus veniet in fortitudine, & brachium eius dominabitur, ecce merces eius cum eo, & Isai.35.nu.4. Deus ipse veniet, Zach.2.nu.10. Lauda, & lætare homo, quia ecce venio, & habitabo in medio tui, & applicabuntur gentes multæ ad Dominum in die illa, Exod.23.num.20. sed quis est iste venturus? Isai.48.nu.15. ego ipse, ego primus, & nouissimus, manus quoque mea fundauit terram, & dextera mea mensa est Cælos, ergo is Deus est, per quem facta sunt omnia; ergo filius Dei est, Isai. dicto cap.45. num.16. non à principio in abscondito locutus sum, ex tempore antequam fieret ibi eram, & nunc Dominus Deus misit me, & spiritus eius; Hæc dicit Dominus, Redemptor tuus, sanctus Israel, num.17. quæ supradicta benè consonant, cum his, quæ Iesus dixit, Ioan.8.nu.25. dum illum interrogant Iudæi: Tu quis es? dixit eis Iesus: Ego principium, qui loquor vobis, multa habeo de vobis loqui, & iudicare, sed qui me misit, verax est, & ego, quæ audiui ab eo, hæc loquor in mundo, & cognouerunt, quia de Patre eius dicebat.

Ecce ego creo Cælos nouos, & terram nouam, & non erunt in memoria priora, & non ascendent super cor, sed gaudebitis, & exultabitis vsque in sempiternum in his, quæ ego creo, quia ecce creo Ierusalem in exultationem, & populum eius in gaudium, & exultabo in Ierusalem, & gaudebo in populo meo, Isai.65.num.17. cum seqq. & Iob Deum esse confitetur, cap.19.num.25. Et in carne mea videbo Deum Saluatorem meum, Zach.9.num.9. Ecce Rex tuus veniet tibi iustus, & Saluator. Sed iustus iste quid faciet?

Ego suscitaui eum ad iustitiam, & omnes vias eius dirigam, ipse ædificabit

Ciui-

Ciuitatem meam non pretio, neque muneribus, Isai. 45.num.13. Dedi spiritum meum super eum, iudicium gentibus proferet, ponet in terra iudicium, & legem eius Insulæ expectabunt. Dedit illum Dominus in fœdus populi, in lucem gentium, vt aperiat oculos cæcorum, & educat de conclusione vinctum, de domo carceris sedentes in tenebris, Isai.42. num.3. cum seqq. Ierem.23. num.5. & 6. saluabitur in diebus illis Iuda, & hoc est nomen, quod vocabunt eum, Dominus iustus noster.

Exultate iusti in Domino, quia verbo Domini Cæli firmati sunt, noui nimirum. Vbi nàm sunt Cælum nouum, & terra noua? & vbi est illa Ciuitas Ierusalem, à Christo sine pretio ædificata, de qua suprà apud Isai.d.cap.45.nu.13. Apostoli, terra noua sunt, quia de terra veteri Iudaici populi, nouam terram illos creauit, & per illorum prædicationem alios Deus elegit Sacerdotes sibi: Isai.61. num. 6. Vos autem Sacerdotes Domini vocabimini, ministri Dei nostri, &c. Cæli etiam ijdem sunt, quia per illos, qui cælestia prædicant, cælos ingredimur, quia illi sunt semen, cui benedixit Dominus, Isai. d. cap. 61. num. 10. & Psalm. 18. Cæli enarrant gloriam Dei, Augustin. Sanctos Apostolos etiam Cælos vocat, per quos Cæli impleti sunt; Vndè Cæli? quia spiritus oris eius omnis virtus eorum; Ciuitas illa ab eo ædificata ipsemet est Iesus, Isai.60.nu.14. Et venient ad te curui filij eorum, qui humiliauerunt te, & adorabunt vestigia pedum tuorum omnes, qui detrahebant tibi, & vocabunt te Ciuitatem Domini Sion sancti Israel, cuius muros Ciuitatis inquam, ædificabunt filij peregrinorum, & Reges eorum ministrabunt tibi, dicto cap. 60.num.10. & scribam super eam nomen Dei mei, Christi scilicet, & nomen Ciuitatis Dei mei Ierusalem, quæ descendit de Cælo à Deo meo, & nomen meum nouum, Ioan. Apocal. 3. num. 12. Cuius Templum est ipse Deus, & Agnus.

Vel dicamus cum Petro 2. cap. 3. num. 17. nouos Cælos, & nouam terram expectamus secundum promissa eius, in quibus iustitia habitat, & Apocal. Ioan. cap. 21. num. 1. cum seqq. Et vidi Cælum nouum, & terram nouam, primum enim Cælum, & prima terra abijt, & ego Ioannes vidi sanctam Ciuitatem Ierusalem, Ierusalem nouam descendentem de Cælo à Deo paratam, sicut sponsam ornatam viro suo, & audiui vocem de Throno dicentem: Ecce Tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis; & ipsi populus eius erunt, & ipse Deus cum eis erit eorum Deus, & absterget omnem lachrymam ab oculis eorum, & mors vltrà non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit vltrà, quia prima abierunt, &c. & iàm in eam Ciuitatem non intrabit aliquid coinquinatum, propterea iubilans Dauid dicit.

Exultate iusti in Domino, rectos decet collaudatio, quia venit Redemptor Iesus filius Dei, Ciuitas sancta noua, & non erit iustis amplius vllus clamor, vel luctus, quia priora transierunt; Cantate Domino Canticum nouum, quia mirabilia fecit, quia notum fecit Dominus salutare suum: in conspectu gentium reuelauit iustitiam suam, iubilate Deo, cantate, exultate, & psallite, Psalm. 97. num. 1. cum seqq. Mites addent in Domino lætitiam, & pauperes homines in sancto exultent, Isai. 29. num. 19. Exultate in Domino inquit, non in vanitatibus huius mundi, non in commestionibus, & ebrietatibus, non in contentione, & æmulatione, ad Rom. 13. num. 13.

Exultate iusti, quia Dominus creauit Cælos nouos, & terram nouam, & non

erunt

erunt in memoria priora, sed gaudebitis, & exultabitis vsque in sempiternum quæ Deus creauit; quia ecce creo Ierusalem exultationem, & populum eius gaudium, & Deus exultabit in Ierusalem, & gaudebit in populo suo; Isai. 65. num. 17. cum seqq.

Exultate iusti in Domino, quia permanebit in æternum vestra iubilatio, & nemo tollet gaudium à vobis, Isai. 6. nu 22. exultent verò iniusti in hoc sæculo, quia finito hoc sæculo incipit eorum tribulatio, & afflictio, August. Breue præceptum est; ille placet Deo, cui placet Deus, vt ergo iustus sis, festina placere Deo, dirigas cor tuum secundum voluntatem Dei, studeas tu, vt tibi placeat Deus, præceptorum suorum obseruantiam custodiens, quia, & tu placebis ei. Et si conturbat humana fragilitas, dicit August. Diuina consolabitur æquitas; præponas voluntatem melioris, voluntati tuæ, & voluntatem omnipotentis Dei voluntati tuæ, quæ fragilis, vt homo: Multum enim distat voluntas Dei à tua, quantum Cælum à terra; tua enim sapit caduca, & terrena; illa verò Dei, vt tu saluus sis, perpetua voluptas; gaudium enim erit (inquit) in Cælo super vno peccatore pœnitentiam agente, Luc. 15. num. 7. & num. 10. Illa Dei ad tui salutem, tua verò, si contraria, ad tui perditionem; vt ergo rectus sis, tua in Deo sit reposita voluntas.

Et quamuis humanæ infirmitati, atque humanæ fragilitati, vt dicit August. aliquid proprium velle, difficilè sit, vt non tibi contingat; tu verò statim cogita, qui sit supra te: illum supra, tu infra illum: illum Creatorem, tu creaturam; illum Dominum, te seruum: illum omnipotentem, te infirmum, subiugansq. voluntati eius, dicas, non sicut ego volo, te corrigendo, sed sicut tu, fiat voluntas tua, Matth. 26. num. 39. surgite, eamus, occurramus illi, quia hæc voluntas Patris mei, num. 46. Luc. vt supra.

Benedicamus ergo Dominum, idest laudemus eum in omni tempore, siuè corrigat, siuè largiatur, in prosperis, & in aduersis; Dominus enim interrogat iustum, & impium; qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam, Psalm. 10. num. 6. Date iusto, & festinabit accipere, Prouerb. 9. num. 9. qui autem peruersi est cordis, non inueniet bonum, Prouerb. 17. num. 20. & si exultant in malo, consenescunt in malis, Eccles. 1. num. 16.

Exultate iusti in Domino. Docemur tamen, qui exultamus, & gaudemus in prosperitatibus laudantes Deum, illum, & Patrem agnoscere, & flagellantem, ne murmuremus aduersus corrigentis manum: Siuè ergo lætemur, siuè tribulemur, in Domino speremus: non enim contristabit iustum, quidquid ei acciderit, Prouerb. cap. 12. num. 21. impij autem implebuntur malo, nam qui peruersi cordis sunt, ideò non inueniunt bonum, Prouerb. 17. num. 20. mens autem iusti meditabitur obedientiam, Prouerb. 15. num. 28. aperite, inquit Dauid, mihi portas iustitiæ, iusti intrabunt in ea, Psalm. 117. nu. 20. in omni enim tribulatione eorum non est tribulatus, Isai. 63. nu. 9. quia recti sunt corde, quia consentiunt voluntati Dei, & dirigunt cor secundum voluntatem Dei, cui tantò magis placemus, quantò magis ipse nobis placuerit, Augustin. hîc. Ille placet Deo, cui placet Deus, ecce inquit, vide te in me, quia potes aliquid proprium velle, vt aliud Deus velit, hæc August. & ad Rom. cap. 7. num. 15. Non enim quod volo, bonum, hoc facio, sed quod odi malum, illud facio: si quod volo, facio, consentio legi, quæ bona est, scio, quod non habitat in carne mea

bonum,

bonum, nàm velle adiacet mihi: perficere autem bonum non inuenio; non enim quod volo bonum, hoc facio, sed quod nolo malum, hoc ago; si autem quod nolo illud facio, iàm non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum, inuenio igitur mihi legem volenti facere bonum, quoniam mihi malum adiacet.

Rectos decet collaudatio, adeòq. successum habebunt vsque ad inspectionem Dei, Eccles. 15. num. 9. Gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo, quia induit me vestimentis salutis, & indumento iustitiæ, circundedit me, Isai. 61. num. 10. Exultent iusti in Domino, rectos decet collaudatio, quia benedictio Domini super caput iusti, Prouerb. 10. num. 6. cuius iusti opus est ad vitam, Prouerb. 7. num. 16 & ideò expectatio iustorum lætitia, ibid. num. 28. quia in illo moratur Dei gratia, Prouerb. 14. num. 9. & nomen Domini est illius Turris fortissima; ad ipsam currit iustus, & exaltabitur, Prouerb. 18 num. 10. Præcedat Dei voluntas tuo desiderio, vt recta sit via tua, quia aliquando est via, quæ videtur homini iusta, nouissima autem eius ducunt ad mortem; Prouerb. d. cap. 14. num. 12.

Exultent iusti in conspectu Dei, & delectentur in lætitia, Psalm. 67. num. 4. collaudent recti exultantes, quia abnegantes seipsos hæserunt voluntati Dei, ad Hebr. 10. nu. 7. & quia in tenebris exortum est lumen illis, & in mandatis Dei volunt nimis, ideò Beati, Psalm. 111. num. 1. & num. 4. & ideò saluos facit illos, quia vult eos, Psal. 17. num. 20. & Psalm. 21. num. 9. quàm magna misericordia, & propitiatio illius conuertentibus ad se, Eccles. 17. num. 24.

Exultent iusti in Domino. In conspectu eius sunt, d. Psal. 67. semita iusti recta est, rectus callis iusti ad ambulandum, Isai. 26. num. 7. Rectos decet collaudatio, quia rectam viam ambulant, vt accedant operando ad Sion montem, & Ciuitatem Dei viuentis Ierusalem cælestem, propter quod dicit Apostolus ad Hebr. 12. num. 12. & soluta genua erigunt, & gressus rectos faciunt pedibus suis, vt non claudicans, quis erret, magis autem sanetur.

Dicamus cum vno Doctore, distinguendum hic inter iustos, & rectos: vt iustos intelligamus pœnitentes iàm à peccatis iustificatos, qui exultant ob remissam culpam: rectos verò in fide proficientes, quos decet collaudatio pro magnitudine collatæ gratiæ, Psalm. 117. num. 14. Bene fac Domine bonis, & rectis corde; bonis, quia bona operantur: & rectis corde, vt credentes, & operantes iustificati, collaudent filium Dei.

Vel cum Augustin. dicamus; exultate iusti in Domino, exultate fideles in Domino, quia iustus ex fide viuit, ad Rom. 1. num. 27. ad Galat. 3. num. 11. & ad Hebr. 10. num. 38. rectos decet collaudatio, discite gratias agere Deo in prosperitatibus, & tribulationibus, discite habere in corde, quod habet omnis homo in lingua, quod vult Deus. Ipsa lingua popularis plerunq. est doctrina salutaris: quis non quotidie dicit, quod vult Deus hoc agat? & rectus erit inter eos, qui exultant in Domino, & quos decet collaudatio, hæc Augustin. vt pulcherrimam Augustini consolationem pro fidelibus rescribam, audeo, & ego dicere, Quis iustus? Nec frustrà quæro; nàm in Michea Propheta habemus, cap. 7. num. 1. & 2. perijt sanctus de terra, & rectus in hominibus non est, & num. 4. qui in eis optimus est, quasi paliurus, & qui rectus, quasi spina de sepe, paliurus, quasi dicat spinosus, & asper, lædens proximum: quomodò ergo

rectos decet collaudatio, si non sit rectus in mundo? audite Augustin. nàm omissis aliquibus dictis. Volo vos interrogare de iustitia vestra: fortassis enim nemo vestrum mihi audeat respondere: iustus sum; sed interrogo vos de fide vestra, sicut nemo vestrum audet dicere iustus sum, sic nemo non audet dicere fidelis sum. Nondum quæro quid viuas; sed quæro, quidquid credas: responsurus es credere in Christum; non audisti Apostolum ad Rom.cap.1.num.27. Iustus ex fide viuit; fides tua, iustitia tua: quia vtique si credis, caues; si autem caues, conaris, & conatum tuum nouit Deus, & voluntatem tuam inspicit, & luctam tuam cum carne considerat: & hortatur, vt pugnes: & adiuuat, vt vincas, & certantem inspectat, & deficientem subleuat, & vincentem coronat. Exultate ergo iusti in Domino. Hæc Augustin. fidelis, & Angelicus Doctor, & Magister.

Per pœnitentiam, & confessionem peccatorum gratia Domini nostri Iesu Christi homo ex iniquo fit iustus, ex peccatore fit rectus; nolite ergo vos abijcere, & desperare de vobis: homines estis ad Dei imaginem facti. Qui vos homines fecit, pro vobis, & homo factus est, & pro multis sanguis vnici effusus est. Non moneo, inquit, vt superbi sitis, & vobis aliquam perfectionem audeatis arrogare; sed non iterum ab omni vos iustitia putare debetis exules fieri: si vos vobis terrena fragilitate viluistis, & pretio vestro vos appendite, quid bibatis, quid manducatis, quid subscribamini, tamen dignè cogitate, hæc August.

Confitemini Domino in cithara, in psalterio decem chordarum, psallite illi. Scriptum est, non confundaris confiteri peccata tua, Eccles.4.num.31. A mortuo quasi nihil, perit confessio: confiteberis viuens, viuus, & sanus confiteberis, & laudabis Dominum, & gloriaberis in misericordia illius, Eccles.17.nu.26. & 27. Confitemini ergo in cithara, in vita vestra, dum in hoc corpore sumus, & fidem habentes in Christo: canticum citharæ est ipsa caro, vt dicit Glosa hic, & Isai.16. num.11. Venter meus quasi cithara sonabit.

Canticum nouum, idest Christi Aduentum, Euangelium suum cantate, & in psalterio decem chordarum psallite. Vocem vestram exaltate, vt à cæteris intelligatur chordarum sonitus: illarum decem, quæ sunt in Euangelio, idest Articuli fidei, & in Euangelio contenti: sonus ergo citharæ erit confessio peccatorum, ante cuius citharæ sonum necessaria sunt fides, spes, & charitas; ità vt illos decem confiteamur Articulos, qui sunt ad chordæ fidem necessariæ.

Hæ verò: Prima verbi Dei Incarnatio: secunda Christi Natiuitas: tertia Baptismus Christi: quarta istius noui Cantici, idest Testamenti noui prædicatio: quinta, & miraculorum operatio: sexta Passio, ac mors denique Christi: septima eius Resurrectio: octaua Ascensio in Cælum: nona, & Spiritus sancti in Discipulos missio, & decima, Congregatio Ecclesiæ per Apostolorum prædicationem.

Confitemini Domino in hac fidei, spei, & charitatis cithara, benè psallite ei in vociferatione: prædicate Apostoli Sancti, Discipuli, omnes iusti, & recti corde clamantes, id enim significat vociferare, dare voces, & clamare, Ierem.c.10. num.6. Vociferate omnia verba hæc in Ciuitatibus Iuda, & foris Ierusalem: & nos dicamus Populis. Audite verbà Euangelij, & facite ea, quæ in eo sunt. Cantabant antiqui Patres hunc psalmum cum vociferatione, vocando Christum ad redimendum, vt patet ex subsequentibus; nos verò clamantes, & vociferantes, gratias Deo agamus, qui nos redemit Passione sua.

Inter

Inter citharam, & psalterium notat Augustin. differentiam, cithara ex inferiori parte habet quo sonat, psalterium verò ex superiore: in superiori decem sunt eius chordæ, non in cithara illas tales legimus. Sonat lignum citharæ ex inferiori parte, idest ex parte terrena, idest ex vita, in qua habemus, & prosperitatem, & aduersitatem: in vtroque benedicendus est Dominus in omni tempore, d. Psalm. 33. prosperitas enim, & aduersitas, quæ in hoc mundo dantur sunt terrenæ, transeunt prospera, & aduersa finiuntur. Propter sanitatem, diuitias, & similia, quæ ad vitæ sustentationem sunt necessaria, laudandus est Deus, & si enim terrena, sunt tamen Dei dona. Nec mireris, si & malis etiam prosperitas, & bonorum copia detur, nàm vt dicit August. Indè magis significatur, quod seruet Deus bonis, cum ostendit, quanta donet & malis. Cithariza ergo, & lauda Dominum, quia prospera tibi concessit, & si mala, & aduersitates dat, lauda eò magis Deum, quia tecum est in tribulatione, Psalm. 90. nu. 15. & maiora tibi dabit, si sustinueris; ergo confitere Domino in cithara, siuè abundet terrenum tibi, siuè desit, siuè damno tibi auferatur aliquid; cithariza securus, & certus in Deo tuo, non est enim ille ablatus tibi, qui dedit, quamuis tibi ablatum fuerit, quod dedit. Hæc Augustin. Non enim deest, qui nusquam non est; vbique est Dominus, d. Psalm. 18. num. 7. Cum autem attendis superiora Dei dona, conuerte te ad psalterium, & psalle in psalterio decem chordarum. Superiora dona, quæ tibi dedit Deus, quæ in psalterio decem chordarum continentur, sunt decem scilicet præcepta legis, Deut. 5. num. 1. & 2. cum seqq. tria enim præcepta in dilectione Dei sunt: Diliges Dominum Deum tuum, quod primum est: secundum non accipies in vanum nomen Domini Dei tui: tertium obserua diem Sabbati: septem alia præcepta charitatem proximi concernunt. Psalle vt & illa teneas, & corde credas, Præcepta enim sunt Dei viuentis.

Confitemini ergo Domino in cithara, in aduersitatibus, & tribulationibus, quæ in hac vita Dei permissu, nos tangunt, confitemini, & in prosperis in cithara, in hac miseriarum valle, confitentes, quia qui nouit omnia Deus, quæ ad vitæ huius sunt necessaria salutem, Dominus enim dat, & Dominus aufert, sit nomen Domini benedictum, cuius sapientia totus regitur Orbis, & attingit à fine vsque ad finem fortiter disponens omnia suauiter, Sap. cap. 8. num. 1. Psalm. 71. nu. 8.

In cithara laudes Domino dedisti, siuè bonum, siuè malum acciderit, tunc ad superiora te conuerte, ad psalterium decem chordarum, ad præcepta Dei, quæ vt dixi, & supra enumeraui, sunt decem; & perfectum, & acceptabile Deo canticum, & sinphoniam facies: & desuper sonabunt, & amore, non timore illa adimplebis, Augustin. Qui enim timendo non facit malè, mallet facere, si liceret; non facio inquit, quia timeo, nondum amas iustitiam, adhùc seruus es, esto filius; sed ex bono seruo, sis bonus filius, interim timendo noli facere, disces, & amando non facere. Hæc August.

Vlteriùs. Confiteamur Domino in cithara, carnem nostram ad laudem Dei castigantes, & vt benè sonet, neruos nostros, interiora nostra fortiter in ligno extendamus: extenduntur enim chordæ, postquam extractæ ab animalium ventre, maceratæ sunt, & exsiccatæ, & fortiter extentæ ponuntur in ligno citharæ. Nos carnem nostram à vitijs, & concupiscentijs extrahentes, & macerantes, ieiunijs, & cilicijs exsiccantes, nàm cum venter ità vacuum, & concauum, sicut cithara erit, benè sonabit, Isai. d. cap. 16. num. 11. Venter meus quasi cithara

sona-

ſonabit. Lauda Deum in pſalterio decem chordarum, decem præceptorum, quæ dedit nobis, & vt placeamus Domino, Pſalmum ſumamus, & demus tympanum, pſalterium iucundum cum cithara, Pſalm. 80. nu. 3. tunc iucunda erit, decoraq. laudatio, Pſal. 116. nu. 2. Cantemus Domino Canticum nouum, qui in poteſtate, etiam ſpiritibus immundis imperat, & cui obediunt Mare, c. 1. nu. 27.

Cantate ei Canticum nouum, benè pſallite ei in vociferatione; quia dicit Dominus, ecce ſeruus meus Meſſias: iuxtà Chald. ſuſcipiam eum, electus meus, complacuit ſibi in illo. Anima mea, dedi ſpiritum meum ſuper eum, iudicium gentibus proferet, in veritate educet populum meum, ipſe eſt, quem dedit nobis Deus, in lucem, & aperuit oculos cæcorum, cuius nomen eſt Dominus, Iſai. dicto cap. 42. nu. 1. 7. & 16. Cantate Domino Canticum nouum, quia quæ prædixit, ecce venerunt, num. 9. Matth. 12. num. 18. Loquimini vobiſmetipſis, in Pſalmis, & Hymnis, & Canticis ſpiritualibus, cantantes, & pſallentes in cordibus veſtris Domino, ad Epheſ. 8. num. 19. ad Galat. 3. num. 16. pro gratia collata, quia renouati ſumus in Chriſto, veterem hominem expoliantes cum actibus ſuis, ad Coloſſenſ. dicto cap. 3. nu. 10. facientes omnia in nomine Domini Ieſu Chriſti, gratias agentes Deo, & Patri per ipſum, num. 17. Operantes, Canticum nouum cantemus, quia in Chriſto edocti ſumus, qui eſt ipſa veritas: operando cantemus, Sicut nos docuit Paul. ad Epheſ. 4. nu. 24. ſpiritu ſcilicet, mentis noſtræ renouati, & nouum hominem induti, qui ſecundum Deum creati ſumus in iuſtitia, & ſanctitate veritatis, ſicut modò geniti infantes, rationabiles ſine dolo, lac concupiſcamus, & in eo creſcamus in ſalutem.

Canticum nouum cantemus, quia aliquando non populus, nunc autem nos populus Dei, qui non conſecuti gratiam, nunc autem gratiam conſecuti, 1. Petr. cap. 2. nu. 10. & ideò nouos Cælos, & nouam terram expectamus ſecundum ipſius promiſſa, 2. Petr. cap. 3. num. 13. primum enim Cælum, & prima terra abijt, Apocalypſ. cap. 21. num. 1.

Cantate Canticum nouum, quia antequam parturiret peperit, antequam veniret partus eius peperit maſculum, quis audiuit vnquam tale, & quis vidit huic ſimile? Iſai. 66. num. 7. quia ipſe, qui venit, Ieſus filius Dei creauit ſuper Ieruſalem exultationem, & ſuper populum eius gaudium, Iſai. 65. num. 18. Nouum Canticum ſit in Cithara, ideſt in noſtri cognitione, quia puluis ſumus, ideò humiles, vt magni in Regno Cælorum efficiamur.

Benè pſallamus in vociferatione, in pſalterio bonorum operum, in fide, ſpe, & charitate glorificantes Dominum, & in timore illius permanentes, ad pauperculum enim, & contritum ſpiritu, & trementem ſermones ſuos reſpicit Dominus, Iſai. dicto cap. 66. num. 2. & reſpicit Deus operantes bonum. In vociferatione pſallamus, in hilaritate dantes, hilarem enim datorem diligit Deus, 2. Corinth. 9. nu. 7. & 9. in omni dato hilarem fac vultum tuum, & in exultatione ſanctifica decimas tuas, Eccleſ. 35. num. 11. & 12. Da Altiſſimo ſecundum datum eius, quoniam Deus retribuens eſt, & ſepties tantum reddet tibi, ad Rom. 12. cap. 2. num. 8. cum ſequen. Dilectio ſine ſimulatione, odientes malum, adhærentes bono; charitate inuicem diligentes, ſpiritu feruentes, neceſſitatibus Sanctorum communicantes, hoſpitalitatem ſectantes.

Benè pſallite in vociferatione; Non dixit, benè vociferate in pſallendo. Crederem ego, Dauid prophetico ſpiritu, ſat compertum habuiſſe, quæ in Templo futu-

futura erant, circà istiusmodi vociferationem in Canticis, Deum potius ad indignationem prouocantia, quæ postmodum explicauit Amos his verbis ex ore Dei: Væ qui opulenti estis in Sion, & confiditis in monte Samariæ, & Optimates, capita populorum ingredientes pompaticè domum Israel, cap.6.num.1. & sequitur num.5. qui canitis ad vocem Psalterij: sicut Dauid, putauerunt vasa Cantici. Bibentes vinum, in phialis, & optimo vnguento delibuti, &c. ad vocem Psalterij: Cantabant ad vocem Psalterij, non ad intelligentiam Psalmi, & ad illius meditationem, nec ad annunciandam misericordiam, & veritatem Dei in decacordo Psalterio cum Cantico in Cithara, Psalm 91.num.3.& 4. sed cantabant ad sensus voluptatem, non ad Dei laudem, vt Dauid, Psalm.48.num.5. Strepitum vocum, & non verba Deum laudantia considerabant, ad Colossens. cap.3.num.16. Verbum Christi habitet in vobis abundanter, in omni sapientia docentes, & commonentes vosmetipsos, Psalmis, Hymnis, & Canticis spiritualibus in gratia cantantes cordibus vestris Deo. Benè exultabunt labia mea, cum cantauero tibi, & anima mea, quam redemisti, Psalm.20.num.23. Hieronym. in Epistol.4. Dicas Psalmum in ordine suo, in quo non dulcedo vocis, sed mentis affectus quæritur, 1. Corinth.cap.4. Psallam spiritu, psallam, & mente, psallentes, & cantantes in cordibus vestris Domino, ad Ephes. cap. 1. num. 20.

Benè psallite ei in vociferatione, in forti vocis emissione, quæ ex iubilo procedit, quòd sit in cordis intimo, quod aliter quam per voces explicari non potest: pro gratia accepta, Augustin. Iubilum, sonus quidam est significans cor parturire, quod dicere non potest; & quem decet ista iubilatio, nisi ineffabilem Deum: ineffabilis enim est, quem fari non potes, & si eum fari non potes, & tacere non debes, quid restat, nisi vt iubilet? vt gaudeat cor sine verbis, & immensa latitudo gaudiorum, metas non habeat syllabarum. Benè cantate ei in iubilatione. Hæc Augustin. Qui ergo benè non psallit, neque iubilat, quia ex corde non canit; cor eius longè est à Deo, Matth. cap. 15.num.8. quamuis labijs honoret Deum, Isai.cap.29.nu.13. Eò quod appropinquat populus iste ore suo, & labijs suis glorificat me, cor autem eorum longè est à me: Peccatori autem dixit Deus, quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Psalm.49.nu.16.& 19. Os tuum abundauit malitia, & lingua tua concinnabat dolos.

Iubilum ergo cum ex corde proueniat; debet prius cantans ex corde credere, quia nouus homo factus est, & tunc lætus benè psallat, & iubilet; haud benè autem psallit, qui ex corde non credit; neque datur vociferatio, nisi præcedat cordis iubilatio; neque est cordis iubilatio, vbi non est bonorum cordialis operatio. Audi Eccles. cap.14.num.7. Inuidus sibi si benefecerit, ignoranter, & non volens facit: Pone Domine ori meo custodiam, & super labia mea signaculum certum, vt non cadam, Eccles. cap.22.num.33. sed ex corde credendo, & benè operando vociferem, & iubilem. Benè itaque psallamus, benè cantemus, Augustin. Diligenter psallamus, benè cantemus. Hieronym. sapienter psallamus, Psalm. 46. Et iubilemus Deo in voce exultationis, psallamus mente indiuulsa, nec alio quoquam distracta, sed affectu sincero.

Quia rectum est verbum Domini, & omnia opera eius in fide. Et tua opera sint in fide, & ipse Iesus erit via tua in salutem, quia fides per charitatem

operatur, ad Galat.cap.5.num.6. tuus est debitor, quatenus tu illius velis esse creditor: rectus est in obseruando, si tu rectus eris in benè operando. Quoniam rectus est Dominus, & iustitiam dilexit, æquitatem vidit vultus eius, Psalm.91.num.16. & habitabunt recti cum vultu suo, Psalm.139.num.14. qui saluos facit rectos corde, Psalm.7.num.11. Rectus sis & tu, & opera tua bona; quia iustus & ipse eris, & viam rectam, incedas vsque ad finem perfectum, qui est Christus, Augustin. Tua sint opera in fide, quia in Deum credendo fidelis efficieris: tua sint opera in fide, quia iustus ex fide viues, & fides per dilectionem operatur, fidelis homo est credens promittenti Deo; fidelis est Deus exhibens, quod promisit homini: fidelis Dominus in omnibus verbis suis, & sanctus in omnibus operibus suis, Psalm.144.num.13. & 17. teneamus fidelissimum debitorem, quia tenemus misericordissimum promissorem. Redde Domine, quod promisisti: nàm etsi à nobis nihil accepisti; debitor tamen es; quia promisisti. Ergo quia rectus es Domine redde quod promisisti: hæc Augustin. Nos autem, qui inutiles serui tui sumus, & id quod à te habemus, & vitam sine opere, ac merito nostro recepimus.

Confitebimur tibi in vasis Psalmi veritatem tuam, Deus, psallemus tibi in cithara sanctus Israel, dicto Psalm.70.num.22. Quis enim prior tibi dedit, & retribues ei, ad Roman.cap.11.num.35. quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia, ipsi gloria in sæcula, Amen. Pollicitus es, quod absque meritis nostris spontè dedisti, & pro nobis tradidisti temetipsum, ad Galat.cap.3. num.20. non abijcio gratiam Dei, si enim per legem iustitia, ergo gratis Christus mortuus est: hæc Paul. Redde, quod debes, quia nos persoluimus, quod mandas, te Iesum Saluatorem, & Redemptorem confitentes, & laudantes, in intimis cordis nostri psallentes.

Tu Domine diligis misericordiam, nunc est tempus acceptabile, quia post mortem erit tempus iudicij; fiat nunc misericordia tua Domine super nos, Psalm.114.num.76. quia speramus in te: Vocas Domine peccatores, Matth. cap.9.num.13. Luc.cap.5.num.32. & auersos, vt impleas conuersos, tempus enim est miserendi, quia venit tempus, Psalm.101.num.14. Si Dominus, & amicus noster es, omni nos tempore dilige; in angustijs enim comprobatur frater, Prouerb.cap.17.num.17. Ecce Domine, quia angustiamur vndique, vires non suppetunt: tu qui inspector es cordis intelligis, & scrutatorem animæ nostræ nihil fallit, Prouerb.24.num.12. & reddis homini iuxtà opera sua; non protrahas datum angustianti, Eccles.cap.4.nu.3. rogationem contribulati ne abijcias, num.4.

Verùm quorsum est conquestus tuus, lamentatio tua? Non audis indulgentem, quem quotidie prouocas? diligit misericordiam Deus, & iudicans dat locum in peccatis pœnitentiæ: audi Eccles.cap.12.num.20. si enim inimicos seruorum tuorum, & debitos morti cum tanta cruciasti attentione, dans tempus, & locum per quæ possint mutari à malitia, non ignorans, quia nequam est natio illorum, & naturalis malitia eorum, num.10. Qualis erga te ò peccator, quem Deus sanguine suo redemit, Christi patientia, vt te lucraretur, vt tibi peccata tua dimittat, quando conuersus pœnitentiam egeris.

Augustin. quandocumque conuersi fuerint, præterita obliuiscitur, futura promittit, hortatur pigros, consolatur afflictos, docet studiosos, adiuuat dimi-

can-

cantes neminem deserit laborantem, & exclamantem ad se: donat vndè sacrificetur sibi, ipse tribuit, vndè placetur magnum misericordiæ tempus, non transeat fratres, non nos transeat; Venturum est iudicium: erit, & tunc pœnitentia, sed infructuosa. Hæc Augustin. faciunt de pœnitentibus post mortem, quæ dicuntur, Sap. 5. num. 6. cum seqq.

Diligit misericordiam, & iudicium, misericordia Domini plena est terra. Diligit misericordiam, vt nos saluaret, factus homo descendit in terram; sed postquam res venerint in iudicium, id seruabit quod Iudici recto mandauit, non misereraris pauperi in iudicio, Exod. 23. num. 3.

Inseparabilia sunt misericordia, & iudicium, dum in via sumus, misericordia Dei nos pœnitentes subsequitur vsque ad finem; post mortem iudicium erit; dabit quippè iustis præmium: in peccato verò decedentibus ignem æternum: quia iustus est Dominus, ideò vacua spes in peccatis morientium, Sap. 3. nu. 11. & cap. 5. per totum; August. omnipotens Deus est, nec in misericordia amittit iudicium, nec in iudicio amittit misericordiam; conuersis enim ad se donat peccata, & non conuersis non donat. Iudicium tamen erit, & misericordia, his, quibus dicet esuriui, & dedistis mihi manducare, Matth. 25. num. 35. iudicium verò sine misericordia illi, qui non facit misericordiam, Iacob. 2. num. 13.

Ideò misericordia Domini plena est omnis terra, quia miseria hominis vbiquè iacet, hanc quisque, & vbiquè inuenit, qui ad ipsam se conuertit, quia vbiquè peccata committit: Conuertere tu ad illam, quia stans iuxtà te clamat, vt accedas ad illam, non ergo te venientem expectat, sed ipsa venit ad te dormientem, tu ergo accipe illam, quia vbiquè iacet, Sophon. d. cap. 2. num. 11. Adorabunt viri de loco suo, omnes Insulæ gentium: Audiamus fratres verbum Dei per Prophetam prolatum, nec nos pigeat, neque tædeat; In sudore enim vultus nostri vescamur pane isto, Genes. 3. nu. 19. Verbum enim Domini panis noster est, sudemus in audiendo illud, in illo viuimus, audiamus ergo disciplinam Dei, verbum illius, ne ieiunantes moriamur, August. hìc in 2. Concione. Fidelis est Deus, nihil promittit, & non reddit, factus est noster debitor, esto tu auarus exactor. Si misericordiam diligamus, & ipse miserebitur; etenim qui miseretur non potest promittere, & non dare: At aduertas, quia, etsi dabit quod promittit, cum diligat misericordiam, verùm cum diligat, etiam iudicium oportet, vt iuxtà illud posteà exigat, quod dedit; Accipiamus ergo misericordiam, sed timeamus etiam iudicium, quia cum venerit exiget à nobis rationem; si non inueniat, iustè nos condemnabit.

Donat æternitatem, si bonam de te reddideris rationem, quid ergo misericordiam accipere differimus, cum in momento sine misericordia perire possimus? & si illam acceperimus, illa benè vti procuremus, vt cum venerit, audire in nostra ratione illi reddenda mereamur; Euge serue fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, suprà multa te constituo; omnes prouocat misericordia Dei; occurramus obuiam illi, veniam nostrorum peccatorum ex corde postulantes, & in futurum ab illis abstinentes, tunc dicemus, paratum cor meum Deus, paratum cor meum, cantabo, & psallam in gloria mea; exurge gloria mea, exurge Psalterium, & Cithara, exurgam diluculo: Confitebor tibi in populis Domine, & psallam tibi in nationibus, quia magna, & super Cælos misericordia tua, & vsque ad nubes veritas tua, Psalm. 107. num. 1. & seqq.

Quòd si Dei misericordiam, & iudicium consequi volumus, faciamus, & nos misericordiam, & iudicium cum proximo nostro, & cum Deo ambulemus, vt dicit Mich.d.cap.6.nu.8. indicabo tibi ò homo, quid sit bonum, & quid Dominus requirat à te, vtiquè facere iudicium, & diligere misericordiam, & solicitum ambulare cum Deo tuo, Matth.cap.23.nu.23. Væ vobis inquit, Scribæ, & Pharisæi, & hypochritæ, qui decimatis mentham, & anethum, & cyminum, & reliquistis, quæ grauiora sunt legis, iudicium, & misericordiam, & fidem: hæc oportuit facere, illa non omittere. Diues erat ante Iudicem, & pauper, qui ius bonum in lite non habebat, dimittit pauperi Iudex, quia misericors, sed non iustus, Augustin. Quomodò tenuisti misericordiam, & perdidisti iudicium? ne accipias personam pauperis, & in iudicio non misereberis eius, Exod.23.nu.4. Pauper à te remansit iniustè adiutus, à Deo recessit iustè damnandus; qualem misericordiam præbuisti ei, quem in iustum fecisti? ecce crudelior inuenieris, quàm misericordior, hæc Augustin.

Verbo Dei Cæli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum. Colligit ex his Augustin. mysterium Sanctissimæ Trinitatis, quid enim est verbum Dei, nisi filius Dei? & spiritus oris eius, nisi Spiritus sanctus? Hoc facit filius, & Spiritus sanctus, nunquid sine Patre? quis ergo facit per verbum suum, & Spiritum sanctum, nisi cuius verbum est, & spiritus? Trinitas ergo hæc, vnus Deus, de hac latius dixisse meminimus.

Cantemus meritò Canticum nouum, quia quod patribus nostris occultum erat, vel saltem obscurum, nobis fecit notum, Sanctissimæ Trinitatis mysterium, Dominum scilicet Patrem, Dominum Filium, Dominum Spiritum sanctum: Verbum Patris, idest Filius eius firmauit Cælos; Spiritu eius, Patris scilicet, & Filij, qui ab vtroquè procedit, omnis virtus eorum; non ergo Pater sine Verbo, nec Verbum sine Spiritu sancto, quia Trinitas vnus est Deus, & Vnitas in Trinitate.

Verbo Domini Cæli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum. Cæli enim enarrant gloriam Dei: & opera manuum eius annunciat firmamentum; quid ergo sit Deus, demonstrant opera eius, Isai. cap.51.num.16. Posui verba mea in ore tuo, vt plantes Cælos, & fundes terram: Verùm quia de Cælis, & eorum qualitate non est meum verba facere, satago tamen, vt ad illa perueniam.

Dixi enim superius Apostolos à Iesu Christo in omnem terram missos, vt prædicarent Euangelium omni creaturæ, Matth.28.num.20. Luc.24.num.47. esse Cælos, per quos compluti sumus, vt per totum mundum seges Ecclesiæ germinaret, etsi cum zizanijs communem bibens pluuiam; sed tamen horreum non habitura commune, dicit Aug. Exultet terra, quia Cæli pandet ostia, quia Dominus quasi in vtre congregauit aquas maris, Iob 34.nu.8. Iàm ab hostibus protecta, & secura est sancta Mater Ecclesia: Contrà quam anteà mare liberis fluctibus sæuiebat: modò autem intrà mortalia pectora conclusum est amarum, quia, qui posuit mari terminos, ne transirent fines suos; dedit, & liberum iter, & viam munitam Ecclesiæ, per quam secura ambulet; fluctus persequentium in se remeantes comminuuntur, Zach.10.num.11. transibit in maris freto, & percutiet in mari fluctus, & confundentur omnia profunda fluminis; & humiliabitur superbia Assyriorum, & confortabo eos in Domino. Videt peccator, & ira-

irascitur, dentibus suis nunc fremat, & tabescat, Psalm. 111. num. 10. quia fluctuum eius Dominus mitigat motum, Psalm. 88. num. 10. Conclusit enim Dominus mare ostijs, quando erumpebat, quasi de vulua procedens: & posuit nubem vestimentum eiusdem persequentis, & caligine illum quasi pannis infantiæ obuoluit, & dixit, vsque hùc venies, & non procedes amplius, Iob d. c. 38. nu. 11. Sit tribulatio, sit iracundia tua in corpore tuo, ibi confringes tumentes fluctus tuos, ibid. Iob d. c. 38. nu. 11. Eat Ecclesia, ambulet, facta est via, strata, nunc à Deo munita, & à Regibus, & fidelibus Ducibus defensa: statuit procellam eius in auram, & siluerunt fluctus eius, Psalm. 106. num. 29. Impij autem quasi mare feruens, quod quiescere non potest, & redundant fluctus eius in conculcationem, & lutum, Isai. cap. 57. nu. 20. & non poterunt, & intumescent fluctus eius, & non transibunt illud, Ierem. cap. 5. num. 22. Verùm quia Dominus Deus noster est, qui conturbat mare, & intumescunt fluctus eius, Ierem. 5. num. 22. & cap. 31. num. 35. exultemus cum tremore, seruientes illi in timore, Psalm. 2. num. 11. sed non gloriemur fratres, quia congregata sit, quasi in vtre aqua maris; quia non deest, vndè proferat, quo nos emendet, quando opus est emendatione.

Posuit in thesauris, in secretis suis abyssos aduersus te flagella, quando sibi videtur necessaria flagellatio, qua te erudiat ad thesauros Cælorum. Exulta cum tremore, vt securus permaneas in nouissimo cum amore; redi ad timorem, qui iàm ibas ad securitatem; exulta, quia ex misericordia Dei post tuam pœnitentiam remissa sunt tibi peccata: si permanseris in innocentia, erit tibi lætitia magna; Caue tamen, ne si tibi iustus videaris, aliquando incidas in peccato, & cadas à gratia: Iustitia enim iusti non liberabit eum, in quacunque die peccauerit, Ezech. 18. num. 24. & cap. 33. nu. 12. & 13. Propterea abyssos posuit in thesauris suis, qui in vtre congregauit aquas maris: quia misericordiam diligit Deus, quæ diffusa est in omni parte terræ.

Vide amabo quàm aptentur benè, quæ suprà dixit, quod verbo Domini Cæli firmati sint, & spiritu oris eius omnis virtus eorum.

Nàm postquam verbo suo Cæli, idest Apostoli firmati sunt in fide Iesu Christi, & spiritu oris eius, virtus eis data est ad sanandum, & potestas ad loquendum; dispertitis linguis tamquam ignis, & repleti sunt Spiritu sancto, vt loqui possent varijs linguis, provt Spiritus sanctus dabat eloqui illis, Act. cap. 2. nu. 3. quibus prædicandum erat Euangelium Dei. Congregauerunt ijdem illos sicut in vtre aquas maris, ponentes in thesauris abyssos, missi inter gentes. Si benè recolitis, suprà diximus ex Ierem. dicto cap. 16. num. 16. quòd Apostoli, & successores sunt Piscatores; quos misit Dominus. Congregant Piscatores, & reducunt quasi in vtre aquas, vt facilius pisces capiant; vox speculatorum tuorum, leuauerunt vocem, simul laudabunt, quia oculo ad oculum videbunt, Isai. 52. num. 8. Reduxerunt Gentiles, qui maris aquæ erant, Habac. 1. num. 14. & facies hominis, quasi pisces maris, & num. 15. totum in hamo subleuauit, traxit illud in sagena sua, & congregauit in rete suum, quia propter multitudinem iniquitatum illorum: rimarum erant pleni, hàc atque illàc perfluebant: introduxerunt illos in Ecclesiam, docentes illos, & baptizantes, propter quæ, omnia peccata illorum, quæ abyssos vocat, propter eorum profunditatem, grauitatem, & obscœnitatem, atque multitudinem. Ponebant in thesauris Domini;

in meritis passionis Christi: Posuit enim Dominus in filio suo Iesu Christo iniquitates omnium nostrum, & iniquitates eorum ipse portauit, ibidem num. 3. itaquè tulit de manibus malè agentium Calicem soporis, fundum Calicis indignationis suæ, aquam amaram maris, Isai. 51. nu. 22. Et facti sunt populus Dei, & amici illius, Isai. 60. num. 21. idem num. 1. & 5. Surge, inquit, illuminare Ierusalem, Ecclesia Dei, quia venit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est, & tunc videbis, & afflues, mirabitur, & dilatabitur cor tuum, quando conuersa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentium venerit tibi. Vide quomodò Gentilitatem, & peccatores vocat mare; ità etiam Iudas in sua Epistola Canonica num. 13. eosdem maris feri fluctibus assimilat, fluctus feri maris despumantes suas confusiones. Posuit ergo in thesauris abyssos, quia, vt dicit Paul. 1. Corinth. 6. nu. 11. & hæc quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis in nomine Domini nostri Iesu Christi, & in spiritu Dei nostri, & suscitabit vos per virtutem suam: Virtus Dei. spiritus eius hæc operatur, quando super aquas fertur, Genes. cap. 1. abluuntur, & dimittuntur peccata vestra, & dealbabuntur, & si fuerint rubra sicut coccinum, sicut nix efficientur, Isai. cap. 1. num. 18. vt abluti, & dealbati qui ijs sordidi erant perducantur ad regna cælestia, Iob 12. num. 22. qui producit in lucem vmbram mortis, & reuelat profunda de tenebris.

Ponere dicitur Dominus in thesauris abyssos, quasi quod ità sit peccatorum profunditas, sicut maris aquæ, quarum abyssi penetrari vix queunt.

Abyssus enim sine base, & sine bisso, idest candore dicitur, vt in d. cap. 1. Genes. sine base enim Gentilium, & peccatorum iniquitates, & scelera, & sine candore, quia omnia tenebræ erant; nunc verò Psalmista dicit.

Timeat Dominum omnis terra. Si de pœnæ timore intelligit, iàm Gentilitas perdita erat, iàm Dominum non agnoscebat, vt quid timor eius in illa gente, cuius nec Deus erat in illorum mente? Dixit enim insipiens in corde suo, non est Deus, Psalm. 13. num. 1. Sed aduerte quod iàm dictum est, Misericordia Domini plena est omnis terra: quapropter referenda ad ea sunt tempora, de quibus suprà dictum est, In omnem enim terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum, dicto Psalm. 18. nu. 5. cum iàm Gentilitas verbum Dei accepisset, idest filium Dei Iesum Christum ipsis prædicatum confessi essent, & in illum credidissent, & in Baptismi aqua peccata eorum deleta cognouissent; Dauid præuidens omnia hæc admonet, vt omnis terra timeat Dominum, quia vult, vt omnes credant in illum, qui enim timet Dominum credit illi, Ecclesi. cap. 2. nu. 6. & 8. Propterea dicit, Timeat omnis terra, omnes terræ habitatores, qui iam Dominum, & fidem eius suscipere desideratis; si sapientiam eius habere concupiscitis, timorem Domini habeatis, quia initium sapientiæ est timor Domini, Psalm. 120. num. 20. Prouerb. cap. 1. num. 7. & 10. & cap. 15. num. 33. Ecclesi. cap. 15. nu. 16. quòd si habebitis timorem Domini, à vobis expelletur peccatum, Ecclesi. cap. 1. num. 27. quia timor odit malum, Prouerb. 8. num. 13. & cum sapientia, Dei cognitio in dilectione Dei consistit: Dilectio, inquit, Dei honorabilis sapientia, Ecclesiast. dicto cap 1. num. 14. Propterea cultus Dei dicitur timor Domini, ibidem num. 17. & scientiæ Religiositas, quæ custodit, & iustificat cor, iucunditatem, & gaudium dat ibidem; fons etiam vitæ dicitur, Prouerb. cap. 14. num. 27. & cap. 19. num. 23. & ideò dat læti-

lætitiam, & gaudium, & cor delectat, Eccles.d.cap.1.num.11. & timenti Deum benè erit in extremis, ibid.num.13.

Timeat filiali timore omnis terra Dominum, idest diligant omnes Dominum, quia in dilectione Dei consistit eiusdem cognitio: vndè dicitur Psalm.33. num. 10. Timete Dominum omnes Sancti eius, quia non est inopia timentibus eum; & glorificat Deus timentes illum, Psalm. 14. num. 4. & illorum est firmamentum, Psalm.24.num.14. timent, quia diligunt, ità diligunt, quod propterea timent, Iob 3.num.26. Nonne dissimulaui? nonne silui? nonne quieui? & venit super me indignatio? Greg. Homil.10.super Ezech. Duæ sunt commotiones, quibus corda nostra commouentur, Vna quippè commotio est timoris, altera ex charitate: vna fit ex luctu pœnitentiæ, altera ex fauore amicitiæ, hæc Gregor.

Ab eo autem commoueantur omnes inhabitantes Orbem. Gratia Dei ità illos præueniat; vt contritione sua commoueantur contremiscentes scilicet, & flentes peccata sua, Deum diligant, & ipsi à Deo diligentur: Commoueantur de infidelitate ad fidem, de peccatis ad cordis munditiam, de ira Dei ad misericordiam, & gratiam. Commoueantur omnes inhabitantes terram, idest terrena sapientes, & qui à Deo recesserunt, vt post tribulos, quos produxit, & spinas terra illorum inculta, tunc mota à vitijs ad virtutis studium fructum exhibeant sanctitatis: Commoueantur à te Domine vniuersi, qui inhabitant terram, vt ità commoti cognoscant te Deum Saluatorem, & Redemptorem mundi; moueatur terra, & tu sanando, dimittas illorũ scelera, & peccata, Psal.59.in princ.

Commoueantur à Deo, vt à somno excitentur, & vigilent; quia ecce Diabolus, qui dormientes, & quiescentes in peccatis traditurus est in mortem perpetuam, appropinquauit, vt illos tradat sibi ipsi in infernum detrusurus.

Commoueatur terra, idest terrenus homo, quia qui dixit, & facta est, postquam sua culpa est deperdita, quia eodem mandante, magno est redempta pretio; quia ipse dixit, & facta sunt, ipse mandauit, & creata sunt. Semen sanctum erit, id quod steterit in ea; ibidem num. 19. sic enim Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret, Ioan.13.num. 16. & idem 1. cap. 4. num.9. In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam vnigenitum filium suum misit Deus in mundum, vt viuamus per eum: ipse ergo mandauit, & redemit eum, qui iàm perditus erat per peccatum. Nec tamen illorum præualuit consilium, qui dicebant. Mittamus lignum in panem eius, & eradicetur nomen eius de terra viuentium, Psalm. 82. num. 5. Ierem. 11. num. 4. & Sap. 2. num. 12. circumueniamus iustum, morte turpissima condemnemus eum, nu.20. Augustin. dicta sunt hæc, & inter hæc creuit Ecclesia.

Sequitur Psal. Dominus disipat consilia gentium, reprobat autem cogitationes populorum, & reprobat consilia Principum, & disipat cogitationes malignorum, & consilium prauorum, Iob.5.num. 12. & num. 13. Non est sapientia, non est prudentia contra Dominum, Prouerb.cap.21.num.30. & Isai.cap.8. num. 10. Inite consilium, & disipabitur; loquimini verbum, & non fiet, quia nobiscum Deus.

Timeat ergo Dominum omnis terra, quoniam ipse dixit per filium suum, & facta sunt; hinc Ioan.cap.12.num.49. Ego ex me ipso non sum locutus, sed qui misit me Pater, ipse mandatum mihi dedit, quid dicam, & quid loquar;

quæ

quæ ego loquor, ſicut dixit mihi Pater, ſic loquor, ibidem. num. 20. Ipſum ergo timeamus, quia per ipſum omnia facta ſunt; & ſine ipſo factum eſt nihil, Auguſtin. Mala cupiditas non eſt à Deo; illa tamen nemini nocet, ſi non permittatur à Deo: Vnde Deus ſtans ante hominem, Ioan. 19. num. 11. non haberes in me poteſtatem, niſi data fuiſſet deſuper, quia homo non habet poteſtatem, niſi cum acceperit deſuper; Vnde de Iob, vt ſupra dixi, & eſt Iob cap. 1. Diabolus nec ouem eius auſus eſt attingere, vel tollere, niſi quando Deus permiſit, tunc potuit; propterea ipſe Iob dixit, Dominus dedit, Dominus abſtulit; cum ergo Deus iubet, ipſa creata ſunt, cum Dominus iubet, mouentur, cum iubet, quieſcunt, facit Sap. cap. 6. num. 4.

Timeamus ergo Dominum, quia ab ipſo commouentur omnes Orbem habitantes, quia ipſe dixit, & facta ſunt, ipſe mandauit, & creata ſunt: ſileat à facie eius omnis terra, Habac. cap. 2. num. 20. ſileat omnis caro à facie Domini præ timore, quia conſurrexit de habitaculo ſuo ſancto, quando ſcilicet venit in mundum, Zach. cap. 2. num. 13. vt quid populi meditantur inania: cum Deus reprobet illorum cogitationes, & opera, atque Principum conſilia? Vndè igitur conſilium Domini manet in æternum, niſi de nobis, quos ante præſciuit, & prædeſtinauit, & nemo tollet nos de manu ſua, ad Eph. 1. num. 4. ſicut elegit nos in Chriſto ante conſtitutionem mundi, vt eſſemus ſancti, & immaculati in conſpectu eius in charitate, qui prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum per Ieſum Chriſtum ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ, hæc Paul. noſq. ſeruabit, dicit Ieſus, Ioan. cap. 17. num. 12. & cap. 18. num. 9. Iſai. 5. num. 9. & non erit, qui eruat.

Dominus diſſipat conſilia gentium. Gentilium ſcilicet, vel Iudæorum, quæ latas habentes habenas ſæuiebant inſurgentes contra Chriſtianos: verùm illi, qui ſæuierunt deſtructi ſunt, quia Dominus diſſipat conſilia gentium; & quod timuerunt impij venit ſuper eos, Prouerb. 10. num. 24. Impiorum enim fuerunt conſilia fraudulenta, & verba illorum inſidiabantur ſanguini, Prouerb. cap. 12. num. 5. & 6. Ruit Ieruſalem, & Iudas concidit, quia lingua eorum, & adinuentiones eorum contra Dominum, Iſai. cap. 3. nu. 8. in Act. Apoſt. & cap. 16. nu. 21. vſque ad finem, & cap. 14. num. 18. & ad Corinth. 23. nu. 23. cum ſeqq. Et in vitis Sanctorum ſæuitia patet illorum; ſæuiebant in Chriſtianos, & magis creſcebat numerus credentium: occidebant illi, vt deſtruerent nomen Chriſtianorum; & eò magis augebatur multitudo in Domino credentium. Nouit enim Dominus cogitationes Sapientum, quia vanæ ſunt, 1. Corinth. 3. num. 20. reprobat autem cogitationes populorum Iudæorum, vt crucifigeretur Ieſus: mala, & peruerſa cogitatio, quaſi lutum contra figulum cogitet, Iſai. cap. 29. num. 16. Inſaniam contra me cognoui tuam, Iſai. 37. num. 28. Et reprobat conſilia Principum Annæ, Pilati, & Caiphæ. Effuſa eſt contemptio ſuper Principes, & errare fecit eos in inuio, & non in via, Pſal. 106. nu. 40. Mortuum cogitantes, & nomen eius ſublatum; & ecce, quia reſurgens à mortuis ad nominis eius inuocationem omnes Reges, Principes, & populi, & nationes adorantes genu flectunt: immo in dicto nomine Ieſu omne genu flectitur cæleſtium, terreſtrium, & infernorum, & omnis lingua confitetur, quia Dominus Ieſus eſt in gloria Dei Patris, Iſai. cap. 49. num. 24. ad Philip. 2. num. 9. & 10. non eſt enim in hominis poteſtate conſilium Domini, Tob. cap. 3. num. 20.

Con-

Consilium autem Domini in æternum manet, contrà Deum quippe non est consilium hominum, Psalm. 139.num.9. Consilium ex Deo non potestis dissoluere, Act.cap. 15. num. 39. & stabit Consilium eius, & omnis voluntas eius fiet, Isai.cap. 46.num.10. Terribilis est Deus in consilijs super filios hominum, Psalm.65.num.5. Omnis iniquitas delebitur, & fides in sæculum stabit, Eccles. cap. 40. num. 12. & in verbis Sancti stabunt ad iudicium, Eccles. 43. num. 11. Vbi nunc sunt illi Sapientes contrà Dominum consilium facientes? annuncient, & indicent, quid cogitauerit Dominus exercituum super Ierusalem, super Ægyptum, Isai. 19. num. 12. Paueant à facie consilij Domini, quod ipse cogitauit super eam, ibidem num. 17. non enim cogitationes meæ, cogitationes vestræ, Isai. 55. num.8. Quia sicut exaltantur Cæli à terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ à vijs vestris, & cogitationes meæ, à cogitationibus vestris, ibidem num. 9. Cælum, & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt, Luc. 21. num. 33. cogitationes cordis eius in generatione, & generationem.

Beata gens, cuius est Dominus Deus eius, populus, quem elegit in hæreditatem sibi; Nunquid non es tu Deus, & Dominus vniuersorum? Psalm. 135. num. 3. & Deus Deorum, Psalm. 49. num. 1. & Psalm. 94. nu. 3. & tu solus Deus in vniuersa terra, Tob. 8. num. 19. & cuius non est Deus? Augustin. Non planè omnium eodem modo, noster magis, noster, qui viuimus ab illo tamquam de pane nostro. Ipse sit hæreditas nostra, possessio nostra. An fortè temerè dicimus, faciendo, Deum nobis possessionem, cum sit Dominus, cum sit Creator? Non est, inquit Augustin. ista temeritas, sed affectus desiderij, & dulcedo spei. Dicat anima mea, & secura dicat, Deus meus es tu, qui dicit animæ nostræ, salus tua ego sum, Psalm. 34. num. 3. & 23. Beata ergo gens, cuius est Dominus Deus eius: sed quæ erit gens ista beata? audi Baruch cap. 4. num. 4. Beati, inquit, sumus Israel, quia, quæ Deo placent, manifesta sunt nobis: at nos dicamus, Beata gens Christum colens, quia eius mandata ipsi nota sunt, & illa custodit: ò gens Christiana pro certo habeas; si colis Deum, & Dominum nostrum Iesum Christum, quòd vita tua, si in probatione fuerit, coronabitur: si autem in tribulatione fuerit liberabitur, & si in correptione fuerit, ad misericordiam venire licebit, Tob. 3. num. 21. Beata gens, quæ diligit Dominum, Tob. 13. num. 17. timeat tamen Dominum, qui beatus esse desiderat, Prouerb. cap. 28. nu. 14. Beatus homo, qui semper est pauidus: & si à Deo corripitur beatus; si increpationem Domini non reprobet, Iob 5. num. 17. quia ipse vulnerat, & medetur, percutit, & manus eius sanabunt: Beatus, cuius est Dominus Deus eius: Psalm. 143. nu. 13. Hunc Deum quæsierunt Gentiles, qui antè non interrogabant; inuenerunt, qui non quæsierunt illum: proptereà ab eodem Domino meruerunt audire: ecce ego: ecce ego ad gentem, quæ non inuocabat nomen meum: Isai. 65. nu. 1. & 8. quomodò si inueniatur granum in botro, & dicatur, ne dissipes illud: quoniam benedictio est: sic faciam propter seruos meos, vt non disperdam totum, & num. 9. Educam de Iacob semen, & de Iuda possidentem montes meos, idest Ecclesiam meam, & hæreditabunt eam electi mei: O beata gens, cuius est Dominus Deus hæreditas eius: & vocabit eos populus sanctus, redempti à Domino: tu autem, idest Ecclesia, vocaberis, quæsita Ciuitas, & non derelicta, Isai. 62. num. 10. Non abijciamus ergo fratres disciplinam Domini, vt non despiciamus animas nostras, Prouerb. 15. num. 32. nàm qui abijcit disciplinam, odit animam suam, Iob d. cap. 5. num. 7.

num.7. Confiteamur Domino in bonis nostris, & benedicamus Deum sæculorum, vt reædificet in nobis Tabernaculum suum, Tob. 13. num. 12.

Beati nos, quorum Dominus est Deus noster, si tamen illum quæramus. Si meliores nos esse cupimus, meliorem nobis inquiramus; nam anima nostra melior est corpore, & Deus melior est animo, & corpore nostro, quia ipse creauit nos, & fecit nos, & ideò tantò melior etiam Angelis effectus est Iesus Dominus, quantò differentius præ illis nomen hæreditauit, ad Hebr. 1. nu. 4. Si meliorem, immo optimum habere possumus, in quo est vita, & resurrectio nostra, & per quem à morte liberari possumus, si velimus: quare aurum, & quod corruptibile est, quærimus: quod vel habere difficilè est, vel si habeamus erit cum luctu? Animus noster, qui seruit Deo, & illum diligit, fit iustus, fitq. corpus immortale: nàm per animi illuminationem meretur corpus incorruptionem, & fit inferioris reparatio per meliorem. Cum ergo quærimus bonum, illud quæramus, quod animo nostro bonum est: nam cum sit animus corpore melior, illud quærendum est, quod est melius animo, quia ex illo meliori fit etiam corpori delectatio, nàm fit immortale. Cum igitur Deus sit vita nostra, & bonum, quare Deum præ omnibus non diligamus? Beata gens, cui Dominus est Deus eius, quem cum voluerimus, habebimus: immo, & qui antequam velimus venit ad nos: & cum aduersa voluntate essemus, vocauit nos, & cum conuersi fuerimus terret nos: & cum territi confiteamur, consolatur nos, qui nobis semper est propinquus, Deut. 4. num. 7. qui & omnia præstitit nobis, & qui fecit, vt essemus, qui Solem facit oriri super iustos, & iniustos: seruat tamen nobis, quod non dat alijs, se ipsum scilicet: si nobis se seruat Deus, quid illo melius inuenire possumus? Auare, inquit, Augustin. quid inhias cælo, & terræ? maior est, qui fecit Cælum, & terram, ipsum visurus, ipsum habiturus es.

Beata gens, cuius iste Dominus, Deus noster est: Quomodò tu dicis noster, si tu longè sis ab illo, si non amas illum? si diligis Deum tunc benè dicis, Domine Deus meus es tu: quia, & ipse dicit tibi: salus tua ego sum: quia prior dilexi te, 1. Ioan. cap. 4. num. 10. & 11. sic enim dilexit te Deus, vt vnigenitum suum daret pro te, nec proprio filio pepercit, ad Roman. 8. num. 32. Et nos ambulemus in dilectione, sicut Christus dilexit nos, ad Ephes. 5. num. 2. audi Ioan. d. cap. 4. Epist. 1. num. 7. Omnis, qui diligit, ex Deo natus est, & cognoscit Deum, qui non diligit, non cognoscit Deum. Nos ergo gens Domini Iesu Christi diligamus illum, quia Dominus, & Deus noster est, & quoniam ipse prior dilexit nos: Ioan. vt supra num. 19. d. cap. 4. & cap. 5. num. 1. Omnis, qui credit, quoniam Iesus est Christus, ex Deo natus est; Et omnis, qui diligit eum, qui genuit, diligit eum qui natus est ex eo. Sed in quo cognoscitur, quia diligimus Deum? cum natos Dei, cum Deum diligamus, & mandata eius faciamus, Ioan. d. cap. 5. num. 2. Beata gens Christiana, quia Dominus Iesus Christus illuminauit nos, & est Deus filius Dei, & Dominus noster, & quia diligimus cogniti sumus ab illo, Prouerb. 8. num. 5. Beata gens, cuius hæreditas est tàm præclara sibi. Sed qualis ista hæreditas est? ipsemet Deus, Psalm. 15. num. 5. Dominus pars hæreditatis meæ. & num. 6. funes ceciderunt me in præclaris, etenim hæreditas mea præclara est mihi. Deum possidemus, & ipse possidet nos: quia hæreditas illius sumus, Isai. cap. 15. num. 25. hæreditas mea Israel, & Psalm. 134. num. 4. elegit sibi Dominus Israel in possessionem sibi, nos possidemus Deum; & ipse

&ipse possidet nos, & Psalm. 138. num. 13. tu possedisti renes meos, Zach. 2. num. 12. ex Augustin. hic. Posſidet ergo, & possidetur, & totum propter nos. Vt enim nos ex illo Beati simus posſidetur à nobis: vt autem ille beatus sit non posſidet nos. Et posſidet nos,& posſidetur à nobis, non ob aliud, nisi, vt nos beati simus. Posſidemus eum, & posſidet nos, quia colimus eum, & colit nos: colimus eum tamquam Deum, & Dominum, colit nos tamquam terram suam: Beata gens, quæ posſidet illum, beata hæreditas possessore suo, populus, quem elegit Deus possesſionem sibi: hæc August.& sic ille possedit populum.

Beata, cuius Dominus Deus solus est; Illa gens, quæ alium non cognoscit, nisi vnicum illum Dominum, per quem omnia facta sunt, & sine ipso factum est nihil, Ioan. 1. & ipse fecit nos, non ipsi nos: Beatus est etiam ille populus, quem peculiari modo elegit Deus in hæreditatem sibi, quasi propriam possesſionem. Vndè Augustin. Sicut dicimus talis possesſio est talis Senatoris:ità talis populus, quia solum Deum in fide, spe, & charitate colit, dicetur esse Populus Dei dicetur, possesſio Dei, hæreditas Dei, quia facit voluntatem Dei, & mandata eius obseruat. Propterea Dei imago perfecta, quia similis est ei, quia eum sicuti est videbimus, quia Angelis æquales erimus: non ergo vilia, & nobis inferiora quæramus, sed vt beati simus ad fęliciora, & nobis superiora festinemus: ipsum Deum, & Dominum nostrum, quia ideò, & ipse beatus, quia videt se sicuti est.

Et de Cælo vidit, & respexit Dominus, vidit omnes filios hominum, quos scilicet ille posſidet, & qui sunt hæreditas Domini. Vidit, quia miseretur, vt adiuuet; vidit, quia ecce oculi eius super iustos, & aures eius in preces eorum, Psalm. 33. num. 16. vidit gentem, cuius est Dominus Deus eius, Psalm. 60. nu. 7. Oculi eius super gentes respiciunt, vt circumdem, & muniam domum meam, idest Ecclesiam, ex his qui militant mihi euntes, & reuertentes, & non transibit super eos vltrà exactor, idest Diabolus: quia nunc vidi in oculis meis, Zach. cap. 9. num. 8. vidi, inquit, scilicet oculis misericordiæ, quia in mundum venit Iesus, num. 9. Exulta filia Sion; iubila filia Ierusalem. Quare? quia ecce, inquit, Rex tuus veniet tibi iustus, Saluator, &c. & num. 10. & loquetur pacem gentibus, &c. & idem num. 16. & saluabit eos Dominus Deus illorum in illa die, vt gregem populi sui. Ecce oculi Domini super metuentes eum, quos ipse Dominus elegit, Ioan. 15. num. 16. & quos dedit illi Dominus custodiuit, & seruauit in nomine Dei Patris, idem Ioan. 17. num. 12. Vidit, humilem, quia humilis esse debet, qui vult esse populus eius: quia Dominus humilia respicit, & alta à longè cognoscit, Psalm. 137. num. 6. & humilibus dat gratiam, 1. Petr. cap. 14. num. 5.

Vidit omnes filios hominum. Pertinentes ad filios hominis vidit, vt misereatur, non vt puniat; nam tunc, quum punitionis fit mentio clamat peccator, vt auertat faciem suam ab illo, Psalm. 50. num. 12. auerte faciem tuam à peccatis, inquit Dauid. alibi dicit Psalm. 26. num. 9. E contrà verò cum de misericordia, ait idem tamen, ne auertas faciem tuam à me: vt semper miserearis rogo te: vt autem à peccatis meis auertas faciem tuam, ne illa videas, sed vt illa deleas, & citò anticipent me misericordiæ tuæ, clementer exposco, Augustin. Quod vult ignosci, non vult agnosci; numquam enim respectus Domini fuit sine misericordia eius, & ideo dicit.

De Cælo respexit Dominus: vidit omnes filios hominum. De præparato

habi-

habitaculo suo respexit super omnes, qui habitant terram. Propterea de præparato habitaculo suo respexit, quia miserendo, quos elegit, saluabit. Quandocunque enim Dominum respicientem audimus, semper miserantem reperimus. Respiciam vos, & crescere vos faciam, Exod. 26. nu. 8. & 9. & clamantibus nobis exaudiuit, & respexit humilitatem nostram, Deut. 26. nu. 7. & 15. Respice de sanctuario tuo, & de excelso Cælorum habitaculo, & benedic populo tuo Israel. Quando liberare voluit, Israel respexit ad Gedeonem Dominus, Iudic. 6. nu. 14. Similiter quando escas dedit populo, respexit inquit Ruth cap. 1. nu. 6. similiter 1. Reg. 9. nu. 16. respiciens Dominus clamorem populi sui, illum liberauit, & ideò Eccles. cap. 16. nu. 30. dixit non sis incredibilis verbis illius: post hæc Deus in terram aspexit, & impleuit eam bonis suis. Respice ergo Domine de domo tua sancta in nos, & inclina aurem tuam, & exaudi nos, dicebat Baruch 2. nu. 16. propterea Elisabeth, Luc. 1. num. 26. postquam conceperat mensibus quinque dicens; quia sic fecit mihi Dominus in diebus, quibus respexit auferre opprobrium meum inter homines.

Respexit ergo Dominus de præparato habitaculo ad saluandos nos de præparato, vt homo ipse fieret, & liberaret nos: quia mundi sunt oculi sui, ne videant malum: & respicere ad iniquitatem non poterat, Abac. 1. nu. 13. propterea venit, vt iniquitates nostras ipse portando deleret; de habitaculo corporis sui respexit ab æterno præparato, Eccles. 24. quod elegit sibi habitaculum sapientia Dei Patris, ab omni malitia, & immunditia, mundissimum: hic habitabo, quoniam elegi illud, Psalm. 131. num. 14. & ideò venit, quia respexit in Cælo gentem suam, & iterum de Tabernaculo exiens respexit, quia illos ei dedit Pater, vt illos saluaret, & liberaret, & in Cælum reuersus, secum etiam in futurum adduceret, quia misericors est.

Respexit super omnes habitantes terram, super fideles suos, super gentem sanctam suam, quæ in omni terra existit, non in particulari loco, sed in omni terra; in omnem enim terram exiuit sonus eorum, Deus quippè ipse est.

Qui finxit sigillatim corda eorum singula corda dans nobis, quæ tamen non dirimant vnitatem, Augustin. quomodo enim sigillatim membra formata sunt omnia, sigillatim habent opera sua, & tamen in vnitate corporis viuunt. Manus facit, quod oculus non facit &c. omnia tamen vnitatem operantur, quamuis membra omnia diuersa faciant, nec sibi aduersantur, sic & in Christi corpore singuli homines tamquam membra singula donis suis gaudent, quia ille, qui elegit populum in hæreditatem sibi; finxit sigillatim corda eorum; vnde non omnes Apostoli, non omnes Prophetæ, &c. 1. Corinth. 12. num. 2. alij per Spiritum sanctum datur sermo sapientiæ: alij sermo scientiæ, vt ibi Paul. Quare? inquit August. Quia finxit sigillatim corda eorum, quomodò autem in membris nostris diuersa sunt opera, sed vna sanitas; sic in omnibus membris Christi scilicet, diuersa sunt munera, sed vna charitas, hæc Augustin.

Manu ergo gratiæ formando Deus corda hominum illis singulis quædam dona gratia intulit; nulli tamen omnia. Rationem assignat, Gregor. super Ezech. Homil. 10. duplicem: vel ob exhibitionem mutuæ charitatis, vel ob fomentum humilitatis, de prima dicit, quòd Deus omnipotens agit in cordibus hominum, quod facit in Regionibus terrarum; poterat namq. vnicuique Regioni fructus omnes tribuere; sed si vna quælibet Regio alterius Regionis fructibus non

indi-

indigeret, communionem cum altera non habuisset: Vndè fit, vt huic vini, alij verò olei abundantiam tribuat, &c. & cum illa defert, quod ista non habet, & ista reddit, quod illa non detulit: per communionem gratiæ simul, & diuisæ terræ, coniunctæ sunt. Sicut ergo Regiones terrarum, ità sunt mentes Sanctorum, quædam sibi vicissim conferunt, quod acceperunt, quasi fructus suos Regiones Regionibus impendunt, vt vna omnes charitate iungantur, hæc Gregor. de secunda verò dicit, Mira itaquè dispensatione omnipotens Deus sic in electis suis dona dispensat, vt, & isti det, quod illi denegat, & alteri maius, quod alteri minus tribuat, quatenus dum vel iste habere illum conspicit, quod ipse non habet, vel ille nunc magis accepisse considerat, quod sibi minus adesse pensat, dona Dei in altero, idest vicissim admirentur omnes, atque ex hac admiratione humilientur alter alteri, Gregor. lib. 12. quem allegat Cardinalis Anglicus Pater Dominicanus in hoc eodem Psalmo.

Qui finxit sigillatim corda eorum, qui intelligit omnia opera eorum. Non enim est secretum in corde hominum, quò ad Deum, nàm si ipse finxit corda, quare non nouerit illorum secreta? aut non intelliget conuersionem illorum? si ad iactantiam, vel ad charitatem exercendam sint dona: intellectus enim Domini est occultus visus illius, ipse enim videt renes, & cor, Ierem. cap. 21. num. 12. ideò dicit Ecclesi. cap. 7. num. 5. non te iustifices ante Deum, quoniam Agnitor cordis ipse est. Et hæc est inter hominis, & Dei differentia visionum, quia homo videt factum hominis motu eius in corpore, Deus autem videt in corde, hìc Augustin.

Non saluatur Rex per multam virtutem, & Gigas non saluabitur in multitudine virtutis suæ. Quæ virtus in homine, vt fortitudine sua saluari possit? nulla certè, Ezech. cap. 28. num. 4. cum sequen. Cum omnis fortitudo de Cælo sit, 1. Macab. cap. 3. num. 19. non in multitudine Exercitus, Iosue cap. 11. num. 4. erat enim Exercitus illorum Regum sicut arena maris, nec reliquiæ remansere illis, num. 11. Mea est fortitudo, Prouerb. cap. 8. num. 14. non in fortitudine sua roborabitur vir, 1. Reg. cap. 2. num. 9. quia Dominus est, qui mortificat, & viuificat, deducit ad inferos, & reducit, Deuteron. cap. 32. num. 39. Sap. cap. 16. num. 13. Iudicio defendet causam, vt exterreat terram, & commoueat habitatores, Ierem. cap. 50. num. 34. Non in sua virtute Rex, neque Gigas, idest fortis in fortitudine sua: Vis scire, qualis sine Deo, sit fortitudo istorum, & similium peccatorum, qui in sua virtute confidunt? sicut stuppa collecta Synagoga peccatorum, & consummatio illorum flamma ignis, Ecclesi. cap. 21. num. 10. & via istorum complanata lapidibus, & in fine illorum Inferi, & tenebræ, & pœnæ, ibidem num. 11. & fortitudo illorum, dicit Isai. cap. 1. num. 31. erit vt fauilla stuppæ, & opus illorum quasi scintilla, & succendet vtrumque simul, & non erit, qui extinguat, & in alio loco Iudic. cap. 16. num. 9. Sicut Sampson, qui rumpebat vincula, vt si quis rumpat filum de stuppa tortum putamine, cum odorem ignis acceperit: talis est fortitudo, & virtus Regis, & Gigantis sine Deo.

Ad Dominum ergo omnes, dicit Augustin. Spes tua Deus sit, fortitudo tua Deus sit, firmitas tua Deus sit, exoratio tua ipse sit, laus tua ipse sit, finis, in quo requiescas, ipse sit, adiutorium cum laboras ipse sit, hæc Augustin. Non enim est salus, nec fortitudo, nec aliud bonum in alio, quàm in Deo, Isai. 12. num. 2. si confidis in velocitate equi, cursus fallax, inquit Ægidius, ad salutem:

Equum enim, & Ascensorem proiecit in mare, Exod.cap.1.nu.15. & 21. nunquid gloriabitur securis contrà eum, qui secat in ea? aut exaltabitur serra contrà eum, à quo trahitur? quomodò si eleuetur virga contrà eleuantem, & exaltetur baculus, Isai. cap. 10. numer. 15. nunquid nescis, aut non audisti? Deus sempiternus, qui creauit terminos terræ, &c. qui dat lasso virtutem, & his, qui non sunt, fortitudinem, & robur multiplicat, Isai. cap.40. numer.28. qui autem sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas, sicut Aquilæ current, & non laborabunt, ambulabunt, & non deficient, numer. 31. ibidem.

Si ergo nec in potentia, & virtute Rex, & Gigas confidere possunt, nec minus in equo, qui fallax est ad salutem: nec in abundantia virtutis saluabitur. Non ob id mendax equus, vt loquendo tibi promittat salutem: sed quia spes tua est in illo, vt fugam arripiens saluet te: quia fortem, & benè formatum illum vides, magno cursu præditum. Sed si Deus non permittit, quomodò equus te saluabit? ipsius enim sunt iumenta, & boues, & vniuersa, Psalm.49.num.10. Iob cap.12.num.9. Quis ignorat, quod omnia hæc ipse fecerit; in cuius manu anima omnis viuentis, Ierem.cap.27. num.5. Ego feci terram, homines, & iumenta. Hæc ergo spes vana tua, superbia est, quiesce. Nequaquam, tu dicis, sed ad equos fugiemus: ideò fugietis. Et super veloces ascendemus: ideò velociores erunt, qui persequentur vos, Isai.cap.30. num.7. & 16. Apud Dominum est fortitudo, & sapientia: ipse enim nouit, & decipientem, & eum qui decipitur; ipse est, qui multiplicat gentes, & perdit eas, & subuersas in integrum restituit; qui immutat cor Principum populi terræ, & decipit eos; vt frustrà incedant per inuium. Palpabunt quasi in tenebris, & non in luce, & errare faciet eos quasi ebrios, Iob cap.12. num.16. 24. & 25. quia rectum est iudicium, & omnia opera eius in veritate, & iustitia.

Vana ergo est, si in iumento, in equo spes tua, salus tua posita sit; quin & per id comparaberis iumentis insipientibus, & similis factus eis eris, Psalm.48. num.13. & 21. Iob cap.18.num.3. Deus enim collidit equum, & equitem eius, Ierem.51. num.21.

Aduertamus fratres, quia supradicta dicta sunt iuxtà nostram superbiam inanem; quæ in magnitudinibus huius mundi posita est, & sine fundamento fundata: fugiamus, nec ab illis, quæ transitoria sunt extollamur, sed delectemur in Domino, & in ipso sit spes nostra, quia dabit petitiones cordis nostri, Psal.36. num.3. & hæreditas nostra in æternum erit: ibidem num.18.

Nec in robore virtutis vestræ, ò iuuenes sit vestra confidentia, exultatio enim vestra est fortitudo, Prouerb. cap.20. num.29. sed quasi Agnus lasciuiens estis, & ignorantes, quod ad vincula stultus trahitur, Prouerb.cap.7.num.21. & iuuenes in infirmitate cadent, Isai. cap.40.nu.30. Ascendit mors per fenestras vestras, ingreditur domus vestras, disperdere paruulos de foris, iuuenes de plateis, Ierem.cap. 9.num.21. & idem cap. 11.num.22. Ecce ego, inquit, visitabo super eos, iuuenes morientur in gladio, & filij eorum, & filiæ eorum morientur in fame: & in alio loco, cadent iuuenes eius in plateis eius, &c. Ierem.cap. 49. num.26, & cap.50.num.30. Fallax ergo iuuentus tua, quæ quando est sine ratione comparatur equo; Redarguuntur homines, qui sibi quærant mala iumenta, occasiones mendaciorum, cum Scriptura dicat: Os quod mentitur, occi-

occidit animam, Sap. cap. 1. nu. 11. qui loquitur iniqua, non potest latere, nec præterit illum corripiens iudicium, ibidem num. 8. & Deus perdit omnes, qui loquuntur mendacium, Psalm. 6. num. 7. & Prouerb. cap. 19. nu. 9. qui loquitur mendacium peribit: & Ecclef. 20. num. 20. cum sequen.

Fallax equus ad salutem, in abundantia virtutis suæ non saluabitur. Fortis fuisti in expugnatione Diaboli: strenuè contrà hostes spirituales pugnasti, non iacteris, quasi in fortitudine tua hæc feceris; quia non in fortitudine sua roborabitur vir; alioquin recepisti mercedem tuam, Psalm. 146. num. 10. Non in fortitudine equi voluntatem habebit, nec in tibijs viri beneplacitum erit ei. Facit à simili parabola superbi Pharisæi illius, qui in se confidebat, quem refert Luc. cap. 18. nu. 9. Vndè ergo eris saluus; si in abundantia virtutis suæ fallax est equus? nàm, vt dicit Augustin. Saluus non de virtute, non de viribus, non de honore, non de gloria, non de equo. Vndè? quo ibo? noli tu diù quærere; Ecce oculi Domini super iustos, super timentes eum, super metuentes eum, & in eis, qui sperant super misericordia eius. Timeamus Dominum, non seruili timore, sed amore & dilectione, quia ipse prius dilexit nos, 1. Ioan. 4. num. 20. Seruilis quippè timor non est in charitate, nàm perfecta charitas foras mittit timorem, quoniàm timor pœnam habet, qui autem timet nō est perfectus in charitate, Ioan. vt suprà, nu. 18. sit ergo timor Domini super nos, sed in spe, nàm sine spe timor est seruilis; spes verò nostra non sit sine timore, quia aliàs præsumptio esset; timor cum spe charitatem veram declarat, idest amorem liberalem, quo Deus diligitur spes tibi sit, sed cum timore, ne aliquando in aliquo maiestatem Dei offendas; timor sit, sed sperans in misericordia Dei, per quam salui fieri possumus, ideò coniungit Psalmista hæc duo, timorem, & spem: Gregor. 23. Moral. In peccatoris pectore incessanter debet spes, & formido coniungi, quia incassum misericordiam sperat, si non iustitiam timeat; & incassum iustitiam metuit, si etiam de misericordia non confidit.

Oculi ergo Domini super iustos, & aures eius in preces eorum, vt redimat animas seruorum suorum, & non derelinquat omnes, qui sperant in eo, Psal. 33. num. 16. & 23.

Vt eruat à morte animas eorum, & alat eos in fame, Prouerb. cap. 10. nu. 3. Non affliget Dominus fame animam iusti, & Iob cap. 5. num. 20. in fame eruet te de morte. Loquitur enim Iob de iusto, qui à Deo corripitur, dicens illum beatum, qui à Deo corripitur. Increpationem ergo Domini, dicit, ne reprobas, quia ipse vulnerat, & medetur, percutit, & manus eius sanabunt: ibidem num. 17. 18. & 22. In vastitate, & fame ridebis, & bestias terræ non formidabis: eruit enim à morte animas eorum, & alit eos in fame. Non de fame panis loquitur, cum enim superius dixerit, quòd verbo Domini Cæli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum, & oculi Domini super iustos, & aures eius in preces eorum: & verbum Dei sit panis verus de Cælo descendens: iustiq. timentes, & pauidi semper appetant illud verbum, illum panem.

Eruit illos Dominus à morte, alendo illos in fame, dans illam abundantiam verbi sui, vt illud custodientes liberentur à morte, Amos cap. 8. num. 11. Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & mittam famem in terram, non famem panis, non sitim aquæ, sed audiendi verbum Domini, & commouebuntur à mari, vsque ad mare, & ab Aquilone, vsque ad Orientem. Circuibunt quærentes

verbum Dei, & non inuenient, quia iniusti erunt; Fideles verò secus, quia vt eruat illos à morte, alit in fame, audiendi verbum copiam dans. Augustin. Tempus famis est modo, tempus saturitatis post erit, qui nos in fame huius corruptionis non deserit, immortales factos quomodò non satiabit? sed propter peregrinationis tolerantiam, quamdiù fames est, expectemus in via refici, nec deficiamus: sequitur Augustin. Quid nobis imponit, vel quid profiteri debemus. Sequitur Psalm.

Anima nostra sustinet Dominum, quoniam ipse euellet de laqueo pedes nostros; patiens sit anima nostra, quia securè expectamus misericorditer promittentem, misericorditer, & veraciter exhibentem, & donec exhibeat, quid agamus? Anima nostra patiens erit Domino. Sed quid si in ipsa patientia non durabimus? quoniam adiutor, & protector noster; Non ergo timeamus, quia donec perueniamus ad locum, nobiscum est Dominus, ideò planè durabimus: hæc Augustin. sed in quo adiuuat? in pugna adiuuat, quia militamus semper in hac vita: protegit ab æstu, non te deserit, tolera dura, quia qui perseuerauerit vsque in finem, hìc saluus erit, Matth. 10. nu. 22. & cap. 24. nu. 13. Merces verò, quæ tali perseueranti promittitur, hæc est.

Quia in ipso lætabitur cor nostrum, & in nomine sancto eius sperabimus, Augustin. spera hìc, & lætaberis ibi; esure, & site hìc, vt epuleris ibi. Vis nosse quomodò tibi eroget Dominus misericordiam, tu eroga charitatem. hæc Augustin. tunc iustè dicamus.

Fiat misericordia tua Domine super nos, quemadmodum speramus in te: Anima nostra sustineat Dominum, quando nos flagellat, Bernard. in Serm. de Apostol. Petri, & Pauli. Est quod à te pateris, quod à proximo, quod à Deo: primum est austeritas pœnitentiæ, secundum vexatio alienæ malitiæ, tertium flagellum correctionis Diuinæ. In eo, quod à te pateris, debes voluntariè: quod à proximo patienter ferre: quod à Deo sine murmure, & cum gratiarum actione. Et ideò Psalm. 50. num. 19. Sacrificium Deo spiritus contribulatus: tribulemur, & humiliemur, absque murmuratione sustineamus, etiam si Carbo desolationis sinum nostrum vrat, idest fortis aduersitas etiam intima cordis videatur penetrare, dic, propter legem tuam sustinui te Domine, Psalm. 129. num. 4.

Sustinuit anima mea in verbo eius; sperauit anima mea in Domino. Viriliter agamus sustinentes, & confortetur cor nostrum, Psalm. 26. quia adiutor est nobis Dominus in tribulatione, Psalm. 45. quia in Deo lætabitur cor nostrum, & in nomine sancto eius sperauimus; non de nostra iustitia præsumamus, sed in sua misericordia spem habeamus, ideò sicut spes est nostra, ità fiat misericordia tua super nos: ideò spes nostra, quia magna est misericordia tua: quia ideò seruauimus mandata tua, vt tu deleas peccata nostra. Lætetur cor nostrum, quia spes nostra sit posita in tua misericordia: Fiat misericordia tua Domine super nos, quos per aquam Baptismi abluere dignatus es, & Spiritus sancti infusione confirmes, Act. cap. 2. num. 1. cum sequen.



SO-

SOLILOQVIVM.

VTINAM Domine omnes iusti, & recti, in spe, fide, & charitate firmati collaudantes Dominum exultent mecum in Citharis cordis nostri, & in decem chordarum, ac diuinorum præceptorum Psalterio. Confessione, & obseruatione nouum cantent Canticum psallentes, & alta voce laudantes Deum. Qui per verbum suum, Iesum Christum, nouum Canticum, salutem animæ scilicet, & corporis annunciauit. Rectum confiteamur verbum Domini, quia cum diligat misericordiam, & iudicium, quibus plena est terra, si benè operemur in fide, salui erimus. Quid ni exultes anima mea cum hoc verbum suum nos docuit per Apostolos, qui Cæli dicuntur, nobis prædicatum, & miraculis, quæ ex virtute oris eorum fiebant, confirmatum. Nos in omnibus terræ partibus dispersos, quasi aquas maris in vtre congregauit, & peccatorum nostrorum abyssos in thesauris suæ misericordiæ posuit, portauit, atque deleuit. Adaugeat Dominus commoueatq. corda omnium in terra habitantium, vt filiali timore amantes, & in illum credentes seruiamus illi. Omnia tibi possibilia sunt Iesu Christe: quia tu dicis, & facta sunt, & si mandas, creata sunt: qui ideò venisti, & passus es, vt omnes redimeres, & saluarentur. Tolle Domine falsam Hæreticorum saluti hominum aduersantium doctrinam; dissipa consilia malignantium: reproba populorum cogitationes, & Principum contraria consilia saluti: in æternum permaneat consilium tuum, vt omnibus proficiat redemptio tua.

O beata gens Christiana, cuius tu Dominus, & Deus es, & ipse populus, ad quem hæreditatis tuæ funiculus peruenit. Quia de Cælo respexit illum Dominus miserando, & descendens in Virginis Mariæ vterum præparatum habitaculum suum super omnes in omni terra, quos elegerit, & si dispersos, iterum miserando respexit, & saluauit, sanguineq. suo redemit, quos illi Dominus in hæreditatem dedit: quosvè optimè norat, quia finxit sigillatim corda eorum, diuersa dona eis largiendo, & singulorum opera intelligendo.

O fideles, ò vos cæteri omnes, quorum est in Rege terræ fiducia, vel in fortitudine vestra confiditis: fallax equus ad salutem: ecce Reges, & cæteri Deum non agnoscentes, iumentis insipientibus assimilantur. Deus aufert spiritum Principum. Deus Regna aufert, & concedit, Deus vniuersorum est ipse. Illi verò, & vos simul stuppa sicca, & parua stuppa igni proxima, vt comburatur. Spem ergo in Domino Deo vestro habeatis, quia ipsa est immortalitate plena. Timor vester, & amor sit in eo, qui fecit nos, qui creauit nos, cuius oculi super metuentes eum, & in eis, qui sperant in misericordia eius, vt nos à morte eruat, & alat. Nos in fame, hoc est Spiritu sancto suo corroboret, adaugeat, si sitimus salutem nostram: si ità diligimus Deum, amore in ipsum flagrantes, esuriamus gloriam Cæli, alat is nos, corroboret, inflammet: vt anima patiens in hac vita, salua fiat sustinendo tribulationes, atque aduersitates. Quia Dominus permittit, & adiuuat, vt sustineas, quia protector noster est. In eo ergo lætetur cor nostrum, & in nomine sancto eius, idest in Iesu Christo speremus, qui est redemptio nostra. Fiat misericordia tua Domine super nos, ità miserearis nostri, sicut, & nos spem habemus in te.

Succurrite nobis Sancta Dei Genitrix immaculata Virgo, omnes Sancti Angeli, & Archangeli Dei, Sancti Apostoli Domini, & Euangelistæ, omnes Sancti Martyres, Doctores, & Confessores; Omnes Sanctæ Virgines, & Viduæ intercedite pro nobis: omnes Sancti, & Sanctæ Dei orate pro populo, quem Deus appropriauit sibi; pro Ecclesiæ sanctæ augmento, & pace, & hæresum, & Turcarum extirpatione, vt deletis eorum impietatibus, & fallacijs, in vtre sanctæ Ecclesiæ congregati, cum electis exultent, & collaudent nomen tuum. Fiat misericordiosissime Deus per merita passionis tuæ, & exaudi me pro omni populo tuo; tui enim sunt omnes, tu illos creasti, tu etiam illorum dirige voluntates, vt te solum Deum, & Iesum Christum filium tuum, & Spiritum sanctum cognoscant, atque confiteantur: non tres Dij, sed vnus es Deus, quia ità nos docuisti: & ità credimus, & Psalmista canendo dixit: Verbo tuo Domine Cæli firmati, & spiritu oris tui omnis virtus eorum.

Sancta Trinitas, vnus Deus, vnus Dominus respice oculis tuæ misericordiæ in nos, vt saluos facias nos, intercedentibus omnibus Sanctis tuis, quorum hodie solemnia celebramus, & vt in te gaudeamus, & exultet anima nostra in te Deus noster; induas nos vestimentis salutis, & indumento iustitiæ circunda nos, vt adhærentes tibi Domine, colentes, & diligentes nomen tuum quod est filius tuus Iesus adducamur, per merita ipsius, & nos in montem sanctum tuum, & lætificemur in domo orationis tuæ, in Ecclesia tua sancta, in qua corpus, & sanguis tuus quotidie consecratur, & adoratur, quid enim bonum est, & quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum, & vinum germinans Virgines, respice ergo Domine super familiam tuam, Amen. Fiat Domine. Fiat.

IN PSALMVM XXXIII.

Benedicam Dominum in omni tempore: semper laus eius in ore meo.

SVPRA exultamus, quia Dominum venturum credimus, Verùm quia corripit qui à Domino diligitur; propterea in omni tempore in aduersis scilicet, & prosperis benedicendum, & laudandum Dominum docemur in Psalmo isto XXXIII. Dicit ergo. Benedicam Dominum in omni tempore: semper laus eius in ore meo: nec te terreat persequutio, & damnum, nàm à Deo sunt hæc, quia quos diligit hos corrigit, & castigat.

Summa hæc est in prosperis laudandus Dominus, & in aduersis etiam benedicendus, à quibus mitis, & humilis patiens liberabitur.

Titulus huius Psalmi.

Dauidi cum immutauit vultum suum coram Achimelech, & dimisit eum, & abijt, 1. Reg. cap. 21. alij legunt Abimelech; & hanc esse in Latinorum omnium Codicibus asserit Bellarm. hic. vulgatam tamen Sixti Quinti dicit forsan vitio Librariorum, vel Impressorum factam esse, quæ scriptum reliquit Achimelech; verùm cum & in noua Clem. VIII. editione, & reformatione sit titulus Achimelech; nescio quid dicendum; nisi forsan, & Abimelech, & Achimelech

lege-

legere voluerimus, cum de vtroque in eodem cap. 21. Reg. 1. tractetur immutauit enim Dauid vultum coram Achimelech; quia se finxit à Rege Saulo missum, & non erat; immutauit, & realiter os suum coram Abimelech, vt ibidem num. 13. extimuit valdè Dauid à facie Achis Regis Geth, & immutauit os suum coram eis, & collabebatur inter manus eorum; & impingebat in ostia portæ, defluebantq. saliuæ eius in barbam: hæc ibi.

Et quia contra Tertullianum, qui legit Achimelech tenent Augustin. S.Basil. S. Hieron. & Euthymius legentes Abimelech: quia vt dixi Dauid fugit ad Achis Regem Philistinorum, à cuius seruis Dauid expulsus abijt, & fugit, dicit cap. 22. in princ. 1. Reg. non auderem ab istis, sanctæ Ecclesiæ Doctoribus recedere: quoad interpretationem vocabuli, nàm Abimelech Regnum Patris dicitur, à quo Dauid fugit, qui designat Christum, venit ad Achis, ad Gentiles scilicet, relictis Iudæis. Quamuis opinio Tertulliani à vulgata Sixti, & à Clem. approbata: magis litteræ textus, & tituli huius Psalmi, & dicto cap. 21. & 22. 1. Regum congrua videntur.

Verba enim Textus, quod de Abimelech intelligantur sunt hæc, num. 10. surrexit itaquè Dauid, & fugit in die illa à facie Saul, & venit ad Achis Regem Geth, dixerunt serui Achis ad eum, cum vidissent Dauid: nunquid non iste est Dauid Rex terræ? &c. & num. 12. posuit autem Dauid sermones istos in corde suo, & extimuit valdè à facie Achis Regis Geth, & immutauit os suum coram eis, & collabebatur inter manus eorum, &c. & num. 14. ait Achis ad seruos suos: vidistis hominem insanum? &c. an desunt nobis furiosi, quòd introduxistis istum, vt fureret me præsente? hiccinè ingredietur Domum meam, & cap. 22. abijt ergo Dauid, & fugit in speluncam Odollam.

Verba verò anteriora, cap. 21. num. 1. Venit autem Dauid in Nobe ad Achimelech Sacerdotem, & obstupuit Achimelech, eo quod venisset Dauid, &c. quare tu solus, dixit Dauid; & nullus tecum? & ait Dauid ad Achimelech: Rex præcepit sermonem, & dixit: nemo sciat rem, propter quam missus à me, &c. nàm & pueris meis condixi in illum, & in illum locum surrexit, itaque Dauid, & fugit in die illa à facie Saul, &c. immutauit vultum suum, quia alium se fecit missum à Saule: quando audiuit Achimelech: qui satis citò illum dimisit, quia ab eo amicabiliter recessit, & abijt, fugiens iram Saulis, pro vt illius iram euasit: idcirco dixit, Benedicam Dominum in omni tempore, qui ex omnibus tribulationibus eripuit me. Coram verò Abimelech non faciem, sed os suum immutauit: non Dauidem se negauit, sed insanum se finxit: collabebatur inter manus eorum, ergo totus immutatus, non vultu solo, quia totum insanum se fingebat: vultum autem, siuè faciem immutare dicimus, cum aliud pro alio, quod falsum est asserimus: vnde vulgo dicitur, quæ facies istius ad negandum veritatem hospiti, seù Iudici. Nec verba Psalmi sunt huic contraria interpretationi: nàm mortem, quam Saul eidem inferre tentauit, aufugit, & euasit, fixerat enim hastam in pariete Saul, quando irruit furor illius in Dauidem. Cæterum verba seruorum Achimelech admirantia potius erant, propter Dauidem, quem insanum credebant, & tamquam talis à Rege è domo sua expulsus fuit, & abiens ipse Dauid fugit timens. Quidquid autem sit, illam recipiat, quam maluerit opinionem: vtraque enim stare potest, cum de vtroque scilicet de Achimelech, quia ad eum accessit Dauid, & de Abimelech, cum ad eum propter metum Saulis

etiam

etiam aufugit. Hoc vnum est, quòd historia, & titulus huius Psalmi mysterio non vacant.

Nàm si vultus immutationem Dauidis coram Abimelech iuxtà Augustinum, & alios intelligamus: mutationem etiam in titulo videmus: quia in historia de qua in d.cap.21.1.Reg. num.10. Surrexit, inquit textus, Dauid in die illa à facie Sauli, & venit ad Achis Regem Geth: & tamen titulus mutatus dicit coram Abimelech.

Rursus Dauidis immutationem vidimus, vultus scilicet eius: os enim immutauit coram eis, & collabebatur inter manus eorum: iterum impingebat in ostia portæ; rursus defluebant saliuæ eius in barbam; item expulsus de domo Regis, abijt Dauid inde, & fugit in speluncam Odollam: ad quem omnis domus patris sui, & fratres venerunt illuc, & conuenerunt ad eum omnes, vt in cap. sequen. 1. Reg. 22. num. 1. Odollam enim interpretatur testimonium illis: hæc omnia tàm distinctè posita, non sine aliquo mysterio narrantur, videamus, scilicet, & sigillatim omnia consideremus.

Dauid ergo, interpretatur manu fortis, vel dilectus: Abimelech dicitur, Patris mei regnum; Achis verò quomodò, est vox admirantis: Dauid dilectus, quia humilis; manu fortis, quia vicit Goliath, in figura ergo Christi Dauid occidit Goliath, quia Christus in humilitate sua, in manu tamen forti occidit Diabolum.

Immutauit vultum suum Dauid, idest Christus, quia quod in principio erat, Ioan.1. Verbum caro factum est. Vide humilitatem Domini: Deus factus est homo: semetipsum exinaniuit formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus est, & habitu inuentus vt homo, ad Philip.cap.2.nu.7. ad Achis venit Iesus: ad Discipulos, ad Iudæos scilicet, Mirabantur enim dicentes quomodò potest homo iterum renasci, cum sit senex? Ioan.3.num.4. quomodò potest nobis dare carnem suam ad manducandum, Ioan.6. num.52. durus est hic sermo, & quis potest eum audire, num.61. Ducitur Iesus ad Regem, ad Herodem, ad Abimelech, quod lingua Palæstina Rex interpretatur, & illusum eum Herodes Rex dimisit; spreuit enim eum Herodes cum exercitu suo: & illuxit indutum veste alba, & remisit ad Pilatum, Luc. 23. num. 11. immutatus est vultus eius: Christum hominem cognoscebant, & Deum Redemptorem ignorabant. Coram Abimelech, dicit titulus immutauit vultum suum coram omnibus de Regno Patris sui: coram Iudæis, quia erant populus Dei; Regnum Patris: quibus ablatum fuit sacrificium Aaron; & oblatum sacrificium Melchisedech Sacerdotis Dei Altissimi, Genes.cap.14.num.15. quod recusarunt, Reges Salem, qui postea dicta Ierusalem: nondum erat Ierusalem, nec Ciuitas Iudæorum quando Melchisedech profert panem, & vinum, ad Hebr. cap.7. Abraham verò Patriarcha dedit ei decimas de omnibus præcipuis, & Melchisedech benedixit Abraham. Considerate celsitudinem Melchisedech; & Dauid, qui longè post fuit, in suis Psalmis, Psal. 109.nu.5. inquit de Christo, tu es Sacerdos secundum ordinem Melchisedech, in æternum. Immutatus est vultus, quia in speciebus panis, & vini dat corpus, & sanguinem suum pro salute nostra ad manducandum, & bibendum. videte quomodò de ipso cælesti pane pascit nos sapientia Dei? quia verbum caro factum est, & habitauit in nobis: immutauit vultum suum coram Achimelech, coram Regnó Iudæorum, Regno Patris: quia Regnum Abraham, Regnum Dauid; qui fuit secundum carnem pater Christi, Luc.1. nu.32. & dabit ei

Deus sedem Patris sui; quòd verò Iesus secundum carnem dicatur filius David, Matth. 1. num. 1. Liber generationis Iesu Christi filij David, filij Abraham. Regnum vero Dei est Ecclesia, sed secundum spiritum, Iesus est Filius Dei vivi; talem etiam vocat David, Psalm. 109. num. 1. Dixit Dominus Domino meo; unde idem Iesus, Matth. 22. nu. 42. cuius filium dicitis esse Christum? at illi dixerunt: David; sed si filius David, quomodò in spiritu Dominum vocat illum David: Dixit Dominus Domino meo; sede à dextris meis? &c. Et in alio loco, Vos autem quem me esse dicitis? & Petrus ex persona omnium, Tu es Filius Dei vivi, &c. Caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cælis est.

Et ità qui fecit hunc titulum huius Psalmi non sine Dei spiritu coram Abimelech posuit, & non coram Achis; nàm immutandus erat vultus eius coram Iudæis, qui ex Regno Patris David erant; Et nescierunt videntem, & ignorarunt iudicium, Isai. 28. nu. 7. Viam pacis non cognouerunt, & non fuit iudicium in gressibus eorum, Isai. cap. 59. num. 7. Immutavit ergo vultum suum coram Iudæis, & dimisit eum, dicit textus, & abijt. Augustin. Quem dimisit? Ipsum populum Iudæorum, & abijt. Quæris modo Christum coram Iudæis, & non inuenis. Unde dimisit, & abijt? quia mutavit vultum suum; Hærentes enim Iudæi illi sacrificio secundum ordinem Aaron, non tenuerunt sacrificium secundum ordinem Melchisedech, & amiserunt Christum. Hæc Augustin. Mutata sunt ergo tituli nomina à Spiritu sancto; mutatum est nomen Achis: quod interpretari diximus, Quomodò est. Non amplius admirantis, quomodò dicimus, quomodò panis fit Corpus Christi, & Vinum Sanguis, quia certa fide credimus ac tenemus transubstantiationem illam. Immutatus est vultus coram Abimelech, quia non amplius populus Iudæorum, populus, & regnum David mutatus est vultus eius: quia non amplius sacrificium Sacerdotis secundum ordinem Aaron, sed sacrificium secundum ordinem Melchisedech Sacerdotis in æternum, idest Christi: non amplius absconditus vultus eius, Isai. 53. nu. 3. sed gentibus, & in illum credentibus manifestus apparet.

Impingebat, inquit textus, David in ostia portæ, sed non potuit illas aperire, quia non credebat illis, quia erant in domo Achis, in domo admirantis quomodò est? & illudebant illi; vt portæ eius gentilibus aperirentur, Isai. cap. 5. num. 11. aperientur portæ tuæ iugiter die, ac nocte, non claudentur, vt afferatur à te fortitudo gentium, & Reges eorum adducantur.

Et collabebatur inter manus eorum. Septuaginta legunt, Ferebatur in manibus suis, Hebraicè verò collabebatur. Finxit se insanum: Manus enim iniecerunt in Iesum, vt caperent eum, Marc. 14. n. 46. ideò collabebatur inter manus eorum.

Impingebat, tympanizabat, inquit Augustin. in ostia Portæ; Quia Corpus suum in Crucis ligno extendebatur, vt fieret Tympanum percutientibus illis, manus, & pedes Iesus; quando in Cruce illum affixerunt; percusserunt, & portæ apertæ sunt nobis, qui iàm perditi eramus, vt intrantes in Portis vulnerum suorum crederemus, quia ipse est vita, & salus nostra, & per ipsum nos redempti.

Saliva in barbam eiusdem defluebat, non tamen in terram cecidit, vt faceret lutum ex ea: ideò nec aperti sunt oculi eorum; & cæci relicti sunt. In barbam fluebat, non in oculis cum luto, quia sapientia abscondita illis fuit, vt videntes non viderent, & audientes non intelligerent, Isai. 6. nu. 10. & quamuis illis prædicata in barbam tamen, & sic in superfluum fuit deducta. Ezech. cap. 5. nu. 1. & 2.

tertiam pilorum barbæ partem igne combures; tertiam partem gladio concides; tertiam verò aliam partem in ventum disperges, idest in vanum, & sine fructu, quo ad Iudæos. In oculis verò Gentilitatis posita, cui cum esset cæca, lumen refulsit, Ioan.cap.9.num.1. & facti sunt ex non populo Dei, populus Dei, quia lumen fidei receperunt, quia fidem habuerunt, Matth.9.num.29. tetigit oculos eorum, & aperti sunt oculi eorum visum recipientes.

In speluncam Odollam se recepit: in populum gentilem venit, vt testimonium esset Iudæis, Isai.49.num.9. Gentiles sunt testes eorum, quòd non vident, neque intelligunt, vt confundantur de ipsorum perfidia, & perditione; & ideò ad illum omnes de domo Dauid patris sui, & fratres venerunt, in d.cap.22.1.Reg.1. omnes enim fideles Christi, quia sunt de domo patris: nàm ipse dixit: Qui fecerit voluntatem meam, ipse meus frater, & soror, & mater est, Matth.12.num.50. tui erant & mihi eos dedisti, Ioan.cap.17.num.6.

Hæc sunt, quæ circa titulum huius Psalmi ad nostram intelligentiam scribere volui, & ad nostram doctrinam, vt & nos vultum nostrum immutantes coram persecutoribus nostris, qui animas perdere nostras volunt: coram Achis; quod interpretatur, quomodò est? id admirantis quomodò tollamus ex cordibus nostris; abeuntesq. fugiamus ad speluncam Odollam, ad testimonium Euangelij, & sanctorum Patrum, fidem illis habentes, quam comitantur spes, & charitas vnà cum reliquarum virtutum cognatione de domo patris nostri Dei, seruantesq. præcepta Dei securi ad regnum cum Dauide perueniamus: benedicentes Dominum in omni tempore, semperquè sit laus eius in ore nostro, quam Spiritus sanctus infundat in explanatione huius Psalmi. Amen.

Incipit ergo Psalm. Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo. Vexatio dat intellectum ò Dauid ità dixit Isai.cap.28.num.19. tu enim Sauli iram: idest Diaboli tentationem fugiens venisti in Nobe ad Achimelech Sacerdotem, & benè fecisti, quia ad Ecclesiam, ad Sacerdotem accessisti; verum Doeg Idumæum intra Tabernaculum stantem non considerasti: timor tuus erat de Saule, propterea in fuga spes tua; solicitus, anxius eras (ità enim Doeg interpretatur) de salute tui corporis; nec ibidem permansisti, recessisti, locum tutiorem procurabas, & in manus aduersariorum incidisti, quare spes tua non fuit in Domino Deo tuo? Fugisti enim, & solus, sed armis Goliæ armatus ad Achis, vt inimici Saul Regis iram auerteres, & in manu alterius inimici salutem tuam posuisti: ecce serui illius, vt te occidant consulunt Achis Regi, & dedit te Dominus in misericordias in conspectu eorum, qui cæperant te, Psalm.105.num.46. sed tu in te reuersus, quia cupiens euitare Charibdim, cecidisti in Scillam: videns quia non est auxilium, nisi à Domino: in tanto periculo constitutus ad Deum tuum tandem conuersus, dixisti: libera animam serui tui, & statim qui à te absconditus erat, prodijt Spiritus Domini sanctus, qui potentiam aduersariorum illudens te liberauit per fictam stultitiam tuam, & eduxit te de tenebris, & vmbra mortis, & duxit te in viam rectam, Psal.106. num.7. & 14. siquidem quod est stultum Dei, sapientius est hominibus, & quod infirmum est Dei, fortius hominibus, 1. Corint. 4. num.25.

Non sine causa ergo cantans tunc laudes Dei, & eius magnificentiam cæpisti, dicens. Benedicam Dominum in omni tempore: Gloriosum quippe me efficit in fugando inimicos meos in Regem me vnxit, laudaui, benedixi Dominum; nunc

nunc in vitæ periculo constitutus, & liberatus benedicam Dominum in omni tempore. Laudem alij in me conferebant, quòd decem millia fugassem, & Saul mille. Attamen non mea sit laus vlla, sed eius, qui post fœtantes accepit me; semper laus sit in ore meo: in Domino laudabitur anima mea.

O Beatissimum virum Dauidem typum Christi filij Dei, quem Dominus tentauit, & quasi aurum in fornace probauit, & se dignum inuenit, Sapien. d. cap. 3. num. 5. & 6. & ad perfectum suæ bonitatis, & virtutis exhibuit: Hanc tolerauit Dauid perturbationem in se ipso docens nos in omni tempore laudare Dominum, & in prosperis & in aduersis, & in omni loco dominationis eius, Psalm. 102. num. 22. ex hoc nunc, & vsque in sæculum, à solis ortu vsque ad Occasum, Psalm. 112. num. 2. & sequen. Vt autem laudes Deo sint gratæ, absit à nobis superbia: sit nobis ob oculos Iob patientia, & laudes Domini in grauissima perturbatione, semper dicentes Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum, Iob 1. Benedicebat Dominum in omni tempore, quia humilis erat: nolebat laudari in se, prout nec Dauid, qui hic ait: In Domino laudabitur anima mea; ita nos, si humiles esse cupimus, & cum Propheta dicamus: In Domino laudetur anima nostra, & sic superbiam effugiemus: Forinsecus, idest quò ad homines sit nostra humilitas, sit saliua nostra decurrens, quæ stultitia dicitur, seù infirmitas: intrinsecus verò virtus, & ad seruiendum fortitudo. Prædicabant Apostoli Iudæis humilitatem, & infirmitatem Crucis Christi, & videbatur eis scandalum, gentibus verò stultitia, 1. Corinth. dicto cap. 1. quia verò in Dei sapientia non cognouit mundus per sapientiam Deum: placuit Deo per stultitiam prædicationis saluos facere credentes, hæc Paul. ibi num. 21. Decurrit saliua Dauid in barbam: quia tentatione, & tribulatione non cessit, sed laudauit Dominum, non lamentabatur, non desperabat persecutionem, proptereà barbam non radebat, & caluitium in capite suo non faciebat, Ierem. 48. num. 37. Isai. 15. num. 2. Ibi in cunctis capitibus caluitium, & omnis barba radetur, quia hæc erant illis in signum tristitiæ, vel quia captiui erant, ideò barbæ eorum radebantur, Deut. cap. 31. num. 42. de cruore occisorum, & de captiuitate nudati inimicorum capitis. Decurrebat de ore Apostolorum saliua, sed in barbam: quia ipsi patienter tolerabant, laudantes, & benedicentes Dominum; Ibant gaudentes, quia digni habiti erant pro nomine Iesu contumelias, & tribulationes pati: Saliua in barbam defluebat, quia irrisiones, & stultitiæ illorum erant eis ad gloriam impositæ, & conseruatæ.

Benedicam Dominum omni tempore. Non vt illi qui te benedicunt, cum benefeceris eis, Psalm. 48. num. 19. sed in omni tempore; sed & in aduersis tibi gratias agens benedicam, quia tu diligis, quos corrigis, & castigas, Prouerb. 3. num. 12. scio enim quia corripies me in misericordia tua, Psalm. 104. num. 14. & si corripies etiam viuificabis, Isai. 38. num. 16. sit tamen in iudicio, & non in furore tuo correptio, Ierem. cap. 10. nu. 24. Bernard. in Eulog. sponsi. Quidquid in vita hac humana fragilitas tolerat, hoc prius conditor, quantum in sua bonitate est, vel ad correctionem prauitatis, vel ad perfectum ætatis dispensat; ideò in omnibus gratias agere debemus, & dum vbique misericordiam suam agnoscimus semper in eius amore proficiamus; dignum est semper gratias agere, quia nunquam Deus cessat benefacere, Gregor. Quidquid ergo agam, fideliter agam, quia ecce Deus Saluator meus, ideò non timebo.

Sem-

Semper laus eius in ore meo, quia ſemper in quolibet temporis momento beneficijs affectus ſum ab eo: ſemper laudabo ſi faciendo bonum, à malo abſtinebo: Quærite Dominum, & confortamini, quærite faciem eius ſemper, & annunciabo de die in diem opera eius inter gentes, Pſalm. 104. num. 1. & 14. laudabo nomen tuum filium ſcilicet tuum aſſiduè, & collaudabo illud in confeſſione; quia liberauit me, ſecundum multitudinem miſericordiæ nominis ſui à rugientibus præparatis ad eſcam, de manu quærentium animam meam, & de portis tribulationum, quæ circundederunt me,&c. Eccleſ. 51. nu.4. cum ſeqq. Ante tempus operare anima mea opus tuum, quod eſt in hac vita ſeruire Deo tuo in omni bonitate; Dominus Deus tibi mercedem dat in tempore ſuo, ibidem nu.38. Dante tamen te Domine colligam,& aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate, Pſalm.103. nu.28. propterea tu Domine ne derelinquas me, ſed mecum ſis in omni tempore, quia & ego tecum ſum cum omni laude, & benedictione.

In Domino laudabitur anima mea, audiant manſueti, & lætentur. Quia aſperas mundi perſecutiones ſuſtinendo patienter, fugiendo, & ſine querela à manibus inimicorum, ſed Dei virtute euaſi, ſicut & illas, quæ mihi ab Achis rege imminebant damna, & mortem, audiant manſueti, qui propter hominum peſſimorum perſecutiones in chriptis, in ſpeluncis, in ſepulchris ſeſe abſcondunt delectentur, & lætentur, quia Dominus ſaluos facit omnes manſuetos terræ. Pſalm.75. num. 10. quia beneplacitum eſt Domino ſuper timentes eum, & in eis, qui ſperant ſuper miſericordia eius, ſuſcipiens manſuetos, Pſalm. 146. nu. 6. & num. 11. Audiant manſueti, quia Angelus Domini eripuit me de manibus Achis, ſicut, & Petrum, Act. 12. num.7. qui poſtquam illum dimiſit, cognouit, quia Angelus Domini erat, ibidem num. 11.

Audiant manſueti, & lætentur. Quia & eos vocauit Dominus in ſuum regnum, & gloriam, per eaſdem, quas & Ieſus ſubijt tribulationes, & paſſiones, ambulantes. Non eſt enim ſeruus maior Domino ſuo, ſi me perſecuti ſunt, vt vos perſequentur, Ioan. 15. num. 20. Dominum enim Ieſum Iudæi eiecerunt, quamuis vt ſaluaret eos is primo ad illos veniſſet, perſecuti ſunt occiderunt. Audiant manſueti, & lætentur, quia ſurrexit Dominus: quia iuit ad Patrem, vt præparet nobis locum: Ioan. mundus gaudebit, vos autem contriſtabimini, ſed triſtitia veſtra vertetur in gaudium, Ioan.16. num. 20. & ſequen. quod nemo tollet à vobis, nu.21. Ad Odollam venit Ieſus, ad vos ò diſcipuli eius, ò manſueti, & vos qui ab initio ſecum fuiſtis, ad Epheſ. cap.1. num.4. elegit vos in ipſo ante mundi conſtitutionem teſtimonium perhibeatis,& Ioan.d.cap.15. num.17. quia ille eſt filius Dei viui, ille eſt Vita, Via, & Veritas. Ad Odollam venit in Cælum, vt Spiritus ſanctus, qui à Patre, Filioque procedit, teſtimonium veritatis, perhiberet de ipſo, Ioan.d.cap.15. nu.26. ille enim me clarificabit, inquit Ieſus: Ioan. 16.nu.14. quia de meo accipiet, & annunciabit vobis: omnia quæcunque habet Pater, mea ſunt, propterea dixi, quia de meo accipiet,& annunciabit vobis.

Saliua per os ſuum præceſſerat, ideſt ſapientia, vt doceret illos vias Domini, illuſum dimiſerunt, eiecerunt, percuſſerunt, & deſpectum, & nouiſsimum virorum, virum dolorum, & ſcientem infirmitatem; & quaſi vultus eius abſconditus, & deſpectus, Iſai.cap.53. nu.3. Deſcendit ſaliua in barbam Ieſus: in gentes, quæ extra erant, Dilata Eccleſia locum tentorij tui, & pelles Tabernaculorum tuorum, extende,

extende, longos fac funiculos tuos, Isai.54.num.2. Per capillos barbæ descendit saliua per vniuersam gentilitatem sapientia, ac verbum Dei descendit, per quod illuminati, salui facti sunt; Ad annunciandum mansuetis missus est Dominus, & ad prædicandum captiuis indulgentiam, & clauis apertionem, Isai. cap.61.num.1. In Deo laudabitur anima mea: non quæro gloriam meam, sed honorifico Patrem meum, Ioan.8.num.49. est qui quærat, & iudicet, num.50. qui posuit animam meam ad vitam, & non dedit in commotionem pedes meos: Transiui per ignem, & aquam; eduxit me in refrigerium. Ideò benedicant gentes Deum nostrum, & auditam faciant vocem laudis eius, Psalm.65.num.8. & sequen. quia etiam subleuauit de corruptione vitam meam, Ionæ cap.2.num.7. In Deo laudabitur anima mea: audiant mansueti, quia sapientiæ Dei astabit laus, & in ore fideli abundabit, Eccles.15.num.10.

Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen eius in idipsum. O vos omnes electi mei sanguine meo redempti, quia sic fuit voluntas Patris, & mea: magna opera Domini; quia me filium suum Vnigenitum misit in mundum; iterum reliqui mundum, vt redirem ad Patrem, & vt Spiritum sanctum in Discipulos, & alios credentes mitterem. Magnificate Dominum Patrem mecum, simulq. me filium suum, qui pro salute vestra tanta passus sum: exaltate; & nomen eius, idest me filium eius Iesum Christum (loquitur vt homo Dei filius) in idipsum; idest simul mecum quatenus homo sum, magnificate Dominum Patrem consubstantialemq. me eius filium, cuius nomen est super omne nomen: cuius Diuinitas nunquam ab humanitate recessit, nec solum illum reliquit; exaltemus in idipsum Patrem, & filium, quia magna fecit in Ecclesia sua. Nec absurdum, vt loquens de nomine intelligat seipsum Christum; nàm sic habemus, Ioan.cap.17.nu.1. Clarifica filium tuum, & num. 6. manifestaui nomen tuum hominibus, idest manifestaui me filium tuum hominibus; in vnum exaltemus nomen Patris, in vnum, quia fideles sunt vnum cum Christo, Ioan. dicto cap.17.

Exquisiui Dominum, & exaudiuit me, Ioan.cap.17.nu.9. Pro eis rogo quos dedisti mihi. Vel de ipsomet filio dicamus: exauditus enim fuit pro sua reuerentia, ad Hebr.cap.5.num.7. Matth. cap.22.num.43. At vbi exaudiuit Dominus? Augustin. Intus: vbi oras, ibi exaudiris, ibi beatificaris: orasti intus exauditus es; beatificatus es, & non scit qui iuxtà te stat; gestum est totum à te in occulto, Matth.cap.6.num.6. Intrà in Cubiculum, claude Ostium tuum, & ora in oculto, & Pater tuus qui videt te in occulto reddet tibi. Hæc Augustin. Baruch cap.6.num.6. Ipse exquirit animas nostras; non solum ergo Iesus, qui laborauit pro nobis exauditus est, sed pro nobis omnibus, si disciplinam eius exquisierimus, Eccles.24.num.47. & cap.33.nu.18. vt exauditus est? vt eius amici, & cohæredes simus.

Rogo te, ò frater, vt abstineas à peccato si vis exquirere Dominum, vel exquirere à Domino; inquirere Dominum optimum est, quia si illum inuenearis, si illum habueris, nihil aliud tibi restat quod petas, cum omne bonum habeas. Exquisiuit Dominum Dauid, quia ex toto corde illum quæsiuit, quia intus in corde suo arcuit omne extraneum, solus Deus in corde eius erat: & tu, si peccatum non derelinquas cogitas exquirere Deum, vt te exaudiat? Deus non audit peccatores, Ioan.9.nu.31. sed, si quis Dei cultor est, & voluntatem

eius facit hunc exaudit; scriptum enim nobis reliquit; Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt, Matth. 5. num. 8. Si cor tuum vindicta, vel rapinæ desiderio plenum sit, vel alio delicto, à quo recedere non intendis: quomodò Dominum exquirere audes: quem nec te pœnitet propter peccatum dereliquisse? aufer impedimenti sordes, aufer auaritiæ labem, aufer superstitionum tabem, & sacrilegia, & malas cogitationes etiam contrà inimicum? Augustin. Aufer hæc omnia, noua cor tuum, & gaudebis ibi, & cum ibi cœperis gaudere, ipsa munditia cordis tui delectabit te, & faciet orare. Augustin. Si loci visibilis te delectat munditia; quare te non offendit cordis tui immunditia: intrà munda omnia, leua oculos tuos ad Deum, & statim te exaudiet; exquire tuum Deum, & exaudieris, tametsi aliquod infirmitatis restet impedimentum, & tribulationis: hæc enim concomitantur hominem iustum donec mors absorbeatur in victoriam, donec mortale hoc induat immortalitatem, 1. Prouerb. 15. etenim & ab istis iustus mundabitur, si patienter illa sustineat, cum in omni tẽpore Dominum benedicat, & laudet; sustine ergo malum, si vis inuenire Deum Saluatorem, in tribulationibus gloriare; quia tribulatio patientiam operatur, ad Rom. 5. nu. 3.

An verò si à Deo inquiras, vel vindictam, vel alia illicita, te exaudiendum putas? quis es tu, qui alterum iudicas? nonnè forsan super eo in quem vindictam quæris, Deus oculos suos posuit, & melior est te: audi Eccles. 11. nu. 12. est homo marcidus egens recuperatione, plus deficiens virtute, & abundans paupertate, & oculus Dei respexit illum in bono, & erexit eum ab humilitate ipsius, & exaltauit caput eius. Deum tuarum voluntatum exequutorem quæris; & tu illius, qui te fecit, iudex esse præsumis? ò stultos nos, & pauperes peccatores, si Domino legem dare credimus; ipse enim quæcunque voluit in Cælo, & in terra facit, & ad nihilum rediget nos, si vnusquisque proximo nostro nõ remiserimus de cordibus nostris, Matth. 18. n. 35. non accedit malum ad illum, Psal. 90. n. 11. vt qui contradicit factori suo, ad Rom. 7. nu. 20. quis es tu, qui respondes Deo? Isai. 45. nu. 9. Quæramus ergo Dominum, & virtutem eius, & tunc lætabitur cor nostrum, 1. Paralip. 16. n. 10. Psal. 104. nu. 3. Isai. 12. nu. 4. Et hauriemus aquas de fontibus Saluatoris. Nihil extrà illum, sed ipsummet Dominum quæramus, quia exaudiet nos; accedamus ad illum, & facies nostræ non confundentur, vt in hoc Psalm. num. 6. Congregamini, & venite, & accedite simul, qui saluati sumus ex gentibus, quia non est alius Deus preter Dominum, Deus iustus, & saluans; Conuertamur ad illum, & salui erimus: quia in Domino iustificabitur, & laudabitur omne semen Israel, Isai. 45. nu. 20. vsque ad finem. Accedamus sed in timore, & iustitia, animas nostras ad tentationem præparantes: humilietur cor nostrum, & in tempore tribulationis ne festinemus, sed Dei sustentationes, quia à Deo immissas tribulationes credimus, quamdiù vult Deus, sustineamus; non festinemus, sed expectemus, vt in nouissimo vita nostra crescat, Eccles. 2. nu. 1. & seqq. Beatus qui à Deo corripitur, quia ipse vulnerat, & medetur: percutit, & manus eius sanabunt, Iob cap. 5. num. 17. in sex tribulationibus, quas ibi enumerat, num. 19. Si ad Deum accesserimus: non accedet ad nos malum, nec flagellum appropinquabit Tabernaculo suo, Psal. 90. accedamus cum verò corde, & plenitudine fidei, ad Hebr. 10. nàm sine fide impossibile est placere Deo; Credere enim oportet accedentẽ ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit, ad Hebr. 11. n. 6.

Et de omnibus tribulationibus eripuit me; quia Dominus exaudiuit me.

Quid dicis ô David? quomodò de omnibus tribulationibus eripuit te Dominus? cum ante, & post Regnum adeptum nunquam in domo tua bella, & tribulationes, & insidiæ defuerint; Nonnè & Absalon filius tuus te comprehendere voluit cum exercitu tuo? quomodò ergo de tribulatione ereptus fuisti, si toto tempore vitæ tuæ in illis permansisti? toto lib. 2. Reg. & 3. quid tibi improperabat Ioab; quando Absalon filium tuum ab illo occisum audisti in illo bello? Confudisti hodiè vultus omnium seruorum tuorum, qui saluam fecerunt animam tuam, 2. Reg. 19. n. 5. Tribus annis populus tuus famem passus est, cap. 21. quid de prælio Philisthinorum? Coarctor nimis dicebas ad Gad Prophetam, sed melius est incidere in manus Domini, quã in manus hominũ, 2. Reg. 24. n. 14.

Vel dicamus hæc de Iesu intelligenda esse, quia non solum humanitas eius de tribulationibus erepta, sed ei data est potestas in Cælo, & in terra, Matth. cap. 18. num. 18. Marc. 16. num. 15.

Quatenus verò de ipsomet Dauide intelligamus, & de omni iusto, quorum cogitationes apud Altissimum sunt, Sap. 5. nu. 16. Ij sanè, postquam lumen iustitiæ luxit illis; non sentiunt tormenta persequentium, quamuis sæpè contingat ea habere, quia in manu Domini sunt, Deut. 33. nu. 3. & quas mundus vocat tribulationes, Dauidi, & Sanctis Dei rosæ, & coronæ sunt, & gaudia: videntur enim oculis insipientium mori, sed non tangit illos tormentum mortis: æstimata est afflictio exitus illorum, & quod à nobis est iter, exterminium: illi autem sunt in pace, & si coram hominibus tormenta passi sunt; spes illorum immortalitate plena est, in paucis vexati, in multis benè disponentur, quoniam Deus tentauit eos, & inuenit illos dignos se, Sap: cap. 2. num. 5.

Et ideò eripuit illos de tribulationibus, quia in carne non sunt, sed in spiritu: quia spiritus Christi habitat in illis; Corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus autem viuit propter iustificationem, ad Rom. cap. 8. nu. 8. & 11. Quòd si spiritus eius, qui suscitauit Iesum à mortuis, habitat in illis qui suscitauit Iesum Christum à mortuis, viuificabit & mortalia corpora vestra, propter inhabitantem spiritum eius in vobis. hæc Paul. Non ergo sentiunt corporum afflictiones, quia spiritu facta carnis mortificauerunt, & ideò viuent, & eripientur de tribulationibus, quia prudentia spiritus in illis vita, & pax: prudentia autem carnis mors est, ibidem numer. 6. Multæ tribulationes iustorum, dum in hoc mundo morantur, sed inæstimabilis est spes illorum, propter quam ducuntur ad Regna Cælorum; Iste Dominus, sustinuimus eum, exultabimus, & lætabimur in salutari eius, quia factus est fortitudo pauperi, fortitudo egeno in tribulatione sua, Isai. 25. nu. 9. & Eccles. 27. homines iustos probat tentatio tribulationis, nu. 6. vndè Paul. dicebat ad Philip. 1. n. 21. Mihi viuere Christus est, & mori lucrum; coarctor à duobus desiderium habẽs dissolui, & esse cum Christo multò magis melius, nu. 23. & cap. 2. nu. 8. Propter Christum omnia detrimentum feci, & arbitror, vt stercora, vt Christum lucrifaciam, & ad Thessal. 1. nu. 6. Et vos imitatores Christi facti estis, & Domini, excipientes verbum in tribulatione multa cum gaudio Spiritus sancti; ille ex omnibus ergo tribulationibus eripuit consummens corruptelam carnis, quæ mihi tribulationes peccaminum ingerebat, ne cui attentius deprecarer. Hieron. hìc.

Illuminemur ergo Domine Iesu nos serui tui, quia ecce accedimus ad te, & facies nostræ non confundentur, quia pro te tribulationes, & mortem accipere

parati sumus. Accedite ad illum, inquit, ex toto corde, & ex tota anima, quia se ipsum dedit vobis Dominus, qui est tota bonitas, & ipsa vita: Cætera autem quęcunque sint extrà illum viliora. Accedamus ad Dominum, quia nobis dabit se ipsum: nondum possumus totum attingere, ex fide contingamus illum, & inhæreamus illi: quia cætera onera ipse à nobis deponet, vt toti inhæreamus illi, cum hoc mortale nostrum ad immortalitatem conuerterit, vt Angelis Dei æquales simus: Augustin. Quidquid inimici nostri mali nobis fecerint, æquo animo feramus, non erubescant facies nostræ, vultus noster; quia Deus auxiliator noster, ideò non sum confusus, posui faciem meam, vt petram durissimam, scio quoniam non confundar, Isai. 50. nu. 7. colaphizarunt Iudæi Christum, crucifixerunt, videbantur illi superiores, & Iesus inferior, quia procidebat ad Ostia portæ, & ille non erubescebat, quia erat lumen verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, Ioan. 1. sicut enim lumen non potest confundi, sic & illuminatum confundi non sinit, hæc August. Accedamus ergo ad lucernam, & fugiamus erubescentiam, nec vereamur accedere: & si peccatores; quia per pœnitentiam accedentes ad eum erimus humiles. Prohibetur per peccatum accessus, quia confiteri erubescit vultus: admittamus pœnitentiam, & auferamus erubescentiam: noli timere quia non confunderis, neque erubesces, non enim te pudebit, quia confusionis adolescentiæ tuæ obliuisceris, & opprobrij viduitatis tuæ non recordaberis amplius, Isai. 54. nu. 4. quia dominabitur tui qui fecit te.

Per pœnitentiam accedamus ad Iesum, non de viribus nostris præsumamus; vt inopes facti, & clamantes ab illo exaudiamur; dicente Propheta, Pauper clamauit, & Dominus exaudiuit illum, &c. parcet enim pauperi, & inopi, Psal. 71. num. 13. & illum eripiet de manu fortiorum eius, egenum, & pauperem à diripientibus eum, Psalm. 34. nu. 10. Accedamus ad eum, & satiabimur, quia panis est; accedamus, & potamus, quia fons est; accedamus ad eum, & illuminabimur, quia lux est, hæc Ambros. super Psalm. Beati immaculati in via.

Tunc iusti accedentes ad Iesum loquuntur, Isai. 42. num. 7. Matth. 19. nu. 27. Domine ecce ad te accedimus, quid ergo erit nobis? & respondens dicit, Illuminamini, & videte ex cælestibus, quæ præparantur vobis, quã sint vilia terrena, & contemptibilia; vobis nunc illuminatis proponitur vita, & mors; vobis debetur gloria sempiterna, si seruaueritis præcepta Euangelica; Ego Deus, & Dominus propter vos factus homo, & inops, exemplum sum vobis, vt & ità vos faciatis.

Iste pauper clamauit, & Dominus exaudiuit eum, & de omnibus tribulationibus eripuit eum. Et tu superbus, & diues: intelligas te tandiù esse pauperem, quandiù non habes illum, qui fecit te Diuitem: si ergo habes non ex tuis viribus, ex tuis diuitijs glorieris, quasi non acceperis, 1. Corinth. 4. nu. 7. qui enim semper fuit omnium Dominus, & Deus, vt Patri obtemperaret factus homo est, & pauper; Cur tu, qui nudus egressus es, & mendicus, cum sis diues terrenus superbis, qui es vmbra, & cinis ità operaris, vt nudus reuertaris? quandòq. si humilis, & pauper permanseris, gloria æterna vestieris? Beati enim humiles corde, quoniam ipsi Deum videbunt; maledicti, superbi, & elati, quia in infernum sepelientur in æternum.

Iste pauper clamans exauditur: clamat diues, & superbus, & in inferno positus sepelitur. Discant diuites, qui gloriantur in simulachris suis: quia semper erunt pauperes, cum non habeant eum, qui facit omnes diuites.

Quo-

Quomodò autem pauper exaudiatur declarat. Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos. Quis est iste Angelus Domini, qui immittet? non enim immissus, sed immittet, dicit, Angelus; ille est de quo aliàs ex Isaia diximus in cap.6.num.8. qui se obtulit Deo Patri, qui non à principio in abscondito locutus est ex tempore antequam fieret: ibi erat: & nunc Dominus Deus misit illum, & spiritus eius, filius scilicet Dei viui, qui ante sæcula cum Deo Patre, & eius spiritu erat, Isai.48.num.16. & sequen.

Immittet terrorem scilicet in hostes: in Hebræo Castrametatur Angelus Domini, in circuitu timentium eum, & eripiet eos. Immittet ipsemet Iesus Christus manu sua extenta, hostes eius in tumultum vertet, & deuorabit eos, Isai. cap.9. num.12. quia est principatus super humerum eius, ipse vocabitur Admirabilis, consiliarius, Deus, fortis; Isai. vt suprà, num.6. ipse est Angelus magni consilij nuntius. In circuitu timentium eum: vndiquè enim sunt angustiæ per circuitum, & pericula; propterea ex omni parte Angelorum custodia necessaria est, quos administratorios spiritus vocat Apostolus ad Hebr.cap.1.num.14. dicens; nonnè omnes sunt administratorij spiritus in mysterium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis? Montes in circuitu eius, idest Angeli, Psalm 124.nu.2. Montes in circuitu eius, & Dominus in circuitu populi sui, &c. ignis ante eum præcedit, & inflammabit in circuitu inimicos eius, Psalm.96. num. 3.

Vallantur ergo præsidio Angelico, qui cordis puritate timuerunt Deum, quamuis despiciantur ab eo, qui infami graditur via. Timens Deum, & ambulans recto itineré, Prouerb.14. nu.2. In omni loco oculi Domini contemplantur bonos, & malos, Prouerb.15.num.3. impium verò ad diem malum, nàm ideò viæ hominis patent oculis eius, & spirituum est ponderator Dominus, Prouerb.15. num.2. & 4. Augustin. Noli ergo timere ne lateas: vbicunque Dominum timueris, nouit te ille Angelus, qui immittet in circuitu, & eruet te, hæc Augustin.

Gustate, & videte, quoniam suauis est Dominus. Dominus nobis se manducandum exhibet: gustate inquit, & comedite, quia hoc est corpus meum, Matth.26.num.26. nec Moyses dedit vobis panem verùm, sed Dominus Iesus ipse conuiua, & conuiuium, ipse comedens, & qui comeditur. Hieronym. ad Heldibr. de quo in cap. Nec Moyses 86. de Consecrat. dist.2. Durus est hìc sermo: omnis qui videt filium habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die, Ioan.cap.6.num.41. Venerat ad Achis, ad quomodò est (vt suprà diximus) quia murmurabant Iudæi de illo, quod dixisset: Ego sum panis viuus, qui de Cælo descendi, Ioan.cap.15.nu.42. dicentes, Nonnè hìc est filius Ioseph, quomodò ergo dicit; quia de Cælo descendi, &c. Vide quomodò sensum aperuerit nobis Psalmus de Dauid, qui figuratè Sacramentum Dominicum figurabat. Non erat insanus Dauid, sed sanus insanus, & sobrius ebrius: insani fuerunt illi miseri, qui coram Rege Achis dicebant, quomodò est: Gustate, & videte, quoniam suauis est Dominus, quia nobis se præbet ad manducandum, vt vitam habeamus in ipso. Ignari fuerunt, & sunt, qui cum Achis erant: accedant ad conuiuium illud, ad mensam Domini, & gustabunt quia suauis est Dominus his, qui recto corde ad illum accedunt. Beatus vir qui confidit in illo. Quia gustauit, quia vidit per fidem, per spem, & per bona opera: qui

enim tales habet virtutes Beatus, quia illum habet, qui omnia possidet, qui est Dominus omnium, ipsummet Deum, quia virtutes illas iugiter in corde suo ligat, & circundat gutturi suo: Cum ambulat secum, gradiuntur, cum dormierit, custodiunt illum; & euigilans cum eis loquuntur: præcepta enim Domini sunt, & mandatum eius lucerna est, & lex lux, & via vitæ, increpatio disciplinæ, Prouerb.cap.6.num.20. cum sequen. Gustate timentes Dominum, & videte, quia suauis est Dominus; quia semper tecum est, vt vitam habeas, & vitam æternam. Dulcissimus, atque suauis, cui cura est de timentibus eum, & est tamquam mater, quæ filium suum nunquam obliuiscitur, immo plusquam mater illos diligit. Audi Dominum per os Isaiæ loquentem cap.49 numer.15.Nunquid obliuisci potest mulier infantem suum, vt non misereatur filio vteris sui? & si illa oblita fuerit; Ego autem non obliuiscar tui, ecce in manibus meis descripsi te.

Timete ergo Dominum, si vultis videre eum; inquit enim Eccles. cap.2. num.10. timete Dominum, & diligite illum, quia illuminabuntur corda vestra: nullus enim sperauit in Domino, & confusus est; neque qui permansit in mandatis eius, derelictus est; nec despexit, qui illum inuocauit, nu. 11. & 12. Gustate, & videte, qui timetis, & sperate in illum: & in oblectationem veniet vobis misericordia, dicto cap.2.num.9. Propterea ad Dei timorem inuitat Propheta, dicens. Timete Dominum omnes sancti eius; quia nihil deest timentibus eum. Et non euacuabitur merces vestra, Eccles. dicto cap.2.num.8. Initium enim sapientiæ est timor Domini, qui delectat cor, datq. lætitiam, gaudium, & longitudinem dierum, Eccles.cap.1.nu.12. & 16. Nihil deest timentibus eum, quia Angelum Dei custodem habet; immo ipsum Deum, qui protegit illum: Cultura Dei est execratio peccati: si timueris Deum, peccatum à te expelletur, dicto cap.2. num. 8. & 32. Quis non timebit Dominum, & non magnificabit nomen eius? quia solus pius est, Apocalyps. cap.15.nu.4. & tollit peccata; nàm quid est esse sine peccato, nisi in gratia Dei existere? & quid iucundius, quid amplius potest habere homo in mundo, si Deo sint accepta opera eius, si in gratia eius faciat ea, si sit illi acceptus; à quo peccata delentur? August. in illud Dauid: Dixi confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei; Magna, inquit, pietas Dei, vt ad solam promissionem peccata dimiserit: nondum pronuntiat ore, & tamen Deus iàm concedit in corde; quia ipsum dicere, quasi quoddam pronunciare est, &c. de quo in tit. de Pœnit. distinct.1. cap. Magna pietas, quod est quintum; Aduerte tamen, quia non dicitur quis contritus, si confiteri contemnit, Glos. in cap. Sacrificium, quod est tertium eadem dist. 1. de Pœnit. & facit, quod Leo dicit in cap. Sufficit, quod est 61. eadem distinct.1. Sufficit pœnitenti confessio, quæ primum Domino offertur, deindè Sacerdoti, qui pro delictis pœnitentium precator accedit; ità etiam in cap. Non sufficit 63. ibidem: Non sufficit, inquit Augustin. mores in melius commutare, & à præteritis malis recedere, nisi etiam de ijs, quæ facta sunt, satisfaciat Domino per pœnitentiæ dolorem: per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium, cooperantibus eleemosynis, & ieiunijs, hæc Augustin. extrà. Sumus, quæ ex lectura Psalmi exponere intendimus, Nunc reuertendo dicimus.

Timentes Dominum non minuentur omni bono. Quid est non minuentur omni

omni bono? respondit. Cum secundum suam misericordiam saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abundè per Iesum Christum Saluatorem nostrum, vt iustificati gratia ipsius, hæredes simus secundum spem vitæ æternæ, ad Tit.3.nu.7. Omne ergo bonum habebunt, quatenus hæredes vitæ æternæ timentes Dominum perseuerauerint vsque ad finem; nàm per bona opera nostra dicit Petr. in 2. cap. 2. n. 10. Certam facimus vocationem nostram, tunc non minuuntur omni bono, immò in bonis operibus diuites facti sumus; 1. ad Timoth. 6. num. 18. Deus enim qui diues est, ad Ephes. 2. num. 4. in misericordia propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, & cum essemus mortui peccato, conuiuificauit nos in Christo, cuius gratia estis saluati, & conresuscitauit nos, & consedere fecit in cælestibus in Christo Iesu.

Non minuentur omni bono. Quia nec tribulatio, nec angustia, nec fames separabit illos à charitate Christi, scriptum est Psalm. 43. nu. 23. propter te mortificamur tota die, sicut oues occisionis, sed in his omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos, ad Rom. 8. num. 35. & ideò num. 38. Certus sum, inquit, quia neque mors, neque vita, &c. neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.

Non minuentur omni bono timentes Dominum: ò quàm bonus & suauis est Domine spiritus tuus in omnibus, Sap. cap. 1. num. 1. nàm si eos, qui exerrant partibus corripis, idest paulatim per partes corripis; & de quibus peccant admones; & illos alloqueris, vt relicta malitia accedant ad te Dominum: dans inimicis tuis locum pœnitentiæ, nu. 10. & num. 20. & tempus, per quæ possint à malitia sua mutari: quantò magis cum de electis tuis iudicatur, sperabunt misericordiam tuam, quando illis das, seù permittis disciplinam; nàm tunc etiam inimicos nostros multipliciter flagellas, & ipsi non minuentur omni bono; idest gratia tua non erit inopia timentibus te.

Quoniam non est inopia timentibus eum. Quia sciunt gratiam Domini Iesu Christi, super argentum & aurum, Prouerb. cap. 22. num. 1. propter nos ipse egenus factus est cum esset diues, vt illius inopia nos diuites essemus, 2. Corinth. cap. 8. nu. 9. Non est inopia timentibus eum, quia diuitem habent Dominum, qui illos abundanter pascet; & ipsi Deo cura est de illis, Isai. 49. num. 10. ne timeas quia ego tecum sum: ne declines, quia ego Deus tuus, confortaui te, & auxiliatus sum tibi, & suscepit te dextera iusti mei, 1. Petr. cap. 5. num. 7. Timete Dominum omnes sancti. Luc. 12. num. 5. Matth. 10. num. 24. Non est inopia timentibus Dominum; si enim pascebat te Dominus contemnentem se; numquid deseret te timentem se? Augustin. Nec quia diuites sint in lectis eburneis, & vos pauperes quotidie ad Basilicam Templi, & pauperes sitis sicut ante falsum esse quod hic asseritur in Psalmo arbitremini. Lazarus mortuus est pauper: Diues autem in magna pompa, caue, ne dicas: ego quotidie Dominum inquiro, & nihil boni habeo, diues Dominum non acquisiuit, & inter tanta bona defunctus est. Fauent dicta in cap. 5. Ecclesiast. num. 4. Peccaui, & quid mihi accidit triste? Altissimus est patiens redditor. Quid dicis pauper? mortalia quæris, vt paupertati tuæ mortalia addas, & cum diuite in infernum traharis, & in vita omni bono careas? O miser, & infelix, qui talia inuidendo quæris, escam mortalem in terra quæris, & veram mercedem in Cælo non consideras: Quæ enim

com-

communio sancto homini ad canem? aut pars diuiti ad pauperem? Ecclesi. 13. num. 13. nonne Dominus elegit pauperes in mundo hoc; Diuites in fide, & hæredes regni, quod repromisit diligentibus se. Iacob. cap. 2. num. 5. quid proderunt terrena, si amittamus cælestia? immo, & terrena simul, quæ nec sibi erunt cum diuite communia.

Non erit tibi gaudium, si Deum timueris, de mortalibus, sed de spiritualibus, quæ æterna sunt, Isai. 29. num. 19. addent mites in Domino lætitiam, & pauperes homines in sancto Israel exultabunt. Et si spiritualibus repletus eris diuitijs, non pauper eris. Augustin. Ille diues ideò fuit, quia habebat lectum eburneum; & tu pauper es, cuius cubiculum Cordis plenum est tantis gemmis, virtutum, iustitiæ, veritatis, charitatis, fidei, patientiæ, & tolerantiæ, &c. Hæc August. Audi vlterius Augustinum. Explica diuitias tuas, habes illas, & compara diuitijs diuitum. At ille in mercato inuenit multas pretiosas, & emit eas: si fidem inuenires venalem, quantum pro illa dares, quam voluit Deus te gratis habere, & ingratus es? egent ergo illi diuites egent, & quod est grauius, pane egent, pane illo cælesti, qui dixit, Ego sum panis, qui de cælo descendi. Ioan. 6. num. 51. & Matth. 5. num. 6. & beati, qui esuriunt, & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur: inquirentes autem Dominum non minuetur omni bono, idest timore Domini, hoc est enim summum bonum. Vnde dixit, Venite filij audite me, timorem Domini docebo vos: timete Dominum omnes sancti eius, quoniam non est inopia timentibus eum. Beatus ergo eris, ò Pauper, si semper timens Deum, si semper pauidus eris, Prouerb. 28. nu. 14. quia in bonis operibus diues factus eris, 1. ad Timot. 6. num. 18. & ad Titum cap. 3. n. 8. fidelis sermo: sed his volo te confirmare, vt curent bonis operibus præesse, qui credunt Deo: per bona enim opera certam facimus vocationem nostram, dicit Petr. 2. cap. 2. num. 10. & Paul. 2. Corinth. cap. 18. nu. 14. in præsenti tempore; ò vos electos Dei, vestra abundantia nostræ sit supplementum inopiæ, vt sit æqualitas. Non diuitum, non aliorum de mundo, sed Domini sit timor noster, ipsum paueamus, ipse pauor noster, sit ipse terror noster, Isai. 8. num. 13. & erit nobis in sanctificationem; & in diuitias; Benedictio enim Domini diuites facit, Prouerb. 10. num. 22. pauperum patientur Primogeniti, & pauperes fiducialiter requiescent, quia Dominus fundauit Sion, & in ipso sperauerunt pauperes populi eius, Isai. 14. num. 30. & 32. Noli tu qui es diues despicere pauperem iustum; sed si diues, vel pauper sis, scias gloriam esse vtriusque timorem Domini habere. Considera quod dicitur Ecclesi. d. cap. 10. num. 27. magnus, & iudex, & potens est in honore, & tamen non est maior illo, qui timet Dominum, ibidem num. 28. Timete ergo Dominum omnes sancti, quia vobis in terra nullus est maior, timete inquam, quia circuit qui quærit, quem deuoret: vigilate, ne accepta securitate decipiamini.

Non despicias ergo pauperem, seù diuitem, Deum timentem, nàm qui aliàs diuites sunt, fame pereunt, panem non habent: esurientes, & timentes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes, Luc. 1. nu. 53. Diuites eguerunt, & esurierunt: timentes autem Dominum non minuentur omni bono, 1. Reg. cap. 2. num. 5. Repleti prius pro panibus se locauerunt, & famelici saturati sunt, & num. 8. Suscitat de puluere egenum, vt sedeat cum Principibus, & solium gloriæ teneat. Operare ergo bonum cum timore in conspectu Domini, quia melior est, qui opera-

operatur, & abundat in omnibus; quàm qui gloriatur, & eget pane. Eccleſ. d. cap. 10. num. 30. Ambroſ. de Vinea Naboth alludens ad illud dictum, in Pſalm. 75. num. 6. Nihil inuenerunt omnes Viri diuitiarum in manibus ſuis: Benè ait, diuitiarum viros appellauit, non diuitias virorum, vt oſtenderet, eos non poſſeſſores diuitiarum eſſe; ſed à ſuis diuitijs poſſideri; poſſeſſio enim poſſeſſoris debet eſſe, non poſſeſſor poſſeſſionis. Vnde Hieron. in Epiſtola ad Paulinum. Auaro deeſt, tàm quod habet, quàm quod non habet. Ambroſ. vbi ſupra, quid eſt diues, niſi inexplicabilis auri ſames, aut ſitis, quo plus hauſerit, plus inardeſcit; gurges quidam diuitiarum, non enim auarus implebitur pecunia, Eccleſ. cap. 5. num. 9. & Prouerb. 28. num. 15. Leo rugiens, & Vrſus eſuriens, Princeps impius ſuper populum pauperem. Beati pauperes ſpiritu, & mites, Matth. 5. num. 3. quoniam ipſorum eſt Regnum cælorum. Audi Iſai. ex ore Dei loquentem cap. 41. nu. 17. Egeni, & Pauperes quærunt aquas, & non ſunt: lingua eorum ſiti aruit. Ego Dominus exaudiam vos, Deus Iſrael non derelinquam eos, &c.

Venite filij audite me: timorem Domini docebo vos. Quis nos filios vocat? Ieſus Chriſtus, Ioan. cap. 1. num. 12. quotquot autem receperunt, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius: & ex Deo nati dicuntur; vt ibid. & 1. Ioan. cap. 3. nu. 1. Videte filij qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur, & ſimus; Chariſſimi nunc filij Dei ſumus, & nondum apparuit quid erimus; ſcimus quoniam cum apparuerit, ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum ſicuti eſt. Vocat nos Pater filios paterno ex amore. Venite, inquit, filij: Quis poterit à tali vocatione ſe retrahere, & illi non conſentire. Eamus fratres, præcepta Domini Ieſu mandata iuſti audiamus, amplectamur, & toto corde illa faciamus; ſi enim timorem Domini habeamus, peccatum procul erit à nobis, Eccleſ. d. cap. 1. num. 18. timor Domini, inquit, expellit peccatum, vt latius ſuprà diximus. O beatos nos, quos Dominus erudire dignatur, Pſalm. 93. nu. 12. & de lege ſua docere nos. Audiamus illum docere nos volens tympanizat: impingit in oſtia portæ cordis noſtri, quæ clauſa videtur ſi pulſante illo, non aperiatur: Immo in portas vulnerum ſuorum intremus nos, vt ſit facilior noſter auditus. Loquatur qui tàm benignè vocat nos filios ſuos; Ingrediamur portas illius in confeſſione, & poſt auditum in Pſalmis: nàm non amplius Deus vltionum Dominus, ſed Deus miſericordiæ, Deus Pacis, & humilis; illum alloqui non vereamur, quia quamuis celſiſſimum ſit verbum Patris, Caro tamen factum illud eſt, & homo ſimilis nobis. Audiamus loquentem, & docentem, & ſalutem noſtram affectantem, vt illum audiendo, & ſequendo fugiamus & mortem. Præbeamus cordis noſtri aurem: clamat enim dicens, Quis eſt homo, qui vult vitam, & diligit dies videre bonos. Qui habet aures audiendi audiat, vt ad illum perueniamus. Laborantes pulſemus, quia ipſe reficiet nos: tollamus iugum eius, quia eſt ſuaue, & ab illo diſcamus, quia mitis eſt, & humilis corde, & inueniemus requiem animabus noſtris, Matth. 10. nu. 18. cum ſequen. Inquit ergo timorem Domini docebo vos: audite præmium quod timenti ſe offert Deus. Voluntatem timentium ſe faciet, & deprecationem eorum exaudiet, & ſaluos faciet eos, Pſalm. 144. num. 19. Quis eſt homo, qui vult Deum? ipſe enim eſt vita, omnis inquit, qui timet illum. Quis diligit dies videre bonos? omnis,

qui

qui in die, ideſt ſemper, dum eſt in hac mortali vita, linguam ſuam à malo coerceat, & labia ſua non loquantur dolum, non enim maledicus, iniuſtus, & iniquus habent partem cum Ieſu: nec filij eius tales vocantur, ſed diaboli; non habent iſti partem in Dei hæreditate, in Dei vinea: in illa enim malos malè perdit. Sed facientibus bonum fructum, iuſtis ſcilicet ſe exhibet Patrem, & fratrem; cui hæreditas debetur: non habent iniqui veſtem nuptialem, & ideò in tenebras exteriores eijciuntur.

Quis eſt homo, qui vult vitam? Cum Iob dicam ego, cap. 7. numer. 17. Quid eſt homo quia magnificas eum: aut quid apponis erga eum cor tuum? Ventus eſt vita eius, ibidem num. 7. ſi ventus eſt vita illius, quis æternam vitam non deſiderabit, quam tu Domine diligentibus dare promittis? Audi tu, qui in terrenis totus poſitus es. An vitæ promiſſorem cognoſcis? aut ſaltem illum eſſe Ieſum Chriſtum, ſi es Chriſtianus, audiſſe confitere: qui cum eſſet filius Dei naturalis carnem ſuſcepit noſtram; vt miſeros nos miſerando redimeret: An ignoras quòd is multa paſſus, & in ligno Crucis affixus moriendo nos liberauit? filius Dei eſt, qui te redemit, & cohæredem, & fratrem ſuum te vocauit: adeòq. & frater, & filius Dei es, ſi illum ſequaris, & veſtigia eius; ſed ſi ipſe fecit nos, & non ipſi nos: nosq. puluis, & vmbra: quare non omnes poſt eum ambulamus? Cur non totus mundus diligit illum qui nobis dat regnum æternum? Sic Deus dilexit mundum, vt vnigenitum filium ſuum daret pro eo: & nos cur non vltrò illum diligimus, vt redemptionem æternam mereamur? vt filij Dei nominemur, & ſimus? Ecce Pater noſter, qui amat nos; vt quid peccando amittamus illum, immo inſiſtimus, vt nos perdat, & in infernum damnet: ipſemet Dei filius factus pro nobis homo, hic in terra dies non habuit bonos ſecundum mundum, cum contumelias, iniurias, crucem, & verbera paſſus ſit? ita & eius Apoſtoli, & Sancti omnes: vide gloriam Pauli in tribulationibus, quas enarrat 2. Corinth. 11. n. 24. & 1. Theſſ. 2. nu. 2. ad Philip. 3. num. 15. in Actib. cap. 16. nu. 22. Quis eſt homo, qui vult vitam? non proponit, vt illam obtineamus in aliorum peccatis, & iniquitatibus, & tribulationibus, & furtis immiſceamur, & impiorum conſortio, ne vitam nobis inquietam, & turbulentam patiamur: nec minus, vt facultates, & bona terrena procuremus, diuitesq. ſimus; omnia enim hæc cenſenda ſunt detrimenta, & ſtercora, vt Chriſtum lucrifaciamus, ad Philip. 2. num. 8. omnia munda mundis: Coinquinatis autem, & infidelibus nihil eſt mundum, ſed inquinatæ ſunt eorum, & mens, & conſcientia. Confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant, cum ſint abominati, & incredibiles, & ad omne opus bonum reprobi, ad Titum c. 1. n. 15. Cauete enim ab hominibus, dicit Dominus, Matth. 10. n. 17. nemo inquit Petr. 1. cap. 4. nu. 15. noſtrum patiatur, vt homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor; &, ſi iuſtus vix ſaluabitur; Impius, & peccator vbi parebunt? ibidem Petr. num. 18. quomodò malefaciens vis quærere bonam mercedem?

A carnalibus ergo deſiderijs abſtinentes, quæ militant aduerſus animam, & conuerſationem noſtram inter gentes habentes bonam, 1. Petr. cap. 2. nu. 11. abijcientes opera tenebrarum, induamur arma lucis, ad Rom. cap. 13. num. 13. non in comeſſationibus, & ebrietatibus: non in cubilibus, & impudicitijs, non in contentione, & æmulatione, ſed induimini Dominum noſtrum Ieſum Chriſtũ,

quæ

quæ autem opera sint carnis, quæ aduersus spiritum militant enarrat Paul. ad Galat. cap. 5. num. 17. & 19.

Docet nos Dominus, quæ cauere, quæue facere debeamus, dicens; Prohibe linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum: inquire pacem, & sequere eam, ità etiam Isai. cap. 1. num. 16. Lauamini, inquit mundi estote, &c. quiescite agere peruersi; discite benefacere, ità 1. Petr. cap. 3. num. 10. Qui enim vult vitam diligere, & dies videre bonos: coerceat linguam suam à malo, & labia eius non loquantur iniquitatem, & dolum.

Si tu iniustus vis esse, quomodò iustitiam quæris habere? non iniustus est Deus. Vis habere vitam æternam? Contine linguam tuam à malo: nulli fraudem moliaris, nulli dicas mendacium. Quomodò seruabis præceptum, si odio habueris proximum tuum? quomodò diligis Deum; si contrà ipsum dicis mendacium?

Sequitur: Declina à malo. Quid est timere Deum, nisi malum non facere propter timorem eius, immo propter te, si cupis saluus esse? An ignoras, quòd Deus noster, ipse est Pater; ipse est Dominus? si charitatem Dei, & proximi profitemur, quare mandatum eius spernendo illum inhonoramus? si Dominus est, cur non eum timeamus? Malach. cap. 1. num. 6. Vnde Deuter. cap. 5. nu. 29. Quis det talem eos habere mentem, vt timeant me, & custodiant vniuersa mandata mea in omni tempore, vt benè sit eis, & filijs eorum in sempiternum? Per viam ergo, quam præcepit nobis Dominus, ambulemus, & viuamus, vt benè sit nobis, & protrahentur dies in terra possessionis nostræ, ibid. Deut. num. 33. Timorem ergo, & amorem fac nos Domine habere perpetuum, nec non proximi dilectionem, quæ tunc erit, si lingua nostra prohibeatur à malo, & labia nostra non loquantur dolum: prohibeamus nostram linguam à detractione, mors enim & vita in manu linguæ. Prouerb. di. cap. 18. nu. 21. qui diligunt eam, comedent fructus eius, & vena vitæ est os iusti, Prouerb. 10. num. 11.

Audiamus Iacob. cap. 3. per totum; Si quis verbo non offendit, perfectus est vir: lingua enim modicum membrum est, & magna exaltat: ecce quantus ignis, quàm magnam syluam incendit: & lingua ignis est vniuersitas iniquitatis, maculat totum corpus, & nullus hominum illam domare potest; inquietum malum, plena mortifero veneno. Prohibe linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum; idcircò Dominum Deum nostrum deprecemur, & eloquia nostra ponamus ad illum; ipse enim est qui vulnerat, & medetur, percutit, & manus eius sanant: Increpationem eius non reprobemus: Beati erimus, cum illum sustinemus; scriptum est enim, Beatus homo qui corripitur à Deo, quia in sex tribulationibus liberabit te, & in septima non tanget te malum; Iob. 5. nu. 17. nàm inter cætera à flagello inquit linguæ absconderis, & non timebis calamitatem, cum venerit, &c. in vastitate, & fame ridebis, &c. & scies quòd pacem habeat Tabernaculum tuum, num. 24. si custodieris os tuum, & linguam tuam, custodies ab angustijs animam tuam, Prouer. 21. nu. 23. nàm vt dicit Iob c. 15. nu. 5. & sequen. Condemnat te os tuum, & non Ego, & labia tua respondebunt tibi. Et quamuis videatur tibi iniquus laudatus, &c. & quod superbia eius vsque ad cælum ascenderit, & caput eius nubes tetigerit; breuis tamen erit laus eius, fiet; & gaudium hypocritæ ad instar puncti, & quasi sterquilinium in fine perdetur; ossa eius implebuntur vitijs adolescentiæ eius, & cum eo in puluerem

dormient, cum enim in ore eius dulce fuit malum, occidet illum lingua viperæ, Iob cap.20.n.5. & nu.16. Et qui eum viderunt, dicens, vbi est? Velut somnium volans non inuenietur.

Prohibe linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum: Domine, qui os hominis fecisti, nosq. præcepta tua docuisti: ecce ambulamus in illis; sis tu in ore meo, doceasq. quid loquar, pone verba tua in ore meo: sicut Moysi verba tua in ore eius posuisti, & Aaron, Exod. 4. num. 15. amoue ab ore putei mei lapidem offensionis, & non loquatur dolum, Genes.19.num.8. & pone custodiam ori meo Domine; & ostium circumstantiæ labijs meis, vt non declinet cor meum ad excusandas excusationes in peccatis, Psal.140.n.3. & 4. Quis dabit ori meo custodiam, & super labia mea signaculum certum, & non cadam ab ipsis, & lingua mea perdat me, Eccles. cap.22. nu.33. Pone Domine verba tua in ore meo, Ierem.1.nu.9. cum Ecclesia canamus, os, lingua, mens, sensus, vigor confessionem personent; flammescat igne Charitas, accendat ardor proximos.

Diuerte à malo, & fac bonum, inquire pacem, & persequere eam. Quid iuuat, si destruamus, & non ædificemus? Bonum est vitia destruere, si virtutes ædificemus animæ nostræ: aliàs quid prodest, vt immoler? Sic ergo declines à malo, vt facias, & bonum: non spoliasti proximum, benefecisti: non operuisti nudum, malè fecisti: hoc enim est timere Dominum, quia hæc nó facientes spernimus eius mandata; Prouerb.14.num.27. Vt igitur fugiamus mortem, abstinendum à malo, & faciendum bonum; quia sic timebimus eum, & à ruina mortis declinabimus.

Inquire pacem: si in mundo non sit aliud, nisi malum, & pro iustis sit pressura: pressuram dicebat Iesus Apostolis in mundo habebitis: quomodò in mundo pacem inquiramus? In Christo est pax, Ioan.16. nu. 33. Hæc locutus sum vobis, vt in me pacem habeatis; in mundo pressuram habebitis, sed confidite, quia ego vici mundum. Ipsum Christum inquiramus declinantes à malo, & facientes bonum, vt post obitum nostrum illum sequamur in Cælo, Isai. d. cap.9.num.6. Paruulus natus est nobis, &c. Princeps pacis, Pater futuri sæculi: prosequamur, quia illius pacis non erit finis, ibid. Isai. num.7. Inquiramus pacem, quia sedebimus in pulchritudine pacis, & in Tabernaculis fiduciæ, Isai. cap. 32. num. 18. Inquiramus pacem, & illam sequamur. Omnis enim qui in Christo manet, non peccat: & omnis qui peccat non vidit eum, nec cognouit eum, & ex diabolo est, 1. Petr.3. nu.6. & sequen. Non tibi dixit, hìc pacem habebis. Vndè Augustin. hìc. Quære pacem, & habebis illam hìc; sed quò illam sequar? quò præcessit: Dominus, qui est pax nostra, resurrexit & ascendit in Cælum; quære pacem & sequere eam, quia cum & tu surrexeris hoc mortale mutabitur, & amplecteris pacem, vbi nemo molestus erit. Gemunt hìc iusti, vt sciamus, quia hìc quærimus pacem, consequemur autem in fine: sed ex parte hìc habeamus, vt ex toto illic habere mereamur. hæc Augustin. ex parte inquit, quia si diligam meum fratrem, & concordes simus hìc diligemus proximum, sicut nos, contingent tamen plerumque aliquæ rixæ, sicut inter Sanctos, inter Paulum, & Barnabam, non tamen quæ occidant animam, & tollant Charitatem: rixa illa ad concordiam tendit, sicut aliquando quis sibi ipsi irascitur, quando se pœnitet aliquid fecisse: Ideò iustus dicebat, Quare tristis es anima

mea,

mea, quare conturbas me, Psalm.42. Spera in Domino, quia adhuc confitebor illi. Pacem in se non habebat ille, sed semper hærebat Christo, vt sequeretur illum anima eius, & non illum turbaret; propterea clamat dicens: Benedic anima mea Domino: & noli obliuisci omnes retributiones eius, qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas: qui redimit de interitu vitam tuam, qui coronat te in misericordia, & miserationibus, qui replet in bonis desiderium tuum, renouabit, vt aquilæ iuuentus tua, Psalm.102. nu.1. cum sequenti vsque ad num.6. non quæras anima mea vindictam; quia Dominus faciet iudicium omnibus iniuriam patientibus, ideò pax sit tecum, ne conturbas me, patiens esto, labora, noli timere; Quia oculi Domini super iustos, & aures eius in preces eorum, Augustin. quid clamas? adhuc terra, & putre es, medicus vidit, vt curet, vt secet, quid turbaris, vt saneris? Tribulationes cordis nostri multiplicatæ sunt, & de omnibus liberabit nos Dominus, & sanabit nos, Psalm.7.num.20. Quia oculi Domini super iustos, & aures eius ad preces eorum, & propè est omnibus inuocantibus eum, Psalm.144.nu.18. & non aufert à iusto oculos suos, Iob 36.num.7. Et non tibi persuadeas, quòd si oculi Domini super iustos; super te peccantem non sint; nàm oculi Domini super iustos, vt illos adiuuent, provt aliàs latius diximus, & omnia sunt nuda, & aperta oculis eius, ad Hebr.4.num.13. vt qui vultum habet super peccatores quò vlciscendo puniat, & perdat; Vndè dicit, Vultus autem Domini super facientes mala, vt disperdat de terra memoriam eorum, Omnia videt Dominus sine intermissione, Eccles.15.nu.20. nec refugiat in rapina peccator, Eccles.16.nu.13.

Vt perdat de terra memoriam eorum. Non vultum, non oculos cogites Deum habere, vt mediantibus illis, sicut nos oculis videat: ipse totus est oculus, tota potentia, quam nobis Dauid per sensum corporis nostri demonstrat; vt intelligamus facilius, Eccles.23.num.28. Oculi Domini multò lucidiores super Sole, circumspicientes omnes vias hominum, & profundum abyssi, & hominum corda intuentes in absconditas partes: Domino enim Deo antequam crearentur sunt omnia cognita, &c.

Verùm hìc quærendum est, quomodò dispersa sit de terra impiorum, & hominum malorum memoria: Quot scelesti Pseudochristi, quot iniqui, & seductores inimici Christi, quorum memoria adhuc viget: immo, & Ecclesia sæpè illorum nomina memorat, qui sanctos persecuti sunt, & ipsam lacerare conati sunt. Quomodò ergo dicitur, Vt perdat de terra memoriam illorum? Nunquid non tibi illorum memoria perdita videtur, cum de libro viuentium sit deleta? ideò non dixit, Vt perdat in terra memoriam illorum? sed vt perdat de terra, idest eorum qui fuerunt de terra, & in viam Domini ambulare noluerunt, sicut iusti, in libro viuentium, in Cælo delerentur nomina, & memoriæ. Vt perdat de terra, quia in inferno est eorum sepultura; expulsi de terra, vt deleantur, & in Cælo eorum memoria. Vt perdat de terra, ne illis succurrat amplius Dei misericordia, ambulauerunt per vanitates, & vani facti sunt, Ierem.cap.2.num.5. in cæteris derelinquet in maledictum memoriam illorum, Eccles.23.num.26. qui in malignitate sua in inferno consumpti sunt, Sap.cap.5.num.13. cum sequen. & num.9. transierunt omnia illa, tamquam vmbra, & nuncius percurrens, & tamquam Nauis, quæ pertransit fluctuantem aquam: lassati sumus, inquiunt, in via iniquitatis, & perditionis.

Clamauerunt iusti, & Dominus exaudiuit eos, & ex omnibus tribulationibus eorum liberauit: Immo erit antequam clament ego exaudiam, dicit Dominus, Isai. cap.65. num.24. clamabunt, & dicet, ecce adsum, Isai.cap.58.num.9. quia scit Pater vester, quid vobis opus sit, antequam petatis, Matth. cap.6. num.9. nec mirum, si iustos clamantes exaudiat, cum etiam sit cum ipsis in tribulatione, Psalm.90.num.15. Et de omnibus tribulationibus eorum eripuit eos, Isai. cap.19.nu.20. clamabunt ad Dominum à facie tribulantis, & mittet eis Saluatorem, & propugnatorem, qui liberet eos. Clamauerunt iusti, quia vnum Deum confitebantur, & Saluatorem Iesum Christum, Act.4. num.20. Hymnizabant tres pueri in camino ignis, Daniel cap.3. num.51. & è contrà Machabæi in ignibus expirabant, 2. Machab. cap.7. num.6. cum sequenti; Quid est, quòd multi iusti à malo liberati sunt, multorum verò corpora in tormentis cruciata, igne combusta, dilaniata, & lacerata defecerunt ex hac vita? omnes tamen tamquam electi Dei in Paradiso positi sunt. Cruciatorum electio à Deo facta est, & tamquam aurum in fornace illos probare voluit, Sap. cap.14. numer.6. propterea in Daniele cap.12.num.10. dicitur illi dixisse Angelum Domini: eligentur, & dealbabuntur, & quasi ignis probabuntur multi & impiè agent impij, neque intelligent omnes impij, porro docti intelligent, &c. quòd scilicet Deus probauit iustos, & quasi holocausti ostiam accepit illos. Clamauerunt iusti, & Dominus exaudiuit eos, quia dedit eis fidei donum electum, & sors in Templo Dei acceptissima, Sap. dicto cap.2. num.14. saluauit vinctos, & in fornace, vt ostenderet potentiam suam, Psalm.105.num.8. saluauit eos propter nomen suum, vt notam faceret potentiam suam. Sed non euacuatur quod suprà posuimus: nempè quare Deus electos suos velit alios cruciatos, alios occisos, & distensos, tribulatos, afflictos; alios verò Doctores, Confessores, & Sacerdotes, non enim eosdem electos eadem sorte vocatos voluit.

Sed, respondetur quia sic Deo placuit, quis enim eum interrogare ausus est, cur ità facis? Iob cap.36. cum sequentibi cap. Incomprehensibilia enim sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius, Paul. ad Roman. cap.11.num.33. Quis enim hominum poterit scire consilium Dei? aut quis poterit cogitare quid velit Deus? Sap. cap.9. num. 13. & 17. sensum autem tuum quis sciet? nisi tu dederis sapientiam? & Isai.cap.40.num.13. quis consiliarius eius fuit, & ostendit illi?

Flamma ignis non nocet hymnizantibus pueris, dum flamma comburit Machabæos item sanctos. Petrus catenis cinctus dormiens ab Angelo excitatus vadit, eadem catena accincti alij Sancti rigidè cruciantur, & affliguntur, provt de Sancto Ignatio legimus, & de alijs. Liberatur Petrus à carceribus, detruditur idem Petrus, & Cruci affligitur, & moritur, quàm incomprehensibilia iudicia Dei, & inuestigabiles viæ eius: maior gloria Petro debebatur, & ideò primo ab Angelo liberatus, vt magis tribulando cruciaretur, & affligeretur.

Ignis non combussit, quia Dominus est qui prohibuit; ignis circumstantes igniuit, quia sic Dominus iussit, cui ignis, & omnia elementa obediunt, Daniel 3.nu.22. cum sequen. In lacum Leonum missus Daniel incolumis post dies septem euasit; iniqui verò accusatores illius, nedum ad pauimentum laci adducti, à leonibus in momento deuorati sunt, Daniel cap.6. num. 24. & cap. 24. num.30. & 41. O vos impios, & peccatores, non vos putet non obedire Deo,

cui,

cui, & animalia, & elementa obediunt? soluta est, & ligauit catena, quia obtemperauit Creatori: Combussit ignis electos, vt probando Deus electos, cognoscerent impij, quòd quæ mortem, & iustorum delectionem, & consumptionem putabant, vitam apud Deum æternam producebant; quia non est Dei sicut hominum eadem potentia: morti enim perpetuæ damnantur potentes, qui, & potenter cruciantur vitam consequuntur humiles, qui mortui reputabantur, & ecce viuunt, Sap. cap. 5. humilia ergo respicit Deus, & alta à longè cognoscit: Altus est Dominus, dicit August. humilis est Christianus: si vult vt altus Dominus appropinquet illi, humilis sit, magna mysteria fratres: Deus super omnia est: Erigis te, & non illum tangis; humilias te, & ipse ad te descendit. hæc Augustin. Non ergo arbitreris quia Christianus es, & iustus, ideò non esse tribulandum, tribulationibus non esse subiectum, dicit enim Psalm. Multæ tribulationes iustorum: Exitus tamen iustorum, & iniustorum dispar est, nàm iniustorum perpetuæ pœnæ in alia vita: iusti verò, & si hìc multæ sint eorum tribulationes, sed ibi pacem habent perpetuam, nec aliud mali amplius patientur.

Iuxtà est Dominus ijs, qui tribulato sunt corde: & humiles spiritu saluabit; ità iuxtà illos Deus est, vt nec solos illos relinquat sine auxilio: Vide Danielem in d.cap.3.nu.92. Nonnè tres viros misimus in medium ignis compeditos? responderunt, verè: Rex respondit, & ait, ecce video quatuor viros solutos, & ambulantes in medio ignis, & nihil corruptionis in eis est, & facies quarti, similis filio Dei: Dixi quod iustos non relinquit sine auxilio; adiutor in tribulationibus dicit Psalm. 45. num. 1. quia non est Deus localis, vbique enim est Deus. Vndè dicit Bernard. in Serm. qui incipit, Vidi Dominum: Nunquam ille socium tribulationis à communione gloriæ patietur separare, Psalm. 90. Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum. Lux enim est tribulatis, quia consolatur, roboratq. Paul. 2. Corinth. cap. 12. nu. 10. Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi. Propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumelijs, in necessitatibus, in persequutionibus, in angustijs pro Christo, numer. 10. Cum enim infirmor, tunc potens sum. Et humiles spiritu saluabit; nàm qui humiliatus fuerit erit in gloria, Iob cap. 22. num. 29. & qui inclinauerit oculos, ipse saluabitur, ibidem Iob, superbum enim sequitur humilitas: & humilem spiritu suscipit gloria, Prouerb. 29. num. 23. Discamus exemplo Domini, qui fuit mitis, & humilis corde, Matth. cap. 11. num. 25. & cap. 5. num. 4. & humiles inquit spiritu, nec elatos, nec inflatos, & si aliàs pauperes sint: quorum superbia magis Deo odibilis erit; Nàm post hæc erunt decedentes sine honore, & in contumelia inter mortuos in perpetuum; quoniam disrumpit illos inflatos sine voce, &c. Sap. cap. 4. num. 19. & ad Roman. cap. 1. num. 30. cum sequen. ascendent enim fœtores eorum, & ascendent putredines eorum, quia superbè agunt, Ioel cap. 2. num. 20. Ecce ego ad te superbe, dicit Dominus, &c. & cadet superbus, & corruet, & non erit qui saluet illum, Ierem. cap. 50. nu. 32. Similis est enim vir pauper calumnians pauperi imbri vehementi, in quo paratur fames, Prouerb. cap. 28. num. 3. humiles, & pauperes spiritu propter affectum in Deum, Matth. dicto cap. 5. num. 3. Cum contrito, & humili spiritu habitat Deus, Isai. cap. 57. num. 15. vt viuificet spiritum humilium, & viuificet cor contritorum iuxtà eos, qui tribulati sunt corde,

& humiles ſpiritu ſaluabit : tribulatio ergo cordis eſt humilitas ſpiritus, Pſal.68. num.30. Ego ſum pauper, & dolens, & Dominus ſuſcepit me ; tribulatio ergo ſequitur iuſtum:quia iuſtus patienter ſuſtinens præbet de ſe experimentum boni operis, Eccleſ. cap.27. num.6. Vas figuli probat fornax, & homines iuſtos tentatio tribulationis.

Multæ tribulationes iuſtorum, quia maior eſt eorumdem gloria, Dominum quærentium : quis fidelis erit, qui non cupiat tribulari, vt in futuro liberatus à Deo eò magis poſſet eiuſdem gloriæ aſſequi præmium ? Paul. ad Roman. cap.5. num. 3. non ſolum autem, ſed, & gloriamur in tribulationibus noſtris ; quoniam tribulatio patientiam, patientia autem probationem operatur, probatio autem ſpem : ſpes autẽ non confundit : Quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis, &c. Multæ tribulationes iuſtorum, Hieronym. hìc. ergo iuſtus non eſt qui tribulationes non patitur. Vndè Paul. 2. Corinth. cap. 12. num. 9. Virtus in infirmitate perficitur. Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Chriſti : propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumelijs, in neceſſitatibus, in perſequutionibus, in anguſtijs pro Chriſto, &c. & in cap.11. nu.20. ſuſtinetis enim ſi quis vos in ſeruitutem redigit, & poſt multas quas narrat tribulationes, num.23. Quis infirmatur, & ego non infirmor ? quis ſcandalizatur, & ego non vror ? Gregor. 23. Moral. Perſecutiones ad experimentum valere aſſerit ; nemo quippè quantum profecerit, niſi inter aduerſa cognoſcit ; cum enim adſunt proſpera, cerni non poſſunt virium detrimenta : Gloriatur ergo Paulus in infirmitate, in tribulatione, ad Timoth.2. cap.1. num.12. ob quam cauſam hæc patior, ſed non confundor, ſcio enim cui credidi ; & certus ſum, quia potens eſt depoſitum meum ſeruare in illum diem, &c. eæ ſiquidem quas pro Chriſto tribulationes, & paſſiones patimur, ſunt depoſitum apud Deum, vt in die redditionis rationis ſuprà multa conſtituamur in gloria, & pace : flagellat enim Deus omnem filium, quem recipit ; ideò, & nos pondus omne peccati deponentes ad propoſitum nobis certamen per patientiam curramus, in Authorem fidei conſpicientes, & conſummatorem Ieſum, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit Crucem,confuſione contempta,atque in dextera Dei ſedet,ad Hebr. cap.12. num.2. Paruifaciamus perſecutiones, & Cruces, & nos, vt Chriſtum lucrifaciamus. Etſi in præſenti non gaudij, ſed mœroris videatur eſſe omnis diſciplina, poſteà autem fructum pacatiſſimum exercitatis per eam reddet iuſtitia, ad Hebr. d. cap.12. num.11.

Et de omnibus his liberabit nos Dominus, dicit Pſalm. noſter. Vndè idem Paul.2.Corinth. cap.12.num.10. propter quod placeo mihi infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Chriſti, in contumelijs, in neceſſitatibus, in perſecutionibus, in anguſtijs pro Chriſto. Cum enim infirmor, tunc potens ſum ; quia Dominus cuſtodit omnia oſſa eorum, vt vel reſiſtentibus tribulationibus, & mundi oblectamentis,& tentationibus iuſti apud eum inueniamur, qui carnem,quam aſſumpſerat paſſioni,& morti ſubiecit,vt moriendo vitam nobis daret. Oblectamentis dixi,quia,& de aduerſis,& de proſperis iuſti tribulantur, Bernard.in Serm.incip. Dignum valdè eſt. Quot enim corpus illecebras,quot oblectamenta videt mundum habere, tot tribulationes patitur, tot ſuſtinet tormenta vir iuſtus feſtinantes ſuſtineamus nos paſſiones, & tormenta, quia nobiſcum

erit

erit Iesus in nostra custodia. Modica est temporis infestatio; vitæ verò æternæ perpetuum gaudium, & exultatio; quid nos retrahit? an timor? non est quod fures timeant, qui sibi in Cælo thesaurizant. Multiplices veniant super nos propter Deum tribulationes; quia in Cælo multiplicatæ erunt mercedes. Breuissimum est disciplinæ tempus; & de omnibus tribulationibus nos in perpetuum liberabit Dominus Iesus; transit velut vmbra præsens vita de vmbra, quid curamus: si perpetua erit gloria nostra? Gaudeamus in tribulationibus, quia tamquam vmbra sunt, & fugiamus eas, quæ sunt in inferno perpetuo duraturæ: Gaudeamus quod multa sit persequutio, quia in Christo nobis sustinentibus augebitur gloriæ retributio: non erremus corde, quia Deus erit nobiscum in nostra necessitate. Custodit Deus ossa eorum, dicit Psalm. idest interiores vires; Vnum ex his non conteretur; propè est enim Deus ijs, qui tribulati sunt corde, Isai.cap.58.nu.9. Vnum ex his non conteretur, fides scilicet firma erit; Fregerunt ossa latronis; non tamen potuerunt frangere fidem eiusdem confitentis, proptereà audire meruit. Hodie mecum eris in Paradiso. Custodit omnia ossa eorum in eis scilicet fidem, spem, & charitatem; quæ animæ ossa sunt, quia sustinent hominem in vita. Sed quomodò dicis, ò Dauid, vnum ex his non conteretur? cum de Christo scriptum sit in Isai. cap.53. num.10. & Dominus voluit eum conterere in infirmitate; dicendum, quòd ideò Dominus Pater filium suum voluit in infirmitate scilicet carnis conterere, & pro peccatis populi sui eum affligere; nàm quòd diuinitas pateretur impossibile erat, qui ideò in mundum, vt omnium peccata portaret aduenerat, despectum, & virorum nouissimum, virum dolorum, & scientem infirmitatem, non tamen eius crura fregerunt, os enim, scriptum erat, non comminuetis ex eo, Exod. cap.12.num.46. Num.9.num.12. Ioan.19.num.36. Fidei enim firmamentum inconcussum, ità in sanctis, & iustis, qui in Dominum Iesum Christum crediderunt, & credunt: os eorum fides inquam, non comminuetur quamuis in carne, & sanguine positi multi passi sunt infirmitates, & damna, vt sequerentur auctorem vitæ Iesum Christum, tollentes Crucem suam iuxtà præceptum illius, dicentis: qui vult venire post me abneget semetipsum, tollat Crucem suam, & sequatur me, Matth.16.num.26.

Vnum ex his non conteretur. Sicut de capillis dictum est, Matth. cap. 10. num.30. Vestri capilli capitis omnes numerati sunt; Ita quippè cura est Deo de vobis, vt, & capilli vestri apud illum numerati sint, quantò magis de ossibus, Luc.21. num.18. & capillus de capite vestro non peribit, & in Act.27. nu.34. nullius vestrum capillus de capite suo peribit.

Væ autem illi, quem Dominus non custodit; Sic peccatoris in peccato morientis talis custodiæ expertis, mors pessima est. Mors peccatorum pessima, dicit Psalm. hìc: Sed forsan aliquis, huic dicto est incredulus, cuius Deus venter est, iuxtà dicta in cap. 2. num. 6. Sap. Fruamur bonis, quæ sunt, & vtamur creatura tamquam in iuuentute celeriter: non prætereat nos flos temporis, num.7. & 9. nemo nostrum exors sit luxuriæ nostræ, hæc est pars nostra, & hæc est sors. Verissimum nihilominus hoc est, quod mors peccatorum pessima; quia in malignitate illorum consumpti sunt, quia errauerunt à via veritatis, Sap. cap. 5. per totum. Vndè, & talia dixerunt, qui in peccato mortui sunt, & in inferno positi, numer. 14. ibidem Sap. vbi, & adiectum, & erunt post hæc

decedentes sine honore, & in contumelia inter mortuos in perpetuum: & traducent illos ex transuerso iniquitates ipsorum, Sap.14.num.19. & 20. Bernard. Mors peccatorum mala in amissione mundi, quia non possunt sine dolore separari ab eo, quem diligunt; peior in dissolutione carnis, à qua euelluntur eorum animæ à spiritibus malignis: pessima in tormentis inferni, quando corpus, & anima in perpetuis addicuntur ignibus. hæc Bernard. Mors peccatorum mala, quorum malæ operationes, & peccata, vsque ad illam sunt illos comitata; mors illorum peior, quia illorum malo exemplo factus est proximus deterior; mors peccatorum pessima; quia in igne perpetuo cremantur eorumdem carnes, & ossa. O quam amara est mors, memoria tua, Eccles. cap.41.num.1. & 11. væ vobis viri impij, qui dereliquistis legem Domini Altissimi, & si nati fueritis, in maledictione nascemini: & si mortui fueritis in maledictione erit pars vestra. Mors peccatorum pessima, quia super eos congregabit Dominus mala, Deuteron.32.num.23. mala autem ibi enumerat. Et qui oderunt iustum delinquent; quia, & Dominus retribuet eis, Deuter.32.num.41. & non consurgent, cap.33.num.11. induenturq. confusione, Iob 8.num.12.

Redimet Dominus animas seruorum suorum, & non delinquent omnes qui sperant in eo.

SOLILOQVIVM.

AVXILIARE mihi seruo tuo Domine, vt de mortis manu ereptus, atque redemptus, confusus non sim, neque delinquam, spes mea sit in te. Audiui te Domine Iesu; propterea omni tempore laus tua semper in ore meo erit benedicens, & magnificans, vnà tecum Dominum, & nomen eius exaltans, quia de tribulationibus Iudæorum clamans exaudiuit te, & de angustijs eripuit te, vt saluares me, atque redimendo liberares me Domine Iesu. Iàm video, ecce me, quia accedo ad te, & sequor te, qui pauper fieri voluisti, vt ditares me: tu enim in Patre, & Pater in te, Iudæos solo nutu exterere, & te de tribulationibus liberare poteras, sed partibus iudicans, dedisti locum pœnitentiæ, dans tempus, & locum, per quem possent à malitia mutari; vt sciam, & ego, qui peccaui in te; quòd patiens, & miserans mei, vt pœniteat me, longo tempore expectans, indulsisti mihi; vt reuerterer ad te: Sine te non est salus mea in te, quia vndique circundatus sum infirmitate. Propterea Domine Angelos tuos in circuitu meo mitte, vt defendant me, quia spes mea est in te, vt inopia non apprehendat me. Diuites eguerunt, & esurierunt, timentes autem te non minuentur omni bono: Propterea vitam habere cupiens, & dies videre bonos, dolum à labijs, & mendacium à lingua mea fugaui: quia tu Domine timorem tuum docuisti me: Vt te inquiram, qui es pax mea, sequar te: Fac me diuertere à malo, & facere quod est bonum ante te. Oculi tui, & aures tuæ ad preces meas sint intentæ: non sit vultus iræ tuæ super me; sed super mala facientes, vt memoriam illorum perdas de terra. Iustos verò de tribulationibus liberans exaudies. Propè ades Domine his qui tribulato sunt corde; saluans eos quia humiles sunt, & de omnibus tribulationibus illos liberans, omnesq. virtutes illorum conseruas, ità vt ne vna quidem deficiat; Malorum

verò

verò mors pessima, & omnia illorum tamquam vmbra transierunt, & nullum signum inuenitur illorum itineris; quia delinquendo te iustum oderunt, & etiam cum viuerent inter mortuos reputati sunt. Serui tui sumus Domine Iesu: tua nobis vtilis sit redemptio, spes nostra omnis in te est Iesu dulcissime.

Ad te confugimus, ò Beata Dei Genitrix: sine aliqua peccati Originalis macula concepta; tota pulchra: habitaculum filij tui lucidissimum ab æterno ordinatum, & præseruatum, mundissimum Tabernaculum Iesu Christi tui, & Redemptoris mei: per te ò Virgo ille nos recipiat, qui per te nos redemit; exaudi me Virgo, & Mater, Domina, & Regina nostra; per hanc sanctam quam hodie celebramus, & immaculatam tuam Conceptionem; vt, & tecum ad æterna mereamur peruenire regna Cælestia. Amen.

IN PSALMVM XXXIV.

Iudica Domine nocentes me: expugna impugnantes me.



TITVLVS. In finem, ipsi Dauid: in finem idest in Christum, vt aliàs latius diximus: quia Christus est finis legis, ad Roman. d. cap. 10.

Continuatur ad præcedentem: nàm ibi ad sustinendas tribulationes iusti exhortantur, & ad benedicendum, & laudandum Dominum in illis: hic verò exemplo Christi; pro cuius Passione compositus est iste Psalmus, oratur, vt tollantur ab Ecclesia persecutiones.

Summa; Orat Dominum Iesus eius filius, vt iudicium contrà persecutores suos faciat.

Totus iste Psalmus est de Passione Domini Iesu, vt volunt Augustin. & alij omnes Doctores: in illo enim Dauid Prophetico spiritu significat, se præuidisse contrà Christum, eiusq. Ecclesiam, iniustum iudicium sine iudicio factum, falsasq. testium depositiones, & deniq. iniquam Iudæorum seù, Pilati sententiam temerariam; tum, & exinde consecutam Iudæorum destructionem, & Ecclesiæ in Populum Gentilem translationem: ibi. Quando respicies? Restitue animam meam, à malignitate eorum, vnicam meam à leonibus; idest oppressam, & conculcatam. Loquitur enim de vnica Ecclesia sua, ideò sequitur: Confitebor tibi in Ecclesia magna, Isai 43. nu. 6. & cap. 54. nu. 2. toto, scilicet Orbe terrarum diffundenda, non in vno loco, sicut Ierusalem restricta, iuxtà illud. Dilatabo tentorium meum: hæreditas mea præclara erit mihi, quia in Populo graui laudabo te. Sicut autem, & præcedens Psalmus, ità quæ dicuntur in Psalmo isto cuilibet iusto iniustitiam patienti, & in afflictionibus posito adaptentur, vt tribulati gratias Deo agant, & vt illas sustineant Deum ipsum in ijsdem deprecantes vt iudicans, discernens causam iusti de gente non sancta, & ab homine iniquo, ipsos, atque suam liberet Ecclesiam, & aduersarios corrigat.

At nunquid non est factus Iudex viuorum & mortuorum, Act. cap. 10. n. 42. Dominus Iesus, quare petit iudicium à Patre, cum ipse sit iudex, & ipsi in Cælo, & in terra data sit omnis potestas? Matth. cap. vlt. in fine cap. 28. nu. 18. poterat, nec est dubium, illos disperdere statim, sed nobis exemplum relinquere voluit, quod illi debetur vindicta, qui retribuet cuique iuxtà opera sua, ad

Rom.

Rom.11.num.19. Opprimitur Ecclesia ab hæreticis, turbatur, affligitur iustus, oret Deum, instet apud illum, quia ipse liberando oppressum faciet vindictam de iniquis, Luc.18.num.3. Parabolam dicebat Iesus de Vidua, quæ aduersario suo vindictam petebat,& quia illi Iudici,qui nec Deum, nec homines timebat, nimis molesta erat vindicabo, respondit ille Iudex iniquus, illam, ne in nouissimo veniens sugillet me. Audite inquit Dominus; quid Iudex iniquitatis dicit? Deus autem non faciet vindictam electorum suorum clamantium ad se die, ac nocte, & patientiam habebit in illis? Dico vobis, quia citò faciet vindictam illorum, O vos ergo, qui iniustè turbamini, gratias, vt dictum est in prædicto Psalmo 33. agite Deo, & iudicium ab illo expectate, quia citò vindictam faciet in hostes.

Iudica ergo Domine nocentes me Iudæos scilicet. Innocentem Christum in carne positum falsò accusantes, calumniantes, vel Ecclesiam suam, vel iustos persequentes: Expugna impugnantes me, non contradicentem, impugnantes doctrinam Christi, & suæ Ecclesiæ, & iustos illam sequentes: pugna contrà illos iniquos: quia, si tu Deus es pro nobis, quis contrà nos? ad Rom. cap.8.num.31.quis accusabit aduersus electos Dei? Deus qui iustificat, quis est, qui condemnet? ibid.num.33. Consideremus tamen fratres quia Christus tribulatur, doctrina eius impugnatur,Christus vulneratus in Cruce moriatur: Ecclesia, & electi eius quotidie cruciantur, & falsæ doctrinæ circumferuntur; sed sustinent, orant assiduè, pugnant fortiter aduersus illos; & nos illorum exemplo discamus, quia multæ sunt tribulationes iustorum, sed de his liberabit nos Dominus: Audi Paulum ad Rom.d.cap.8. nu.36. propter te mortificamur tota die; æstimati sumus sicut oues occisionis,& ad Tessalon.c.3.n.3. Nemo vestrum moueatur in tribulationibus istis,ipsi enim scitis, quòd in hoc positi sumus: & tu sub capite spinoso miles esse vis delicatus? tales enim delicatos vocat Ambrosius in libro de Officijs belli spectatores, dicens: isti, qui in delitijs, qui in luxuria, rapinis, quæstibus, honoribus studia posuerunt sua, sunt spectatores magis,quàm Præliatores; habent lucrum laboris,fructum virtutis non habent: hæc Ambros. Non ità Apostoli Dei,& Sancti eius,gaudentes dignos se reputari contumelias, ac mortem pati: Ideò Paul. Quis nos separauit à Charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? &c. an gladius? in his omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos, ad Rom.d. cap.8.num.37. pro iustitia inquit Eccles.cap.4. nu.33. agonizare pro anima tua, & vsque ad mortem, certa pro iustitia, & Deus expugnabit pro te inimicos tuos.

Igitur iudica inquit, Domine nocentes me: expugna impugnantes me: Iàm Iudæi omne malum, omnem iniquitatem contrà Christum experti sunt. Venerat enim Dominus Iesus in mundum, venit in vineam suam in Iudæam; Vinea enim Domini exercituum domus Israel expectauit, vt faceret iudicium; & ecce iniquitas, & iustitiam, & ecce clamor, Isai.cap.5.num.7. clamabant enim crucifigatur ante Iudicem Pilatum. Tu ergo Domine Sancte Pater iudica,& discerne inter me, & vineam meam, idest condemna nocentes me, electosq. meos, Ecclesiam scilicet meam: ab omni aduersitate custodi. Et expugna impugnantes me,& Ecclesiam meam. Tu Domine qui stas ad iudicandum; vide quoniam occiderunt me, depasti sunt vineam meam, Isai.3.nu.13. Tu qui facis iudicium omnibus iniuriam patientibus, Psalm.102.n.6. iudica, condemna

etiam

etiam nocentes me. Hæc est vox Christi, & Ecclesiæ. Iudica, discerne inquit inter me, & persecutores; quia ad iracundiam te prouocant Domine, & Spiritum sancti tui affligunt: in inimicum conuertaris eis & debella illos, Isai. 63. num. 18. Apprehende arma & scutum, & exurge in adiutorium mihi, dicit Dominus Iesus inquit Ecclesia, & iustus tribulatus.

Audiamus fratres, quas Deo Patri filius eius Iesus Christus homo factus, & conturbatus supplicationes pro sui adiutorio, & à tribulationibus liberatione offerat. Iudicium Dei prouocat, quia iudicia Dei vera sunt iustificata in semetipsa, vt suprà Psalm. 18. num. 10. & quia iudicium amat Deus, Psalm. 36. nu. 18. propterea inuocat primo iudicium eius, dicens, fac de persequentibus me iudicium, Psalm. 118. nu. 34. quia rectum est iudicium eius, d. Psalm. 108. nu. 137. Iudica ergo Domine nocentes me. Ad iudicium tuum causa oppressionis, & innocentiæ meæ deduco. Pater meus Adam in innocentia creatus, mortuus est post peccatum, quia de terra terrenus fuit: ecce ad me filium hominis debetur hæreditas: verum qui Cælestis sum, quia de Cælo descendi, quia ipse Adam sine filijs idest in innocentia genitis, mortuus est, ad me Domine hæreditas, & nomen debetur, non diabolo. Per illum mors intrauit in mundum, & per me Christum innocentem resurrectio mortuorum factus primus Adam in animam viuentem: ego nouissimus Adam in spiritum viuificantem, 1. Corinth. cap. 15. num. 45. & sequen. Nouus Adam sum ego innocens, & sine labe aliqua, segregatus à peccatoribus: Iudica Domine nocentes me, & perdere satagentes hæredes meos, Ecclesiam sanctam meam, & de hæreditate mea spoliare me iniustè nitentes: propterea iustam declares sicut Moysi petitionem meã, Num. 27. n. 4. & 5. quia, & sanguine meo illam redemi; & legem, & mandata ei dedi Domine, quæ destruere conantur inimici mei, quia cum sint mali non cogitant iudicium, Prouerb. 28. nu. 5. Oculi tui Domine super vias hominum, & omnes eorum gressus consideras: neque sunt tenebræ: nec est vmbra mortis, vt abscondantur ibi qui operantur iniquitatem, Iob 34. num. 22. & 23. omnia tibi aperta sunt, & non est qui de manu tua possit eruere: Iudica illos tu Deus, expugna illos: in iudicio enim non errabit os tuum, Prouerb. 16. num. 10. quia iudicium à te Domine singulorum egreditur, Prouerb. 29. num. 26. & cuncta quæ fiunt adduces in iudicium pro omni errato, siue bonum, siue malum illud sit, Eccles. 12. n. 14. Dignum tui iudicium experiantur Domine, Sap. d. c. 12. num. 10. & nu. 27. non parcat illis oculus tuus, quia sanctum tuum violauerunt in omnibus offensionibus, & in cunctis abominationibus suis: in medio eorum, & in oculis gentium iudicia tua facias: & omnes reliquias eorum in omnem ventum ventilato, Ezech. cap. 5. nu. 8. cum sequen. Fac conclusionem, quoniam terra eorum plena est iudicio sanguinum, & ciuitas plena iniquitate.

Expugna impugnantes me: brachia scilicet pugnantis expugnentur à facie tua, & conterantur, Daniel 11. num. 22. vt fiat in pace locus tuus, Ecclesia scilicet tua, vbi tu inhabitas; Confringe arcuum potentias, scutum, & bellum, Psalm. 75. num. 3. dignum Dei iudicium experiantur, qui ludibrijs, & increpationibus non sunt correcti, insensatè enim & iniustè viuunt, per hæc quę colunt, da illis summa tormenta, Sap. 12. num. 23. cum sequen.

Sed Domine Iesu, nihil vermiculo à te perquirere liceat: quomodò hìc à Deo Patre petis armorum apprehensionem, vt sumat, & scutum. Frameamq. effun-

effundat pro tui auxilio, & salute; & tamen Petro gladium impugnanti, & seruũ Pontificis nomine Malchum, percutienti tu dicis, conuerte gladium tuum in vaginam: an putas quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modò plusquam duodecim legiones Angelorum, Matth. 26. num. 53. quid est hoc Domine Iesu, Forsan tu tibi es contrarius? Absit à nobis hoc cogitare, sed quia omnia hæc ad nostram doctrinam reliquisti scripta, vt per consolationem, & patientiam scripturarum spem in Domino habeamus, ad Rom. cap. 15. nu. 4. Petro enim ab inimico diabolo suggerebatur liberatio Christi, ne victor morte sua iàm victum hominem redimeret; (nàm de passione sua loquebatur Christus.) Absit hoc à te Domine aiebat Petrus, non erit tibi hoc? qui conuersus dixit Petro. Vade post me Satana: scandalum es mihi, quia non sapis ea, quæ Dei sunt, sed ea quæ sunt hominum, Matth. d. c. 16. nu. 23. & Marc. d. c. 8. n. 33. sed auxilium illud oblatum erat à Petro, qui adhuc de cælesti mysterio ignorans erat: humanum erat adiutorium à dæmone illi suggestum. Augustin. Quid dicunt inuisibiles inimici? isti nihil? maximè suggeritur humano cordi ab inuisibilibus expugnantibus inimicis, quia Deus non est vobis adiutor: vt requirentes alia adiutoria inueniamur inualidi, & ab inimicis ipsis capiamur. Bonum tibi videbatur ò Petre cum Christo hìc in mundo permanere: & melius esse tibi opinabaris in monte illo transfigurationis tria Tabernacula construenda, Christo vnum, Moysi vnum, atque Eliæ vnum, Matth. 17. nu. 4. reliquum verò humanum genus, pro quo Dominus Iesus venerat, vt sic perditum remaneret, non videbas? Cogitationes mortalium timidæ, & incertæ prouidentiæ nostræ: terrena enim inhabitatio deprimit sensum multa cogitantẽ, Sap. 9. n. 14. nesciebat Petrus quid diceret, Marc. d. cap. 9. & Bernard. in lib. de Vita solitaria ad Fratres de Monte Dei ait: Nesciens quid diceret, quia visa Dei maiestate, cõmune bonum, intrà priuatum suum visus est conclusisse, & quo omnes æqualiter frui debebant, ipse solus frui curabat, hæc Bernard. Pro quo facit illud Cant. cap. 1. num. 16. quando diuina Sponsa ad peculiarem lectum vocauit sponsum Cælestem dicens: lectulus noster floridus, tigna domorum nostrarum cedrina; cui respondit Sponsus, Cant. 2. n. 1. Ego flos campi, & lilium conuallium. Illa monstrat lectulum, ille vocat ad campum, Bernard. Serm. 47. in Cantica: Voluit illa seorsum in cubiculo frui sponso, ipse verò tacitus eam reprehendit, dum se florem campi, & lilium conuallium dixit, quod non vni, sed omnibus patet; odorem afflat, pulchritudinem ostendit. Docemur ergo ex his, quòd non est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem solũ scilicet, sed aduersus principes, & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contrà spiritualia nequitiæ in cælestibus; propterea docet, vt accipiamus armaturam Dei, Paul. cap. 6. ad Ephes. num. 12. vt possimus resistere in die malo, & in omnibus perfectè stare: stemus ergo succincti lumbos nostros in veritate, & induti loricam iustitiæ, & calceati pedes in præparationem Euangelij pacis: in omnibus sumentes scutum fidei, in quo posimus tela nequissimi ignea extinguere, & galeam salutis assumere, & gladium spiritus, &c. quod est verbum Dei, per omnem orationem, & obsecrationem orantes omni tempore in spiritu.

Iudica Domine nocentes me, discerne Populum meũ à populo infideli agente iniqua: expugna impugnantes me Iudæos, atque hæreticos, Sed quibus armis impugnant te Domine inimici isti tui? linguis ipsis suis, Psalm. 30. nu. 21.

Pro-

Protege nos in Tabernaculo tuo à contradictione linguarum. Concinnant enim dolos linguæ eorum, Psalm. 49. nu. 19. semper iniustitias cogitantes, sicut nouacula acuta facientes dolum, Psalm. 51. num. 2. omnia verba præcipitationis diligunt linguæ dolosæ, ibid. num. 4. propterea destrue illas Deus, nu. 5. & euellas illas; dentes eorum arma, & sagittæ, & lingua eorum gladius acutus, Psalm. 56. num. 5. & acuerunt linguas suas sicut serpentis: venenum aspidum sub labijs eorum, Psalm. 139. num. 6. percutientes Dominum suum lingua, Ierem. 18. num. 18. per quæ peccant, per hæc, & torqueantur, Sap. 11. nu. 17.

Expugna impugnantes me. Potestas & terror est apud te: Iob 35. n. 2. & 5. quid putredo cum sit homo, & vermis poterit aduersum te; dedisti illis locum pœnitentiæ, & illi abutuntur eo, Iob 34. num. 23. ad quid tibi arma, & scutum contrà inimicos istos? Iob 22. num. 2. & 5. quæ nam impiorum hæreditas apud Deum, & hæreditas violentorum, quam ab ipso Deo suscipient? Filij eorum in gladio erunt, & qui reliqui fuerint ex eo sepelientur in interitu, Iob cap. 27. num. 13. cum sequen. & si peccauerit impius, quid nocebit Deo? Iob 35. nu. 6. ipse tamen impius subitò morietur, & in media nocte, & aufert violentum absque manu, Iob 34. num. 20.

Propterea, vt nobis armis suis succurrat Deus, instat hic Propheta, seù, & melius Iesus homo, ad Ephes. d. cap. 6. n. 11. Induite vos armaturam Dei, vt possitis stare aduersus insidias diaboli: arma vero Dei in hac mundiali militia sunt fides; qua, vt scuto coronatur; aliàs dixit Psalm. 5. in fine, hanc enim fidei loricam vocat Apostolus 1. ad Thessal. nu. 8. Nos autem qui diei filij sumus sobrij, sumus induti loricam fidei, & caritatis, & galeam spem salutis, &c. & d. cap. 6. ad Ephes. vocat, vt dixi scutum fidei, seù iustitiæ, nu. 9. Augustin. scutum ergo fidei, galeam salutis, & gladium spiritus, quod est verbum Dei armauit nos talibus armis, quibus auditis laudabilibus, & inuictis insuperabilibus, & splendidis spiritalibus sanè, atque inuisibilibus, quibus, & hostes inuisibiles expugnamus; si vides hostem tuum videantur, & arma tua; armamur earum rerum fide, quas non videmus, & sternimus hostes, quos non videmus, hìc Augustin.

Scutum ergo fides vocatur ab Apostolo; quia tela inimicorum excipit, & repellit: lorica etiam vocatur, quia interiora nostra transfigi non sinit. Quomodò autem hæc arma sint Dei, probat Augustin. per Psalm. 21. num. 4. Erue inquit, animam meam ab impijs, frameam tuam ab inimicis manus tuæ, Psalm. 16. numer. 44. quod superius dixit, animam meam erue; hoc sequenti vers. Psalm. 16. num. 14. dixit frameam tuam, idest gladium tuum; ergo frameam Dei dixit animam suam, erue inquit ab ipijs animam meam; idest ab inimicis manus tuæ erue frameam tuam: apprehende animam meam, & debella inimicos meos: quid est anima nostra sine adiutorio Dei? quid potest, nisi illam teneat, & pugnet de illa; sicut quælibet framea, si non habeat bellatorem, latet: hæc Augustin. Nec solum framea Dei dicitur anima iusti, sed & sedes Dei, Sap. 7. nu. 13. Sedes sapientiæ; & quicquid vult Deus facit de anima nostra, d. Augustin.

Apprehende arma, & scutum, & exurge in adiutorium meum contrà inimicos meos: effunde frameam tuam: idest animam iustorum corrobora, vt gladio oris tui verbi tui linguas persequentium concludas, & doctrina, &

mira-

miraculis. Messis multa est, operarij pauci; mitte Domine fideles tuos, quos elegisti, vt dictis, & factis meam, quam ipse Ecclesiæ reliqui doctrinam corroborent, & confirment, & aduersarij confundantur, & erubescant: Serpentes tollant fideles ipsi mei, & si quid mortiferum biberint, non eis noceat, dæmoniaq. eijciant, Matth.16. num.18. Repleantur fortitudine spiritus Domine, iudicio, & virtute, vt annuncient illis scelera eorum, Mich.cap.3. num.8. sint sibi ipsis, sint tenebris grauiores, & obscura nox, Sap. d.cap.17. num.20. Iustis vero protectione tua indutis, sis tu Domine armatura illorum, & protectio: Impium iustificauerunt illi scelesti; dicentes, dimitte Barabbam, & Christum crucifige: iustitiam iusti auferentes ab eo, & legem tuam abijcientes, & eloquium sancti Israel blasphemauerunt; ideò irascatur furor tuus in illos. Expugna impugnantes Iesum, & Ecclesiam eius, & iustum; & extende manus tuas super illos, percutiens eos, Isai. d.cap.5.num.23. cum sequen. Hæc omnia venerunt super illos, quando Deus Romanos misit, eosq. destruxit, Ezech. 26. num.2. Cum dedero gloriam in terra viuentium in nihilum redigam te.

Apprehende arma, & scutum, & exurge in adiutorium mihi; contrà istam Iudæorum gentem exurge Romanos de longinquo stantes adduc gentem robustam, gentem antiquam, quorum linguam ignorant isti inimici, Ierem. 5. num.24. cum sequen. quorum potestas ex ore tuo procedens, sit in ignem, & populum istum Iudaicum in ligna; vt vorent eos, & conterant Ciuitates illorum, filiosq. illorum deuorent, destruant, disperdant, & dissipent, & quoniam ignem succenderunt in furore tuo vsque in æternum ardeat Domine, Ierem. cap.17.num.4. Sit in templo abominatio desolationis, & non sit amplius populus tuus, Daniel 9.num.27. Auferatur ab illis Regnum, & detur genti facienti fructus tuos; Quibus benè consonant, quæ Dominus Iesus in Matth.23.nu.36. & per totum. Ierusalem quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti? ecce relinquetur vobis domus vestra deserta, nec relinquetur lapis super lapidem, Matth.24.num.2. Marc. 15. num. 8. non relinquent in te lapidem, Luc.19. num.44.

Et exurge in adiutorium mihi. Loquens de discipulis suis è populo ipso Iudaico. Non amplius tristes ambulant, neque fugientes me dereliquunt, dicit Iesus: nec ex incredulitate dubitant de resurrectione mea; ità vt vulnera in suscitato corpore meo tangere, & videre velint, Marc. 16.nu.14. Exprobraui enim incredulitatem eorum, Luc.24. Dicebat Thomas, nisi videro in manibus eius fixuram clauorum, &c. & num.27. cui ego, mitte manus tuas in latus meum, statimq. is ipse Dominus meus, inquit, & Deus meus. Iàm Domine sancte Pater credunt, quia tu me misisti, & cognouerunt verè, quia à te exiui, Ioan. cap.17.num.7. Ego pro eis rogo, num.9. Exurge in adiutorium illorum, qui te coram gentibus confitentur, & sunt mihi testes in Ierusalem, & in Iudæa, & vsque ad vltimum terræ, Act.cap.1.num.8. Exurge, quare obdormis Domine: Iàm cum dispositione, idest prudenti ordinatione bellum ineunt, Prouerb.24. num.6. iamq. pariter sunt omnes in eodem loco: appareant illis dispertitæ linguæ ignis, vt ignea aduersantium tela effugiant, expugnent, & in totum tollant, & confundantur inimici, Act.cap.2.num.6. Huc vsque dormierunt, proptereà legimus, & ipse Dominus Iesus dormiebat in naui, Matth.8. num.24.

Augu-

Augustin. Quando ille dicitur dormire, nos dormimus: & quando ille dicitur exurgere, nos excitamur; nàm & Dominus dormiebat in naui, & ideò fluctuabat nauis, quia dormiebat Iesus; nàm si illic vigilasset Iesus, non fluctuasset nauis. Nauis tua, cor tuum: Iesus in naui, fides in corde; si meministi fidei tuæ, non fluctuat cor tuum: si oblitus es fidem tuam, dormit Christus: obserua naufragium; veruntamen, quod restat fac, vt si dormierit excitetur. Dicas illi, Domine exurge, perimus, vt increpet ventis, & fiat tranquillitas in corde tuo. Hæc August. Tentantur iusti, turbatur Ecclesia, fides sit firma, vt cesset maris fluctuatio, & fiat tranquillitas magna in Ecclesia, & Dominus effundet frameã, & concludet aduersus eos, qui te persequuntur, aduersus inimicos animæ, & corporis visibiles, & inuisibiles; contrà quos est nobis colluctatio, vt dicit Paul. d. cap. 6. ad Ephes. Tunc lux nostra lucebit in tenebris, & tenebræ eam non comprehendent, Ioan. 1. Nàm & si aliquando tenebræ, quia dubitabant; nunc verò lux in Domino, ad Ephes. 5. num. 18. vt filij lucis ambulemus, vt audire mereamur dicentem nobis Dominum; Salus vestra sum. Dic ergo Iesu animæ meæ. Salus tua ego sum, quia in te Domine fiduciam habeo, propterea anima mea sit in salutem, Ierem. 39. nu. 18. & cap. 45. nu. 5. quia egressus iàm es in salutem populi tui: in salutem cum Christo tuo, Habac. 3. num. 13.

Regenerauit nos Dominus Iesus in spem viuam per resurrectionem suam ex mortuis, in hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatam, & immarcessibilem, conseruatam in cælis in nobis, 1. Petr. 1. nu. 4. Inueniatur fides nostra multò pretiosior auro, vt credentes inenarrabili, & glorificata lætitia reportemus finem fidei nostræ, salutem animarum: hæc Petr.

Effundat igitur frameam nostram, animam nostram à persequentibus, & inimicis nostris, vt effugato Diabolo, migremus ad lucem: abundemus in iustitia, & amore Dei. Vt effundatur framea aduersus inimicos: iustè, & piè viuamus, ad Tit. 2. nu. 12. quia nouit Dominus pios de tentatione eripere, 2. Petr. 2. nu. 9. In nullo terreamur ab aduersarijs. Quæ illis est causa perditionis, nobis erit causa salutis, & hoc à Deo: quia nobis donatum est pro Christo non solum, vt in eum credamus, sed etiam vt pro illo patiamur, idem certamen habentes, quale legimus in Paulo: hæc Paul. ad Philippens. cap. 1. nu. 28.

Dic animæ meæ. Vox enim Ecclesiæ est, salus tua ego sum, vt omnes, qui in Ecclesia sunt, intelligant, quia tu Christe ideò venisti; quia salus nostra tu es; ideò passus es vt nos saluares, Isai. 48. n. 6. Posui te in lucem gentium, vt sis in salutem vsque ad extremum terræ, Matth. 1. nu. 22. Dic animæ meæ salus tua ego sum: idest quouis modo, vel ab homine, vel ab animalibus, vel ab alio quouis veniat mihi auxilium in tribulationibus. Cognoscat, & confiteatur anima mea, quia abs te est, quia tu salus mea es, Psal. 120. nu. 1. Leuaui oculos meos in montes, vndè veniat auxilium mihi: auxilium meum à Domino. Dici etiam posset in persona Christi Prophetam loquutum. Sed quando dixit Deus animæ Christi, salus tua sum? quando apparuit Angelus Domini in somnis Ioseph, dicens, Tolle puerum tuum, & matrem eius, & fuge in Ægyptum, futurum est enim, vt Herodes quærat puerum ad perdendum eum, Matth. d. c. 2.

Confundantur, & reuereantur, qui quærunt animam meam. Videns Herodes, quia esset illusus à Magis, Matth. d. c. 2. n. 16. turbatus est cum Ierosolyma tota, ibid. nu. 3. Confundantur, & reuereantur qui quærunt animam meam.

Quòd Iesus sit salus Ecclesiæ: salus iusti patet exinde, quòd ijdem, qui prius de ipso iusto dicebant, non est salus illi in Deo eius, Psal.3.nu.2. compuncti sunt corde, & baptizati crederunt in Iesum Christum, Act. cap.2.nu.37. fiebat autem omni animæ timor, num.43. & impleti sunt omnes stupore, & extasi, Act. cap.3.nu.10. & Luc.23.nu.48. & omnis turba eorum, qui simul aderant ad spectaculum illud, percutientes pectora sua reuertebantur, quia & dixit animabus illorum: salus vestra sum: notas illis faciens vias vitæ, Psalm.15.nu.18.

Sed cum in alio legamus Psalm.141.num.5. Considerabam ad dexteram, & videbam, & non erat qui cognosceret me, perijt fuga à me, & non est qui requirat animam meam: ibi dolens, quia non erat animam tuam requirens: hìc verò dicis, confundantur, & reuereantur qui quærunt animam tuam, idem in Psalm.39. num.15. confundantur, &c. & Psalm.69. num.3. idem repetit.

Non erat in primo casu requirens animam Christi; nàm omnes illo relicto fugerunt, Matth.cap.26.num.56. quoniam tribulatio proxima est: non est qui adiuuet, Psalm.21. num.12. quia qui videbant me foras fugierunt à me; obliuioni datus sum, sicut mortuus à corde, Psalm.30. num.13. circumspexi, & non erat auxiliator, quæsiui, & non erat qui requireret me, Isai.63.nu.5. qua de re meritò doluit: secus hìc.

Confundantur, imprecans ait, & reuereantur, qui quærunt animam meam, vt illam perdant; Propterea conculcaui populos in furore meo, dicit Iesus, & inebriaui eos in indignatione mea, & detraxi in terram virtutem eorum, Isai. dicto cap.63.num.6. quia iustus perit, & non est qui recogitet in corde suo; & viri misericordiæ colliguntur, quia non est qui intelligat; à facie enim malitiæ collectus est iustus, Isai. cap.57.nu.1. & 2. Quasi absconditus vultus eius, & despectus, Isai.cap.53.nu.3. Propterea hæc dicit Dominus ad illos, qui quærunt animam tuam. Iuuenes morientur in gladio, & reliquiæ non erunt ex eis, Ierem. cap.11. num.22. & 23. sicut & qui auertuntur post tergum Domini, & qui non quæsierunt Dominum, nec inuestigauerunt eum, Sophon. cap.1. num.6. Dispergantur etiam ipsi à facie terræ, & qui oderunt nos confudisti, Psalm.43.num.4.

Confundantur, & erubescant, & qui me solum reliquerunt, nec in Ecclesiæ meæ, & iustorum fuerunt adiutorium; Non confundantur tamen qui pœnitentiam egerunt, & reuersi sunt, provt fleuit Petrus amarè, & alij Apostoli, ideò digni habiti sunt vocari Apostoli, & amici Dei, & quibus grex Christianus in custodiam daretur; quocircà Eccles. cap.39. num.24. Benedictio Dei quasi fluuius inundans, quomodò Cataclysmus aridam inebriauit, sed ira ipsius gentes, quæ non exquisierunt, hæreditabit: siquidem propter peccatores factus est Cataclysmus, Eccles. cap.40. numer. 1. Illi cum misericordia disciplinam non susceperunt, quando tentati sunt, fueruntq. cum ira iudicio impiorum cruciati. Hos quidem tamquam Pater monens probasti, illos autem tamquam durus Rex interrogans condemnasti, Sap. cap.11.num.10. Exquiramus ergo Dominum, & ipse exaudiet nos, & facies nostræ non confundentur, Psalm.33.num.6.

Confundantur, & reuereantur qui quærunt animam, qui in sua perfidia permanentes, vias Domini subuertere conantur: Cæteri verò, qui confusi, & erubescentes confitentur peccata sua; Non ij, qui esse illicò volunt magistri

docen-

docentes, sed discipuli sequentes te auertantur retrorsum, à vijs scilicet illorum pessimis, & falsis dogmatibus: sint addiscentes, & retrò incedentes, non antè præcedentes sequantur Dominum, & mandata eius exquirant; præcedere enim ex persona Petri desiderabat Satanas, quando consuluit Domino ne pateretur; non præcedas Petre Dominum tuum, vade retrò Satana in Petro loquens, & tentans. Seruus sequitur Dominum suum: propterea dicebat Iesus, Qui vult venire post me, tollat Crucem suam, & sequatur me. Tu me sequere Petre, Ioan. cap. 20. num. 22. non præcèdat, sed sequatur: non doceat magistrum; sed discat à magistro. Qui ergo volunt mihi mala, ex quo sum Via, Veritas, & Vita, & adhuc in tenebris ambulant, si retrorsum auertantur, vt lumen videntes in viam iustam Dominum sequantur: auertantur ab illa priori via, & erubescant, quia diù permanserunt in illa, & auertantur erubescentes, nàm Dominus ideò venit, vt saluaret peccatores, & de suis erubescentes delictis.

Non te existimes aliquid esse, cum nihil sis, ad Galat. cap. 6. num. 3. Obedias veritati, si vis currere benè, ad Galat. 5. num. 7. ergo, vt obedias, sequere, quæ tibi à magistro veritatis iniuncta sunt. Filij Dei sumus per fidem, quæ est in Christo Iesu, ad Galat. cap. 3. num. 26. ergo impleatur nostra obedientia: vt in promptu vlcisci valeamus omnē inobedientiam, dicit Paul. ad Corinth. 2. c. 10. num. 6. nàm si non sumus sufficientes aliquid cogitare, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est, 2. Corinth. cap. 3. num. 5. quomodò ità tu præsumis ex te, qui velis ante Deum, & non post doctrinam eius anteire? ad Hebr. 13. num. 7. Mementote propositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei, quorum intuentes exitum conuersationis imitamini fidem: Iesus Christus heri, & hodie: ipse, & in secula: doctrinis varijs, & peregrinis nolite abduci; hæc Paul. Vos igitur fratres, dicit Petr. 2. cap. 3. num. 17. præscientes custodite, ne in insipientium errore traducti excidatis à propria firmitate.

Fiant tamquam puluis ante faciem venti, & Angelus Domini coarctans eos. Non malum desiderat, qui pro omnium salute aduenerat, sed quæ mala eis sint ventura denunciat. Quid superbis pulueris sordes, qui, & si ex terra conditus sis, si tamen ex vento superbiæ tuæ te eleuari sinas, ipsàmet terra te euertet, expellet, proijciet? Et Angelus Domini te coarctabit. Quare coarctat? quia cum terra sis, & in terra ambulans, ad vitam nihilominus peruenire posses æternam, incedens per vias Domini: & tu potius elegisti vias tuas tenebras, & lubricum, superbiens, & luxurians, & alia perpetrans facinora elegisti, nec contentus super terram incedere, sed tamquam sordes te exhibes pulueris, vt proijciaris à superbiæ vento: ideòq. ità te Angelus Domini coarctauit, sicq. institit, vt vento tamquam lutum platearum deleatis. Quid ergo superbis puluis, si, & à facie terræ eiectus, in profundum inferni detruderis? Eòq. ab Angelo Domini, hoc est, à Dæmone Dei ministro, eiecto, & transmisso sunt quippè Dæmones spiritus ad vindictam impiorum à Deo destinati.

Fiant viæ illorum tenebræ, & lubricum, hoc est, fecit vias suas tenebras, & lubricum: & ideò Angelus Domini persequens eos, & propterea facti sunt abominabiles, sicut ea, quæ dilexerunt, Ose. 9. nu. 10. quia vt dicit Ierem. 23. nu. 10. erit via eorū quasi lubricum in tenebris, qui impulsi, & tentati fuerunt in ea impellentur, dicit Text. & corruent in ea, nu. 12. impellunt enim Dæmones, qui sibi pacifici videbantur, & domestici, & demergunt in cœnum, & lubricum pedes

eorum, Ierem.cap.38.num.22. Fiant viæ eorum tenebræ, & lubricum, August. Horrenda via: tenebras solum quis non horreat? lubricum solum quis non caueat? in tenebris, & lubrico qua is? vbi pedem figis? sunt ista mala, magnæ pœnæ hominum; tenebræ est ignorantia, lubricum est luxuria; & Angelus Domini persequens eos, vt non possint stare: nàm vnusquisque in tenebris, & lubrico, cum non viderit, & si pedem mouerit, labitur; & lux illi ante pedes non est, vel hoc facit fortè, vt expectet diem donec luceat, sed ibi est Angelus Domini persequens eos, Hæc Augustin.

Fiant viæ illorum tenebræ, & lubricum, quia linguis suis occiderunt Dominum, propterea os eorum lubricum operatum est ruinas illorum, Prouerb.dicto cap.26.nu.28. & dicebant, sanguis eius super nos, & super filios nostros, Matth. cap. 27.num.25.

Quid ergo, inquit Ecclesia mihi, & illi, si tua culpa in hæc damna, & ruinas incidere voluisti? ipse ego prædixi tibi,& nihilominus Iesum odio gratis habuisti, Ioan.15.num.25. Psalm.68.nu.5. Illi gratis, ò gens Iudæorum praua, & adultera,laquei tui in interitum abscondisti;& animam illius superuacuè exprobrasti, Psalm.63.nu.4. intendisti arcum tuum rem amaram; vt sagittares in occultis immaculatum; sed cui abscondisti laqueum? forsan illi, cui non erat cognitum cor vestrum? Ipsum decipere, atque fallere vultis,cui omnia nota sunt, & secreta cordium omnium? Abscondita ergo erit via tua à Domino? Deus sempiternus Dominus,qui creauit terminos terræ non deficiet, neque laborabit, nec inuestigatio sapientiæ eius: qui dat secretorum scrutatores, quasi non sint, Isai.40. nu.23. 27. & 28. ipse Deus scrutans corda, vt renes, Psalm.7. num.10. Ierem.7.nu.10. Apocalyps.2.nu.23. Narrauerunt, vt absconderent laqueos, dixerunt, quis videbit eos? subitò sagittabunt eum, nec timebunt. Firmauerunt sermonem nequam, sed defecerunt scrutantes scrutinio, d. Psalm.63. num.4. & sequen. August. hic, Cui absconderunt muscipulam? qui videbat corda abscondentium,sed tamen erat inter illos ignoranti similis,quasi falleretur cum illi deciperentur eò ipso,quo eum illi falli arbitrabantur, ideò enim ille tamquam fallebatur inter illos viuens: quia nos inter tales sic victuri eramus, vt sine dubio falleremur. Hæc August. subdens, Ille videbat traditorem suum, & elegit eum magis ad opus necessarium; illius malo bonum operatus est magnum, & tamen inter duodecim electus est, ne ipse duodenarius numerus tàm exiguus esset sine malo. Hoc ad exemplum nostræ patientiæ; quoniam necesse erat, vt inter malos viueremus; & quia necesse erat, vt malos siue scientes, siue nescientes tolleraremus; exemplum patientiæ præbuit, ne deficias cum cœperis inter malos viuere. Quoniam gratis absconderunt mihi,idest sine culpa mea,prout optimè notant, insidias in abscondito parantes, Prouerb.1.nu.11. Insidiemur sanguini, abscondamus tendiculas contrà insontem frustrà, deglutiamus eum,sicut infernus viuentem, & integrum quasi descendentem in lacum, & Sap.cap.2.nu.12. Circumueniamus iustum, quoniam inutilis est nobis, & contrarius operibus nostris, & improperat nobis peccata legis, & diffamat in nos peccata disciplinæ nostræ; promittit se scientiam Dei habere, & filium Dei se nominat, & nu.19. contumalia, & tormento interrogemus eum, morte turpissima condemnemus eum, &c. & Psalm. 93. Captabunt in animam iusti, & sanguinem innocentem condemnabunt, num. 21.

Quo-

Quoniam abſconderunt mihi interitum laquei ſui. Benè dixit laquei ſui interitum, Hieronym. Quia quem putabant Domini interitum, eorum effectus eſt laqueus. Facit Eccleſ. cap. 27. num. 28. & 29. Qui in altum mittit lapidem, ſuper caput eius cadet; & qui ſtatuit lapidem proximo, offendet in illo: & qui laqueum ponit alijs, peribit in illo; inciderunt enim in foueam, quam fecerunt, laqueum parauerunt pedibus meis, & inciderunt in eum, Pſalm. 56. num. 7. Qui fodit foueam, incidit in eam, Prouerb. 26. num. 27. & qui voluit lapidem reuertetur ad eum, Eccleſ. cap. 10. num. 8. & 9. Iſai. cap. 8. num. 14. in laqueum, & in ruinam habitantibus Ieruſalem, & offendent ex eis plurimi, & cadent, & conterentur, & irretientur, & capientur. Formido, & fouea, & laqueus fuit ſuper te, Iſai. 24. num. 17. quia à Romanis deſtructi eſtis. Vindicta enim carnis impij, ignis, & vermis, Eccleſ. cap. 7. num. 19. hæc ad impiorum vindictam creata ſunt, Eccleſ. cap. 39. n. 25. Impijs, & peccatoribus Dominus reddet vindictam, cuſtodiens eam in die vindictæ, Eccleſ. 12. num. 4. Laqueum parauerunt, & ab ipſo ijdem iniqui capti ſunt, Prouerb. cap. 5. nu. 12. Iniquitates ſuæ capiunt impium, & funibus peccatorum ſuorum conſtringitur, & in multitudine ſtultitiæ ſuæ decipietur. Auguſtin. Nemo malus, qui ſibi prius non noceat; Sic enim eſſe putate malitiam quomodò ignem, incendere vis aliquod aliud, illud quod admoues, prius ardet, vt aliquid poſſit incendere. Malitia enim procedit ex te, & quem prius vaſtat niſi te? Facula eſt, hanc faculam apponis, prius ardet, vt aliquid poſſit incendere. Quod malitia tua alteri non noceat fieri poteſt, vt autem tibi non noceat fieri non poteſt. Forinſecus oppugnas, interiorem hominem innocentem non expugnas ſi intus malitia careat, & cor mundum ſubdas illi voci, dicenti, ſalus tua, ego ſum: Malitia tua ab interiore tuo procedit, te prius inanem reddit. Tu putris es in malitia tua, vndè iſte vermis proceſſit, intus nihil integrum dereliquit.

Superflua tollis ab innocente; Sicut nouacula acuta, Pſalm. 51. num. 2. Feciſti dolum. Nouacula capilli, ideſt res ſuperfluæ deciduntur. Propterea te deſtruet Deus in finem, & tollet te, & emigrabit te de terra viuentium, ibidem numer. 7. Pſalm. 51. Innocenti verò nihil nocere potuiſti, quia ſuperflua tantum abſtuliſti.

Superuacuè exprobrauerunt animam meam. Dicebant enim, Videamus, ſi ſermones illius veri ſunt: ò ſtultorum malignitas, & falſa perquiſitio, morte turpiſſima condemnare innocentem vultis, vt ſi ſermones illius veri ſint experiamini? ò iniuſtitia maligna: ò ſceleratorum audax contumelia: iniquitas nunquam talis audita. Superuacuè animam illius exprobratis, qui vos de terra viuentium, quamuis vos creauerit, tollere, exterminare, atque in totum delere poteſt exprobratio veſtra inutilis certè quoad illum. Fœlix quidem culpa, quatenus propter eam redempti ſumus à Domino, qui omnia poteſt: ſed veſtra fuit exterminatio perpetua. Anima quidem Ieſu Chriſti exultat in Domino, & delectatur ſuper ſalutari ſuo, cum Deo Patre, qui illam ſaluauit; at anima veſtra cruciatur in inferno: ille reſurrexit, vos mortui permanetis: ille in Cælo, vos in inferni profundo: ille exultans, & alios in ſe credentes ad ſe trahens, vos in maligno poſitos in inferno detrudit; quia illi fortes in bello, vos verò laſſati in via iniquitatis, & perditionis ambulaſtis, propterea ſequitur Pſalm.

Omnia oſſa mea dicent: omnes Apoſtoli, & fideles mei dicent Domine, quis

quis similis tibi? qui esurientes bonis imples, & diuites dimittis inanes: qui infirma huius mundi eligis, vt fortia quæquæ confundas. Quis similis illi? Sapientia huius mundi, stultitia est apud Deum. Vbi sapiens? vbi scribæ? vbi conquisitor huius sæculi; Per stultitiam prædicationis placuit Deo stultos facere credentes, 1.Corinth.cap.1.num.21. vndè Iacob. in sua Epistola Catholica, omne gaudium existimate fratres, cum in varias tentationes incideritis: idest in varias afflictiones, tribulationes, calamitatesq. pro fide, ac pietate, quæ inferri possunt à perfidis: tentationes enim vocantur, Deuter.29.num.3. Tentationes magnas inquit, quas viderunt oculi tui, portentaq. ingentia. Cæcitas etiam oculorum tentatio dicitur, vt Tob.cap.2.num.12. Calida enim stercora hirundinum in oculis Tobiæ ceciderunt, & factus est cæcus non videns tentationem vocat illam, & Luc.22.num.27. Vos qui mecum permansistis in tentationibus. Erant enim calamitates, labores, vigiliæ, &c. Tentantur ergo omnes iusti, sed oremus ne in tentationem inducantur; Vndè cum dicimus, & ne nos inducas in tentationem: admonemur, hoc petere; ne Dei adiutorij expertes alicui tentationi, vel consentiamus decepti, vel cedamus afflicti. Augustin. Epist.121. & in lib.2. de Sermone Domini cap.14. Quis similis tibi? Humiliat, vt lætemur, Psalm.89.num.15. Lætati sumus pro diebus, quibus nos humiliasti, annis quibus vidimus mala. hinc Greg. Nyssen. ad ea quæ Christus dixit, Matth. dicto cap.5. Beati, qui persecutionem patiuntur, &c. ait. Fructuum qui sperantur flos afflictio est; iàm verò anima sancta visis floribus, qui æternitatis fructum immarcessibilem promittunt, gaudio perfusa annunciat. Flores apparuerunt in terra; tempus putationis aduenit, Cantic. dicto cap.2. dum enim Martyrum capita amputantur, & membra scinduntur, flores ipsorum Martyrum apparent, ideò exultans canit Ecclesia. Saluete flores Martyrum, &c. ceù turbo nascentes rosas, vt in Hymno Innocent. Tribulationem idcircò dicit Dauid, & dolorem inueni, Psalm.114.num.4. & nomen Domini inuocaui. Quasi bonus athleta quæsiuit certamina, vt coronam inueniret: quam tamen non suis viribus, sed Domini auxilio nouit sibi esse donatam. Ambros. in obitu Theodosij. Alia est in sæculo lætitia, quæ est impunitas nequitiæ; nàm, etsi sint omnia in pace carnis, in securitate malæ mentis, & videre sæculi gaudium: non tamen cogitat Deus sicut homo. Augustin. de Verb. Domini Serm. 37. propè finem. Magnæ misericordiæ est, nequitiæ impunitatem non relinquere; & ne cogatur in extremo gehennæ damnare, modo flagello dignatur castigare. Vis nosse nulla pœna, quanta sit pœna. Chrysostom. in Homil. in Epist. ad Ephes. Mihi, ait, nihil facere, hoc ipsum malum facere; Psalmum interroga 10.nu.13. Irritauit Dominum peccator. quare? quid vidisti? qui autem hoc exclamauit, vidit peccatorem impunè luxuriantem, malè facientem, bonis abundantem, & exclamauit, irritauit Dominum peccator. Quare hoc dixisti? quid enim vidisti? Præ magnitudine iræ suæ non requirit. Quando castigat mundum, non vult damnare mundum. Præ multitudine iræ suæ non requirit; Ideò non exquirit, quia multum irascitur. Parcendo sæuit; est enim seueritas, quasi seuera veritas, si ergo aliquando sæuit parcendo, bonum est nobis, vt subueniat castigando; & tamen si facta generis humani consideremus, & quid patiatur, intelligimus verum quod alibi dicitur non secundum peccata nostra facit nobis, Psalm. 102. Filij eius sumus, quia mortuus est pro nobis vnicus, ne remaneret

vnus.

vnus. Noluit esse, qui mortuus est, vnus: Emit fratres sanguine suo, probauit reprobatos, redemit venditos, honorauit iniuriatos, viuificauit occisos? dubitas, quòd dabit tibi bona sua, qui non dedignatus est suscipere mala tua. hæc Augustin. gaudeamus ergo fratres.

Veniat illi laqueus, quem ignorat, & captio, quam abscondit apprehendat eum. Quid est; Veniat illi laqueus quem ignorat? Quis est ille, cui laqueum imprecatur, seù prophetizat? & quomodò illum ignorat? Loquutus est Propheta de passione Domini in Ierusalem consummanda, accipiens Ierusalem pro habitatoribus illius, sicut etiam videmus, Luc. 3. num. 34. Ierusalem quoties volui congregare te, sicut gallina congregat pullos suos sub alas, idest habitatores Iudæos: & ecce ascendimus Ierosolymam, Luc. 18. num. 31. & filius hominis tradetur, & illudetur, & flagellabitur, & crucifigetur, & postquam flagellauerint occident eum, & tertia die resurget; & ipsi nihil eorum intellexerunt, erat verbum istud absconditum ab eis; Illa ergo est Ierusalem, idest habitantes in illa, cui abscondita erat desolatio, Luc. 19. num. 42. Videns Ciuitatem, fleuit super eam dicens. Quia si cognouisses, & tu, & quidem in hac die, quæ ad pacem tibi, nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis; quia venient dies in te, & circumdabunt te inimici vallo, & circumdabunt te, & coangustabunt te vndiquè, & ad terram prosternent te, & filios tuos qui in te sunt, & non relinquent in te lapidem super lapidem, eo quod non cognouens tempus visitationis tuæ. Curabant, vt Iesum tollerent, & occiderent, & ecce quia ob velocem eorum cursum, velocesq. pedes ad effundendum sanguinem: ipsorum facta est desolatio, & destructio, Psalm. 13. num. 3.

Contritio, & infelicitas in vijs eorum, quia ignorabant ipsorum destructionem, & ecce venit super illos indignatio: destructi sunt, & dispersi. Et captio quā abscondit cecidit in ipsum. Ioseph de bello Iudaic. lib. 7. c. 17. & 18. Non dabunt cogitationes suas, vt reuertantur ad Deum suum: quia spiritus fornicationum in medio eorum, & Dominum non cognouerunt, Osea 5. num. 4. Respondebit arrogantia Israel in facie eius, & Israel, & Ephraim ruent in iniquitate sua, ibid. Osea num. 5. Respondebit, idest dabit pœnas, quæ meritò respondeant culpæ, vt ibi. Noli ergo lætari, noli exultare, quia fornicatus es à Deo tuo. Osea 9. num. 1. Sacrificium tuum quasi panis lugentium, omnes qui comedunt illum contaminabuntur, quia panis eorum anima eorum nō intrabit in domum Domini: venerunt dies retributionis, num. 5.

Deus ostendit mihi super inimicos meos, & disperget eos in virtute sua. Psalm. 58. num. 12. & 13. delictum oris eorum sermonem labiorum ipsorum, & comprehenduntur in superbia sua. Et captio quam ignorat, &c. Bernard. de Consideratione. Effusus siquidem animus damna interiora non sentit, quia nec intus est, in ventre forsitan, aut sub ventre; denique, & animus quorundam in Patinis, quorundam in loculis inuenitur. Vbi est Thesaurus tuus, ibi est, & cor tuum. Quid vero mirum, si propriam minime senserit animæ læsionem, quæ sui ipsius oblita, & penitus absens sibi in longinquam profecta est regionem. Hæc Bernard. Iob 18. num. 7. Præcipitabit eum consilium suum: immisit enim in rete pedes suos, & in maculis eius ambulat, abscondita est in terra pedica eius, & decipula eius super semitam, num. 10.

Et captio quam abscondit apprehendat eum, & in laqueum cadant in ipsum;

Expedit vobis, dicebat ille, qui illius anni Pontifex erat, vt vnus moriatur pro populo,& non tota gens pereat, Ioan. 11. num. 50. Vos nescitis quidquam, nec cogitatis,&c. quæ à semetipso non dixit; sed cum esset Pontifex prophetauit; Ab illo ergo die cogitauerunt, vt interficerent Iesum. Ille verum dixit, quia pro gente Iesus erat moriturus,& filios Dei dispersos congregaturus: eius vero sensus prauus, vt tolleret Iesum, & interficeret, nè à Romanis ipse tolleretur cum plebe sua, & Ciuitatem Ierusalem. Abscondisti captionem, vt Iesum interficeres; versa est Cithara tua in luctum, quia laqueus, quem illi parasti, cecidit in te ipsum, & gentem tuam, & Ciuitatem perdidisti per mortem, quam Christo procurasti. Ipsi data est potestas in Cælo, & in terra: tibi vero ablatum est sacerdotium,& genti tuæ in sempiternum: ipse per mortem suam dispersos fideles sibi congregauit: tu per mortem, quam ei procurasti, congregatos tuos, & gentem tuam disperdidisti, dissipasti; & quod reliquum ex illis remansit, in seruitutem Romanorum conclusisti: ille Ciuitatem sanctam Ecclesiam suam, ampliando, magnificando, in populo graui laudes suas, & sacrificia sancta, & magnum sacerdotium constituit; tu vero ex delicto tuo, & ex dolo, & malitia tua causam dedisti, vt Ciuitas sancta Ierusalem destrueretur, & à fundamentis vastaretur, & sacrificium, & sacerdotium à gente tua tolleretur: instītisti; linguam tua occidisti, felix culpa tua, pro gente redempta; sed pœna tibi genti tuæ condigna delicto tuo, quod impiè patrasti, laqueo tuo suspensus, quem illi præparasti, permansisti in ipsam iniquitatem, quam ei abscondisti, incidisti; Dominus iniquitatem vestram vicit, vos verò in iniquitate vestra, ò Iudæi victi in æternum permanetis, Augustin. Ille surrexit pro nobis, vos verò in vobismetipsis mortui estis.

Ego verò exultabo in Domino, dicit Ecclesia, idest fideles Dei. Anima mea non in cubilibus, & impudicitijs, non in contentione, & æmulatione, ad Rom. 12. num. 14. sed Dominum Iesum Christum induet, in quo delectabitur; quia ipse est summum bonum,& salutare meum, Habac. 3. num. 18. Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Iesu meo. Non putaui aurum robur meum, nec obrizo dixi, fiducia mea, neque in multis diuitijs lætatus sum meis, Iob 31. num. 24. sed exultauit anima mea in Domino, & delectabitur super salutari suo, idest super Iesu, qui morte sua saluauit illam, & Isai. 25. num. 9. Ecce Deus noster iste, & expectabimus eum, & saluabit nos. Iste Dominus, sustinuimus eum, exultabimus, & lætabimur in salutari eius. Ideò gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo: quia induit me vestimentis salutis, & indumento iustitiæ circumdedit me, Isai. 61. nu. 9. & 10. Vnde legimus de Beato Thoma Aquinate; quando illum orantem ante Crucifixum, Dominus locutus est, dicens. Benè scripsisti de me Thoma, quam petis mercedem? & ei respondit Sanctus, nullam quæro aliam, nisi teipsum Domine; in ipso enim omne bonum est, & salus nostra, Psalm. 72. num. 26. Deus cordis mei,& pars mea Deus in æternum; quia ecce qui elongant se à te peribunt: mihi autem adhærere Deo bonum, ponere in Domino spem meam.

Ego autem exultabo in Domino: Quid? Nunquid tu sola exultas in Domino? Ergo? Nunquid, non alij Dominum adorantes? Ego inquit Ecclesia sancta, Ego ego exultabo in Domino; Cæteri vero extrà sunt, non intrant per portam, fures sunt, & latrones, Ioan. 10. nu. 1. Infideles alij, socij furum; Isaiæ

num.23. quorum cor est incredulum, Ierem.5.num.23. Impij inuenti sunt insidiantes, quasi aucupes laqueos ponentes, & pedicas ad capiendos viros, Ierem. d.cap.5.num.26. illorum spes est in terrenis, & corruptilibus huius sæculi; Anima mea verò delectabitur in Domino, & exultabit, & delectabitur in Christo salutari meo, per quem Deus Pater fecit & sæcula, & cuius sanguine redemptos filios vocauit ad se; Delectabitur anima mea in Deo salutari meo, opera eius magnificando, & laudem eius annunciando; benedicendoq. eum, quia propitiatur omnibus iniquitatibus meis; qui sanat omnes iniquitates meas, qui redemit de interitu vitam meam; & ideò omnia ossa mea dicent, quis similis tibi, qui coronas in misericordia, & miserationibus? Psalm.102.num.1. & sequen. Domine Deus virtutum quis similis tibi? Psalm.88.num.9. & num.12. Tui sunt Cæli, tua est terra, tuum brachium cum potentia.

Ego autem exultabo in Domino; & delectabor super salutari meo. Quomodò exultas in Domino, si tribularis patiendo? & quomodò delectaris super salutari, si ipsum saluatorem mortem passum, & flagellatum legimus, atque credimus? Nunquid exultatio est in tribulatione? nunquid passio Domini est delectatio vestra? si sum in sæculo, quomodò gaudere possum in Domino? nemo duobus Dominis seruire potest, Matth.num.24. ergo ibi gaudeo vbi sum, & sic in sæculo. Augustin. de verbis Domini Sermone 37. in principio littera A. Quid enim quia in sæculo, in Domino non es? nàm in Deo viuimus, mouemur, & sumus, Act.27.num.18. qui enim vbique est, vbi non est? nonne ad hoc vos exhortamur? ad Philipp.4. num.5. Dominus in proximo est, nihil soliciti sitis. Magnum est hoc quòd ascendit super Cælos omnes, & proximus est ei, qui versatur in terris; Quis est longinquus, & proximus, nisi qui nobis misericordia factus est proximus, hæc Augustin. Perfectum gaudium fratres, inquit Apostolus Iacobus existimate, cum in varias tentationes incidimus. Audi Dauidem, Psalm.76.num.4. Memor fui Dei, & delectatus sum, Bernard. de verbis Apostoli: non est regnum Dei, &c. Quid inquit, faciet in præsentia, qui in sola memoria delectatur? Sæculi lætitia est impunita nequitia, luxurientur homines turpitudine fædentur, nihil patiantur mali, & videte sæculi gaudium, longè aliter est omne gaudium. Augustin. Serm. 37. de verb. Domini, & in Serm. 4. de verb. Apostoli. Narrauerunt mihi iniqui fabulationes, ipse legit, narrauerunt mihi iniqui delectationes. Felix inquit, anima, quæ huiusmodi delectationibus delectatur: in tua suauitate. Doce me Domine, vt suauis sit veritas, dulcis contaminetur iniquitas. propterea Psalmista, animam amore Dei afflictam exultare in Deo Domino dixit, non enim est illa vera afflictio, sed insipientibus talis videtur. Vitam enim illorum insaniam reputabant; visi sunt oculis insipientium mori; & æstimata est afflictio exitus illorum, &c. Sapien. 3. num.3. & cap.5. Illi autem sunt in pace, &c. hinc Paul. 2. Corinth. 6. num.4. Exhibeamus nosmetipsos, sicut Dei ministros in multa patiẽtia, &c. & n.9. Quasi morientes, & ecce viuimus, vt castigati, & non mortificati, quasi tristes, semper autem gaudentes, vbi D. Anselmus ità ait. Notandum est, quia in his, quæ sunt aduersa dictum est, quasi, vt sicut tamquam, quasi tristes, vt seductores, &c. in his verò, quæ sunt prospera; non sic est dictum; ait enim quasi tristes, semper autem gaudentes, tristitia nostra habet quasi, gaudium autem nostrum non habet quasi, quando spes, qua gaudemus certa est, tristitia autem nostra habet

quasi,

quasi, quia in somnijs transit; qui somnum indicat addit quasi, quasi sedebam, quasi loquebar, &c. nostrum, quasi tristitia est, gaudium non est quasi, & etiam videmus, ad Hebr. cap. 12. nu. 11. Omnis autem disciplina in præsenti quidem videtur non esse gaudij, sed mœroris, posteà autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet iustitiæ, hinc Theophylactus ait, pulchrè videtur non esse, non enim verè est mœroris, quomodò enim fuerit mœroris, cum sit lætitiæ Mater? mala ergo, quæ vndiquè comitantur bona, cur non lætus excipiet, qui in eis gloriatur, etiam veluti beatus? Ambros. in Serm. 45. Admonet propterea discipulos Dominus, Matth. 20. vt si persequuntur in vna Ciuitate, in aliam fugiant; non vt in aliam fugientes persecutiones euitent, sed vt posteaquam in prima fuerint persecutionem passi, in alia etiam persecutiones patiantur, ità Tertullian. lib. de fug. persecutionis; Dauid Patrem suum, & familiam suam in Regno Moab securos duxerat, 1. Reg. 22. & tamen ad vocem Gad Prophetæ non mansit in præsidio, sed profectus in terram Iuda, vbi à Saule persecutionem patiebatur: quid hoc est? nisi quòd persecutionem sustinendo fidelis Dei seruus efficiatur, nisi quia ei triumphus tamquam victor illi præparabatur; Dei ergo iudicio subsunt iusti, quia persecutionem patiuntur, Sap. cap. 16. num. 18.

Vas electionis vocatur Paulus à Domino; sed quam illi promittit mercedem, quem honorem, & dignitatem? oportet, inquit, multa pati pro nomine meo, Act. cap. 3. num. 16. Ego ostendam illi quanta oporteat eum pro nomine meo pati: O beati, qui propter Deum persecutiones patiuntur, Matth. 5. num. 10. Quis separabit nos à Charitate Christi? Paul. ad Rom. d. cap. 8. num. 36. cum sequen. Accedentes ergo ad seruitutem Dei præparemus animas nostras ad tentationem; & ne festinemus in tempore abductionis, & in dolore sustineamus, & in humilitate nostra patientiam habeamus, Eccles. 2. nu. 1. cum sequen. quoniam in igne probatur aurum, & argentum, nu. 5. & c. 33. nu. 1. Timenti Deum non occurrent mala, sed in tentatione illum Deus conseruabit, & liberabit à malis, Gregor. in homil. 35. in Euangelio super verbis Luc. 21. Capillus de capite vestro non peribit, inquit. Caro incisa dolet, capillus incisus non dolet, cur timetis, ne pereat quod incisum dolet, quando, & illud in vobis perire non potest, quod incisum non dolet? hæc Gregor.

Ex his responsum colligitur ad ea, quæ supra obiecimus: quando dicebamus, quòd si exultamus, quomodò tribulamur, affligimur, nàm, vt dicit Paul. 2. Timoth. 3. num. 12. omnes qui volunt in Christo viuere persecutiones patientur; quomodò ergo exultamus? quomodò iugum Domini suaue, & leue, Matth. 11. num. 28. Paul. 2. Corinth. cap. 6. nu. 4. In omnibus commendantes nosmetipsos in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustijs, in plagis, &c. & cap. 11. nu. 24. & 25. A Iudæis quinquies quadragenas vna minus accepi: Ter virgis, &c. da igitur amantem, & scit quod loquor, Augustin. de verbis Domini Serm. 9. in 2. Serm. prope finem cap. 3. omnia enim sæua, & immania, prorsus, & propè nulla, efficit amor. Quàm facile toleratur quælibet aduersitas temporalis, vt æterna pœna vitetur, æterna quies comparetur? non immeritò Paul. dixit, Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis, ad Rom. 8. num. 18. ecce vndè istud iugum suaue est, & onus leue. Et si angusta est paucis eligentibus; facilis tamen omnibus diligentibus, vndè Psalm. 16. n. 4. Propter verba labiorum

tuorum

tuorum custodiui vias duras; sed quæ dura sunt laborantibus eisdem ipsis mitescunt amantibus propter quod ità à diuinæ pietatis dispensatione actum est, vt interior homo, qui renouatur de die in diem non adhuc sub lege positus, sed iàm sub gratia exoneratus sarcinis innumerabilium obseruationum, quod erat re vera graue iugum, sed duræ ceruici conuenienter impositum, facilitate simplicis fidei, & bonæ spei, & sanctæ charitatis; quicquid molestiarum exteriori homini forinsecus intulisset ille Princeps, qui missus est foras, interiori gaudio leue fieret. Hæc Augustin. Nihil enim tàm facilè bonæ voluntati est, quàm ipsa sibi, & hæc sufficit Deo. Augustin. ideò Psalm. 29. num. 12. conuertisti luctum meum in gaudium mihi, conscidisti saccum meum, & accinxisti me iucunditate, & psallam tibi gloria mea, & non compungar.

Anima mea exultabit in Domino, & delectabitur in salutari suo. Hunc versiculum declarat ipsemet Dauid, Psalm. 83. num. 3. inquiens, Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum. Quid enim est exultare in Domino, & delectari in salutari suo, nisi confitendo Christum eius mandata exequendo illi inseruire? atquè idcircò benè operari? sed si mundum diligis, quomodò benè in Christo operaris? 1. Ioan. 2. n. 15. Qui diligit sæculum, non est perfecta charitas Dei in illo, ac per hoc tunc Christianus perfectè incipit futuram, & æternam diligere, cum vitam præsentem cœperit non amare; ideò cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum, idest anima mea credit exultans, & delectatur benefaciens, & operans: hoc autem cum sæculi amore, cum luxurijs, & superbia, & diuitiarum affectu non compatiuntur simul, quia nemo potest duobus Dominis seruire, vt dixi suprà; qui enim mundi sunt, citò cum amore illius moriuntur, Augustin. homil. 33. Quare non dixit in Deum tantùm, sed addidit in Deum viuum, nisi vt ostenderet, quia datum quod non pertineat ad Dei cultum; deberemus habere quasi mortuum. Sed nunquid non sufficeret dicere, cor meum exultauit in Deum? quia inquit, vt homo, & carne, & corde Deo seruiat. Cor enim exultat in Deum, quando honesta, & sancta cogitat, quando religiosa opera, & Deo placita concupiscit. Caro autem exultat quando pudica est, quando sobria, quando nulla impuritate polluitur, quando nullis immundis artibus sordidatur; Nunquid maledicus exultat in Deum viuum? siue ebriosus, fornicator, vel impudicus? nunquid caro illius exultat in Deum viuum? qui viuit in vitio, eius caro non exultat in Deo: non sine ergo causâ dicebat cor meum, & caro mea. Anima mea exultat, & delectatur in Domino, quia, & corde retinebat plenam religionis fidem, & carne seruabat deuotam corporis sanctitatem. Quia ergo Iugum Domini suaue est, tolle illud, & dic Rectori Iesu, gressus meos dirige secundum verbum tuum, Matth. 11. nu. 30. propterea sequitur Psalmista dicens.

Omnia ossa mea dicent, Domine, quis similis tibi? Corpus scilicet, & anima mea in te fortificata, & in fide, & in operibus, ex quibus omnia tolluntur velamina carnis, & impedimenta diabolica, & mortalia; vt tuam contemplari possim celsitudinem, tuam maiestatem, cælum, & terram, Solem, & Lunam, & omnia, quæ in Cælo, & in terra fecisti, & subtus terram, demùm posteriora tua, humanitatem nostram, de qua vestiri voluisti carnem nostram sumendo, vt vilem hominem peccatorem redimeres morte tua, atque in Cælo collocares. Domine quis similis tibi? Qualis enim Dominus, qui seruos suos facit

fratres

fratres suos, immo facit membra sua? Augustin. de verb. Apostoli Serm. 18. cap. 1. in fine. Qui eripiat inopem de manu fortiorum eius, & egenum, & pauperem à diripientibus eum. Peccator, cum propter te Deus factus est homo, & te non vis agnoscere, cum sis homo? ecce Deus factus est homo sine peccato; & te non vis agnoscere cum peccato? vt venias ad illum, qui ait, Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos, Matth. d.cap. 11. num. 19. Agnosce pretium redemptoris, vt non sis sub iugo iniquitatis; non regnet peccatum in corpore tuo mortali ad obediendum desiderijs eius, ad Rom. 6. nu. 12. Beda. Et quatenus sint desideria, quia caro concupiscit aduersus spiritum, non obedias eis, ne iniquitas dominetur, num. 13. nec exhibeatis, inquit, membra vestra arma iniquitatis peccato. Augustin. de verb. Apostoli Serm. 12. cap 5. Languor carnis tuæ languor est, si vis te Tyranni esse victorem, Christum inuoca Imperatorem. Turris fortissima est nomen Domini, ad ipsum currit iustus, & exultabitur, Prouerb. 18. num. 10. & facit quod dicit Sap. cap. 8. num. 21. Vt sciui, quoniam non possum esse continens, nisi Deus det.

Viui Dei templum sumus fratres, 2. Corinth. 6. num. 46. Inhabitabo, inquit, in illis, & inambulabo inter eos: deambulat enim in nobis præsentia Maiestatis, si latitudinem inuenerit charitatis. Dilatemur ergo, vt inhabitet in nobis Deus; sed vt dilatemur, operetur in nobis Deus, dicit Augustin. de verb. Apostoli Serm. 3. c. 1. Si enim Latitudinem charitas facit, quæ non nouit angustias videre; quia Deus sibi in nobis latitudinem facit. charitas enim diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis, ad Rom. 15. nu. 5. Propter hanc latitudinem deambulat in nobis Deus. Hæc Augustin. Nos ergo dilatemus cor nostrum, vt virtus Domini maneat in illo, vt via Deo sit sine impedimento, vt charitas Dei diffusa in cordibus nostris remaneat, 2. Corinth. d.cap. 6. num. 15. & 19. ad Rom. d. cap. 5. num. 5. Intus existens Dominus prohibet extraneum; si tu desideras retinere illum: teneat Deus cor tuum, quod principale est in corpore tuo, mentem tuam, animam tuam profectò per meliorem possidet & inferiorem quod est corpus tuum. Augustin. de verb. Apostoli Serm. 18. cap. 6. Totum possidet, inquit, qui principale tenet, quia diffusa est charitas Dei in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Sæuiat igitur inimicus, minetur mortem, faciat si permittitur, excludat de carne animam tuam, anima tua non excludat à se vitam suam. Sed si inimicus carnem percusserit tuam, tu fugis, tu exis, tu migras; iacet terra in terra. Vbi erit quod animauit terram, quod flatu Dei tibi datum est, vbi erit? si non efflauit vitam suam; idest Deum suum, in illo erit, quem non perdidit, in illo erit, quem à se non exclusit. Si autem obtemperas infirmitati animæ tuæ, dicenti tibi, ferit & dimitto te, non times Deum dicentem tibi, peccas, & dimitto te? hæc Augustin. ibid. & cap. 7. Quid differre cupis, quod auferre non potes? quicquid enim egeris, quantumcunque inuigilaueris, quocumque fugeris, quælibet munimenta quæsieris, quibuslibet diuitijs te redemeris, quibuslibet caliditatibus hostem fefelleris: non fallis febrem. Nihil enim aliud agis, nisi, vt non citò ab hoste moriaris, nisi vt serius aliquando à febre moriaris. Quare non agunt non mori? quando quid agunt non efficiunt, vt non moriantur, si times mortem, ama vitam. Vita tua Deus est. Vita tua Christus est;

Vita

Vita tua Spiritus sanctus est. Munda Templum tuum; quia ruinosum non inhabitat, non sordidum ingreditur. Corpora nostra Christi sunt membra, 2.Corinth.6.num.13. Gemitu tuo illud laua; Clama ad Deum, clama interius, clama vbi audit, quia, & ibi peccas, vbi videt,

Causas verò malorum, quæ Iudæis prænunciata sunt; Dauid in hac sui Psalmi 34. parte enumerat, dicens: Surgentes testes iniqui, quæ ignorabam interrogabant me: Malignitatem, & ignorantiam Iudicum considera, testium petulantiam vide, & eorum falsam depositionem. Testes spontè deponentes, & se vltrò offerentes admittunt. Surgentes inquit; sed quando vocati, & citati fuistis, ò iniqui? An ignoratis, quia testes se spontè exhibentes reijciuntur tamquam suspecti, & inimici? ò Iudicum ignauiam, & turpitudinem. Testes reum prætensum interrogantes admittitis: testium, & Iudicum vices tenere permittitis; quæ ignorabam, interrogabant me: vos testium munere sponte fungimini; vos interrogatis, vos Diaboli vices fungentes deniquè, & condemnastis; immò Diabolo peiores; nàm is vxori Pilati per visum apparens mala minabatur, vt coniugem Pilatum Iudicem à condemnatione Christi reuocaret, Matth.cap.27. num.19. nihil tibi, & iusto illi, dicebat, multa enim passa sum hac nocte per visum propter eum. Sed quos testes contrà Iesum adduxistis nisi vosmetipsos; testes falsi fuistis, accusatores, & Iudices: testes fuistis, qui falsum testimonium perhibuistis, quia quærentes mortem illi tradere falsum testimonium multorum accedere procurastis, Matth.26.nu.59. tandem duos inuenistis alios falsos affirmantes Iesum dixisse se posse destruere Templum, & in triduo reædificare illud, num.61. Respondistis, Quid egemus testibus? ac si dixeritis, testes sumus nos, scindentes vestimenta vestra, & in illius faciem expuentes, sententiam proclamastis reus est mortis, num.65. & 66. testes fuistis, accusatores denique, & occisores, Matth.d.c.27.nu.12. Et cum accusaretur à Principibus Sacerdotum, & Senioribus nihil respondit, induebatur cilicio Iesus, hoc est patiens fuit, nec responsum dedit; malam, & falsam accusationem sustinens. Et surgens omnis multitudo eorum dixerunt ad Pilatum, testimonium falsum perhibentes; inuenisse illum subuertentem gentem, & prohibentem Tributum dare Cæsari, dicentemq. se Christum Regem esse: & insuper isti optimi testes falsò accusantes addiderunt; Commouet omnem populum, Luc.23.nu.1. & sequen. dilatauerunt os suum, munus eorum Regi vltori Diabolo, & Romano Imperatori, Ose.10.nu.6. Confusio Ephraim capiet, & confundetur Israel in voluntate sua.

Qui ignorabam interrogabant me. Qui venerat, vt saluaret, quomodò commouet gentem, vt perdat? quomodò seductor, qui erat liberator? Matth.c.15. nu.24. quomodò prohibuit dare censum Cæsari, si, & illum pro se, & Petro iussit exhibere, Matth.17.nu.26. Ignorabam, quia nec talia vnquam ego cogitabam, malitia tamen eorum nota erat illi, qui corda omnium scrutatur, & non ignorat. Ideò ignorabat, quia talia non erant. Retribuebant mala pro bonis; Quot enim miracula, quot quæ Dei viui solius signa sunt, ipse fecit? quot mortuos ad vitam reuocauit? Retribuebant mala pro bonis, quia illi non ex sua virtute, sed in Beelzebub ea ipsum facere dicebant. Retribuebant sterilitatem animæ quotiescunque non ex sua potestate, sed aliena, ea facere falsò iactabant, & asserebant. O canes latrantes, ò infœlices calumniatores, & adulteros, & raptores. Agnum immaculatum de peccato interrogatis? qui segregatus à peccatoribus excelsior

Cælis factus: purgationem peccatorum faciens, ad Hebr. 1. per totum, Isai. 55. num. 5. & cap. 41. num. 5. & sequen. & cap. 7. num. 26. Sanctus, innocens, impollutus. Percussistis eum lingua, & sermonibus eius non attendistis; Dixistis, interrogemus eum secundum cogitationes nostras, Ierem. cap. 18. nu. 18. quia propterea non præteribit lex à Sacerdote.

Quæ interrogabant me ignorabam. Ne illis notam facerem Diuinitatem meam, & sapientiam meam, Sap. 10. nu. 14. Donec afferret illi Pater sceptrum Regni, & potentiam aduersus eos, qui eum deprimebant, & mendaces ostenderet, qui maculauerunt illum, Isai. 60. nu. 10. Excæca cor huius populi, & aures eius aggraua, ne fortè videant, & conuertantur, & sanem eos. Et ideò etiam in hoc Psalm. nu. 15. dixit. Congregata sunt flagella, & ignoraui, nàm is qui spontè, vt pro nobis moreretur, venerat, quomodò ignorare illata sibi flagella poterat? Illis ignorabat quibus non erat datum nosse mysterium Regni cælestis, Matth. cap. 13. nu. 11. Qui enim habet, dabitur ei, & abundabit: qui autem non habet, & quod habet auferetur ab eo. Ideò in parabolis loquebatur Iesus, quia videntes non vident, & audientes non audiunt, neque intelligunt, vt adimpleretur illud, Isai. d. cap. 6. Poterat enim Dominus illis respondendo, eos delere.

Iterum cum Augustin. dicamus capiti nostro. Domine quid ignorabas? ità ne tu aliquid ignorabas? nonnè corda insurgentium in te noueras? nonnè eorum dolos ante prospexeras? nonnè in eorum manus te sciens dederas? nonnè, vt ab eis patereris veneras? Quid ergo ignorabas? Ignorabat peccatum; & hoc peccatum ignorabat, non quasi iudicando, sed non committendo; sicut dicitur, non venit stare, hoc est quia non stat, similiter in Matth. 7. nu. 23. Et tunc confitebor illis, quia nunquã noui eos: nunquid non nouerat, quos damnaturus erat, & quomodò damnare poterat, si bonus cognitor non fuisset? non noui vos, idest non hæretis regulis meis, non estis de ouili meo: non cõpatimini corpori meo.

Retribuunt mala pro bonis. Ego veni, vt vitam haberent, ipsi verò mortem mihi inferre procurant, Ioan. cap. 10. nu. 10. fur non venit nisi vt furetur, mactet, & perdat. Ego autem veni, vt vitam habeant, & abundantius habeant, Ioan. dicto cap. 10. nu 10. Quæ retribuuntur illi, sterilitas erat, quia terra illorum non habebat humorem, Luc. 8. nu. 8. quæ enim Iesus mirabilia faciebat, videbant, & pueros Osanna cantantes audiebant, & indignati Principes, vt illum perderent, machinabantur, Matth. 21. num. 15. Arida erat ficì arbor, folia virida, sed fructu carens erat, ideò ad Christi iussionem continuò arefacta, Matth. 21. nu. 19. vt viderentur apparebant: opera tamen illorum vacua, & dolo plena. Sterilitatem animæ meæ retribuebant, vt morti traderer, clamabant, Ierem. cap. 22. num. 21. Locutus sum ad te in abundantia tua: & dixisti: non audiam. Hæc est via tua ab adolescentia tua, quia non audisti vocem meam. Omnes pastores tuos pascet ventus, & confunderis, & erubesces ab omni malitia tua.

Retribuebant mala pro bonis. Nàm vinea fecit labruscas, cum exculta deberet producere vuas, Isai. cap. 5. num. 2. Ad oues, quæ perierant domus Israel, venerat Dominus, vt saluaret eas, & vitam daret; ipsæ verò ne vitam haberent, mortem Domino dederunt. Obtulit illis Dominus fertilitatem, seù fœcunditatem, at illi pro merito retribuerunt sterilitatem, Augustin. Ego vitam, ipsi mortem: Ego honorem ipsi contumeliam: Ego medicinam, ipsi vulnera: e in-

in omnibus sterilitatem retribuebant. Hæc Augustin. Cæci, & claudi sanabantur, & Principes Sacerdotum, & Scribæ mirabilia hæc videntes indignabantur, Matth. cap. 21. num. 15.

Ego autem cum mihi molesti essent, induebam me cilicio. Hoc est: non volui ostendere eis potestatem meam, atque Diuinitatem meam. Nàm solo nutu illos Dominus perdere omnes poterat, prout indicauit, quando dicens tantùm, ego sum, ceciderunt qui ad eum capiendum omnes retrorsùm, Ioan. cap. 18. nu. 23. Illi sæuiebant in Iesum: eius verò latebat Diuinitas; si enim latere noluisset, nec mori potuisset; Tantam potestatem in passione non humiliasset, nisi sub cilicio lateret; Ego induebam me cilicio: idest non clamaui, tacui semper, silui, patiens fui, Isai. cap. 42. num. 2. & 14. Induebam me, ait, cilicio: ità vt nec species ei, neque decor, & vidimus eum, & non erat aspectus, nouissimum virorum, virum dolorum, & scientem infirmitatem, & quasi absconditus vultus eius, & despectum, vndè nec reputauimus eum, Isai. cap. 53. num. 3. Nonnè tibi istud nostro Christo fuisse cilicium, carnem corpusq. nostrum assumpsisse, sed sine peccato, multarum verò pœnarum oneratum, & cruciatum: Cilicium domat, & affligit, quod ex caprinis pilis, & bestiarum setis: & in corpore Dominus cruciatus, laceratus, vulneratus vsque ad mortem.

Et humiliabam in ieiunio animam meam: Esuriuit fructum in arbore fici, & non inuenit: sitiuit in cruce, & aceti hyssopo circumpositi oblatum potum noluit bibere, Ioan. cap. 19. num. 28. Augustin. Quid esuriuit? quid sitiuit Dominus Iesus, nisi animarum salutem? nisi bona opera nostra? In illis enim crucifigentibus, & persequentibus, quia nulla bona opera inuenerat, ieiunabat. Retribuebant enim sterilitatem animæ ipsius. Augustin. Quale ieiunium ipsius fuit, qui vix in Cruce inuenit vnum latronem, quem in Cruce gustaret? omne enim relicto illo fugerunt, & etiam qui mecum capiebant cibum dereliquerunt, Psalm. 54. num. 15. Matth. 26. Luc. 19. num. 23. Ioan. 13. In magno ieiunio Dominus Iesus remanserat; tandem refecit quos vocauit: nàm de salute Domini desperauerunt ferè Apostoli illo mortuo, nisi illis apparens se manifestasset, & eum vidissent, & audissent dicentem: ò stulti, & tardi corde, &c. Luc. cap. 24. num. 25. tunc consolatus est eos, refecit eos, & in corpus suum conuertit eos. Ieiunio animam meam humiliabam cum nec dum tuæ prædicationis, atque signorum, quæ apud illos feceras, fructum non perceperam. Omnes enim amici mei dereliquerunt me: oculi mei languerunt præ inopia: longè enim fecisti notos à me: posuerunt in abominationem mihi, Psalm. 87. nu. 9. & 10. Propterea anticipauerunt vigilias oculi mei, Psalm. 76. num. 5. Ieiunabat, & inops erat, vt illius inopia nos diuites faceret, 2. Corinth. cap. 8. nu. 9. & ideò quasi proximum, quasi fratrem nostrum sic complacebam; Domine quid sitis? ergo plus te ipsa sitis cruciat quàm Crux? de Cruce siles, & de siti clamas? sitio quidem, ait, vestram fidem, vestram salutem, vestrum gaudium, Bernard. super Cantic. Sitio, inquit Dominus, &c.

Et oratio mea in sinu meo conuertetur, Matth. 10. num. 13. Et siquidem fuit illa digna, veniet pax vestra super eam: si autem non fuerit digna, pax vestra reuertetur ad vos, nàm cum oratio, & prædicatio Domini Iudæis infidelibus non profuerit, ad eundem Christum cum fructu reuersa est.

In sinu meo conuertetur, Vt producat fructum in tempore suo, Matth. 21. num. 41.

num.41. Auferetur enim ab illis Regnum, & dabitur genti facienti fructum eius, ibidem Matth. num.43. oportebat verbum Dei vobis primum loqui, sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertemur ad Gentes; sic enim præcepit nobis Dominus, Isai.cap.49.num.7. & 8. In sinu meo conuertetur, vt scilicet his omnibus velut ornamento vestiaris, & circundabis eos, tibi quasi sponsa. Ecce quia ego sterilis, & non pariens, quis genuit mihi istos? Ideò leuabo ad gentes manum meam, & ad populos exaltabo signum meum, ibidem num.22.

Sed cum in alio loco ex verbis tuis Domine scriptum habeamus, Isai.55.n.11. Verbum quod egredietur de ore meo, non reuertetur ad me vacuum: hìc verò Psalmista dicat: in sinu meo oratio mea conuertetur; si in sinu tuo, ergo vacuum reuertitur, cum nihil operatum sit; nàm ab omnibus, ò Iesu Christe derelictus es; omnes enim te relicto fugerunt, Matth.26.nu.56. Verùm si benè consideremus, simul rectè stant, & quòd verbum vacuum non reuertatur, & etiam quòd in sinu verbum Christi conuertatur: non enim Orationem suam Iesus in sinu suo sine causa reponit; sed vt tibi peccatori ad pœnitentiam conuerso, passio sua, oratio sua, & merita sua ad Patrem emissa prodesse possint, conseruatq. ea, & quum fructum in te non producit, vt per illa aliquando proficue te à morte conuersum liberet. Non est pariter in vacuum verbum illius reuersum, quia in omnem terram exiuit illius sonus, reposuit in sinum suum, quod postea inter fideles suos Martyres, Apostolos, Virgines, & Confessores est dispersum: Indeficiens est thesaurus, qui in sinu meritorum suorum est repositus, vt omnes, qui crediderint in illum thesaurizent cum illo in Cælum. Quid ergo expectas, ò peccator, ò infidelis, si diues esse cupis?

Audi Isaiam in cap.46.num.3. Audite me domus Iacob, & omne residuum domus Israel, qui portamini à meo Vtero, qui gestamini à mea vulua. Vsque ad senectam ego ipse, & vsque ad Canos ego portabo: ego feci, & ego feram, ego portabo, & saluabo, & num.10. Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet. Oratio in sinu meo conuertetur: Vocans ab Oriente autem, & de terra longinqua virum voluntatis meæ, & locutus sum, & adducam illud; Creaui, & faciam illud, hæc Isai.num.10. dicto cap.46. ecce orationem, idest merita sua in sinu suo posita, vt saluet omnes gentes ab Oriente, & à longinquis partibus, & ideò verbum, quod in carne posuit, & prædicauit in mundo vacuum non fuit, quia quos dedit illi Pater, hos, & saluauit, & alios etiam, qui illum confessi fuerint, Ioan,cap.17.num.12. & 20. & in illum credituri sunt. Oratio ergo Domini Iesu in sinu eius conuersa est: quia resurgens à mortuis, sedensq. ad dexteram Dei Patris, semper interpellat pro nobis, quia in humilitate sua semper erit memor nostri.

Quasi proximum nostrum, & quasi fratrem nostrum, sic complacebam: quasi lugens, & contristatus sic humiliabar. Non mala pro malis, sed bona pro malis dabam illos, immo sicut proximum, & fratrem sic diligebam eos, ità vt de malis sibi imminentibus contristarer, & humiliarer, Luc. 19. Videns Ciuitatem fleuit super illam, & ideò oratio mea in sinu meo conuertitur, idest in me ipso humanitas, in me ipso interpellans Diuinitatem pro salute peccatorum, quia cum conuertuntur ad me, quasi proximum, & quasi fratrem nostrũ, sic mihi complaceo. Quomodò dicis quasi fratrem nostrũ, & quasi proximum.

Quos

Quos intelligis tecum alios, cum dicis fratrem nostrum? Complacebam, complacebamus dicendum erat, Paul.2.Corinth.5.num.18.& 19. Omnia autem ex Deo qui nos sibi reconciliauit per Christum, ideò quasi proximum, & fratrem de huiusmodi reconciliatione complacebam. Nostrum verò fratrem dicit; quia Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, Ioan. cap.14.nu.10. Non creditis, quia ego in Patre, & Pater in me est? verba quæ loquor, à me ipso non loquor, ibidem Ioan.cap.17.nu.22. Vt sint vnum, sicut, & nos vnum sumus.

Dum ergo illi, ob quos veni in mundum, ad nos accedunt per fidem, & bona opera, complaceo mihi in illis; sicut in proximis meis, & fratribus meis. Dum verò ij propter quos meum fudi sanguinem, per peccata, & infidelitatem longè fiunt à me: tamquam lugens humanitas mea apud Patrem, & tamquam contristatus meam repræsentans passionem, & mortem, & flagella sic humiliabar. Luget, quia non habet quod desiderat, propter quod, & venit peccatoris scilicet animæ salutem, quæ propter peccatum longè facta est ab illo. Augustin. Et nonnunquam in vno homine vtrunque contingit; vt aliquando propinquet, & aliquando longè fiat; propinqua luce veritatis, longè fiat nubilo carnis. Neque enim fratres, Deo, qui vbiquè est, & nullo continetur loco, aut per loca propinquamus, aut ab illo per loca remouemur: Propinquare illi est; similem illi fieri; recedere ab illo, dissimilem illi fieri. hæc Augustin. Quasi ergo illi proximus, & frater sunt, quia illi Deo per fidem, & bona opera proximi fiunt. S.Hieronym. textus sic se habet: Quasi ad amicum, quasi ad fratrem meum sic ambulabam: idest sic me gessi ad eos, sicut ad fratrem meum, & amicum meum: quasi lugens mater tristis sic incuruabar: amicus fui illorum, & vt frater erga fratrem; & vt mater erga filium languentem. Magna Dei erga nos dilectio; nàm si benè egerimus, & de malo, quod fecimus, pœnitentiam egerimus, quamuis nos simus, sicut lutum in manu figuli, in manu Dei, vt repentè eradicet, destruat, & disperdat, Ierem.cap.1.num.10. tamen, & ipse Deus aget pœnitentiam super malo, quod locutus est, & cogitauit, vt faceret nobis, ità vt subito loquatur de Gente, & de Regno, vt ædificet, & plantet illud. Et si fecerimus malum in oculis suis, vt non audiamus vocem eius; pœnitentiam, & ipse aget super bono, quod locutus est, vt faceret nobis. Vis Dei dilectionem erga nos agnoscere, audi Ierem.cap.18.num.8. cum seqq. & num.11. Ecce ego fingo contrà vos malum, & cogito contrà vos cogitationem, vt reuertatur vnusquisque à via, & diriget vnusquisque nostrum vias nostras custodia nostra, vt quasi proximum, & fratrem suum de nobis sibi complaceat. Reuertatur ergo vnusquisque à via sua mala, vt frater Domini sit, & Dei propinquus reputetur. Vt ponat oculos suos Dominus ad placandum, vt ædificet eum, & non destruat; plantet, & non euellat, & det ei cor, vt sciat Dominum, Ierem.14.num.6. Quare ad Christum accedere trepidamus? cum ipse frater noster, & caro nostra sit, & per omnia dotatus absque peccato, & misericors fieret. hæc Bernard. Contristatus, vt lugeat, & humilietur Christus, quia nos ab illo recessimus; quia anima nostra longè, propter peccatum effecta est ab illo; cæterum in luce veritatis ambulantes illi propinquantes similes illi simus, estquè is tamquam frater noster, & caro nostra. Sit nobis ille propinquus, & tunc gaudium erit & nobis, quia similes ei erimus, si moribus

dissimiles illi fuimus, & ab illo recessimus: flentes, & dolentes iterum ad illum appropinquemus, ad illum reuertamur. Augustin. Cum similis gaude, & cum dissimilis geme; vt gemitus excitet desiderium, immo desiderium excitet gemitum, & per gemitum propinques, qui cœperas longinquare. Propinquauit Petrus, quando dixit, Tu es Christus filius Dei viui, Matth. 16. num. 16. longè factus verò est, dicendo; absit à te Domine, non fiet istud; Quando proximus, quid dixit Iesus propinquanti? Beatus es Simon Bar Iona; tanquam verò longinquanti, & dissimili quid dixit? vade retrò Satana: illi propinquanti, Non tibi reuelauit caro, & sanguis, inquit, sed Pater meus, qui in Cælis est: illius lux te perfudit, illius luce fulges. Quando autem longè factus, contradixit passioni Domini futuræ pro salute sua: Non sapis quæ Dei sunt, sed quæ sunt hominum, hìc Augustin. Ergo tota vita nostra fratres sit in lachrymis, vt inueniamus gratiam Dei nostri Iesu Christi miserentis, & contristati pro nobis. Nazianzenus Orat. 17. Licet, inquit, tibi nullo labore Deum fieri, noli Diuinitatis consequendæ occasionem abijcere, & Orat. 16. Fac calamitosos sis Deus, Dei misericordiam imitando; & Clem. Alexandrin. 2. Strom. Re vera Dei imago est benefaciens homo, Theodoret. quæst. 20. in Genes. quærit, quæ in re consistat ratio imaginis Dei in homine, ad quam dicitur creatus, & ait, quemadmodum, Deus longanimis est, ità, & homo longanimis, habet se ad imagi. Dei, eamq. imitatur per beneficentiam, & liberalitatem.

Quasi proximum, & quasi fratrem nostrum sic complacebam, quasi lugens, & contristatus, sic humiliabar. Sic complacebam, quia sponte veni, vt saluarem eos quasi proximos meos, & quasi fratres meos. Propterea ex semine Abrahæ, & ex stirpe Dauid natus sum: ideò sic eos, sicut fratrem meum, & amicum meum reputabam, sanando illos ab infirmitatibus, mortuos suscitando, lumen cæcis dando, &c. sed quare dixit quasi fratrem, quasi proximum? Quia Iudæi illum nec talem agnoscebant; dicebant enim hunc vndè sit, nescimus nonne filius fabri est iste? Quasi fratrem complacebam, Iob cap. 30. num. 9. Nunc in eorum Canticum versus sum, & factus sum eis in prouerbium; abominantur me, & longè fugiunt à me, & faciem meam conspuere non verentur, insidiati sunt mihi: & præualuerunt, & non fuit qui ferret auxilium. Quasi fratrem nostrum dixi; quia frater Draconum fui, & socius Struthionum, Iob cap. 30. num. 29. quasi lugens sic humiliabar; quia flebam quondam super eo, qui afflictus erat, & compatiebatur anima mea pauperi, ibid. num. 25. Quasi lugens contristatus, dum affligebat me inimicus, alapam dans, & in faciem meam spuens: sic humiliabar, vt illos non delerem de terra viuentium: quin potius tanquam agnus tacens, & mansuetus, omnia patienter sustinerem; Illudebant me illi, & ego humiliabar: percutiebant, & flagellabant me, & ego sustinebam: Crucifigebant me, & ego afflictus de illorum perditione, quasi lugens, & contristatus, pro illis Patrem meum, vt ignosceret rogabam; quasi fratres, & proximos illos reputabam, & ecce inimici facti sunt mihi.

Et aduersum me lætati sunt, & conuenerunt: & congregata sunt super me flagella, & ignoraui. Illis benefaciendo complacebam, illi contrà verò me insurgentes, & conuenientes lætabantur; flagella congregantes aduersus me, & ignoraui, sed quomodò ignorasti, si ad hæc venisti? si discipulis filium hominis, scilicet te ipsum tradendum, & à Iudæis occidendum prædixisti, Matth.

cap.17.num.21.& 22.Marc.9.num.30.latius suprà diximus, ignoraui; in vobis dum vos ignoraretis, vbi ignorauerunt Iesum, ideò occiderunt eum, Ierem. d.cap.10.num.21. Scio quia stultè egerunt Pastores, & Dominum non quæsierunt; Propterea non intellexerunt, & omnis grex eorum dispersus est. Vel ideò ignoraui, ne redemptionem impediretis, Ierem.d.cap.18.num.10. Ecce ego fingo contrà vos malum, scilicet quod mihi facere procuratis; ideò ignoraui quia finxi; quia ad hoc veni: quia in flagella vestra paratus sum, Psalm.37.nu.18. vos verò læti quia flagella inter vos conuenientes contrà me congregastis. O ingrati; O scelesti, qui vos liberare procurantem dereliquistis, vulnerastis, occidistis, Eccles.29. num.22. spes vestra tamquam hybernalis glacies tabescet, & disperiet, tamquam superuacua, Sap.16.nu.29. Dominus tamen benignus fuit super vos ingratos, & malos, quia ignorare voluit, vt vos redimeret malos, Luc.6.num.35. Si vultis; flagella ignoraui, hoc est patienter, ità illa pertuli, vt nec de illis memor sim, ac si non essent, & illa ignorarem, si in me crederetis, & pro vestra salute me talia passum confiteremini, Bernard. Patientia singularis, quia cum supra dorsum eius fabricarent peccatores, eum sic extenderunt in ligno, vt dinumerarentur omnia ossa eius. Cum fortissimum illud propugnaculum, quod custodit Israel vndiquè foraretur, cum foderentur manus eius, & pedes, sicut agnus ad occidendum ductus est, & tamquam ouis coram tondente non aperuit os sum: non aduersus Patrem à quo missus est, murmurans, non aduersus genus humanum, pro quo, quæ non rapuit exsoluebat, non denique contrà populum peculiarem sibi, à quo pro tantis beneficijs tanta mala percipiebat. Super me flagella congregata sunt, & ignoraui. Benè ignorabat, qui tamquam surdus non audiebat, & sicut mutus os suum non aperiebat, & factus est sicut homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones, Psalm.37.num.14.&15. Ignorabant, & Iudæi, quia vinctum Regem Christum procurabant, & victum, quia morti illum tradiderunt, & ecce ipsi morte ipsius victi Regnum perdiderunt, & portas Cæli sibi ipsis clauserunt, vt in perpetuum ipso Christo viuente, & iudicante, illi in perpetuas pœnas truderentur, cruciarentur, vrerentur. Ignorabat Iesus, qui, & peccata hominum dissimulat, Sap.11.n.24. propter pœnitentiam, omnium miserans, qui omnia potest, Isai.d.c.42.n.14. Tacui semper, silui patiens fui, sicut parturiens loquar dissipabo, & absorbebo simul.

Dissipati sunt, nec compuncti tentauerunt me, subsannauerunt me subsannatione: frenduerunt super me dentibus suis. Quis eos dedit in direptionem, in dispersiones, vastantibus Romanis, & alijs; nonne Dominus ipse? & quare? quia peccauerunt ei, & in vijs eius noluerunt ambulare, neque legem eius audire, ac propterea effudit super eos indignationem furoris sui, & forte bellum Romanorum, & combussit eos in circuitu, Isai.42.num.24. & non cognouerunt, & succendit eos, & non intellexerunt, Isai. ibid.nu.25. & Psalmus noster, & si dissipati non tamen compuncti, nec medicus qui, vt illis mederetur, missus est, profuit quicquam, quia non contriti, Isai. cap.61. num.1. Spiritus Domini super me, eo quod vnxerit Dominus me ad annunciandum mansuetis misit me, vt mederer contritis corde, &c.

Dissipati, inquit Glos. à vinculo charitatis; verùm quia nec compuncti subsequitur quod necessariò præcedere debeat illorum tribulatio, & dissipatio tépore

enim

enim Passionis Iesu Christi non legimus istos dissipatos, & in terra dispersos? nisi quando Dominum tentauerunt, vt illum accusarent, dicentes, licet Censum Cæsari, an non? Matth.22.num.21. dic nobis si tu es Christus, Ioan. cap.10.nu.24. quatenus dissensionem inter illos pro dissipatione accipiamus; Ioan.7.num.41. dissensio, inquit itaquè facta est inter illos propter eum. Quidam enim dicebant illum esse Christum, quidam autem illum apprehendere volebant, nu.44. Pontifices verò, & Pharisæi quia eum non adduxerant coram illis, & responderunt, quòd nunquam sicut locutus sit homo: dixere nunquid seducti & vos estis? nunquid ex Principibus aliquis credit in eum; aut ex Pharisæis, ac sæuientes, & irati illos reprehendebant.

Nos verò illam dissensionem pro dissipatione illorum accipimus, vel illam de qua Matth.23. num.13. cum sequen. In faciem enim illorum dixerat eis Iesus: Hypocritæ, quia clauditis Regnum Cælorum ante homines, vos autem non intratis, nec introeuntes sinitis intrare; & quia Domos viduarum comeditis: orationes longas orantes: Duces cæci excolantes culicem, & Camelum conglutientes, intus pleni rapina, & immunditia, dicens illis Iesus, num.26. Pharisæe cæce munda prius quod intus est calicis, & paropsidis; vt fiat id quod de foris est mundum, & nu.33. serpentes genimina viperarum quomodò fugientis à iudicio gehennæ? Nec tamen talia audientes sunt compuncti. Dissipati sunt quia à legis obseruantia longè facti sunt, abierunt, præuaricati sunt, dissipati sunt; quia intrà vineæ Domini sepem eiecti sunt, Isai.d.cap.5.num.5. auferam sepem eius, & erit in direptionem, diruam maceriem eius, & erit in conculcationem.

Nec compuncti, Tentauerunt me: nihil facti pœnitentes: immo Beatos alios dicentes, quia arrogantes; siquidem ædificati sunt facientes impietatem, Malach.3.num.15. ædificant, inquit, in malis suis scilicet contrà Deum, Luc.23. num.5. At illi inualescebant dicentes, commouet populum, &c. & num.22. at illi instabant vocibus magnis postulantes, vt crucifigeretur; & inualescebant voces eorum. Ecce quomodò arrogantes ædificauerunt, vt eiecti, & dissipati destruerentur, desolarentur, vrerentur. Subsannauerunt me subsannatione, irridentes eum: percutientes, ac dicentes, prophetiza quis te percussit, Marc. cap.14.num.65. Matth.27.num.28. exuentes eum, Chlamydem coccineam circundederunt ei, & plectentes coronam de spinis posuerunt super caput eius, & arundinem in dextera eius, & genuflexi ante eum illudebant ei, dicentes, Aue Rex Iudæorum, Ioan.19.num.1. subsannatio enim est irrisio quæ fit naribus.

Frenduerunt super me dentibus suis. Concitantes turbam, & simul clamabant crucifige, Marc.15.num.11. cum sequen. est enim frendere à spiritu sæuientium, Thren.cap.2.num.16. Aperuerunt super me os suum omnes inimici tui sibilauerunt, & fremuerunt dentibus, & dixerunt: deuorabimus eum.

Vel dicamus. Dissipati sunt, nec propterea compuncti. Nàm à Romanis destructi sunt, quia, & si mirabilia de Christo viderint, & de discipulis eius, non tamen miraculis, aut ipsorum destructione compuncti sunt; irritantes Dominum, vt, & reliquias eorum deleret, quæ nihilominus saluæ factæ sunt, Malach. dicto cap.3.num.15. subsannauerunt me, idest Discipulos meos, & alios frendentes subsannatione: quia quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.

Irridebant enim illos, & frenduerunt dentibus suis super eum, Act.cap.7. num.55.

num.55. Audientes autem hæc dissecabantur cordibus suis, & stridebant dentibus in eum. Et de Apostolo Paulo, ad Corinth.2.cap.11.num.23. In laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis suprà modum, in mortibus frequenter; Cucurrit plebs aduersus eos, idest Apostolos & magistratus, scissis Tunicis eorum, iusserunt eos Virgis cædi, Act.cap.16.nu.22. & de illis Sanctis dicit Sap.5.num.2.& 3. Hi sunt, quos aliquando habuimus in derisum, & vitam illorum æstimabamus insaniam, & habuimus in derisum. Augustin. Impius insultare permittitur, sæuire non permittitur; sed ex eo quod irrigua promit intelligitur quid gestat in corde: striderunt in me dentibus suis. Christus in cælo est quicquid volunt faciant, honorauit ille pœnam suam: iàm Crucem suam in omnibus frontibus fixit. hæc Augustin.

Domine quando respicies? ò magnũ pietatis opus Christi, rogat pro suis persecutoribus, mali sunt inimici, quia fuerũt sine Deo; non enim Deus respexit illos; si enim respexisse lapsi starent, fletuq. culpa soluta esset. Respice ergo Domine, & vide, & visita vineam, Psal.79.n.15. Respice in faciẽ Christi tui, qui pro illis semetipsum obtulit tibi, Psalm.83.n.10. Restitue animam meam, vnicam meam Ecclesiam à malignitatibus eorum, à leonibus vnicam. Restitutionem Dominus petit vnicæ suæ, quæ sterilis facta erat, quia multi ex illa recesserant ab illa: multi verò, immo ferè omnes gentiles illam, & debilem, & afflictam lacerabant, crudeles contrà illam euaserant. Respice Domine, & miserere, quia tunc Iudæorum cessabit malignitas, & leonum crudelitas; si tua fuerit erga illam benignitas, & pietas, si enim Domine tu auxiliator illius, quis erit aduersarius eius? quis condemnet illam, si tu respicis illam? Isai.50.num.9. Consoletur Dominus Sion, & consoletur omnes ruinas eius: & respiciens ponat desertum eius quasi delicias, & solitudinem eius, quasi hortum Domini, Isai. d.cap.51.num.3.& 9. Consurge brachium Domini, & induere fortitudinem, quia redempti sunt à te, reuertentur laudantes, & venient in Sion in vnicam tuam Ecclesiam hæretici, & infideles, qui ab ea recesserunt si tu respexeris eos: Ciues sunt terræ, sed exules facti sunt cæli, quia à te recesserunt, longius abierunt, quia à seipsis recesserunt: non Regionibus, sed moribus separati sunt, longè facti sunt; propè fiant in sanguine tuo Christe qui sedent in Regione vmbræ mortis.

Et tunc confitebor etiam tibi in Ecclesia magna, in populo graui laudabo te. Non in vno tantùm loco sicut in Ierusalem, sed in Ecclesia magna, quæ est per totum Orbem terrarum diffusa, & multitudine Christianorum plena: In populo graui laudabo te, quia es petra, ideò grauis populus in te fundatus: Christus petra est, & ideò Petrus à petra, & non petra à Petro, quomodò non à Christiano Christus, sed à Christo Christianus vocatur, & super hanc petrã ædificata est Ecclesia eius. August. de verb. Dom. Serm.13. in princ. Qui laudat te, & confitetur nomen tuum assiduè. Multi enim sunt, qui Christiani vocantur, sed opera sunt longè à te; circumferũtur à quolibet vento, vt sunt hæretici; ideò nõ omnes, qui dicũt Domine Domine intrabunt in Regnum Cælorum, quia ventus vanitatis rapuit illos, & luxuriæ, atque superbiæ. Sed qui in petra fundati sũt, ideò quia graues, non mouentur, sed laudant quotidiè nomen tuum. In ista enim Ecclesia, dicit Augustin. quæ toto Orbe terrarum diffusa est, palea est, & frumentum. Palea volat, frumentum manet, ideò populo graui laudabo te,

qui

qui à quolibet vento tentationis non aufertur. In illis laudatur. In palea semper blasphematur. Sed quomodò blasphematur? quando scilicet videntes aream, considerant paleam, & dicunt: Videte quales sint isti Christiani: infideles, hæretici, luxuriantes, raptores, & superbi: nàm isti paleam vident, blasphematur nomen Domini in gentibus, ad Roman. cap. 2. Inuidè, & iniquè quia tu palea es, non tibi occurrit videre grana frumenti. Quære, & inuenies populum grauem, in quo Dominum laudes: sed si talis es, quomodò inuenire grana frumenti potes? esto tu talis, & inuenies populum grauem, Isai. cap. 25. nu. 3. super hoc laudabit te populus fortis; Ciuitas gentium robustarum timebit te. Intra tu inique hæretice, & Iudææ ceruicose intra dico, in monte hoc Ecclesiæ Dei, & faciet tibi Dominus conuiuium pinguium, & ibi manum Domini in isto monte quiescentem videbis, & triturantem Moab: idest mundum, & diabolum sub eo sicut triturantur paleæ in Plaustro, Isai. d. cap. 25. num. 12. & tunc granum frumenti videbis, & spiritum robustorum quasi impellentem verbo parientem, & munimenta sublimium virorum concidentem, & humiliantem, & in terram vsque ad puluerem detrahentem. Sis ergo, & tu grauis, vt à ponderatore spiritum Domino inueniaris, & talis, Prouerb. c. 16. num. 2.

Non supergaudeant mihi, qui aduersantur mihi iniquè, qui oderunt me gratis, & annuunt oculis. Non insultent, dicit Augustin. qui de palea veniunt: non gaudeant super me. Hieron. Dicamus, non remaneant inimici mei, quia mortem mihi dederunt supergaudentes, quia de hac vita me eiecerunt, non triumphantes permaneant, sicut quando mortem mihi intulerunt; dicentes, Descendat nunc de Cruce, in infirmitatibus suis gloriantes. Nam gratis me oderunt, quamuis annuerint oculis simulantes, quod intus illorum erat absconditum, linguis suis dolosè agebant, corde autem longè erant à me, non sit gaudium illorum super me longum. Romani præueniant illorum gaudium, in mœrorem inducentes illos, & luctum: non sint isti paleantes hæretici, & mali Christiani super triticum exultantes: Ventus tollat illos, & disperdat, Ioan. cap. 30. num. 14. & comminuetur sicut conteritur lagena figuli contritione peruualida, & non inuenietur de fragmentis eius, si ad gremium Ecclesiæ non reuertantur. Quia mihi aduersantur, non sint gaudentes, sed tamquam puluis, quem proijcit ventus à facie terræ, sint eiulantes, quia gratis oderunt me; sint dolentes, & flentes, & deficientes, quemadmodum fumus deficit, Psalm. 36. num. 20. sic pereant à facie terræ, Psalm. 37. num. 17. ne quando supergaudeant mihi inimici: lætentur enim cum malè fecerint, & exultant in rebus pessimis: quorum viæ peruersæ sunt, & infames gressus eorum, Prouerb. 2. num 14. Non supergaudeant tibi Domine inimici tui: sed tu in interitu illorum irrideas eos, & subsannes, quando venerit super illos tribulatio, & angustia. Quomodò autem posset aliquid permanere, nisi tu voluisses? Conuertantur illi, vt tu Domine, qui parcis omnibus, parcas, & illis, quia tui sunt Domine, qui amas animas; Sap. 11. num. 27. Si reuertuntur, & quiescant: propterea expectat Dominus, vt reuertantur, Isai. d. cap. 30. num. 15. & 18.

Quoniam mihi quidem pacificè loquebantur, & in iracundia terræ loquētes dolos cogitabant. Conceperunt, & locuti sunt de corde verba mendacij, conceperunt dolorem, Iob 15. num. 35. Isai. 59. nu. 4. conceperunt laborem, inquit, & pepererunt iniquitatem; & Vterus eius præparat dolos, inquit Iob, & lingua

vestra fatur iniquitatem: Labia vestra locuta sunt mendacium, inquit Isai. vt supra n. 3. & opus iniquitatis in manibus eorum moliuntur fraudes contrà animas suas, Prouerb. cap. 1. nu. 18. Venit Nicanor in Ierusalem cum exercitu magno, & misit ad Iudam & ad fratres eius verbis pacificis cum dolo, & se salutauerunt pacificè inuicem, & hostes parati erant rapere Iudam, 1. Machab. 7. nu. 27. & 29. Magister dicebant Iudæi ad Iesum, scimus quia verax es, & in veritate viam Dei doces, non est tibi cura de aliquo, non respicis personam hominum, Matth. 22. num. 16. licet ne censum dare Cæsari, an non? & num. 19. Cognita autem Iesus nequitia illorum, &c. Loquebantur pacificè, non tamen dolum eorum ignorabat Iesus, dissimulans peccata hominum propter pœnitentiam, Sap. d. cap. 11. num. 24. Versipellis profert mendacia, Prouerb. 14. nu. 25. sed nouissima eius deducunt ad mortem, ibid. num. 12.

Sed quomodò tu Dauid dicis: quod pacificè loquebantur, si in iracundia terræ dolos cogitantes loquebantur? & si loquebantur, quomodò dolos cogitabant: nonnè satis erat dolos loqui, cum qui loquitur, dicatur, & cogitasse prius quod loquitur? si loquebantur dolos, quomodò pacificè loquebantur? sed, si quid sit dolus consideremus, rectè Psalmistam cantasse confitebimur. Dolus enim est occulta malitia blandis sermonibus adornata, Isidor. in lib. de Differentijs, lib. 1. litera D. num. 142. Pacificè ergo loquebantur, sed in eorum cordibus terrenis immersis aliud cogitabant, dolos nempè, quomodò illum in sermone caperent, vt perderent accusantes. In iracundia cogitabant dolos, quia vitium illud iracundiæ, ipsis, qui terrena sapiebant naturale erat, & perpetuum, 2. Esdr. cap. 9. nu. 29. Ei dederunt humerum recidentem, & ceruicem suam indurauerunt, nec audierunt, & idcircò à prima die cœperunt cogitare, quomodò Iesum perderent, Matth. 12. num. 14. Ioan. 11. num. 53. neque à tali vnquam destiterunt machinatione, donec Iesum tradidissent, & occidissent. Ideò semper dolos cogitabant, quia iracundus frequenter irascitur, & ad leuem sermonis auram, quasi à vento folium commouetur. Hinc dicitur, quòd vir iracundus inhonestus est, & iratus effudit peccatum, vt supra d. cap. 1. num. 18. Isid. in d. lib. 1. de Different. litera D. In iracundia terræ Iesum perdere quæsierunt, & ecce quia verè illos stultos occidit eadem iracundia, Iob 5. num. 2. Virtus illorum in terra iracundia contrà Dominum posita, & ecce iracundia Domini virtutem, & superbiam illorum disperdidit, quia tentauerunt violare sancta sua, & polluere Tabernaculum hominis sui, & deijcere gladio suo cornu altaris sui, & gladio suo proprio eorum superbiam amputata est, Iudith cap. 5. num. 11. Et idcircò stillauit furor Domini super Ierusalem, & non extinguetur, 2. Paralipom. 34. num. 25. Et consumpti sunt in impetu iracundiæ, Eccles. 45. num. 23. cor enim eorum dolo plenum erat, Eccles. d. cap. 1. num. 40. Est qui nequiter humiliat se, & interiora eius plena sunt dolo, Eccles. 19. num. 23. & num. 24. & est qui se nimium submittit à multa humilitate, & est qui inclinat faciem suam, & fingit non videre, quod ignoratum est, & si ab imbecillitate virium vetetur peccare, si inuenerit tempus malefaciendi, malefaciet. Verbum Domini factum est eis in opprobrium, & non susceperunt illud, idcircò furore Domini plenus sum, dicebat Ierem. cap. 6. num. 11. & 12. & transibunt Domus eorum ad alienos, agri pariter & vxores; quia extendam manum meam super habitantes terram dicit Dominus, & à Propheta vsque ad Sacerdotem cuncti

faciunt dolum, hæc Ierem. & num.21. Propterea ego dabo in populum istum ruinas, & ruent in eis pater, & filius simul,& vicinus, & proximus peribunt,&c.

Pacificè loquebantur dolos. Extenderunt linguam suam quasi arcum mendacij, & non veritatis. In iracundia terræ, quia in ea confortati sunt, quia de malo ad malum egressi sunt, & non cognouerunt Dominum: docuerunt linguam suam loqui mendacium, vt iniquè agerent laborauerunt, quia habitatio eorum in medio doli. In dolo renuerunt scire Dominum, Ierem. d.c.9. num.5.cum sequen. & num.8. Sagitta vulnerans lingua eorum, dolum locuta est in ore suo pacem cum amico suo loquitur, & occultè ponit ei insidias, ideò Ierusalem num.11. & dabo Ierusalem in aceruos arenæ, & cubilia Draconum, & Ciuitates Iuda dabo in desolationem, eo quod non sit habitator: & nu. 16. & dispergam eos in gentibus, quas non nouerunt ipsi, & patres eorum, &c. & mittam post eos gladium, donec consummentur.

Et in iracundia terræ loquentes dolos cogitabant, Thren.3.num.61. Iracundi ne terrena propter Iesum amitterent, en perdiderunt Ecclesiam simul, & terrena: non tàm timebant ob ea, quæ dicebant de Romanis, Matth.11. quàm, quod si Iesum prædicantem permisissent, redarguebantur ne alios furarentur, quia domum Domini speluncam latronum fecerant, quos de Templo eiecit flagellans, Ioan.2.num.16.& Matth.d. cap.23.num.13. Quia illos reprehendebat: væ vobis hypocritæ, nec vos intratis, nec introeuntes sinitis intrare: væ vobis, qui comeditis domos viduarum. In iracundia ergo terræ, quia per illum terrena amittebant,& ideò congregati sunt Principes, & Seniores loquentes dolos: cogitauerunt, quomodò Iesum tollerent, & occiderent, Matth.26. num.3.quia contrarius erat operibus illorum, & ecce, quòd vtrunque simul terrena scilicet, & cælestia amiserunt; Per inuidiam etiam illum tradiderunt. Quid facimus,quia post illum totus mundus vadit,& quærebant Principes Sacerdotum,& Scribæ mittere in illum manus in illa hora,& cómouerunt populum: Et obseruantes miserunt insidiatores, qui se iustos simularent, vt caperent eum in sermone, vt traderent illum Principatui, & Potestati Præsidis. Magister, dicebant, scimus, quia rectè dicis, & doces, & non accipis personam hominū, sed viam Dei in veritate doces,&c.& Luc.20.n.20.Considerans autem Iesus dolum illorum, &c. num.22.& Marc.12.num.14. sciens versutiam illorum, &c. qui in iracundia dolos agebant, quia terreni terrena quærebant: diligentes vultum pecoris ignoscebant, vt non pascerent, sed mactarent, Prouerb.27.num.24. Facti sunt greges Domini in rapinam, & oues meæ in deuorationem omnium bestiarum agri,eo quòd non essent Pastores,quia semetipsos pascebant, Ezechiel 34. num.8. idcircò inuidi, auari, & superbi.

Et dilatauerunt super me os suum: dixerunt euge, euge, viderunt oculi nostri. Labia insurgentium mihi, & meditationes eorum aduersum me, Thren.3. num.62. Anima impij desiderat malum; non miseretur proximo suo: aperuerunt super te os suum omnes inimici tui, sibilauerunt,& fremuerunt dentibus, & dixerunt deuorabimus, Thren.2. num.16. Propterea dilatauerunt os suum, quia exaltatio oculorum est, dilatatio cordis, & lucerna impiorum peccatum, Prouerb.21.num.4. & num.10. ex abundatia enim cordis os loquitur, Luc.6. num.45. de corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, falsa testimonia, iræ, Matth.15.nu.19. sed quid vidistis impij, quia os vestrum super Iesum dila-

dilataſtis? quia forſan cæcos illuminatos, & ſurdos audientes, lepróſos mundatos, & mortuos ab illo reſuſcitatos? Ite inquit, renuntiate Ioanni, quæ vidiſtis; quia imperauit vento, & mari, Marc.4.num.39. En iſta eſt dies, quam expectabamus: inuenimus, vidimus, Thren.d.cap.2.nu.16. Euge viderunt oculi noſtri; ſed non vidiſtis quæ futura erant damna veſtra, & perditiones veſtras. Væ qui ſapientes eſtis in oculis veſtris, & coram vobiſmetipſis præuidentes, Iſai.5. nu.11. Si cæcos illuminatos, & ſurdos audientes vidiſtis: Cur, qui alios iudicatis, non conſideraſtis, & vos cæcos, & ſurdos permanere? Alios vidiſtis, & vos in cæcitate permanere voluiſtis. Ecce dies Domini veniet crudelis, & indignationis plenus, & iræ, furoriſquè ad præditionem veſtram, Iſai. cap.13. num. 9. tranſierunt dies conuiuij veſtri, dies gladij veſtri, quia occidiſtis Dominum.

Dilatauerunt os ſuum ſuper Dominum. Quia aliàs venenum, quod in eorum cordibus erat, euomere non poterant, tanta erat magnitudinis, & ponderis graue odium, quod in cordibus geſtabant contrà Dominum, quod, niſi ore dilatato, & maximè aperto, erumpere, & ex illo extrahere non valebant, dicit Scriptura, Prouerb. 20. numer. 19. Ei qui dilatat labia ſua non commiſcearis; à facie enim malitiæ collectus eſt iuſtus. Super quem luſiſtis; ſuper quem dilataſtis os veſtrum, & eieciſtis linguam? nunquid non vos filij ſceleſti, ſemen mendax, Iſai. cap. 57. num.1. & numer. 4. Aperuiſtis ſuper Dominum os veſtrum, ſupra Pſalm. 21. num. 14. ſicut leo rapiens, & rugiens; ſed cui exprobraſtis, aut quem blaſphemaſtis? & ſuper quem exaltaſtis vocem? & leuaſtis altitudinem oculorum veſtrorum? Ad ſanctum Iſrael, ò miſeri, Iſai. cap.37. num. 23. Inſaniam tuam contrà Dominum cognouit Dominus, proptereà ponet circulum in naribus tuis, & frænum in labijs tuis, Iſai. vt ſupra num. 28. & 29. non amiſit poteſtatem, & ſi in Cruce hærebat pendens, patientiam demonſtrabat. Quid enim magnum erat illi de Cruce deſcendere, qui potuit à mortuis de monumento reſurgere? deſcendat de Cruce, dicebant illi, ſi filius Dei eſt, & hoc vidiſtis, ſed eum reſurrexiſſe tacuiſtis; immo, & militibus ad cuſtodiam ſepulchri, vt tacerent, pecuniam dediſtis, & veritatem negare inſtitiſtis: dicite, quia nobis dormientibus diſcipuli eius venerunt, & illum abſtulerunt; teſtes dormientes adhibuiſtis, ſcrutantes ſcrutinio defeciſtis, quia ſcrutati eſtis iniquitates, Pſalm.3.num.7.

Vide Domine, ne ſileas, ne diſcedas à me, Thren.1.num.9. Vide Domine afflictionem meam, quoniam erectus eſt inimicus. Manum ſuam miſit hoſtis ad omnia deſiderabilia eius, num. 10. Vide Domine, & conſidera, quia facta ſum vilis, ibid. num.12.

Vidiſti Domine iniquitatem illorum aduerſum me. Cogitationes eorum aduerſum me. Iudica iudicium meum: vidiſti omnem furorem: Audiſti opprobrium eorum Domine, Thren.cap.3.num.59. cum ſequen. Vide Domine, ne diſcedas à me.

Vſquequo clamabo, & non exaudies? vociferabor ad te, vim patiens, & non ſaluabis? Quare oſtendiſti mihi iniquitatem, & laborem: videre prædam, & iniuſtitiam contrà me? Quare reſpicis ſuper iniqua agentes; & taces, deuorante impio, iuſtiorem ſe? Habac. cap.1. num.2. & num.13. Vide Domine, ne ſileas, ne diſcedas à me: ne taceas, neque compeſcaris Deus, Pſalm. 82. num.2.

num.2.iàm finis est, iàm consummatum est, Matth. cap.27. numer.46. Deus, Deus meus, vt quid dereliquisti me? & clamans emisit spiritum, Ioan.cap.19. nu. 30. Consummatum est. hæc dicit dominaror tuus Dominus, & Deus tuus: Nota Trinitatem sanctam hic. Ecce tuli de manu tua Calicem soporis, fundum Calicis indignationis meæ, non adijcies vt bibas illum vltra. Et ponam illum in manu eorum, qui te humiliauerunt, & dixerunt animæ tuæ: Incuruare, vt transeamus: & posuisti, vt terram corpus tuum, & quasi viam transeuntibus, Isai.cap.51. num.22. cum sequent. Ne timeas, quia ego tecum sum: ne declines, quia ego Deus tuus, & suscepit te dextera iusti mei; ecce confundentur, & erubescent omnes, qui pugnant aduersum te: erunt quasi non sint, & peribunt Viri, qui contradicunt tibi, Isai.cap.41.numer.10. Tacui semper, silui, patiens fui, sicut parturiens loquar: dissipabo, & absorbebo simul, Isai. cap.42. num.14.

Vide Domine, ne sileas. Quomodò non videt, cui nota sunt omnia? Quomodò non videt, cum ipse sit videns. Impij dicunt; Non videbit Dominus, Psalm. 93. num.7. & Psalm.63. num.6. dixerunt, quis videbit nos? videt, & nedum vt homo videt, quæ patent, sed; & intuetur cor, 1.Reg.16.num.7. Psalm.7.num.10. scrutans corda, & renes Deus. Vidisti Domine, tibi enim reuelaui causam meam. Ne sileas, qui iudicas iustè, & probas renes, & corda, videam vltionem tuam ex eis, Ierem. cap. 11. num. 20. & cap. 17. numer. 10. Ego Dominus scrutans cor, & probans renes, & do vnicuique iuxtà viam suam. Augustin. Ne sileas. Quando tacet qui loquitur per Prophetas, qui loquitur ore suo in Euangelio, &c. Quid ergo silet? A iudicio silet, non à præcepto, non à doctrina, &c. Donec ergo veniat iudicium, ne discedas, inquit, à me, sicut promisisti: vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi, Matth. cap.28. num.20. Domine ne discedas à me, quem tu misisti, ideò mecum semper es, Ioan.8.nu.19. Domine Deus meus, ne discesseris à me, Psalm.37.n.22. & ne derelinquas me.

Exurge, & intende iudicio meo. Deus meus, & Dominus meus in causam meam. Quare non dixit in pœnam meam intende, quia iniustè occiderunt me, quia affligunt me dolentem, & contristantem? Iudicium petit, & quod causa in illo discutiatur. Augustin. Non in pœnam meam inquit intende, sed in causam meam; non in id quod mecum habet latro commune; sed in illud, quod Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam. Hæc enim causa discreta est; nàm pœna similis est bonis, & malis. Itàq. Martyres non facit pœna, sed causa; nàm si pœna Martyres faceret; Omnia metalla Martyribus essent plena, omnes catenæ Martyres traherent; omnes, qui gladio feriuntur coronarentur. Hæc Augustin. Intende ergo inquit in iudicio causam, propter quam patior, non pœnam inquit, quia cum prædicarem illis verbum Domini, salutem animarum suarum: peccatorum detestationem, & abominationem percutiunt me: Propter iustitiam patior, & ad hoc iudicium quæro; quia gratis oderunt me, qui pro illorum salute veneram, vt sanarem eos. Intende iudicio meo, non pœnis meis, Deus meus, & Dominus meus in causam meam. Iudica me Domine secundum iustitiam meam, in causam meam, non in pœnam meam, sed secundum iustitiam meam. Sed Domine Iesu liceat mihi à te quærere: Quid per causæ tuę cognitionem petis?

Quid iustitia Dei dabit tibi? destructionem illorum, mortem, & infernum; quia iniustè, & iniquè condemnatus fuisti? Rectum est Dei iudicium, vt qui gladio ferit, gladio pereat: Tu verò dixisti, nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur, & viuatur: quomodò viuent iniqui isti, si iustitiam in iudicio contrà illos petis? quomodò dabis locum pœnitentiæ, si instas, vt puniantur? Sap. 12. nu. 10. pro salute generis humani Christus infinita bonitas, vt illud redimeret; passus est, mortuus est, & quomodò nunc pro iustitia causæ suæ instat? quid per iustitiam intelligis? vt occidantur illi, & exterminentur, an verò quia iustitiæ Dei Patris per mortem tuam satisfecisti, vt populum, & gentem post redemptam à pœnis inferni liberes, qui cohæredes tibi in Regno tuo essent? & vt Princeps huius mundi eijciatur foras, & à tyrannide ipsius liberentur gentes?

Et exurgat Dominus, & intendat iudicio suo, & in causam suam, dicit Iesus Christus, & benè; quia, & si primus homo peccauit: & propterea per illum mors in vniuersum intrauit Orbem; instat tamen declarari quòd pretium Sanguinis eius pro totius mundi redemptione sufficiens fuerit: quia verè languores nostros ipse tulit; & oblatus est, quia voluit, & iustificauit ipse iustus seruus Dei multos, & iniquitates eorum ipse portauit, & ipse peccata multorum tulit; & pro transgressoribus rogauit, Isai. 53. per totum, & in fine. Cum ergo inuidia diaboli mors introierit in Orbem terram, Sap. 2. num. 24. & per mortem, & passionem Christi sublatum sit peccatum, & potestas diaboli: omnisq. potestas, & in cælo, & in terra data ei sit, Matth. 28. num. 15. Iure ait, intende iudicio meo Deus meus, & Dominus meus, quia iam diabolum condemnaui, & illum de cordibus hominum eieci, quibus imperabat, Ioan. 16. num. 11. de iudicio autem, quia Princeps huius mundi iam iudicatus est. Verùm quia impœnitentes Iudæi, & peccatores, qui sunt ex parte diaboli, & imitantur illum, Sap. dicto cap. 2. num. 25. nec ludibrijs, & increpationibus, & si multa illis in sua vita insensatis, & iniustis, & in erroris via diutius errantibus permanentibus, nec adhuc cæde, neque illorum ruina moti sunt ab ipsorum erroribus & iniquitatibus, nec correcti; dignum etiam est, vt & ipsi mei iudicium experiantur cum diabolo. Intendas tu Domine sancte Pater in causam meam, quia eos saluare volui, & renuerunt, quamuis iudicans pœnitentiæ dederim illis locum; Sapien. dicto cap. 12. num. 19. nec reuersi sunt ab iniquitatibus suis.

Intende Domine Deus meus iudicio meo, causæ meæ, non pœnis meis, sed iustitiæ tuæ: & non supergaudeant mihi inimici. Si benè considerentur, qui sequuntur versiculi, & ea quæ in hoc dicuntur, declarati & illi venient. Quòd scilicet, ex quo hic Iesus non proponit Patri passiones & pœnas, quas subijt; sed tantùm causam suæ passionis, & ideò iudicium Patris, & iustitiam illius petit. Iustitia prouenit ex causa, causa verò passionis Christi fuit, vt saluaretur genus humanum, & liberaretur à dæmonis potestate: Ob præexpositam itaque causam, ait, tu Domine sancte Pater, ad hoc me in terram misisti, & ego hanc voluntatem tuam adimpleui; considera, & vide, si causa mea, quæ tua est, iusta sit: Salus ergo animarum tuo iudicio, quod rectum est, mihi debetur. Verùm quia non saluas nisi volentes, Iudæi, qui adhuc in ipsorum persistunt pertinacia, & infidelitate non supergaudeant mihi: sed erubescant, & reuereantur simul, num. 26. qui gratulantur malis meis: ne dicant in cordibus

suis: Euge, euge animæ nostræ deuorabimus eum; sed da eis intellectum, vt cognoscant, quia pro illorum salute me misisti.

Confundimini, & erubescite Iudæi, & iniqui: & dabit vobis Dominus Deus cor nouum, & spiritum nouum: & auferet à vobis cor lapideum, & dabit cor carneum, & spiritum suum ponet in medio vestri, & faciet, vt in præceptis suis ambuletis, & iudicia sua custodiatis, & operemini, Ezechiel 36. nu. 26. Exurge, & intende iudicio meo: Deus meus, & Dominus meus in causam. Facta est in mari huius mundi procella magna: Nauis Petri fluctuabat, Marc. 4. n. 27. quia vndiq. à ventis contrarijs, ab Hæreticis, & Iudæis, iniquisq. hominibus agitatur, iactatur, qui submergere illam conantur. Exurge, ne pereat; vide, cognosce, iudica causam meam in tuo iudicio sancto; Ne supergaudeant mihi: non dicant in cordibus suis euge, euge animæ nostræ, quia sanctum tuum occiderunt: videant etiam, quia & surrexi, morte mea pro peccatis illis satisfaciendo pœnæ primi parentis. Iàm satis infernus animam suam dilatauit, & aperuit os suum absque vllo sermone: & descendunt fortes eius, & populus eius, & sublimes gloriosiq. ad eum, Isai. d. cap. 5. nu. 14. Si veni, & ideò passus sum, vt homines saluarentur, quare adhuc & manus tua extenta, nec auersus est furor tuus ab illis, qui quotidie damnati in inferno sepeliuntur. Noli Domine cor populi huius, & si iniqui, excæcare, & aures eius aggrauare. Videant oculis suis, nec amplius claudas illos; auribus suis audiant, & corde suo intelligant, vt conuersos sanes eos. Vsquequo Domine? iàm absque habitatore sunt Ciuitates Ierusalem, aliæque, & desolatæ: Non dicant in cordibus suis, euge, euge animæ nostræ, nec dicant deuorabimus eum. Sed nunc erubescant, & reuereantur; qui aliàs malis meis gratulabantur. Per contritionis dolorem conturbentur in corde suo, & erubescant confitentes ore; quòd illos pudeat me interfecisse. Erubescant, & reuereantur simul, qui volunt mihi mala, erubescant ad pœnitentiam de peccatis suis vehementer, vndè Psalm. 6. numer. 11. vt talis sit conturbatio pœnitentis, quæ ducat in Patriam Regni Cælestis.

Non dicant euge, euge; iàm fecimus, quod potuimus, occidimus eum: sepulchrum muniri, & custodiri mandauimus: abstulimus eum. Non dicant amplius gloriantes, quia mortuus sim; quia abstulerint me. Quia iàm illi occiderunt me; & ecce viuo: iàm sepulchrum custodierunt, & munierunt, & ecce sepulchrum apertum, & me resuscitatum. Dicamus potius nos, Euge, euge gaudentes, quia Dominus à mortuis surrexit, qui à morte nos liberauit; non dicamus, quia deuorauimus eum, sed quia ipse nos deuoratos liberauit de ore deuorantis Diaboli; Augustin. Vult te mundus absorbere, tu absorbe mundum, & traijce illum in corpus tuum, & macta, & manduca, Act. cap. 10. num. 13. Occide in eis, quod sunt, fac eos, quod tu es, illi autem contrà te sic tibi persuaserunt impietatem, absorberis ab eis, non quando persequentur te, ab eis absorberis, sed quando tibi persuadent quod sunt, nec dicant absorbuimus eum. Tu absorbe corpus Paganorum, quare Paganorum? vult te absorbere, fac illi quod vult tibi facere; sic Moyses quando Vitulum contriuit, & combussit vsque ad puluerem, quem sparsit in aquam, & dedit ex eo potum filijs Israel; Exod. cap. 32. numer. 20. hæc Augustin. Erubescant illi, & reuereantur, & induantur confusione, quia sciunt, quòd peccauerunt tibi, &

ipsos

ipsos pœniteat, & induti confusione, & reuerētia semper sint pœnitentes, Psal. 108. num. 29. Induantur qui detrahunt mihi pudore, & operiantur sicut diploide confusione sua; & dolentes, & pœnitentes, circundet illos Deus diploide iustitia, & imponat Mitram capitibus eorum honoris æterni, Baruch c. 5. num. 2. & tunc exultent, & lætentur, quia volunt iustitiam Dei, & dicant semper, magnificetur Dominus, qui volunt pacem eius, qui hæserunt Corpori meo.

Et lingua mea meditabitur iustitiam tuam, tota die laudem tuam. Nunc Propheta Dauid gratias Deo agens, qui saluat redemptos à se; offert se tota die laudes Domini, & iustitiam eius meditaturum. Meditamur autem tota die, si quid egerimus benè, & iustè faciamus. Vndè Augustin. Quando cantas hymnum laudas Deum; lingua tua quid agit, nisi laudet conscientia? & quoties tu cessasti ab hymno cantando, discedis, vt reficiaris, noli inebriari, & laudasti Deum: discedis, vt dormias, noli surgere, vt malè facias, & laudasti Deum: in innocentia operum tuorum præpara te ad laudandum tota die, Augustin. Pro quo facit quæ Eccles. cap. 35. num. 1. dicuntur, Qui conseruat legem multiplicat oblationem. Sacrificium salutare est attendere mandatis, & discedere ab omni iniquitate.

Meditatio ergo, quæ corde fit, & laus in ore, requiritur vt tota die laudando Dominum, gratiam eius consequaris; Concordet mens laudi oris, vt laus sit fructuosa, & placeat Deo, Psalm. 36. num. 30. Os iusti meditatur sapientiam. Promittit itaque hìc Propheta, lingua sua Dei iustitiam se meditaturum, quod est proprium iustorum; secus quippè est de lingua iniustorum, de qua Psal. 49. num. 19. lingua tua concinnabat dolos, & os tuum abundauit malitia. Vnde Iob c. 27. nu. 4. non loquentur labia mea iniquitatem, & lingua mea non meditabitur mendacium. Tota die iniustitiam cogitat lingua tua, Psalm. 51. nu. 4. Ideò inter sex, quæ odit Deus, in Prouerbijs enumerat cap. 6. num. 17. lingua mendax, & cor machinans cogitationes pessimas, Isai. verò 59. nu. 3. Labia vestra loquuta sunt mendacium, & lingua vestra iniquitatem fatur, Non est qui inuocet iustitiam. Sit Domine Iesu meditatio cordis mei in conspectu tuo semper, Psalm. 18. num. 15. tunc enim beatus ero si in iustitia meditabor, & in sensu cogitauero circumspectionem Domini, Isai. 14. num. 22. & vias illius in corde meo.

SOLILOQVIVM.

Lingua mea tota die meditetur, & laudem tuam loquatur Domine, qui nocentes me iudicas, & armis tuæ potentiæ liberas à persequentibus me inimicis. Dic nunc Domine Iesu animæ meæ, salus tua sum Ego: & tamquam puluis ante faciem venti, euanescent contrarij mei, coarctet illos Angelus tuus Domine, vt confusi ad te conuertantur & reuereantur, & à vijs suis tenebrosis, & lubricis auertantur. Laqueum absconderunt, vt gratis illaquearent me: eodem comprehendantur, & illi, vt conuersi reuertantur ad te. Tunc in te exultabit anima mea, & delectabitur, quia Saluator cognosceris. Quis tibi similis Domine? talem etiam te confitentur omnes potentes virtute, qui de fortiorum manu inopem, & pauperem eripis.

Interrogabant me quæ ignorabam, cum nec malum coram te fecerim. Mala pro bonis mihi retribuebant, & vineæ meæ sterilitatem. Putantes virtute mea à mortuis me non posse resurgere, descendat de Cruce, si filius Dei est, vociferabant. Ego verò quatenus homo quasi cilicio indutus humiliabā animam meā; non respondens illis verbum: sed orationem meam ad te Patrem pro illis conuertens; quia quasi proximum, & quasi fratrem nostrum eos censebam; adeòq. & quasi lugens, & quasi contristatus pro illis humiliabar. Ipsi verò è contrà conuenerunt lætantes, me ignorante, flagella congregarunt contrà me: nec quia ob id sceleris sint dissipati, compuncti sunt; siquidem dentibus suis frementes in Ecclesiam meam illam, meque simul subsannant, & irrident. Domine quando respicies? quandiù illorum durabit cæcitas, & perditio; restitue animam meam, Ecclesiam meam scilicet, vt ab ipsorum malignitate discedentes, & auersi reuertantur ad me, & conuertantur. Tunc in Ecclesia mea confitebor tibi, & in populo graui laudabo te. Non supergaudeant amplius tamquam iniqui, qui iàm me gratis oderunt, & oculis annuentes decipiebant me, quando ipsimet potius decepti remanebant, quia tantum terrena quærebant, & amittebant cælestia, dolos in iracundia terræ contrà me meditantes, & os suum iniquitate plenum, dilatantes, effundebant mendacia, iactantes me filium tuum ab ipsis occisum, adeòq. & perditum, cum dicerent, Euge, euge, gaudeamus scilicet; nàm oculi nostri viderunt illum iàm mortuum, & sepultum. Tu Domine cui nota sunt omnia, vidisti, ne taceas, nec à me te discessisse videaris: cum semper mecum sis. Exurge nunc, & iudicio meo, & causæ meæ intende: non sileas amplius: locum, & tempus, vt eos pœniteret illis dedisti; sed sine te non possunt pœnitere; Oculis cordis non possunt videre, nisi tu, qui corda possides, illumines illos. In iudicio iusto iustitia mea illorum peruersitati præualeat: non sanes illos amplius supergaudentes, sed pœnitentes, & dolentes: nec amplius vt deuorantes me, sed vt discedentes à deuorante illos. Erubescant, & reuereantur, quia malè fecerunt crucifigentes me, & illudentes; & ideò confusione, & reuerentia induti magnalia loquantur de me, & cum iustis exultent, ac lætentur, quia perditi erant, & inuenti sunt. Corde, & opere lingua eorum meditetur iustitiam, tota die laudem tuam mecum decantent, inquit Ecclesia, Christi morte, & Resurrectione magnificata, & ab iniquis liberata: Fiat Domino Iesu fertilis, quæ tamdiù permansit quasi sterilis: propitius illi sis, & si non multos in fide inueneris. Veniat accola, qui non est mecum, aduena quondam meus, & adiungatur mihi: dilatetur tentorij mei locus, & pelles Tabernaculorum meorum extendantur, & sit vna fides, vna Ecclesia tua. O Deus, qui hodie Lazarum à mortuis suscitasti: veni, & vide, vbi repositi sint miseri infideles quotve sint fœtent iàm, succurre, adiuua, repelle malum de Iudæorum, & infidelium omnium cordibus; suscita illos à morte, qui Lazarum suscitasti à monumento. Audi me Domine Iesu per sanctissimam Passionem tuam, & per sanctissimam Resurrectionem, & Ascensionem tuam. Iesu dulcissime, fons Pietatis, & misericordiæ, Cui honor, & gloria in sempiterna sæcula. Amen.

IN PSALMVM XXXV.

Dixit iniustus, vt delinquat in semetipso: non est timor Dei ante oculos eius.

SVPRA in Psalmo præcedenti visum est, quomodò in persecutionibus debeamus nos habere, rogando nempè Deum: vel vt illius timore eas sustineamus, Prouerb. 15. n. 17. per timorem Domini declinat omnis à malo; vel vt à nobis tollantur: Verùm quia non omnes, quas persecutiones vocamus, iniustæ sunt; cum eæ, quæ propter delicta ad pœnam nobis exhibentur sint iustæ. Non enim (vt diximus) pœna martyres facit, sed causa; iuxtà illud: Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam: Et quia etiam iniustis præbet Dominus veniam peccatorum, si reuertantur.

Ideo in hoc præsenti Psalmo explicatur, qui persecutores, & qui iniqui dicantur, & iniusti; quibus scilicet non est timor Dei ante oculos eorum, vt inueniatur eorum iniquitas, ad odium: Quodquè maior sit misericordia Dei, si illas sustinentes, gratias Domino Deo agamus.

Titulus huius Psalmi talis est. In finem seruo Domini, ipsi Dauid: hoc est, inspiratio diuina ipsi Dauidi seruo Domini.

Summa: Multa iniquorum, & iniustorum iniquitas: sed maior Dei misericordia.

Dixit iniustus in semetipso: Quare in semetipso? quia in corde prius concipit, quomodò delinquat, & pariat iniquitatem, Psalm. 7. num. 15. & Isai. c. 59. num. 13. concepimus, & locuti sumus de corde verba mendacij. Vt delinquat? quia non est timor Dei ante oculos eius: quia præcepta Domini, reputat sibi aduersaria, cum ipse sit iniquitatis amicus: Iniquitas ergo tua ex te prouenit, quia contrà te perniciosè agis: quia magis peccata tua amans, odisti præcepta Dei: & ideircò benè Psalmus, dixit in semetipso, inquit, quia facere malum est in potestate ipsius iniusti. Augustin. Tu enim per te, ex viribus tuis nihil potes, adiuuat te ille, qui tibi sermonem misit, & vincitur iniquitas, si tu illam odisti, & Deus dimisit, & eris liber: dum ergo amas peccata, voluntas tua à Deo est aliena, Ambros. in huius Psalmi expositione; Quidquid loquitur iniustus iniquitas est, quam in sinum suum conuertit, vel in suum refert auctorem, sicut viperæ partus, qui post suum scindit parentem; sic igitur delinquit, & addit. Serpens alijs infundit venenum, iniustus sibi, iniustus igitur, alijs inutilis, & noxius sibi, hæc Ambros. Ierem. 8. nu. 5. & 6. Apprehenderunt mendacium, & noluerunt reuerti. Dixit iniustus in semetipso, vt fieret reus in cogitatione sua: proptereà euomit, quod in semetipso dixit, inquiens Psalm. 2. Dirumpamus vincula eius; & proijciamus iugum à nobis iugum ipsius. Mittamus lignum in panem eius, & eradamus eum de terra viuentium, & nomen eius non memoretur amplius, Ierem. 11. num. 19. Sap. 2. num. 12. Circumueniamus iustum, quoniam contrarius est operibus nostris, & num. 19. Contumelia, & tormento interrogemus eum: morte turpissima condemnemus eum. Delinquit

in ſemetipſum, quia pœnam parit in ſemetipſum in æternum. Impiè agit, quia in cogitationibus ſuis confidit, verba enim illius inſidiantur ſanguini, Prouerb. cap.12.num.1. & 6. Qui enim in Deum, ſeù proximum peccat, quem alium lædit, niſi animam ſuam? Prouerb.8.num.36. Cor eius congregauit iniquitatem ſibi; egrediebatur foras, & loquebatur in idipſum, Pſalm.40.num.7. & 8.

Dixit, quia iàm in corde ſuo ſpiritus malus intrauerat, & concepit iniquitatem, ideò ſtatuit apud ſe iniquè agere, Ioan.13.num.24. & poſt bucellam introiuit in eum Satanas ad perficiendam proditionem, qui anteà intrauerat ad promittendum, nàm ante cænam Iudas ad Sacerdotes iuerat, Matth. cap. 16. nu.14. dicens, quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam? & clarius Luc. cap.22.num.1. cum ſequenti. Appropinquabat autem feſtus azymorum, qui dicitur Paſcha: Intrauit autem Satanas in Iudam, &c. intrauit, & poſtquam conſenſit ille infelix, & concepit peperitq. vt proderet Ieſum: non enim intraſſet, ſi portam clauſam inueniſſet; aperta erat quia fur, & latro erat; quia prius dixit in ſemetipſo. Sed quid in ſemetipſo dixit? ſi tradam Ieſum diues euadam, quia dabunt mihi pecuniam. Dixit ergo in ſemetipſo prius: poſteà Satan introiuit, quum cogitationem ſuam approbauit, & iniquitatem illam concepit, quia bona ſibi videbatur negotiatio; peperit autem, quum dixit, quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam? triginta obtulerunt argenteos: tradiditq. oſculo Magiſtrum, quia timor Domini non erat ante oculos eius. Iniquitatem conceperat contrà iuſtitiam, ideò mentita eſt iniquitas ſibi, & ad nihilum deductus ille malignus, Pſal.13.n.3. quoniam doloſè egit in conſpectu Domini; dixit, in conſpectu Domini, quia in omni loco oculi Domini contemplantur bonos, & malos, Prouerb.15.nu 3. Infernus, & perditio coram Domino; quantò magis corda filiorum hominum, dicto cap.15. num.11. omnia ſiunt nuda, & aperta oculis eius, ad Hebr.4. ſi ergo peccas, quomodò Deus non te videbit? Auguſtin. de verb. Domini; Ipſum time, cui cura eſt, vt te videat, & ſaltem timendo caſtus eſto, aut ſi peccare vis, quære vbi te Deus non videat. Per id ergo quod iniquè egiſti in conſpectu Dei, ad odium contrà te magis prouocaſti Deum, & non ad veniam: ad puniendum, non ad parcendum, Aue Rabbi dicebas, & nouaculam acutam in manu contrà Ieſum tenebas, vt ab hominibus eum ſalutando iuſtus videreris; at ab omnibus inuenta eſt iniquitas tua, vt grauius punireris, verba tua iniquitas, & dolus. Magiſtrum habuiſti, vt benè ageres te docentem, intelligere noluiſti, & eundem Dominum vltorem, & condemnantem te inueniſti; ò iniquitas inaudita, ò ſcelus ſceleſtiſſimum: Quid te prohibuit, vt intelligeres Magiſtrum veritatis? Non caro, ſed voluntas tua fuit in cauſa, cum tu amares peccata, & Dei odiſſes præcepta. Nonnè tibi facilius fuiſſet præcepta Dei ſeruaſſe, quàm proditionis peccato conſenſiſſe? Timorem hominum, ò iniuſte times, & Deum videntem, & flagellantem non conſideras? tu à temetipſo dicis, te intrò eſſe, vt quod nemo te videat, ſed quare? ne ſcilicet reprehendaris: & Deum tibi adſtantem, quia delicta meditaris, & concipis non conſideras? non eſt timor Dei ante oculos tuos: Auguſtin. nunquid non eſt tibi præſens Deus; latet te, ſed volentem quia contrà te facis intelligere nolentem.

Quoniam doloſè egit in conſpectu eius, ne odio haberet iniquitatem ſuam, quam benè ſciebat, & agnoſcebat; noluit intelligere, vt benè ageret: malè

verò

verò operatus est, vt iram Dei in seipsum prouocaret, vt inueniatur iniquitas eius ad odium. Lactauit iste iniquus amicum suum,& Dominum, Prouerb. 16. num. 29. & inuenta est iniquitas sua ad odium: dolosè egit in conspectu Domini, cui omnia nuda, & aperta sunt: vt autem exterius coram hominibus bonus appareret, verba sua fictionibus repleuit; Hunc Deus odit, & punit; atque ad extremum contrà hos insurgit Christus, Matth. 22. & 23. Quid me tentatis hypocritæ? væ vobis hypocritæ: vt alios peccatores saluos faceret dicit se venisse; cum hypocritis nec pacem habuisse legitur, Marc. 11. venit enim quærere,&c. Hypocritarum vulnera incurabilia habentur. Seneca ad Lucillum c. 23. Omnia vitia in aperto leuiora sunt, morbiq. tunc ad sanitatem inclinant, cum ex abdito insurgunt: auaritiam, ambitionem, & cætera mala menti humanæ perniciosissima esse inquit, cum simulata sanctitate subsidunt: hæc Seneca. Interiora eius plena sunt dolo, Ecclesi. 19. num. 23. Iterum dicamus; Vt inueniatur eius iniquitas ad odium, dolosè egit in conspectu eius; hoc est, vt causa odij sui sanetur detecta turpitudine sui peccati: nàm reprehensione dignus erat, Ecclesi. 19. num. 9. Amico, & inimico si est tibi delictum noli denudare, audiet enim te,& custodiet te,& quasi defendens peccatum odiet te; & sic aderit sibi semper; Igitur quia dolosè egit in conspectu Domini, odio Deo factus est, proptereà quod inuenta est eius iniquitas sibi, quia peccatum illius contrà ipsum est semper; quia dolosè egit in conspectu Dei, tametsi intrinsecus ab ipso Deo argueretur, & à suamet conscientia, vt incorrigibilis factus est odiosus, tamquam peccati defensor.

Verba eius iniquitas, noluit intelligere vt bene ageret. Reprehendebatur intrinsecus Iudas iniquus, sed noluit intelligere, nec ab iniquitate sua recedere, donec Dominum non tradidisset; processio fuit in malis illius indisciplinati, & inuentio in detrimentum eius, Ecclesi. 20. num. 6. sicut enim leo venationi insidiatur semper, sic peccata operanti illi iniquitatem, Ecclesi. 27. numer. 11. Ideò verba illius iniquitas, cum & etiam peccatorum narratio sit odiosa, & risus illorum in delicijs peccati, ibidem nu. 14. noluit ergo intelligere, vt benè ageret. August. Quia perniciosius agit aduersus seipsum cor humanum, vt quod possit intelligere, si bona voluntas accederet, non intelligat: non quia difficile est, sed quia voluntas aduersa est; quod fit quando amant peccata, & oderunt præcepta Dei; hìc Augustin. Prius enim dixerat, aliud esse, quando quis conatur aliquid intelligere, & per infirmitatem carnis non potest, sicut Sap. 9 num. 15. Quia corpus quod corrumpitur aggrauat animam, & deprimit terrena habitatio sensum multa cogitantem: aliud verò quando periculosius agit aduersus seipsum cor humanum: quia panis eius in vtero suo vertitur in fel aspidum intrinsecus, & diuitias, quas deuorauit, euomet, & de ventre eius extrahet eas Deus; luet quæ fecit omnia, nec tamen consummetur; iuxtà multitudinem adinuentionum suarum sic & sustinebit, Iob d. cap. 20. num. 14. cum sequen.

Iniquitatem meditatus est in cubili suo: astitit omni viæ non bonæ, malitiam autem non odiuit. Describitur homo iniustus in semetipso, qui semper in corde suo mala meditatur, & cogitat, vt innocentem decipiat, & prodat. Vt delinquat in semetipso, quia proiecit legem Domini à semetipso; quia non vult intelligere, vt benè agat, sed tantum quomodò proximum decipiat,

vt prodat; Quid mirum? Timorem Domini non accepit, ideò dolosè egit, vt hominem deciperet, & videntem Dominum non considerauit, immo respexit in semetipso, & hominem timuit ne fallaciam suam impediat, & Deum videntem, qui illum pro dolo suo condemnaturus est, non prospexit, sed contempsit; dolum concepit in conspectu Dei, vt pœna illius iniquitatis publicetur in conspectu Terræ, & Cæli. Verba, quæ protulit in conspectu Dei, vt decipiat innocentem, sunt iniquitas, & dolus; cum nollet intelligere, quid esset ad salutem benè agere; ideò viam omnem malam elegit, Et iniquitatem, quam meditatus est in corde suo, in cubili suo perficiendam duxit. Pugnabat conscientia bona: sed illa relicta, amplexus est mala consilia: malitia præualuit, & illam accepit. Intrauit in cubiculum suum, Matth.6.num.6. sed non clausit illius ostium; Sperabat terrena, qui diuina spernebat, qui oculos habebat. Quomodò pacem in corpore habebis: si iniquitatem in cubili tuo concipis? Ex parte diaboli tu es, qui illum in iniquitatibus tuis sequeris, & imitaris, qui opera illius agis, Sap.2.num.25. Nec te iuuabit odium, quod operuisti fraudolenter, quia reuelata est malitia tua in consilio, Prouerb.26.num.26.

Solus erat in cubili suo, sed iniquitatem habebat; seù cogitabat in corde suo; foris & extrà fugiebat hominem, ne sciret; intus verò diabolum habebat, & ignorabat. Seneca in lib.1. Epistol. recitat quod Crates videns quemdam adolescentem ambulantem interrogauit, quid illic faceret solus: mecum, inquit, loquor; Cui Crates caue, ne cum homine malo loquaris; idest, ne tu ipse sis malus cum loqueris, nàm etsi solus tu meditaris iniqua: reuelabunt cæli iniquitatem tuam, & terra consurget aduersus te, Iob d. cap.20.num.27.

Malitiam autem non odiuit. Optimus miles, qui sine aliqua pugna trahitur à diabolo, ab iniquo, quem non odiuit, ideò contrà eum non pugnat, immo adstitit omni viæ non bonæ, vt socium haberet diabolum in interitu vitæ, & damnationis suæ.

Nec contrà illum pugnabat, quia illum non oderat, qui tradebatur à malitia sua, cui ille assistebat, nec ab illa discedebat, semper peccanti assistens, postquam is in cathedra pestilentiæ cum peccatoribus sedit, Psalm.1.num.1. Astiterunt principes terræ, & conuenerunt aduersus Dominum.

Hæc de Iuda iniquo, & Iudæorum populo, qui in te Domine perpetratura sunt mala prædixi, quia tu Domine, vt illa pronunciarem spiritu tuo sancto impellente, iussisti. Iudicia tua abyssus multa, poteras homines redimere alia via; Sic tamen mundum dilexisti, vt filium tuum vnigenitum ad humani generis redemptionem traderes, quia illius misertus fuisti. Magna ergo Domine in cælo est tua in humanum genus miseratio, cum illius non fuisset saluatio, nisi de cælo venisset tua redemptio. In cælo magna est misericordia tua, quia ipse filius tuus de cælo descendit, qui est summa misericordia, per quem tu fecisti omnia; & ipse vt nos redimeret languores nostros portauit, & liuore eius sanati sumus, quia misericors Iesus, ipse sic voluit, Isai.53.num.7.

Iustitia tua sicut montes Dei; Ideò iustitia sicut montes, quia nunquam deficit, Isai. cap.51.num.6. quia omnes iusti populum tuum dixisti, qui in perpetuum hæreditabunt terram, Isai.60.nu.21. hæc enim iustitia tua sicut montes perpetua, quia tu Domine ità promisisti, qui nō tardas promissiones tuas, 2.Petr. cap.1.nu.3. Qui vocas nos propria gloria, & virtute; & per ipsum filium tuum

ma-

maxima, & pretiosa nobis dona fecisti, vt per hæc efficiamur Diuinæ consortes naturæ, 2.Petr.cap.1.num.4. Iustitia ergo tua sicut montes Dei in æternum permansura, & vsque ad nubes veritas tua, vsque ad terram ad nos, qui in nube eramus, veritas tua filius tuus venit, vt doceret nos, & per ipsum saluaremur, qui est Via, Veritas, & Vita.

Quid moraris, ò inique, ò peccator; quòd ad Dominum non conuerteris? magna est misericordia in Cælo, si te peccasse pœnituerit in terra, vt salueris sine tuo merito. Viriliter agite, ò iusti; quia iustitia firma sicut montes Dei: vt qui in lege Domini ambulastis, bona iuxtà promissiones suas promerendo accipiatis æterna. Veritatem diligite omnes homines, terrena rectè iudicantes; quia veritatis bona, quæ nobis promissa sunt accipietis. Hæc enim omnia tria in hoc versiculo contineri dicimus, si misericordiam Cælo comparemus, veritatem nubibus, iustitiam montibus; inter quæ maior est misericordia Dei; per quam bona, quæ ex nobis mereri nequibamus recepturi sumus; quæve oculus enim non vidit, nec auris audiuit, dicit Apost. 1. Corinth. 2. num. 9. nec in cor hominis ascenderunt, Psalm. 144. num. 9. Suauis Dominus vniuersis, & miserationes eius super omnia opera eius. Ne tardes conuerti ad Dominum, ò peccator, & ne dixeris, quia peccaui, quid mali, & triste accidit mihi? est enim patiens redditor Altissimus. Nàm etsi magna sit miseratio Domini: misericordia tamen, & ira ab illo citò proximant, & in peccatores respicit ira illius, Ecclesi. 5. num. 6. Considera Iudam, de quo est scriptus Psalmus, quòd suspensus laqueo crepuit medius, & viscera eius dispersa. Immanis fuit traditor ille, & si pœnitens, ac desperans potius de misericordia Dei, quam minorem censuit grauitate delicti sui. Pœniteat te, & sit spes in misericordia Dei, quia, etsi peccata tua sint vt coccinum, alba fient sicut nix, Isai. d. cap. 1. num. 18. quia magna est super Cælos ipsa Dei misericordia.

Si verò pro nubibus, & montibus Apostolos, & alios Prædicatores intelligamus: etsi verè inquit August. nubes sunt Prædicatores verbi veritatis; quando miracula facit per Prædicatores Deus corruscat per nubes, terret per nubes, & irrigat per pluuiam, Prædicatores ergo isti, per quos prædicatur Euangelium Dei, nubes Dei sunt. hìc Augustin. Ecclesi. 42. num. 17. Nonnè Dominus fecit per sanctos narrare omnia mirabilia sua, quæ confirmauit Deus omnipotens stabiliri in gloria sua? Dicamus cum alijs, quod per nubes, idest Prædicatores cognouimus Dei misericordiam in Cælo esse. Misit enim Dominus veritatem suam, filium suum vsque ad nubes ad Apostolos, vt salua fieret gens, quæ in misericordiam Dei, in aduentum filij sperabat. At verò, ijsdem nubibus mandauit, ne pluerent super obstinatam Iudæorum Synagogam vineam suam olim dilectam, vt videntes cæci fierent, & audientes non intelligerent, Isai. 5. nu. 2. quia Dominum vitæ occiderunt, Act. cap. 13. num. 46. Tunc constanter Paulus, & Barnabas dixerunt; Vobis oportebat primum loqui verbum Dei; sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis vitæ æternæ; ecce conuertimur ad gentes: & illæ gentes audientes gauisæ sunt, & glorificabant verbum Domini: ibidem num. 47. & crediderunt, quotquot prædestinati erant ad vitam æternam, & in Cælo misericordiam Dei esse didicerunt, & crediderunt. Confessi sunt, quòd veritas Domini vsque ad nubes, per quas disseminabatur verbum Domini per vniuersam regionem, Isai. d. cap. 5 nu. 6. Posuit Iudaicam

vineam

vineam desertam, nec illa amplius putatur, nec foditur, propterea vepres, & spinæ ascenderunt super illam, Isai. vt supra, & quæ si vnica illa declarat, nu.7. Vinea Domini exercituum domus Israel est.

Misericordiam ergo, quæ in Cælo est, quam Sanctis tuis perpetuam das Domine, nobis etiam da, non terrenam, sed cælestem, & æternam, illam inquit, quam nubes, quam Apostoli tui vobis notam fecerunt, quamq. à dextris tuis existentibus dabis, dicens. Venite benedicti Patris mei, percipite Regnum, quod vobis à constitutione mundi paratum est, Matth.25.num.34.

Sed cur etiam Cælum non dicimus immaculatam Virginem, per quam nobis Cæli aperti sunt; & per quã salus nostra, & æternis in Cælo gaudijs perfruamur? Immo nec Cælum dicamus illam, quia illo maior est, & excelsior, quia quem Cæli capere non poterant suo contulit gremio, si matrem gentium dicamus, illa maioris est dignitatis. Matrem Dei dicamus illam, quia digna existit: Et Dominam Angelorum per omnia comprobemus; per Apostolos, & Doctores, & Prædicatores veritas ista fidei innotescit. Nubes ergo illi sunt; illa verò Cælum; quia vbi est misericordia, ibi & beatissima Virgo; ideò misericordiæ Mater ab Ecclesia vocatur, vndè Bernard. in quodam Serm. de Assumpt. Quis tuæ misericordiæ, ò benedicta; longitudinem, & latitudinem, sublimitatem, & profundum queat inuestigare? Nàm longitudo eius vsque in diem nouissimum inuocantibus eam, subuenit vniuersis: latitudo replet orbem terrarum; vt tua misericordia plena sit omnis terra: sic, & sublimitas eius Ciuitatis supernæ inuenit restaurationem: & profundum eius sedentibus in tenebris, & vmbra mortis obtinuit redemptionem. hæc Bernard. Domine in Cælo ergo misericordia, quæ tecum viuit, & interpellat pro nobis Virgo Maria, & hæc veritas per Sanctos Doctores, & Prædicatores nobis confirmata est.

Iustitia tua sicut montes Dei; iudicia tua abyssus multa. Hunc enim Deus exaltat, & hunc humiliat, Psalm.74. num.8. quantas ostendisti mihi tribulationes multas, & malas: & conuersus viuificasti me; quia potentia tua, & iustitia tua Deus vsque in altissima, quæ fecisti magnalia. Deus, quis similis tibi? Psalm.70.num.19. & 20. ò altitudo, idest profunditas diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei; quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius. Ideò abyssus multa iudicia, quia incomprehensibilia, ad Roman.cap.11. Conclusit Deus omnia in incredulitate, vt omnium misereatur; ex ipso enim, & per ipsum, & in ipso, sunt omnia, ipsi gloria in sæcula. Abyssus vallauit te, ò peccator; ad Dominum: oratio tua ad Templum sanctum eius. In peccatorum abyssum incidisti, quia Deus te dedit in concupiscentiam cordis tui, vt faceres, quæ non conueniunt; abyssus abyssum inuocat, Psalm.41.num.8. ideò in varia crimina delapsus es: idquè non ex Deo, sed quia tu magis in concupiscentia tua delectatus es, quàm in lege Domini, quæ benè tibi nota est, ad Roman. cap.1. num.21. Qui cum cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est cor insipiens eorum: dicentes, se esse sapientes, stulti facti sunt. Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam, vt contumelijs afficiant corpora sua in semetipsis, & num. 28. Tradidit illos Deus in reprobum sensum, vt faciant ea, quæ non conueniunt, repleti omni iniquitate, malitia, fornicatione, auaritia, nequitia, pleni inuidia, homicidio, con-

contentione, dolo, malignitate, susurrones, & quæ sequuntur.

Vides quanta in mala cecidisti, quàm multæ sunt abyssus, in quas tua culpa cecidisti: scias tamen quod maior est Dei erga te peccatorem misericordia eius. Conuertere ad Dominum, & ab illo auxilium pete, dicens, Auxilium meum à Domino; dignus quippè aliàs ex morte, quia talia fecisti, & illis consensum dedisti, ad Rom.d.cap.1.nu.32. Iudicia Dei abyssus multa, Augustin. hic. sicut montes Dei iustitia eius, qui per gratiam ipsius fiunt magni, sic per iudicia ipsius fiunt in profundo, qui merguntur in vltima, hac ergo te delectent montes, hac auertere ab abysso, & conuertere ad illud, quod dicitur, auxilium meum à Domino, Psalm.120. num.2. idem Augustin.

Leuaui oculos in montes: in Ecclesia Christi inuenis abyssos, inuenis & mõtes: inuenis ibi pauciores bonos, quia montes pauci sunt. Abyssus lata est, idest multos malè viuentes ab ira Dei, quia sic egerunt, vt traderentur in concupiscentias cordis sui; vt defendant peccata sua, & non confiteantur, sed dicat: quare? quid feci? & ille illud fecit, & ille hoc fecit, iàm, & defendere volunt, quod arguit sermo diuinus: abyssus est; Ideò dicitur peccator cum venerit in profundum malorum contemnit, Prouerb.18.n.3. ecce iudicia tua sicut abyssus multa. Sed nondum es mons, nondum es abyssus, fuge abyssum, attende in montes, sed non remaneas in montibus, auxilium tuum à Domino, qui fecit Cælum, & terram. Hæc Augustin. Obserua tu legem, & Dei mandata, & iustitia tua erit sicut montes firma, & secura: at si lex est, & mandata, ad quid propter iudicia tua recedis ab illa? Inducet enim te in abyssus multas, vt in pœnas inferni condemneris in sæcula: abyssus enim abyssum inuocat, d.Psalm.41. nu.18. Noli ergo plus sapere, quàm oporteat, ne obstupescas, Eccles.7.nu.17. & ad Roman.cap.12.num.35. sed conuertere ad Dominum, & relinque peccata: precare ante faciem Domini, & minue offendicula, reuertere ad Dominum, & auertere ab iniustitia tua, quia si pœnitens eris, dabit tibi Dominus viam iustitiæ, & cognosces iustitias, & iudicia eius, & stabis in sorte propositionis, & orationis Altissimi Dei, Eccles.cap.17. num.20. cum sequen. Idem sapere, quod Ecclesia te docet scire, eandem charitatem habens, ad Philippens. cap.2.num.2. in eadem permane regula, ad Philippens.cap.3.nu.16. depositum custodi, inquit Apostolus, 1. ad Timoth.6.nu.20. ò Timothee, deuitans prophanas vocum nouitates, & oppositiones falsi nominis scientiæ, quam quidam promittentes circà fidem exciderunt.

Iudicia tua abyssus multa. Sta in iustitia, & timore, deprime cor tuum, & sustine: inclina aurem tuam, & suscipe verba intellectus, Eccles.cap.2.num.2. cum sequen. immo coniungere Deo, & sustine, vt crescat in nouissimo vita tua. Iustitia sicut montes Dei, à quibus tibi ministrata est veritatis Scriptura per Apostolos, & magnos Prædicatores, non, vt in illis spem tuam ponas, & figas: de montibus per se non venit auxilium, sed à montibus, quia per eos viam veritatis docemur. A Domino Deo auxilium, quia ipse fecit nos, & redemit nos, Chrysost. Homil. 54. in imperfecto. Si verè credis futura, quare non das simplum in terra, vt septuplum accipias in Cælo? abyssi operuerunt peccatores, & descendunt in profundum quasi lapis, Exod.15.

Homines, & iumenta saluabis Domine, quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam Deus. Sunt in hoc mundo iusti, vt suprà, quorum iustitia

ſicut montes Dei: ſunt, & iniuſti, quorum peccata in infernum deducant illos poſt mortem: Miſericordia Dei, quia non ſumus conſumpti: pluit ſuper iuſtos, & iniuſtos, ſaluat homines, & iumenta; dans locum, & tempus, vt conuertantur ad Dominum, ideò multiplicata eſt miſericordia, quia fecit nos, & cum propter peccatum Adæ perditi eſſemus, ſemen enim tunc maledictum erat ab initio, Sap.cap.12.num.11. ſanguine ſuo redemit nos, viuificauit nos; hæredes Regni Cælorum conſtituit nos, ſi Domino Deo adhærere, & illi ſeruire voluerimus. Homines, & iumenta ſaluas Domine, vt, & iniuſti conuertantur, & interim per illos iuſti exerceantur, propterea filij hominum, ideſt iuſti tui in tegmine alarum inter malos etiam exiſtentes ſperabunt, vt in perpetuum vitam æternam habeant.

Homines, & iumenta filijq. hominum, non ſine myſterio dicta videntur ſic diſtincti. Quid enim per homines, niſi gens Iudæorum, qui legem Moyſis profitebantur exterius, intus verò auari, raptores, & adulteri; Sapientiam habere ſe iactabant; Vndè Ioan.9.num.34. in peccatis natus es, ità de cæco illuminato, dicebant, & Tu doces nos? Super cathedram Moyſi ſedebant, ſederunt Scribæ, & Phariſæi, Matth.23.num.1. & 2. Populus hìc labijs me honorat; Cor autem eorum longè eſt à me, ſine cauſa autem colunt me docentes doctrinas, & mandata hominum, Matth.cap.15.nu.7. & ſequen. & d. cap.23. nu.14. Væ vobis hypocritæ Scribæ, & Phariſæi, &c. quia comeditis domos viduarum, & num.33. Serpentes genimina viperarum, quomodò fugietis à iudicio gehennæ, &c. de his, inquit Iob cap.12. num.1. Vos eſtis ſoli homines, & vobiſcum morietur ſapientia.

Homines ſaluabis Domine, vt in die iudicij reliquiæ ſaluæ fiant, Iſai.10.n.22. Roman.9.num.27. Iumenta verò intelligamus cæteros, qui ſine intellectu, & ratione viuunt, ſicut iumenta, de quibus dicitur, Nolite fieri ſicut equus, & mulus, quibus non eſt intellectus, Pſalm.31. num.9. Turcæ, & cæteri Idololatræ ſunt, & vir vanus: tales ſunt iſti; Vir enim vanus in ſuperbiam erigitur, & tamquam pullus Onagri ſe liberum natum putat, Iob 11. num.12. Dixit inſipiens in corde ſuo: non eſt Deus, Pſalm.52.num.1. Iacent enim iſti, ſicut oues, paſtorem non habentes, Matth.9. num.36.

Cæteri verò Chriſtiani, & fideles filij hominum dicuntur, quia per ipſos verbum Dei prædicatur, per ipſos lex Chriſti obſeruatur lauacro regenerationis aqua Baptiſmi fideles mundantur, & baptizantur; iſti ſunt, de quibus, Pſalm.44. num.17. Pro patribus tuis nati ſunt tibi filij: conſtitues eos Principes ſuper omnem terram. Memores erunt nominis tui in omni generatione, & generationem.

Homines, & iumenta ſaluabis Domine, vt per ſanguinem tuum multiplicata miſericordia ſalui fiant, ſi credere voluerint, interim locum eis dans, & tempus pœnitentiæ. Filij autem hominum fideles tui ſub tegmine alarum tuarum ſperabunt, & proteges eos, 1.Corinth. cap. 15. numer.19. Si in hac vita tantum in Chriſto ſperantes eſſemus, miſerabiliores eſſemus omnibus hominibus. Nunc autem Chriſtus reſurrexit à mortuis primitiæ dormientium, quoniam quidem per hominem mors, & per hominem reſurrectio mortuorum, & ſicut in Adam omnes moriuntur, ità, & in Chriſto omnes viuificabuntur. hæc Paul. ibidem num. 22. Imaginem ergo Chriſti portemus; imaginem cæleſtis

hominis, vt filij hominis dicamur, & simus: nàm, & Christus filius hominis dicitur. Non ergo carnalia desideremus, nec vt filij Adæ terrena appetamus, sicut nec ille, qui filius hominis dictus est; speremus amantes cælestia, vt sub tegmine alarum Christi protegamur in hac vita: Misericordiam, quæ in Cælo est, desideremus, speremus, quæ nobis per nubes, per Apostolos annunciata est, vitam æternam. In Veteri Testamento desiderabant illa bona, quæ etiam dabantur iumentis, quia nondum venerat filius hominis, vt essent filij hominum. Augustin. Nubes, & tunc erant Prophetæ scilicet Christum venturum annunciantes, & prædicantes, qui crediderunt, filij hominum facti sunt; quia in venturo Christo sperauerunt: reliqui tamen homines, quia permanserunt in terrenis rebus spem ponentes, & cum iumentis saluati, demùm perditi euanuerunt. Homines obstupescite, & admiramini, fluctuate, & vacillate inebriamini, & non à vino, & non ab ebrietate, Isai.29.num.9. Deo sic vos ob peccata puniente.

Filij autem hominum sub tegmine alarum tuarum sperabunt. Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ. In velamento alarum tuarum exultabo, Psalm.62.n.9. suprà dixit, Psalm.15.nu.8. sub vmbra alarum tuarum protege me, ità etiam, Psalm.56.num.2. & in vmbra alarum tuarum sperabo donec transeat iniquitas; & Psalm.60.num.5. Inhabitabo in Tabernaculo tuo in sæcula: protegar in velamento alarum tuarũ, ità in Matth.c.25.n.37. Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti? Erant enim homines inania, & caduca sperantes, propterea noluerunt. Filij autem hominum, & volunt, & sperant in vmbra alarum Domini; non in terrenis cupiditatibus, sed in cælestibus Regnis, vt ad illa perueniamus in tegmine alarum speramus. Quæ sunt alæ Domini in tegmen, nisi charitas, & fides, quæ in Ecclesia prædicantur? habens ergo charitatem, & fidem, & in tegmine Ecclesiæ scilicet alarum Domini erit spes tua: propterea dixit inhabitabo in Tabernaculo tuo, quia si ex gremio Ecclesiæ Dei eris, in tegmine alarum suarum sperare poteris; si fidem, & charitatem in Deum, & in proximum habebis: Alæ dicuntur, quia ad superna euehunt, & ad cælestia meditanda conducunt, quid enim per alas nisi volatus? tende oculos tuos in Cælum, & inuenies ibi misericordiam Dei, & indulgentiam peccatorum tuorum: detrahe tua calceamenta de pedibus tuis, vt in vmbra alarum Domini sperare possis, & vestigia eius possit sequi pes tuus, Iob cap.23.num.11. Et vias eius custodire: nudus luctare, ne vestitus citius proijciaris in terram; vt nudus idest sine peccatis in patriam, vt in vmbra alarum Domini in patriam introducaris, & vsque ad solium eius venias, Iob dicto cap.23.num.2. hæc enim tibi benè erunt, si legem Domini custodieris, Prouerb. cap.3.num.22. super omnibus benedic Dominum, qui fecit te, & inebriantem te ab omnibus bonis suis, Eccles.cap.32. num. 17.

Inebriabuntur inquit Psalmista ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos; Ideò delectare iugiter in illo, vt vbera eius inebrient te omni tempore, Prouerb.5.nu.19. effundamus copiosissimè lachrymas, vt inebriemur in amore illius, Isai.cap.16.nu.9. Inebriabo te lachryma Esebon. Verbum Dei sic in nobis incorporetur, sic in illo inebriemur, vt terrena, & sæcularia obliuiscentes, cælestia solum sequamur. Inducit enim ebrietas obliuionem sui, & mentis alienationem; sit mens nostra à cupiditatibus terrenis aliena, vt

solum spiritualia quærentes perueniamus ad cælestia Regna. Gregor. Homil. 10 super Ezechiel. Bibit, & non inebriatur, qui ad cognoscendum Dei verbum deuotus est, sed quæ sunt huius sæculi desiderat, si enim inebriatus esset, mentem procul dubio mutasset, vt iàm terrena non quæreret: iàmq. transitoria, quæ amauerat, non amaret: hæc Gregor. Ideò Agge. cap. 1. nu. 6. Seminastis multum, & intulistis parum; comedistis, & non estis saturati, bibistis, & non estis inebriati, qui mercedes congregauit misit eas in sacculum pertusum. August. Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ? Psalmista quæsiuit inquit, verbum, vndè loqueretur de rebus humanis quod diceret; & quia vidit homines ingurgitantes se in ebrietate, accipere autem vinum immoderatè, & mentem perdere vidit. Quid diceret, quia cum accepta fuerit illa ineffabilis lætitia, perit quodammodò humana mens, & fit Diuina, & inebriatur ab vbertate domus Dei: vndè Psal. 22. num. 5. Calix tuus inebrians, quàm præclarus est. hæc Augustin. Calicem hunc ergo fratres accipiamus Domini, gratias Deo agentes cum Dauide dicentes, Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo, Psalm. 115. nu. 12. Comedamus carissimi, & bibamus ex hoc calice, & inebriemur, Cantic. 5. num. 1. Deumq. rogemus, vt hortum suum irriget, animas scilicet nostras hortum plantationum suarum; &, vt inebriet prati sui fructum; vt sit trames nobis abundans, & fluuius quasi mare doctrinæ, & sapientiæ suæ, illuminans nos omnes dormientes, & sperantes in Domino, Eccles. 24. num. 42. cum sequenti: Inebriet animam Sacerdotum pinguedine, vt populus bonis suis adimpleatur: animam lassam vestram inebriet, & esurientem satiet, Ierem. 31. num. 24. & 25.

Et torrente voluptatis tuæ potabis nos. Augustin. Torrens dicitur aqua veniens cum impetu; impetus erit misericordiæ Dei ad irrigandos, & inebriandos, qui modo ponunt spem sub vmbraculo alarum eius. Modo qui sitit spem ponat, qui sitit habeat spem, inebriatus habebit rem; antequam habeat rem, sitiat in spe, hæc Augustin. Vide quomodò torrens voluptatis, Act. c. 2. nu. 2. Et factus est repente de Cælo, tamquam aduenientis spiritus vehementis, & repleuit totam domum: Etenim in vno spiritu omnes nos in vnum corpus baptizati sumus: omnes nos in vno spiritu potati sumus, 1. Corinth. 12. nu. 13. potati sumus fratres, quia in Christo omnes baptizati sumus: inebriemur in bonis Domini. Bernard. in lib. de Diligendo Deo: Comedite ante mortem, bibite post mortem, & inebriamini post resurrectionem: idest ante mortem in carne mortali labores manuum nostrarum manducamus cum labore, quod deglutiendum est manducantes; post mortem verò in vita spirituali, cum bibemus suauissima quadam fęlicitate: tandem in vita immortali, vt impleantur plenitudine vera exuberantes. hæc Bernard. si ergo in Christo potati sumus, cur, & nos non inebriemur, vt oblitis carnalibus desiderijs, solum in mente nostra Deum habeamus? solum illum quæramus, solum illum desideremus, perquiramus, & illum inueniamus? vt sicut ille est in se, & nos illum videamus eoquè fruamur?

10 Quoniam, inquit, apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen: Accedas ergo ad ipsius fontis aquam, vt irrigeris, si vitam æternam habere cupis. Ibi enim currit torrens voluptatis eius, quia ipse est fons vitæ Christus: ego, inquit, sum Via, Veritas, & Vita, si quis crediderit in me non morietur in æternum, Ioan. 14. num. 6. fons, & Christus dicitur, Ierem. 2. nu. 13. Me dereli-

que-

querunt fontem aquæ viuæ,& in alio loco, Ioan.4.nu.14. qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum; sed aquam, quam ego dabo, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam: & Apocalypſ.21.num.6. Ego sitienti dabo de fonte aquæ vitæ gratis. Fons est, quia sitientes satiat: lumen, quia illuminat cæcos; quis hanc non biberit aquam, vt non sitiat in æternum? Ioan. d.cap.4.nu.13. & tametsi in tenebris sit, lumen istud habebit, quod lucet in tenebris, Ioan.1.nu.5. Sitiat anima nostra ad Deum fontem viuum, Pſalm.41. nu.2. Sitiat in te Domine anima nostra, quam multipliciter tibi caro nostra, Pſalm.62.nu.90. Vehementer sitiunt animæ nostræ, Eccleſ.51.nu.32. Aquam de petra tua Christe educas nobis sitientibus, 2.Esdr.c.9.num.15. Exod.17.n.6. suprà petrã Horeb percutias Domine, super desertum, quod interpretatur Horeb, scilicet populum Gentilem, virga Crucis tuæ percutias, vt in credentes percussa petra fluant aquæ largissimæ; vt bibant homines,& iumenta; Iudæi scilicet non credentes, & Gentiles baptizentur in illa, Num.c.20.nu.11. bis percutiat Christe manus tua petram silicem Iudæos, & Gentiles durissimos, & obstinatos bis percutiat illos, vt aqua largisima ex illa fluat super eos, vt credant, quia tu es filius Dei, & homo, & baptizentur, vt salui fiant: quia apud te est fons vitæ, fons, & vita. Si baptizati fuerint, in lumine tuo videbunt lumen: Cum tu sis lux vera, qui omnem illuminas venientem in hunc mundum, Ioan.d.cap.1. Si ex ore tuo legem suscipiant, & in cordibus suis sermones tuos in vijs eorũ tunc splendebit lumen tuum, & dabis eis pro terra silicem, & pro silice torrentes aureos, Iob 22.nu.22. & sequen. Limpido isto lumine omnis Orbis terrarum illuminetur, Sap.c.7.nu.19. Fons tu es Domine, quia sitientes satias, lumen es, qui illuminas cæcos; fac, nos te sitire, vt satiemur ab vbertate domus tuæ; Fac, eos, qui cæci sunt, videre, vt in lumine tuo, videant te lumen verum, qui illuminas omnes. Augustin. hìc. Aliquando alibi lumen, alibi fons; Aliquando enim currunt fontes, & in tenebris, & aliquando in Eremo pateris Solem, & non inuenis fontem: Hìc ergo possunt illa duo esse separata; ibi non fatigaberis, quia fons est: non tenebraberis, quia lumen est; Hæc Augustin.

Prætende misericordiam tuam scientibus te, & iustitiam tuam his, qui recto sunt corde. Misericordiam tuam ijs, qui sciunt te, qui nomen tuum confitentur, & credunt, ostende, & intelligant, quia tu es Deus filius Dei viui. Qui sunt recti corde, nisi qui voluntatem sequuntur Domini? non tua fiat, sed Dei voluntas; siue sanus sis, & diues, siue pauper, & infirmus est voluntas Dei; vt diues, & sanus in pauperes illas eroges, & distribuas; si illas retines, tua est voluntas non Dei; non eris recto corde. Diuitem te fecit Deus, vt charitatem in pauperes erogando misericordiæ suæ multipliceris in benedictione eius in Regno Cælorum; Quid auaro scelestius? gloria verò diuitum honoratorum, & pauperum timor Dei est, Eccleſ.10.nu.25. noli despicere hominem iustum, & pauperem; & noli magnificare virum peccatorem diuitem, num.27. est enim homo laborans, & festinans, & dolens impius, & tantò magis non abundabit; est homo marcidus egens recuperatione plus deficiens virtute, & abundans paupertate, & oculus Dei respexit illum in bono, Eccleſ.11.nu.12. Pſalm.71.n.13. Parcit pauperi, & inopi tu eris Adiutor, & Pſalm.108.n.31. Adstitit Dominus à dextris pauperis: oculos suos ne transuertat à paupere, & faciem suam ne auertat ab egeno, Eccleſ.4.num.1.& 5. Audi diues, quid Spiritus sanctus per Ezechielis os

loquatur, cap. 16. nu. 49. ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ ſororis tuæ, ſuperbia, ſaturitas panis, & abundantia, & otium ipſius, & filiorum eius, & manum egeno, & pauperi non porrigebat. Corrigas ergo voluntatem ad voluntatem Dei, non illa ad te curuetur, & rectum habebis cor, inquit Auguſtin. Benè eſt in hoc ſæculo, benedicatur Deus, qui conſolatur; laboratur in ſæculo, benedictus Deus, qui emendat, & probat; & eris recto corde, dicens, Benedicam Dominum in omni tempore, ſemper laus eius in ore meo, Pſalm. 33. hìc Auguſtin.

Prætende igitur Domine Ieſu, extende, magnam facias miſericordiam tuam ſcientibus te, & iuſtitiam tuam his, qui recto ſunt corde: præcedat miſericordia ſcientes te, vt ex iniuſtis iuſti fiant, vt iuſtis ex operibus bonis merces promiſſa exhibeatur, & hæc eſt iuſtitia.

Non veniat mihi pes ſuperbiæ, & manus peccatoris non me moueat; Ibi ceciderunt, qui operantur iniquitatem, expulſi ſunt, nec potuerunt ſtare; Pes meus non ſequatur veſtigia ſuperbi, qui de Cælo expulſus eſt, & cecidit cum illis, qui operantur iniquitatem, nec ibi potuerũt ſtare ſcilicet in Cælo, ſed in perpetuam damnationẽ in inferno poſiti ſunt; Ideò ſtatui ſuper petram pedes meos, Pſal. 39. nu. 3. ideſt ſuper humilitatem Chriſti; In illa dirigas greſſus tuos, vt pes tuus ſequatur veſtigia eius, & viam eius cuſtodias, neque ab illa declines, Iob 23. n. 11. Vt Dominus animam tuam de morte eripiat, & pedes tuos à lapſu, vt placeas Domino in regione viuorum, Pſalm. 114. num. 8. Pedes verò ſuperborum teneat abyſſus, Iudith 9. num. 8. & cum illis cadant, qui operantur iniquitatem. Dedit enim illos Dominus in manu, de qua non poterunt reſurgere, Ierem. 1. nu. 14. Diuinæ enim clementiæ adſcribitur, quod homo reſurgat, non propriæ potentię, Act. 3. nu. 6. In nomine Ieſu Chriſti ſurge: ſepelietur iniuſtus in inferno, quia timor Domini non erat in illo, & doloſè agebat coram eo. Verba enim illius iniquitas, & odium, vt miſericordia tua Domine contrà illum verteretur in odium, Eccleſ. 15. num. 17. quia elegit mortem, & amiſit vitam.

SOLILOQVIVM.

IVSTITIA tua Domine firma, ſicut mons tuus, & iudicia tua abyſſus multa. Super iuſtos, & iniuſtos miſericordia tua eſt Domine, Filij tui in tegmine alarum tuarum ſperabunt, & inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabuntur, quia tu es fons vitæ, & lumen, in quo videbunt lumen. Conſerua nos Domine, & miſericordiam tuam extende ſuper nos, ne vnquam pes ſuperbiæ apprehendat nos, nec inimicus noſter glorietur ſuper nos. Tu enim Domine cum nos in delictis mortui eſſemus, nobis omnia delicta donaſti: tollens de medio Chyrographum decreti, quod nobis contrarium erat, & Cruci illud affigens: Cuius feſtum Inuentionis hodie colimus. Tui amoris timorem cordibus noſtris infunde, vt miſericordia tua adiuti; in Cælo tecum eſſe mereamur; Aufer à nobis Domine ſpiritum ſuperbiæ, omneq. malum auerte, vt ſacroſancto lumine tuo illuminati, quamuis in tenebris ſimus, luce tua, quæ in tenebris lucet, illuſtratos, dignos facias ad cæleſtia tua Regna peruenire. Amen.

Domine Ieſu per Crucem, & paſſionẽ tuam liberemur ab omnibus offenſionibus tuis, Eccleſiamq. tuam, populumq. tuum perpetua pace cuſtodi; vt à cunctis aduerſitatibus ſit libera te protegente, tuoq. nomini perpetuo deuota. Amen.

IN PSALMVM XXXVI.

Noli æmulari in malignantibus: neque zelaueris facientes iniquitatem.



CONTINVATVR ad præcedentem Psalmum hoc modo, quia supra dicebatur, qui nàm mali iniusti dicerentur, quibus etiam Dominus dat tempus, & locum, vt conuertantur; & quorum conuersionem Ecclesia desiderat; consequenter in hoc Psalmo docetur, quomodò iniusti, ac mali efficiantur boni, & recti.

Titulus Psalmus Dauid.

Summa hæc est. Documentum Christi, per quod mali, & iniusti conuerti possint ad Dominum.

Noli æmulari in malignantibus: Vidisti impium superexaltatum, & eleuatum sicut Cedros Libani in hoc eodem Psalm. num. 35. Iustum verò perijsse in iustitia sua, & impium multo viuere tempore in malitia sua, Eccles.7.nu.16. Quare via impiorum prosperatur: benè est omnibus, qui præuaricantur, & iniquè agunt? Ierem.12.num.1. Iob 21.nu.7. Quare impij viuunt, subleuati sunt, Confortatiq. diuitijs? Noli æmulari frater, neque mireris, hæc est enim voluntas Dei, vel, vt ipsi conuertantur, vel, vt per eos boni exerceantur: Tu verò spera in Domino, & fac bonitatem, noli facere malitiam, quam respicis in illis malè florentibus, 1. Ioan.5.nu.9. terram autem inhabita Ecclesiæ, vt agricola merearis esse in illa: extrà terram non est bonitas, ò maligne quia extrà Ecclesiam nō est eius cultura: hanc enim terram, hanc, & vineam vnicam Ecclesiam Deus irrigat, ipsam colit: pater illius agricola est, vt tu, cum illam rigaueris in bonitate, cum illo efficiaris, & agricola, Paul.1.Corinth.3. num.9. Dei enim sumus adiutores, Dei agricultura, Dei ædificatio estis, Sanctus Augustin. de Tempore Serm.119. in fine. Si Deus agricola, agrum colit, quem agrum? Colit nos? agricola Deus incrementum dat, si credimus in illum. Sed si non es in terra, quomodò eris agricola? extrà Ecclesiam non est terra, quæ inhabitanda proponitur; frustrà rigas qui extrà illam stas. Propterea ne æmuleris in malignantibus, qui, & si in illa fuerint, non tamen rigant, adeòq. neo pascuntur in diuitijs agricolæ patris: ipse enim Deus diuitiæ inhabitantis, & rigantis terram: ipse Dominus pars hæreditatis, d.Psalm.15.num.5. ipse est pars nostra, Psalm.72.num.26. Non ergo æmuleris, non indigneris, quia tibi forsan videantur quasi impunè peccantes maligni: nunquid de magnitudine Diuinæ clementiæ dolens eris, quia, & te peccatorem, tamquam non peccantem ignorare videtur? Quid indignaris, quia frater tuus peccator est? & tu quis es, & Dominus nihilominus sustinet te? Iacob.cap.4.nu.13. Tu autem quis es, qui iudicas proximum? Zelum de Deo tantum habeas. Sap.5.num.18. accipiat armaturam zelus illius, & armabit ad vltionem inimicorum eius, & ad Ephes.6. nu.13. Accipite armaturam Dei, vt possitis resistere in die malo, 1. Machab.c.2. num.27. Zelando enim zelum Dei Phinees, accepit sacerdotij æterni testamentum, nu.54. ibidem: zelum malum amarum vocat Apostolus Iacob: vbi is est;

ibi

ibi inconſtantia, & omne opus prauum, cap.3.num.14. & 16. quis ſcit, ſi tu qui alium zelas, peior illo ſis? Indignaris contrà peccata aliorum; & pro tuis pœnam tibi imminentem non conſideras? Prouerb.3. nu.31. ne æmuleris hominem iniuſtum, nec mireris vias eius; quia abominatio Domini omnis illuſor, &c.

Noli ergo æmulari in malignantibus: neque zelaueris facientes iniquitatem. Quid æmularis? quia diuites facti ſint, & in vijs terræ proſperantur? an ignoras quia diuites eſurierunt, & eguerunt, d.Pſalm.33.nu.11. Auarus enim non impletur pecunia; & qui amat diuitias, fructum non capiet ex eis: & pereunt in afflictione peſſima: nudus de vtero egreſſus, & nudus reuertitur, neque aliquid auferet ſecum, Eccleſ.5. num.9. cum ſequen. Vndè Sophon.cap.1.nu.11. Diſperierunt omnes inuoluti argento: non peribunt. Sed perierunt, inquit, Immo ſecum multas portant pœnas, ignem æternum ipſos comburentem, & nunquam deficientem. Ite enim dixit Ieſus in ignem æternum,Matth.25.n.41. Centuplum verò illi accipient qui domum, & fratres, aut agros, &c. propter nomen Domini reliquerint, & vitam æternam poſſidebunt, Matth.19.nu.29. Qui delectantur in Domino illi verè diuites ſunt: hoc petat cor tuum; ſit iſta cordis tui, non carnis, petitio ad lucem, quæ illuminat, vt Deum videas, & mundus corde eris, Matth.5.num.56, ità delecteris in Domino, vt det tibi petitiones cordis tui: Auguſtin. Ecce deſidero, rogo, nolo; ego ne implebo? Non, inquit; ſed quis ergo? reuela Domino viam tuam, & ſpera in eum, & ipſe faciet,&c. indica illi quid patiaris, indica illi quid velis: Caro, inquit Apoſtolus ad Galat.5.nu.17.concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem, ad Roma 7. num.24. Infelix ego homo, quis liberabit me de corpore mortis huius: & quid ipſe faciet cum reuelaueris ad eum viam tuam? vide quid ſequatur. Gratia Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, & educet ſicut lumen iuſtitiam tuam. Hæc Auguſtin. Non zeles gloriam, & opes peccatoris: non enim ſcis quæ futura ſit illius ſubuerſio, Eccleſ.9. numer.16. vndè Pſalm.47.num.8. In ſpiritu vehementi conteres Naues Tharſis: Nauigio enim Tharſis comparantur ibi per Hieron.qui in huius ſæculi fluctibus circumferuntur omni vento luxuriæ, & vanitatis, & Nyſſen. Orat. 14. in Cantic. Nauis Tharſis inquit, innatans vitioſitas. Noli inquit, æmulari in malignantibus; ad quid etenim æmulatio, quando illorum propinqua eſt deſtructio, & deſolatio? vultis enim dare florem Moab, quia florens egredietur? vt inquit Ierem.48. num.9. Vaſtitas illi imminebat, & flores, vt illi exhiberentur ſcriptura dicit, Ironice tamen num.1. Iactabatur in delitijs, & mors illi propinqua erat, magisq.arma, quam flores, pro defenſione ipſius requirebantur. Date ergo flores, ideſt alas Moab, vt volando volet; Non ergo maligni delicias æmuleris, cum potius luctus ſit, quia imminet ſuæ perditionis tempus: vndè Chaldæus: Auferte coronam à Moab, ne fortè volando, & fugiendo, ea grauetur, & detineatur. Non ergo emulemini, ſed potius, iuxtà lectionem 70. quæ habet. Date ſigna Moab, ſubſidium militum adducite, & pleraque ſigna militaria, vt liberetur Moab, præliando, non flores exhibendo. Vis ergo æmulari malignantes? illis compatiaris, quia in bello victi, morti, & deſtructioni facti ſunt propinquiores. Quid eſt vita hominis in terra niſi militia? Iob 7. nu.1. Vndè D. Bernard. in Sermone de Miſeria humana,inquit, Quid foris vagaris,ò homo?

quid

quid foris quæris ? quid in carnalibus ſtudes? quid in ſæcularibus te implicas ? quid in vanitatibus te inuoluis? In inferioribus delectaris ? quid ab omnibus interioribus, & exterioribus elongaris, & per ea, quæ foris ſunt diffunderis? quantò magis ad mundum accedis, tantò magis à te recedis ; quantò magis foris es ſapiens, tantò magis ſtultus efficieris; quantò magis foris lucraris, tantò magis intus perdis, quantò magis in his, quæ foris ſunt, vagaris, magis intus euacuaris : quantò magis in temporalibus ſolicitus es, tantò magis in ſpiritualibus mendicus eris . Dormit in te ſpiritus Dei , & vigilat in te ſpiritus mundi . Feruet in corde tuo amor terrenorum,& moritur in te amor æternorum bonorum. Mundum diligis , & Deum relinquis . Omnium recordaris , & te ipſum obliuiſceris , quæ ſuper terram ſunt deſideras & diligis , cæleſtia verò non curas : appropinquas ad interitum , & elongaris à ſalute : curris ad Diabolum , & elongaris à Deo: Redi , redi præuaricator ad cor . hæc Bernardus .

Noli æmulari in malignantibus , neque zelaueris pacem peccatorum: vide , ne in ſcandalum cadas tu, & dubitationem, dum iraſceris ſuper impiorum proſperitate: prout parum abfuit ne ſibi contingeret ipſe ſignificauit Dauid, dicens: Mei penè moti ſunt pedes , penè effuſi ſunt greſſus mei : Quia zelaui ſuper iniquos, pacem peccatorum videns , Pſalm.72.num.1. quia horrendè, & citò apparebit illis : quoniam iudicium duriſſimum fiet illis: Exiguo enim conceditur miſericordia, Sap.d.cap.6.num.7. non enim eſt impotens Deus impios ſubijcere iuſtis, aut beſtijs ſæuis, aut verbo duro ſimul exterminare: ſed partibus iudicans dat locum pœnitentiæ , non ignorans , quia nequam eſt natio eorum , & naturalis malitia ipſorum: nàm nec timens aliquem, veniam dat peccatis, Sap. d.c.12.n.11. tamquam fœnum velociter areſcunt, potius ſubſannatione, & riſu digni iſti ſunt , vt interpretatur Hieron. illud Amos, cap.7.num.9. Demolientur excelſa Idola , legens cum 70. & diſſipabuntur aræ riſus ,&c. ideſt quæ riſu, & ſubſannatione dignæ ſunt : Quis enim non rideat illum , qui veneratur florem fœni breui marceſcendum, & finiendum ? Prouerb.1.num.26. Ego verò in interitu veſtro ridebo , & ſubſannabo , cum vobis id quod timebatis aduenerit, Iacob. in ſua Epiſt. cap.4.nu.15. Quæ eſt enim vita veſtra ? vapor eſt ad modicum parens , & deindè exterminabitur , & cap.5.num.1. Agite nunc diuites , plorate vlulantes in miſerijs veſtris : diuitiæ veſtræ putrefactæ ſunt, &c. aurum , & argentum veſtrum eruginauit , & ærugo eorum in teſtimonium vobis erit . Quid eſt homo , & quæ eſt gratia illius , & quid eſt bonum , aut quid nequam illius ? Numerus dierum hominum , vt multum centum annorum : quaſi gutta aquæ maris deputati ſunt; & ſicut calculus arenæ , ſic exigui anni in die æui , Eccleſ.18. num.7.

Quoniam tamquam fœnum velociter areſcent; & quemadmodum olera herbarum citò decident. Vanitas enim vanitatum , & omnia vanitas , Eccleſ. cap.1.nu.1.& deficiunt in vanitate dies eorum , Pſalm.77.n.33. & in Pſalm. 38. vniuerſa vanitas omnis homo viuens, num. 6. Quid verò de malignantibus dicemus ? In vanitatibus nutati , & decepti , ad perpetuas pœnas condemnati , & tu talibus æmulari vis? Extrema gaudij luctus occupat , Prouerb.14.nu.3. Flores apparuerunt in terra noſtra , Cantic. 2. nu.12. Nàm cum iàm apparuerint , egreſſiq. ſint flores , nihil amplius immorandum, eſt enim tempus putationis , quo ſcilicet amputentur , antequam marceſcant , Gregor. Nyſſen. in lib. de

Homi-

Hominis opific. in illis verbis: faciamus hominem. Vndarum, inquit, instar, res nostræ fugiunt nos.

Væ qui opulenti estis in Sion, & confiditis in monte Samariæ, Amos 6.n.1. qui separati estis in diem malum: & appropinquatis solio iniquitatis,&c. & n.5. qui canitis ad vocem psalterij: sicut Dauid putauerunt se habere vasa Cantici bibentes, &c. num.5. Exemplo enim Dauid se defendere volebant, cum ille ad Dei laudem cantauerit, ipsi verò ad corporis gaudium, & voluptatem, & quid sequitur? num.7. quapropter nunc migrabunt in capite transmigrantium, & auferetur factio lasciuientium, &c. Ad delicias, & splendorem domus incumbunt isti diuites, & malignantes, & vndè hoc? Quia vt ibidem legunt 70. Interpretes, quasi stantia putauerunt, & non quasi fugientia: æmulantur stupefacti,& suspensi specie decipientis,& prætereuntis floris huius mundi, Facit Prouerb.18. num.11. Substantia diuitis vrbs roboris eius, & quasi murus validus circumdans eum. Vrbs, & murus in imaginatione eius: hanc imaginationem ad nihilum redigit Deus, Psalm.72.num.19. quomodò facti sunt in desolationem, subitò perierunt. Velut somnium surgentium Domine in Ciuitate tua imaginem ipsorum ad nihilum rediges, num.20.

Verba omnia Augustin. super Psalm.53. liceat mihi hic transcribere. Ziphæi accusauerunt Dauidem, quod ille esset apud ipsos, quando Saul illum occidere volebat, hos enim florentes diuitijs & malignantes tales vocat August. in hoc sæculo stantes: Hos aliquando attendunt filij lucis infirmi, & nutant eorum pedes, cum viderint malos fælicitate florere: & dicunt apud semetipsos; quid mihi prodest innocentia: quid mihi prodest quòd Deo seruio? quòd mandata eius custodio, quòd neminem premo, nemini aliquid raptio,nulli noceo, quod possum præsto? florent illi, ego laboro; quid enim? & tu Ziphæus vis esse: Florent in sæculo, arescunt in iudicio, & post ariditatem in ignem æternum mittentur. Hoc velis, & tu, &c. Si flos Ziphæorum appetendus esset, ipse Dominus tuus, nonnè & in hoc sæculo floruisset? an verò deerat illi, vt hic posset florere? sed hoc maluit inter Ziphæos latere, & dicere Pontio Pilato interroganti tamquam, & ipsi flori Ziphæorum, & suspecto de regno eius, Regnum meum non est de hoc mundo. Ergo & hic latebat, & omnes boni latent hic, quia bonum eorum intus est, absconditum est, in corde est, vbi fides, vbi charitas, vbi spes, vbi Thesaurus illorum. Nunquid hæc bona latentia apparent in sæculo? & hæc bona latent, & horum bonorum merces latet. At verò dignitas sæculi nitet ad tempus: nunquid semper nitebit? Herba est hyemalis, vsque ad æstatem viret. Non ergo fiat in animo, quod in alio Psalmo inuenimus. Confitetur enim quidam se cecidisse nutantem, & labasse gressus suos, ambulantes in via Dei, dùm aspiceret florem quemdam, fælicitatemque iniquorum; & posteaquam cognouisset, quid inquis, seruaret Deus, & quid iustis laborantibus promitteret, agens gratias de hac cognitione, ait d.Psal.72. Quàm bonus es Israel Deus rectis corde. Quare hoc dicis? Mei autem, inquit penè moti sunt pedes mei. Vndè? quia zelaui in peccatoribus pacem peccatorum videns.

Posteaquam intellexit in nouissima, inquit, labor est ante me, idest magna mihi surrexit quæstio in corde, quare homines malè faciunt, & in sæculo florēt; multi autem benè agunt, & in hac terra laborant. Quæstio ista magna cum

in

in me esset: Labor est, inquit, ante me, donec introeam in Sanctuarium Dei, & intelligam in nouissima. Quæ autem sint ista nouissima, declarat Matth. 25. nu. 41. Cum autem venerit filius hominis congregabuntur ante eum omnes gentes, & separabit eos, sicut pastor segregat oues ab hædis: oues ponit ad dextram, hædos ad sinistram. Ecce Ziphæi separabuntur: flamma sequitur separationem. Vbi est flos eorum, qui iàm ad sinistram stabunt? quid dicant, lege in Sap. cap. 5. num. 8. hæc Augustin.

Quibus benè consonant, quæ Gregor. in 12. Moral. cap. 5. Reproborum inquit vita, tantò sine flagello dimittitur, quantò ad nulla præmia seruatur, c. 6. Moral. 17. quasi per amena prata ad carcerem peruenit, qui per præsentis vitæ prospera ad interitum tendit, & idem Augustin. in libro Soliloquiorum, c. 21. qui hìc consolantur Domine Iesu, indigni tua consolatione habentur. Magna pœna, vbi nulla pœna, dixit in alio loco: fructuosus esset dolor, cum hìc te accusas; cum in te reprehendis malos mores tuos: Infructuosus post mortem dolor tuus.

Noli æmulari in malignantibus, quia imprudens vir eris: Nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ Domine, Psalm. 71. Vir imprudens non cognoscit hæc: quid non cognoscit? quid non intelligit? Cum exorti fuerint peccatores. Vir imprudens non cognoscet hæc, & stultus non intelliget hæc: sed quid non intelliget? Cum exorti fuerint peccatores sicut fœnum, & prolongati fuerint omnes qui operantur iniquitatem, vt intereant in sæculum sæculi. Mali florent, dicebat apud se: puto malos amet Deus; conuersi sunt ad iniquitatem, vt interirent, non ad tempus sicut illi florent, sed in sæculum sæculi. Isai. c. 40. nu. 24. & quidem neque plantatus, neque satus, neque radicatus in terra truncus eorum, repente flauit in eos, & aruerunt, & turbo quasi stipulam auferet eos: qui verò sperant in Domino mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut Aquilæ, current, & non laborabunt, ambulabunt & non deficient, ibidem num. 30.

Omnis gloria hominis quasi flos agri: exsiccatum est fœnum, & cecidit flos, d. cap. 40. nu. 7. Quia spiritus Domini sufflauit in eo: Verbum autem Domini manet in æternum. Quid ergo tibi cum flore morituro? habes florem ex virga Iesse, super quem tota diuini spiritus gratia requieuit, florem incorruptum, immarcescibilem, sempiternum, Tertullian. in libro de Corona Milit.

Cum Augustin. in Tract. 2. in 1. Epist. Ioan. dicimus. Rerum temporalium fluuius trahit, sed tamquam circà fluuium arbor nata est Dominus noster Iesus Christus. Tene lignum, tene Christum, &c. quia tunc in malignantibus non æmulaberis, nec illos imitaberis, qui per iniquas fraudes diuitias congregant. Talium enim gloria, & diuitiæ sicut flos fœni, Isai. d. cap. 40. num. 8. exsiccatur fœnum, & flos cadit, Iacob. Epist. cap. 1. num. 10. Gloriatur diues in humilitate sua, quoniam sicut flos fœni transibit: Exortus est enim Sol cum ardore, & arescit fœnum, & flos eius decidet, ità, & diues in itineribus suis marcescet. Auertat ergo Deus oculos nostros, ne videant vanitates, Psalm. 118. sed in via sua viuificet nos.

Spera in Domino, & fac bonitatem, & inhabita terram, & pasceris in diuitijs eius. Tria hìc requiruntur simul coniuncta, si in diuitijs cælestibus delectaberis permanere, & illis frui: Spes, Fides, Charitas. Confitere Dominum Iesum

Iesum Christum, quòd ipse sit filius Dei viui, qui de Cælis ad nos mortales descendit, vt immoralitate illius frueremur. Fidei autem adiecta sit, & charitas, quia fides sine operibus mortua est, Iacob.d.cap.1.num.17. fides, si non habeat opera, mortua est in semetipsa, & num.24. ex operibus enim iustificatur homo, & non ex fide tantùm. Vndè Paul.1.Corinth.13.num.2. Si habuero omnem fidem itàvt montes transferam, Charitatem autem non habuero, nihil sum. Vndè Augustin. lib.6. contrà Iulianum, cap.117. Qui rectè amat proculdubio rectè credit, & sperat, qui verò non amat, inaniter credit, etiamsi sint vera, quæ credit. Accedant etiam opera ad spem, ad Rom.8.num.24. Spe salui facti sumus, & 1.Petri c.1.nu.3. Regenerauit nos in spem viuam per resurrectionem Christi ex mortuis in hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatam & immarcessibilem, conseruatã in cælis in vobis, qui in virtute Dei custodimini, per fidem in salutem, paratã reuelari in tempore nouissimo, &c. Greg.23. Moral.c.10. Non satis est habere fidem, nisi vir sit fidelis. Hinc quod dicitur obedire fidei, non est solum assentiri, sed opere complere, quæ fides ostendit facienda, Ioan.4. in fine, D.Anselm. in cap.1.Epist.ad Roman. & propterea Christus reliquit nobis dictum per Ioan. cap.5. num.79. Qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ procedent, &c. Non dixit. Qui crediderunt, procedent, sed qui bona fecerunt, procedent, &c. Augustin. de Fide, & operibus, cap.23. Quid enim fides sine operibus, nisi figura absque virtute? Chrysostom. homil.8. nu.1. ad Timoth.

Spera ergo in Domino, sed fac & bonitatem: nec sat est facere bonitatem, si non inhabites, & terram: nàm quomodò Dei agricultura eris, si in terra sua in Ecclesia non habitaueris? vt igitur inhabites, tibi fides spes, charitas necessaria est.

Fides sit tibi, & spes in Domino, & benè operare, si in Ecclesia Dei inhabitare volueris: quia fides sine operibus mortua est: & sine fide impossibile est placere Deo, ad Hebræos cap.11. nu.6. Oportet inquit accedentem ad Deum credere, si ergo in terram intraueris, & credideris, tunc ad Deum accessisse diceris: Si fides tua, & spes tua in Deo erit, 1. Petri cap.1. num.21. si fidei, & spei iuncta fuerint opera tua bona: fides debet operibus cooperari, quia ex operibus iustificatur homo, & non ex fide tantùm: nàm sicut corpus sine spiritu mortuum est, ità, & fides sine operibus mortua est, Iacob.d.cap.2.nu.26. Debes ergo fidem habere, & bonis operibus illam sustinere, Matth.3.num.8. Facite fructum dignum pœnitentiæ, & Ioan.8. num.39. Si filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite: omnis enim arbor, quæ non facit fructum bonum excidetur, inquit Matth.d.cap.3.num.10. & in ignem mittetur, & Paulus ad Ephes. c.5. num.8. & 9. Eratis enim aliquando tenebræ; nunc autem lux in Domino, vt filij lucis ambuletis: fructus autem lucis est in omni bonitate, & iustitia, & veritate: & quamuis nos non simus ex semine Abrahæ iuxtà carnem, si tamen eius fidem obedientiam, & pietatem imitamur, eius filij censemur, Paul. ad Roman. cap.4.num.12. Pater reputatur non ijs tantùm, qui sunt ex circumcisione, sed & ijs, qui sectantur vestigia fidei sicut scriptum est, Genes. 17. nu.4. Quia Pater multarum gentium posui te, vndè Augustin. in Psalm. 105. Nos si gratiam Dei firmo corde retinemus, sumus Israel, & semen Abrahæ, non enim carnaliter circumcisæ genti tantummodò factus est Pater, cui dictum est: Patrem multarum gentium constitui te; Origen. homil. 18. in Genes. ait,

Pro-

Propter te hæc scripta sunt, quia, & tu credidisti quidem Deo, sed nisi opera fidei expleueris, nisi omnibus præceptis etiam difficilioribus parueris, non agnosceris, quia timeas Dominum, Augustin. super Psalm.31.col.2. fides sine operibus mortua esset, & tamquam radix sine fructu sterilis, atque arida remaneret, Iacob.d.c.2. quid ergo? debemus nulla opera præponere fidei: idest vt ante fidem quisquam dicatur bona operatus: ea enim opera ipsa, quæ dicuntur ante fidem, quamuis videantur hominibus laudabilia, inania sunt, & mihi videntur esse, vt magnæ vires, & cursus celerrimus præter viam: nemo ergo cóputet bona opera sua ante fidem: vbi fides non erat, bonum opus non erat: bonum enim opus intentio facit, intentionem fides dirigit. Non valdè attendas quid homo faciat, sed quid cum facit aspiciat, quò lacertos optimæ gubernationis dirigat. Fac enim hominem benè gubernare Nauim, & perdidisse quò tendit, quid valet, quia attentionem optimè tenet, optimè mouet, dat proram fluctibus, cauet ne latera infligantur, tantis est viribus, vt detorqueat Nauim quò velit, atque vndè velit: & dicatur ei vsquequò is, & dicat nescio, aut non dicat nescio, sed dicat ad illum portum eo, nec ducat in portum, sed in saxa festinet? Nonnè iste quantò tibi videtur in Naui gubernanda agilior, & efficacior, tantò periculosius eam sic gubernat, vt ad naufragiũ properando perducat? Talis est qui optimè currit præter viam. Nonnè ergo erat melius, & tolerabilius, vt esset gubernator ille aliquantò inualidior, vt cum labore, & aliqua difficultate gubernacula regeret, & tamen rectum, debitumq. cursum teneret: rursumq. ille pigrius etiã, & imbecillius, tamen viam ambularet, quam prę ter viã fortiter curreret? Optimus ergo ille, qui, & viam tenet, & benè ibi ambulat: sequẽdo spem, qui, & si aliquantulum claudicat, nó omnino errat, aut remanet, sed progreditur, & si paulatim fortasse enim sperandum est, eum quò tendit etiã tardius peruenturum. Ergo fratres ex fide iustificatus est Abraham: sed si fidem opera nó præcesserunt, tamẽ secuta sunt. Nunquid fides tua sterilis erit? si sterilis non es, sterilis non est ipsa. Aliquid malè credidisti, & igne malitiæ tuæ radicem tuæ fidei concremasti? Tene ergo fidem operaturus. Sed dicis non hoc ait Apostolus ad Galat.5.n.2. fides, inquit, per dilectionem operatur, & alio loco, ad Rom.13.n.10. Plenitudo legis charitas, & alio loco. Omnis enim lex in vno sermone impletur in eo quod scriptũ est: diliges proximum tuum tamquã te ipsum. Vide si non vult te operari, qui dicit, non adulterabis, ad Rom.13. non homicidium facies, non concupisces, & si quod est aliud mandatum, in hoc sermone recapitulatur: Diliges proximum tuũ tamquam te ipsum, dilectio proximi, malum non operatur, plenitudo autem legis charitas, hæc August. d. Psal.31.

Fides ergo, & opera requiruntur vt iustificetur homo, Concil. Trid. sess.6.c.10. & hæc omnia simul iuncta colliguntur ex nostro hoc Psalmo, dum dicit: spera in Domino, fac bonitatem, & inhabitabis terram, idest habeas fidem, quam tenet Ecclesia sancta, & pasceris in diuitijs eius. Quæ enim sunt diuitiæ Domini, nisi Scriptura sancta, quã ignorant, qui extrà Ecclesiã sunt, Ioan.20.n.9. Tunc ergo introiuit, & ille discipulus, qui venerat primus ad monumẽtum: & vidit, & credidit: nondũ enim sciebant scripturam: quia nondũ ingressi erãt. Introiuit Petrus, introiuit & Ioannes, & post introitum, & ingressum crediderunt, & scripturam intellexerunt. Recubuerunt discipuli cum Iesu, & tunc aperti sunt oculi eorum, & cognouerunt eum; & cum reliquias, quæ illi superfuerant illis distribuisset,

tunc aperuit illis sensum, vt intelligerent scripturas : Et considera, atque mediteris, quia Luc. in cap. 24. nu. 30. Recubuit Iesus cum illis, & num. 94. Sumens reliquias dedit illis, & tunc aperuit illis sensum, vt intelligerent scripturas; recumbas, & tu cum Domino in Ecclesia sua, scilicet credas quia ibi sumitur Corpus, & Sanguis Domini Iesu Christi; & tunc aperietur tibi sensus, vt intelligas Scripturam sanctam, & Psalmos. Scrutando scripturas pasceris, quia omnes loquuntur de filio Dei Iesu Christo, quo, & pasceris, Ioan. cap. 5. num. 39. quia testimonium perhibent de illo. Et pascens in diuitijs eius, quas Dominus narrauit in scripturis populorũ, & Principum horum, qui fuerunt in ea, Psal. 86. num. 6. qui fuerunt, inquit, in ea; non illis, qui extrà illam: qui ideò errant non scientes scripturas, & virtutem Dei, Marc. 12. nu. 24. & 27. Extra enim disciplinam sunt, ergo adulteri, & non filij, ad Hebr. c. 12. nu. 8. & 1. Corinth. c. 5. nu. 12. Quid autem mihi de ijs, qui foris sunt iudicare, nonnè de ijs, qui intus sunt, vos iudicatis? nàm eos, qui foris sunt, Deus iudicabit. Auferte malum ex vobis ipsis.

Cum ergo Deus sit possessio nostra, & nos illius possessio simus: Vitaq. nostra is sit, & consolatio nostra: Cur non delectemur in eo? & si in illo mouemur, & sumus, Cur, & cor nostrum non erit semper ardens in illo? petitiones nostræ sint iuxtà id, quod habemus in corde, & ipse dabit petitiones cordis nostri: Deus cordis mei. Inflammatum est cor meum in te Deum meum, & renes mei; affectiones meæ carnales mutentur in spirituale tantùm desiderium, & amorem: quia ignorans hucusq. operatus sum. Confiteor imbecillitatem, & humilitatem meam, quia ad nihilum redactus eram, & nesciebam. Ex nunc, vt iumentum apud te Dominum semper ero tecum: Quia tu manum meam dexteram tenuisti: & in voluntate tua deduxisti me per viam rectam; in Ecclesia tua hac militanti cum gloria suscepisti me nunc in spe, posteà in re; quid pulchrius est in cælo? aut in terra quod appetam, præter te? Psalm. 72. n. 21. & 24. Deus tu es cordis mei, & pars mea in æternum. Delectare ergo anima mea in Domino Iesu, quia dabit tibi petitiones cordis tui, illum quæris, ecce inuenies quem desideras, quia tecum semper est: Benedic anima mea Domino, qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas; & noli obliuisci omnes retributiones eius, Psal. 102. n. 1. Benedic anima mea Domino, & omnia, quę intra me sunt nomini sancto eius, & dabit tibi petitiones cordis tui: non illas carnis, quæ infirmæ sunt: sed luminis claritatem, vt corde mundus videas quæ Dei sunt, Matth. 5. n. 2. Timorē Domini habeas, si delectationem habere cupis, Eccles. c. 1. nu. 12. Timor, inquit, Domini delectabit cor, & dabit lætitiam, & gaudium, & longitudinem dierum: si ergo est Iustis merces, & vindicta impijs; quærant isti mane, & nocte, & quoties volunt euntes, & reuertentes, quia actum est de illis, de impijs inquam, nisi conuertantur, dum possunt conuerti, Isai. 21. nu. 22. Custos quid de nocte? custos quid de nocte? dixit custos: Venit mane, & nox: si quæritis, quærite, conuertimini, & venite. Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui: suscipiat cor tuum verba Domini, & custodi præceptum eius, & viues, Prouerb. 4. n. 4. & cap. 2. n. 2. & seq. Penes te mandata eius absconde, & sermones eius suscipe, vt sapientiam auris tua audiat, inclina cor tuum ad prudentiam cognoscendam, tunc enim si quæsieris eam quasi pecuniam, & sicut thesauros effoderis illam: & tunc Domini timorē intelliges, & scientiam Dei inuenies. Et quia tunc delectaberis in Domino, dabit

tibi

tibi petitiones cordis tui: longitudinem ſcilicet dierum, & annos vitæ, quia in intimis cordis tui præcepta Domini cuſtodiſti, & ſperaſti in Domino ex toto corde tuo, Prouerb.3.num.3.

Reuela Domino viam tuam, & ſpera in eo; & ipſe faciet. Quid eſt homo, vt immaculatus ſit, & vt iuſtus appareat natus de muliere? Iob.15.num.14. ſi peccator es, quia omnis homo mendax, Pſalm.115.nu.11. Reuela Domino opera tua, vt dirigantur cogitationes tuæ, Prouerb.d.cap.16.nu.3. Confitearis peccata tua, quia Ieſus venit, vt peccatores vocaret, Matth.9.n.13.Luc.5.n.32. Reuela ergo tu, & confitearis peccata tua, vitam tuam, viam, quam vſque huc prauam duxiſti, & doleas te peccaſſe, confitendo Domino, & Sacerdoti, qui locum Dei tenet,& ſpera in eo,& ipſe faciet, Num.c.5. Vir ſeu mulier cum peccauerint,& mandatum Domini tranſgreſſi fuerint confitebuntur peccatum, Geneſ.43.num.12. Iuſtus enim prior eſt accuſator ſui, Prouerb.18.nu.17.hinc dicitur, Prouerb.28.nu.13.qui abſcondit peccata ſua, ſcelera ſua, non dirigetur: qui autem confeſſus fuerit, & reliquerit ea, miſericordiam conſequitur: Vndè Beatus dicitur homo, qui ſemper eſt pauidus, ibidem num.14. recogitat enim omnes annos ſuos in amaritudine animæ ſuæ, Iſai.38.nu.15. Reuela igitur vias tuas,ideſt, ne confundaris confiteri peccata tua: ante mortem confitere inquit Eccleſ.c.4.n.31.&c.17.n.26. & 27.à mortuis inquit quaſi nihil,perit confeſſio, ideò cōfiteberis viuens,viuus,& ſanus confiteberis, & laudabis Deum,& gloriaberis in miſerationibus eius, ibid.n.27. Hanc autē, & abſoluendi poteſtatē Deus dedit Apoſtolis ſuis,& ſucceſſoribus, Matth.16.n.19. Et tibi dabo claues regni Cælorum,& quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum, & in Cælis, & quodcumque ſolueris ſuper terram,erit ſolutum,& in Cælis,Ioan.20.n.23.Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta ſunt, Iacob.5.n.16. & 1.Ioan.c.1.num.9. Si confiteamur peccata noſtra: fidelis eſt, & iuſtus, vt remittat nobis peccata noſtra, & emundet nos ab omni iniquitate. Qui vult ergo confiteri peccata, vt inueniat gratiam, quærat Sacerdotem, qui ſciat, & poſſit ligare, & ſoluere, ne cum negligens circà ſe extiterit, negligatur ab eo, qui eum miſericorditer monet, & petit, Auguſtin. de vera, & falſa Pœnitentia, cap.10. in medio.

Reuela Domino viam tuam, Ambroſ. hic. Aperi conſcientiam tuam, ne eam ſæculi iſtius grauet vmbra: prorumpentia ſemina ſi fuerint adumbrata, tenuantur,ſi obiecta Soli pingueſcunt, ipſaſq.arbuſculos quominus in altum ſubijciant vmbra ſilueſtris interuenit, & prohibet brachia ramoſa diffundere. Reuela Domino viam tuam, noli abſcondere, ſicut abſcondit Cain. Serm.4. in Pſalm.118. Ibi vias meas annunciaui,& exaudiſti me.Confitetur inquit errores, non negat lapſus, ſi enim ſe accuſauerit iuſtus, vocem parati accuſatoris excludit, vtinam Adam ſe prius accuſare, quam celare voluiſſet. Præueni ergo accuſationem tuam. Si te ipſe accuſaueris, accuſationem nullam timebis; ſi te detuleris ipſe,idem Ambr.lib.2.de Pœnit.c.7.&c.10.In Eccleſia nihil eſt quod pudori eſſe debeat, niſi non fateri, ille iuſtior, qui ſibi abiectior. Diſparem confeſſionis exitum conſidera. In mundi iudicio, poſt accuſationem, & confeſſionem criminis, ſequitur mors confitentis: apud verò Dei Tribunal poſt accuſationem, & criminum confeſſionem datur Corona, Chryſoſt.homil.3. de verb. Iſai.& in Pſal.54. Vbi enim confeſſio,ibi decor,& pulchritudo. Si peccata ſunt,

in confessione lauantur. Ama confessionem si affectas decorem, bonum animæ ornamentum confessio, quæ, & peccatorem purgat, & iustum reddit purgatiorem, absque confessione iustus iudicatur ægrotus, & peccator mortuus reputatur, Bernard. in Epist. 113. ad ea verba, Confessio, & pulchritudo in conspectu eius, Augustin. in Psalm. 31. in 2. Concione col. 3. & 4. ibi: Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata, si texit peccata Deus, noluit aduertere: si noluit aduertere, noluit animaduertere: si noluit animaduertere, noluit punire, noluit agnoscere, maluit ignoscere, tecta dixit, vt non viderentur, vt nõ punirentur; videre enim Domini est punire, dummodò non sit in ore suo dolus. Qui nolunt cõfiteri peccata, laborãt sine causa in defensione peccatorum suorum, iactantes merita sua, non videntes iniquitates suas: Superbè se iactabat ille Pharisæus, Luc. 18. Non sum sicut cæteri homines: Publicanus verò stans à longè percutiebat pectus suum. Tunsio pectoris, obtritio cordis. Deus, dicebat ille, propitius esto mihi peccatori: se ipsum intuebatur Publicanus, conscientiam suam puniebat, non audebat oculos ad Cælum leuare; ipse sibi iudex erat, vt ille intercederet: Ipse puniebat, vt ille laboraret: ipse accusabat, vt ille defenderet: adeò defensus est, quia dixit pro ipso sententiam. Descendit iustificatus Publicanus ille: Pharisæus non erat sine peccato, saltim superbiæ: quis namque sine peccato? quis gloriabitur castum se habere cor? aut quis gloriabitur, mundum se esse à peccatis? Prouerb. 20. n. 9. Habebat ergo ille peccata, erat tamen tamquam in statione Medici curandus, & sana membra ostendebat, vulnera tegebat. Deus ergo tegat vulnera, non tu: nàm si tu tegere volueris erubescens, Medicus non curabit. Medicus tegat, & curet emplastro enim tegit: sub tegmine Medici sanatur vulnus, sub tegmine vulnerati, celatur vulnus. Cui celas? qui nouit omnia. Itaque fratres videte. Quoniam tacui inueterauerunt ossa mea, clamando tota die, &c. Quid est hoc? si acclamando, quomodò tacuit? Tacuit vndè proficeret, non tacuit vndè deficeret. Tacuit confessionem, clamauit præsumptionem. Tacui enim dixit, non sum confessus, ibi oportebat vt loqueretur: taceret merita sua, clamaret peccata sua: Nunc autem peruersè tacuit peccata sua, clamauit merita sua; ideò inueterauerunt ossa eius. Intendite, quia si clamaret peccata sua, & taceret merita sua, innouarentur ossa eius, virtutes eius esset robustus in Domino, quia inueniretur in se infirmus. Modo autem qui in se voluit esse firmus, factus est infirmus: remansit in vetustate, qui noluit confitendo amare nouitatem. Noui enim sunt, quorum remissę sunt iniquitates, & tecta sunt illorum peccata: Ergo quoniam tacuit à confessione, inueterauerunt ossa eius, acclamando me tota die, hæc Augustin. Acclamare enim est in defensione peccatorum suorum permanere, & post alia. Humiliatur Pharisæus, quia exaltauit se: exaltatur Publicanus, quia humiliauit se: noluit humiliari confessione iniquitatis suæ; humiliatus est pondere manus Dei: Non ergo erubescas, si curari desideras.

Reuela Domino viam tuam: agnosce, & peccatum tuum confitere, vt qui cognoscit, & ille ignoscat: aperias tu, vt ille operiat: Iniquitates tuas notas fac: vt ille operiat, qui venit, vt illas curet, & remittat. Spera tunc in Domino, & ipse faciet: educet enim sicut lumen iustitiá tuam, & iudicium tuum tamquam meridiem. Quare non dixit, eduxit, sed educet? Quia certamen est, dum in itinere tu es, caro aduersus spiritum; Reuela Domino viam hanc tuam; quia dicet

tibi,

tibi, sufficit tibi gratia mea: tu certa, & labora. Nàm & si abscondita nunc videatur iustitia tua: quia in fide res est nondum in specie: tamen sicut lumen educetur iustitia tua; est enim tibi spes nunc, ideò sustines, ideò laboras, quia tibi est fides, nondum vides quod credis.

Cum autem cœperis videre quod credidisti, educetur in lumine iustitia tua: sed quomodò educetur in lumine iustitia tua? Quia qui timent Dominum inuenient iudicium iustum, & iustitias quasi lumen accendent, Eccles. 32. n. 20. Ante iudicium para iustitiam tibi, Eccles. 18. num. 19. in lumine iustitiæ tuæ. Quia cum Christus sit lux vera, Ioan. 1. quæ per fidem in tenebris idest in hoc mundo lucet: Si Christus sequaris, iudicium tuum tamquam meridies lucidum apparebit, & quasi lumen iustitiam tuam ipse educet, quæ medio die clarior apparebit: quia tu in lumine Christi eris, & ille in te, Ioan. cap. 17. nu. 21. quia claritatem, quam dedit illi pater, & ille dabit tibi. Quæ sursum sunt sapiamus, non quæ super terram, vt ipse educat tamquam lumen iustitiam nostram, fidem nostram, bona opera nostra propter quæ saluandos nos per gratiam suam speramus, & si adhuc visus procul tibi videatur, sed apparebit in finem, & non metietur; si moram fecerit, expecta illum; quia veniens veniet, & non tardabit: Interim tu qui iustus es, in fide viuas, scriptum est enim iustus ex fide viuit, Habac. 1. num. 3. Virtus, inquit Dei, ad Rom. 1. n. 26. & 27. est in salutem omni credenti, &c. Iustitia enim Dei in eo reuelatur ex fide in fidem: sicut scriptum est: Iustus autem ex fide viuit. hæc Paul. Quis ostendit, quod tibi Deus promisit? August. Promissorem adhuc tenes, exhibitorem verò tu expectas, quia potius tu Christum sequi iudicasti, & proposuisti. In abscondito ergo est iudicium, adhuc ab infidelibus reprehenditur, & irridetur, Sap. cap. 2. num. 6. fruamur bonis quæ sunt, &c. Iudicium tuum est, quòd iudicas tu magis sequi Christum promittentem quòd non vides, quàm impium reprehendentem credidisse te quod nondum vides. Sæculum istud quasi nox, ideò iudicium tuum non apparet: sed quando Christus apparuerit vita nostra, & tunc, & tu cum ipso apparebis in gloria. hæc August. Impij verò tunc dicent: nos errauimus à via veritatis, & iustitiæ lumen non luxit nobis, & Sol intelligentiæ non est ortus nobis: In malignitate nostra consumpti sumus, Sap. 5. num. 6. & num. 24. talia dixerunt in Inferno hi, qui peccauerunt: Vitam nostram illi impij insaniam æstimabant: & ecce quomodò iudicium illorum lucidum factum est, quasi meridies: illi, inquit, Sap. 3. nu. 4. sunt impunes quamuis coram hominibus tormenta passi sunt, & spes illorum immortalitate plena: Nos verò impij in malignitate nostra sumus consumpti, d. cap. 5. num. 13. Tu, qui Christum vt sequaris iudicasti, præpara animam tuam ad tentationem, sta in iustitia, & timore, Eccles. cap. 2. num. 1. nàm hic quid aliud, nisi angustiæ, & tribulationes. Oportet semper orare, & non deficere, Luc. 18. num. 7. quia beatus si vsque ad finem perseueraueris, Matth. 24. num. 13. Sis ergo subditus Domino, qui ad regna cælestia cupis peruenire, & ora illum continuè, idest vita tua sit, vt obedias præceptis Dei, semper enim orat, qui benè agit, & in hoc illi subditus apparebis; sed quare mercedem non accipis? August. Quia fortè capere nondum potes. Iam ille potest dare, sed tu non potes accipere; hæc Augustin. Milita militiam Dei, exerce te in operibus; labora in vinea, quia mercedem ab illo accipies, qui illam tibi dare promisit, Fidelis enim est Deus, qui

ideò in vineam te conduxit, Matth. cap. 20. num. 8. & cap. 21. numer. 28.

Noli æmulari in eo, qui prosperatur in via sua, in homine faciente iniustitias. Omnis homo, qui comedit, & bibit, & videt bonum de labore suo, hoc donum Dei est, Eccles. cap. 3, num. 13. & cap. 5. num. 18. & omni homini, cui dedit Deus diuitias, atque substantiam, potestatemq. ei tribuit, vt comedat ex eis, & fruatur parte sua, & lætetur in labore suo: hoc donum est Dei, non enim satis recordabitur diebus vitæ suæ, eo quod Deus occupat delicijs cor eius, ibidem nu. 19. forsan Dei consiliarius es tu, qui æmularis hominum prosperitates in via sua? quid ad te? si non est bonum, nisi à Deo, quam recipis iniuriam, quia huic dare voluit, vt in hac vita fruatur, tibi verò, vt patiaris, & sequaris Christi vestigia, si sic vult ità illum hic manere, quid ad te? tu Dominum sequere, Ioan. cap. 21. num. 22. & ità voluit Deus liberalitate sua vti, forsan tu nequam, quia bonus ipse est, Matth. 20. nu. 15. an non licet illi facere quod vult facere? Forsan tu dicis, quia non nouit Dominus: & quasi per caliginem iudicat? nubes latibulum eius, nec nostra considerat, & circà cardines Cæli perambulat? procul hæc sententia à te, Iob 22. nu. 13. & 18. Videbunt iusti, & lætabuntur, & innocens subsannauit eos: nonnè succisa est erectio eorum, & reliquias domus eorum deuorauit ignis? num. 20. noli ergo malignari, acquiesce ei, & habeto pacem, & per hæc habebis fructus optimos, num. 21.

Augustin. in Expositione Euangelij Ioan. tract. 25. col. 6. Quare æmularis? quare displicuit tibi Deus in corde? quia dedit fælicitatem malis: & ideò nutauerunt mihi pedes, quasi sine causa seruissem Deo: ideò ergo mei penè commoti sunt pedes, quia non fui rectus corde. Quid est homo rectus corde? sequens voluntatem Dei: felix est ille, laborat ille, ille malè viuit, & felix est, illo iustè viuit, & laborat. Non indignetur iustè viuens, & laborans. Intus habet quod felix ille non habet: non ergo tristetur, non maceretur, non deficiat. Felix ille habet aurum in arca, iste Deum in conscientia. Compara nunc aurum, & Deum: Arcam, & conscientiam: ille illud habebit quod perit, & ibi habet vndè perit: iste Deum habet, qui perire non potest, & ibi habet vndè auferri non potest, sed si sit rectus corde. Tunc enim intrat, & non exit, ideò ille quid dicebat? Psalm. 35. nu. 10. Quoniam apud te est fons vitæ, non apud nos: ideò intrare debemus, vt viuamus, non quasi nobis sufficere, vt pereamus, non quasi de nostro velle satiari, vt arescamus: sed nos ad ipsum fontem ponere, vbi aqua non deficit. hæc Augustin.

Noli ergo æmulari in eo, qui prosperatur in via sua: nàm quæ est in mundo peccatorum via nisi vmbra, in qua viuentes citò pereunt, vt in tenebris, & vmbra perpetuò crucientur? Iob cap. 8. num. 11. cum sequen. Scirpus nunquid virere potest absque humore, aut crescere Carectum sine aqua? Cum adhuc sit in flore, nec carpatur manu, ante omnes herbas arescit: sic viæ omnium, qui obliuiscuntur Deum, & spes hypocritæ peribit, sicut tela aranearum fiducia illorum, iter enim impiorum peribit, & Psalm. 1. nu. 6. quia deuium est, Prouerb. d. cap. 12. num. 28.

Sed quæro, cur Psalmista, hominem non dixerit, sed tantum noli æmulari in eo, qui prosperatur in via sua: inferius verò dixerit, & in homine iniustitiam faciente? nunquid aliud est hominis genus? vel aliud rationale animal, quia tantum ad prospera mundi respicit? Animali certè cōparauit ad terrena tantum inten-

intentum, & cogitantem, & præter terrena nihil aliud sperantem, propterea dixit in eo, qui prosperatur in via sua, hæc enim est eius vita, vt in hac semper ambulet via, vt prosperetur in illa, sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus: non enim recordabitur dierum vitæ suæ, eo quod Deus occupet delitijs cor eius, Eccles.cap.5.nu.19. Quid tu hic? aut quasi quis hic? quia excidisti tibi hic sepulchrum, &c. Deus asportare te faciet, &c. Sicut asportatur gallus gallinaceus: nàm coronabit te in tribulationibus, quasi pilam mittet te in terram latam, & spatiosam, ibi morieris, &c. Isai.22.num.18. In eo, dixit, quia nec dignus est, vt nominetur homo, Ierem.dicto cap.12.num.3. istos enim congregat Deus quasi gregem ad victimam, & præparat eos in die occisionis: Cur laboras, & animam tuam fraudas? Eccles.4. num.8. pereunt tales in afflictione pessima, & interim saturitas illorum non sinit eos dormire, Eccles.cap.5.nu.11. nesciunt enim sacramenta Dei, Sap.cap.2.num.20. Ergo noli æmulari in eo, qui non est homo, qui se infinitis miscuit quæstionibus; & si Deus illum rectum fecerit: Similes sepulchris dealbatis vocat Deus, Matth.23. numer.27. intus verò plena sunt ossibus mortuorum: parent à foris hominibus, &c. istorum enim prosperitas est solum in vita, dum hic sunt viatores, sed in termino vitæ cessat illorum prosperitas.

Homines verò vocat iniustitias facientes: quia, & si iniusti sint, seruat tamen illos Deus ad iustorum suorum probationem, Psalm.118.num.78. Iniusti iniquitatem fecerunt in me, ego autem exercebor in iustificationibus tuis, in mandatis tuis. Non tamquam homo dicitur, & consideratur, qui in via sua prosperatur, & ideò in eo dicitur, nec homo vocatur, quia nihil ad nos eorum diuitiæ, & prosperitas: sed homo iniustus, ideò homo vocatur, quia per ipsum bonus exercetur, & ideò conseruatur, & à Deo toleratur: Augustin. de peccatore fecit Deus flagellum, dedit ei, & honorem, dedit ei, & potestatem. Aliquando enim facit hoc, dat peccatori potestatem, flagellantur inde res humanæ, emendantur inde pij: peccatori illi hoc redditur, quod debetur, & tamen factus est de illo, vndè proficiat pius, vndè deficiat impius. Quæres locum eius, & non inuenies: Mansueti autem hæreditate possidebunt terram. hæc Augustin. Prosperatur ergo in via sua, tu verò ne turberis, cum sis in via Domini. Augustin. Illi prosperitas in via est, in peruentione infelicitas: tibi labor in via, in peruentione felicitas. hæc Augustin. Quid ergo æmularis, quid scandalizaris, vel illi inuides, qui morte perpetua moriturus est. Iter enim impiorum peribit: quia non in via Domini, sed in sua ambulauerunt, ideò finita via, remanet infelicitas æterna, quia stultus vijs suis repleri voluit: nouissimum autem eius deducet ad mortem, Prouerb.14.num.12. & 14. tu verò si in omni virtute tua conseruaueris vias Domini, idest præcepta eius obseruaueris; in nouissimis inuenies requiem in illo, & conuertetur tibi in oblectationem, & erunt tibi compedes in protectionem fortitudinis, & bases virtutis, & torques illius in stolam gloriæ. Ideò cogitatum tuum habe in præceptis Dei, & in mandatis eius maximè assiduus esto: & ipse dabit tibi cor, Eccles.d.cap.6.n.29. & 37.

Acquiesce ergo tu iuste iudicio Dei, tace, subditus illi esto: noli irasci, quia pacem peccatorum videas, quia diuites facti sunt iniqui: Magna enim sunt iudicia Dei, & inscrutabilia verba eius: ne tu cum indisciplinatis erraueris, dum enim persuasũ habent iniqui posse dominari nationi sanctæ: vinculis tenebrarũ,

& longæ noctis compediti; inclusi sub tectis, fugitiui perpetuæ prouidentiæ iacuerunt. Et dum putant, se latere in obscuris peccatis, tenebroso obliuionis velamento dispersi sunt, peccantes horrendè, & cum admiratione nimia perturbati, Sap. cap. 17. num. 1. cum seq. Sed quid æmuleris, quia diues? nunquid conuersatio vitæ composita est ad lucrum, ideò quod oporteat vndecunque etiam ex malo acquirere? omnes enim insipientes, & infelices suprà modum animæ superbi. Noscas tu Deum, & hæc est consummata iustitia: quia scire iustitiam, & virtutem Dei, radix est immortalitatis, Sap. cap. 15. num. 3. cum seq. Esto firmus in via Domini, Eccles. dicto cap. 15. num. 12. In via Domini ambula, quia ille non te fallit, si in ea ambulaueris. Angusta est, & pauci ambulant per eam; propterea multi vocati, pauci electi: Intrà tu per angustam portam: quia lata porta, & spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem, Matth. 7. num. 13. & multi sunt, qui intrant per eam: & si angusta videatur, ad magnam tamen per illam peruenitur latitudinem ad Deum scilicet, qui est bonitas ipsa, gaudiū nostrum, & vita nostra: hunc considera, per hanc ambula, sit itineris tui finis illuc peruenire, vbi secundum animā creatus es ab authore vitę.

Si in te fuerit ira, quia peccator sit prosperatus in via sua; desine ab ira, nequando contrà Deum irasci videaris, & indignari: Bona enim, & mala, vita, & mors, paupertas, & honestas à Deo sunt, Eccles. cap. 11. num. 14. Dominus hominem ab initio reliquit in manu consilij sui, ante hominem vita, & mors, bonum, & malum, Eccles. cap. 15. num. 16. & 18. quod placuit ei, dedit illi: elegit viam suam; & amisit viam rectam Domini. Quæ enim via Domini Iesu, nisi afflictiones, tormenta, passiones, Crux, & mors: nec tamen vnquam contrà hæc inferentes iratum illum legistis, sed pro persequentibus exorantem sæpe audistis: & tu irasci vis, & æmulari, vt malignus, & tu efficiaris imitando eum, qui maligna faciendo florere tibi videtur, & floret, sed ad tempus malignus, vt posteà in æternum exterminetur. Augustin. Flagella, Crucem, mortem pro te Iesus est passus: & quid horum iusto debebatur? quid non tibi peccatori debebatur? tu summus maior eris Domino tuo? quid tibi promisit nisi, vt si velis vitam cum ipso habere æternam, tollas, & tu in hoc mundo Crucem tuam, & sequaris illum: vt vendas omnia, quæ habes, & des pauperibus, Matth. 19. num. 21. desine ab ira, & derelinque furorem, cum videris impium in terra florentem: Quid enim prodest homini, si vniuersum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?

Vis ergo æmulari iniquo florenti, vt tu animam tuam perdas, pro tali commutatione florendo? Matth. 16. num. 26. Noli igitur æmulari frater, neque irasci, quia iniquus florere tibi videatur, recipit enim bona in vita sua, vt crucietur in alia æterna, Luc. 16. num. 25. Caue ne declines ad iniquitatem, Iob 36. num. 21. nec te superet ira, ibidem num. 18. sed pergas illuc, si sis pauper, vbi est vita, Eccles. 6. num. 8.

Noli æmulari in malignantibus: fuge æmulationem, ne tu malignus etiam efficiaris. Noli æmulando malignos fieri malignus, & socius eius: quoniam qui malignantur exterminabuntur, ne tu cum illis destruaris. Quæ communicatio sancto homini ad canem? aut quæ pars diuiti ad pauperes? Eccles. 13. num. 22. non effugiet in rapina peccator, Eccles. 16. num. 14. sed in subsidijs suis capientur iniqui, Prouerb. cap. 11. n. 6. & cum impietate sua corruet impius, ibidem num. 5.

num. 5. Gregor. Epist. 5. Nihil, inquit, in hoc mundo appetens, nihil pertimescens, videbar mihi in quodam vertice stare, itavt in me plenè impletum crederem, quod pollicenti Domino ex Isaia didicissem, cap. 58. nu. 14. Sustollam te super altitudines terræ: super enim altitudinem terræ sustollitur, qui, & ipse, quæ alta, & gloriosa præsentis videntur sæculi, per mentis despectum calcat: illud autem mihi ostendit, quod sicut is, qui aliquid pedibus calcat, ità ille superponitur, vt superior indè euadat: sic is, qui diuitias, & optima quæque terræ calcat, eisdem pro calceamentis vtitur, quibus superior, & eminentior redditur, sicut dixit Ambros. de Obitu Valentiniani, & per consequens vicinior Cælo apparet, eique potest meritò competere illud, Cantic. cap. 7. num. 1. Quàm pulchri gressus tui in calceamentis filia Principis? Proijce ergo, inquit Hieronym. in Epistol. 35. ad Exuperantium, Sarcinam sæculi, nec quæras diuitias, nudus, & leuis ad Cælum euola, ne alas virtutum tuarum auri deprimant pondera: & Bernard. de Aduentu, Serm. 4. ad illud Psalm. 67. n. 14. Pennæ deargentatæ. Magna quædam penna, scilicet paupertatis, qua tàm cito volatur in Regnum Cælorum, nàm in alijs virtutibus, quæ sequũtur, promissio futuro tempore iudicatur; paupertati, non tàm promittitur, quàm datur. hæc Bernard. Noli ergo malignari, vt, & tu malignus fias, & vt prosphereris in via tua: hæc enim via ad interitum ducit, illa verò Dei ad Cælum, & quis potest dicere, ipse mihi solus est Deus, nisi qui nullam istarum inferiorum rerum amplectitur? Philon. lib. de Plantatione. Proinde pauperes elegit sibi Deus, quibus se communicaret, & diuitias gratiæ elargiretur. Quid gloriosius homini, quàm sua vendere, & Christum emere? Augustin. Serm. vlt. de Diuersis.

Nihil tibi de vmbris inanium sit, qui thalamum Diuino Sponso præparasti; immo, quò magis omnia terrena conculcabis, aptior, & capacior Diuino Sponso fruendi redderis. Bernard. in Serm. de Natiuit. Beatæ Mariæ: Exponens illa Cantic. 2. num. 3. verba: Sub vmbra illius, quem desideraueram, sedi.

Ambula per viam in fide Christi, quia cum ambulaueris in specie, Angelorum gaudio gaudebis: quia peregrinatio tua tunc erit finita. Via nostra, nunc est fides, propter quam deformis factus est Christus: manet tamen speciosus, quando per speciem illic, vbi ille est, & tu eris; Speciosum dixi, quia speciosum præ filijs hominum cernam Iesum Christum, Psal. 44. n. 3. Quia in principio erat verbũ, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum, Ioan. 1. quem spe diliges; Si mandata eius custodieris, & tunc diligeris à Patre meo, inquit ipse, Ioan. c. 14. nu. 21. Et ego diligam te: Audi nunc qui illum diligis quid dabit tibi; & ostendam meipsum tibi, Beda ad Gal. 6. Et videbimus illum sicuti est, 1. Ioan. 3. nu. 2. Et tunc cessabit peregrinatio nostra: Augustin. Psalm. 149. col. 3. Est quædam visio huius temporis, erit altera visio futuri temporis: Visio, quæ nunc est, per fidem est: Visio, quæ futura est, per speciem erit. Si credimus, videmus: si amamus, videmus. Quid videmus? Deum. Vbi est? vbi est charitas, 1. Ioan. 4. Deus charitas est. Vis videre illum sedentem in Cælo, habeas charitatem, & in te habitat sicut in Cælo. In fide deformem videmus non habentem speciem, neque decorem: Sed vultus eius abiectus, Isai. 53. num. 2. & 3. Cuius deformitas nos format: quia si ille in passione non fuisset, neque deformis fuisset; nec nos formam, quam amiseramus, recepissemus: illius ergo deformitas, nostra pulchritudo; in hac ergo Christi deformitate sit nostra gloriatio, ad Gal. 6. num. 14.

num.14. Absit, inquit, mihi gloriari nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi: gentibus stultitia; Iudæis scandalum. Huius deformitatis signum in fronte portamus: in hoc signo non erubescimus: Hæc est via nostra, hanc teneamus, vt ad speciem perueniamus: & tunc tu qui zelas alterius prosperitatem; videbis Christi æquitatem, cur illi subuenit, & huic non: quare sceleratus cum vixerit, cum luxuriosus, cum iniquus ægrotauit, baptizatus est, discessit, peccatum in eo deletum est. Quare merita non inueniens, nisi pœnam, quare contulit gratiam. Augustin. de verb. Apostol. Serm.20. col.3. O altitudo diuitiarum, ad Roman.cap.11.num.33. Petrus, inquit, negat, latro credit. O altitudo diuitiarum Dei: hoc nos putas exscrutari posse, quod Apostolus beatus expauit? Conclusit, inquit, Augustin. ibi, omnia in incredulitate, vt Deus omnium misereatur, sed qua ratione? ò altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei. Tu ratiocinare, ego mirer; tu disputa, ego credam: Altitudinem video, ad profundum non peruenio. Et post pauca: Inscrutabilia, inquit, sunt iudicia eius. Tu inuestigare venisti? crede, alioquin iàm peristi: Tale est velle scrutari inscrutabilia, & inuestigabilia inuestigare: quale est inuisibilia videre, & ineffabilia fari. Hæc Augustin. Ergo ædificetur domus: Cum peruenerit ad dedicationem, tunc forsan inueniet istorum occultorum apertissimam rationem.

Noli æmulari, &c. Quid enim prodest plena bonis arca, cum sit inanis conscientia? Augustin. de verb. Domini, Serm.12. col.3. Non est fructus bonus, nisi arbor sit bona. Muta cor, & mutabitur opus: extirpa cupiditatem, planta charitatem: sicut radix omnium malorum est cupiditas, 1.Timoth.6.num.10. sic, & radix omnium bonorum charitas, quid ergo mussitant homines inter se dicentes, quid est bonum? & si scires quid est bonum. Quod habere vis, non est valdè bonum: quod esse non vis, hoc est bonum. Cum enim se homo inuenerit inanem meliorum bonorum, vt quid est auidus æternorum bonorum? Bona vis habere, & bonus non vis esse? Omnia, quæ circà iacent oculis tuis, elegantia, & pulchra tibi cara sunt; & tibi ipsi vilis es? fœdus es? Si tibi possent respondere bona, quibus plena est domus tua, quæ habere optasti, quæ perdere timuisti, nonnè, & tibi clamarent. Sicut tu nos bona vis habere, sic, & nos volumus bonum habere Dominum? Tacita voce interpellant contrà te Dominum suum. Ecce bona tanta dedisti huic, & ipse malus est, quid etiam prodest quod habet, quando eum, qui bona dedit non habet? hæc Augustin. Vt quid ergo in diuitibus æmularis, in gloria temporali, cum nec veræ diuitiæ nec tuæ sint. Bernard. in Serm.4. de Aduentu. Veras illas dicimus diuitias, quas secura conscientia portat, vt in perpetuum diues fiat, quæ in conspectu Dei semper viuunt, & extant. Ambros. lib.3. Epist.19. ad Simplician. Verè diues, qui in conspectu Domini potest diues fieri, & videri, in cuius conspectu terra exigua, mundus ipse angustus est, sed solum illum diuitem Deus nouit, qui sit diues æternitate, qui non opum, sed virtutum fructus recondat. Noli ergo malignos imitari, vt, & tu malignus efficiaris: sed imitare bonos, æmulare sanctos, exempla Sanctorum ante oculos tuos habeas. Ambros. in Serm. de Honorata vita, Prouerb.3.num.31. Ne æmuleris hominem iniustum, quia abominatio Domini est omnis illusor, ideò nec imiteris vias eius, & cap.24.num.20.

Quoniam qui malignantur exterminabuntur, sustinentes autem Dominum ipsi hæreditabunt terram, Exod.15.num.12. de ijsdem malignantibus dicitur,

exten-

extendisti manum tuam, & deuorauit eos terra, circà quem locum. Origen. homil. 6. in Exod. An non, tibi videtur terra deuorare illum, qui semper de terra cogitat, qui semper terrenos habet actus, qui de terra loquitur, terram desiderat, de terra litigat, & omnem spem suam ponit in terra, qui ad Cælum non respicit, qui futura non cogitat, qui iudicium Dei non metuit, nec beata eius promissa desiderat, sed semper de præsentibus cogitat, & terrena suspirat: talem cum videris, dic, quòd deuorauit eum terra. hæc Origen.

Augustin. de verb. Domini, Serm. 13. col. 2. propè finem. Petrum super aquas ad vocem Domini, ambulantem considerat, dicens: Eia fratres sermo concludendus est: attendite sæculum quasi mare, ventus validus, & magna tempestas. Vnicuique enim sua cupiditas, tempestas est. Amas Deum, ambulas super mare, sub pedibus tuis est timor sæculi. Amas sæculum, absorbebit te: amatores suos vorare nouit, non portare, sed cum fluctuat cor tuum cupiditate, vt vincas tuam cupiditatem, inuoca Christi diuinitatem, &c. Quando est huius sæculi aduersitas, ventus est contrarius, inuocandus Deus: quando verò temporali felicitate sæculum arridet, quasi non est ventus contrarius, noli hinc interrogare temporis tranquillitatem; sed interroga tuam cupiditatem. Vide si tranquillitas est in te: vide si non te subuertit ventus interior. Magnæ virtutis est cum felicitate luctari, ne illiciat, ne corrumpat, ne ipsa subuertat felicitas. Magnæ felicitatis est à felicitate non vinci: disce calcare sæculum: memento fidei in Christo: & si motus est pes tuus, si titubas, si aliqua non superas, si mergi incipis, dic: Domine pereo, libera me. Dic: Domine pereo, ne pereas? Solus enim à morte carnis liberat te, qui mortuus est in carne pro te. Tu quis es, qui fratri irasceris malignanti, si iudicium, hoc est Domini Iesu contrà illum iniquitatem facientem: ille enim, qui videt omnia, melius scit, quàm tu; nec eget accusatore, cuius oculus videt omnia, neque ira turbatur, neque iniustitia est in eo. Tulit iàm sententiam, quòd malignantes exterminentur: & citò hæc erit, quod tibi diù est: adhuc pusillum, & non erit peccator.

Sustinentes autem Dominum, ipsi hæreditabunt terram, Eccles. cap. 2. nu. 2. & 3. Deprime cor tuum, idest humilia, & sustine sustentationes Dei: Coniungere Deo, & sustine, vt crescat in nouissimo vita tua. Quæ Deus mandat, vt sustineantur? aduersitates, & mala, quia post tolerantiam laborum, & afflictionum, seu tribulationum, hæreditabis terram sanctam Ierusalem; Cælum scilicet, & habebis vitam æternam. Omne igitur quod tibi applicitum fuerit accipe; & in dolore sustine, & in humilitate tua patientiam habe: quoniam igne, inquit, probatur aurum, & argentum: homines verò receptabiles in camino humiliationis. Solus ergo Dominus sufficit sustinentibus se, Eccles. 34. nu. 22. & 23. In via veritatis, & iustitiæ, vndè Paul. 1. Corinth. cap. 4. num. 12. Persecutiones patimur, & sustinemus, colaphis cædimur, laboramus operantes manibus nostris: maledicimur, & benedicimus, &c. & 2. Timoth. cap. 2. num. 12. Si sustinebimus, & conregnabimus. Sustinentes autem hæreditabunt terram: Augustin. Ne sustinentiam istam longissimam putes: modicum sustine, sine fine accipies quod sustines: ab Adam vsque nunc, vbi sunt præterita tempora? Sic pauca, quæ restant, vtique pertransibunt. Si toto illo tempore viueres, ex quo Adam de Paradiso dimissus est vsque in hodiernam diem: certè videres vitam tuam non fuisse diuturnam, quæ sic euolasset. hæc Augustin.

Est enim via hominis quantumuis longa, quasi aura matutina.

Qui malignantur, exterminabuntur. Extrà terminos Ciuitatis cælestis expellentur: Tu ergo noli æmulando malignus esse: ne paupertatem, vel alia flagella, quæ ad salutem tuam ordinata sunt, sint tibi ad damnationem, & pœnam etiam in sempiternum. Gregor. 14. lib. Moral. Cum virtutem nostræ patientiæ flagella transeunt, valdè metuendum est, ne peccatis exigentibus, non quasi filij à patre, sed quasi hostes à Domino feriamur. hæc Greg. Sustine ergo Dominum punientem, vt in alio sæculo terra lacte, & melle fruaris manante, Sustine Patrem corrigentem, & flagellantem, vt tamquam filius dilectus, hæreditate capias patriam cælestem, Psalm. 26. num. 14. Confortetur cor tuum, & sustine Dominum, Si cupis habere Patrem Deum omnipotentem: Sustine parumper promittentem, seu expromissorem, vt merearis citò habere Deum soluentem, & mercedem dantem. Quando dicet, Venite benedicti Patris mei, accipite mercedem, quam Pater promisit diligentibus se. Sustine Dominum, idest patientiam teneas in tribulationibus: expecta Dominum; noli reddere malum pro malo, quia Dominus liberabit te. Si illum expectaueris, Prouerb. cap. 20. num. 22. Ab impijs egrediatur impietas: manus enim mea non sit in illos. Vlciscatur Dominus, 1. Reg. 24. num. 13. & seq. Iudith 13. num. 27. de inimicis suis: Custodit enim illos Dominus in die vindictæ, Eccles. cap. 12. num. 4.

Adhuc pusillum, & non erit peccator: & quæres locum eius, & non inuenies. Nàm, & si ad punctum in modico te dereliquisse videatur Dominus: & in momento indignationis abscondisse suam à te videatur faciem: veruntamen dixit Redemptor noster Dominus: in magnis tamen miserationibus congregabo te. Et misericordia sua non recedet à te, Isai. 54. nu. 7. cum seq. & nu. 13. Omnem linguam resistentem tibi in iudicio iudicabis, idest condemnabis. Hæc est enim hæreditas seruorum Domini: & iustitia eorum apud me. Quid æmularis, si patiens, in iudicio aduersarium tuum iudicabis, & illum condemnabis? Adhuc pusillum, & modicum, & consummabitur, & cessabit indignatio mea, & furor meus per scelus eorum, Isai. 10. num. 25.

Sed quomodò adhuc pusillum, & non erit peccator. Diù expectauimus, longo tempore passi sumus, ipsi verò peccatores semper viuunt, in iniquitatibus gloriantur, omnes enim mensæ repletæ sunt vomitu, sordiumq.; itavt non esset vltrà locus. Quem docebit scientiam? & quem intelligere faciet iudicium? ablactatos à lacte, auulsos ab vberibus. Isti non credentes tuis verbis Domine, dicunt, quandiù expectabimus: semper dicis, quia manda remanda, expecta reexpecta: modicum ibi, modicum ibi, Isai. 28. nu. 10. In loquela enim labij, & lingua altera loqueris ad istos. Quibus dixisti, hæc est requies mea, reficite lassum, & hoc est meum refrigerium: & noluerunt audire, & erit verbum Domini: manda remanda, manda remanda, expecta reexpecta, expecta, reexpecta, modicum ibi, modicum ibi: vt vadant, & cadant retrorsum, & conterantur, & illaqueentur, & capiantur: ibidem num. 12. cum seq. Tu ergo sis patiens, & non magis videas quam concedat Deus: figmentũ es; & dicis factori, non intelligis? nonnè adhuc in modico, & in breui conuertitur Libanus in Charmel: & Charmel in saltum reputabitur, Isai. 29. num. 17. alta scilicet deprimentur, & fertiles, idest diuites, pauperes, & steriles fient? & adhuc pusil-

pusillum, & non erit, & non inuentus est locus eius. Tardum, dixit hìc Augustin. hoc dicturi filij nostri, & hoc dicturi nepotes nostri: & cum singuli quippè sibi succedentes hæc dicturi sunt; sic transit quod adhuc pusillum futurum est, quemadmodum transit totum quod præteritum est: o infirme, adhuc pusillum, & non erit peccator, & quæres locum eius, & non inuenies: non erit cum aliquo amplius vsus: erit tamen, vbi doleat, vbi torqueatur: in inferno scilicet, Matth. cap. 8. num. 12. vbi erit fletus, & stridor dentium.

Adhuc ergo pusillum, & non erit peccator, quia non in hoc mundo, sed in inferno erit sua habitatio post obitum suum. In hoc mundo vsum habet peccator à Deo, ad probandum iustum: sicut habuit Diabolus ad probandum Iob, & Iudas ad tradendum Christum. Augustin. Est ergo in hac vita quod agat de peccatore, & hic est locus eius. Sæuit impius, vt iustus probetur: sicut ardet palea, vt aurum purgetur. Sed cum transierit tempus probationis nostræ, quando non erunt qui probentur, non erit opus amplius peccatoribus, per quos iusti probentur: nunc habent hic locum, quia, vt dixi. Deus de peccatore fecit flagellum, vt iusti probentur, vt terram sanctam Ierusalem possideant, Prouerb. dicto cap. 12. numer. 7. Verte impios, & non erunt: domus autem iustorum permanebit, & Psalm. 103. num. 35. Deficient peccatores à terra, & iniqui, itavt non sint: Breues sunt dies gaudij peccatoris: Quia adhuc pusillum, & non erit peccator, nec locum eius inuenies: sed quomodò locum non inuenis? quia si lucerna impiorum est peccatum: extincto impio, est, & extincta lucerna eius, idest peccandi occasio, & locus, & in fine hominis denudatio operum eius, Eccles. cap. 11. num. 29. & nomen impiorum deleatur, Eccles. cap. 41. num. 14. in maledictione tamen derelinquat eam, Eccles. cap. 23. num. 36. Cum ipse in inferno sit sepultus, Prouerb. cap. 21. num. 4. ideò dicit peccator non erit: quia subitò veniet ira Domini, & in tempore vindictæ illum disperdet, Eccles. cap. 5. num. 9. Non æmuletur, non imitetur cor tuum peccatores, Prouerb. cap. 23. nu. 17. & cap. 24. num. 1. nec rationem aliam quæras, quare impius exaltetur, Intellexi quòd omnium operum Dei, nullam possit homo inuenire rationem eorum, quæ fiunt sub Sole, Eccles. 8. nu. 17. Non erit ergo peccator, quia exterminabitur, destruetur à Deo.

Mansueti autem hæreditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis, Eccles. cap. 45. num. 4. In fide, & lenitate ipsius sanctum fecit eum. Bernard. in Vigilia Natiuit. Serm. 5. Sanctificamini magis, de virtute in virtutem proficiendo, in quibus tamen sanctificabimur? legi, inquit, de quodam sciente scripturam, in fide, & lenitate ipsius, sanctum fecit illum, sanè vt perfecta sit sanctificatio, esse mansuetudinem, & socialis vitæ gratiam, à Sancto Sanctorum discamus, oportet, sicut ait Matth. cap. 11. num. 29. Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. Mansueti ideò hæreditabunt terram; quia tales super hominum gloriam diliguntur, Eccles. cap. 3. numer. 19. Fili in mansuetudine opera tua perfice, & super hominum gloriam diligeris: scriptum est enim, Responsio mollis frangit iram, Prouerb. cap. 15. num. 1. & in alio loco, cap. 25. num. 15. Patientia lenietur Princeps, & lingua mollis confringet duritiam. Quid mirum si mites, & mansueti hæreditabunt terram, vtique ipse, qui est mitis, & ipsa mansuetudo, est ille, qui regit illos. Qui sedes super-

borum destruxit, & sedere fecit mites pro eis, Eccles. cap. 10. num. 17. Isai. 14. num. 15. ibi veruntamen ad infernum detraheris in profundum laci. Loquitur de Satana è Paradiso eiecto, cuius locum mites tenuerunt, & tenent: vndè nobis exemplum reliquit, vt discamus ab ipso, quia humilis corde est, & mitis, si inuenire cupimus requiem animabus nostris, Matth. cap. 11. num. 29. Ideò delectabimur in multitudine pacis, quia inueniemus requiem animabus nostris. In medio enim Throni sui stat Agnus, qui regit nos, & deducet nos ad vitæ fontes aquarum, Apocalyps. cap. 7. num. 17. Quid enim Agnum stantem, dicit, nisi Iesu Christi mansuetudinem demonstrans? oues regens: non vult pastor vocari, cuius est proprium oues regere, sed Agnum, mitem, mansuetum se ostendit, & ideò qui sedit in Throno, habitabit super illas, non esurient, neque sitient amplius, neque cadet super illos Sol, neque vllus æstus: quia pax multiplicata est in eis.

Mansueti ergo hæreditabunt terram, illam scilicet cælestem patriam, in qua filij Dei erimus: si filij, & hæredes, ad Roman. 8. num. 17. Vndè Augustin. de verb. Apostoli, Sermon. 13. propè finem. Medicus noster, & sanitatem nobis donat, & mercedem insuper largiri dignatur: quæ est ista merces? hæreditas, sed non quomodò est hominis patris hæreditas. Reliquit enim filijs suis, non possidet cum filijs suis, & tamen magnum se facit, & gratias sibi agi desiderat, quia voluit dare, quod non posset auferre, moriens enim tollere secum, puto si posset, nihil filijs suis dimisisset: hæredes Dei sic sunt, vt ipse Deus sit hæreditas nostra, cui dixit Psalm. 15. num. 5. Dominus pars hæreditatis meæ, hæredes quidem Dei, si parum nobis est, audite quo amplius gaudeatis, Paul. ad Roman. dicto cap. 8. num. 17. hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. Augustin. idem de Tempor. Serm. 119. in fine.

Et delectabuntur in multitudine pacis: in requie opulenta, in Tabernaculo fiduciæ, in pulchritudine pacis, Isai. cap. 32. nu. 17. ibi enim in Cælo, dico, est pax, & gloria in excelsis, Luc. cap. 19. nu. 38. quia ipse est Deus pacis, ad Roman. 15. num. 33. 2. Corinth. 13. num. 10. ad Philippens. 4. num. 2. ad Thessalon. cap. 3. num. 16. & est pax nostra, ad Ephes. cap. 2. num. 14. ideò in multitudine pacis, quia tamquam flumen erit ibi pax nostra à Deo, Isai. cap. 48. nu. 18. & cap. 66. num. 12. ibi, ego declinabo super eam, quasi fluuium pacis: & ponam, inquit, in alio loco, Isai. 54. num. 13. filios tuos doctos à Domino: & multitudinem pacis filijs tuis: vna tamen est pax ibi, qui est ipse Christus Dominus, Ioan. 14. num. 27. pacem meam do vobis; ideò in multitudine dicit, idest omnes Sancti, qui sunt in pace Christi, lætabuntur, qui est pax nostra, quia in lætitia egrediemini, & in pace deducemini, dicitur per Isai. cap. 55. num. 12. ipse est enim Dominus faciens pacem, Isai. 45. num. 7. Ad huius, & nos festinemus fratres, possessionem capiendam, & apprehendendam, non ad huius mundi diuitias, & hæreditatem terrenam festinantes, nàm ad istam si in principio festinemus acquirendam, in nouissimo benedictione carebimus, Prouerb. 20. n. 21.

Delectabuntur, inquit, in multitudine pacis: quia sicut Deus vnus est, Deuter. cap. 6. num. 4. Audi Israel Dominus Deus tuus vnus est: & nos quidem vnus per integritatem virtutis, & vnum cum proximis per vinculum dilectionis esse debemus. Bernard. de Assumption. Sermon. 5. cum infiniti sint dilecti Dei; vna tamen pax Dei, in multitudine pacis delectabuntur, quia per

dilectionis virtutem omnes vnum efficiuntur, vis videre quantum Deo pax coniuncta sit, & Deus illi adijciatur: lætabuntur in multitudine pacis, quia Sancti in Deo vnum sunt, Ioan.cap.17.num.21. omnes, inquit, vnum sunt, sicut, & tu pater in me, & ego in te, vt, & ipsi in nobis vnum sint; lætantur in multitudine, quia infiniti sunt numero, sed omnes vnum in Deo sunt, qui est pax ipsa, & illi omnes ità Deo coniuncti in illius pace, vt in eo semper lætentur.

Quanta verò pax sit in Deo, & quibus titulis vindicetur in illo, audi Nazianzen. de Pace, Orat. 3. Pax amica, meditatio mea, est Deus meus, quam, & Dei, & cuius Deum, & quam Deum esse Scriptura pronunciat. Namque modo dicitur pax esse Dei, ad Philippens. dicto cap.4. numer.2. Pax Dei, quæ exuperat omnem sensum; modo Deus ipse pacis dicitur, 2.Corinth. d.cap.13. num.10. Deus pacis, & dilectionis. Deindè pax etiam dicitur Deus, vel Deus nominatur pax. Ipse est pax nostra, ad Ephes. dicto cap.2. num.14. Non potuit amplius pax ipsa commendari, quàm vt Deo toties coniungeretur, & Deus illi velut addiceretur. Lætantur in multitudine, & vnitate Dei, qui est pax; quam etiam secum sæculo detulit, hominibus prædicaturus, & post mortem illam suis reliquit, vt secum in Cælo perpetua fruerentur pace.

Eia fratres dilectissimi lætitia Sanctorum nos prouocat, vt talem pacem, talem charitatem habentes omnes homines diligamus, & pro bonis oremus, vt meliores fiant, & pro malis, vt citò se corrigant, supplicemus, portæ enim illius cælestis Ierusalem de pace constructæ sunt, talem enim, & taliter constructam docet nos illorum congregatio omnium Sanctorum, quæ cum Christo est regnatura ad laudandum Dominum, cum dicunt, Psalm.147. in princip. Lauda Ierusalem Dominum: lauda Deum tuum Sion, & numer. 3. Posuit fines tuos pacem: ergo de pace Ciuitas illa constructa est. Augustin. de Tempore, Serm.168. aliàs in Sermon. Dominicæ tertiæ post Octauam Paschæ. Festinemus portas illas, proximum in charitate amantes: ingredi, vt apertas illas inueniamus: hanc enim Christus præcepit nobis, & Apostolus docuit. Ne quatenus charitatis viscera in proximum clausa habentes, portas etiam cælestis Ierusalem clausas reperiamus, ne dicatur, & nobis, sicut, & illis fatuis Virginibus: nescio vos: clausa est ianua, Matth.cap.25.num.10.& 12. Soliciti ergo simus vnitatem spiritus in vinculo pacis seruare. Vnum corpus, & vnus spiritus, sicut vocati sumus in vna spe vocationis nostræ, Paul. ad Ephes. c.4.nu.4. vt in multitudine vnitatis, & pacis lætemur in Domino.

Obseruat peccator iustum: quia, & in tribulationibus videt illum lætum, & gratias Deo agentem cum omni humilitate, & patientia: ipse verò in omnibus suis diuitijs, & terrenis voluptatibus potius angustiatur, & semper eget, Iob cap.20. numer.5. & non est pax impio, Isai. dicto cap. 57. Lætitia enim impiorum ruina ingens, gaudium autem impiorum perditio. Miseri, inquit, Iacob. in sua Epistol. cap. 5. numer.1. vlulantes in miserijs vestris, quæ aduenient vobis, &c. Iob cap.20. num.5. Laus impiorum, & gaudium hypocritæ ad instar puncti, Septuaginta verterunt. Lætitia impiorum ruina ingens, gaudium autem impiorum perditio. Non enim est pax impio, Isai. dicto cap.57. in fine. Frustrà deciperis, ò impie, quia tuum non est gaudium, Eccles. 2. in princip. Quid te allicit, vt huiusmodi rebus gaudeas? à te longius circum-

cumuaget, & absistat, deciperis enim, dum te fallaci gaudio decipere te posse existimas: nàm nulla maior voluptas, quàm fastidium ipsius voluptatis. Tertullian. lib. de Spectac. cap. 29. ideò Cyprian. lib. de Pudicitia. Voluptatem vicisse voluptas est: sæculi lætitia est impunita nequitia; luxurientur homines, turpitudine fœdentur, nihil patiantur mali, & videant sæculi gaudium, longè aliter est omne gaudium. Augustin. de verb. Domini, Serm. 37.

Quid strides dentibus, si gaudium iustis esse conspicias? istorum enim fructuum quos sperant, flos afflictio est; iàm verò anima Sancti visis floribus, quibus æternitatis fructus inamissibilis permittitur gaudio perfusa annunciat: Flores apparuerunt in terra nostra, tempus putationis aduenit, Cantic. cap. 2. num. 12. & dum capita amputantur, & membra præscinduntur, flores Martyrum apparent, & voces gaudij in Ecclesia resonant. Gregor. Nyssen. ad ea verba Christi, Matth. 5. Beati qui persecutionem patiuntur.

Obseruat peccator, & stridet: laborat iustus, & gaudet: Hilarius Canone II. in Matth. Nunquam dulcius Sancti requiescunt, quàm dum laboribus fatigantur. Vndè Hieronym. in Regula Monachorum. Christianis vexilla Crucis sunt delitiæ, trophæa nostræ vitæ, non pompæ cum miserijs reputantur, in nostra classe viri fortes opprobria sciunt portare, non munera, ideoquè plus vobis datum est, non solum, vt credatis, sed etiam, vt pro Christo patiamini. hæc Hieronym.

Super iustum peccator dentibus stridet: quia in sublimia iustus per humilitatem ascendit: ipse verò peccator ad inferiora videt se præponderare per elationem. Iustus se deprimit, vt surgat: ille se extollit, vt cadat: peccatoris, & iniqui diuersum propositum, vnus, vt tolleret, alter, vt tolleretur. Iusti propositum, vt ipsos iniquos in vitam æternam lucretur: Iniqui verò propositum, vt reddat mala pro bonis, & eos qui sibi vitam æternam volunt, si fieri potest, etiam vita temporali priuét. Laborantq; vt iustum faciant iniustum. Obseruabit peccator, vt perdat, & quia non valet, super eum dentibus fremet: sed desiderium peccatoris peribit, Psalm. 3. Peccator videbit, & irascetur, dentibus suis fremet, & tabescet, desiderium peccatorum peribit, In fine. Dentes verò impiorum, qui dicuntur. Vide Ambros. hìc; Insidiæ enim, inquit, tormenta, nequitiæ, dentes peccatorum sunt; istis autem dentibus stridet, quando insidias ad nocendum iusto parat. Et dictum prius in Prouerb. cap. 25. num. 18. Iaculum, & gladius, & sagitta acuta homo, qui loquitur contrà proximum suum falsum testimonium, Generatio, quæ pro dentibus gladios habet, & commandit molaribus suis, vt comedat inopes, & pauperes ex hominibus, Prouerb. 30. num. 14. Præsentia enim non videt, & futura non considerat peccator. Inique quare dentibus strides? quia pauper iustus sit, & humilis? quia diues sit, & in pauperes distribuat diuitias, & disperdat? sed quid ad te, ò peccator? Labores tantum, & ærumnas in hac vita mortali quærunt iusti; & respectu infiniti boni pauca, quæ hìc reliquisse terrena, & transitoria sibi videantur, ecce in paucis vexati, in multis benè disponentur, quoniam Deus tentauit eos, Sap. dicto cap. 3. num. 5. Iàm ablactati sunt iusti, & à lacte, & à rerum harum temporalium dulcedine segregati, iàm viri facti sunt, & in laboribus indurati; vt hìc mala accipientes, bonis æternis illic perfruantur. Ideò futuram solum, vt facilius inquirant, propriam voluntatem abnegantes, omnibus mundanis

spo-

ſpoliati in humilitate, & patientia Deo ſeruire, quod regnare eſt, quærunt, laborant, & inhiant, & futuram inquirunt delectationem. Ingrediatur, inquit Habac.cap.3.nu.16. putredo in oſſibus meis, & ſubtus me ſcateat, vt requieſcam in die tribulationis: non enim quia Chriſtiani ſint ideò à tribulationibus immunes: multæ enim, dicit Pſalm.33. Sunt tribulationes iuſtorum: ſed de omnibus his liberabit eos Dominus.

Audiant tribulati, iuſti, & Sancti, Auguſtin. In titulo Pſalmi 55. col.2. litera E. & F. Tenuerunt, inquit Dauid Allophili in Geth Ciuitate, quæ interpretatur Torculari, quid eſt in Torculari? in præſſuris. Sed in Torculari fructuoſa præſſura eſt. Vua in vite præſſuram non ſentit, integra videtur, ſed nihil indè manat: mittitur in Torculari, calcatur, præmitur, iniuria videtur fieri vuæ, ſed iſta iniuria ſterilis non eſt, immo ſi nulla iniuria accederet, ſterilis remaneret. Quicumque ergo Sancti præſſuram patiuntur ab eis, qui longè facti ſunt à Sanctis, attendant Pſalmum iſtum 55. Miſerere mei Deus, quoniam conculcauit me homo: tota die tribulant me: ſed in Deo laudabo ſermones meos: in Deo ſperaui, non timebo quid faciat mihi homo? Vita hæc non eſt vita, nec loco præmij eſt, quæ in loco mortis eſt. Vndè Ambroſ. Sermon. 3. in Pſalm.118. incip. Retribue ſeruo tuo, viuifica me, ipſe legit, & viuam: Dixit, ait, & viuam, & non viuo: quia hæc vita in loco mortis, & non præmij. Viuam, inquit, quaſi nondum viuens, hic enim quaſi vmbra viuimus: Vmbra eſt ergo vita hæc, quæ perducit ad vitam æternam: Immo eſt vmbra, & non veritas, in imagine; propterea dixit pertranſit homo, Pſalm.98.num.7. & imaginem noſtram ad nihilum redigit, Pſalm.72.num.20. Vmbræ enim tranſitus eſt tempus noſtrum; & tranſit vita noſtra tamquam veſtigium nubis, Sap. cap.2.num.3. & 5. Sed væh illis ſolis, quibus ſuperpoſita erit grauis nox, imago tenebrarum, quæ ſuperuentura illis erit in inferno ſcilicet: ipſi ſanè ſibi erunt grauiores tenebris, Sap.17.num.21. & per peccatorum conſcientiam. Vera ergo vita erit, cum reſurgemus, & cum Chriſto regnabimus: Et impij reſurrecturi quidem ſunt, ſed in ignem ituri: Vita verò non eſt, niſi beata. Et vita beata non poteſt eſſe, niſi æterna, vbi ſunt dies boni: nec multi, ſed vnus: ex conſuetudine huius vitæ; dies appellari poteſt: Dies ille neſcit ortum, neſcit occaſum: illi diei non ſuccedit craſtinus, quia non præcedit eum externus. Hunc diem, vel hos dies, & hanc vitam, & veram vitam in promiſſis habemus, alicuius operis merces eſt. Si enim mercedem amamus, in opere non deficiamus, & in æternum cum Chriſto regnabimus. Auguſtin. de verb. Domini, Serm.17. in fine: & paulò ante? Quid eſt diù viuere, niſi diù torqueri? Quid eſt aliud viuere diù, quàm malos dies malis diebus addere? Cum enim creſcunt pueri, quaſi accedunt illis dies, & neſciunt, quia minuuntur, & iſta eſt falſa computatio. Creſcentibus enim decedunt dies, verbi gratia, octoginta annos, quicquid viuit, de ſumma minuit, & inepti homines gratulantur plurimis natalitijs, tàm ſuis, quàm filiorum ſuorum, ò virum prudentem? dies perdis, & gaudes? Mali ergo ſunt dies, & eò peiores, quia diliguntur. Hæc Auguſtin.

Quomodò ergo iniuſtus proſperatur in via ſua: ſi quotidie minuunt dies de vita ſua? & quomodò gratulantur in plurimis natalitijs, ſi, quia hìc citò finientur, vt perpetuò remaneant in camino ignis ardentis? Pſalm.54.nu.24. tu verò Deus deduces in puteũ interitus a tu iniuſte obſeruas iuſtũ, & interim theſaurizas

tibi iram in die iræ, & reuelationem iusti iudicij Dei: obseruas iustum, & iustitiam eius non apprehendis? sed obseruat peccator, vt aduersetur, & occasionem captet nocendi.

Dominus autem irridebit eum, quoniam prospicit quòd veniet dies eius: Ideò irridebit illum Dominus, quia post hæc erit decidens sine honore, & in contumelia inter mortuos in perpetuum, & erit gemens, & memoria illius peribit. Venient in cogitatione peccatorum suorum timidi, &c. Sap. dicto cap.4. num.19. & 20. Sed cur Dominus prospicit quòd veniat dies peccatoris, nunquid impotens est Dominus subijcere impium iusto? ac verbo duro illum exterminare? non, sed partibus iudicans dat locum pœnitentiæ, non ignorans, quia nequam est malitia illius iniqui: & num.25. propter hoc tamquam pueris insensatis iudicium in derisum dedisti: Quæ est illa dies, quam prospicit Dominus super peccatorem? annunciat Dominus hominibus, vt omnes vbique pœnitentiam agant, eò quod statuit diem, in quo iudicaturus est orbem in æquitate, Act.cap.27.num.31. non ergo tunc effugiet peccator homo iudicium Dei. Hucusque benignitas Dei ad pœnitentiam illum adducit, Sap. d. cap.12. num.10. & 20. sed posteà horrendè, & citò apparebit illis, neque subtrahet personam cuiusquam Deus, nec verebitur magnitudinem cuiusquam, quoniam pusillum, & magnum ipse fecit, & æqualiter cura est illi de omnibus, Sap.cap.6. num.8. tempus non tibi longum videatur, vt pœnitentiam prolonges, & differas, quia tunc videbitur tibi breue; & exiguo conceditur misericordia, Sap. dicto cap.6.num.7. & Paul. ad Roman.cap.2.num.4. An diuitias bonitatis eius, & patientia, & longanimitatis contemnis? ignorans quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducat? Secundum autem duritiam tuam, & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iusti iudicij Dei, qui reddet vnicuique secundum opera sua, Matth.16. ijs quidem qui secundum patientiam boni operis gloriam, & honorem, & incorruptionem quærunt, vitam æternam: ijs autem qui sunt ex contentione, & qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira, & indignatio, tribulatio, & angustia in omnem animam hominis operantis malum. Quicumque enim sine lege peccauerunt, sine lege peribunt. Augustin. hìc in Concione 2. Necesse est, vt vindicetur in impium, vindicetur in iniustum: siuè conuertat se, siuè non conuertat, si enim se conuertit, hoc ipsum in illo vindicatur, quod perijt iniquitas. Nonnè, inquit, irrisit Dominus prospiciens dies iniquorum duorum, & Iudæ traditoris, & Saulis persecutoris? vnius diem prospexit ad pœnam, alterius ad iustitiam. In vtrumque vindicatum est: ille est gehennæ ignibus deputatus, iste cælesti voce prostratus. Ergo, & tu quem pateris iniquum, per oculos fidei prospice cum Deo dies eius: & cum videris in te sæuientem, dic tibi: iste, aut correctus meus erit, aut perseuerans mecum non erit: quid enim? Iniustitia iniusti tibi nocet, & illi non nocet? Vndè fieri potest, vt non iniquitas eius, quæ per eius indignationem, & odium procedit ad lædendum te, non prius vastet ipsum, intus, quàm te tentet foris? Tuum corpus præmit aduersitas, illius animam putrefacit iniquitas. Nàm quicquid in te profert, in illum redit. Eius persecutio te facit purgatum, illum reum: Cui ergo plus nocet? Ecce sæuiendo expoliauit te. Quis damno grauiori percutitur, qui amittit pecuniam, an qui amittit fidem? Norunt dolere damna ista, qui habent oculum interiorem.

Mul-

Multis quidem fulget aurum, fides non fulget: habent oculos vndè aurum videant: vndè fidem videant non habent. Nàm si haberent, & viderent, vtique plus amarent? & tamen quando eis frangitur fides, clamant, inuidiam faciunt, & dicunt, ò fides, vbi est fides. Amas eam vt exigas, ama vt exhibeas. hæc Augustin.

Dominus ergo irridebit eos, quòd in bonis ducant dies suos, qui in puncto ad inferna descendent, Iob cap.21.num.13. In die enim perditionis seruatur malus, & ad diem furoris ducetur, Iob d.cap.21.num.30. propterea separati sunt in diem malum, Amos 6.num.3.

Gladium euaginauerunt peccatores: intenderunt arcum suum: vt deijciant pauperem, & inopem: & trucident rectos corde: Gladius eorum intret in corda ipsorum,& arcus eorum confringatur: Iàm acuerunt linguas suas sicut serpentis, Psalm.139.num.4. Euaginauerunt postquam in corde malitiam conceperunt, gladium linguas suas, contrà iustos, & fideles, Psalm.35.num.5. Iniquitatem meditatus est in corde suo, & Psal.57.n.3. ex corde iniquitates operamini. Intenderunt arcum suum, vt de longinquo alios occidant innocentes, vt trucident rectos corde. Contrà Christum arcum tetenderunt, & contrà ipsum loquentes, immo contrà Deum: Iniquitatem in excelso locuti sunt, Psalm.78.num.2. & Psalm.74. Nolite extollere in altum cornu vestrum, nolite loqui aduersus Deum iniquitatem. Vt deijciant pauperem, & inopem, filius enim hominis vbi reclinet caput suum non habebat, Matth.8.nu.70. Euaginauerunt gladium, & linguas suas exacuerunt vt gladium, Psalm.56. num.1. vt sagittent in occultis immaculatum,Psalm.63.num.4. Sed defecerunt scrutantes scrutinio, ibid. nu.7. Cogitabant sagittas iacere in Iesum Christum purum hominem, & apparuit eum esse Deum: propterea sagittæ paruulorũ factæ sunt plagæ eorum, & infirmatæ sunt contrà eos linguæ eorum: quia totus mundus discipulis prædicantibus Christum, post illos abierunt: ipsi verò iniqui occisi dispersi sunt. Armauit enim Deus creaturam ad vltionem eorumdem inimicorum: & induit pro thorace iustitiam, acuit duram iram in lanceam, & contrà illos insensatos pugnauit cum illo orbis terrarum, Romani scilicet: Emissiones fulgurum directè ibant,& tamquam à benè curuato arcu nubium exterminati sunt, Sap.5.num.18. cum sequen. Abominabiles facti sunt in iniquitatibus suis, confusi sunt quoniam Deus spreuit eos, Psalm.52.n.2. & 6. Gladius, qui in labijs eorum erat, Psalm.58.num.8. & lingua eorum, quæ fuit gladius acutus, Psalm.56.num.5. in luctum eorum conuersa est. Nàm Dominus in gladio conclusit populum illum, Psalm.77.num.62. & Sacerdotes etiam eorum in gladio ceciderunt, ibid.num.64. Gladius enim Domini deuorabit eos, Ierem. cap.12.num.12. & Ierem.cap.9.num.14. quia abierunt post prauitatem cordis sui, idcircò hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel: Ecce dispergam eos in gentibus, quas non nouerunt ipsi, & patres eorum,& mittam post eos gladiũ donec consummentur, quoniã inebriatus est in Cælo.Gladius Domini in eo repletus est sanguine, Isai.cap.34.num.5. non in gladio viri tantùm, neque gladius hominis nocebit eis, Isai.31.num.8. sed etiam gladius Cæli.

Euaginauerunt iniqui gladium, vt deijciant pauperem, & inopem, vt trucident rectos corde: magis tamen sibi ipsis nocent: eorumq. gladius intrat in cor ipsorum: Corpus iusti possunt occidere; iusti animam verò non possunt occi-

occidere, Matth.10.num.28. gladius ipsorum intrat in cor eorum, vt animam simul,& corpus suum iniquitas perdat: sæuitia ergo illorum contrà illos reuertitur. Nocere cogitat iusto illum persequendo; & ecce insania illorum versa est in eorumdem damnum, & pœnam, quia gladius in corda eorum intrauit, animasq. suas ipsi in pœnas inferni perpetuas tradiderunt: Iustorum verò in pace animæ sunt, Sap.d.cap.3. & 5. Euaginauerunt peccatores gladium, iniqui concepti sermonis, & quod intrà illos erat absconditum, in aperto, & palam contrà iustos euomuerunt, & palam sanctos persecuti sunt: at in laqueo, quem absconderunt ipsi comprehensi sunt, Psalm.9.num.16. Infixæ sunt gentes in interitum, quem fecerunt, & pes eorum in laqueo, quem absconderunt comprehensus est. In corpore occidere voluerunt, & ipsi in anima moriuntur. Augustin. Attendis, quòd præuenisti, & non attendis quòd traiecisti, illius conscidisti vestem, tuam carnem. Desipiunt, contrà se sæuiunt, insaniunt non se vident, tamquam si vellet aliquis per corpus suum ferrum traijcere, vt consciderct tunicam exterius, hæc August. Ad quid ergo iniquorum valet potentia si brachia eorum veniunt conterenda? quid facient in gehenna, in qua comburendi sunt in sæcula? Epulabatur diues ille in terra, cui tamen sitienti, nec aquæ gutta fuit illi exhibita, Luc.16.num.24.

Pauper erat Lazarus quia humilis, quia nihil possidebat: Inops erat, & ideò ab illo auxiliari sperabat: Eiectus est pauper, & ianua charitatis inopi clausa: deiectus est diues, & iniquus, & ipsi porta aperta vt intraret ad æterna supplicia, nec paululum aquæ ipsi sitienti exhibita. Ad Martyrum corpora vsque impiorum gladius peruenit, & rectos corde trucidauerunt: ipsorum corda, & anima in perpetuum cruciata, cruciantur: Martyrum mors illis vita visa fuit, trucidantium verò imago ipsis versa est in mortem sempiternam, vt nunquam deficientes, semper cruciarentur, sustinete vos modicum iusti serui Dei, quia modicum passi hæreditabitis regnum Dei, pro quo patimini, Paul.2. ad Thessalon.cap.1.num.7. Vobis qui tribulamini, requies nobiscum in reuelatione Domini nostri Iesu Christi de Cælo cum Angelis virtutis eius, in flamma ignis dantis vindictam ijs, qui non nouerunt Deum, & qui non obediunt Euangelio Domini nostri Iesu Christi, qui pœnas dabunt in interitu æternas à facie Domini, & à gloria virtutis eius, &c. & Luc.18.num.8. Dico vobis, quia citò faciet vindictam illorum: idem habetur Eccles.cap.12.num.4. & 7. Peccatoribus enim, & impijs Deus reddit vindictam, & custodit eos in die vindictæ: error, & tenebræ peccatorum concreatæ sunt, Eccles.11. num.26. & qui exultant in malis consenescunt in malo, nu.17. Arcus eorum confringetur. Nàm quamuis desiderium impij sit munimentum pessimorum: & quod propter peccata labiorum ruina proximet malo: effugiet tamen iustus de angustia, Prouerb.d.cap.12.num.12. & num.13.

Propterea melius est modicum Iusto, super diuitias peccatorum multas: est enim homo laborans, & festinans, & dolens impius, & tantò magis non abundabit: quia semper eget auarus: propterea dolens quia non sit magis diues: est marcidus, & egens recuperatione, plus deficiens virtute, & abundans paupertate, & oculus Dei respexit illum in bono, & erexit eum ab humilitate ipsius, & exaltauit, Eccles. d.c.11.nu.12. Quia melior est modicum iusto, super diuitias peccatorum multas: est quasi diues cum nil habeat, & est quasi pauper, cum in

multis

multis diuitijs sit, Prouerb.13. num.7. & num.8. Redemptio animæ viri diuitiæ suæ: Quocircà non contristabitur Iustus quicquid mali ei acciderit: impij autem replebuntur malis, Prouerb. cap.12.nu.2. Chrysost. super illud Matth. Venite ad me omnes, qui laboratis. In Imperfecto, sic ait. Putas quòd homines mundi huius non laborent? verè maiores labores, & sollicitudines habent, quàm serui Dei, dicente Propheta, Psalm. 13. Contritio, & infelicitas in vijs eorum, &c. & tamen vitam Iustorum horrent, & dolorem ipsi non considerant: quantò enim plus laborant, & mouentur, tantò minus hoc percipiunt: & ratio est, quia in circuitu impij ambulant: & tantò minus apparet quòd in circuitu mouetur, propter voluntatem ipsius, sicut in puerorum Troco videmus, quòd quando mouetur velocissimè in circuitu, videtur quiescens: secus in motu recto. Vndè in Psalm.29.num.7. Ego dixi in abundantia mea, non mouebor in æternum, cum tamen esset in motu continuo. Vndè Augustin. super Psal.4. Anima temporalium bonorum decessione, & successione, idest à tempore frumenti, vini, & olei innumerabilibus completa phantasmatibus, sic multiplicata est, vt non possit agere, quod præceptum est, Sap.c.1. Sentite de Domino in bonitate, & in simplicitate cordis quærite illum: secus in Iusto. Augustin. Nec volebam multiplicari terrenis bonis, cum haberem in æterna felicitate aliud frumentum, vinum, & oleum; quod frumentum, vndè fit panis beatorum, est Christus secundum humanitatem, qua fruentur boni extrinsecus: Melius est ergo modicum Iusto, cuius recta est via, qua incedit ad Dominum: quàm diuitiæ peccatorum multæ, quæ enim bonorum spiritualium ad bona temporalia, quæve vitæ spiritualium, ad mundi vitam esse potest comparatio? illa quieta, altera verò ærumnis, & iurgijs plena: illa perpetua, hæc momentanea, & caduca; ista nescit acquirens, cui congregabit: quorum substantia nō est stabilis: nàm aut ipsis viuentibus est peritura, aut à malis hæredibus dissipanda: aut ad extraneos & inimicos hæreditas est ventura. Ità Chrysost. homil.31. super Matth. in Imperfecto.

Se separauit à Deo, qui curis terrenis se implicat: qui enim multum habet, plus cupit. Seneca ad Lucillum Epist.31. Qui multum habet plus cupit: neminem pecunia diuitem facit, immo è contrariò, nulli non maiorem sui cupiditatem incussit: quæris quæ sit causa huius rei? plus incipit habere posse, qui plus habet. hæc Senec. sed quid pluris habet si iniusti congregant: nàm in die vltionis non proderunt ei diuitiæ suæ, Prouerb.11. num.4. Quia fructus impij sunt ad peccatum: opus autem Iusti ad vitam, Prouerb.cap.10.nu.16.

Propterea subiungit Propheta num.17. quoniam brachia peccatorum conterentur, confirmat autem Iustos Dominus. Nàm quandocumque sit etiam illi substantia, dummodò non sit peccatum in conscientia, bona est, Eccles.13.n.30. & cap.31. num.11. Beatus diues, qui inuentus est sine macula; & qui post aurum non abijt: ideò stabilita sunt bona eius in Domino, potentia verò peccatorum conteretur: In terra epulabatur diues ille, & apud inferos cruciatur, & torquetur; Confirmat autem Iustos Dominus, viriliter enim agunt, ideò confortatur cor eorum, & sustinent Dominum, supra Psalm.26. nu. 24. ad tempus laborant, vt in æternum requiescant: breuis est molestia, vt in æternum sit beatitudo. Sæuiant iniqui contrà Iustum, & Dominus non dereliquit illum: nec sæuire possent, nisi Dominus iustum diligere, ad Hebr.12. num.6. Prouerb.3. nu.12. non negant iusti disciplinam Domini, propterea non fatigantur, dum

à Do-

à Domino arguuntur, ad Hebr. d.cap.12. nu.6. Quem enim diligit Dominus, castigat: flagellat autem omnem filium, quem recipit. Et cum Dominus dat iustis disciplinam, inimicos impios multipliciter flagellat, vt bonitatem suam cogitent iudicantes: & cum de illis iudicatur, sperent in misericordiam suam, Sap. d.cap.12.num.22. Augustin. hìc. Quid sibi ergo plaudit iniquus, qui flagellum de illo fecit Pater meus: illum assumit ad ministerium, me erudit ad patrimonium, nec attendere debemus quantum permittit iniustis, sed quantum seruet iustis: optemus, & nos vt qui iustos flagellarunt, & isti flagellati conuertantur ad Dominum. Flagellum Dei erat Saulus & exactor auarus: & cum vsuris recepit, quod dederat. Iam conuersus multa passurus pro nomine Iesu, vt sibi dictum fuerat, Act. cap.9. num. 15. & ità confirmatus est cum multa pateretur damna, & tribulationes, ac in illis gloriaretur, ad Roman.cap.5.n.3.& c.8.n.35. Quis separabit nos à charitate Christi? Angustia, an fames? an periculum? an persecutio? nàm sicut ille persequens, nec iustis nocere potuit, ità nec illi conuerso aliqua potuit nocere persecutio. Non facio, dicebat, animam meam preciosiorem, quàm me, 2.Corinth.12.nu.11. Propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumelijs, &c. Confirmat autem iustos Dominus: & ideò quid facitis flentes, & affligentes cor meum? dicebat idem Paulus: Ego non solum alligari, sed, & mori in Ierusalem paratus sum propter nomen Domini Iesu, Act. cap.21.num.13.

Confirmat autem iustos Dominus. Ne timeas; quia etsi diues sit: stabilita enim erunt bona tua in Domino, si post illa non abieris, nec in illis speraueris: sed eleemosynas largitus fueris, Eccles.31. num.8. cum seq. & erit tibi gloria æterna; nàm etsi bona sint temporalia, illa tamen tibi facis spiritualia, si illis benè vsus fueris: & eleemosynas tuas narrabit omnis Ecclesia, vt ibidem: progrediaris, & tu in hac via Christi, quæ fit multas sustinendo tribulationes, Act. c.14. num. 21. breuis enim est molestia: & æterna erit beatitudo, cur doles nunc? vt sine fine gaudeas, Augustin. Quantumcunque patiaris, non peruenies ad illas insultationes, ad illa flagella, ad illam ignominiosam vestem, ad illam Coronam spineam, & Crucem, quia de pœna generis humani sublata est: modo nullus crucifixus, honoratior est, & finita: finita est in pœna, manet in gloria, à locis suppliciorum fecit transitum ad frontes Imperatorum. hæc Augustin.

Confirmat ergo iustos Dominus: & brachia peccatorum conterentur, Paul. cap.1. Timoth.cap.6.n.17. Præcipe diuitibus huius sæculi non superbè sapere, ergo in alio sæculo, non diuites, sed pauperes erunt diuites, ipsorum enim est regnum Cælorum, Matth.d.cap.5. quocircà Augustin.13. Confess.cap.8. Omnis mihi copia, quæ Deus meus non est, egestas est: noli ergo sperare in incerto diuitiarum, ne fortè diues dormias, & pauper surgas: Sed in Deo viuas, inquit Apostolus d.cap.6. Audi August. qui dicantur diuites in operibus bonis, in Serm.205. de Tempore. litera G. Communica hìc, & communicabis ibi, Communica hìc panem, & habebis ibi panem: Hic panem, quem ex sudore colligis: ibi panem, qui dixit: Ego sum panis viuus, Ioan.6.num.14. qui de Cælo descendi. Eroga quod habes, vt accipias quod non habes. Communicent, teneant hìc diuites quantum sufficit sibi, teneant plusquam sufficit. Demus partem, erubescamus, inquit August. decimas dabant Patres, quibus Christus nondum sanguinem sudederat: non tamen te reprehendo, vel hoc fac, sic

sitio,

sitio, sic esurio, vt, & ad istas micas gaudeam, sed tamen quid dixerit viuus, qui pro nobis mortuus est, non tacebo, Matth.d.cap.5.num.20. Nisi abundauerit iustitia vestra plus quàm Scribarum, & Pharisæorum, non intrabitis in regnum Cælorum. Dabant Pharisæi decimas, quid est? Interrogate vos ipsos: videte de quo faciatis, quid detis, quid vobis relinquatis, quid misericordiæ impendatis, quid luxuriæ reseruetis. Hæc August. Vos diuites erogate, vos pauperes rapere nolite: Vos scilicet diuites, tribuite facultates: Vos verò frænate cupiditates; Audite pauperes Apostolum, 1.Timoth.6.num.6. Est autem quæstus magnus pietas cum sufficientia; quæstus, idest acquisitio lucri: Communem habetis cum diuitibus mundum; non domum, sed communem habebitis Cælum: quod sufficit quærite, plus nolite: cætera grauant, non subleuant, onerant, non honorant. Sed in acquirendis, quod nobis das documentum Augustine? Audiuerunt, inquit, ipsi, scilicet qui diuites, & pauperes: Vos qui non estis, idest, diuites, audite: qui volunt diuites fieri incidunt in tentationem, & laqueos, & desideria multa, & noxia, 1.Timoth.6.num.9. Non timetis, audite quid sequitur, quæ mergunt homines in interitum, & in perditionem. Non times? radix est omnium malorum auaritia: Auaritia est velle esse diuitem, non iàm esse diuitem ipsa est auaritia. Non times mergi in interitum & perditionem? non times radicem omnium malorum auaritiam? De agro tuo extirpas radicem spinarum, & non extirpas de corde tuo radicem malarum cupiditatum? purgas agrum tuum, vndè fructum capiat venter tuus, & non purgas cor tuum vbi habitet Deus tuus? Radix omnium malorum cupiditas, ibid. nu. 10. quam quidam appetentes errauerunt à fide, & inseruerunt se doloribus multis, &c. omnes ergo in verbo Dei concordate, & diuitem, & pauperem Deus fecit; diues, & pauper obuiauerunt sibi: vtriusque operator est Dominus, Prouerb.cap.22.num.2. in hac scilicet vita: Natus est diues, natus est pauper. Occurristis vobis pariter ambulantes viam: Tu noli premere, tu noli fraudare, iste eget, ille habet, fecit autem ambos Dominus per eum, qui habet, iuuat egentem; per eum qui non habet probat habentem. Audiuimus, diximus, timeamus, caueamus, oremus, perueniamus; hæc Augustin. Quæ hìc transcribere volui, nàm litteris aureis in corde pictis vt infingantur, digna certè sunt, ad nostrum Psalmum transeamus. Gressus ergo nostri à Domino dirigantur, vt confirmati ità pertranseamus per bona temporalia, vt non amittamus æterna; Amen: à dextris sis mihi, ideò non commouebor, Psal.15.n.8.

Nouit Dominus dies immaculatorũ, & hæreditas eorum in æternum erit: qui confirmati sunt in fide, non est cur timeant pœnas inimici; nàm pro pœna parum duratura recipiunt præmia æterna, sed quando hæc ostendenda sint iusto: nouit Deus, cui non sunt dies immaculatorum incogniti; qui se dat escam esurienti tempore opportuno: ipse enim est hæreditas iusti, quæ in perpetuum manet, Psalmi 15.num.6. & ad Hebr. cap.9.num.15. qui vocati sunt æternæ hæreditatis. Nouit Dominus dies immaculatorum: & nos in fide noscimus redemptorem nostrum. Video illũ manifestè: & nos tamquam filij Dei, quamuis nondũ appareat quod erimus: speramus cum certitudine eum videre, quia scimus quòd cum apparuerit, similes ei erimus, 1.Ioan.cap.3.nu.2. quoniam videbimus eum sicuti est, Isai.33.nu.17. Regem in decore suo videbunt oculi eius, cernent terram de longè, & nu.20. Oculi tui videbunt Ierusalem,

idest

ideſt cæleſtem habitationem opulentam, Tabernaculum quod nequaquã transferri poterit: nec auferentur claui eius in ſempiternum: Veniant tribulationes, & labores, vt illuc paſcantur corda veſtra, vbi vera ſunt gaudia, & gloria veſtra, quæ eſt videre Deum, & Angelis coæquari. Quid ergo retribuemus Domino, cum non ſint condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam? ad Roman. d. cap. 8. num. 18. Calicem ſalutaris accipiamus, Pſalm. 115. num. 13. & nomen Domini inuocemus.

Confirmat autem iuſtos Dominus, vt non confundantur in tempore malo, & in diebus famis ſaturentur: quia peccatores peribunt. In tempore malo, ideſt in die iudicij vniuerſalis, de quo Iſai. 33. num. 6. & num. 12. & erunt populi, quaſi de incendio ignis cinis: ſpinæ congregatæ igni comburentur, & Amos cap. 5. nu. 18. Væ deſiderantibus, inquit, diem Domini. Ad quid eam vobis? dies enim iſta tenebræ, & non lux ſcilicet peccatoribus, & iniquis, Ierem. c. 17. num. 16. & 17. Vbi eſt verbum Domini? Veniat: confundantur peccatores, & ego non confundar, nec ſum turbatus te paſtorem ſequens. Paueant illi, & non paueam ego: induc ſuper eos diem afflictionis, & duplici contritione contere eos, hæc Ierem.

Non confundentur in tempore malo; quia ſpes illorum erat in Domino, ſperantes autem in Domino miſericordia circundabit, Pſalm. 31. num. 10. & ideò in æternum non ſunt confuſi, Pſalm. 70. nu. 1. Non confundentur, inquit, in tempore malo; Paulus in tribulationibus poſitus, non fuit confuſus, immo in illis gloriabatur, quia ſpes illius in Deo erat: quæ non confundit, ad Rom. 5. num. 5. confundantur iniqua agentes: confundantur qui ſpe carent, vel in homine habent: maledictus homo, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum, & à Domino recedit cor eius, Ierem. 17. num. 5. ideſt, qui in fragilitate humana poſuit ſpem ſuam, & in potentiam ſui brachij, Auguſtin. de Gratia, & lib. Arbitr. cap. 4. Maledictus, inquit Ierem. non ſolum qui in homine ſpem habet, ſed etiam qui in ſe ipſo: propterea addit, dicit Auguſtinus; & firmat carnem brachij ſui, brachium poſuit pro potentia operandi. Nomine enim carnis, intelligenda eſt humana fragilitas. Nec per hoc firmat carnem brachij ſui, qui potentiam fragilem, atque inualidam, ideſt humanam ſibi ſufficere ad benè operandum putat, nec adiutorium ſperat à Domino. Propter hoc ſubiecit, Ierem. & à Domino recedit cor eius. Nos ergo non habeamus ſpem in homine ad benè operandum, firmantes carnem brachij noſtri; nec à Domino diſcedat cor noſtrum, ſed ei dicamus, Adiutor meus eſto, ne derelinquas me; neque deſpicias me Deus ſalutaris meus, ſup. Pſalm. 26. & ſicut nullum eſt momentum, quo homo non vtatur, vel fruatur Dei bonitate, & miſericordia Dei, ſic nullum debet eſſe momentum, quo eum præſentem non habeat in memoria, vt illi ſe gratum præbeat: vndè oculi mei ſemper ad Dominum, Ambroſ. lib. de Dignitate Cond. human. cap. 2. Bernard. cap. 6. Medit. Gregor. Nazianz. Orat. 1. Theol. vbi ait non tàm ſæpe reſpirare, quàm Dei meminiſſe debemus: Hæc iugis recordatio, & laudatio Dei conducit ad excludendum omne flagitium. Vndè Hieron. apud Ezechiel. cap. 22. Memoria Dei excludit omnia flagitia: Oremus ergo in omni loco, Apoſtolus 1. ad Timoth. cap. 2. num. 8. Leuantes manus noſtras.

In diebus, inquit, famis ſaturabuntur; Rationem adducit, quare peccatores peri-

peribunt; quia mors peccatorum est saturatio iustorum: Quid dicis Psalmista sancte? Nunquid non Domini est terra, & plenitudo eius, orbis terrarũ, & vniuersi qui habitant in eo, quid dicis, nunquid non est Deus omniũ, qui pluit super iustos, & iniustos? Matth. 5. n. 45. qui facit magna, & inscrutabilia, & mirabilia absque numero? & dat pluuiam super faciẽ terræ, & irrigat aquis vniuersa? Iob 5. n. 9. & n. 10. qui fulgurat lumine suo desuper: Cardines quoque maris operit, & dat escas mortalibus, Iob 36. num. 30. & 31. dante Domino illis, colligent, & aperiente manum suam omnia implebuntur bonitate, Psalm. 103. nu. 28. & 27. Omnia à te expectant, vt des illis escam in tempore, & Psalm. 144. num. 17. Oculiq. omnium in ipso sperant, & ipse dat escam illis in tempore opportuno; & implet omne animal benedictione: triduo ecce sustinent me, & deficient in via si illos sic ieiunos dimisero, & cum quinque panibus saturauit quinque millia hominum, & de reliquijs duodecim cophini impleti sunt, Matth. 14. num. 17. & sequen. & cap. 16. num. 9. & 10. Ecce quomodò in tempore saturati sunt esurientes, vt sic, & ad literam dicto psalmi intellectum dares. Lege etiam librum 4. Reg. c. 7. Samaria obsessa erat, & tandiù obsessio permansit, donec caput Asini octoginta argenteis venundaretur, d. lib. c. 6. num. 25. Venit Elisæus Propheta: Cras, inquit, dicit Regis ministro vno statere modius similæ erit: quomodò hoc potest esse Propheta Dei, vt eodem tempore famis, sit & abundantia? Quid hic, dicunt leprosi illi, esse volumus dum moriemur? sed quis vos expellit? fames, inquiunt; quomodò moriemini, si nullus sit, qui vos superare possit de obsidione? Nàm sonitum audire fecerat Dominus in castris Syriæ, curruum, & Equorum, & exercitus plurimi. Surrexerunt ergo, & fugerunt in tenebris, & dereliquerunt tentoria sua, & omnia, animas solum suas saluas facere cupientes: Venerunt ergo quatuor illi leprosi, vt saturarentur pane, ad principium Castrorum, ingressi sunt vnum Tabernaculum, & comederunt. Nuntietur Regi non credenti, quia ex Assyrijs nullus remansisset: exploratores quinque mittuntur, qui vsque ad Iordanem venerunt: & omnem viam, vestimentis extensis Assyriorum plenam inuenientes: indicarunt Regi, egressus populus, diripuit castra Syriæ, factusq. est modius similæ statere vno, & duo modij hordei statere vno, iuxtà verbum Domini, Dux qui viro Dei dixerat, quod etiam si Dominus fecisset aperiri cataractas in Cælis: numquid poterit fieri, quod loqueris? Videbis, inquit Propheta, oculis tuis: & inde non comedes: & ità fuit, quia populus illum conculcauit, & mortuus est, recedunt in tenebris peccatores, & in diebus famis populus Dei saturatur: quia peccatores illi perierunt, in tenebris ambulauerunt, omnes eorum facultates relinquentes, abundabant illi panibus, & cibarijs esuriebant isti, & opprimebantur fame; Venit dies malus pro illis: Tuba cecinit, surgite mortui, fugam epulantes arripiunt, nemine persequente: ambulant in tenebris. Exeunt isti portas Ciuitatis huius sæculi, inueniunt inimicorum spolia, comedunt ex illis, & bibunt, & saturantur: illos verò in tenebris ambulantes, fames apprehendit, angustiantur; quia receperunt bona in vita sua, isti verò mala: ibi illi pereunt fame, isti verò epulantur quotidie: quia non in escis temporalibus huius sæculi: sed gratia stabilire cor suum illis optimum. Habentes altare, de quo edere non habent potestatẽ, qui Tabernaculo deseruiunt, ad Hebr. 13. n. 9. Nouit Dominus iustorũ vias, & ideò hæreditas illiorũ facta est æterna, & permanẽs.

De peccatoribus scriptum est, Luc.cap.6.num.15. Væ vobis, qui saturati estis quoniam esurietis: Væ vobis diuitibus, qui habetis consolationem vestram, qui separati estis in diem malum, Amos 6. num.3. Iusti verò non confundentur in tempore malo, in tempore discussionis, quod impijs malum erit.

In tempore malo, dixit: postmodum sequitur in diebus famis saturabuntur. Nonnè dies famis tempus malum est, & in tempore malo sunt dies famis? quid est hoc? Quomodò non confundentur iusti in tempore malo: nisi quia tempus illud tribulationis, punctum est, nihil est, quasi quod abscesserit antequã venerit: vndè ad illos dicitur: Adhuc sustinete modicum temporis: quia adhuc modicum, paululumq. & consummabitur indignatio, & furor, Isai.10.nu.21. & 1. Petri 1.n.7. In quo exultabitis, modicum nunc si oportet contristari in varijs tentationibus, &c. & c.5.n.10. nunc modicum passos, ipse perficiet, & 2. Machab.7.n.36. nàm fratres mei modico nunc dolore sustentato, sub testamento æternæ vitæ effecti sunt: ideòq. nullus status est temporum, quia celeri creaturæ motu mutantur. Isidor.in lib.1.Sent.c.7. de Temporibus: non confundentur in tempore malo, quod citò transiturũ est: & modicum passuri, non confundentur.

Dies verò famis, in illo iudicio vniuersali, vnus est, idest perpetuus, in quo, & peccatores perpetuò cruciabuntur, & iusti ab illa sterilitate gratiarum erunt immunes; sed gloria cælesti implebuntur, & saturabuntur: peccatores verò peribunt. Lætetur ergo cor quærentium Dominum, Psal.214.n.3. quia post istud breue tempus reperient Dominum, & in perpetuum. Gaudeant peccatores in hoc sæculo, in temporis transituro puncto, quia in die famis, & iudicij perpetuò condemnabuntur in inferno: Non confundantur iusti, si tribulantur in hoc temporis paruo momento, quia ità Domini vestigia sequentes, cum ipso erunt in sempiterna fruitione Cælestis regni, cum Patre, Filio, & Spiritu sancto. Beati, nunc qui esuriunt, & sitiunt iustitiam, quia ipsi saturabuntur, Matth.d.cap.5.

Hæc eò magis versiculus sequens 21. declarat, dicens: Inimici Domini mox vt honorificati fuerint, & exaltati deficientes, quemadmodum fumus deficient: aliàs legitur in illa pag. Et inimici Domini erunt sicut pretiosi agni, sicut fumus defecerunt: mox, inquit, per temporis momentum. Vndè Bernard.in Sermo. Qui se exaltat, dicit. Nec mirum si deijcit vana, & mendax exaltatio hominum; siquidem vani sunt, & mendaces, humiliat eos veritas, exaltat eos vanitas: & idem Bernard. Reprobi sunt aliquando sicut fumus, qui in sua altitudine intumescunt, & euanescunt; aliquando sicut puluis, quia nullum charitatis humorem perferunt; aliquando sicut ceræ, quæ ad calorem, idest, impulsu tentationis facilè liquescunt. hæc Bernard. & Micheas d.cap.1.nu.4. Sicut cera à facie ignis, Psalm.67.num.3. Ceram ergo luxuriæ æquiparemus, puluerem; cupiditati, & auaritiæ: fumum superbiæ, & elationi, seù inani gloriæ, Isai.cap.9. num.18. & conuoluitur superbia fumi: facit Micheas cap.1.num.4. & consummentur montes subtus eum: quid enim puluis, nisi cupiditas, & auaritia? Iob 7.num.5. induta est caro putredine, & sordibus pulueris, Isai.cap.40. num.15. ecce iniuste quasi puluis exiguus.

Inimici ergo Domini mox vt honorificati fuerint, & exaltati deficientes; sed quare inimici, si exaltati, & honorificati? quid fecerũt? Quia auctorẽ non cognouerũt. Ideò inimici, quia nec pro beneficis acceptis Deo gratias agũt, ingrati, ideò tamquam fumus deficient: hunc enim Deus exaltat; & hũc humiliat, quia Calix

Domini

Domini vini meri, plenus misto, verumtamen fex eius non est exinanita: bibent omnes peccatores terræ, Psalm. 74.n.9. Quid ò insensate habes, quod non accepisti? 1. Corinth. 4.n.7. si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? quare non reddis ei, à quo accepisti? vitam tibi dedit, & rationem, & intellectum, ante te posuit vitam, & mortem, bonum, & malum, quare malum eligis, vt morte moriaris, & non potius facis bonum, vt vita viuas? Mutuatur peccator, & non soluit: iustus autẽ miseretur, & commodat. Ille tamquã fumus transit, & nihil habet: Iustus autẽ habet, vt vndè semper viuat. Deficientes ergo in beneficiendo, & gratias Deo agendo: vt fumus deficient in altero sæculo, quia peccatores peribunt; deficiẽt peccatores à terra, & iniqui, Psal. 103.n.35. itàut nõ sint.

Quomodò autem peccatores inimici Dei deficiant; declarat sequens versiculus. Mutuabitur peccator, & non soluet: Iustus autem miseretur, & commodat, August. Ille ergo nihil habet, iste habet. Videte egestatem, videte diuitias, ille accepit, & non soluit: iste miseretur, & commodat: abundat ille, quid si pauper est? etiam sic diues est. Tu autem ad diuitias eius pios oculos intende: respicis enim arcam inanem, conscientiam Deo plenam non respicis. Non habet extrinsecus facultatem, sed habet intrinsecus charitatem: de charitate quanta erogat, & non fruitur? Etenim si habet foris facultatem, dat ipse charitatem, sed ex eo, quod habet. Si autem non inuenerit foris, quod det, dat beneuolentiam, præstat consilium, si potest; præstat auxilium ad extremum; si nec consilio, nec auxilio adiuuare potest, vel voto adiuuat, vel orat pro contribulato, & fortè magis ipse exaudiatur, quàm qui erogat panem. Habet semper vndè det, cui plenum est pectus charitate, ipse est charitas, quæ dicitur, & voluntas bona. Plus à te Deus non exigit, quàm quod tibi intus dedit. Vacare enim non potest voluntas bona. Fęneratur ergo peccator, & non soluit, ideò tamquam fumus deficiat: quia charitatem nec extrinsecam, nec intrinsecam, quæ ei intus innata est, proximo suo exhibet; neque dat, quia non habet voluntatem bonam, & si numus sibi supersit non porrigit pauperi. Charitas pauperum mutua, Thesaurus indeficiens eorum: In quo vera securitas, & requies dulcissima.

Exaltati sunt diuites, & honorificati, sed deficiunt, quia dicunt, quòd nullius egent? nesciunt tamen, quia miseri, & miserabiles, & pauperes, & cæci, & nudi, Apocalypſ. c.3.nu.17. & 18. Suadeo dicit Dominus, emere à me aurum ignitum, probatum, vt diues fias, & vestimentis albis induaris, & non apparebit confusio nuditatis tuæ, & collyrio inunge oculos tuos, vt videas. hæc Ioan. Quorum verborum interpretationem affert Gregor. 34. Moral. c.3. Pauper, inquit, quia virtutum diuitias non habet; cæcus, quia, nec paupertatẽ, quam patitur videt: nudus, quia primam stolam perdidit: sed peius, quia nec se perdidisse cognouit: deplorandæ sunt proinde ab ærumnosis diuitibus miseriæ, in quibus viuunt, & post mortem in quas incidunt pœnas æternales: substantia illorum tamquam fumus euanescit; & anima eorumdẽ in cruciatibus sempiternis demoritur.

Ecce homo, qui non posuit Deum adiutorem suum: sed sperauit in multitudine diuitiarum suarum, Psalm. 51.nu.8. & præualuit in vanitate sua: & tamquam fumus defecit. Vlulate in miserijs vestris diuites peccatores, Iacob. in sua Epistola c.5. in princ. In miserijs, & non in miseria dixit, quia in hac vita vrgentur, & in altera affliɛtantur. Miserrimos ideò vos vocat Philon. lib. de Charitate, omniumq. miserrimos, quasi, qui careatis pecunia, cibos mutuatis, vt recipiatis

cum fænore. Isti quomodò egeno stipem offerent, cum in prouentu felici famem inuehant; redditus sibi parantes ex miserorum hominum ventribus? Deficientes ergo sic honorificati, & exaltati in defectu charitatis proximi tamquam fumus deficient. Agite nunc diuites, plorate vlulantes in miserijs vestris, quæ aduenient vobis: diuitiæ vestræ putrefactæ sunt, Iacob.d. cap.5.num.1. & 2.

Iustus autem miseretur, & commodat, Prouerb.22. num.9. qui pronus est ad misericordiam, benedicetur, de panibus suis dedit pauperi, Ambros.lib. de Officijs. Nihil tàm commendat Christianam animam, quàm misericordia Patrum in pauperes, vt quod habes, largiaris pauperi, & consortem, & conformem tuum adiuues: tuus denarius, census illius est, si nudum vestias, te ipsum indueris iustitia; Si peregrinum sub tectum inducas, si suscipias algentem, iste tibi sanctorum acquiret amicitias, hæc Ambros.

Mutuabitur peccator, & non soluet. Quis ille peccator, qui mutuabitur, & non soluet, nisi ille, qui dixit, si cadens adoraueris me, hæc omnia tibi dabo: ostenderat enim illi omnia regna mundi, mutuum offerebat, quod illi dare non poterat, nec volebat. Ille idem est, qui tibi ò stulte vana mundi demonstrat, vt illa tu quasi mutuo accipiendo statim à te extorquens, non soluat, sed vt te deceptū in delectationis eius momento, illam, quæ est vera delectatio in Christo perdas, vt sempiternam cum peccato pœnam reperias? insidiatur contrà te potens, & molitur contrà te potens, acuit nouaculā vnde capillos radat, non vnde caput incidat: quare dolum potentis malæ nouaculæ comparauit, Psal.51.n.4. Sicut nouacula acuta fecisti dolum? August. de verbis Domini, Serm.6.c.9. Quia, inquit, non admittitur, nisi ad superflua nostra, sicut capilli, in capite nostro tamquā superflui tonduntur, & sine detrimento carnis raduntur, sic quicquid potest facere tibi iratus potens, inter superflua tua numera, & ibidem cap.10. litera B. Para capillos, nouaculam acuit: ablaturus est superflua tua, rasurus quicquid relicturus es: Tollet quicquid remanebit si potest: quia tulit potens nocens? quid magnum tulit? quod fur, quod effractor, vt multum sæuiat, quod latro, si & idipsum deindè permissus fuerit, quid tollit, nisi quod latro? noli pro ista humanitate nostra fragili sic pugnare, vt tu relinquaris. Benedic ergo tu iusto, vt hæreditatem capias in terra, & in Cælo cum illo, quoniam benedicentes eum, inquit Psalmista, hęreditate possidebunt terram. Iste enim est iustus ille, qui miseretur, & tribuit, qui factus est hìc pauper, quia voluit, vt te ditaret. Propterea venit, qui pauper hic fuit, & tamen diuitias magnas attulit, quibus faceret diuites eos, quos inuenit hìc pauperes. Qui non de oratore piscatorem, sed de piscatore oratorem, de piscatore Senatorem, de piscatore Imperatorem fecit: qui ideò infirma huius mundi elegit, vt fortia quæque confunderet, 1. Corinth.1.num.27. qui ignobilia, & contemptibilia elegit, & ea quæ non sint, vt ea quæ sunt destrueret, num.28. Benedicens ergo benedicam iusto isti, cohæres illius, vt possideam hæreditatem in terra viuentium, Psalm. 141. num. 6. Clamaui ad te Domine, dixi: tu es spes mea, portio mea in terra viuentium. Intende ad deprecationem meam, quia humiliatus sum nimis, Augustin. Tu es portio mea, inquit, Deo, & non dubitauit Deum sibi facere portionem.

Quia benedicentes ei hæreditabunt terram. Cohæredes enim erunt Christi Domini nostri in Regno Cælorum: Vide Chrysost.tom.1. ad finem homil.

de tribus pueris in fornace, inquit, ſtans Azarias aperiens os ſuum in medio ignis dixit, Benedictus es Domine Deus patrum noſtrorum, & aperuit os ſuum: Non audet autem ignis inuocantis Dominum fauces irrumpere; nec nubilo ductu vaporans eloquentis ora conturbet. Et tamen detrahentis os aggreditur, mordet, & inficit viros laudantes Deum; ipſiusq. obſequio dicatos, vniuerſitas vtique iniquitatis, quæ proinde vniuerſos inficit, vt miraculum cenſeri debeat, ſi quis immunis euadat, Pſalm. 30. num. 21 Abſcondit tamen eos in abſcondito faciei ſuæ à contradictione linguarum, Bernard. in principio Epiſtolæ ad Fratres de Monte Dei, & latius de iniquis ſup. Pſalm. 35. loquuti ſumus, vbi etiam Abroſ. dicit: Quicquid loquitur iniquus, ſeù iniuſtus, iniquitas eſt, quæ in ſuum refertur authorem, facit Prouerb. 26. n. 9. Sed non qui patitur, ſed qui facit contumelias ipſe miſer eſt, Hieron. Epiſt. ad Marcell. ſup. Pſal. 63. & infirmatæ ſunt contrà eos linguæ eorum: Chaldæus habet: & offenderuut ſeipſos lingua ſua. Quia peccator videbit, & iraſcetur, dentibus ſuis fremet, & tabeſcet; deſiderium peccatorum peribit, Pſalm. 111. nu. 10. Nec inuentus eſt amplius locus eius. Diſperſit de terra memoriam eorum: pro eo quòd non eſt recordatus facere miſericordiam, Pſalm. 108. nu. 16. Auguſtin. in illis verbis, ſinite mortuos ſepelire mortuos, Matth. 8. nu. 21. Luc. 9. n. 59. Infideles quando cadauer ſepeliunt, mortui mortuum ſepeliunt, illius corpus animam perdidit: illorum anima Deum. Sicut enim anima eſt vita corporis: ſic vita animæ Deus. Sicut expirat corpus cum animam emittit, ità expirat anima cum Deum amittit, mors corporis neceſſaria, mors animæ voluntaria, Auguſtin. de verbis Domini, Serm. 6. cap. 10. in fine.

Apud Dominum greſſus hominis dirigentur, & viam eius volet: Quæras tu viam Domini, ipſe enim Ieſus eſt via noſtra, & ipſe greſſus tuos diriget, nam tam praui aliàs eſſent, vt ſemper per praua irent homines: Venit Ieſus, vocauit, redemit, ſanguinem fudit: mortuus eſt, vt nos viueremus; pro nobis factus eſt homo, vt viam, quam nos amiſeramus per peccatum Adæ, ipſe Deus, & homo nos doceret, ipſe greſſus noſtros dirigeret: nàm & ſi homines nos Deus fecerit, niſi filius Dei homo fieret, parum nobis, & ſi homines facti proficeret, niſi & ipſe redemiſſet: ſi viam eius volumus, ſæculi huius voluptates omittamus: per aſperas, & duras ambulemus vias, ſi caput noſtrum Chriſtum Ducem, & Redemptorem ſequi velimus. Nunquid enim ſub capite ſpinoſo membrum delicatum? abneget ſemetipſum qui vult ſequi Chriſtum: ipſe enim dixit, Qui vult venire poſt me abneget ſemetipſum, tollat Crucem ſuam, & ſequatur me, Matth. 16. num. 24. Luc. 9. num. 23. Auguſtin. Cum ſequeris viam Chriſti, non tibi ſæculi proſperitates promittas, per dura ambulauit, ſed magna promiſit: ſequere, noli attendere quà iturus, ſed & quò venturus ſis. Tolerabis dura temporalia, ſed ad lætitiam peruenies ſempiternam. Si vis ſuſtinere labores, attende mercedem. Cum autem attenderis quid accepturus ſis, omnia tibi erunt vilia, quæ pateris, &c. miraberis tantum dari, pro tanto labore: Nàm ſi pro æterna requie, labor æternus ſubeundus erat: æternam felicitatem accepturus, æternas paſſiones ſuſtinere deberes: ſed ſi æternum ſuſtines laborem, quando venires ad æternam felicitatem? Ità fit, vt neceſſariò temporalis ſit tribulatio tua, qua finita venias ad felicitatem infinitam, hæc Auguſtin.

Cum ceciderit non collidetur: quia Dominus ſupponit manum ſuam. Quia

nouit Dominus pios de tentatione eripere: Iniquos verò in die iudicij reseruare cruciandos, 2.Petr. cap.2.nu.9. Cum ceciderit, inquit, non collidetur, quia Dominus firmat opera eius. Hieron. cum ceciderit propter infirmitatem carnis: quia septies cadit in die iustus, & resurgit. Et non collidetur, quia Dominus supponit manum suam. Agenti enim pœnitentiam statim miseretur: sic & Dauid, & Petrus: cognito peccato, lacrymis purgauerunt delictum, & ideò confirmati sunt, Prouerb. cap.24. num. 16. Septies in die cadit iustus: Impij autem corruent in malum. Bonauent. hìc littera F. Si ceciderit non collidetur, inquit: duplex casus: eorum scilicet primus, qui extrà viam cadunt, qui nunquam sunt de Ecclesia: Secundus eorum, qui cadunt à via, 2.Petr. cap.2. numer.15. cum sequent. Hi sunt qui dereliquerunt rectam viam, & errant, sequentes Balaam ex Bosor, qui mercedem iniquitatis amant. Hi sunt fontes sine aqua, & nebulæ turbinibus exagitatæ, quibus caligo tenebrarum reseruatur, facta sunt posteriora eis peiora prioribus, melius enim erat illis non cognoscere viam iustitiæ, quàm post agnitionem retrorsum conuerti ab eo, quod illis traditum est sancto mandato. Deus autem pacis conterat Satanam sub pedibus nostris velociter: gratia Domini nostri Iesu Christi nobiscum, ad Roman.16. num.20. adiuuat nos Deus fratres, ne casus noster sit sine spe resurrectionis.

Accedamus fratres, vt inquit Paul. ad Hebr. cap.10. num.22. cum vero corde in plenitudine fidei cōspersi corda à conscientia mala, & abluti corpus aqua munda, teneamus spei nostræ confessionem indeclinabilem, &c. Supponet manus suas Dominus, ne collidamur, & si fragilitate cadamus humana, iterum lauemus lacrymis peccata nostra, Dominus est, & misericors, qui ideò dat locum, & tempus, vt pœniteat nos, & misericordiam eius imploremus; Sit casus in via, quia septies in die cadit iustus, non à via Domini ne à vero declinemus, sed bonum facientes, & gementes, benedictionē Dei accipere mereamur.

Iunior fui, etenim senui; & non vidi iustum derelictum, neç semen eius quærens panem. Tota die miseretur, & commodat; & semen eius in benedictione erit. Quis dicatur iustus, hisce declaratur. Qui tota die miseretur, & commodat: Huius semen asserit se non vidisse panem quærere, nec à Deo derelictum. Si litteram sequamur, & iustos esurire, & semen eius defecisse forsan dicemus; nàm & Dominum idem in suo Euangelio asseruisse legimus, Matth. cap.25. num.41. cum maledicens his, qui à sinistris erunt, afferens causam, dicet. Esuriui enim, & non dedistis mihi manducare: sitiui, & non dedistis mihi potum, &c. Quomodò ergo si iustus esurit, non indigeat pane, non quærat panem? & si ipsemet esuriuit, quomodò de iusti semine, quod asserit Propheta, verificabitur? sed si benè, & rectè consideremus, verum esse, quod Propheta asserit, confitebimur. Non vidi eum derelictum: nàm quomodò iustum dereliquisse Dominum asseremus, quando legimus, eum cum illo esse vsque ad consummationem sæculi? Matth. cap.28 nu.20. Qui etiam in tribulationibus nobiscum manet, & de illis nos eripit, cum ipso sum, inquit, in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum, Psalm.90. num.15.

Miseretur iustus Iesus tota die, & commodat; pauperi porrigens dexteram suam, ideò non derelinquit eum Dominus, immo ex his in dilectione firmabitur, & propitiatio perficietur, atque Dei benedictio in illum, Eccles. cap.7.

num. 36.

num. 56. & seq. Et si iustum tribulatum, afflictum, & percussum vidisti, non propterea Deus derelinquit eum: ad punctum enim, & in modico dereliquisse videtur: in momento indignationis parumper faciem suam abscondisse videtur, Isai. cap. 54. num. 7. & 8. vt in misericordia sempiterna illius misereatur. Tentat illos Deus, vt dignos se inueniat eos, Sap. cap. 3. nu. 4 Iustorum enim animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis, numer. 1. ibidem.

Nec semen eius quærens panem, quia panis ille cælestis Iesus, qui est verus panis semper cum illis est. Propterea dixit; tunc cum ante Præsides fueritis, &c. nolite cogitare quid, aut quomodò loquamini, Matth. cap. 10. num. 19. Non estis enim vos qui loquimini, sed spiritus Patris mei, qui loquitur in vobis, nu. 20. & inferius, num. 40. Qui recipit vos, me recipit: non relinquam vos orphanos, Ioan. 14. num. 18. Quotidie enim panem hunc comedit; qui semper benè agit, & ideò dicit, ero semper vobiscum vsque ad consummationem sæculi.

Iunior fui, etenim senui: Iunior fuisti, ò Dauid, sed ouium custos, & quomodò tu custos ouium cognoscere hoc potuisti? Si post fœtantes accepit te Dominus, Psalm. 20. num. 70. & postquam senuisti, nunquid omnium, qui in mundo fuerunt tu cognitor fuisti? Iunior fui, inquit, & si ouium custos, nunquam tamen virtus Domini dereliquit me, nec spiritus eius, manus enim Domini mecum erat, propterea percussi Philisthæum, & abstuli opprobrium Israel, 1. Reg. cap. 17. num. 5. Eccles. 47. num. 1. & quia in omni opere dabam confessionem Deo, & excelso in verbo gloriæ, num. 8. ibidem, & de omni corde meo laudaui Dominum, & dilexi eum, qui fecit me, vir eram, cui constitutum erat de Christo Dei Iacob, 2. Reg. cap. 23. num. 1. Spiritus Domini locutus est per me; ideò spiritu prophetico in iuuentute, & seniori ætate prædicta scripsi, quia vera sunt; nec mirum, nàm quos dedit filio suo, Dominus Deus, custodit, Ioan. 17. num. 12. Ideò nec semen, inquit, eius quærens panem: quia qui verbum Dei receperunt, & in illo instructi sunt, non alium quærunt panem, quàm ipsum, quod semper secum habent, & retinent verbum Domini: quia semen iusti sunt, Iustum nunquam derelictum vidit Propheta, idest Christum, & si ille in Cruce stantem audiuerit in spiritu clamantem. Eloi, Eloi, Lamma Sabacthani; hoc est Deus meus, vt quid dereliquisti me? non enim diuinitas ab humanitate recessit, quæ pro nobis illum Deo Patri obtulit: sed ad punctum derelictus videbatur, vt magis humanitas sua cruciaretur, propterea nec proprio filio pepercit: non enim deseruit illam diuinitas, sed ideò sic videbatur, quia aucta erat illius pœnæ asperitas. Iustum istum Dauid nunquam vidit derelictum: nec semen eius, hoc est fideles Apostolos, & iustos visum quærens panem, quos Dominus non dereliquit, sed sic visum extrinsecus ignorantibus fuit, quando maiora ipsis debebantur pro gloria Christi certamina, adeoquè pati permissum sicut magistrum, vt in alio sæculo gloria cum Christo perfruantur æterna: Augustin. de verb. Domini Serm. 6. cap. 11. Via nostra Christus est, Christum attende: Pati venit, sed & glorificari: contemni, sed etiam exaltari: mori, sed etiam resurgere. Opus te terret; mercedem tradit. Quare vis peruenire delicatus ad eam, ad quam non perducit nisi labor? charior sit tibi illa, ad quam post omnes labores sic peruenias, vt nunquam amittas, hæc Augustin.

Et

Et de Christo loqui non videtur ambigendum ex sequenti versiculo: Tota die miseretur, & commodat: Quis enim tota die nostri miseretur, nisi solus filius Dei, quem quotidie peccando offendimus: & nihilominus miseretur, & commodat, dans tempus, & locum, vt pœnitentes semen illius facti in benedictione simus illius: dabit enim tunc lassis virtutem, & his, qui non sunt fortitudinem, & robur multiplicabit, Isai. 40. num. 29. Qui autem sperant in Domino mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilæ, current, & non laborabunt, ambulabunt, & non deficient: quia nunquam vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem.

Et qui de Christo nati sunt per regenerationem; Apostoli nempe, & alij Doctores, iusti, & fideles misericordiæ viri sunt, quorum pietates non defecerunt: cum semine eorum permanent bona sua, hæreditas sancta, nepotes eorum, & in testamentis stetit semen eorum: & filij eorum propter illos vsque in æternum parmanent, semen eorum, & gloria eorum non derelinquetur, Eccles. 44. nu. 8. & sequen. Corpora eorum in pace sepulta sunt, & semen eorum viuet in generatione, & generationem, & in testamentis, inquit, stetit semen eorum, idest in obseruatione mandatorum.

Quid autem faciendum tibi sit, vt semen eius efficiaris, & ab illo benedictionem habere merearis, docet Propheta: Declina, inquit, à malo, & fac bonum, & inhabita in sæculum sæculi; quid sit, quod ait, inhabita in sæculum sæculi? declarat ipse Deus Deuteron. cap. 15. nu. 1. & 4. Non eris omnino, scilicet indigens, & mendicus. Quia iustus Deus non te derelinquit. Sicut vbi dicitur, vt benedicat tibi Dominus Deus tuus in terra, quam traditurus est tibi in possessionem: sensus est, gloria eius frueris in Paradiso, quia ipse est possessio nostra, & hæreditas nostra: declina ergo à malo: sed & fac bonum, Isai. c. 1. num. 16. Lauamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis: quiescite agere peruersè: discite benefacere, &c. quia si fuerint peccata vestra, vt coccinum, quasi nix dealbabuntur, &c. Et inhabita in sæculum sæculi in vnitate fidei, in Ecclesia Dei, in qua perpetuus permaneas.

Vel dicamus; Nunquam vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem: Abraham nonnè iustus fuit: angustiatum tamen legimus, Genes. 12. num. 11. facta est fames in terra, & Abraham descendit in Ægyptum, interficient me, quia tu pulchra es, dic quòd sis soror mea, &c. & de Isaac filio eius; Genes. 26. num. 1. Orta autem fame in terra, post sterilitatem, quæ acciderat in diebus Abraham, &c. abijt Isaac quærens panem. Et Paulus quid dicit? 2. Corinth. 11. num. 23. In laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter, &c. & num. 27. Ærumnæ, & labores, in vigilijs multis, in fame, & siti, &c. in frigore, & nuditate, &c. Quomodò ergo dicitur, iustus non derelictus, nec semen eius quærens panem? Iunior fui, inquit Dauid, etenim senui. Vita breuis est, & quomodò non potuit esse, quòd ante vitam tuam, vel post non fuerit iustus derelictus? vt de Abraham, & de Isaac audisti?

Augustin. hic. Dominus in corpore suo, quod est Ecclesia, iunior fuit primis temporibus, & ecce iam senuit, nostis, quia hoc credidistis, quia caput nostrum Christus est, omnium scilicet, qui iusti ab initio fuerunt huius sæculi, quia illum esse venturum crediderunt, sicut & nos ipsum venisse credimus: om-

omnibus ergo connumeratis, qui ab initio, & vsque in finẽ fuerunt, sunt, & erunt omnium inquam, caput est Christus, adiunctis etiam omnibus Angelorum legionibus, & exercitibus, vt fiat illa vna Ciuitas sub vno Rege, & vna quædam Prouincia sub vno Imperatore, felix in perpetua pace, & salute laudans Deum sine fine.

Corpus autem Christi, quod est Ecclesia tamquam vnus quidam homo, primò iunior fuit, & ecce iàm est in senecta pingui in fine sæculi: quoniam de ea dictum est: quoniam adhuc multiplicabitur in senecta pingui: multiplicata est super omnes gentes, Psal. 91. ipsius vox est attendentis, quasi vnius hominis, primam ætatem suam, & istam nouissimam respicientis per omnia, quia omnes ætates notas habet per scripturas, ait exultans, & monens, iunior fui primis temporibus sæculi, & ecce senex sum, etiam nouissimis temporibus sæculi, & nunquam vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem. hæc Augustinus.

Panis est verbum Dei, quod nunquam discedit ab ore iusti, Matth. 4. Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. Iustus ergo, qui facit voluntatem Dei, semper benè facit, & secundum voluntatem eius facit: quia voluntas Dei de corde eius non exit, non recedit, quia voluntas Dei ipsa est lex: in qua iustus meditatur die, ac nocte, Psalm. 1. Quando audis, aut legis, manducas: quando indè cogitas, ruminas, vt sis animal mundum, non immundum. Quibus addimus ea, quæ Paul. ad Roman. c. 10. n. 8. Sed quod etiam Scriptura in Deuter. 30. n. 14. Semper est verbum in ore tuo, & in corde tuo, quod significat etiam Sapientia, Prouerb. cap. 2. n. 20. Thesaurus desiderabilis, & oleum in habitaculo iusti, & imprudens homo dissipabit illud. Augustin. legit. Thesaurus desiderabilis requiescit in ore sapientis. Vir autem stultus glutit illam; Non deficiet ergo tibi panis, neque esuries, si semper in lege Domini meditaberis, & semper lectiones sacras, vel audieris, vel legeris.

Iuxtà illam autem regulam, qua præstitum nouimus sanctis Prophetis præterita, vt annuncient futura etiam vt prædicant, vt habetur Eccles. 42. num. 7. vbi dicitur, Nonnè Dominus fecit Sanctos suos enarrare omnia mirabilia sua, quæ confirmauit Dominus omnipotens stabilire in gloria sua? & num. 19. annuncians quæ præterierunt, & quæ superuentura sunt, reuelans vestigia oculorum; dicamus Prophetam, præterita, quæ transierunt demonstrasse, & futura nos docuisse, & certos nos fecisse, nunquam Deum dereliquisse iustum, nec eiusdem iusti semen panem petijsse, vel petiturum.

Nec contraria adducta militare videntur: nàm sicut dicit Paul. ad Corinth. 2. cap. 6. num. 4. Sed exhibeamus nosmetipsos in multa patientia sicut Dei ministros, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustijs, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in ieiunijs, & vigilijs, &c. vt seductores, & veraces, sicut qui ignoti, & cogniti: quasi morientes, & ecce viuimus, vt castigati, & non mortificati: quasi tristes semper autem gaudentes, sicut egentes multos autem locupletantes, ideò, nec semen, inquit, quærens panem vidi: tamquam nihil habentes, & omnia possidentes, &c. propter te mortificamur tota die, dixit Dauid, Psalm. 13. num. 25. æstimati sumus sicut oues occisionis: sed in omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos, dicit Paul. ad Roman. cap. 8. num. 31.

Si

Si Deus pro nobis, quis contrà nos? Quis ergo nos separabit à charitate Christi? tribulatio? &c. num. 35. Visi sunt oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace, Sap. dicto cap. 3. & 4.

Declina à malo, & fac bonum: & inhabita in sæculum sæculi, numer. 27. prius crimine careas, vt posteà fructum innocentiæ deferas, nec sufficit vna pars sine altera. Ambros. hic, 1. Petr. cap. 3. num. 11. Qui vult dies videre bonos, declinet à malo, & faciat bonum: bonum autem facientis semen in benedictione erit. Non carnalia cogitemus, nàm multos iustorum filios fame perire videmus: opera ergo bona sunt semen nostrum: Seminantur hæc, vt posteà illorum fructum metamus, Item ad Galat. 6. num. 8. & 9. Quæ enim seminauerit homo, hæc, & metet. Quoniam, qui seminat in carne sua, de carne metet, & corruptionem: Qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam. Bonum enim facientes non deficiamus; tempore enim suo metemus non deficientes. In lachrymis ergo sit semen nostrum, vt in exultatione metamus: euntes eamus, & fleamus, mittentes semina nostra; vt venientes cum exultatione veniamus, ad Dominum scilicet, portantes manipulos nostros, Psalm. 125. num. 5. & seq. Ideò cum exultatione veniemus, si semen nostrum in benedictione mittamus. Si in bonis operibus nos exerceamur, si tota die miserando commodemus: Docet nos Bonauentura hic, quomodò misereamur: in proximi correctione: in iniuriarum remissione; in sui ipsius miseratione, in proprij beneficij collectione: ideò de primo, & vltimo dicitur Luc. cap. 6. nu. 20. omni petenti te, tribue, vel correctionem; de secundo dicitur Matth. cap. 5. n. 39. qui percusserit te in vnam maxillam, præbe, & alteram: de tertio Ecclesi. c. 30. num. 24. miserere animæ tuæ placens Deo.

Declina à malo, si vis amari à Deo: quia Dominus amat iudicium, & non derelinquit sanctos suos: In æternum conseruabuntur. Iustus est enim Dominus, & iustitiam diligit: opus hominis reddit ei, & iuxtà vias singulorum restituet eis, Iob 34. num. 11. Declina à malo, non sicut stulti, qui detestantur eos, qui fugiunt mala, Prouerb. cap. 13. num. 19. Sed tu fac quod bonum est, & placitum in conspectu Altissimi, vt benè sit tibi, & omnibus filijs tuis post te in sempiternum, Deuteron. cap. 41. num. 28. Et inhabita in sæculum sæculi: idest inhabitabis supradicta operando in sæculum sæculi, in æternum. Quiescite ergo agere peruerse: discite benefacere, Isai. dicto cap. 1. num. 16. quærite iudicium, idest iustè agere: vt ibi, Isai. quia dicit Psalm. Dominus amat iudicium, idest illos, qui rectè agunt, qui ambulant in vijs eius: hi enim sunt Sancti, quos ideò Dominus non derelinquit: vt in æternum illos confirmet, sed nonnè tres pueri erant iusti: ità etiam, & Machabæi iusti erant; illos tres pueros in camino ignis proiectos non derelinquit Dominus: istos verò Machabæos, carne, sed non fide in lege defecerunt, nàm corpora eorum morti tradita sunt, & igni, 2. Machab. cap. 7. num. 5. & per totum, & Daniel cap. 3. num. 20. 50. & 91. primi non sunt à Domino derelicti, & in igne Deum laudantes, nec illos flamma tetigit, hos verò consumptos igne legimus, soluit Augustin. quæstionem dicens: Visibiliter non derelinquit tres pueros: occultè non derelinquit Machabæos: illis enim dedit vitam temporalem ad confundendos infideles: illos autem occultè coronauit ad iudicandum impietatem persecutorum; Nec tamen illos, nec illos dereliquit, quia Sanctos suos non derelinquit: Vtrique iusti, vtrique sancti: vtri-

vtrique plantauerunt, Machabæi cum illorum sanguine, vt ad modicum passi, 2.Machab.7.n.36.modico nunc dolore sustentantes, sub testamento æternæ vitæ effecti sunt: Tres verò pueri, vt sua prædicatione infidelitatem persecutorum destruentes; seminũ operumq. suorum perciperent fructum in Regno Cęlorum.

Quia Dominus amat iudicium: semen verò impiorum peribit: quia nulla erit suorum operum consideratio, quin pœna puniantur æterna. Iniusti enim punientur, & semen eorum peribit: punientur scilicet pœna æterna. Vndè Bernard. Cum considero Iob in sterquilinio, Ioannem esurientem in Eremo, Paulum occumbentem gladio, Petrum in patibulo: tunc cogito qualiter Deus puniet in futuro, quos reprobat, qui sic in præsenti castigat, quos amat: & ideò dicto cap.7.Machab.2.num.36. Tu verò iudicio Dei, iustas superbiæ tuæ pœnas exolues, dicebat adolescentior ille Machab impio illi Tyranno. Augustin. de Ciuit. Dei, lib. 13. ad Marcellin. cap.11. in fine loquens de secunda morte. Illa enim, inquit, est grauior, & omnium malorum pessima, quæ non fit separatione animæ, & corporis, sed in æternam pœnam potius vtriusque complexu: ibi è contrario non erunt homines ante mortem, atque post mortem, sed semper in morte: ac per hoc nunquam viuentes, nunquam mortui, sed sine fine morientes: nunquam enim homini peius in morte, quàm vbi erit mors ipsa sine morte. hæc Augustin. Desiderabunt enim homines mori, & mors fugiet ab eis. In Enchiridion, cap.92. vbi infelix mori non finitur, vt ità dicam, mors ipsa non moritur, & vbi dolor perpetuus non interimit, sed affligit ipsa corruptio non finitur: & hæc secunda mors in sacris Scripturis nuncupatur, Apocalyps.cap.20.nu.14. Vide Augustin. de vera Religione, cap.11. in fine. Qui fructu corporis delectatur, negligit Deum, inclinatur ad nihilum, & ista est nequitia: nàm nulla vita est, quæ non sit ex Deo, quia Deus vtique summa vita est, & ipse fons vitæ, nec aliqua vita, inquantum vita est, malum est, sed inquantum vergit ad mortem; mors autem vitæ non est, nisi nequitia, quæ ab eo quod nequaquam est, dicta est: & ideò nequissimi homines, nihili homines appellantur, hæc Augustin. Faciunt, quæ Eccles. cap14. nu.20. scripta sunt. Omne opus corruptibile, in fine deficiet: & qui illud operatur, ibit cum illo; & omne opus electum iustificabitur: & qui operatur illud, honorabitur in illo.

Iniusti ergo punientur, & semen impiorum peribit. Quia mala opera illorum sequuntur illos, Iob 1. ad Roman.cap.8. Apocalyps. dicto cap.20.num.3. & iudicatum est de singulis secundum opera ipsorum: fructus impij ad peccatum: opus verò iusti ad vitam, Prouerb.cap.10.num.16. Semen ergo illorum impiorum peribit. Non ad literam intelligas, cum ex iniquis etiam filij iusti fiant aliquando. Semen ergo opera illorum intelligas, quia nihil illis proderit. Vndè Augustin. lib.6. de Ciuit. Dei, cap.12. litera H. Porrò, qui non dat felicitatem, vitam quomodò posset dare æternam? eam quippè vitam æternam dicimus, vbi est sine fine felicitas; Nàm si anima in pœnis viuit æternis, quibus, & ipsi spiritus cruciabuntur immundi, mors illa potius æterna dicenda est, quàm vita. Nulla quippè maior, & peior est mors, quàm vbi non moritur mors, sed quod animæ natura, per id quod immortalis creata est, sine qualicunque vita esse non potest; summa mors eius est alienatio à vita Dei in æternitate supplicij.

Vitam

Vitam igitur æternam, ideſt ſine vllo fine felicem, ſolus ille dat; qui dat veram felicitatem: Iuſti, inquit, hæreditabunt terram: & inhabitabunt in ſæculum ſæculi ſuper eam: Iniuſti verò punientur, & cum ipſis opera illorum peribunt. Gregor. in lib. 4. Moral. Vera mors eſt, qua anima ſeparatur à Deo: & idem Auguſtin. de verb. Domini, Serm. 5. Sicut anima eſt vita corporis, ſic animæ eſt vita Deus: ſicut expirat corpus cum animam emittit, ità expirat anima cum Deum amittit. Deus amiſſus mors animæ, anima emiſſa mors corporis: mors corporis neceſſaria, mors animæ voluntaria. Iniuſti ergo, quia eſcam ventri, & ventrem eſcæ dederunt, meſſi fuerunt temporalia, ideò amiſerunt cæleſtia; & tunc corpus ſeparatur ab anima, anima verò ſeparatur à Deo, quia amauit terrena; & corpus, & anima cruciantur iuncta in inferno, Iſai. cap. 65. num. 24. & egredientur, & videbunt cadauera virorum, qui præuaricati ſunt in me: Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur, &c.

Iuſti autem hæreditabunt terram: & inhabitabunt in ſæculum ſæculi ſuper eam. Sed quomodò terram habitabunt in ſæculum ſæculi: ſi dies hominum non ſunt pluſquam centum, & viginti anni? Geneſ. 6. n. 3. & terra cum iniquis diſperdenda ſit; ibid. num. 13. Repleta, inquit Deus, terra iniquitate, & ego diſperdam eos cum terra. Non de terra hac loquitur Pſal. ſed de illa cęleſti, de qua Pſal. 141. n. 6. Spes mea es tu, portio mea in terra viuentium, & Pſalm. 114. n. 9. Placebo Domino in regione viuorum: & viuemus in conſpectu eius, Oſe. c. 6. num. 3. quia bonum, & non malum quæſiuimus, vt in Deo viuamus, Amos cap. 5. num. 5. & 24. Qui enim requirunt Dominum: viuent corda eorum in ſæculum ſæculi, & anima noſtra illi viuet, Pſalm. 21. num. 27. & 31. Illa eſt terra, de qua Ioan. Apocal. cap. 21. nu. 1. & ſequen. Et vidi Cælum nouum, & terram nouam. Sed ego Ioannes vidi ſanctam Ciuitatem Ieruſalem nouam deſcendentem de Cælo à Deo paratam, &c. & nùmer. 3. Ecce Tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis: & ipſe Deus erit eorum Deus, & abſterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum, & mors vltrà non erit, &c. quia prima abierunt, Iſai. 65. num. 17. Ecce enim, ecce creo Cælos nouos, & terram nouam; & non erunt in memoria priora, &c. Auguſtin. Nàm, & ſi vita tua illa eſt, intellige qualem terram accepturus ſis: illa eſt terra viuentium: hæc autem eſt terra morientium, receptura mortuos, quos nutriuit viuos: Qualis ergo illa terra, talis, & ipſa vita. Si æterna vita, æterna terra.

Os iuſti meditabitur ſapientiam. Si meditatio eſt proprium mentis, inuenire cupientis, illud enim propriè meditamur, quod inuenire conamur: quomodò os meditari poterit, quod prius mens non inuenerit? Mens enim iuſti meditatur ſapientiam, Prouerb. 15. Speculando quæ Dei ſunt: meditatur enim mens propter ſui confirmationem in fide, Eccleſ. cap. 14. nu. 22. Beatus vir, qui in ſapientia morabitur, & qui in iuſtitia ſua meditabitur: qui in iuſtitia perſeuerans, iuſtitiam inuenire deſiderat, iſtum non deſerens, illum quærens: quomodò ergo os meditatur? niſi dicamus, quod ideò meditabitur quaſi præueniens mente, vt præhabitas meditationes ore ſuo pronunciet: oportet enim orationis inſtantiam præuenire, ſi volumus prædicationis gratiam inuenire. Vndè Pſal. 118. num. 148. Præuenerunt oculi mei adte diluculo, vt meditarer eloquia tua. Quod ergo mente meditatur, ore etiam loquitur: os meum aperui, & attraxi

ſpiri-

ſpiritum, quia mandata tua deſiderabam, Pſalm.118.num.131. & os meum loquitur ſapientiam, Pſalm.51.num.4. & pronunciabit laudem tuam, Pſalm.50. num.17.

Vel dicamus. Os iuſti meditabitur ſapientiam, & lingua eius loquetur iudicium: Iuſtus ingreſſam ſapientiam Dei in ipſius cor, aperiendo os ſuum quaſi euomit, vt lingua eius loquatur iudicium Dei. Facit Eccleſ.cap.51.num.33. Aperui os meum, & locutus ſum: nàm ſequens verſ. hanc quaſi declarat interpretationem, dicens: Lex Dei eius in corde ipſius: & non ſupplantabuntur greſſus eius: meditanda enim dedit Deus verba in ore eius, Ierem.5.n.14. Quia propè eſt Dominus ori iuſtorum.

Iterum dicamus: Quod cum in homine tria ſint: Lectio ſcilicet, meditatio, & oratio. Lectione enim dicitur, loqui Deum nobiſcum, ex Matth.13. num.43. qui habet aures audiendi audiat: Meditatione interrogamus ipſum: & oratione rogamus, ideò dicitur Matth.cap.7. numer.7. petite, & accipietis: oratio ergo petit; meditatio pulſat. Bonauentur. in Pſalm. primum, col.2. litera B. Si ergo meditatio interrogat Deum: Os benè iuſti meditabitur ſapientiam, ideſt interrogabit Deum: nàm meditari eſt ſecreta Domini ſcrutari, idem Bonauent. in Expoſit. Pſalm. fol.259. art.3. & ſcrutando laudare.

Hæc autem meditatio, eò magis erit, quando in alio ſæculo anima iuſti requieſcet in gloria: in quo enim abundat gratia ſpiritualis, omnia etiam alta Dei perſcrutatur. Tria ergo in nobis meditatio operatur: Suſpendit, Pſal.18. numer.15. meditatio cordis mei in conſpectu tuo ſemper: Succendit. In meditatione mei exardeſcit ignis, Pſalm.38.num.4. item, & defendit, Pſalm.118. num.92. niſi quod lex tua meditatio mea eſt: tunc fortè perijſſem in humilitate mea, quaſi dicat; niſi me defendiſſet meditatio tui, in periculum deſcendiſſet anima mea. In meditando ergo Dei bonitatem, & iuſtitiam, ſuſpenſus, atque exardeſcens: ab illaquè defenſus, & protectus: non fictè, non fraudolenter: nàm lex Dei in corde ipſius, ideò non ſupplantabuntur greſſus eius: os iuſti, magnalia Dei, quæ meditando præuiderat, loquetur, & lingua iudicium Dei iuſtus loquetur.

Vt autem, & hæc tria in nobis ſint efficacia: & operentur bona: ſint & alia in nobis tria: Scripturæ ſanctæ lectio, meditatio, & oratio: Lectione enim nobiſcum loquitur Deus: audiamus illum, quia aures habemus, Matth. dicto cap.13. numer.9. meditatione interrogemus eum: Domine, ecce reliquimus omnia, vt ſequamur te. Quid ergo erit nobis? Matth.cap.17.num.27. & conſiderando meditemur. Quia ipſe fecit nos, ipſe redemit nos ſanguine ſuo, ipſe pro nobis patrem interpellat, Iſai.cap.17. per totum, & num.19. Tertio, oratio nobis neceſſaria, quia ſic illum rogamus, vt conſeruet nos à malo, & faciet nobis bonum: Inſtanter ergo & nos petamus: quia ipſe Deus ità nos docuit, Matth. cap.7. num.7. Petite, & accipietis, pulſate, & aperietur vobis; quia legendo, & audiendo cognoſcemus, quia ipſe eſt Deus, & omnium Creator: eius magnalia meditemur, quia extrà illum non eſt alius Deus, vt in exceſſu mentis noſtræ dicamus: omnis homo mendax: Quid retribuam Domino, pro omnibus, quæ retribuit mihi? Calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo, Pſalm.115.num.13. Quàm enim præclarus eſt calix iſte inebrians, Pſalm.22.numer.5. deniquè oratione, quam nos docuit oremus. Pater noſter,

qui es in Cælis; &c. Fiat voluntas tua, &c. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, &c. Matth. cap. 6. numer. 9. Luc. cap. 11. num. 2. & tunc os iusti meditabitur sapientiam, & lingua eius loquetur iudicium, quia lex Dei in corde eius; & non supplantabuntur gressus eius. Augustin. Liberat à laqueo verbum Dei in corde. Liberat à via praua verbum Dei in corde: Liberat à lapsu verbum Dei in corde. Tecum est, cuius verbum à te non recedit. Corde enim quid mali patitur, quem custodit Deus. Hæc Augustin. & Bernard. in Sermon. quodam: Deus licet vnus sit, & vnum sit, tamen non sui varietate, sed animi nostri mutatione gustantibus mille diuersos habet sapores: sapit enim timenti iustitiam, & potentiam; Amanti bonitatem: sapienti misericordiam, &c. At is quidem penitus insipiens est; qui illum nescit. Discat quantum vult, ego sapientem non dixerim, dum nec timebit, nec diliget Dominum. hæc Bernard.

Lex Dei eius in corde ipsius; qui prædicat verbum eius, &c. 2. Timoth. 4. num. 2. & gressus eius, ideò non supplantabuntur; quia in corde retinet verbum quod foris lingua, & moribus prædicat. Gregor. lib. 6. Moral. cap. 5. & cap. 16. Ille benè loquendi facundiam accipit, qui sinum cordis, ac perfectè viuendi studia extendit, nec conscientiam loquentem præpedit, cum vita linguam antecedat.

Accedamus ergo, inquit Apostolus, ad Hebr. cap. 10. numer. 22. cum verò corde in plenitudine fidei, aspersi corda à conscientia mala, & abluti corpus aqua munda, teneamus spei nostræ confessionem indeclinabilem, &c. & paulò superius, numer. 26. Dabo leges meas in cordibus eorum, & in mentibus eorum superscribam eam. Fides plena fit duobus modis. D. Thom. lection. 2. & quantum ad materiam fidei, vt nempè credantur omnia, quæ proponuntur ad credendum, & quod sit fides formata, quod fit per charitatem, ideò dicit Psalm. Lex Dei eius in corde ipsius, & non supplantabuntur gressus eius: idest operationes eius iuxtà illam rectæ erunt: iuxtà enim legem Dei, quam habet in corde, sic sunt opera eius, & gressus eius in fide. Origen. in homil. 27. in Numer. Expendens id Psalm. 76. num. 21. Deduxisti sicut oues populum tuum in manu Moysis, & Aaron: legensq. exierunt in manu Moysis, & Aaron: ad exeundum, inquit, de Ægypto non sufficit vna manus Moysis, quæritur, & manus Aaron. Moyses indicat scientiam legis, Aaron sacrificandi Deo, & immolandi peritiam: opus est ergo, vt exeuntes de Ægypto, non solum scientiam legis, & fidei, sed operum, quibus Deus placetur, fructus habeamus, ideò, & manus Moysis commemoratur, & Aaron, cum animæ vitia purgantur, manus Aaron operatur in nobis; & manus Moysis nobiscum est, cum ad hæc ipsa intelligenda illuminamur ex lege: manus ergo vbique est necessaria, vt de Ægypto exeamus: Fidei, scilicet, & operum, vt fiat opus perfectum: & ideò non in manibus dixit, sed in manu Moysis, & Aaron, quia vnum est vtriusque opus.

Vel, vt propiùs Psalmo accedamus: dicamus. Per Moysem legislatorem Dei, & iustum per Aaron eloquentiam intelligamus: Scio enim, inquit, quod Aaron eloquens est, Exod. cap. 4. num. 14. Ecce, inquit Deus, ipse egreditur in occursum tuum, vidensq. te lætabitur corde. Loquere ad eum, postquam tu impeditioris, & tardioris linguæ factus es; numer. 10. loquere ad eum, &

pone

pone verba mea in ore eius: Scientiam ergo Dei, & ſapientiam ex corde Moyſis, loquelam ex ore Aaron: vtrumque in prædicante neceſſarium, ex corde veniat lex Dei, & illius prædicatio ex lingua, ab vno tamen Deo vtrumque procedit, & in corde ſcientia Dei, & in ore prædicatio illius. Lex Dei eius in corde ipſius: & non ſupplantabuntur greſſus eius: quia ipſe Deus erit in corde ipſius, & in ore eiuſdem. Aſcendat ros, & pluuia ſuper montem iſtum Aaron, quod mons interpretatur, & deſcendant in viuentes, vt abluti, & mundi facti creſcant in populum Dei: omnes enim iuſti populus tuus eſt Domine, germem plantationis illorum, opus manus tuæ ſit ad glorificandum, Iſai. 60. num. 21. Minimus ſit in mille, & paruulus in gentem fortiſſimam, & tu Domine in tempore iſto ſubito fac illud.

Peccator conſiderat iuſtum, & quærit mortificare eum, Dominus autem non derelinquet eum in manibus eius, nec damnabit eum, cum iudicabitur illi. In quo, ò peccator conſideras, & obſeruas iuſtum: quia homo cum ſit, mirabilia facit, mortuos ſuſcitat, ægrotos ſanat, &c. ſurdos facit audire: Quid ad te? Si ad illum non vis accedere, & accedunt alij, vt ſanentur, quid ad te? omnes, tu dicis, vadunt poſt illum: ergo tu ſolus iniuſtus: omnes credunt in illum: ergo filius Dei eſt. Homo eſt, tu dicis, terrenus eſt, & eſt contrarius operibus noſtris: ergo opera tua mala, quia ſcimus, quod nullus homo poteſt facere ſigna, quæ ipſe facit: ergo ipſe Deus, & tu malignus, & iniquus, Ioan. cap. 9. numer. 16. & 32. A ſæculo non eſt auditum, quia quis aperuerit oculos cæci nati. Iterum peccator, iniuſtus adhuc fremens, Nunquid, dicit ipſe, non ego Phariſæus ſum, Doctor, & alios docens? ergo, & ego ſum cæcus, ſicut ille ſanatus? Propterea, quia Doctor, & videns es, totus in peccato permanes: quia filium Dei ignoras, & iuſtum contemnis. Nunquid mortalia tua quærit, qui immortalitatem concedit? Eum, qui regna dat cæleſtia, quæris mortificare, & mortem tibi ipſi, quæ nunquam tibi morietur, ſolicitas, & attendis; Tu vt crucifigatur inſtas; ille, vt te pœniteat, orat: illum in manibus tuis non relinquit Pater: te verò captum, & in inferno percuſſum, & ſemper cruciatum cuſtodit Diabolus. Si peccator qui es, iuſtum conſideras, cur te iniquum, & iniuſtum, vt confundaris, non conſpicis?

Legem Dei noſtri non obliuiſcamur fratres: præcepta eius cuſtodiamus: miſericordia, & veritas nos non deſerant: eas gutturi noſtro, & in cordis noſtri tabulis deſcribamus; vt gratiam, & diſciplinam bonam coram Deo, & hominibus inueniamus: vt fortius inimici tentationibus reſiſtamus; quærit enim quotidie quem deuoret: ſed manus Domini proteget nos, ne ſecum iudicati damnemur: Paſſus eſt ille pro nobis, vt liberet nos à malis, corpus, ſi permittatur, poterit Diabolus occidere, animam verò non poteſt occidere, Matth. cap. 10. num. 28.

Etſi morti traditus pro nobis, non tamen à Deo Patre dimiſſus eſt: terra data fuit in manu impij, Iob cap. 9. numer. 24. vultum Iudicum eius operit; ideſt Deus permittit obcæcari Iudices, quando caro Chriſti tradita eſt in manus perſequentium, Auguſtin. Non ibi autem dimiſit iuſtum ſuum Deus, de carne capta, educit animam inuictam: dimitteret Deus iuſtum ſuum in manibus impij, ſi illam conſentire feciſſet impio. hæc Auguſtin.

Cum Dauide dicamus, Pſalm. 139. num. 9. Ne tradas me Domine à deſi-

derio meo peccatori. Opus est, vt à desiderio tuo, non tradas te peccatori, ne cum desideras vitam præsentem irruas in illam, & perdas æternam: non concupiscas ergo diem hominis, Ierem. 17. num. 16. nàm, vt dicit Augustin. Qui desiderat diem hominis, & concupiscit, quando illi minatus fuerit aduersarius, quod tollat illi diem humanum, quia occidet eum, & perdet hanc vitam: qui non sperat aliam vitam, deficit, & consentit inimico.

Non ergo minantem etiam mortem timeamus, quia in animam nullam is habet potestatem, Matth. dicto cap. 10. numer. 18. Capienda traditur terra in manu impij: spiritus tamen euadet: spiritus euadit, & terra resurget. Augustin. Spiritus mutabitur ad Dominum, terra mutabitur in Cælum: expellatur ergo à nobis Diabolus, vt intret Deus, & admittatur Deus, qui nos non relinquet in manus inimici, nec damnabit nos cum iudicabitur illi: ad modicum tempus impius condemnat iustum: & in perpetuum liberat eum Deus. Nàm alia est sella terrena, aliud Tribunal Cælorum: ab inferiori accipit sententiam, à superiore coronam. hæc Augustin. Tempus breue est, citò venient fructus, si in tempore laboris seminaueris: ne cesses arare, & si sint procellæ, sit ventus in hac hyeme: quia lætus eris quando colliges fructus in æstate. Propter frigus, piger arare noluit: & factus est mendicus in æstate, quia fructus non collegit, & non dabitur illi, Prouerb. cap. 20. numer. 4. & in cap. 24. num. 30. Per agrum hominis pigri transiui, & per vineam viri stulti: & ecce totum repleuerant vrticæ, & operuerunt superficiem eius spinæ, & maceria lapidum destructa erat. Egestatem enim operata est manus remissa, Prouerb. cap. 10. numer. 4. Certemus ergo fratres quandiù in hac valle miseriarum permanemus; præmium non hic datur, vbi est luctus: expectent iusti promittentem, qui nobis dabit & præmium. Expectatio enim iustorum lætitia, Prouerb. dicto cap. 10. num. 28.

Expecta Dominum, & custodi viam eius: & exultabit te, vt hæreditate capias terram: Sed si currendum, quomodò expectandum dicit? Turris fortissima nomen Domini: ad ipsum currit iustus, & exaltabitur, Prouerb. c. 18. numer. 10. Si currendum, quomodò expectandum? sic currite, vt comprehendatis etiam, Apostol. 1. Corinth. cap. 9. num. 24. & 26. Sic curro, non quasi in incertum.

In obseruatione mandatorum curramus; in remuneratione, mercedis fructum expectemus: dilatetur cor nostrum, vt viam mandatorum Domini curramus; post illum curramus in odorem vnguentorum suorum, Cantic. cap. 1. num. 3. quia currens obuiam currentibus veniet, Ierem. 51. num. 31. veloces simus in operibus bonitatis, Ecclesi. cap. 31. num. 27. & omnis infirmitas non occurret nobis, & vt facilius curramus omne pondus deponamus, circumstans nos peccatum, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in Authorem Fidei, & consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio, sustinuit Crucem, confusione contempta, ad Hebr. 12. num. 2. in dextera Dei sedet. Dum verò currimus: patientiam habeamus, donec veniat, qui occurret nobis Iesus Christus Redemptor: benè curramus, ne quis impediat nos veritati obedire, ad Galat. 5. num. 4. ideò ità curramus, vt comprehendamus, 1. Corinth. 9. num. 4.

Dum expectas, vias Domini custodias, & exaltabit te, vt hæreditate capias terram.

terram. Quam terram? Cælestem illam patriam, Matth. cap. 25. numer. 34. Quando perierint peccatores videbis: sed si illum eleuatum vidi, & transiui, & non erat; si non erit quomodò videbo eum? Eleuatum vidi in mundo peccatorem: mortuum illum vidi condemnatum, & ad sinistram eiectum: non vidi amplius eleuatum, sed in profundum abyssi deiectum: vidi in mundo sicut Cedros superexaltatum: quia, & ego homo tunc non consideraui operã Dei: transiui per mundana, & perueni in cælestium meditatione, quia cor meũ dilatauit Dominus, & ecce quæ videbam, vana erant, somnia erant, fumus, & vmbra. Tunc videns non videbam, & audiens non intelligebam: vera videbatur felicitas; transiui, nouissima illius consideraui: & mihi ipsi dixi: Cum iustis dabit Dominus fructum mercedis: tunc etiam videbuntur peccatores perire. Non est ille, tumens est; & tamen tamquam fumus defecit, dicto Psalm. 19. Vndè Augustin. hic. Erigitur in altum fumus, & in globum tumidum pergit: quantò magis attollitur, tantò amplius intumescit; sed cum transieris, attende post te: post te enim fumus, si ante te est Deus. Locus autem impij, sunt diuitiæ, potestas in humanis rebus habere ordinem quendam, vt multi sint illi in obsequium, mandat, & auditur: iste locus non erit, sed transit, vt tu possis dicere, transiui, & ecce non erat: profeci scilicet, perueni ad spiritualia, intraui in Dei sanctuarium, vt intenderem in nouissima, & ecce non erat, quæsiui, & non est inuentus locus eius. hæc Augustin. Vndè Bernard. de Contemptu Mundi. Iudicium graue his, qui præsunt, & potentes potenter tormenta patientur, Sap. 6. num. 7. Ascendit superbia sua super omne sublime. Videant oculi tui, festina multiplicare præbendas, ad Archidiaconum ait euola. Nec tibi quidem requiem habiturus, &c. ab altiori gradu, casus erit tibi grauior; nec enim paulatim decides, sed tamquam fulgur in curru vehementi. hæc Bernard. Quæsiui, & non est inuentus locus eius: & nihilominus, & in mundo præssuras sentiunt taliter eleuati: Nàm, vt dicit Bernard. Sermon. incip. Reuertere. Nunquam in honore sine dolore: in prælatione sine tribulatione: in sublimitate sine vanitate, quis esse potest? hæc Bernard. & de his qui de foris digni, vt exaltentur apparent: sed forsitan, vt dicitur Eccles. c. 19. n. 23. Est quod nequiter se humiliat, & interiora eius plena sunt dolo; idem Bernard. in d. lib. Contempt. alius vndique circuit sedulus explorator, blanditur, obsequitur, simulat, & dissimulat, manibus, & pedibus reptens, si quo modo tandem se queat ingerere in patrimonium Christi, & bona Domini, quæ sola hodie inueniuntur omnibus exposita. hæc Bernard.

Custodi innocentiam, & vide æquitatem; quoniam sunt reliquiæ homini pacifico. Donec reficiam non recedam ab innocentia mea, dicit Iob 27. nu. 5. nàm quis vnquam innocens perijt? lib. 4. num. 7. Vt innocentiam custodias: Declina à malo, & fac bonum, vt suprà diximus: Innocens manibus sis, & mundo corde, d. Psalm. 23. numer. 4. Innocentia est operari bonum, stat illa in operando: vndè innocens manibus, inquit, & Iob 22. nu. 3. Saluabitur innocens, saluabitur autem in munditia manuum suarum: æquitas verò in iudicando: vndè æquitas iudicia tua, Psalm. 118. num. 75. & Psalm. 66. numer. 5. iudicabit populos in æquitate, & Psalm. 95. num. 10. & 13. ad has enim virtutes acquirendas requiruntur susceptio sermonum Dei, & illius mandatorum obseruatio, Prouerb. cap. 2. nu. 1. & seq. & num. 3. Sapientiam inuoca, cor tuum

prudentiæ inclina, quasi thesaurum pecuniarum quære illam; quia tunc timorem Domini intelliges, & scientiam eius inuenies: quia ex illo procedunt: qui rectoribus dat salutem, & gradientes simpliciter protegit: & tunc iustitiam intelliges, & iudicium, & æquitatem, & omnem semitam bonam.

Custodi innocentiam, idest persevera in bono, in charitate non ficta, Paul. 1.Corinth.cap.13.num.4. & sequen. & cap.14.num.1. Sectamini charitatem, & ad Philipp.5.nu.9. hæc est charitas Dei, vt mandata eius custodiamus; finis præcepti est Charitas, 1.Timoth.1.num.5.

Declina à malo, & hoc pertinet ad innocentiam, & fac bonum; pertinet ad æquitatem. Vel dicamus: Quoad Deum innocentiam custodiamus; æquitatem quoad proximum: vel in prosperis æquitas seruanda, Eccles.31.num.10. qui potuit transgredi, & non est transgressus: hic fecit mirabilia. In aduersis verò innocentia.

Quoniam sunt reliquiæ homini pacifico: Quæ sint pacifici reliquiæ, declarat Augustin. hìc. Alteram æternam vitam esse: Inquit enim, Cum mortuus fuerit non erit mortuus: hæc sunt reliquiæ. Erit illi aliquid, & post hanc vitam, hoc est illud semen, quod in benedictione erit, Ioan.cap.16.nu.47. Qui credit in me, licet moriatur, viuet. Ego verò dicerem, per reliquias hìc intelligi bona opera à iustis facta. Esuriui enim, & dedistis mihi manducare, &c. nudus eram, & cooperuistis me, &c. post mortem iustis remanent reliquiæ istæ, propter quas dicit Dominus, Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est, Matth.25.num.34. propterea dicit Iesus, Matth.c.16. num.27. & tunc reddet vnicuique secundum opera sua: ergo illæ erunt reliquiæ, quæ homini pacifico remanent. Sunt reliquiæ in hoc agro mundi ex bono semine seminatæ, zizania cum tritico creuit: non colligitur hæc nisi vsque ad messem, vt comburantur, & à bono semine diuidantur ab Angelis, &c. Matth.cap.13.num.24. & 41. Tunc iusti fulgebunt, quia sunt reliquiæ homini pacifico. Iniusti autem disperibunt simul, reliquiæ impiorum interibunt. In hoc mundi agro sunt zizania, est & triticum. Sunt boni, sunt & mali simul, crescunt & mali, vt per illos boni exerceantur, vsque ad messem; permanere permittit vtrosquè Deus, sed reliquiæ Israel, idest Ecclesiæ saluæ fient, Isai. cap.10.num.21. & 22. Si enim fuerit populus tuus Israel, quasi arena maris, reliquiæ conuertentur ex eo: mali verò cum zizanijs in ignem æternum proijciantur: Comburantur, vt nunquam deficiant, moriantur semper viuentes: & erit populus quasi esca ignis, Isai.cap.9.num.19. Consurgam super eos dicit Dominus exercituum: vt perdam Babylonis nomen, & reliquias, & germen, & progeniem, dicit Dominus, Isai.cap.14.num.23. & 22. Ezechiel.5.num.10. & ventilabo vniuersas reliquias tuas in omnem ventum: simul insipiens, & stultus peribunt.

Reliquiæ impiorum simul disperibunt: idest vnica sententia omnes illos puniet, ideò dicit, discedite à me maledicti, Matth.d.c.25. Simul ergo condemnabuntur, non tamen quia simul disperibunt, erit solatium miseris illis habere pœnarum socios; planctus enim, & dolor inextinguibiles omnibus se inuicem videntibus: immo superincenduntur mala videntibus amicis, & consanguineis, ità dicit Chrysost. super Epistol.ad Timoth. homil. 10. Bona ergo opera, quæ sunt iustorum reliquiæ, ex quibus pax fit illis. Iniustorum verò reli-

reliquię, quas sibi retinuerunt in mundo facultates, nec pauperum fuerunt miserti. Sic cum illis disperibunt, comburentur.

Salus autem iustorum à Domino: & protector eorum in tempore tribulationis: Et adiuuabit eos Dominus, & liberabit eos, & eruet eos à peccatoribus, & saluabit eos, quia sperauerunt in eo. Eia ergo fratres abnegemus nosmetipsos, & sæcularia desideria, sobriè, & iustè, & piè viuamus in hoc sæculo, expectantes beatam spem, & aduentum gloriæ magni Dei, & Saluatoris nostri Iesu Christi: Qui dedit semetipsum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum, ad Titum cap. 2. num. 12. & per totum. Vt saluemur à Domino, & protectore nostro in tribulationibus: ipse nos adiuuabit, & liberabit, eruens nos à peccatoribus: quia sperauimus in eo: nàm quid bonum eius est, & quid pulchrum eius, nisi frumentum electorũ, & vinum germinans virgines? Zach. cap. 9. nu. 17. idest quid habetur in Christo optimum, quo suos alat, nisi corpus suum sub specie panis, & sanguis sub specie vini germinans, seù producens castos, & puros eos, qui dignè communicantur? Frumentum Christi sumus in Ecclesia sua, inest & palea in ea: Veniet separationis tempus, eximetur semen bonum ab eo, quod igne consummetur: alterũ in horreum mittetur: alterum autẽ in æternam conflationem, quia ideò simul primò fuerunt iustus, & iniustus, vt ille supplantaretur, iustus probaretur: posteà autem ille damnaretur, iustus coronaretur: Sustineamus modicum, vt cum Domino gloriemur in æternum, qui nos à mundo, à carne, & diaboli insidijs eruet, adiuuabit, & liberabit.

Liberabit nempè nos à voluptatibus carnis, caro quippè aduersus spiritum concupiscit, & spiritus aduersus carnem, hæc enim sibi inuicem aduersantur, ad Galat. cap. 5. num. 17. Nàm prudentia carnis mors est; prudentia verò spiritus, vita, & pax, ad Roman. 8. num. 6. Liberabit nos Deus, quia carnis sapientia est inimica Deo, num. 7. ibidem. Quid ergo turpius, quàm illi seruire, quæ ideò creata est, vt seruiret tibi? ideò prudens, & pœnitens Dauid, de adulterio cum Vriæ vxore: tota die, inquit, contristatus ingrediebar, & Hebr. habet tota die denigratus, seù atratus ingrediebar, huius enim peccati macula fœdabar, quod commiserat cum Vriæ vxore, Chrysost. homil. 77. ad Populum: est qui voluptatibus carnis seruit, seruus carnis, à qua seruitute liberabit nos Dominus sperantes in se, 2. Petri cap. 2. num. 18. Superba enim vanitatis loquentes, pelliciunt in desideria carnis luxuriæ eos, qui paululum effugiunt, qui in errore conuersantur, libertatem illis promittentes, cum ipsi sint serui corruptionis: à quo enim, qui superatus est, huius, & seruus est: ab ista seruitute solus Deus liberat, Psalm. 106. num. 28. de necessitatibus eorum liberabit eos, liberatos à carne, eruet nos de manibus diaboli, de inimicis nostris, à peccatoribus. Adiuuabit etiam eos quantum ad mundum, eòquia sperauerunt in Dominò saluabit eos: cum sit protector noster in tempore tribulationis: spes nostra in Deo sit.



SOLILOQVIVM.

TV Domine, qui ſolus es Deus, & vitæ, & mortis habes poteſtatem, & deducis ad portas mortis, & reducis. Sana mentium noſtrarum infirmitates: vt ſpes noſtra ex toto corde noſtro in te ſit: & ſermo tuus, quo paſcuntur Iuſti, conſeruet nos, qui in te credimus, & te Dominum confitemur Ieſum Chriſtum Redemptorem noſtrum, vt in memoria ſermonum tuorum examinati, velociter ſaluemur: Etenim neque herba, neque malagma ſanat nos, ſed ſermo tuus Domine, qui ſanat omnia.

Æmulatio, nec alia pars eſt mihi cum malignis; tamquam fœnum illi areſcent, & ſicut olera herbarum citò decident. Carnalis enim eſt gloria eorum, & terrena: Ideò omnis caro fœnum, qui terrena ſapiunt. Delectatio mea, & ſpes mea tu es Domine: Opera mea ità ſuſcipias, vt cæleſtem patriam inhabitem, & in delicijs tuis paſcua inueniam. Ecce Domine tibi reuelaui cauſam meam, quia tu ſolus es ſpes mea, & ex corde peto, vt tu ſis ſalus mea, & illuminatio mea ad claritatem, qua in te credo fidei, & iuſtitiæ meæ. Opera mea ita ſint tibi accepta, & reſplendeant, vt meridies. Tu Deus meus, & ego ſeruus tuus.

Abſit à me ira, & indignatio, propter breuem impij felicitatem, quòd is exaltetur, qui & in iniuſtitia ſua proſperatur: ſat enim conſtat cor illius eſſe cinerem, & ſpes eius terram ſuperuacuam.

Sis mihi tu Domine poſſeſſio mea, & pars hæreditatis meæ: nec reſpicias peccata mea: obſtinati apud te non inuenitur peccatoris locus: quia cū malignantur exterminabuntur: Suſtinentes autem te hæreditabunt terram.

Ego ſanè manſuetus, in te Chriſte Ieſu, qui es vera pax, delectabor: Obſeruet me peccator, & dentibus ſuis ſtrideat: Intendat arcum ſuum, & inſidias dilatet, vt me pauperem decipiat, vt trucidet vnà cum alijs rectis corde; ſum profectò certus, quòd ſi tu es pro nobis nil efficere poterit quis contrà nos: Impium verò tu irridebis, quoniam tu ſcis diem eius: Abſcondat gladium ſuum, ſed gladius eius intrabit in cor eius, & arcus conteretur, dum manus tua ſit ſuper me. Elegi magis in domo tua ſtare, quàm in Tabernaculis peccatorum habitare: Elegi abiectus eſſe in domo tua potius, quàm in diuitijs illorum. Brachia illorum conterentur. Iuſti à te Domine protegentur, & confirmabuntur, quorum hæreditas in æternum erit: Peccatores verò in die mala peribunt, & quamuis exaltati, & honorificati videantur, tamquam fumus tamen deficient. Iuſti autem non confundentur, nec in die malo fame peribunt. Illi à te Domine mutuò acceperunt, nec ſoluerunt; Qui autem iuſtus eſt, quotidie miſeretur, & retribuet. Charitatem enim exercentes iuſti benedicunt te, & tu illos hæredes terræ cæleſtis conſtituis. Peccatores diſperdis, Greſſus mei, cum viam tuā velim, apud te dirigantur, Manus tua confirmet pedes meos ne collidantur. Non derelinquas me Domine, & opera mea tibi ſint accepta; quia etſi peccator ſim, pœnitet tamen me, & tu exaudies. Verbum tuum erit ſemper in me, vt proximum miſerando, ſemen meum ſit in tua benedictione, atque vt declinans à malo, & faciens bonum, da vt inhabitem in ſæculum ſæculi coram te.

Domine, qui amas iudicium, nec Sanctos derelinquis, ſed in æternum illos

con-

conseruas, ne quæso cum iniustis puniar à te, ne operum meorum semen meum pereat: cum iustis tuis fac me in sæculum sæculi inhabitare terram, quam illis promisisti.

Os meum te Christum, quem in corde habeo, meditatur, & legem tuam, mirabiliaq. tua, & misericordiam tuam, quia sanguine tuo me redimere voluisti: lingua mea loquatur, prædicabitq. iudicium; quia tu reddes vnicuique iuxtà opera sua. Tunc non supplantabuntur gressus mei, quia ab obseruatione mandatorum non recessi: Instet peccator contrà me: quærat me mortificare, consideret gressus meos: nil paueo, dummodò tu Deus in manibus eius non derelinquas me: quia scio, quòd tunc cum is iudicabitur, non damnabis me. Custodiens viam tuam Domine, expecto, vt cum peccatores perierint, ego exaltatus hæreditate capiam terram.

Non sic impius, non sic: nàm etsi exaltatus, & sicut cedrus Libani eleuatus videatur in hac terra: attamen cum ipse transirem ad contemplanda cælestia: ad modicum transitus tempus: ecce non erat; quæsiui eum, & non est inuentus locus eius, simul etiam cum reliquijs, cum ijs, quæ necessariò sunt ei relinquenda, & cum prauorum operum suorum vestigijs disperibunt. Sunt mihi reliquiæ, fac, qui pax es, vt in die iudicij cum tuis iustis ad dexteram tuam merear audire: venias & tu cum iustis, vt percipias regnum æternum, ex quo innocentiam custodisti, & iniquitatem odisti. Sis mihi Domine in tempore tribulationis, & protector, & saluator, eripe me de ore leonis, vt liberatus ab hostibus mentis, & corporis, decantem: quòd tu es, qui saluos facis sperantes in te.

Deus tu conuersus viuifica me, quia viribus meis, sine misericordia tua conuerti non possum ad te. Tu conuertens Domine, viuifica me, vt & mea conuersio viuificetur à te; tunc enim per misericordiam tuam in spiritus generatione altera, & ego veniam ad te. Adiuua me Domine, & liberans erue me à peccatore, qui etiam Magdalenam, cuius celebramus festum eripuisti, & à peccatis absoluisti. Tu Domine Iesu, tu sis salus mea, per merita beatæ Annæ, & Beatissimæ Virginis Mariæ Matris tuæ, & Dominæ meæ, & Sanctissimi Sponsi Ioseph. Amen. Amen. Laus Deo.

IN PSALMVM XXXVII.

Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.



ITVLVS Est. Psalmus Dauid in rememorationem de Sabbato, idest recordatio diei illius Sabbati, in qua Dominus quieuit: post creationem hominis in innocentia.

Summa hæc est. Gemitus peccatoris pœnitentis, in ammissione illius felicitatis ammissæ propter peccatum primi parentis; & petentis propriorum remissionem peccatorum.

Continuatur ad præcedentem; in quo docemur à quibus abstinendum sit, vt iudicium Dei euadamus: Verùm quia quotidie peccamus, vt iram Dei, & furorem euitemus, in hoc Psalm. 37. consequenter erudimur necessariò faciendam peccatorum nostrorum confessionem, & orationem cum fletu. Ad hanc

autem

autem facilius excitabimur; si habuerimus rememorationem Sabbati, & quietis summæ innocentiæ, in qua conditi fuimus, & à qua per peccatum primorum parentum nostrorum excidimus. Si nostras item consideremus iniquitates, propter quas in innumeras prolapsi miserias, à perpetuæ quietis, ac felicitatis Sabbato efficimur alieni. Vndè Dauid exclamat, quòd sagittæ Domini infixæ sint ipsi, & confirmatæ, nec sanitas sit in carne sua, rugiens à gemitu cordis sui, eo quod peccator sit, & in iram, furoremq. Domini propterea incurrere vereatur.

Quocircà, summa etiam huius Psalmi erit. Pœnitentis peccatoris oratio cum fletu, & lacrymis ad Deum, vt ab ira, & furore Domini liberetur. Non ignorat enim Dauid quæ sit impij peccatoris pœna, ignis scilicet, & vermis, Eccles. cap.7.num.17.

Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me. Furor, vel ira est motus animi, prouocans ad pœnam inferendam, vt D. Augustin. Psalm.6.col.1.litera E. ideò dicitur Prouerb.27. num. 4. Ira non habet misericordiam, nec erumpens furor: ergo in Deo erit furor, & ira? hæc sanè in Deo non cadunt; qui cum tranquillitate iudicat, Sap.12.nu.18. Non est perturbatum quod tranquillum est, Augustin. lib.1.Confess.cap.4. Immutabilis, & mutans omnia, nunquam nouus, nunquam vetus, innouans omnia, & in vetustate perducens superbos, & nesciunt semper agens, semper quietus, colligens; & non egens portans & implens, & protegens, creans & nutriens, & perficiens, quæris, cum desit tibi nihil amas, nec æstuas, zelas & securus es, pœnitet te, & non doles, irasceris, & tranquillus es, opera mutas, nec mutas consilium, recipis quod inuenis, & nunquam amisisti, nunquam inops, & gaudes lucris, nunquam auarus, & vsuras exigis; & idem Augustin.in Psal. 6. ait. Non cadit in Deum Iudicem perturbatio, sed quod in eius ministris fit, quia per leges eius fit, ira Dei dicitur, in qua ira anima desiderat nec argui, nec corripi, Hieron. super Isai.c.13.in princ. & super Ioel.cap.2. in Comment. Non solum homines ministri sunt, & vltores iræ Dei his, qui malum operantur; vndè non sine causa gladium portant, sed etiam contrariæ fortitudines, quæ appellantur furor, & ira Dei; & in Ezechiel.lib.11. Qui malos percutit, in eo quòd mali sunt, habet vasa interfectionis, vt occidat pessimos, minister est Dei. Et idem Hieron.super Ierem.& refertur in cap.Homicidas, 23.quæst.5. Homicidas, & sacrilegos, & nefarios punire non est effusio sanguinis, sed legum ministerium; non est crudelis, qui crudeles iugulat, sed crudelis ideò vocatur, quia crudelis patientibus esse videtur, cap.Non est, 23. quæst.5.

Ab ista ira, & furore liberari peccator, & pœnitens orat: Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me. Sed si pœnitens, est quomodò timet; Cor enim contritum, & humiliatum Deus non despicit, Psalm. 50. n.19. & scriptum habemus in Ezechiel. cap.18. num. 21. Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, &c. Vita viuet, & non morietur, & in Ezech.cap.33.n. 12. Et impietas impij non nocebit ei, in quacumque die conuersus fuerit ab impietate sua. Hìc enim sagittæ Domini in illo confixæ sunt, & confirmatæ, non est etiam sanitas in carne eius, nec pax ossibus suis à facie peccatorum suorum; ideòq. miser factus, tota die contristatus, afflictus, & humiliatus: orat autem ne in furore

redar-

redarguatur iuxtà illud de propitiato peccato noli esse sine metu, Eccles.cap.5. nu.5. & Paul. 1.Corinth.c.9. num.26. Ego sic curro, non quasi in incertum: sic pugno, non quasi aerem verberans: sed castigo corpus meum,& in seruitutem redigo: ne fortè cum alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar, & ad Rom.7. n.23.Video autem aliam legem in membris meis repugnantē legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati,quæ est in membris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum. Igitur ego ipse mente seruio legi Dei: carne autem legi peccati: Propterea Domine ne in furore, in alia vita arguas me, neque in ira tua corripias. Non correptionem in hac vita recuso, sed gratiam tuam requiro,quæ liberet me à futuris calamitatibus,ab illo iudicio tremendo, quando qui ad sinistram erunt, in ignem æternum damnabuntur. Augetur pœnitenti dubium, ex Luc. cap.17. num. 10. Sic & vos, inquit, cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite: Serui inutiles sumus. Sicut quæ concipit, cum appropinquauerit ad partum, dolens clamat in doloribus suis: sic facti sumus à facie tua Domine; Concepimus, & quasi parturiuimus spiritum salutis, Isai.23. num. 17. & 18. Posuit ante oculos suos iram, & furorem Domini pœnitens: noscens timorem summè valere ad pœnitentiam peragendam: vt spiritum salutis pariamus; Vndè Psalm.89. Quis nouit potestatem iræ tuæ: & præ timore tuo iram tuam dinumerare? nu.11. Ideò defecimus in ira tua, & in furore tuo turbati sumus, ibid. num.7.

Domine ne in furore tuo arguas me,neque in ira tua corripias me: Arguitur in iudicio; corripitur in purgando: arguitur quia ingratus: corripitur quia lapsus, vt purgatus saluetur; iudicatur in inferno; corripitur in purgatorio; de futura pœna liberari desiderat: qui de præsenti inflicta Deo gratias agit; Domine ante te omne desiderium meum, licet non sit sanitas in carne mea; quamuis sagittæ tuæ infixæ sint mihi; quamuis digitus tuus tetigerit me. In malo erat, quia infirmitatum genera declarat: futurum ergo timebat, quod peius est, propterea incipit, dicens: Domine ne in furore tuo arguas me: Quos in furore suo arguat Deus declaratur, Matth.cap.25.nu.41.vbi dicit iudex: esuriui,& non dedistis mihi manducare. Arguuntur in iudicio,& condemnantur in infernum, vbi nulla est redemptio, liberet nos Deus ab isto tremendo iudicio. Corripit verò Deus in ira, & emendat, quos Paulus declarat 1. Corinth. cap.5. num. 12. Fundamentum quod est Christus Iesus; si quis autem superædificat super fundamentum hoc,aurum,argentum, lapides pretiosos, lignum, fœnum, stipulam, vniuscuiusq. opus manifestum erit: dies enim Domini declarabit, quia in igne reuelabitur, & vniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit; si cuius opus manserit, quod superædificauit, mercedem accipiet; si cuius opus arserit, detrimentum patietur; ipse autem saluus erit: sic tamen quasi per ignem: hæc Paul. per tria enim priora, scilicet aurum, argentum, & lapides, bona opera intelliguntur, de quibus mercedem habemus, per ligna verò,&c. peccata venialia denotantur secundum August.de Fide,& oper.c.16. quæ quasi per ignem, idest in purgatorio, purgabuntur, vt qui ea admiserunt salui fiant. Offert ergo hic pœnitens grauia, & numerata, quæ patitur, ne grauissima patiatur, & peiora, Augustinus. Non est sanitas in carne mea: vndè dicebat non est sanitas in carne mea,nisi quia ista,quæ huius vitæ dicitur sanitas,benè intelligentibus,& Sabbatū

recor-

recordantibus,non est vtiq. sanitas? si enim non manducaueritis inquietat fames; istafames naturalis quidem morbus est: quia natura nobis facta est pœna ex vindicta. Primo homini,quod erat pœna,natura nobis est; vndè dicit Apostolus ad Ephes.cap.2.nu.3. Fuimus enim & nos natura filij iræ, sicut & cæteri: Natura filij iræ, idest portantes vindictam. Sed quare dicit fuimus? quia spe iàm non sumus; nàm re adhuc sumus; sed illud melius dicimus quod spe sumus, quia certi sumus de spe: non enim incerta est spes nostra, vt de illa dubitemus. Audi ipsam gloriam; inquit Augustin. cuius verba inserenda ducimus, ad Roman.cap.8.nu.22. In nobis ipsis ingemiscimus adoptionem filiorum Dei expectantes, redemptionem corporis nostri. Quid enim? Nondum redemptus es ò Paule? Nondum pro te pretium solutum est? Nonnè sanguis iste iàm fusus est? nonnè ipsum est pretium omnium nostrum? planè ipsum. Sed vide quod ait ibid.n.24. spe enim salui facti sumus, spes autem, quæ videtur non est spes, quod enim videt quis,quid sperat? si autem hoc quod non videmus,speramus, per patientiam expectamus. Quid enim expectas per patientiam? salutem ipsius corporis; quia hoc dixit redemptionem corporis nostri. Si salutem corporis expectabat, non erat salus illa, quam habebat; esuries, sitis interficit, si subuentum non fuerit; medicamentum famis est cibus,& medicamentum sitis est potus, & medicamentum fatigationis est somnus: detrahe ipsa medicamenta, vide si non interficiunt illa, quæ existunt. Si sepositis istis non sunt morbi, est sanitas, si autem habes aliquid, quod te possit interficere, nisi manducaueris: noli gloriari de sanitate, sed gemens expecta redemptionem corporis tui: gaude te redemptum, sed nondum re. Spe securus esto: Etenim si non gemueris in spe, non peruenies ad rem. Propterea dicit: Non est sanitas in carne mea, à vultu iræ tuæ, hæc Augustin.

Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi: quas sagittas declarat Iob cap.6.n.4. quia inquit, sagittæ Domini in me sunt, quarum indignatio ebibit spiritum meum,& terrores Domini militant contrà me. Ergo sagittæ erunt dolores, & pœnæ, quæ patiuntur pœnitentes. Solemus etiam, & verba Dei sagittas accipere, August.col.2. &c. sed quomodò verba Dei sagittæ, si amore plena sunt? qui amat, & habet, non dolet; sed si quod amat non habet, dolet, necesse est, & gemat, quia nondum habet, quod amat, Cant.1.cap.2.n.4. Ordinauit in me charitatem, fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo, & cap.5.nu.6. & 7. Anima mea liquefacta est, vt locutus est. Quæsiui, & non inueni illum. Inuenerunt me custodes, percusserunt me,& vulnerauerunt me. Non est sanitas, ait, in carne mea, quia quem amat adhuc non habet: vulnerata erat in charitate, sed hoc vulnus ad veram sanitatem rapiebat, Augustin. hìc. Qui hoc vulnere amoris scilicet, non fuerit vulneratus, ad veram sanitatem non potest peruenire.

Hìc ergo seca, hìc vre dicit Glossa, quia tunc non ex ira corripies, sed ex amore, Gregor. super Ezechiel. homil.8. Modò per flagella quisque corripitur, & correctionibus emendatur; in mansuetudine corripitur non in ira; in districto autem examine omnis argutio, atque correctio, furor, & ira est; quia venia post correctionem non est: vndè Amos cap.9.num.4. Ponam oculos meos super eos in malum, & non in bonum, & tunc vultus eius super facientes mala, vt perdat de terra memoriam eorum, d.Psal.33. vbi latius diximus; amabat

enim quidam, at nondum tenebat; dolebat, quia nondum habebat; propterea dixit, vulnerata Charitate, Cant. d. c. 2. & c. 5. ego sum. Vel secundum Augustin. dicemus, quod sagittæ Domini sint verba illius, quæ cordi nostro infixæ sint, & ex ipsis Dei verbis factum est, vt recordarer Sabbatum, & ipsa recordatio Sabbati; & nondum retentio facit me nondum gaudere, & agnoscere, nec sanitatem esse in ipsa carne, neque dici debere, quum comparo istam sanitatem illi sanitati, quam habebo in requie sempiterna; vbi corruptibile hoc induet incorruptionem, & mortale hoc induet immortalitatem, & video quidem, illius sanitatis comparatione, ista sanitas morbus est: hæc Augustin.

Non est sanitas in carne mea. Hìc caro, & anima à pari procedere videntur, nàm caro infirma, & anima turbata; si caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem, ad Galat. 5. num. 17. hæc enim sibi inuicem aduersantur; vndè fit, vt vtrique desit sanitas; saltem certè in anima sanitas esse dicendum videretur, quia caro infirma sit; iuxtà illud; cum infirmor, tunc fortior sum. Attamen re vera, & ipsi animæ in hac vita deest sanitas plena, præsertim quum per peccatum elongarit se à Deo, peritura, nisi pœnitens ad Deum conuerteretur. Castigatio corporis necessaria erat: nec per hoc de salute anima certa erat; nescit enim homo, vtrum amore, an odio dignus sit, Eccles. 9. nu. 1. vndè Paul. 1. Corinth. 9. num. 23. Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo; ne fortè cum alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar, ergo caro, seù corpus mortuum erat propter peccatum, sed quia Christus erat in illo, ideò spiritus viuit: non ergo secundum carnem viuebat ipse pœnitens, sed spiritu, facta carnis mortificabat, vt viueret, ad Rom. 8. n. 10. & n. 13. non est ergo sanitas in carne, quæ mortificatur, vt Deo seruiat: turbatus est spiritus, donec dimittatur vt iustus, August. lib. 1. Confess. c. 1. tu excitas vt laudare te delectet, quia fecisti nos ad te, & inquietum est cor nostrum donec requiescat in te. Vndè Psalm. 72. n. 25. Defecit caro mea, & cor meum: idest, dum per amorem ea in creatis rebus collocaui; tunc enim putruerunt, & corruptæ fuerunt cicatrices meæ à faciæ insipientiæ, ideò miser factus sum vt hìc num. 6. sed non mortuus; turbatus, non tamen derelictus; appropinquauit anima eius corruptioni, & vita illius mortiferis: sed Dominus miserebitur eius, & dicet Angelo Custodi; libera eum, vt non descendat in corruptionem; quia inueni, in quo ei propitier, Iob 33. nu. 22. & 24.

Non est sanitas in carne mea, quia per ciborum subtractionem, vt sana fiat, illam castigo, Hieron. in lib. 2. contrà Iouinianum. Qui ægrotat non aliter recipit sanitatem, nisi tenui cibo; Legimus inquit, Articulari, & podagræ humoribus laborantes præscriptione Medicorum bonorum ad simplicem mensam, & pauperes cibis reductos conualuisse, & Paul. ad Rom. 14. n. 20. Noli propter escá destruere opus Dei; omnia enim sunt munda, sed malum est homini, qui per offendiculum manducat. Non est sanitas in carne mea à facie iræ suæ, non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum. Inquietum est cor meum, donec requiescat in te: si Deus semper benignus est, si venit saluare quod perierat, quomodò pœnitens eius faciem turbatam, seù iratam videt? Non est, inquit, sanitas in carne mea: quia illa peccauit; ideò tradenda erat Satanæ in interitum illius, idest carnis, vt spiritus saluus fieret, 1. Corinth. cap. 5. num. 5. Faciem Domini nullus viuens vidit, Exod. c. 33. n. 20. Ioan. c. 1. nu. 18. Deum nemo vidit vnquam, quomodò ergo à facie iræ tuæ, nisi à lege tua? quia contrà

legem Dei egit peccando factum, vt morte moriatur si non pœniteat; nàm alias quid miserius misero, non miseranti seipsum? vt dicit Augustin.lib.Confess. 1. cap. 13. & Oseas cap. 7. num. 9. Comederunt, inquit, alieni robur eius, & ipse nesciuit, ipse ignorauit, adest morti propinquus, non resipiscit, nec periculum cogitat. Sed & cani effusi sunt in eo, & ipse ignorauit, nec reuertitur ad Dominum Deum suum: nec in omnibus his quærit eum; immo factus est, vt Columba seducta non habens cor; idest mentem, & intelligentiam, cum pullos perditos non dolet, nec requirit. Ità peccator infelix amissionem gratiæ non dolet, nec eam requirit. Vndè Nicetas in Scolijs ad Oration. 40. Nazianzeni, inquit: Diabolum nouaculæ similem, quia sicut qui raditur nihil sentit, ità sine sensu, & dolore delinquentis gratiam animæ, virtutesq. ipsam comitantes, Diabolus detondet, vt pretiosa hæc ornamenta detrahi peccator non sentiat. Cui suffragatur Gregor. Nissenus in Tractatu 2. in Psal. 15. vbi ait, Diabolum spoliare, quos tetigerit honore, & decore crinium, atque abscindere septem illos capillorum nexus, in quibus omnis virtus residet, nempè septiformem Spiritus sancti gratiam, quibus abscisis, vt Samsoni accidit, Iud.cap. 16. sequatur oculorum interitus, & perditio, & vt temulentis, & ebrijs, alienigenis ludibrium fiat. Liberet nos Deus ab ista somnolentia sordida, & ignorantia crassa, & supina.

O felix pœnitens, qui iàm alienigena, & procul à Deo, pœnitens, & dolens illi vicinus appropinquans factus est, Psalm. 118. num. 155. Longè à peccatoribus salus: ò felix pœnitentia, quæ ad se trahit Dei oculos, & per illam deleta culpa, facit Deum sibi placabilem, 3. Reg. 21. num. 29. Nonnè ad Eliam dixit Dominus: Vidisti Achab humiliatum? Respicit enim Dominus peccatoris humilitatem: Hieronym. in Epistola ad Oceanum; si vis ergo Deum habere præsentem, & propinquum, sicut, & ipse pœnitens, & tu pœnitentiam agas de peccatis tuis, & humilia te illi, & Deus appropinquabit tibi; Epist. Iacobi cap. 4. num. 8. accedat ergo animi affectu ad Deum, quia Dominus propè est omnibus inuocantibus eum in veritate, & amore, Psalm. 84. num. 10. Veruntamen propè timentibus eum salutare ipsius, & Psalm. 144. numer. 18. propè est Dominus omnibus inuocantibus eum, & Isai. capit. 57. num. 15. Excelsus, & sublimis habitans æternitatem: & sanctum nomen eius in excelso, & cum sancto habitans, & cum contrito, & humili spiritu, vt viuificet spiritum humilium, & viuificet cor contritorum.

Non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum: Quomodò pax, vbi est conturbatio? vel quomodò non perpetuæ pœnæ, & conturbatio vbi est peccati continuata deformitas, & afflictio? à facie, inquit, peccatorum meorum, idest à fœtore, & turpitudine, cum semper ex eorum recordatione illa in conspectu meo talia apparent, ac si recenter eadem perpetrassem: Quocircà, quæ per Nahum à Deo dicta sunt; ac si mei causa dicta fuissent, timeo, & erubesco, nàm in c. 3. n. 5. Ecce ego ad te, dicit Dominus exercituum, & reuelabo pudenda tua in facie tua, & ostendam gentibus nuditatem tuam, & ignominiam tuam, & conijciam super te abominationes, & contumelijs te afficiam, & ponam te in exemplum, Isai. capit. 47. numer. 3. Reuelabitur ignominia tua, & videbitur opprobrium tuum. Non est pax ossibus meis, quia inordinatus est animus meus mihi, Augustin. lib. 1. cap. 12. Ità non de benefacientibus tu benefaciebas mihi,

&

& de peccante me ipso iustè retribuebas mihi. Iussisti & sic est, vt pœna sit tibi omnis inordinatus animus. In memetipso marcescit anima,& possident me dies afflictionis: Cutis mea denigrata est super me: & ossa mea aruerunt præ caumate, Iob cap. 30. numer. 16. & num. 30. ideò non est pax ossibus meis; donec transeat iniquitas, Prouerb. cap. 56. numer. 1. & optata veniant, Iob cap. 14. numer. 6. Abscondar modicum ad monumentum, donec transeat indignatio, Isai. cap. 26. numer. 20. Hieronym. Epistol. 61. & Tertullian. de Resurrectione carnis.

Non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum, Augustin. hæc verba esse Christi asserit. Nàm aliquando Christus ex persona capitis loquitur, quod est ipse Saluator natus ex Maria Virgine, aliquando verò ex persona corporis sui, quod est sancta Ecclesia, diffusa toto Orbe terrarum, & nos in corpore eius sumus, si tamen fides nostra sit in illo, & spes nostra certa, & charitas nostra accensa; sumus in corpore ipsius, & membra ipsius,& inuenimus nos ibi loqui: quoniam membra sumus corporis eius, ad Ephes. cap. 5. numer. 30. de carne eius, & de ossibus eius; idest ità per eius corporis Passionem formati, vt olim Eua de Adæ carne, & osse, & sicut in Psalm. 21. Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me: longè à salute mea verba delictorum meorum: illa enim sunt Christi Iesu verba; sicuti & hæc. A facie peccatorum meorum, totus enim ille Psalm. 21. est de Passione Christi Iesu, vt etiam ibi; Et diuiserunt sibi vestimenta mea,& super vestem meam miserunt sortem. Vt quid Deus dereliquisti, sunt verba Christi in Cruce prolata, tamquam à capite Christo; alia verò verba, delictorum meorum, sunt de corpore Ecclesiæ suæ sanctæ: sunt duo in carne vna. Christus loquitur: Vndè Apostolus ad Ephes. dicto cap. 5. num. 32. Sacramentum hoc magnum est. Ego autem dico in Christo Iesu, etiam in Ecclesia, sunt Christi verba, & illius Psal. 21. quam ipse Iesus in Cruce approbauit, quando, vt dixi, per eadem verba exorsus dicebat Eloi, Eloi, Lamma Sabacthani, hoc est, Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me? verba delictorum meorum: & ipse dixit, non quia in illo sint peccata, nec dolus inuentus est in ore eius, sed quia in eo Dominus nostrorum omnium iniquitates posuit, & ipse vulneratus est propter iniquitates nostras, Isai. cap. 53. nu. 4. & per totum: non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum: mea inquit, quia nostra scelera Dominus Deus posuit super eum, & ideò eius liuore sanati sumus: mea inquit, idest Ecclesiæ meæ, delictorum meorum, quorum peccata ipse tulit, Isai. dicto cap. 53. numer. 12. loquitur ergo corpus Christi, & caput, & ideò tamquam vnus loquitur, quia sunt duo in carne vna, Apostolus, vt suprà ad Ephes. cap. 5. Sacramentum hoc magnum est: Ego autem dico in Christo, & in Ecclesia: iàm ergo non duo, sed vna caro, vna lingua, eadem verba, tamquam eiusdem carnis, capitis, & corporis: Audiamus tamen caput, tamquam caput, & corpus, tamquam corpus: non diuiduntur personæ, sed distinguitur dignitas: Augustinus, quia caput saluat; saluetur corpus: Caput exhibeat misericordiam, corpus defleat miseriam. Caput est ad purganda peccata, corpus ad confitenda peccata, vna tamen vox, vbi non est scriptum: quando dicat corpus, quando caput, sed nos audiendo distinguimus, ille autem tamquam vnus loquitur, quare non dicat peccatorum meorum, qui dixit, esuriui, & non dedistis mihi manducare, sitiui, &

non dedistis mihi bibere, Matth.25.num. 35. hospes eram, &c. & in carcere, & non visitastis me, propterea dicitur, quando te vidimus esurire? & ipse Iesus respondit: Quod vni ex meis minimis non fecistis,nec mihi fecistis,similiter: Saule, Saule cur me persequeris? Act.Apost.cap.9. & tamen Christus erat in Cælo, vbi non est persecutio: loquebatur ibi caput pro corpore, sed quomodò ibi caput loquebatur pro corpore? sic & hìc caput dicit voces corporis, cum,& capitis voces auditis; sed neque cum corporis voces audieritis, inquit Augustin. separetis caput: neque cum capitis voces audieritis,separetis corpus, quia iàm non duo, sed vna caro, hæc Augustin.

Non est ergo sanitas in carne, quia timet propter iustitiam iræ Dei; non est pax ossibus meis, quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput suum. Infirmitas in carne, infirmitas etiam in ossibus: diuersæ tamen sunt infirmitatis vtriusque causæ. Infirmitas carnis propter iudicium Dei, quod futurum in ira sibi videtur, quia est iustum,nec post illud speratur misericordia: Non est pax ossibus propter peccata,non repetitur in vtroque defectu carnis, & ossis, vultus iræ, sed in carne tantùm; in altero de ossibus peccatorum grauitas consideratur, propter quam submersus quidam peccator veluti ab aqua operiente aiebat, Ionæ c.2.n.6. Pelagus operuit caput meum, & Thren.3.n.54. Innundauerunt aquæ super caput meum; dixi perij, peccatorum multitudine,& grauitate illorum plusquam ferre posset.Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt,transierunt caput meum, & sicut onus graue grauatæ sunt super me, idest grauiores super me. Augustin. hæc. Læuitatis est erigere caput, quasi nihil portat, qui erigit caput; quia ergo leue est, quod potest erigi; accipit pondus, vndè possit comprimi: Conuertitur labor eius in caput eius, & iniquitas eius in verticem descendit. Non est pax ossibus meis,quia repulsa est à pace anima mea, & oblitus sum bonorum,Thren.3.n.17. graue grauatæ sunt; quia per consuetudinem peccandi grauis facta est culpa, & grauior pœna, Ambros. in Epist. ad Simplician. Nullus maior est dolor, quàm is, qui peccati mucrone vulnerat conscientiam: neque vllum grauius est onus, quàm peccatorum sarcina, & pondus flagitiorum, quod deprimit ad terram, ne se erigere possit, grauia fili, grauia nimis delictorum pondera; hæc Ambros. & eò magis si diuturnitate temporis sint in nobis infixa. Hæc pœnitentiæ dilatio insipientem reddit hominem; ideò dicit Psalmista putridas factas fuisse cicatrices, quia ex dilatione, quæ est ex insipientia, corruptæ factæ sunt cicatrices.

Putruerunt, & corruptæ sunt cicatrices meæ à facie insipientiæ meæ. Quomodò non corruptæ, & putrefactæ cicatrices: ex quibus tanto tempore tot fluxerunt peccata, tot iniquitates; propter quæ perierat mundus, qui totus in maligno erat positus. Venit filius hominis Iesus saluare quod perierat, Matth.c.2. nu.11. Luc.19.n.10. A facie insipientiæ meæ, inquit: quid enim insipientius, quàm lignum pro Deo adorare; opera manuum, & mutorum animalium venerari? in illis non erat Dei scientia, & de his, quæ videntur bona, intelligere non potuerunt eum, qui est; neque operibus attendentes, agnouerunt, quis esset artifex, Sapien.13.num.1. Infelices, & inter mortuos spes illorum est, quia putauerunt Deos opera manuum hominum, ibid.n.10. Putruerunt,& corruptæ sunt cicatrices meę à facie insipientiæ meæ; Pro sanitate enim infirmum deprecabar,& pro vita rogabā mortuum, in adiutoriumq. inutilem deprecabar,n.18.

Quid

Quid mirum si cicatrices putrefactæ sunt,& corruptæ? non erat enim auxilium à Domino. Origen.super Num. Si possemus per vnumquodque peccatū videre, quomodò homo noster interior vulneratur,& vulneratę animæ sētire cicatrices; Certum est,quòd vsque ad mortem resisteremus aduersus peccatū,sed cupiditatibus sæculi effecti amantes; non sentimus quantas animæ contritiones acquirimus. Conuersus est hìc peccator ad Deum,& pœnitens,ideò celerē in præsenti vita expectat,& confert huiusmodi vulneribus medicinā; pœnitentia enim vulnus peccatorum sanat; & vltrà animam peccato non sinit vulnerari. Insipientia fuit illius dilatio, à facie insipientiæ meæ. Et benè dixit, Nunquid resina non est in Galaad, aut Medicus non est ibi? Quare igitur non est obducta cicatrix, Ierem.8.num.22. In Galaad, in Ecclesia Dei nonnè abundant resina, & Medici? Non tibi dico septies, sed septuagies septies, dicit Dominus, Matth. cap.18.num.22. Pœniteat te, confitere peccata tua, quoniam Dominus Deus obducit cicatricem tibi, & à vulneribus tuis sanabit te, Ierem.30.num.17. & Ierem.33. num.6.

Surgentes ergo eamus fratres in occursum illius, qui magna passus est pro nobis, vt exemplo eius, & nos conterentes emendemus vitam nostrā,quia dum stamus in hoc mundo,propter immunditiam eius facilè nos inuenire potest illa corruptio, & pessima putredo, cum non sit hìc requies, Mich.2.num.10. nàm descendet vlcus de capite, Quando peccatum est tantùm in mente, facilè est illud curare; at si, quod Deus auertat, in genua, & tibias descendat, & peccatum quod est in mente: descendat in executionem, & id consummetur quod contrà præceptum est, tunc difficile curabitur curuatum est vsque ad finem.

Cicatricum putrefactiones, & illarum corruptiones fugiamus; factis medicinam confessionis, & pœnitentiæ adhibeamus, nec differamus, ne ex dilatione illam contemnere videamur. Chrysost. in Serm. de Confessione. Peius est confiteri nolle, quàm legem contemnere; peius est admissi pœnitentiam spernere, quàm monita Diuina despicere; peius est Dei offensam satisfactione nolle placare, quàm peccando Dei bonitatem offendere, Psalm.77. Populus insipiens incitauit nomen tuum, impœnitentes enim ex quo non habent sapientiam pereunt propter eorum insipientiam; Baruch 3.nū.28. quia vir insipiens non cognoscit hæc; Psalm.91.num.7. quia illius peruersæ cogitationes separant illum à Deo, Sap.1.num.13. probata autem virtus corripit insipientes, ibidem nu.4.

Miser factus sum, & curuatus sum vsque in finem. Miser ideò factus, quia infirmus: Curuatus, quia graue grauata sunt super me peccata vsque in finem toto tempore vitæ meæ. Quare curuatus? quia prius per superbiam elatus, caput meum sustulleram aduersus Deum; nemo enim superbus, nisi iniquus, cui sustollitur caput, idest sursum tollitur, Eccles.10.num.14. Initium superbiæ apostatare à Deo, Isai.14.num.12. Veruntamen ad infernum detraheris in profundum laci: quia sicut onus graue grauatum, vt vsque in infernum deiectus sit. Miser, quia amiserit rerum corporalium victum, atque mortalium, & dilaniatur, quia eas amisit, & nunc sentit, se esse miserum; & tamen miser erat antequàm eas amitteret. Augustin. Curuatus vsque in finem; perceperam enim quod prius in mente descendit ad inferiores partes in executione, & per longam malitiam factus miser, & ex multiplici peccatorum ponderosus, idest curuatus. Gregor. Peccatum, languor prolixior grauat Medicum,

Eccleſ. cap. 10. num. 11. & quod per pœnitentiam non eſt deletum, mox ſuo pondere ad aliud trahit, Auguſtin. hic Et ideò magnum requiritur medicamen, quia vulnus factum eſt curatione magis difficile, Deuter. cap. 28. num. 35. percutiat te, inquit, Dominus vlcere peſſimo, & in genibus, & in ſuris, ideſt in tibijs; vt tantò magis doleas te pœnitendo. Qui ſtat, videat ne cadat, 1. Corinth. cap. 10. nu. 12.

Vel dicamus iterum. Miſer factus ſum, & curuatus vſque in finem. Poſtquam ſagittæ tuæ Domine infixæ ſunt mihi, cognoui peccata mea. Domine ne in furore tuo arguas me, iàm non eſt amplius ſanitas in carne mea à vultu filij tui Domine, qui vt ſaluaret me, peccata mea portans vulnerari voluit, & mori, reſpexi in vultum eius, & dixit mihi vis ſanari? volo vtique dixi, Domine: Tolle, inquit, ſagittas meas, iugum meum ſuper te, & ſequere me. Infixæ ſunt tribulationes, ſagittæ tuæ confirmatæ, quia iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum; & ſicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me. Inſipiens eram, ideò putrefactæ ſunt cicatrices; quia nondum infixæ erant ſagittæ tuæ mihi, nondum cogitabam de te, & nunc ecce Domine, quia ego miſer peccator curuatus ſum ante te vſque ad finem vitæ meæ, & ſic humiliatus curuus incedo, Eccleſ. cap. 12. num. 11. adorans pedum tuorum veſtigia, qui aliàs non ſum tui recordatus, Iſai. cap. 60. num. 14. Et nunc flens dico, non mortui, qui ſunt in inferno, quorum ſpiritus acceptus eſt à viſceribus ſuis, dabunt honorem, & iuſtificationem tibi Domine, ſed anima, quæ triſtis eſt ſuper magnitudine mali, & incedit curua, & infirma, & oculi mei deficientes, anima mea eſuriens dat tibi gloriam, & iuſtitiam Domine, Baruch cap. 2. num. 17. & 18. Quid dignum offeram tibi Domine meo excelſo? Mich. cap. 6. nu. 11. vſque in finem, & tota die contriſtatus, ac pœnitens, donec curuus ingrediar, & miſerearis mei; quia iàm ſagittæ tuæ Domine in me ſunt, quarum indignatio ebibit ſpiritum meum: & terrores tui militant contrà me, Iob cap. 6. num. 4. Miſer ergo factus ſum & curuatus vſque in finem, vſquequo perueniam ad finem meum, qui eſt Chriſtus Ieſus. Tota die contriſtatus ingrediebar, quia tota die lumbi mei implentur illuſionibus. Ingrediebar tota die intrà me orans, & petens à Domino, vt tollat à me has illuſiones, & tentationes. Ingrediebar, vt egrederer, & eſſem cum Chriſto: ingrediebar tota die, vt inimicus à me egrederetur: ingrediebar intra me, vt repletioni, & illuſionibus non eſſet amplius in me locus:

Ingrediebar contriſtatus: quia carnem meam affligebam, vt blanditias mundi à me expellerem: ingrediebar iterum, quia carnem meam, cum in ſæculares me illecebras impelleret, caſtigabam. Illudebat Diabolus fallacias ſpirituales immittendo, & ego, ne me læderet, ingrediebar, illas reijciendo, tota die contriſtatus ingrediebar, quia tota die circumuentus, ne illuſus, læſus eſſem, pugnabam; illicita deſiderabat caro, quæ mundus ei anteponebat, vt finis meus eſſet ſempiterna tormenta; & ego miſer factus ſum, & curuatus, vſque in finem vitæ meæ, vt ad finem perducar illæſus, ad Ieſum Dominum meum. Ingrediebar in memetipſum, conſiderans, quia ipſe eſt, qui fecit me, & non ego me; ipſe, qui ante me, creauit me, illiq. ſit cura de me: ipſe ſaluabit me, & non ego ipſe meipſum: ipſe, qui nonaginta nouem oues dimittit, vt perditum me inueniret: ipſe eſt, qui ſanguinem ſuum pro me effudit: ipſe idem liberabit me,

Conuer-

Conuersus ergo ego sum in ærumna mea dum configitur spina, Psal. 31. nu.4. compungar scilicet in corde meo, & agam pœnitentiam, Act. cap. 32. nu.38. vt pœnitenti, & compuncto, quòd peccaui coram Domino, remittat mihi Dominus peccata mea, Augustin. de verb. Apostoli, Sermone 9. cap.4. Tota die contristatus ingrediebar, toto tempore vitæ meæ, contristatus, dum de die illa Sabbati recordabor. hæc Augustin. Quomodò non contristatus tota die, si totus homo, corpus, & anima completus fuit illusionibus, & sanitas non est in carne mea?

Sed quomodò pax, vbi perpetuum bellum, vbi perpetua lucta, caro aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem? Non desperat iste pœnitens, cuius auxilium est in Domino, cuius desiderium in Deo; ideò dicit, Domine ante te omne desiderium meum. Docet tamen nos peccatores, vt qui idcircò propter peccata afflicti, & dolentes sumus non desperemus; quia hos diligit, quos castigat, & corrigit: si enim spiritus eius, qui suscitauit Iesum Christum à mortuis habitat in nobis, qui suscitauit Iesum Christum à mortuis, viuificabit, & mortalia corpora nostra, quid ergo timebimus? quid etiam pro ipsa carne soliciti sumus, quia tribulationes, afflictiones, & persecutiones patiamur; scriptum habemus, quia capillus de capite nostro non peribit, Luc. 21. n. 18. Adam peccando damnauit corpora nostra in mortem: sit spiritus Iesus in nobis, qui & viuificabit mortalia pectora nostra, ad Roman. 7. n. 24. Promissum reddere dubitamus, qui tale pignus obtinemus? habitet ergo spiritus Iesus Christi in nobis; & cum Paulo liberabimur à corpore mortis huius; haud non habendo corpus, vel alterum habendo, sed non vlterius moriendo; mortis, inquit, huius, dicit Apostolus; non simpliciter de corpore dixit, ne fortè dubitares; quia nos Deus sine corpore esse vellet; de corpore, inquit, mortis huius; Mortem tolle, & bonum est corpus; detrahatur mors nouissima inimica, & erit mihi in æternum caro mea amica; nemo enim vnquam carnem suam odio habuit, ad Ephes. 5. nu. 29. sed nutrit, & fouet eam, sicut & Christus Ecclesiam, spiritus aduersus carnem concupiscit, non tamen propterea carnem odit; vitia carnis odit, prudentiam carnis odit, contentionem mortis odit. Rixatur modò in ista domo maritus, litigans, non perniciem, sed concordiam quærit vxoris. Corruptibile hoc induet incorruptionem, & mortale hoc induet immortalitatem, seminatur corpus mortale, & resurget corpus spirituale, & vide plenam, perfectamq. concordiam. Creaturam laudare Creatorem. Augustin. de verb. Apostoli, Sermon. 6. cap. 14. Perpetua sit hìc dum sumus, lucta cum vitijs carnis, & æterna sit victoria animæ, & corporis: pugnamus contrà carnis vitia, vt candida facta sit spiritu, & caro semper amica; sint lumbi mei illusionibus impleti, quia sufficit mihi gratia Dei, vt resistens aduersus maligna, in infirmitate ista virtus perficiatur. Non est sanitas in carne mea: propterea quòd ad benè operandum sit pigra; & ad malum perficiendum satis prona. Domine libera me à corpore mortis huius; à peccatis, quæ ideò mors sunt, cum nihil sint, Ioan. cap. 1. Non enim esset mors nisi veniens de peccato. Augustin. de verb. Apostol. Serm. 7. cap. 6. sed non liberatur donec anima nostra illusionibus exuatur, & corpus nostrum induatur sanitate: illa scilicet immortalitate, quæ caret omni illusione, sed semper permanet in veritate, quæ est præmium animæ, quando erit in immortalitate, sicut nunc in corpore, illius pœna est illusio. Ad quam tollendam

venit lux in mundo, & aperuit oculos carnis, vt per fidem sanaret nos, quibus veritatem ostendit seipsum, scilicet, qui est veritas, & vita, & qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum; non enim seipsum Christus demonstrauit in terra, sed carnem suam demonstrauit. Augustin. hæc; nàm si seipsum demonstrasset, vidissent illum Iudæi, & cognouissent, sed si cognouissent nunquam Dominum gloriæ crucifixissent, 1. Corinth. cap. 2. Propterea Discipuli Domini, vt Ioan. 14. num. 14. nondum itàq. Christum videbant, qui, & patrem sibi ostendi cupiebant, vndè eis dixit: Tanto tempore vobiscum sum, & non cognouistis me? Philippe, qui videt me, videt, & Patrem meum, num. 9. Audi, inquit Augustin. quia nondum videbant, in præmio illud promisit, ibidem dicens, num. 23. Si quis diligit me, sermones meos seruabit, & Pater meus diliget eum, & ego diligam eum: Et tamquam diceret ei, Quid illi dabis diligens eum? & ostendam, inquit, meipsum illi, Ioan. dicto cap. 14. nu. 19. Vos autem videtis me, & manifestabo ei meipsum, num. 22. manifestum est, quia illa visio veritatis talis nobis promittitur, qua visa iàm non dicamus, impleta est anima mea illusionibus. hæc Augustin.

Ideò afflictus sum, & humiliatus sum nimis: idest vehementissimè, quando in me reuersus illius diei Sabbati memoria recordor illius quietis, & pacis: afflictus, quia nunc non est in carne mea sanitas: humiliatus, quia veritatem agnosco te Deum scilicet Iesum Christum Redemptorem meum, qui humilia respicis: neque in corde meo est quies, immo rugitus, & planctus, quia etsi cognoscam te Deum meum, & verũ, tibi tamen soli peccaui, quia sunt pleni illusionibus lumbi mei. Domine miserere mei: infunde mihi Domine gratiã tuam. Non sunt in me merita vlla: proptereà quæro dona tua: non enim inuenirem dona tua, si quærerem merita mea, quæ non sunt. Ecce Domine Zachæus sum, pusillus sum: in lignum sycomori, quasi fatui pomi lignum ascendi: Crux quippè tua Iudæis erat scandalum: Gentibus verò stultitia, 1. Corinth. 1. nu. 23. Humilis ascendo Crucem, vt sequar te in Cruce pendentem. Videam te Domine, vt tu videas me, quia nisi visus fuero à te, non videbo te, ad Roman. cap. 8. numer. 30. Quos enim prædestinauit, hos & vocauit Augustin. de verb. Apostoli, Serm. 8. cap. 3. in fine.

Nimis rugiebam à gemitu cordis mei, quoniam vidi quod omnia, quæ sunt in hoc mundo, aut sunt concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, superbia vitæ; & mundus transit, & concupiscentia eius, Ioan. cap. 1. num. 16. & istæ passiones punctiones sunt nostræ, Ambros. lib. 2. de Abraham, cap. 4. Quomodò non rugiam à gemitu cordis mei, cum terra carnis meæ, nisi assiduis sit subacta culturis, citò de segni otio spinas, tribulosq. producet, & partu degeneri dabit fructum, non horreis inferendum, sed ignibus concremandum. S. Leo. Sermon. 4. de Ieiun. Pentecost. & Bernard. Sermon. 5. Fragmentorum. Quàm domesticus, inquit hostis, quàm perniciosa lucta, quàm intestinum bellum, hostem hunc crudelissimum, nec fugere possumus, nec fugare, sed circumferre illum necesse est, quoniam alligatus est nobis. Nàm quid periculosius est, & mirabilius; hostem nostrum ipsi cogimur sustentare, perimere cum non liceat. Afflictus ergo, & gemens, quia video, quàm necesse sit me solicitè custodire ab ea, quæ dormit in sinu meo, ideò Gregor. 10. Moral. cap. 18. inquit, Quasi latrunculus est appetitus laudis, recto itinere gradientibus ex late-

latere iungitur, vt ex occultis educto gladio gradientium vita trucidetur. Cumq. propositæ vtilitatis intentio ad studia priuata deducitur: horrendo modo vnum idemq. opus culpa peragit, quod virtus inchoauit. Sæpè, & ab ipsis exordijs aliud cogitatio expetit, aliud actio ostendit. hæc Gregor. Inconstantia concupiscentiæ transuertit sensum sine malitia, Sap. cap.4.nu.12. Quando ergo nacta est occasio armatum exercitum contrà rationem producit, nostrosq. sensus, quos in nostram perniciem armat concupiscentia, nos internè oppugnat, vt nobismetipsis, quo nihil miserius est, tamquam armis in perniciem nostram vtens, peccati morte nos afficiat. Nazianzen. Orat. 1. Propterea nimis rugiebam, inquit Psalm. à cordis mei gemitu: & Chrysost. in fine Psalm. 4. Neque quæcunque sunt feræ gentes, tàm atrox bellum gerunt, quàm improba, & notoria cogitatio, quæ versatur in penetralibus animi, intemperans libido, & amor pecuniæ, & potentiæ vehemens desiderium.

Domine ante te omne desiderium meum, & gemitus meus à te non est absconditus. Nunc autem, dicit Apostolus ad Roman. cap.7. num.17. Non ego operor illud, idest non consentio, non annuo, non discerno, semper mihi displicet; membra mea teneo. Et hoc magnum est, dicit Augustin. Cum sit ex carne concupiscentia, & ad carnem pertineant corporis membra, quando non regnat peccatum, idest carnis concupiscentia, plus habet lucis mens ad tenenda membra carnis, ne dentur in arma iniquitatis, quàm ipsa concupiscentia carnis, & membra carnis. Mens tamen, quæ dominatum habet, si tamen desuper adiuuetur, ne cum ei multum contrà Dei gratiam damus, non Regem, sed Tyrannum faciamus. Tantum ergo valet mens, sic regit cum regitur, vt de membris ipsius carnis contrà concupiscentiam ipsius agere possit, quod ait Apostolus ad Roman. cap.6.nu.12. non ergo regnet peccatum in nostro mortali corpore, ad obediendum desiderijs eius, nec exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato. Nulla ergo condemnatio est membris, quæ sunt in Christo Iesu: hæc Augustin. in lib. de verb. Apost. Sermon.6. cap.2. Et quamuis omnia debita deleuerit vna indulgentia, per Baptismum scilicet, & pœnitentiam; restat tamen cum carne conflictus, quia, etsi deleta sit iniquitas, manet tamen infirmitas: inest vacillatio, & delectatio illicitæ concupiscentiæ: ideò pugno, resisto, nolo consentire, & post concupiscentiam non vado, quia si quando, subrepunt, & vsurpant sibi oculum, aurem, linguam, volaticam cogitationem, nec sic despero de salute mea, Augustin. vt suprà, cap.9. Ideò tota die contristatus ingredior, & dico. Dimitte nobis debita nostra: nobis, qui secundum spiritum ambulamus; conturbatum est tamen cor meum in me: dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum, & ipsum non est mecum, afflictus sum mente, inquit, ideò conturbatum cor meum est, & per inhibentem in membris meis concupiscentiam, mihi videtur dereliquisse me virtus mea, sum etenim sicut eger conualescens, qui nondum pristinas recuperauit vires: sic semper, ne à pondere præmar concupiscentiæ meæ: laboro in gemitu meo, & requiem non inuenio, Ierem.45.num.3.

Domine ante te omne desiderium meum, & gemitus meus à te non est absconditus. Si non vis intermittere orare, noli intermittere desiderare, qui continuò desiderat, continuò clamat ad Deum. Ità enim dilexit mundum, vt vnigenitum suum daret; Quod desiderium tuum Domine, nisi flagrantia charitatis,

salus

ſalus infirmorum, ideò veniſti, quia illos redimere deſideraſti; clamans infremuiſti ſpiritu, & mortuum reſuſcitaſti, quem diligebas Ieſu Chriſte, Ioan. 11. num.3. ecce quem amas infirmatur, & num. 38. In temetipſo infremuiſti, & gemitus à te non eſt abſconditus, nàm eleuatis oculis ſurſum dixiſti: Pater gratias ago, quia exaudiſti me; Ego autem ſciebam, quia ſemper me audis, ibidem,num.42. quia omne deſiderium meum eſt ante te, vt faciam voluntatem tuam, Ioan.17.num.4. & cap.15.num.9. Et tu Domine ideò de Cælo ad terram veniſti, vt compeditorum gemitus exaudires, Pſalm.101.num.20. & 21. Non de terrenis gemitus, ſed pro animæ liberatione, & ideò gemitus, quia eſt illi memoria diei Sabbati illius quietis, & pacis, ideò in gemitu meo laboro, dicto Pſalm.6.num.7. Lauo per ſingulas noctes lectum meum, lachrymis meis rigo, quia omne deſiderium eſt ante te. Auguſtin. hæc; quoniam abundauit iniquitas, refrigeſcit charitas multorum, Matth.cap.24. Frigus, inquit charitatis, ſilentium cordis eſt; flagrantia charitatis, clamor cordis eſt; ſi ſemper manet charitas, ſemper clamas, ſi ſemper clamas, ſemper deſideras, ſi deſideras requiem recordaris. Et rugitus cordis tui, ante quem ſit, oportet, vt intelligas. Non ergo deſideriũ tuum ſit,vt inimicus moriatur: non ores, vt ad te perueniat hæreditas; ſed vt corrigantur inimici ora; quia iàm correcti non erunt inimici; Gemitus inquit meus à te non eſt abſconditus, & tunc deſiderium tuum ante illum eſt, nàm ſi ineſt deſiderium, ineſt & gemitus; & ſi ad aures hominum non perueniat ſemper, nunquam tamen recedit ab auribus Dei; hæc Auguſtin.

Cor meum conturbatum eſt, dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum, & ipſum non eſt mecum. Et cœpit pauere, & tædere, Marc. c.14. num.33. & 34. Triſtis eſt anima mea, & factus in agonia prolixius orabat, Luc. cap.22.num.43. in ſequen. & factus ſudor eius, ſicut guttæ ſanguinis decurrentis, & Deus, Deus meus, vt quid dereliquiſti me? Pſalm.1.num.1. Matth. 27. num.46. Marc.cap.15.nu.34. omnia autem ſunt de paſſione Domini, vt in ſequentibus eſt videre. Amici mei, & proximi mei aduerſum me appropinquauerunt, & ſteterunt, & qui iuxtà me erant de longè ſteterunt; loquitur namque caput onere peccatorum noſtrorum grauatum, quia ideò carnem noſtram aſſumpſit, vt illa portaret.

Cor igitur meum, inquit, pœnitens, & dolore conturbatum eſt. Sed quare conturbatum? quia reliquit me virtus mea; ſed quæ eſt virtus tua? Illa, quæ à principio mecum erat, gratia Dei, quæ data fuerat primo parenti. Deus mecum erat, lux mea erat, quæ per peccatum meum, ideſt membrorum corporis mei longè facta eſt à me, non eſt amplius mecum; Sed quomodò cognouiſti,quòd lumen oculorum tuorum non eſſet tecum? quia eſſe derelictum cognoui, propterea oculi mei aperti ſunt propter peccatum, & me nudum inſpexi, quia de ligno, de quo præceperat mihi Dominus ne comederem, comedi. Propterea conturbatum eſt cor meum, quoniam Adam membrum meum de ligno edit, quod erat in medio Paradiſi. Cor meum conturbatum eſt; dicam, & ego, quia tu Domine vocas me; quia gemitus meus non eſt à te abſconditus: ideò ſalua me Domine, qui propterea, vt vocares me peccatorem, & pœnitentem, peccata mea portaſti, Iſai. dicto cap.53.num.11. & adhuc lumen oculorum meorum non eſt mecum. Auguſtin. Iàm confitens, iàm redemptus, iàm in corpore Chriſti eſt, & lumen oculorum ipſius, ſpiritus non

eſt

est cum ipso? planè non est, inquit, cum ipso, sed est quidem tamquam adhuc recordantium Sabbatum, tamquam cernentem in spe: sed nondum est lumen illud, de quo dicit Ioan.14. ostendam meipsum illi; est quidem luminis, quia filij Dei sumus, & vtique hoc in fide retinemus, sed nondum est lumen, quod videbimus. Nondum apparuit quod erimus; scimus, cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum, sicuti est: nàm modò lumen fidei, & lumen spei est: Quandiù enim sumus in corpore, peregrinamur à Domino, ad Roman. dicto cap.8. per fidem ambulamus, non per speciem, & quandiù quòd non videmus, speramus, per patientiam expectamus. hæc Augustin. addens quòd istæ voces sunt peregrinantium nondum in Patria constitutorum, & rectè dicit, & verè dicit, & si non sit dolosus veraciter confitetur, & lumen oculorum meorum, & ipsum non est mecum.

Sed cur cor turbatum, si te derelictum, & hostem fecit amicũ, & cohęredem, ille scilicet vir dolorum, & infirmitatem sciens, vt languores tuos, & dolores ipse portans, liuore eius sanus fieres? Isai. d. cap.53. Turbatum est cor meum, quia nondum perueni ad locum, & donec perueniam semper remanebo turbatus: Cerno locum in spe: sed lumen oculorum meorum non est in te, quem videndum spero, 1.Corinth.cap.13.num.12. videmus modò per speculum in enigmate, tunc autem facie ad faciem; nunc agnosco ex parte, tunc autem cognoscam, sicut, & cognitus sum. Cor meum conturbatum, quia peccaui in Deum meum, & ideò lumen oculorum meorum non est mecum. Pauebat Adam, & sub arboris vmbra se abscondit, & lumen non vidit: paueo, & ego, quia peccaui Domino Deo meo; ille sub vmbra arboris, ego verò in veritatem ligni proieci me, vt mihi, qui apprehendi illud, sit lignum vitæ, Prouerb.3.nu.18. Ideò conturbatum est cor meum, quia spes, quæ differtur affligit animam meam; lignum vitæ desiderium veniens, Prouerb. 13. num.12. propterea omne desiderium meum ante te.

Vmbra arboris lumen Dei ab Adam abscondit; lignum Crucis mihi attulit fructum suum salutis, Ioel.cap.2.nu.22. In illud inspicies, & proteget te, Sap. cap.10.num.4. & vinces; de peccatis pœnitentiam agas, ne vincaris, dabiturq. tibi edere de ligno hoc vitæ, quod est in Paradiso Dei, Apocalyps.cap.2.nu.7. hoc est frueris beatitudine significata per lignum vitæ, quod est in Paradiso Cæloq. Empyreo. In hoc ergo Crucis nidulo moriar ego, & sicut palma multiplicabo dies meos, Iob cap.29. num.18. palma enim secundum Gregor. lib.19. Moral. cap.16. tardè proficit, sed diù in viriditate subsistit. Neminem audiam, non carnem, non sanguinem, non spiritum quemlibet, descensum suadentem de Cruce: persistam in Cruce, moriar in Cruce; deponar aliorum manibus, non mea leuitate. Bernard. Sermon.1. in die Paschæ: Num imperfectum salutis meæ cœptum relinquam? descendat de Cruce, dicebant Iudæi, & credimus ei, Ioan. cap.19. Matth. cap.27. Ascendam ego in Crucem, vt, & ego ab eo merear saluari: Christus crucifixus est, vt me saluaret, & ego titulum Crucis deseram? & potestatem, quam mihi Deus dedit deponam? Pilatus dixit, quod scripsi, scripsi; & ego Christum, qui pro me Crucem subijt negabo, quem Ducem, & Creatorem, quem assumpsi? Ecclesi.2.num.7. & non deflectam ab eo, ne cadam, & num. 11. Nullus sperauit in Domino, & confusus est, quis enim permansit in mandatis eius, & derelictus est? nullus certè

sepa-

separabit me ab illo, ad Roman.cap.8. subiecta ergo esto Deo meo anima mea, quoniam ab ipso patientia mea, Psalm.61. vbi Augustin. Venit tribulatio mea, venit & patientia mea, & purgatio mea. Nunquid lucet aurum in fornace Artificis? in monili lucebit, patiatur fornacem, vt purgatum à sordibus veniat ad lucem; Fornax ista ibi palea, ibi aurum, ibi ignis, ad hunc flat artifex, tolero, iubeor ergo tolerare, nouit ille purgare: ardeat licet palea ad mundandum me, & quasi consummendum me; illa in cinerem conuertitur, ego sordibus careo: quare? quia Deo subijcitur anima mea. hæc Augustin.

Amici mei, & proximi mei aduersum me appropinquauerunt, & steterunt. Ab hoc versiculo vsque ad finem Psalmi, quis non videt propheticè propositum Dominum nostrum Iesum Christum à Iudæis accusatum, inquisitum, iniustè condemnatum, & circundatum, crucifixum, & à mortuis eum resurrexisse? Quinam sunt amici illi, & proximi sui, qui aduersus illum steterunt, & appropinquauerunt? Ij, quibus ille traditor dixit: quem osculatus fuero, ipse est, tenete eum: osculatus est Iesum ille traditor, appropinquauit, & ipse cum Iudæis ad Iesum, & tenuerunt illum. Surgite eamus, dicebat Iesus, ecce appropinquauit, qui me tradet, Matth.26.num.46. statim accedens ad eum dixit: Aue Rabbi: & osculatus est eum, & Luc.22.num.27. & appropinquauit Iesu; & qui steterunt Principes Sacerdotum: & Magistratus Templi, & Seniores erant. Propterea proximi mei, inquit, quia Templo Domini deputati erant, Luc. dicto cap.22.num.52. nàm dixit Iesus ad eos, qui venerant ad se, Principes Sacerdotum, & Magistratus Templi, & Seniores, cum gladijs, & fustibus; quasi ad latronem existis: Comprehendentes autem eum duxerunt, &c. & cap.22. Luc. in princ. Et surgens omnis multitudo eorum duxerunt illum ad Pilatum. Appropinquauerunt, & steterunt: stabant autem Principes Sacerdotum; & Scribæ constanter accusantes eum, Luc. dicto cap.23.num.10. Textus verò Hieronymi habet, Cari mei, & amici mei quasi contrà lepram meam steterunt; nàm illum extrà Ciuitatem eiecerunt, vt crucifigeretur, tamquam immundum, & leprosum; suprà dorsum eius fabricantes, & caput eius spinis coronantes, itàvt leprosus reputaretur, Isai. dicto cap. 53. sed si proximi, quomodò de longè? Circumstat, qui est proximus? Augustin. Appropinquauerunt corpore, sed longè steterunt corde; qui tàm, inquit, propinqui corpore, quàm, qui in Crucem leuauerunt? qui tàm longi corde, quàm, qui blasphemauerunt? Isai. cap.29.nu.13. Appropinquat populus iste ore suo: Cor autem eius longè est à me, Matth.15.n.8. ijdem propinqui, ijdem longinqui, proximi labijs, propinqui corde: Verumtamen quia, & Apostoli longè steterunt timentes absolutius, & planius de illis, hæc accipimus. Tunc Discipuli omnes, relicto eo fugerunt, & Petrus sequebatur à longè, Matth.26. num.56. & 58. Et qui iuxtà me erant, de longè steterunt, quia omnes me dereliquerunt, sed Iesus non dereliquit eos: Deus enim de vicino ipse est, & Deus de longè, & si occultabatur vir in absconditis, & ipse Iesus vidit eum, quia Cælum, & terram ipse implet, Ierem.cap.23.num.23. & 24. Ex longinquo facti sunt, vt propinqui posteà fierent, vt de longinquo stantes, vocarentur appropinquantes: quia ecce accola venit, quæ non erat mecum, aduena quondam tuus adiungetur tibi, Isai.54. num.15. & cap.55.nu.5. Ecce gentem, quam nesciebas, vocabis: & gentes, quæ te non agnouerunt, ad te current, & cap.60. num.4. Filij

tui

tui de longè venient, &c. de Petro verò dicit Ambrof. Benè à longè iàm proximus negat, nec enim negare potuiſſet, ſi Chriſto proximus adhæſiſſet.

Et vim faciebant qui inquirebant animam meam. Tolle, tolle, clamabant crucifige, Ioan. 19. num. 15. Marc. 27. num. 23. Vim faciebant Pilato, vt crucifigeret eum; dicebat enim ille, quid mali fecit? & quærebat Pilatus dimittere eum, Ioan. dicto cap. 19. nu. 12. Mala ergo quærebant, qui Chriſtum perdere nitebantur; & ecce ipſi perditi ſunt, & deſtructi. Chriſti ergo paſſiones ſequatis, ſi illum benè quærere vis, Pſalm. 141. num. 5.

Et qui inquirebant mala mihi, locuti ſunt vanitates, & dolos tota die meditabantur. Quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit: ſi dimittimus eum ſic; venient Romani, & tollent locum noſtrum, & gentem, Ioan. cap. 11. num. 48. Et dolos meditabantur, vt illum occiderent, Matth. cap. 26. num. 4. quærebant Ieſum capere in ſermone, loquentes vana. Magiſter ſcimus, quia verax es, & viam Dei in veritate doces, licet ne cenſum dare Cæſari? Matth. cap. 22. num. 16. & 17. quid me tentatis hypocritæ? reddite, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, quæ ſunt Dei, Deo. Locuti ſunt vanitates, peruerſitates; nàm volebant accuſare illum, quòd cenſum Cæſari dare prohibuiſſet, Luc. cap. 23. & falſum erat illorum teſtimonium, pacificè loquebantur, loquentes dolos cogitabant, Pſalm. 34. num. 20. gladium poſteà euaginauerunt, vt poſteà deciperent pauperem, ſupradicto Pſalm. 36. ſed quare contrà innocentem mala inquirebant? vt interficerent Ieſum; ipſemet Ieſus cauſam adducit, Ioan. 8. numer. 37. quia ſermonem Ieſus non capiebant, quia ex Patre Diabolo illi ſunt, & veritas non eſt in eo, nec in illis, qui mendacia loquuntur, num. 44. Auguſtin. hìc. Quia peccata quærebant in eo, qui peccata non habebat, Iſai. d. cap. 53. num. 12. 1. Petr. 2. nu. 22. 1. Ioan. 3. nu. 5. Ioan. d. cap. 8. nu. 45. reſtabat, vt fingerent quod non inueniebant. Locuti ergo ſunt vanitates, &c.

Et dolos tota die meditabantur. Nàm quanta contrà Ieſum falſa tulerint teſtimonia, notum eſt, immo, & poſt mortem, prout ibi: Dicite, quia vobis dormientibus venerunt Diſcipuli eius, & tulerunt illum. Si enim, inquit Auguſtin. dormiebant, quomodò ſciebant? & in alio loco, teſtes dormientes adhibetis? defecerunt ſcrutantes ſcrutinio; poſuiſtis mendacium ſpem veſtram, & mendacio protecti eſtis? ſed ecce quia Dominus miſit in fundamentum lapidem probatum, angularem factum, in fundamento fundatum, & ponam in pondere iudicium, & iuſtitiam in menſura, & turbabit grando ſpem mendacij, Iſai. 28. num. 16. Oculi impiorum deficient, & refugium peribit ab eis, & ſpes illorum abominatio animæ, Iob 11. num. 20.

Ego autem tamquam ſurdus non audiebam, & ſicut mutus non aperiens os ſuum. Quomodò non audiebat, ſi ſemper illos redarguebat, & increpabat? Feciſtis domum Dei ſpeluncam latronum, & eijciebat ementes, & vendentes, Ioan. 2. num. 14. Erat enim docens eos, ſicut poteſtatem habens, & non ſicut Scribæ eorum, & Phariſæi, Matth. 7. nu. 29. Genimina viperarum, quis oſtendit vobis fugere à ventura ira? Luc. 3. num. 7. Matth. 3. num. 7. Væ vobis Scribæ, & Phariſæi, Matth. 23. num. 13. cum ſequen. Increpabat, & redarguebat, vt doceret; non loquebatur in paſſione, vt ſanaret in redemptione; vt propterea paſſio ſua non impediretur à Diabolo. Agnus quando paſſus eſt nihil horum dixit, non quia non habebat quod diceret, ſed expectabat, vt implerentur illa

omnia, & implerentur omnes Prophetiæ de illo, quod dictum erat, & sicut ouis coram tondente se, sine voce, non aperuit os suum, Isai. d. cap. 53. nu. 7. Oportebat ergo, vt taceret in passione, non taciturus in iudicio. Iudicandus venerat; qui posteà iudicaturus veniret, & ideò cum magna potestate iudicaturus, quia cum magna humilitate iudicaturus, hæc Augustin. Et aliam rationem reddit ipsemet Iesus in Psalm. 38. nu. 10. Obmutui, inquit, & non aperui os meum, quoniam tu fecisti; à fortitudine manus tuæ ego defeci in increpationibus, propter iniquitatem corripuisti hominem, num. 11. Nàm ipse vulneratus est propter iniquitates nostras, & attritus est propter scelera nostra; & posuit Dominus in eo iniquitates omnium nostrum, Isai. d. cap. 53. num. 6.

Et aliam ponit rationem Psalm. noster in sequenti versiculo dicens; Factus sum sicut homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones, quia in te speraui, & tu exaudies me Deus meus: Docet enim nos homines, ne contrà verbosos contendamus; vndè Iob 39. nu. 7. Contemnit multitudinem Ciuitatis, & clamorem exactoris non audit, & Prouerb. 22. num. 24. Noli esse amicus homini iracundo, & Ecclesi. 8. nu. 19. cum iracundo non facies rixam. Factus sum velut homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones; patientiam habens vsque ad inspectionem meam; nàm væ illis, qui perdiderunt sustinentiam, & qui dereliquerunt vias rectas, & in vias prauas diuerterunt; & quid facient, cum inspicere cœperit Deus? Ecclesi. 2. num. 16. potenter cruciabuntur, quia omnipotentem iniustè occiderunt, Ezechiel. 20. nu. 31. Effundam super te indignationem meam: in igne furoris mei sufflabo in te, daboq. te in manibus hominum insipientium, & fabricantium interitum, ignis erit cibus, sanguis tuus erit in medio terræ; ipse enim recordabitur iniquitatis ad capiendum, num. 23. ibidem. Tacui, & non sum loquutus, quia mundare te volui; & non es mundatus à sordibus tuis, Ezechiel. 24. nu. 13. quia immunditia tua est terribilis. Et sicut mutus non aperiens os suum, Ambros. Bonus mutus, qui malè loqui nescit, eius ex ore crimen exire non nouit.

Quoniam in te speraui, tu exaudies me Domine Deus meus. Docemur quid faciendum, quando tribulamur: Custodiamus innocentiam nostram intus, vbi nemo opprimet causam nostram; apud Deum Iudicem non valet falsitas, quæ apud homines vanos præualuit: Fugiamus malam causam, & nullum accusatorem pertimescemus, & vt sperantes in Deo, securè dicere poterimus, & exaudiet me. Spera in Deo, & fac bonitatem, & pasceris in diuitijs eius, Psalm. 36. nu. 3. & in Deo sperauit cor meum, & adiutus sum, Psalm. 27. num. 7.

Tacui etiam tamquam mutus, quia dixi: ne quando supergaudeant mihi inimici mei, dum commouentur pedes mei. Quid per pedes eius nisi humilitas? Et factus, inquit, vt homo, quasi oblitus diuinitatis meæ: & vt homo aliquando ad passionem appropinquans dixi: spiritus promptus est, caro verò infirma. Aliquando etiam rogaui Patrem, si possibile esset, transiret passionis calix à me; & iterum in agonia positus, fluens sanguis meus decurrebat in terram, & Angelus Dei confortans me descendit de Cælo; dixerat etiam Deus Pater loquens de passione mea, Isai. d. cap. 53. nu. 10. Si posuerit pro peccato animam suam, voluntas Dei in manu eius dirigetur: Timui quia caro; tacui, quia in Deo speraui, non commoui pedes meos, idcircò, vt passionem effugerem, & gauderent inimici mei; quia magna contrà me locuti fuissent; affixi in

Cruce

Cruce erant pedes mei; descendat de Cruce, dicebant illi, nec commoti sunt pedes: vt opus, ad quod veni, consummaretur. Non sunt commoti pedes mei, quoniam ad flagella paratus extiti: non effugi manus inimicorum; etsi in gladio percusserit Petrus, quia voluntatem tuam Deus meus volui; & ideò dolor meus in conspectu meo est semper.

Propterea etiam dixi: Ne quando supergaudeant mihi inimici mei, quoniam ego in flagella paratus sum; Possent hæc pariter accipi, vt à Christo dicta de Discipulis suis, ac si dicat, Discipuli mei, & fideles ipsi cruciabuntur, affligentur q. & illos interficient inimici mei: non tamen idcircò supergaudeant: quia ipsos perdiderunt: & super me magna loquuti sunt, Matth. 27. n. 63. Flagellabuntur fideles mei; sed pedes illorum non commouebuntur: immo contemptores illi videbunt, & admirabuntur, & disperdentur, Habac. 1. num. 5. Act. 13. num. 41. Quod prædicauerunt Apostoli, remissionem scilicet peccatorum, non est ex hominibus, sed ex Deo, quod à vobis dissolui non poterit, Act. 5. nu. 39. flagellabuntur à vobis, persecutionem patientur, sed pedes eorum non commouebitis, firmi erunt, & consistentes; Cæditis Apostolos, ne in nomine Iesu loquerentur, prohibuistis: illi autem gaudentes erant in conspectu Concilij, quoniam digni sunt habiti pro nomine Iesu contumeliam pati, dicto cap. 5. nu. 41. rogauerat enim pro illis Iesus, quos dedit illi Pater, Ioan. 17. nu 9. & illos custodiuit Iesus, & nemo ex illis perijt, nisi filius perditionis, ibidem numer. 12. statuit enim super petram pedes eorum, & direxit gressus eorum, Psalm. 39. n. 3. nec dedit in commotionem pedes eorum, Psalm. 65. numer. 9. sed conculcabit Ciuitatem sublimem pes; pedes pauperum, gressus egenorum, Isai. cap. 26. num. 6.

Quoniam ego flagella paratus sum, & dolor meus in conspectu meo semper; ideò in flagella paratus, quia filius tuus sum, Prouerb. 3. num. 11. Disciplinam Domini, fili mi, ne abijcias, ne deficias cum ab eo corriperis: quem enim diligit Deus, corripit, & quasi Pater in filio complacet sibi. In flagella ideò paratus fuit Iesus, vt, proposito sibi gaudio, sustineret Crucem, confusione contempta, ad Hebr. 12. num. 2. & sequen.

Sed quomodò dolor tuus in conspectu tuo semper; adhuc non est vulnus illatum, & tu doles? in flagella paratus, non dicit flagellatus, donec flagelletur; Quasi flagella, inquit, merear, doleo causam, non flagella: doleo de iustitiæ amissione, non de corporis vulnere, ideò dolor meus in conspectu meo semper, quia peccatum meum contrà me est semper: & ideò subiungit. Quoniam iniquitatem meam annunciabo, & cogitabo pro peccato meo. Non ergo doleo de flagello, non de vulnere, non de medicina, quia flagellum est medicamentum contrà peccatum, sed de peccato, de causa, propterea quod Dei sit offensa, non ergo plangendum si moriatur filius; sed si deficiat ex hac vita peccando. Augustin. Tunc erit plangendus, tunc dolendus, quando disciplinam non fecit, nec illam audiuit, tunc peius mortuus, quàm moriendo luxuriam finiens. hæc Augustin. Plangit ergo, & dolet, quoniam disciplinam suscepit, quoniam iniquitatem suam cognoscit, & illam confitendo, annunciabo, inquit, Sacerdoti, & cogitabo pro peccato meo: quia etsi peccatum confessus fuerim, non sum securus, ni semper paratus sim, & ad confitendum, & ad peccatum non committendum: sic pronunci anda iniquitas, vt

curam geras ne peccatum admittas amplius; facit Ecclef. cap.3. numer.4. quî diligit Deum, exorabit pro peccatis, & continebit se ab illis, & ex oratione dierum exaudietur. Vulnus ex illo susceptum ità cures, vt non putrescat, & corrumpatur cicatrix: & insanabilis fiat. Currant lachrymæ, & non cesset manus: fiant eleemosynæ, per quas, & peccata redimuntur; gaudeat egenus de dato tuo, vt, & tu gaudeas de dato Dei: eget ille, eges & tu: eget ille ad te, eges & tu ad Deum. Tu contemnis egentem tui, Deus non te contemnet egentem sui? Ergo, inquit Augustin. Impleto tu egentis inopiam, vt impleat Deus interiora tua: hoc est cogitare, & curam agere pro peccato. Paratum ergo est cor meum, paratum cor meum accipere disciplinam, & non sum turbatus, Psalm. cit. num.60. vt custodiam mandata tua. Funes peccatorum circumplexi sunt me, & legem tuam non sum oblitus. Flageller tota die, & castigatio mea in matutinis, Psalm.72. nu.14. Quæ præcepisti Domine cogito semper, Eccles.3.num.22. Quoniam iniquitatem meam annunciabo. Ergo de iniquitate iàm commissa loquitur, vt illam corrigat, ideò Psalm. cit. Cogitaui vias meas: & conuerti pedes meos. Bernard. in lib. de Conuer. Non enim, inquit, vbi ferrum extraxeris, continuò vulnus est redditum sanitati; sed tunc primo necesse est adhibere fomenta, & operam dare curationi: non ergo sola confessio, per quam ferrum extrahitur vulnerans, sufficiens est, nisi medicina sanans adhibeatur: ideò Psalm.76.num.6. Cogitaui dies antiquos, & meditatus sum nocte cum corde meo, & exercitabar in mandatis tuis. Quid sit agere pœnitentiam, declarat Lactan. asserens nihil aliud esse, quàm profiteri, & affirmare, se vlterius non peccaturum: & Bernard. claude fenestras, ait, morti, & obsera aditus, foramina obstrue diligenter; & sic domum non subeuntibus nouis, sordes poteris expurgare vetustas; hæc Bernard. & Gregor. in Pastor. Qui admissa plangit, nec tamen deserit, culpæ grauiori se subijcit; & quasi in lutosa aqua semetipsum voluit; quia dum fletibus suis vitæ immunditiam subtrahit, ante Dei oculos sordidas etiam lachrymas ipsas facit. Currant ergo lachrymæ de præteritis, non cesset manus pro commissis: sit firma intentio in futurum de abstinendo ab illis.

Inimici autem mei viuunt, & confirmati sunt super me: & multiplicati sunt, qui oderunt me iniquè. Apud se enim non rectè cogitantes dixerunt. Venite fruamur bonis, quæ sunt, & vtamur creatura celeriter, vino precioso, & vnguentis nos repleamus, & non prætereat nos flos temporis, Sapien. cap.2. num.6. & 21. nec cogitauerunt, & errauerunt; excæcauit enim illos malitia eorum, & nescierunt sacramenta Dei, neque mercedem sperauerunt iustitiæ, nec iudicauerunt honorem animarum sanctarum. Circumueniamus ergo iustum, quoniam inutilis est nobis, & contrarius operibus nostris, & improperat nobis peccata legis, grauis est nobis ad videndum eum, quoniam dissimilis est alijs vita eius, gloriatur, se Patrem Deum habere, Ioan. cap.14. num.16. & cap.12. numer.19. morte turpissima condemnemus eum, Qui retribuunt mala pro bonis, detrahebant mihi, quoniam sequebar bonitatem. Fecerat enim Iesus multa signa coram eis, Ioan. cap.12. numer.37. neque crediderunt in eum; immo dicebant Pilato, si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum, vt Iesus interficeretur, Ioan. cap. 18. numer. 30. Crucifige, crucifige, Ioan. cap. 19. numer. 6. Gloss. Illi soli viuunt mundo, qui in eo

pro-

prosperantur, qui verò tribulantur tota die, ij sunt quasi mortui mundo. hinc Psalm. 43. numer. 22. Propter te mortificamur tota die: immo ij nec viuunt in hoc mundo, quia vita illorum mors est, nàm in malignitate illorum consummabuntur, Sap. cap. 5. num. 13. & 14. quia Diabolum auctorem mortis in mundo imitantur, quia sunt ex parte illius, Sap. d. cap. 2. num. 24.

Et confirmati sunt super me, idest validiores facti sunt contrà Iesum, surrexit omnis multitudo eorum, & duxerunt illum ad Pilatum, & Principes Sacerdotum, & Scribæ constantes stabant accusantes eum: & exclamauit simul vniuersa turba. Ecce quia multiplicati sunt super Iesum: Tolle hunc, Luc. 23. num. 10. 18. & 23. illi instabant vocibus magnis postulantes, vt crucifigeretur. Et confirmati sunt super me, quia, etsi impij, viuunt tamen, subleuati sunt, & diuitijs confortati sunt, Iob dicto cap. 21. num. 7. veruntamen quia in manu eorum non sunt bona sua; consilium impiorum longè sit à me; lucerna, idest prosperitas eius extinguitur, & superueniet ei innundatio, & dolores diuidet furoris sui, Iob dicto cap. 21. num. 16. 17. & 18. & erunt sicut paleæ ante faciem venti, & de furore omnipotentis habet: gloria eius stercus, & vermis est: hodiè extollitur, & cras non inuenietur, quia conuersus est in terram, & cogitatio eius perijt, 1. Machab. 2. num. 62. & sequen. Nomen habent, quòd viuant, & mortui sunt, Apocalyps. cap. 3. nu. 1. Etsi diù viuant, non viuunt, sed in vita morati sunt, Senec. Epist. 5. vel cum sic vixisse dicantur quomodò arbores, & Marc. cap. 8. Video homines quasi arbores, vt igni tradantur, nàm qui in delicijs viuunt, mortui sunt, 1. Timoth. 5. num. 5.

Qui retribuunt mala pro bonis, detrahebant mihi; quoniam sequebar bonitatem; Ideò non recessit malum de domo illorum, quia reddiderunt malum pro bono, Prouerb. 17. num. 13. Pro eò, vt me diligerent, detrahebant mihi, Psalm. cit. ego autem orabam, num. 4. Abominatio hominum detractor: vndè dicit, & cum detractoribus non commiscearis: quoniam repentè consurget perditio eorum, Prouerb. cap. 24. num. 9. & 22. Posuerunt in Cælum os suum, idest contrà Cælum, & contrà Sanctos blasphemando, & contrà iustos in terra: & lingua eorum transiuit in terra, inquit, Psalm. 27. num. 9. In memoria autem æterna erit iustus, & ab auditione mala non timebit, Psalm. 111. nu. 7. & 8. Confirmatum est cor eius: non commouebitur donec despiciat inimicos suos.

Contrarium dixerunt Iesum esse operibus illorum, Gregor. Moral. 13. cap. 1. dicit. Proprium peruersorum hoc esse solet, quòd suam malitiam per conuicium bonis ingerant, priusquam ipsi de ijs veraciter accusentur, & dum metuunt increpari de ijs, quæ faciunt, aduersantes suis prauitatibus iustos hæc facere testantur. Vndè Hieronym. ad Eustochium. Sanctos carpere solita est lingua maledicta in solatium delinquendi, hinc Isai. cap. 57. num. 20. Cor impij quasi mare feruens.

Quoniam sequebar bonitatem; Redimendo scilicet eos, quos creaui, & mortui erant, illis extrà viam existentibus, vt in viam vitæ redirent docendo, sed quam sequebatur bonitatem, Psalm. 118. num. 65. quam Deus scilicet fecit cum seruo suo, homini scilicet Christo, qui mandatis suis credidit; ideò bonitatem, & disciplinam, & scientiam illum docuit; hanc, & prædicauit nobis, in illum credentibus, qui est veritas, & vita, vt illius sequamur vestigia,

tollentes Crucem nostram, & illum sequentes, Matth. 10. num. 38. & cap. 16. num. 24. aliàs autem non esset me dignus, dicit Iesus. Vt Regnum Dei peteremus, nos admonuit, Matth. 6. num. 33. & iustitiam eius. Hæc est enim vera sapientia, vt qui vult sapiens esse, audiat Dei vocem, discat iustitiam, & contrarium suæ natiuitatis norit: humana contemnat, diuina suscipiat, vt suum bonum ad quod natus est, posset adipisci. Lactan. lib. 3. cap. vltimo. Augustin. verò contrà Academic. lib. 1. cap. 3. Sapientia, inquit, mihi videtur esse rerum humanarum, diuinarumquè, quæ ad beatam vitam pertinent; & Bernard. Epistol. 109. Scientiam, non lectio docet, sed vnctio; non litera, sed spiritus; non eruditio, sed exercitatio in mandatis Domini; initium enim sapientiæ timor Domini, Prouerb. cap. 1. num. 7. & cap. 2. nu. 5. Tunc intelliges sermonem Domini, & scientiam Dei inuenies; si quæ superius, idem dixit, feceris, susceperis scilicet sermones Domini, & mandata eius penes te absconderis: & Augustin. lib. Meditat. cap. 5. absolutè sapere, est dispicere; te verè nosse, est perfectè scire: Non ergo mundanam sequamur sapientiam, quæ huic Diuinæ contraria est; nàm, vt dicit Paul. ad Roman. cap. 1. nu. 1. & 21. inexcusabiles tales sunt, quia euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est cor insipiens eorum, dicentes, se esse sapientes, stulti facti sunt, & num. 24. propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum in immunditiam: vt contumelijs afficiant corpora sua in semetipsis: & tradidit illos in passionem ignominiæ.

Ideò inimici Dei, quia præcepta eius, operibus eorum contraria; quæ terrena erant, & caduca, Matth. dicto cap. 23. num. 13. Væ vobis Scribæ, & Pharisæi hypocritæ: quia clauditis Regnum Cælorum ante homines; vos autem non intratis, nec introeuntes sinitis intrare.

Ne derelinquas me Domine Deus: ne discesseris à me: Quia mors mea erit, si tu, qui Vita es, Via, & Veritas separaueris te à me, Ioan. cap. 14. Væ eis cum recesserit Dominus ab eis, Ose. 9. num. 12. & Ierem. 6. num. 8. Erudire Ierusalem, ne fortè recedat anima mea à te, ne fortè ponam te desertam terram inhabitabilem; Et obserua peccator pœnitens, quia Deus tecum est: nàm si rogas, vt à te non discedat, neque te derelinquat, ergo adhuc erat tecum Dominus Iesus. Qui adhuc mecum es ne elongaueris à me: in auxilium meum respice, intende in adiutorium meum Domine Deus salutis meæ. Domine Iesu aperi aures, & oculos cordis mei, vt audiam, & intelligam, & faciam voluntatem tuam. Timorem tuum da in cor meum, Ierem. cap. 32. num. 39. vt timeam te vniuersis diebus meis. Intende in adiutorium meum, festina; adiutor meus, & tibi psallam. In gratiarum actionem.

Qui retribuunt mala pro bonis: Iudæi scilicet, quos Deus ità magnificauit, ità dilexit, vt eos tot beneficijs affecerit, quot lego in sacris Psalmis, & tota Scriptura sancta; suscitans illis Prophetam, quem Iesum dicimus, Doctorem, ac Saluatorem ipsorum, seipsum audissent, Deuteron. 18. num. 15. quem illi, vt redderent mala pro bonis, occiderunt: de quo hìc Psalm. Dauidis loquitur: detrahentes illi, & vini potatorem clamantes ea patrantes, propter inuidiam: quoniam is propriam bonitatem sequebatur, benefaciendo illis, quibus & seipsum ità communicauit, vt effusus, & prodigus dicatur à Guerrino in Serm. 1. in princ. ità dicente, ò Deum, si fas est dicere, prodigum sui pro desiderio hominis, an non prodigum, qui non solum sua, sed seipsum impendit, vt hominem recu-

recuperaret, non tàm sibi, quàm homini ipsi, multum quidem effusus fui, prodigus ille filius, qui tàm Patrimonium, quàm seipsum donauit meretricibus, sed multò effusior Pater in recuperationem filij perditi, quàm ille in perditione sui, si tamen vlla debet esse comparatio, gratiæ, & pecuniæ, spiritus, & carnis, Dei, & hominis, ego verò sequebar bonitatem: Vndè in his omnibus quantò mirabilior Dei gratia prædicatur, tantò damnabilior hominis duritia conuincitur, si gratiam, vel oblatam recuset, vel acceptam non seruet.

Ne derelinquas me Domine Deus meus: ne discesseris à me: Non enim derelinquis quærentes te, Psalm. 9. num. 11. Intende in adiutorium meum Domine; quia pugna magna præparata est aduersus me.

SOLILOQVIVM.

O DOMINE. Tu solus Deus salutis meæ: propterea miserere mei, & ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me; quia peccatorem me confiteor, ideò misericordiam tuam imploro; ne in furore, sed in patientia tua suscipias me, & redarguas me; nàm sagittæ tuæ, verba scilicet tua in corde meo sunt fixa: ideò conuertar sperans in te, si tu Domine conuersus viuificaueris me.

Non est sanitas in carne mea: quia etsi adhuc ira tua longè sit à me; à facie tamen iræ tuæ in die illa tremenda ità timeo, vt non sit pax ossibus meis; quia sicut onus graue, grauatæ sunt iniquitates meæ, & supergressæ sunt caput meũ. Cicatrices meæ, quas non curaui, putrefactæ sunt à facie insipientiæ meæ; quia vt ab illis abstinerem, non proposui, & ideò miser, & curuatus factus sum vsque in finem. Propitius esto mihi peccatori: qui semper incedo tristis, nec ad Cælum oculos ausus sum leuare. Lumbi mei ità illusionibus pleni sunt: vt cum Doctore gentium audeam, & ego gemens, & in corde meo rugiens exclamare: Miser ego, quare me Domine non liberas de corpore mortis huius: cum omne desiderium, & gemitus meus sit ante te: Virtus mea, & oculorum lumen non est mecum, dereliquerunt me: Ideò conturbatum est cor meum, quia peccaui tibi Iesu filij Dei viui, qui saluasti, & redemisti me. Etiam amici tui, & proximi tui steterunt aduersum te: qui verò iuxtà te erant, de longè steterunt, & vim faciebant tibi, qui animam tuam quærebant. Miserere etiam mihi, quia amici mei, & proximi mei; lumbi mei, & tentationes carnis aduersum me semper militant, quærentes corporis mei perditionem, vim faciunt, vt longè sim à te. Et sicuti dolos tibi meditabantur, qui mala tibi inquirebant, loquentes vanitates, & dolos tota die meditantes: ità Domine cogitationes meæ pessimæ, & desideria carnalia vim faciunt, vt in illorum malam exequutionem pertranseam, vt perderent me. Tu Domine, qui vniuersorum es Deus, tamquam surdus in Pasione tua non audiebas, & os tuum, vt me redimeres, non aperuisti. Ego verò miser, & in malis curuatus; socium mihi dedisti corpus istud, scissuris plenum, quod semper est aduersus spiritum. In te sperans clamo, exaudi me: quia etiam tu Domine Deus meus à Patre tuo exauditus fuisti, vt redimeres me. Non supergaudeant mihi inimici mei: ne in tentationibus commoueantur pedes mei, sensus mei, voluptates & carnalia proponẽtes, quæ sunt mala, quià in te speraui: Non fugio disciplinam: quia potius in flagella paratus sum;

&

& dolor de peccatis in conspectu meo est semper; cum iniquitatem meam ego cognoscam, & contritus cogitans confitear, quia peccaui in te. Viuunt tamen inimici mei confirmati, & multiplicantes tentationes, & illusiones. Corpus meum castigo, & in seruitutem redigo: & ecce mala pro bonis detrahit mihi, quasi debile fiat, & patiatur: Ego verò bonitatem sequens, te Deum scilicet, qui totus bonus es, rogo te, ne derelinquas me, nec discedas à me: intende in adiutorium meum; quia & Pater tuus intendit in te, qui te à mortuis suscitauit tertia die; & nunc ad dexteram illius stas; vt iterum venias iudicare me: Intende etiam tu Domine in adiutorium meum Deus salutis meæ, qui, & Augustinum à morte liberasti peccatorum: lumen Ecclesiæ tuæ illum dedisti: illumina etiam me, vt videam te, qui es lux vera, & sequens misericordia tua fiat super me; & nec in furore tuo, neque in ira tua corripias me: Adiuua Domine Iesu me peccatorem, sed pœnitentem, & saluum me fac per merita Gloriosissimæ Matris tuæ Virginis Mariæ, & Sancti Augustini Doctoris intercessione, cuius festum hodie colimus, & Doctorem etiam in Psalmorum expositione sequor, licet ignarus, & indignus; qui per os meum assumam testamentum tuum, & laudes tuas. Iesu fili Dauid miserere mei, quia anima mea, & corpus meum malè à Dæmone vexantur. Veni Domine; dic tantum verbum, & sanabuntur, Fiat Domine. Amen.

IN PSALMVM XXXVIII.

Dixi custodiam vias meas: vt non delinquam in lingua mea.



ITVLVS huius Psalmi: In finem, pro Idithun, Canticum Dauid. Continuatur ad præcedentem: vbi de pœnitentibus, & afflictis. Nunc docemur, quomodò pœnitentes, patientes debeant esse; & vt tales sint quid agere debeant, nempè, vt prius antequàm proferant verbum, cogitent, vt non delinquant in lingua, & vt tertio moderatè loquantur. Tria ergo desiderat in Pœnitente; Verbum mentis; ibi: Dixi custodiam, &c. Verbum oris: ibi: Vt non delinquam in lingua mea: tertium moderamen: ibi: posui ori meo custodiam.

Hæc ad expositionem huius tituli declarandam multum luminis afferunt, vt Idithun dicamus esse nomen vnius ex tribus Principibus super Cantum; erant enim 280. Cantores Dauidis, quibus tres præerant Principes, idest superiores, & magistri.

Idithun, transiliens eos, interpretatur: Idithun ergo, tu qui Dei laudes cantare vis transiliens eos sis, qui adhuc ima seù vana cogitant, & vt scias, quæ facienda tibi sint, docet Psalm. vt prius in mente tua disponas, te non derelicturum vias Domini, nec mendacium in lingua tua habitaturum; vlterius, vt ori tuo custodiam ponas moderatè loquendo; tùm transiliens eos in Christi laudem Canticum Dauidis per os tuum assumas, vt & tu efficiaris Idithun cum Principibus laudantibus Deum.

In finem ergo, idest in Christum: pro Idithun cantandum Canticum Dauid ab eo, ità vt eos transiliat in Cantu, & deuotione. Augustin. Quos transiliuit

iste,

iste, nisi remanentes? per Idithun ergò Canticum Domini cantandum, quia tunc erit nobis sicut vox sanctificatæ solemnitatis, & lætitiæ cordis, sicut qui pergit cum tibia, vt intret in montem Domini ad fortem Israel, Isai.30.nu.29.

An verò qui transilientes Canticum paulò ante cantauimus, & nos simus transilientes, viderit Deus, cui cantauimus: gaudeat tamen quod cantauit, si transiliens cantauerit. Et si quis terræ adhuc inhærens cantauerit, optet esse, quod cantauit Transiliens, idest ascendens, & non descendens, sunt quippe cantici graduum; qui sunt ascendentium, & non descendentium, Anabathmi græca lingua appellentur: Quomodò ergo ibi ascendens quidam cantat, sic & iste transiliens: hìc Augustin.

Summa hæc est: laudes Dei pura mente, & ore esse decantandas: & quæ ad profectum animarum sunt thesaurizanda in sæculo.

Incipit ergo Psalmus: Dixi custodiam vias meas: vt non deliriquam in lingua mea. Dixi, inquis, & cui dixisti? & vbi dixisti? & quando dixisti? Dixi in corde meo, firma mente proposui, vias Domini custodire, quia hæ sunt viæ meæ, viæ Domini, Ioan.14.n.4 & 6. Matth.28.num.20. Et cui dixit nisi Domino, qui est scrutator cordium? Psalm.7.num.10. Ierem.17.num.10. Dixit iste internè transiliens pedibus scalis, & pennis; pedibus non corporalibus, sed cordis interno. Psalm.35.num.12. Non veniat mihi pes superbiæ. Scalis non corporalibus, sed in somnis, vt vidit illas Iacob, Genes.28.num.12. viditq. in somnis scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens Cælum; Angelosq. ascendentes, & descendentes per eam, & Dominum innixum scalæ, &c. Pennis etiam ascendit, de quibus Psalm.54.nu.7. Quis dabit mihi pennas sicut Columbæ, & volabo, & requiescam? hæc enim omnia tria sunt affectus bonæ voluntatis; his ambulat, ascendit, & volat. Custodiam vias meas inquit, & non delinquam in via mea, quia Canticum Dei transiliens canere volo. Et volabo, & requiescam, & ambulabo, pesq. meus erit in directo, vt scalam ascendam, quæ Cælum tangit; & ità transiliens erigam scalam meam, pennasq. meas exeram. Sed quando hæc dixisti? quando in bono erat cor meum, & ambulabam in vijs cordis mei, & tunc reuelaui Domino opera mea, & directæ sunt cogitationes meæ, Prouerb.16.nu.3. & 4. Cor enim disponit viam suam, sed Domini est dirigere gressus eius, vt ibi; Propterea dixi in corde meo, idest statui in corde meo cor boni optans consilij, quia mihi nil aliud illo pluris est, & deprecatus sum Altissimum, vt in veritate eius dirigat viam meam, Eccles.37.num.7.

Hæc verò statui, & dixi dum viuens essem, quia à morte quasi nihil, perit confessio, Eccles.17.num.26. & 27. Confiteberis viuens, viuus, & sanus confiteberis, Eccles.17.n.27. Viuens, viuens ipse confitebitur tibi, sicut & ego hodie, &c. Item dixi, quando instabat Dæmon tentationibus concupiscentiæ, ac superbiæ mundi, tunc dixi: In te Domine eripiar à tentatione, Psalm.17.nu.20. & in Deo meo transgrediar murum, superabo arces munitas Diaboli, quia tu Domine seruasti me, Apocal.4.num.10. ideò ante iudicium in corde meo dixi. Para iustitiam, & antequàm loquaris, disce, Eccles.18. num.19. vt non delinquam in lingua mea, custodiam vias meas, nàm iustus tenebit viam suam, & mundis manibus addet fortitudinem, Iob 17. numer.9. Ero firmus in via Domini, & in veritate sensus mei, & scientiæ, Eccles.cap.5.nu.12. Custodiam

me

me ab iniquitate mea, 2.Reg.22.num.2. Beatus homo, qui in lingua sua non est lapsus, Eccles.25.num.11. & ideò Paul. ad Coloss. cap.4. num.6. Sermo vester semper in gratia sale sit conditus. Bonas ergo vias ingressus erat Psalmista, quia statuit custodire illas; Erat iustus Dauid, & ideò sola illi erat bonorum operum custodia, & linguæ suæ coertio. Sed quid commune habet lingua, & loquela cum via? Potius dicendum erat, custodiam pedem meum, quia iàm domum Dei ingressus sum, id mihi, inquit, nunc est studij, vt dirigantur viæ meæ ad custodiendas iustificationes Domini, Psalm.118.n.5. Ad quod nil adiuuabit me magis, quàm cautela in loquendo, adeòq. ego dixi: Custodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea, ex qua vita, & mors oritur, Prouerb.18.n.21. In manu enim linguæ, vita, & mors; & qui custodit os suum, & linguam suam, dicitur custodire animam suam ab angustijs, Prouerb. 21. num.24. Vndè & Micheas cap.7.num.5. Custodi claustra oris tui, & Malach. cap.2.num.15. Custodite spiritum vestrum, & Eccles.37.num.17. & 21. Verbum nequam immutat cor, custodi cogitationes, & disciplinam labia tua conseruent, Prouerb.cap.5.num.2.

Ponam ergo custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labijs meis, Psalm.140.num.3. Gregor.7. Moral.cap. vltimo, & 3. par. Curæ Pastoralis illa verba ponderans, dicit; Qui ergo ori suo poni non obstaculum, sed ostium petijt, apertè docuit, quòd & per disciplinam retineri lingua debeat, & ex necessitate laxari, quatenus os discretum, & congruo tempore vox aperiat, & rursum congruo taciturnitas laudat, & Homil.11. in Ezechiel. Quasi, inquit, quoddam nutrimentum verbi est censura silentij, & rectè per excrescentem quoque gratiam, sermonem accipit, qui prius ordinatè per humilitatem tacet. Ad hæc faciunt, quæ in Eccles.c.28.n.28. & 29. Ori tuo facito ostia, & fores, & verbis tuis facito staterã, scilicet ad ea prius ponderanda quàm efferas. Quem locum citans Ambros.1. de Offic.c.1. & 3. ait, Lingua tua restringatur habenæ vinculis, frænos habeat suos, quibus reuocari possit. Ad mensuram proferat sermones: libra examinatos iustitiæ, vt sit grauitas in sensu, in sermone pondus, atque in verbis modus; Vndè prius dixerat, Eccles.d.cap.28.nu.29. Aurum tuum, & argentum tuum confla: vt scilicet, ea ratione ità proferas verbum tuum, eloquium tuum, sicut aurum, quod portis clausis custoditur; Vndè Chrysost. in Psal.50. Os nostrum perpetuò custodiamus, rationem ei tamquàm clauem adhibentes: alioquin ostium semper patens incursibus inimicorum facilè ab eis diripietur, & tota domus solo æquabitur: hinc Prouerb.4.num.23. & 24. Omni custodia serua cor tuum, quia ex ipso vita procedit, remoue à te os prauum, & detrahentia labia sint procul à te, Augustin. Custodi ergo vias tuas, ò Idithun, & noli delinquere in lingua tua; perpende, quod dicturus es, examina, consule interiorem veritatem, & sic profer ad exteriorem auditorem quæris ista plerunque in perturbatione rerum, in occupatione animorum, dum ipsa infirmitas animæ, quam aggrauat corpus, quod corrumpitur, & audire vult, & dicere: audire intus, dicere foris; aliquando perturbato studio dicendi, deficit intelligentia agnoscendi, & nobis forte dicit aliquid, quod non esset dicendum. Contrà hæc remedium optimum est silentium; stat enim peccator, propria quadam nota, peccator superbus quisquam, & inuidus, & audit loquentem transilientem, captat verba, proponit laqueos, difficile est, vt non inue-

inueniat aliquid, non ità dictum, vt dici debuisset; nec audiendo ignoscit, sed calumniatur inuidendo: Contrà hos iste Idithun transiliens eos silere delegerat: Vndè ità cantauit: Dixi custodiam vias meas, vt non delinquam in via mea, hic Augustin.

Claudamus ergo vias nostras;cohibentes linguas nostras,& illas refrenantes: obsepiamus sicut aurem spinis linguas nostras, Ambros.Serm.22. in Psal.118. n.10.c.28.n.28. Vtinam dicit Ambros. & linguam tuam obsepias, ne loquaris quæ sæculi sunt, nec audias quæ sæculi: magnum linguæ malum, Ephræm de linguæ malo, &c. Soror Moysis Maria aliàs Vates, & Prophetissa, Num.c.12. Propter maledicentiæ verbum lepra damnata fuit. Et ipse Moyses mare magnum, & horrendum illud præcludere non potuit? verbum tamen vnicum iniquè ab eo prolatum ad aquas contradictionis, velut murus aliquis ipsi obstitit, Augustin. de Conflictu vitiorum, & virtutum, Tom.9. per totum, & præcipuè cap.22. Dum multa bona proferri videntur, sæpè contigit, vt à bonis locutio inchoata ad aliquod prauum deriuetur, Prouerb. cap.10.num.19. In multiloquio peccatum non deerit. An forte, sequitur Augustin. inter innumera verba declinantur criminosa? sed nunquid declinari poterunt inutilia, atque otiosa,de quibus ratio in futurum erit reddenda. Tenendus est ergo modus in loquendo, & non nunquam vtilibus etiam verbis parcendum, Psal.38. Humiliatus sum, & silui à bonis. Quid ergo ait? neque immundi regnum Dei possidebunt, 1.Corinth.6.num.9. hæc Augustin.

In Vdo posita est lingua, ideò facilimè in lubricum labitur; quantò facilius illa, & citius mouetur; tantò tu aduersus illam fixus esto. Domabis, si vigilabis, si timebis, si Christianum te esse cogitaueris, Augustin. de verb. Apost. Serm.28.cap.11. Ideò dixi custodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea. Refertur à Socrate lib. 8. Histor. Tripartitæ cap.1. Pambum cum sine literis esset accessisse ad quemdam, vt doceretur Psalmum; qui cum audisset primum versum Psalmi 38. Dixi custodiam, &c. Secundum versum non passum audire, dicendo: Si potuero opere hoc implere: hic versus tantummodò mihi sufficiet. Multò post tempore reuersum Doctorem interrogasse eum,cur alteram lectionem non quæsiuisset, respondisse nec dum se priorem opere fecisse, quo ostendit, quàm difficile sit linguam cohibere.

Linguæ ergo malum fugiendum: scriptum est enim, Matth.cap.12.n.37. ex verbis enim tuis iustificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis: Custodi ergo vias tuas, obserua mandata, quæ te docuit Ecclesia sancta, & non delinques in via tua: iàm enim effusus est super nos spiritus de excelso: & factum est desertum in Charmel, & Charmel in saltum reputatum est; iàm habitat in ea, quæ erat solitudo gentilitatis iudicium,& iustitia Euangelica in Charmel sedet, nam ex Iudæis Apostolis scilicet,& ex alijs credentibus gentilibus facta est Ecclesia Dei vnica: iàm opus iustitiæ est pax, quia venit Christus, & Angeli gloriam in excelsis cantauerunt, & pacem hominibus bonæ voluntatis dixerunt, Cultus igitur iustitiæ sit silentium: vt in prosperis à iactatorijs verbis caueamus, & in aduersis à murmuratorijs, Isai.32.num.15. cum sequen. Non delinquamus in lingua nostra, & in sempiternum erit securitas nostra, vt ibi. Ori nostro custodiam ponamus, vt neminem offendamus. Habitemus in excelso: defecerunt enim, quia tunc præualuerunt contrà Iesum. Consummati sunt illusores,& qui

vigi-

vigilabant super iniquitatem, qui peccare faciebant in verbo Apostolos, tentantes illos, vt Christo renuntiantes illum negarent. Et Iesum illos redarguentem publicè supplantauerunt, declinantes frustrà à iusto, Isai. cap.29.num.21. & sequen. Iàm tunc nos spiritu errantes, nunc legem Euangelicam scientes custodiamus vias legis Euangelicæ, & nomen Iesu Christi sanctificemus. Consistens peccator aduersus nos confundatur, & erubescat.

Continentiæ frænum, & nos mittamus, vt Creatori consentiamus, quatenus per linguæ custodiam, operum quoque rectitudinem obtinere valeamus: similitudinem enim fræni ponit Apostolus Iacob. capit.3. numer. 2. Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir: potest etiam fræno circumducere totum corpus: si autem Equis fræna in ore mittimus ad consentiendum nobis,& omne corpus illorum circumferimus, &c. Ità, & lingua modicum quidem membrum est, & magna exaltat; ecce quantus ignis, quàm magnam siluam incendit,& lingua ignis est,vniuersitas iniquitatis: lingua constituitur in membris nostris, quæ maculat totum corpus, & inflammat rotam natiuitatis nostræ inflammata à gehenna. Omnis natura bestiarum domatur,&c.linguam autem nullus hominum domare potest: inquietum malum, plena mortifero veneno. In ipsa benedicimus Deum, & Patrem, & in illa maledicimus homines, ex ore procedit benedictio, & maledictio; Nunquid de eodem foramine fons emanat dulcem, & amaram aquam? Ponamus ergo ostium circumstantiæ labijs nostris cum moderaminis libratione, linguam ligemus; frænemus, non tamen indissolubiliter, ne aut laxata in vitium defluat,aut restricta etiam ab vtilitate torpescat, Gregor. 7. Moral. cap.7.

Linguæ frænatio qualis sit, docet Hieronym. Epist. ad Celantiam. Cum lingua ex sui initio semper prona sit ad mendacia, aut silentium imponitur, ne in displicentiam Dei prorumpere audeat, aut ad bonum exercitatur, vt diuinas laudes persoluat. Viginti autem, & duo peccata enumerat Sanctus Bonauent. in tomo 6. de diuinis præceptis, cap.7. quæ ibi videre poteris cum illorum similitudinibus. Frænum aliud linguæ ponit Gregor.5.Moral.cap.11. Boni, inquit, viri fræno consilij retinent præcipitationem verbi, & Eccles.20.n.5. est tacens, qui inuenitur sapiens, & est odibilis, qui procax est, & nu.8. Qui multis vtitur verbis, lædit animam suam: Vndè Prouerb.29.num.27. Verbum custodiens filius extrà perditionem est. Verba congregantis filij vomentis,Prouerb.30.num.1. Quis enim verbum custodiens nisi breuiloquus? quis verba congregans, & vomens, nisi multiloquus? quid ergo datur in his verbis intelligi? nisi quia breuiloquus erit extrà perditionem multiloqui? Sanct. Bonauent. in Psal.118.c.3. Legem pone mihi Domine, versic.10. art.3. Et ideò habemus Prouerb.10.num.19. In multiloquio non deerit peccatum: qui autem moderatur labia sua, prudentissimus est, & Matth.6.num.7. Orantes nolite multum loqui, sicut Ethnici, putant enim, quòd in multiloquio audiantur.

Custodi ergo vias tuas, gressus tuos, actiones tuas, & ne à mandatis legis discedas, & hoc est remedium, vt non delinquas in lingua tua. Quid enim tibi opus est captiuanda loqui, & dare aditum calumniantibus, dum consistit peccator aduersum te? Non sistit, inquit Augustin. ad me, sed insistit aduersum me: peccator carnalis homo est, quid ergo ei dicturus es de spiritualibus? Animalis enim est homo, ille non percipit, quæ sunt spiritus Dei, 1 Corinth.c.2.

num.14.

num.14. vndè dicitur Eccleſ. cap.25.num.13. Beatus qui enarrat iuſtitiàm auri audienti. Non audiebant Iudæi Chriſtum docentem, & prædicantem, ſed vt caperent eum in ſermone: aduerſus illum aſſiſtebant. Audiuimus eum dicentem: Soluite Templum iſtud, & in triduo reædificabo illud, Ioan.cap.2.nu.19. Matth. cap.26. nu.61. & cap.27. num. 40. loquebatur is de ſolutione corporis ſui, vt ibidem Ioan. illi verò eum deridentes; Vah dicebant, qui deſtruis Templum Domini, & in triduo illud reædificas. Et iterum; Licet ne cenſum dare Cæſari? &c. Circumferebant & circumſtabant, & velut ouem ad immolandum trahebant: ipſe verò ori ſuo cuſtodiam poſuit; nàm ſicut Agnus non aperuit os ſuum; etſi ad occiſionem duceretur, Iſai.cap.53.nu.7. oblatus eſt, quia voluit, & non aperuit os ſuum, ſicut ouis ad occiſionem ducetur; & quaſi Agnus coram tondēte ſe obmuteſcet, & non aperuit os ſuum. Humiliat te ſuperbus peccator, quia tu obmuteſcis illum tranſiliens, qui ſe idoneum putat, ad ea quæ non intelligit, neque ſpiritualia capit, itàvt cum ea dixeris te defeciſſe, non ſe nō cępiſſe putet, tunc exemplo Ieſu Chriſti, 1.Petr.c.2. Contrà iſtum peccatorem, contrà conſtantem ponas ori tuo cuſtodiam: ne loquendo pecces, vt non delinquas in lingua tua; Obmutui, inquit Pſalmiſta, & humiliatus ſum, & ſilui à bonis, quia præceptum Domini, quòd ſi non audierint ſermones veſtros, & non receperint vos, exeuntes foras de domo, vel Ciuitate: excutietis puluerem de pedibus veſtris, Matth.10.num.14. in teſtimonium illis, Marc.6.num.11. Luc. cap.9.nu.5. dicentes, quia verbum Domini repellitis, & indignos vos iudicatis vitæ æternæ: ecce nos conuertimur ad gentes, Act.13.num.46.

Dixit, cuſtodiam vias meas: ſed in quo cuſtodit vias ſuas? in cuſtodiendo ſermones Dei, Pſalm.118.nu.9. Perfice ergo Domine greſſus noſtros in ſemitis tuis, vt non moueantur veſtigia mea, vt nec delinquam in lingua mea, vt non loquatur os meum opera hominum, Pſal.15.nu.4. & 5. & ſemper ſimus firmi in via Domini, Eccleſ.cap.5.num.13. vt diuinæ efficiamur conſortes naturæ, 2.Petr. cap.1.

Silui à bonis, & dolor meus renouatus eſt: concaluit cor meum intra me; & in meditatione mea exardeſcet ignis; ſed ò Dauid; quod in præſenti eſt doloris, momentaneum eſt & leue tribulationis; at ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, 2.Corinth.cap.4.nu.17. Non contemplantibus nobis quæ videntur, ſed quæ non videntur, quæ enim videntur, ſunt temporalia; quæ autem non videntur, æterna ſunt. Quid ergo doles, ſi tu æternis fruiturus eris bonis? Non, inquit, propter me doleo, ſed propter peccatores, qui receſſerunt à via Domini: nàm qui foris eſt noſter homo, corrumpitur, tamen is, qui intus eſt, renouatur de dię in diem, idem Paul. vbi ſuprà n.14. & num.8. In omnibus tribulationem patimur, ſed non anguſtiamur, &c. Cuſtodias ergo legem, & conſilium, & tunc ambulabis fiducialiter in via tua, & pes tuus non impinget, Prouerb.cap.3.nu.32. & ne paueas irruentes in te potentias impiorum, num.25. Melior eſt enim patiens viro forti, Prouerb.c.16. nu.11. & qui dominatur animo ſuo, expugnatore Vrbium. Rationem Ambroſ. reddit in Serm.87. de Eliſæo, Grauiores, inquit, inimici ſunt praui mores, quàm hoſtes infeſti.

Obmutui, & humiliatus ſum. Quia in medio populi labia polluta habentis, ego habitans; ità humiliatus ſum ab eis, vt ſilens etiam à bonis, non amplius

ausus sim illos admonere. Væ autem mihi, quia tacui, Isai.c.6.nu5. tametsi peccator populus consisteret aduersum me. Idcircò dolor meus est renouatus, quia oculis meis vidi Dominum,& vaticinandum mihi fuerit ex Dei man dato, Populum pollutũ non auditurum, nec visurum, etsi & oculos haberet,& aures, ac propterea destruendas Ciuitates eorum, desolãdas absque habitatore, Isai. d.c.6. Dolui prius, quia spreuerunt me, quia lapidauerunt, quia flagellis ceciderunt me,& Cruci affixerunt, deriserunt me, tacui, silui,& quia illi perditi sũt, dolor meus renouatus est; ideò dixi, Pater mi ignosce illis, quia nesciũt, quid faciũt.

Augustin. hìc. Iste transiliens peccata metuebat, vt non loqueretur. Custodiam ori suo ponebat, & dum timuit ne peccaret, obsurduit,& humiliatus est, & siluit à bonis, dum nimis timet, ne loquatur aliqua mala, tacuit omnia bona: non humiliauit se, sed humiliatus est: quiddam ergo triste, & molestum passus est iste, & hac sua confessione id, quod passus est, cauendum admonet, non imitandum: timendo enim nimis, ne diceret aliqua non bona, statuit sibi nulla dicere, vel bona; & quando statuit tacere, cœpit non audire: stans enim si transiliens es, expecta à Deo audire quid dicat hominibus. Inter diuitem Deum, & inopem quærentem quid audias, intercurris tu transiliens, qui possis & hinc audire, & hìc dicere. Si eligis hìc non dicere, non mereberis hìc audire; Contemnis pauperem, contemneris à diuite: oblitus es te seruum esse, quem constituit Dominus super familiam suam dare conseruis cibaria? quid ergo quæris accipere, quod piger es erogare? meritò ergo quoniam quod acceperas dicere noluisti, impediris ne accipias, quod accipere cupiebas, hæc Augustin. aliquid volebas, aliquid habebas, da quod habes, vt merearis accipere, quod non habes; cœpit non dicere bona, cum timeret ne diceret aliqua mala; ideò quia siluit, renouatus est dolor suus, qui à calumniatoribus ipsi infixus fuerat, priusquam tacuerit. Et nihilominus cœpit plus dolere tacuisse, quæ dicere debuerat, quàm anteà doluisset dixisse, quæ dicere non deberet. Et in meditatione mea, inquit, exardescit ignis. Nàm cœpit cor suum esse inquietum, Psalm. 118.num.158. Vidi præuaricantes, & tabescebam, quia eloquia tua non custodierunt, non arguebam,& sic me tacentem zelus domus tuæ comedit me, Psalm.68.num.10.

Concaluit cor meum intra me: & in meditatione mea exardescet ignis; In hac animi mei fluctuatione: quia tacui tremens, & tabescens propter calumniatores, & reprehensores meos: silui à bonis, iterum cor meum, quia tacui, fuit inquietum; nàm ad ea, quæ dixit Dominus Matth. 25. Si dedisses pecuniam numularijs, & ego veniens cum vsuris exigerem: ligatis manibus, & pedibus projciatur in tenebras exteriores, quod Deus à nobis auertat, proijcitur seruus non euersor ad perdendum, sed piger ad exigendum, Augustin. Quid expectare debent, qui cum luxuria consumpserunt, si damnantur, quia cum pigritia seruauerunt. In hoc conflictu dicendi, & tacendi, &c. locutus sum in lingua mea non auditori, sed exauditori, à quo volo erudiri, à quo intus audio, si quod bonum, si quod verum audio, dicens: Notum fac mihi finem dierum meorum: finem qui mihi deest, non cursum, qui mihi adest. Iàm transiliens, inquit Idithun, fui, meliora quæro, quæ adhuc mihi transilienda restant, finem scilicet, qui mihi deest, finem, quem currens semper intuitus sum, Apost.ad Philipp.3.n.12. non quia acceperim inquiens, aut iàm perfectus sim:

sequor autem, si quomodò comprehendã, in quo & comprehensus sum à Christo Iesu. Fratres ego, ait, me non arbitror comprehendisse; docet tamen, vt apprehendas, dicens, nu. 13. Vnum autem, quæ quidem retrò sunt obliuiscens, ad ea verò quæ sunt priora extendens meipsum, ad destinatum persequor iter, ad brauium supernæ vocationis Dei in Christo Iesu. Iàm transiliens fui: ideò non amplius quæ retrò sunt, quæ iàm sum oblitus; sed in ea quæ ante sunt extentus: sic curro in via, vt oblitus præterita, nec in illis remanens veniam ad palmam supernæ vocationis Dei in Christo Iesu Domino nostro. Nec tàm securus sis, inquit Augustin. ex eis quæ transisti, quàm solicitus pro eis, ad quæ nondum peruenisti.

Quia dolor meus renouatus est; inquit Idithun; inquit Ecclesia; ideò concaluit cor meum intra me ex dolore illo, qui per taciturnitatem mihi euenit, quia proximo non fui adiutor. Inde calefactum est cor meum, & in meditatione mea exardescet ignis, ille ardens ignis Apostolorum, de quo Luc. 24. num. 32. nonnè cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via? &c. & ideò non amplius impiorum tormenta timens locutus sum in lingua; timor enim recessit à me, non amplius timeo eos, nec sermones illorum metuo. Etsi increduli, & subuersores sint mecum, & cum scorpionibus habitem: locutus sum lingua mea: in lingua Euangelica ad eos; si fortè audiant me, Ezechiel. 2. n. 6. & ab iniquitatibus suis recedant, locutus sum eis in lingua mea; annuncians eorum scelera, ne sanguinem eorum Dominus de manibus meis requirat, Ezech. cap. 3. num. 20. Non amplius tacui; non amplius silui à bonis. Ecce Domine mandata tua custodiui transiliens terrena, & errores eorum non considerans; Nunc Domine notum fac mihi finem meum, finem inquam Christum, redemptorem Iesum, qui omnium tribulationum est finis, in quo omnes in ipsum credentes perpetua pace gaudere debent, in Patris domo, vbi mansiones multæ sunt, Ioan. cap. 14. num. 2. in sæcula permanere; Desideraui numerum dierum, qui est; quia numerus istorum dierum non est; dixi quia istorum dierum numerus non est, quia transeunt, ipse verò qui est, semper est, Deus scilicet, qui manet in æternum, Exod. cap. 3. num. 14. Qui est, misit me.

Numerum annorum meorum quis est; quid desit mihi. Quis est numerus dierum meorum? numerum sine numero; quia numerus dierum, in quo nunc sto, non est numerus: torrens rerum fluit, Psalm. 109. in fine isti dies non sunt, ante abeunt penè quàm veniant, & cum venerint, stare non possunt: iungunt se, sequuntur se, & non se tenent; nihil de præterito reuocatur quod futurum est, transiturum expectatur: nondum habetur dum non venit; non tenetur dum venit: non ergo de numero dierum qui non est loquitur transiliens, Augustinus hic. Numerus ergo dierum meorum qui est, non istum qui non est, & quod me difficilius & periculosius perturbat, & est, & non est, nec esse possumus dicere quod non stat; nec non esse quod venit & transit; est illud simplex quæro, est verum quæro, est germanum quæro; est quod in illa Ierusalem Sponsa Domini mei, vbi non erit mors, non erit defectus, non erit dies transiens, sed manens; quia nec hesterno præceditur, nec crastino impellitur. Hunc inquam numerum dierum meorum quis est, notum fac mihi: vt sciam, quid desit mihi: Hoc enim mihi deest laboranti, & quandiù mihi deest, non me dico perfectum: Quandiù hoc non accipio, non dico quia acceperim, aut

iàm perfectus sim: sequor autem ad palmam supernæ vocationis Dei, hanc accipiam pro mercede cursus mei. Hæc Augustin. Quid est, vt sciam, quid desit mihi: iàm dixi, ideò humiliatus: quia tacui, & silui à bonis, & dolor renouatus est: iterum locutus sum, vt sciam quid nunc desit mihi, vt videam finem meum Iesum Christum: & numerum dierum quis est, illius æternitatis: non qui non est: cum & substantia mea tamquàm nihilum sit ante te. Domine quid desit mihi fac, vt sciam, vt bona æterna consequi valeam. Ità etiam, Apostoli tui à te quæsierunt, dicentes, Luc. 21. num. 7. Præceptor quando hæc erunt, & quod signum, cum fieri incipient; Non de diebus meis huius sæculi scientiam habere desidero: quia non sunt; nàm ecce mensurabiles posuisti dies meos secundum veterem hominem Adam, qui vsque nunc fuerunt; nunc nouum Adam, & quem vidit Abraham, & gauisus est, Ioan. cap. 8. nu. 56. videre cupio. Vel dicamus cum Augustin. Ecce veteres posuisti dies meos. Veterascunt enim hi, ego nouos volo, nouos nunquàm veterascentes: vt dicam, vetera transierunt, ecce facta sunt noua; nunc in spe, tunc in re, 2. Corinth. cap. 5. nu. 17. Abierunt prima, ideò cessent nunc mors, & damna, Apocal. 21. num. 4. noua facias omnia, & nunc oriantur, vt cognoscamus ea, Isai. cap. 43. num. 19. Recentiores interpretantur hunc versiculum: Notum fac mihi finem dierum meorum, non quod cupiat scire finem vitæ suæ, idest numerum dierum, & annorum quantus sit, & quantum ei temporis supersit: quod est curiositas vitiosa, & temeritas quædam: sed quod dicere voluit: notum fac mihi Domine finem meum, idest fac Domine per gratiam tuam, vt illustrentur oculi mentis meæ, & apertum cognoscam finem vitæ meæ, iàm prope adesse, & numerum dierum meorum, quis est, vt sciam quid desit mihi, idest, fac vt attenta cogitatione penetrem, quàm sit breuis numerus dierum meorum; vt sciam quàm paruum temporis mihi supersit. Hancq. esse veram expositionem sequentis versiculi docebunt; Nàm exauditus à Deo non refert præcisè numerum annorum, qui sibi supererant, sed varijs modis ostendere nititur, tempus humanæ vitæ esse breuissimum.

Verùm parum sapiens videretur Idhitun, qui transiliens interpretatur, si qualibet hora vigilandum ignoraret, quia ventus est vita nostra, & breues dies hominis sunt, Iob. cap. 14. nu. 1. & 5. propterea si iàm erat transiliens, ergo solam coronam iustitiæ expectabat, vt Paul. & idemmet Psalmista declarat inferius, dicens. Veruntamen in imagine pertransit homo: prætereà quæ nunc est expectatio mea, non ne Dominus, &c. Si ergo transiliens, ergo oculi eius iàm illustrati erant: breuem esse vitam sciebat; quid enim est vita hominis super terram, nisi militia? sicut enim seruus desiderat vmbram, & sicut mercenarius præstolatur finem operis sui: sic & ego habui menses vacuos, idest à quiete, & noctes laboriosas, &c. Notum ergo fac mihi Domine finem meum, per quem laboro, in quem spero, qui est lux mea, & vita mea. Et numerum dierum meorum quis est: idest quantum sit tribulatio, & angustia, quam patior duratura. Vt sciam quid adhuc desit, vt omnia sustineam, & in illis firmiter persistam; vt ad finem optatissimũ perueniam, vt Christum lucrifaciã. Ecce mensurabiles posuisti dies meos, vt pro mensura peccati sit & plagarũ modus, Deut. 25. nu. 2. Quousque irasceris super seruum tuum: cibabis me pane lachrymarum, & potum dabis in lachrymis, in mensura? Psalm. 29. nu. 5. & 6. Iàm mensu-

rabiles posuisti dies meos, quot erunt in afflictione: notum fac mihi finem illorum dierum, vt Ecclesia tua tranquilla deuotione lætetur. Mensurabiles, ait Dauid, dies mei, idest breues sunt, tu dixisti, expecta eum, quia citò veniet propè est; notum tamen fac mihi finem, quando venerit, vt sciam, quid desit mihi temporis vsque ad aduentum eius. Memento tamen Domine, quia dies, quos mensuratos dedisti mihi, breues sunt, ideò mitte quem missurus es, vt quiescam donec optata veniant, Iob. cap. 14. sicut mercenarij dies eius.

Quòd si claritatem tuam altiori mente suscipiam, quid est substantia mea, subsistentia mea, vita mea? sanè ante te nihilum est, pro nihilo illam ante te reputaui: Veruntamen vniuersa vanitas omnis homo viuens, Sap. c. 11. n. 23. Tamquàm momentum stateræ, sic est ante te orbis terrarum, & tamquàm gutta roris antelucani, quæ descendit in terram, & Isai. 40. n. 15. Ecce gentes quasi stilla situlæ, & quasi momentum stateræ reputatæ sunt, & ecce insulæ quasi puluis exiguus reputatæ sunt, Vndè S. Leo. Serm. 1. de Resurrect. Temporalia ista pro transactis habenda sunt, quoniam ex maiori sui parte iàm transacta sunt; siquidem præterita iàm fluxerunt, futurum nondum aduenit; quod autem præsens est, vnius puncti est momentum. Augustin. verò hic; Est ergo verè, & sine fine numerus dierum, sine numero: sed numerus, in quo tu es, non est numerus; plane si attendam benè, non est, si hæream, quasi est, si transiliam, non est; Est ergo aliquis numerus dierum? verè est, & sine fine est, in his autem diebus dicam aliquid esse: si teneo, de quo die interrogas me, vtrum sit, vt vel interroges me, tene vndè me interrogas: tene diem istum? si tenuisti esternum, tenes & hodiernum, sed externum inquis, non teneo; quia iàm non est; istum autem teneo; in quo sumet; & qui mecum est. Itàne excidit tibi, iàm quantum à prima luce transierit? Nonnè iste dies à prima hora cœpit? da mihi primam horam eius, da mihi & secundam eius, quia forsan, & ipsa transuolauit; tertiam inquis, dabo tibi, forte enim in ipsa nunc sumus. Certè ergo sunt isti dies, & est tertia dies, & si tertiam dabis non diem, sed horam dabis. Veruntamen ne hos quidem tibi concedo, si mecum vtcumque iste transilisti. Da mihi vel horam tertiam; ipsam mihi da, in qua nunc es; si enim aliquid eius præterijt, & aliquid eius adhuc restat, nec quod præterijt, aliquid mihi potes dare, quia iàm non est; nec quod restat, quia nondum est; quid mihi de hora ista, quæ nunc peragitur dabis? Cui commitiam hoc verbum, vt dicam est? Cum dicis ipsum est; certè vna syllaba est, & momentum vnum est, & tres litteras habet, in quo ictu ad secundam huius verbi non peruenies, nisi prima finita fuerit, tertia non sonabit, nisi cum & secunda transierit, quid mihi de hac vnica syllaba dabis? & tenes dies, qui vnam syllabam non tenes? Momento transuolantibus cuncta rapiuntur? Psalm. 109. momentis transuolantibus cuncta rapiuntur: Torrens rerum fluit, de quo torrente ille in via bibet pro nobis, qui iàm exaltauit caput. Isti ergo dies non sunt, ante obeunt penè, quàm veniant, & cum veniunt, stare non possunt iungunt se, sequuntur se, & non se tenent, nihil de præterito reuocatur, quod futurum est, transiturum expectatur, nondum habetur, dum non venerit, Hæc Augustin.

Numerum ergo dierum meorum, vbi mansio; vbi ipse tu es, vt sciam quid

desit mihi, vt ad illum perueniam, notum fac mihi Domine, ne in eo momento, quod nunc sum superbiam. Cur enim elatior fiam ex eo, quod non est? immo humilior fio ex eo, quod deest, quia sine illo nihil sum, ad Galat. cap.6.n.3. Propterea dies meos tu mensurasti: vt non ignorem, quia quotidie deficiat illorum mensura, & breuior fiat. Ideò subsistentia mea, & vita mea ante te pro nihilo reputantur, es enim, qui es, & ego nihil sum, ideò omnis homo viuens, vanitas vniuersa est. Qui extra te, qui es via, & vita, dicit dies suos, eius in Cælis non est conuersatio. Non ea, quæ sub Sole sunt desidero, quia omnia transitoria sunt, 2.Petr. cap.3.nu.11. & sequen. Verba tua in æternum in me manebunt: in his est spes, & hæc desidero, hæc concupisco. Cætera verò huius mundi contemno, reijcio. Notum igitur fac mihi finem dierum meorum, cum omnia alia vanitas sint, ad imaginem Dei factus est homo: in ista imagine pertranseat, inuisibilia sperando, quia erit quasi vnus ex nobis, dicit Deus, in hoc sit spes tua, dulcedo tua.

Quid ergo ex aduersis huius mundi conturbaris? Frustrà conturbaris, si hæc terrena desideras, hæc sunt transitoria, & conturbantia: illa æterna, & cum gaudio. Frustrà conturbaris, si in his mundanis moraris: quia omnia hæc vanitas, & afflictio spiritus, Eccles. 1. num.14. non enim dicit Luc. per os Domini cap.12.nu.15. non est in abundantia cuiusquam vita eius ex his, quæ possidet, ideò cauete ab omni auaritia.

Thesaurizat, & ignorat, cui congregabit ea. Quomodò ergo non est vanitas, si ignorat, cui congreget ea? sed & frustrà conturbatur, Isai.cap.55.n.2. quare appenditis argentum non in panibus, & laborem vestrum non in saturitate? idest, cur tanto pretio, & labore emitis voluptates, & bona sæculi, quæ tamen nec alere, nec satiare possunt. Audite, sequitur Isai. loquens cum iustis; Audientes me, & comedite bonum, & delectabitur in crassitudine anima vestra, & feriam vobiscum pactum sempiternum, misericordias Dauid fideles. Iniusti verò comedent, & non saturabuntur, Osea 4.num.10.

Origen.Homil.6. in Exod. Extendisti manum tuam, & deuorauit eos terra. An non inquit, tibi videtur terra deuorare illum, qui semper de terra cogitat? qui semper terrenos habet actus: qui de terra loquitur, terram desiderat, de terra litigat, & omnem spem suam ponit in terra; qui ad Cælum non respicit, qui futura non cogitat, qui iudicium Dei non metuit, nec beata eius promissa desiderat; sed semper de præsentibus cogitat. Talem cum videris dicito, quia deuorauit eum terra. Hæc Origen. Militia (vt dixi suprà ex Iob 7. num.1.) est vita hominis super terram, & nu.3. sic & ego habui menses vacuos, & noctes laboriosas enumeraui mihi. Circà quæ Gregor.8. Moral.cap.7. ait. In hac vita quædam laboriosa sunt, quædam vacua, quædam verò vacua simul, & laboriosa. Amore conditoris præsentis vitæ tribulationibus exerceri, laboriosum quidem est, sed vacuum non est: amore autem sæculi, voluptatibus solui, vacum quidem est, sed non laboriosum; amore autem sæculi eiusdem aliqua pati, & vacuum simul est, & laboriosum, quia ex aduersitate mens afficitur, & remunerationis præmio non repletur. Vt quid ergo thesaurizat, cum nec ipsi sint acquisita: & cui congreget ignorat. Quid ergo frustrà conturbatur in illis quærendis, cum omnia sint transitoria. Ambros. in lib. de Naboth. cap.6. ponderans illa verba Luc. cap.12. numer.17.

Quid faciam quia non habeo, quò congregem fructus meos? Quid faciam, ait, quòd non habeo. Clamat, se diues non habere. Paupertatis hic sermo est. De inopia quæritur abundans fructibus; Miserior iste fęcunditatibus suis, quam pauper, ecce periculum de egestate est, Matth.cap.25.num.29. Ei autem qui non habet, & quod videtur habere auferetur ab eo, Luc.8.nu.18. in pauca fuerat fidelis, cui plura, & pauciora talenta commiserat Dominus. In pauca considerat Hieronym: ibi Matth. d. cap.25. quia omnia, quæ in præsenti habemus, licet magna videantur, & plurima comparatione futurorum; pauca, & parua sunt; Et ità parua, vt, si non ea Deus quibusdam petentibus euidentissima largitate concederet, non ad eum ista pertinere censeremus. Augustin. lib.1. de Ciuitate Dei, cap. 8. &c. & Psalm.72. num.19. Quomodò facti sunt in desolationem, subitò defecerunt, perierunt propter iniquitatem suam; velut somnium surgentium Domine, in Ciuitate tua imaginem ipsorum ad nihilum rediges, &c. Meritò, inquit ibi Theodoret. eorum felicitatem somnio comparauit, quandoquidem scena præsentis vitæ ab insomnio nihil differt: Somnium loquimur, dicit Ambros. lib. de Naboth, non patrimonium, &c. nàm prophana gaudia somnijs sunt simillima, veniunt, abeunt, occurrunt, refugiunt priusquàm comprehendantur auolant, Philo in lib. de Ioseph. Verùm quid aliorum quærimus hic adducere dicta, si Dominum Iesum Authorem, & Redemptorem nostrum docentem habemus, audi quid de illo fructus congregante, & cui relinqueret ignoranti; dicebat is, Luc. dicto cap.12. num.18. hoc faciam; destruam horrea mea, & maiora faciam, & illuc congregabo omnia, quæ nata sunt mihi, & bona mea, & dicam animæ meæ. Anima habes multa bona posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe epulare: dixit autem illi Deus: stulte hac nocte animam tuam repetent à te: quæ autem parasti, cuius erunt? sic contingit ei, qui sibi thesaurizat, & non est in Deum diues.

Rectè ergo in momento temporis, omnia mundi regna ostendit Satanas Iesu, Luc.4.num.5. vbi Ambros. Benè in momento temporis sæcularia, & terrena demonstrantur, non enim tàm conspectus celeritas indicatur, quàm caducæ fragilitas potestatis exprimitur. In momento enim cuncta illa prætereunt, & sæpè honor sæcularis abijt, antequam venerit; quid enim sæculi potest esse diuturnum, cum ipsa diuturna non sint sæcula? & sequitur Ambros. sed adhuc pro nostro argumento illud aduertendum restat, quàm nihili. Satanas omnem mundi gloriam, regna, & opes æstimat, cum illa omnia daturum se promiserit, pro vnius hominis adoratione: non enim certò Deum esse agnoscebat, sub vna corporis inclinatione.

Hinc Ioan.1.cap.2. Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo sunt, si quis diligit mundum non est charitas Patris in eo, quia omne, quod est in mundo concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ, quæ non est ex Patre, sed ex mundo est. Et mundus transit, & concupiscentia eius; qui autem facit voluntatem Dei, manet in æternum. Vt quid igitur diligimus vanitatem, & quærimus mendacium? Psalm.4. Vanum illud dicitur quod est inane, dicit ibi Chrysost. Quod nomen quidem fuerit, res nequaquam, & nomen diuitiarum, res nequaquam, nomen potentiæ, & ideò remanet solum nomen. Quis est ergo, ità excors, qui quærat nomina, quæ rebus destituuntur, & totam vitam insumat pro desiderijs, cum desideratum nunquam

quam

quam adueniat, cum nihil sit? Vndè Gregor. in d. 8. Moral. de Mundanis. Simul menses vacuos, & noctes laboriosas tolerant, quia eorum vitam, & retributio subsequens nulla remunerat, & præsens tribulatio angustat. Quid ergo thesaurizare cupis; si, & in vita, & post mortem, quia thesaurizasti conturbaberis? In acquisitione, quæ perturbationes, quæ pericula, quot calamitates patiantur acquirentes, narrat Augustin. sed quatenus collectæ, & congregatæ etiam sine periculo, & tribulatione, nunquid post illas adeptas diuitias, & pecunias, maior non exstat de illorum saluatione perturbatio? nunquid non maior afflictio? nàm cui congregabis, quibus illas reseruasti? tibi forsan acquirenti, qui nudus egressus, etiam nudus reuerteris? Iob 1. num. 21. sed cui? filijs ne tuis? Augustin. hìc. Est vox pietatis excusatio iniquitatis, filijs meis, iniquo seruo: ità ne hoc non nouerat Idithun? Nouerat ea planè, sed in diebus veteribus computabat, & ideò contemnebat, quia ad dictos nouos dies festinabat: Nàm ecce discutio te cum filijs tuis, seruas transiturus transituris; immo verò transiturus transeuntibus. Propterea dicit Psalmista. Et nunc, quia nouos quærit dies: nunc autem dicit, quæ est expectatio mea? iàm veteres transierunt dies: nunc verò: idest, in hac hora; quæ remanet adhuc: Quæ est expectatio mea? Nunquid in transeuntibus; ego transiens firmabor? si illi transeunt, & ego transeo: qualis erit expectatio mea? seruabo me transiturum, transituris? immo verò transiens transeuntibus, agetur ergo, inquit Augustin. ætas transuolans, & in intelligentibus, & non sentientibus, & in aliud malè occupatis. Transis tu, & seruas transeunti filio tuo: ipsum hodie ex quo loqui cœpimus, vsque ad hoc momentum sentis, quia senuimus: neque enim cernis incrementa capillorum tuorum, & nunc cum hìc es, cum stas, cum agis aliquid, cum loqueris, in te crescunt capilli tui, neque enim repentè creuerunt, vt tonsorem quærreres. Ergo ætas transuolans est, & cui thesaurizas, nec ille forsan possidebit, quod à te habebit, nec tenebit forsan antequam ille succedat, tu perdes. Consilium Domini accipiamus, Matth. cap. 6. thesaurizando nobis thesaurum in Cælo: ibi enim secura sunt horrea: ipse Dominus diues super omnes diuites: Propè est horreum suum: semper enim est vobiscum paupertas multorum. Quod vni ex illis feceritis, Domino facietis, Matth. cap. 2. Ponas in sinu pauperis, & ipse orabit pro te: illuc vult præcedere quod habemus, ne hac in terra perdamus: Cum enim congregaremus in terra, & cui congregabimus ea? Vanè conturbatur omnis homo, qui, cui nescit, congregat bona sua.

Transiluit hæc omnia Idithun, & ideò nunc Dominus est expectatio eius, & ante Dominum est substantia eius: nàm illa, quæ ab hominibus videri poterant, inter pauperes distributa est, in thesauros Ecclesiæ posita est. Sume ergo, & tu tibi vaccam triennem, vt conserueris in bonorum possessionem; idest de illis offeras sacrificium Deo. Sic fecit Abraham, Genes. cap. 15. num. 7. facit Leuit. cap. 25. num. 16. ibi: facite præcepta mea, &c. & humus gignet fructus suos. Iàm thesauros tuos, quos mihi dedisti, expendi, in pauperem sinum collocaui, nunc, vt ab omnibus iniquitatibus meis eruas me, suppliciter exoro. sed cur non petis etiam ab omnibus insipientibus liberari, & à tribulantibus eripi? O Idithun, tu vicisti mundum, bona tua distribuendo: os tuum contrà malignantes non aperiendo: quietam nunc tibi restat, vt ducas vitam, dum

dum in hac vita deges, vt non affligaris, sed Deo inseruiendo illius cælestia contemplaris, cur non ista petis? Per ignem, & aquam transiuisti, roga Dominum, vt educat te in refrigerium, Psalm.85.num.11. Opprobrium in remunerationem dedit illi Dominus insipienti.

Obmutui, inquit, & non aperui os meum, sed quare? quia tu Domine fecisti: amoue à me tantum plagas meas. Vas electionis erat ille dilectus; & quam ei Domine mercedem daturus dixisti? oportet illum multa pati pro nomine meo, Act.cap.19.num.16. Vndè quoniam vas electionis est mihi iste, vt portet nomen meum coram gentibus, &c. ego enim ostendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati. Has ergo mundi delitias paruifacit Idithun, qui ideò propter eas non aperuit os suum; quoniam Dominus fecit, & tentauit eum: nàm Dominus solus est expectatio eius, cuius, & substantia est ante illum. Quid amplius quæris, ò Idithun? si animæ tuæ sit Deus, si sufficis tu Deo, sufficiat etiam tibi Deus, Cyprian. Oration. de Ascensione Christi: Augustin. lib.13. Confess. suarum, cap.8. Omnis mihi copia, quæ Deus meus non est, egestas est, & in lib. de Verb. Domini, Serm.29. Auare quid quæris? qnid tibi sufficit, cui Deus non sufficiat? & Philo lib. Quis sit hæres Diuinarum rerum. Si cupis, inquit, ò anima hæres Diuinarum rerum fieri, non tantum terram, hoc est corpus, sensus, & rationem desere; sed teipsam fuge, rapta te extrà teipsam sicut lymphatici, stultus in terra figitur, qui totis desiderijs in terreno amore solidatur iuxtà illud Iob cap. 3. Vidi stultum firma radice, & maledixi pulchritudinem eius, Gregor.6. Moral. & ideò Psalm.15.n.1. Deus meus es tu, quia bonorum meorum non eges, Chald. habet: Bonum meum non nisi à te; & S. Hieron. Bonum mihi non est sine te, & Psalm.72. num.25. à te quid volui super terram; quasi dicat nisi teipsum?

Opprobrium ergo insipienti dedisti mihi; obmutui, & non aperui os meum. Libenter enim sustinui, quia tu fecisti: nàm quis me separabit à charitate Christi? an tribulatio? &c. Paul. ad Roman.cap.2.num.9. Nullus enim dolor est de incursione malorum præsentium, quibus fiducia est futurorum bonorum, Cyprian. lib.3. contrà Demetr. Beati, inquit Iesus, qui lugent, Matth.5. num.2. & Beatus, inquit Iacob. qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit accipiet coronam vitæ; idem Luc.cap.6.num.21. Inter vanos vana quærentes posuisti me, veritatem prædicantem: illis spectaculum factus sum, 1.Corinth.cap.4. opprobrium factus sum illis insipiens; & Angelis malis inuidentibus, obmutui, & silui, quia non est, quam illis prædico, pax impijs. Obmutui, quia tu fecisti, ne audientes audirent, & intelligentes intelligerent, Isai.cap.6.num.9. & 10. Ab omnibus iniquitatibus meis erue me: vt ad destinatum possim peruenire brauium. Vnum autem dicit Apost. dicto cap.3. ad Philippens.numer.13. quæ quidem retrò sunt obliuiscens, ad ea verò, quæ sunt priora, extendens meipsum, ad destinatum persequor brauium supernæ vocationis Dei in Christo Iesu: Hoc tantum mihi deest, quò brauium accipiam, vt tu Deus deleas iniquitatem meam. Iàm ecce humana contemno, in prætereuntibus non lætor, & pereuntibus: imprudens ab auaro; ideò reputor, quòd transitoria contemnam, quòd sic ago, quòd viam tuam sequor. Opprobrium insipienti dedisti me: cum Diabolo, & hominibus sic contendo, sic pugno: in his armis cum ipsis confligo, in obseruatione scilicet mandato-

datorum tuorum; sic illos serio, Augustin. Prosperis si non corrumpor; aduersis, si non frangor: opprobrium insipienti dedisti me, silui, obmutui, quia tu fecisti; à me amoue flagella. Tantum cæde, vt proficiam, non vt deficiam: tantum tunde, vt producar, non vt comminuar. Quando tu es, amoue plagas tuas, opus manuum tuarum ego sum, ideò nec sic repentè præcipites me, Iob cap. 10. nu. 8. Amoue plagas tuas, longè fac à me manus tuas, & formido tua non me terreat, Iob 13. num. 21. Amoue à me plagas tuas Domine, quia dolens de præteritis, non alium quæro Deum Saluatorem, quàm teipsum Domine, qui sanguine tuo me redemisti: dele præterita, sit mecum gratia tua, vt amplius non peccem tibi, sine enim te salua non possum consistere.

A fortitudine manus tuæ ego defeci in increpationibus, propter iniquitatem corripuisti hominem: corripis Domine, quos saluare vis, quos amas, bonum mihi quia humilias me, vt discam iustificationes tuas, Psalm. 118. numer. 71. secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo: consolationes etiam tuæ lætificent animam meam, Psalm. 93. num. 19. Augustin. Quid seruat post pœnam, qui per gratiam exhibet pœnam? Contristatus sis, humilis, Psalm. 34. num. 14. vt humiliatus saluus fias, & liberatus, Psalm. 114. num. 6. Sed quare defecisti in increpationibus? quia priusquam humiliarer, ego deliqui, d. Psal. 118. num. 67. Contritionem præcedit superbia, Prouerb. 16. num. 18. & misericordia ipsam concomittatur contritionem ad gratiam. Propter iniquitatem ergo corripuisti hominem: totum quod defeci, quod infirmus sum, quod de limo clamo, hoc totum pro iniquitate, Eccles. 39. num. 35. Ignis, grando, fames, & mors, omnia hæc ad vindictam creata sunt, &c. & cap. 4. num. 9. ad hæc mors, flagella, &c. super iniquos creata sunt omnia, &c. in his omnibus erudit Dominus, non damnat; corrigit, non damnat, vt vexatus ad bonorum intelligentiam perueniat; Vexatio enim dat intellectum.

Pro iniquitate, inquit, corripuisti hominem: Correptionem ergo humiliando te suscipias, vt in finem saluus fias, Psalm. 93. num. 20. Nunquid adhæret tibi sedes iniquitatis, qui fingis laborem in præcepto? de dolore præceptum mihi facis, fingis dolorem: formas dolorem, plasmas dolorem; non simulas dolorem. Augustin. Fingis dolorem in præcepto, siuè laborem, quia scilicet facit, vt ex laboribus, & doloribus, quos in hac vita patiuntur iusti, erudiantur. Vt intelligamus: quo supplicio afficiendi sint iniusti à Deo, qui sic iustos affligi permittit; Hanc autem Augustini expositionem declarat Deus per os Ierem. cap. 18. num. 11. hæc dicit Dominus: Ecce ego fingo contrà vos, idest firmo contrà vos malum, & cogito contrà vos cogitationem, reuertatur vnusquisque à via sua mala, & paulò superius, num. 7. Repentè loquar aduersus gentem, & aduersus regnum, vt eradicem, & destruam, & disperdam illud; si pœnitentiam gesserit gens illa à malo suo, quod locutus sum aduersus eam; agam, & ego pœnitentiam super malo quod cogitaui, vt facerem ei, &c. & idem Ierem. cap. 35. num. 13. Numquid non recipietis disciplinam vt obediatis verbis meis, dicit Dominus? Malum enim esset si laborem, & damna Deus in suos non formaret, non fingeret, Sap. cap. 12. num. 15. Ipsum quoque, inquit, qui non debet puniri, condemnari exterum æstimas à tua virtute; & num. 22. Cum ergo das nobis disciplinam, inimicos nostros multipliciter flagellas, vt bonitatem tuam cogitemus iudicantes, Et cum de nobis iudicatur speremus mise-

misericordiam tuam, & numer. 26. Qui autem ludibrijs, & increpationibus non sunt correcti, dignum Dei iudicium experti sunt. Bonum ergo est mihi, quia humiliasti me, vt discam iustificationes tuas, dicto Psalm. 118. Vndè Augustin. in Psalm. 93. in illius expositione, col. 9. litera D. Est, inquit, ille, quomodò probat Deus homines: ipsa pericula nostra dulciorem nobis faciunt liberantem: quia, si dicebam, inquit Psalm. motus est pes meus, misericordia tua Domine adiuuabat me: dulcis illi factus est Dominus, eripiens illum à periculis: & ideò exponens ipsam dulcedinem Domini exclamat, dicens: Domine secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo: iucundauerunt, seù lætificauerunt animam meam consolationes tuæ, dicto Psalm. 93. num. 19.

A fortitudine manus tuæ ego defeci: in increpationibus propter iniquitatem corripuisti hominem. Sed quomodò defecisti: si multitudo dolorum lætificat cor tuum? si virtus in infirmitate perficitur, 2. Corinth. cap. 12. num. 9. si quando dat Deus tibi disciplinam, castigat inimicos tuos? Non omnis defectus, vel culpæ putandus est esse, vel pœnæ: est etiam defectus laudabilis, vel optabilis: sicut enim ista duo inter se contraria videntur proficere, & deficere: nàm vsitatus profectus in bono accipitur, defectus in malo: quando non additur, vel subintelligitur, in quo proficiatur, vel deficiatur. Cum verò additur, potest malum esse proficere; bonumq. deficere, 2. ad Timoth. 2. num. 16. Prophanas autem verborum nouitates euita: multum enim proficiunt ad impietatem, & 2. Timoth. 3. num. 13. proficiunt in peius mali homines errantes, & in errorem mittentes, &c. ità, & defectus à bono in malum, malus est, à malo in bonum bonus est, & in Psalm. 83. num. 1. Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum, concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini: ità, & in Psalm. 118. numer. 81. Defecit in salutare tuum anima mea. Cum dicit, in increpationibus propter iniquitatem corripuisti hominem, Idithun noster, minas Domini, & iudicium tremendum his, qui à sinistris stantibus minitatur. Defeci, inquit, horrui, tremui; quia siuè bibam, siuè comedam: mihi semper timor est vocis illius in toto Orbe terrarum resonantis; Venite mortui ad Iudicium: & maledictis illius, Ite in ignem æternum, quod paratum est Diabolo, & Angelis eius, Thren. 3. num. 20. dicitur: Memoria memor ero, & tabescet in me anima mea: quia scilicet obliuisci non possum; dum recordor iudicium tuum, tabesco præ mœrore. Hanc interpretationem dat Psalm. 118. n. 53. Defectio tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam, idest tantus horror, & æstus; nàm id indicat, quòd est magnum charitatis indicium, contremiscere, ardere, deficere ex dolore offensionis Diuinæ. Totum ergo quòd defici, quòd infirmus sum, quòd de terra clamo: hoc totum ob id quòd pro iniquitate mea corripuisti me, & hoc bonum est mihi, quia sic humilias me, dicto Psalm. 43. nàm quamuis pœna sit, est & gratia; quòd post pœnam me ducis ad vitam. Ideò fingis laborem in præcepto, & dolorem formas, vt gratiam tuam mihi exhibeas, Augustin. De dolore præceptum mihi, facis; formas ipsum dolorem meum, non vt, cum relinquis, infirmer, sed formas illum, vt formatus dolor meus inflictus à te, præceptum mihi sit, vt liberer à te, &c. Si ergo in pœna sum, & apud te iniquitas non est, nonnè restat, vt pro iniquitate erudias hominem? & taliter eruditus dicat: Tabescere fecisti sicut araneam animam meam: hæc Augustin.

Et tabescere fecisti sicut araneam animam eius: veruntamen vanè conturbatur omnis homo. Ità defecit in increpationibus, & in correptione, vt de præteritis delictis pœnitens, & dolens fuerit, & contritus; & abstinens, vt ad instar filorum araneæ sit factus, & deductus, vt nihil amplius crassum, durumq. peccati contineat; Hieronym. Tabescit anima, cum caro à luxurijs, & concupiscentijs refrænatur, obstupescit de anterioribus delictis; Zelus verò animæ texit, qui ad mundana properat, qui ad vana huius mundi festinat, Isai.cap.56. num.5. Concipiunt laborem, & pariunt iniquitatem: Oua aspidum ruperunt, & telas araneæ texuerunt, telæ eorum non erunt in vestimentum, neque operientur operibus suis, &c. opera eorum, opera inutilia, &c. & hoc est quod in Iob cap.33.num.19. dicitur: Increpat quoque per dolorem in lectulo; & omnia ossa eius marcescere facit: abominabilis ei fit in vita sua panis; & animæ illius cibus non desiderabilis, tabescit caro eius; & ossa, quæ tecta fuerant, videbuntur: Propterea docemur Eccles.18.num.20. vt ante languorem adhibeamus medicinam, &, vt ante iudicium interrogemus nosmetipsos, vt in conspectu Dei inueniamus propitiationem, & ibidem num. 21. Ante languorem humilia te.

Non tamen ità deficias, vt de misericordia Dei desperes: hæc enim tibi ad emendationem data, vt te conuersum ad Dominum, ipse viuificet, Ezech. dicto cap.33.num.10. Iniquitates nostræ, & peccata nostra, dicebant illi, super nos sunt, & in ipsis nos tabescimus; quomodò ergo viuere poterimus? non ità dicit Dominus, erit, dic ad eos. Viuo ego, dicit Dominus, nolo mortem impij, sed vt conuertatur impius à via sua, & viuat. Conuertamur nos à vijs nostris pessimis, & quare moriemur? In quacunque die impius conuersus fuerit ab impietate sua, impietas non nocebit ei. Magnum Dei donum est aduersitas cum tabescentia, si de præteritis doleas cum erubescentia, & in Deo Saluatore sit tua confidentia, vt remittat delicta. Quid ergo? de rerum amissione turbaris? quòd non prospera tibi succedant mundana? Vana est huiusmodi omnis conturbatio, si viuens spem tuam in illis fundatam habueris: transit vita tua, & tecum illa etiam transeunt: immo ideò restant, vt alios in illis succedentes tamquam inflatos vento derelinquant, perdant, mactent, & destruant. Transeam, & ego, sed ad te Domine sit transitus meus: Hic aduena ego sum, & peregrinus, à te exiui Domine, quia tu me fecisti, redeam ad te, quia tu me redemisti: exaudi orationem meam Domine, & auribus percipe deprecationem meam, & lachrymas meas, vt remittas mihi; ac refrigerer antequam abeam. Non sum amplius fortis, non superbus, non recuso; vt infirmitate erudiar. Non sum Domine de illis, quibus dixisti, Matth.cap.8.num.5. Filij autem regni, idest Iudæi, ibunt in tenebras exteriores. Sit mihi fides Centurionis, quia nec ego sum dignus, vt intres sub tectum meum, sed verbo dicas, vt saner & ego: sim Domine ex illis, qui ab Oriente, & Occidente venerunt, vt recumbam, & ego cum illis cum Abraham, Isaac, & Iacob in Regno Cælorum.

Remitte mihi, vt refrigerer, priusquam abeam: Domine ecce ego in hoc sæculo permanens confiteor, me tibi peccasse, dimitte debita mea antequam recedam, vt refrigerer, vt quies sit in anima mea, quia tu remisisti delicta mea, vt intelligam quia tu remisisti peccata mea. Dic animæ meæ, salus tua

ego

ego sum, & aduena amplius non ero, & peregrinus, sed Ciuis tuus, & domesticus tuus; & emundatus ero à delicto maximo, Augustin. remitte, &c. & amplius non ero. Si enim mihi non remiseris, vt refrigerer, ibo, & non ero prius quàm eam. Quia si vero, iam non ero. Remitte, vt refrigerer: quomodò si iniquus ierit, non erit? Quia si absque Deo; qui est, Exod. cap. 3. num. 14. ibit; ad non esse pergit: cæterùm si antequam ille vadat, remittat ei Deus peccata, refrigerium capiet; & tunc pariter amplius non erit, respectu quippè diuini illius esse, mutabilia sunt ista, & non sunt. Augustin. hic. Attendebat infra omnia, quæ sunt in comparationem illius esse, non esse, & se non esse dicebat. Illa enim permanent, ista mutabilia sunt, mortalia, fragilia, & dolor ipse æternus, plenus corruptionis adhuc non finitur. Respexit ergo beatam illam regionem, vbi participes sunt Sancti vitæ sempiternæ, atque incommutabilis veritatis, & timuit extrà ire, vbi non est esse, ibi desiderans esse, vbi est summum esse. Amplius quoque, ait, non ero: si antequam abeam à peccatis meis absolutus non fuero. Hinc nota (sicut aliàs diximus) confessionem dum viuimus faciendam, Eccles. cap. 17. num. 26. cum sequen. Iacob 5. nu. 16. Reuela Domino viam tuam, dicitur in Psalm. 39. Ambros. idest aperi conscientiam tuam; nec eam sæculi huius grauet vmbra; Prorumpentia semina, si fuerint obumbrata, tenuantur, si obiecta soli pinguescunt. Vndè Bernard. Epistol. 114. ad Sophiam Virginem, in ea verba Psalm. 95. Confessio, & pulchritudo in conspectu eius. Vbi confessio, ibi pulchritudo, ibi decor. Si peccata sunt, in confessione lauantur: si bona opera commendantur. Cum mala tua confiteris, sacrificium est Deo spiritus contribulatus; Cum Dei beneficia, immolas Deo sacrificium laudis; ama confessionem, si affectas decorem, &c.

SOLILOQVIVM.

PRIVSQVAM moriar, remitte mihi Domine, quia quoad ea, quæ ad mundum pertinent, amplius non ero: Ideò custodiui vias meas, vt nec in lingua mea delinquerem: itàvt, etsi peccator contrà me esset locutus non sim. Silui: posui ori meo custodiam. Et quia ab inimicis humiliatus obmutui; propterea dolore magis afficior, quia verba tua non manifestaui eis, silens à bonis, vt euitarem infligenda ab illis mala, & male feci. Væ mihi, quia tacui, ideò ardens cor meum effectum est, & inflammatum. Et meditando malum quod feci, & bonum, quod silendo omisi, ignis succendit me; propterea locutus sum eis in lingua mea, vt magis ipsi intelligerent mandata tua. Notum fac mihi tribulationum dierum finem, vt ego Ecclesia tua tranquilla demum deuotione læter. Vsquequò irasceris in finem, accendatur velut ignis zelus tuus, Psalm. 78. num. 5. Cibabis nos pane lachrymarum, & potum dabis nobis in mensura. Tibi Domine nota sunt omnia, & numerum dierum meorum, qui desit mihi. Terminum constituisti, non diù duraturum cum substantia mea, idest vita mea ante te nihil sit; & breues sint dies hominis: Confiteor, omnia vanitatem esse vanitatum, & omnem hominem simul, qui te relicto tendit ad mundana. Ignorans cui, quis congreget ea, ego transilui hæc omnia, dimisi vanitates, & terrena vniuersa. Et nunc quid aliud est

expectatio mea, nisi tu Deus meus, & Dominus meus, & vita mea. Tantum ab iniquitatibus meis eruas me; nàm etsi insipienti me in opprobrium dedisti; tacui, obmutui, quia tu id fecisti. Verumtamen plagas tuas amoue à me; quia à fortitudine manus tuæ ego defeci in increpationibus, haud illas fugiens, sed totis viribus illas sustinere desiderans: quandoquidem nec vltrà vires tu patiaris euenire mihi malum. Enimuerò ad quid aliud increpationes, & correptiones tuæ nisi propter hominum iniquitates, vt vexati, & correpti recedant ab iniquitatibus suis? Ideò dolens, & contristata anima mea tabescit sicut aranea. Deficio in via tua, quia quoad reliqua huius mundi, vana est hominis conturbatio. Exaudi Domine orationem, & deprecationem meam: lachrymas auribus percipe meas; ne sileas, quoniam hìc aduena sum, & peregrinus, sicut omnes Patres mei, donec perueniam ad te. Dele iniquitates, & peccata mea, antequam abeam; cum extrà, & absque te amplius non ero. Iube vt Angelus Raphael Tobiæ ad te deferat lachrymas meas, orationes meas, & deprecationem, vt tu exaudiens illas, suscipias me.

Sancte Hieronyme Doctor veritatis, & lumen Ecclesiæ, qui hodiè in expositione huius Psalmi Idithun Dux, & Magister meus fuisti; festum tuum colimus, intercede pro me, vt exemplo tui relictis omnibus, tantum Dominum meum Iesum Christum vnà tecum sequar: & si in opprobrium insipienti dederit me; sit tamen mecum gratia eius, vt in infirmitate mea, in humilitate mea firmus sim, vt annunciem nomen Domini, & in salutatione Beatæ Virginis Mariæ continuas laudes, & præconia pronuncians merear auxilium suum implorare apud te, dulcissime Iesu, Redemptorem meum, & Saluatorem. Non me, quia peccator sim, à laudibus tuis repellas; sed nunc transilientem, & pœnitentem in tuam gratiam me recipias, vt audire merear te sic me alloquentem Domine Iesu: Perditus eras, & te redemi; peccator fuisti, & à peccatis tuis erui te; propterea, quia transiliens fuisti, tibi Idithun Canticum Dauid cantandum dedi, in finem, in me Christum; vt ea, quæ in illo narrantur, & tu cantando laudes meas, exequaris, & opere impleas quod prædicaueris. Concomitante mea gratia. Domine Iesu, amor dulcissime; exaudi me obsecrantem, & cum lachrymis deprecantem. Non enim habito terram, vt propriam, sed tamquam peregrinus incola sum in illa. Cum aliquod temporis spatium vixerim, mortem obibo: ideò modicas inducias imperti, vt paucos istos dies sine doloribus multoq. magis absque vlla tui transigam offensione, tu enim Dominus es faciens pacem.



IN

IN PSALMVM XXXIX.

Expectans expectaui Dominum: & intendit mihi.



ITVLVS. In finem; Psalmus Dauid. De cuius declaratione aliàs diximus.

Continuatur ad præcedentem: Supra visum, à quibus abstineri debeat pœnitens peccator; in isto verò Psalmo idem declarat, & gratias agit, pro eo quòd supra petram fundauerit Deus pedes suos, & quomodò sub protectione Dei constitutus, à periculis sit liberatus.

Diuiditur in duas partes: in prima loquitur Ecclesia, seu pœnitens peccator: secunda verò pars continet vocem Iesu Christi, ibi: Annunciaui, & locutus sum, multiplicati sunt super numerum.

Expectans expectaui Dominum, Et iustè, quia si incredulus fuisset, non esset anima eius recta in ipso, Habac.2.num.3. Et non mentietur: si moram fecerit expecta illum, quia veniens veniet, & non tardabit; expectans ergo expectauit Dauid; sed quid? donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium, Genes.49.num.10. sed quis mittendus est, & quando? audi Isai.48.nu.15.& 16. Ego ego, ait Dominus, vocaui eum; ego locutus sum,&c. audite hoc. Non à principio in abscondito locutus sum: ex tempore, antequam fieret ibi eram: & nunc Dominus Deus misit me, & spiritus eius: hæc dicit Dominus Redemptor tuus sanctus Israel: ego Dominus Deus tuus docens te vtilia, gubernans te in via qua ambulas: Consideremus fratres, quis potuerit esse iste; qui ex tempore antequam fieret, ibi erat; quis ex tempore antequam fieret erat cum Domino Deo, & spiritu eius, nisi solus filius Dei?

Hic ergo est Iesus filius Dei, qui in mundum mittendus expectabatur à Dauide, vt in die illa saluaret nos, & gregem populi sui, quia lapides Sancti eleuabuntur super terram tuam, Zach. cap.9. numer.16. & de quo Isai.cap. 26. num.1.& 5. Aperite portas, & ingrediatur gens iusta, custodiens veritatem, quia vetus error abijt, & incuruabuntur habitantes in excelso, Ciuitatem sublimem humiliabit.

Consurge, consurge sicut in illis diebus antiquis, & generationibus antiquis sæculorum; quia expectans expectaui te, vt dicam Ciuitatibus Iuda, ecce Deus vester, ecce Dominus in fortitudine venit, & brachium eius dominabitur: ecce merces eius cum eo, Isai.40.nu.4. Salus enim tua in sempiternum erit: Inimicos verò tuos, sicut vermis comedat, Isai.51.nu.8. & 9. Consurge, nunquid non tu percussisti superbum, vulnerasti Draconem, & nunc qui redempti sunt à te Domine reuertantur, & veniant in Sion laudantes, &c. Expectans expectaui Dominum, & intendit mihi, & exaudiuit preces meas, & eduxit me de lacu miseriæ, & de luto fæcis, & statuit supra petram pedes meos, &c. & immisit in os meum canticum nouum, &c. Exod.cap.33. declarat Deus quæ sit ea petra, dicens, num. 21. Est locus apud me, & stabis supra petram, gloria mea transibit, facies mea præcedet, numer. 14. & 15. ponam te in foramine petræ,

& proteget te dextera mea; hanc faciem requiram, dicit Dauid, Psalm. 26. num. 8.

Sed ò Dauid sancte mihi veniam des, vt interrogem te; Quomodò tàm ardenter expectans expectasti aduentum Domini; si vnicam proximi tui ouem, in Deum peccando abstulisti, si adulterasti: si & occidisti illum, cuius ea erat ouis,& coniux, 2.Reg.cap.12.Transtulit quidem peccatum Dominus,quia te pœnituit, gladius tamen in perpetuum de domo tua non cessabit. Quem tu offensum reliquisti, expectans, expectauit cor tuum: Iustus est Dominus: & venientem iudicaturum secundum iustitiam tuam credere poteris: quid ergo expectas, quem offensum reliquisti?

O stulte, inquit mihi Dauid: nonnè legisti, quòd Deus misericordiarum Dominus est; & quòd si iniquus ab iniquitate sua recesserit, & pœnitens bonitatem fecerit, quòd iniquitatis illius non recordabitur, Ezech.33.nu.11. & cap.18.num.24. Mecum, & tu agas pœnitentiam, si vis inuenire gratiam. Cor enim contritum, & humiliatum Deus non despicit; verùm quia nemo ascendit ad Cælum, nisi qui prius descendit de Cælo filius hominis Iesus Christus, Ioan.cap.3.nu.13. & nemo venit ad Patrem nisi per illum, Ioan.14.nu.6. qui omnium peccata purgabit, & sanguine suo illa lauabit, Isai. d.c.53. Expectans expectaui Iesum, vt secum duceret, & me in Paradisum: multa tunc corpora Sanctorum resurgent, quando ipse Christus morietur pro nobis, Matth. cap.27.num.52. sed iterum insto, ò Dauid ex verbis tuis, quid enim dixisti, Psalm.65.num.18. Iniquitatem dixisti, si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus, & Ioan. in sua Epist.1.cap.3.num.6. & omnis, qui peccat non videt eum, & proprius ad casum nostrum, num.15. scitis, quia omnis homicida non habet vitam æternam in semetipso manentem, & num.21. Si cor nostrum non reprehendat nos, fiduciam habemus ad Deum, & quidquid petierimus accipiemus ab eo, & Prouerb.cap.18.nu.9. Qui declinat aures suas, ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis, Isai. verò cap.1. cum multiplicaueritis orationes vestras, non exaudiam vos: manus enim vestræ sanguine plenæ sunt, idest peccatis, plenæ verbis, & quid dixit cæcus ille, Ioan. cap. 9. numer.31. scimus quia peccatores Deus non audit: væ, qui dicit festinet, & citò veniat, & tu expectans expectas, Isai.cap.5.num.19. Quid miraris ergo, si à te petierim, qua ratione hæc dixeris; cum, & tu teipsum inter peccatores numeraueris, Psalm.50. per totum. Tibi soli peccaui, & malum coram te feci, &c. Patere Dauid, solue quæstionem, vt & ego sequar te docentem, & pœnitentem, scio enim quia fuisti Deo amabilis, & propterea ille dixit, quod te Deus inuenerit secundum cor suum. Iàm tibi dixi, quia Dominus venit peccatores vocare: dum igitur mihi das, qui roget, ecce est, qui exaudiat. Ascende, inquit Augustin. homil.43. cap.5. à Verno ad Æstatem, hoc est cantauimus, Psalm.73.nu.17. Æstatem, & Vernum tu fecisti, idest spiritales, & adhuc carnales tu fecisti, quia, & ipse filius, Psalm.138.nu.18. dicit, Viderunt oculi tui, imperfectum meum: & imperfectum, quod est in corpore meo viderunt oculi tui,& tamen habent spem, vt ibi,& in libro scribantur. Nunquid fratres spiritales solum exaudiuntur, quia rogant? ergo carnales peribunt? Deum non rogabunt, absit inquit Augustin. da mihi Publicanum, Luc.18.n.13. ipse confirmat se peccatorem in spe: tundens enim pectus, & facie in terram deiecta aiebat,

Domine propitius esto mihi peccatori. Iustum se iactabat Pharisæus; Non sum Domine sicut cæteri, &c. & tamen Publicanus descendit iustificatus; ergo quid dixisti tu, cui Dominus oculos aperuit, quia Dominus peccatores non audit? sed laua interiorem faciem tuam, fiat in corde, quod factum est in facie tua, & videbis, quia peccatores Deus exaudit, &c. incumbite ergo orationibus peccatores, confitemini peccata vestra, orate, vt depellantur, orate, vt minuantur, orate, vt vobis proficientibus ipsa deficiant, quis enim non peccauit? à Sacerdotibus incipe, cui prius dictum est, vt offerant sacrificia pro peccatis suis, deindè pro populo, Leuit.cap.9.num.7. 8. & 15. & ad Hebr. cap.7.num.27. immo, & propterea Dominus, & Apostolos sic orare docuit, Matth. cap.6. num.9. Et dimitte nobis debita nostra, sicut, & nos dimittimus debitoribus nostris; Quid dicunt Apostoli? Quotidie tibi debita petunt dimitti; debitores intrant, absoluti exeunt, & toties peccata dimittuntur: nec facti spiritales orare cessauerunt. Vnam illos ante docuit orationem ipsam, & in Ecclesia orandam docemur. Petrus nonnè post doctam orationem negando ter peccauit? Marc.cap.14.nu.16. & post Resurrectionem Iesu Christi, tametsi confirmati, & Spiritu sancto repleti, orare non cessarunt, quia etiam peccatores se reputabāt; audi Ioannem, qui suprà pectus Domini recubuit, Ioan.13. nu.23. & cap.21.nu.20. Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus, & veritas in nobis non est, 1.Ioan.cap.1.nu.8. Si autem confessi fuerimus peccata nostra, fidelis, & iustus est Dominus, vt dimittat nobis peccata nostra, & mundet nos ab omni iniquitate: confitearis ergo, & tu peccata tua, quia confessio, & pulchritudo in conspectu Domini, Psalm.95.num.6. & taliter confessus intrà portas eius, Psalm.99. num.4.

Quomodò exaudiantur peccatores, docet D. Thom. 2.2.quæst.53. artic.16. Petant conducibilia ad salutem, atque piè cum fide, & spe, & vt placeant Deo perseueranter petant. Nec, ò peccator verearis exaudiri, quia Dominus hominem retinet, & complectitur. Clemens Alexandrin. in Exhortat. ad gentes, & Chrysolog. Serm.29. Miraris, ò Iudæe, cur Christus misceatur cum peccatoribus in conuiuio, qui propter peccatores; & nasci voluit, & non recusauit occidi? oblatras cur peccatorum vinum bibat, qui pro peccatoribus sanguinem suum fudit? etsi vis nosse amplius, suscepit ipse peccatum, ne perderet peccatores; in se sententiam suam Iudex retorsit, vt amasse se peccatores proderet magis soluendo, quàm donando. Deum ergo peccatores exaudire non est dubitandum. Augustin. Omnis, qui petit accipit. Dixi in Psalm. 65. Iniquitatem si aspexi in corde meo non exaudiet Dominus, & verum est, quia si cor tuum nequam est, oratio tua non prodest, Isai. cap.29.numer.13. Populus iste ore suo, & labijs suis glorificat me, cor autem eorum longè est à me, idem Matth. cap.15.numer.8. Dominus enim benefacit bonis, & rectis corde, Psalm. 124. num.4. propterea debet ex toto corde orare, & confiteri Domino in toto corde, Psalm.137.num.1. hos enim contritos corde audit Dominus, Psalm.146. num.3. vis ergo exaudiri? humilia te Domino, & confitere; hinc Ioan.1.c.3. Si cor nostrum non reprehendat nos, quidquid petierimus, accipiemus ab eo Cor impiorum pro nihilo habetur, Prouerb.cap.11.num.22. Manu ergo pugnemus, sed cordibus orantes, 2.Machab.cap.15.num.17. Et intendit mihi, quia, & de lacu miseriæ liberabit nos, sicut, & Patres fideles veteri Testamenti

de lacu miseriæ, & de luto fæcis peccatorum liberabit: propterea expectans, expectaui, & intendit mihi.

Expectans ergo expectaui, quia eum qui dixit mihi, quod veniet Dominus, & saluum faciet à peccatis populum suum; per Prophetas loquentem non recusaui; sed in spiritu ad Testamenti noui mediatorem Iesum, & sanguinis aspersionem melius loquentem quam Abel, quia vindictam non petit, sed remissionem, ad Hebr. cap. 12. num. 25. accessi, illum expectans, expectaui, quia qui perseuerauerit vsque ad finem hic saluus erit, Matth. c. 24. num. 10. Expectans, inquit, quod est præsentis temporis, idest per singulos dies, donec scilicet, hodie cognominetur in terra, idest semper quotidie Christi aduentum expecto, in quem futurum credo, & in cuius sanguine spero, vt saluum me faciat, Paul. ad Hebr. cap. 3. num. 13. Adhortamini vosmetipsos per singulos dies, donec hodie cognominentur, vt non obduretur quis ex vobis fallacia peccati: participes enim Christi effecti sumus, si tamen initium substantiæ eius vsque ad finem firmum retineamus.

Expectans expectauit, ergo semper paratus erat, vt Dominum reciperet? Audi illum, quid dicat, Psalm. 107. in princ. Paratum cor meum Deus, paratum cor meum: Cantabo, & psallam in gloria mea; exurge gloria mea, exurge Psalterium, & Cithara, & dignus facit responsum accipere, exurgam diluculo. Expectabant illæ quinque Virgines fatuæ, sed non sumpserunt secum oleum, propterea audierunt Dominum, dicentem, Nescio vos, iste verò noster Dauid semper paratus fuit, & ideò Dominus intendit illi: & Dominus, inquit, intendit mihi, non attendebat illum, quòd fecerit mala, sed attendit ei quòd iustus erat, Psalm. 33. num. 16. Oculi Domini super iustos: & aures eius ad preces eorum; vultus autem Domini super facientes mala: vt perdat de terra memoriam eorum. Non ergo attendit illum, vt diceret nescio te; quia malus es; sed attendit ei, vt gratiam suam illi impertiendo eumdem pariter consolaretur. Vndè sequitur, & Dominus exaudiuit deprecationem meam, Augustin. Et quid tibi præstitit? quid tibi fecit? Eduxit me de lacu miseriæ, & de luto fæcis, & statuit supra petram pedes meos, & direxit gressus meos, & immisit in os meum Canticum nouum. Quid est lacus miseriæ? Profunditas iniquitatis ex carnalibus concupiscentijs: hoc est enim, & de limi lacu, vndè te eduxit de profundo quoddam, Psal. 129. De profundis clamaui ad te Domine, non enim quando de profundo clamauit; Paratus in profundo erat; clamor ipse iàm leuat. Sunt alij profundius in profundo, qui nec sentiunt se esse in profundo, vt sunt superbi contemptores, non pij deprecatores, non lachrymosi clamatores, sed tales, quales Scriptura designat, Prouerb. cap. 18. Peccator cum venerit in profundum malorum, contemnit; ei enim parum est esse peccatorem, nisi etiam sit peccatorum suorum non confessor, sed defensor; altius in profundo est. Ille autem, qui de profundo exclamauit; iàm ab imo profundi, caput, vt exclamaret, leuauit, ideò auditus est, eductus est de lacu miseriæ, & de luto limi; hæc Augustin. quia iàm habet fidem, quam non habebat: habet spem, sine qua erat: in Christo ambulat, qui in Diabolo errabat; 1. Corinth. 10. num. 20. sequitur Psalmus.

Posuit supra petram pedes meos, Isai. cap. 28. num. 16. Ecce ego mitto in fundamentis Sion lapidem probatum angularem, pretiosum in fundamento

fun-

fundatum, &c. & in hac petra, & in hoc lapide posuit pedes meos; nunquid posuit pedes, vt non vltrà ambules? habes iàm fidem Christi, ergo sufficit fides? non vtique, quia direxit, inquit, gressus meos. Ambula in via Iesu Christi, ex quo pedes tuos in petra posuisti: fides enim sine operibus mortua est, Iacob. Epist. 2. num. 14. cum sequen. sumus suprà petram, dirigantur gressus nostri: opus est adhuc, vt ambulemus, vt ad aliquid perueniamus. Supra hanc petram erat iàm Paulus, tamen dicebat: Non quia acceperim, aut iàm perfectus sim. Fratres ego non arbitror apprehendisse: Augustin. Quid ergo tibi præstitit, si non apprehendisti? vndè ergo gratias agis, cui dicis, sed misericordiam consecutus sum? 1. Timoth. 1. num. 15. Quia directi sunt pedes, quia supra petram ambulat, ait enim d. cap. 3. nu. 13. ad Philipp. Vnum autem quæ retrò sunt, obliuiscens, idest lacum miseriæ, & lutum fæcis, concupiscentias scilicet carnales, tenebras iniquitatum; ad ea verò, quæ sunt priora extendens meipsum, ad destinatum persequor, ad brauium supernæ vocationis Dei in Christo Iesu. Ergo, inquit Augustin. si extendit se, non adhuc est peruentus: extenditur enim animus desiderio rei concupitæ, non lætitia consequutæ. Currebat, quia iàm pedes eius in petra directi erant: iàm viam bonam ambulabat; habebat, vndè gratias ageret: habebat, quod peteret, gratias agens de acceptis, petens dimitti debita de acceptis, idest indulgentiam peccatorum, de illuminatione fidei, de robore spei, de flamma charitatis. Tenebat tamen adhuc Deum debitorem Paulus, quia superest, dicebat, mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus Iudex. Eruit ergo benignus Pater eum prius de lacu miseriæ, vt donaret peccata, vt liberaret de luto limi; posteà iustus Iudex reddens benè ambulanti, quod promisit, cui primò vt benè ambularet, donauit, si tamen vsque ad finem perseuerauerit, Matth. 24. n. 13. & ad Hebr. 6. n. 6. eandem solicitudinem ad expletionem spei vsque in finem.

Direxit ergo Dominus gressus tuos, vt recta via incedens non respiceres retrò post tergum tuum: direxit, quia iàm distorti erant, iàm ad malum ambulabas, iàm sine lumine incedebas. Posuit te supra petram, vt in lumine Christi directè ambules. Fidelis sis in vijs tuis, stabilis enim est petra illa, Christus scilicet, qui est petra; vt tu fortis resistens in fide, & operibus bonis; stabilis sis, ità vt; nec contrariæ potestates præualere possint aduersus te. Immisitq. in os tuum Canticum nouum, cum & ipse Iesus nouus homo venerit in mundum, vt te nouum hominem crearet per baptismi lauacrum in Mundo & nouam legẽ dedit, vt in itinere eius perambulans, peruenias cum ipso ad hæreditatem immarcessibilem, in Cælo ad Deum scilicet Patrem, qui est hæreditas nostra, bonum nostrum, & vita nostra sempiterna.

Et tu anima mea, nouus efficiaris homo, non respiciens amplius ad præterita. Benedic anima mea Domino, hymnum nouum cantando, quia propitiauit omnibus iniquitatibus tuis, factus es nouus homo. Inueterata fuisti inter omnes inimicos tuos, Psalm. 6. num. 8. renouata est iuuentus tua, ambula nunc in via recta. In terra aliena inueterasti, coinquinata eras cum mortuis, Baruch 3. num. 11. cum peccatoribus scilicet; nunc in Christo renouata fac, vt cum iustis scribaris, renouetur is, qui intus est, de die in diem; & si qui foris est, noster homo corrumpatur, scientes quomodò, qui suscitauit Iesum, & nos cum Iesu suscitabit, & constituet vobiscum, 2, Corinth. cap. 4. num. 14. & sequen.

sequen. Non contemplantibus nobis,quæ videntur, quia temporalia sunt, quæ autem non videntur,æterna sunt, Psalm. ibidem in fine: Expoliantes ergo vos veterem hominem cum actibus suis,induamini nouum eum,qui renouatur in agnitionem secundum imaginem eius,qui creauit illum. Induamini sicut electi Dei sancti, & dilecti viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem,modestiam,patientiam: deponentes iram, turpem sermonem de ore vestro,ad Coloss.cap.3.nu.5. cum sequen. quia immisit in nos Dominus Canticum nouum, carmen Deo nostro.

Fratres charissimi ordinem percipiamus,quo cantico nouo digni efficiamur, quod Dominus noster immittat in os nostrum, & carmen cantemus Deo nostro: dolor sit de peccatis, quia tunc iustè expectas,& Dominus intendit,& securè preces exaudit: pœnitentium autem preces, quid aliud sunt, nisi orationes ad Deum, vt liberet nos à peccatis? & Dominus exaudiens de lacu miseriæ,& de luto fęcis liberat nos. Mundus istæ miseriæ lacus est,diligentibus eum; & si ab illo liberatus es per consequentiam, & à luto fæcis, ab inferno scilicet inferiore liber eris, Prouerb.15.n.24. semita vitę super eruditum,vt declinet de inferno nouissimo,idest infimo: super eruditum, idest cursum ducit eruditum: Chald. supra, idest sursum intelligenti illum. Immittit Dominus in os nostrum Canticum nouum, carmen Deo nostro; vt lætetur cor nostrum, & timeat nomen tuum Domine. Et tunc confitebor tibi, Domine Deus meus, in toto corde meo, quia fundando pedes meos supra firmam petram: eruisti animam meam ex inferno inferiore, Psalm.85.num.13. Vita enim mea erat appropinquans in inferno deorsum; Propterea laudabit vsque ad mortem anima mea Dominum assiduè, & collaudabo illum in confessione, & exaudisti orationem meam, quia liberasti me à perditione, & eripuisti me de tempore iniquo, Eccles.51.num.8. & sequen.

Vide ergo frater charissime Dauidis ordinem pœnitentis; expectans, inquit expectaui: si expectat, ergo fidem habet: si fidem habet, & exauditur, quia liberatur à lacu inferiori, ergo prius pœnitens; pœniteat ergo te, & dolens sis de peccatis, & expecta, quia Dominus exaudiet te. Dirige gressus tuos iuxtà petram, & iuxtà Dei Iesu mandata, & Dominus liberum te faciet à luto fęcis, & à lacu miseriæ. Sis pœnitens, habeas fidem, & benè operare, & Dominus erit tecum, & lætabitur anima tua in misericordia eius, Eccles.d.cap.51.n.37. Tunc immittet Dominus in os tuum canticum nouum; quia qui prius terrena sapiens, & vanitatibus mundi plenum habebas cor tuum, & os tuum; nunc ad Dominum conuersus,deposito veteri oris strepitu cantabis canticũ nouum, laudans Dominum assiduè, & nomen eius, & in confessione collaudans illum, & ambulabit pes tuus iter rectum, quia collocata erit anima tua in fide, & in operando, & faciendo confirmaberis, ibid. num.26. & 28. Possedi cum ipsa sapientia cor, idest factus sum cordatus: propter hoc non derelinquar, scilicet à Deo. Immisit in os meum canticum nouum, Act. Apost. c.2. Repleti sunt omnes Spiritu sancto, & cœperunt loqui varijs linguis prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis.

Videbunt multi, & timebunt, & sperabunt in Domino. Quid viderunt multi? os Zachariæ apertum,illius,& lingua eius loquebatur,benedicens Deum, & factus est timor super omnes vicinos eorum, sed super omnia montana Iudææ

Iudææ diuulgabantur omnia verba hæc. Quia Zacharias Pater Ioannis repletus erat Spiritu sancto, canticum nouum cantabat, dicens, Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitauit, & fecit Redemptionem plebis suæ Israel: Sicut locutus est per os sanctorum, &c. Ecce canticum immissum in os eius: & carmen Deo nostro: quia iàm venerat Dominus, iàm natus erat,& præcursor Ioannes, de quo dicebant, Quis putas puer iste erit? qui, & in vtero matris exultauit in gaudio, ex quo facta est vox salutationis Mariæ Elisabet; quæ ipsi dixerat Mariæ: Beata, quæ credidisti, quia perficientur ea, quæ dicta sunt tibi à Domino. Ecce canticum Elisabet. Ecce aliud canticum Mariæ nouum: Magnificat, inquit, anima mea Dominum: & exultauit spiritus: meus in Deo salutari meo; & Beatam me dicent omnes generationes, quia & esurientes impleuit bonis, &c. Luc.1.num.44. & sequen. Quid dicis Simeon? quare in spiritu in Templum iuisti? quid dixisti? Nunc dimittis seruum tuum Domine, quia viderunt oculi mei salutare tuum,&c.Lumen ad reuelationẽ gentium,&c. Quid Anna Prophetissa dicis, quia & tu cum Simeone in Templo fuisti? & hæc ipsa hora superueniens confitebatur Domino. Quid, ò Doctores, quando Iesum annorum duodecim in medio vestrum in Synagoga sedentem, & vos interrogantem? stupebant inquit textus, Luc.2.nu.47. & mirabantur. Vos verò Pastores, quid vidistis annunciate nobis? natum vidimus, & choros Angelorum laudantes Dominum, dicentes, Gloria in excelsis Deo,&c. Turba prosternens vestimenta ante pedes Iesu, quid clamabant? Canticum nouum clamabant, Osanna filio Dauid, benedictus qui venit in nomine Domini: Osanna in Altissimis, Matth.21.num.10.Luc.19.num.38. Marc.11.nu.9. Benedictum, quod venit regnum Patris nostri Dauid, Osanna in excelsis, Psalm.117.nu.25. O Domine saluum me fac;ò Domine benè prosperare: benedictus qui venit in nomine Domini: benediximus vobis de domo Domini, Deus Dominus, & illuxit nobis. Deus meus es tu, & confitebor tibi, Deus meus es tu, & exaltabo te; viderunt multi, & timuerunt, & sperauerunt in Domino.

Viderunt multi Christum Dominum in Cruce pendentem, & mortuum; & dixerunt, verè, hìc homo iustus erat, & omnis turba eorum, qui simul aderant ad spectaculum illud,& videbant quæ fiebant, percutientes pectora sua reuertebantur, Luc.23.num.48. Vel dicamus. Videbunt multi, quæ dicebat Petrus, multi scilicet, quos enumerat Scriptura d.cap.2. in Act.Apost. Parthi, & Medi, &c. & qui habitant Mesopotamiam, Iudæam, &c. & aduenæ Romani, &c. loquentes Apostolos illorum linguis, & crucifixum Christum prædicantes, & dixerunt, quid faciemus, viri fratres, &c. & compuncti, qui cœperant sermonem Petri, vt pœnitentiam agerent, baptizati sunt,& appositæ sunt illa die animæ circiter tria millia, d.cap.2.num.41. in Act. Apost.

Videbunt multi, & timebunt, & sperabunt in Domino. Quis est, qui hæc dicit, & quibus dixit? Verba sunt capitis nostri Christi, cuius membra nos sumus; loquitur ad fideles suos, illuminat iustos suos. Propterea videbunt,quia illuminati sunt. Aures autem perfecisti mihi, vt infrà nu.9. & in Hebraico legitur, aures autem fodisti mihi, & in Græco corpus autem perfecisti mihi, vt latius infrà dicam, vndè Isai.cap.35. num.5. Deus ipse veniet, & saluabit nos, tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt, & cap.29.n.18. & audient in die illa surdi, & verba libri, & de tenebris, & caligine, oculi

cæcorum videbunt. Et addent mites in Domino lætitiam, & pauperes homines in sancto Israel exultabunt, & num. 23. sed cum viderit filios suos opera manuum mearum in medio sui sanctificantes nomen meum, &c. & scient errantes spiritu intellectum, & mussitatores discent legem, & Isai. cap. 9. num. 2. habitantibus in regione vmbræ mortis, lux orta est eis. Videbunt igitur multi, quos scilicet, timor Domini apprehenderit. Initium est sapientiæ timor Domini, non timor seruilis, sed amoris. Ideò sperabunt, quia videbunt, ideò viderunt, quia timor Domini erat in illis, Videbunt multi eos, qui vocati sunt, & audierunt, & crediderunt, multos dixit, quia non omnes receperunt verbum Dei, Act. cap. 13. n. 46. & 48. & crediderunt, quotquot erant præordinati ad vitam æternam, Zach. 2. num. 11. Applicabuntur gentes multæ in die illa ad Dominum, & cap. 8. num. 22. & venient populi multi, & gentes robustæ ad quærendum Dominum, & ipsum gentes deprecabuntur, Isai. 11. nu. 10.

Videbunt multi. Et quid viderunt multi? eos qui sunt fideles, & iusti, Isai. cap. 60. num. 21. Populus autem tuus omnes iusti, iustus enim ex fide viuit, ad Rom. cap. 17. num. 17. Bonos in Ecclesia Dei salutem expectantes, quia de lacu miseriæ, idest quia mundanas res, & sæcularia desideria in totum reliquerant; & ab se tamquàm perniciosà abiecerant, à luto fæcis, & lacu miseriæ liberati, & postquàm iustos viderunt à lacu miseriæ liberatos, quid facient? timebunt: quid timebunt? pœnam inferioris inferni: & in Domino sperabunt, quia, & ipsi exemplo præcedentium viam arctam ingrediuntur, quæ ad Cælos ducit; latam verò, quæ ad perditionem, reliquerunt. Augustin. Sed si iustus es, noli numerare, sed appende stateram. Vide contrà pauca grana, quantam paleam leues. Videbunt ergo multi lacum miseriæ, in quo mali inciderunt, & lutum fæcis, in quod eiecti sunt, & timebunt. Sperabunt tamen in Domino, quia sequuntur bonorum exempla, ex quo pedes supra petram posuerunt, gressus illorum, & vistigia imitantes, & sequentes, Isai. 51. num. 1. Attendite ad petram, vndè excisi estis, & ad cauernam laci, de qua præcisi estis. Leuaui, inquit Psal. 12. oculos meos in mótes, in claros quoq. & magnos Ecclesię spirituales viros, magna soliditate non timore; Per quos nobis scriptura dispensata, & declarata est, Prophetas scilicet, Euangelistas, & bonos Doctores. Illuc leuauerunt oculos suos ad montes, vndè illis venit auxilium. Et ne auxilium putares ab homine, sequitur: Auxilium meum à Domino, qui fecit Cælum, & terram; Videbunt multi, timebunt, & sperabunt in Domino, timeant ergo, ne vias malas ambulent, vias latas, vias lutosas, sed eligant viam angustam, vbi supra petram quorumdam directi sunt gressus, Augustin. Quid facere debeant, audite modò.

Beatus vir, cuius est nomen Domini spes eius, & non respexit in vanitates, & insanias falsas. Ecce inquit Augustin. qua volebas ire, ecce turba viæ latæ; non frustrà ipsa ducit ad Amphiteatrum, non frustrà ipsa ducit ad mortem, Matth. 7. num. 16. & sequen. Via lata mortifera est, latitudo eius delectat ad tempus, finis eius angustus in æternum. Ego confitebor illis, dicit Iesus, ibidem, quia numquàm noui illos. Turbæ strepunt, turbæ festinant, & turbæ colluctantur, turbæ concurrunt; noli imitari, noli auerti, vanitates sunt, & insaniæ mendaces. Sit Dominus Deus spes tua, non aliud aliquid à Domino Deo tuo speres, sed ipse Dominus Deus tuus sit spes tua. Relinque omnes amores, quia

pul-

pulchrior est ille, qui fecit Cælum & terram; ille sit spes tua, in illo sit confidentia tua, illum solum desidera, in quo omnia bona sunt posita, cum ille sit summum bonum, ipsa bonitas, &c. Beatus est vir, cuius est Dominus spes eius, & non respexit in vanitates, in insanias falsas: Quæ vides, bona putas: falleris; sanus non es, nimia febri phreneticus factus es; sit spes tua in Domino Deo tuo: qui fecit omnia, melior est omnibus. Qui pulchra fecit, pulchrior est omnibus: qui fortia, fortior est, quicquid amaueris, ille tibi erit: disce amare in creatura Creatorem, & in factura factorem. Ne teneat te quod ab illo factum est, & amittas eum, à quo & ipse factus es: hæc Augustin.

Multa fecisti tu Domine Deus meus mirabilia tua: Si ad ista inania relinquenda non te mouet fides Christi, non prædicatio Euangelij, non Sanctorum te præcedentium exempla, & bona opera, moueant te mirabilia, quæ Iesus fecit, miracula illius intuere; nàm ipse dixit, saltem operibus credite, Ioan.c.14. nu.12. alioquin propter opera ista credite. Multa fecisti tu Domine Deus meus mirabilia tua. Si tu terrenus, qui es, terrena respicias; quid tibi de Apostolis. Sanctis videtur? qui non armis, non vi aliqua, nec fraude inuenta, sed sanguine suo, quasi semen per totum Orbem terrarum diffusum, totum Orbem verbo Dei firmauerunt, repleuerunt, Idola destruxerunt, tot Regna, & Prouincias oblatas spontè Ecclesiæ sanctæ, sanctificauerunt in fide Christi; & illa adepti possiderunt Successores Petri, & posident? tot Imperatores, & Reges, & terræ Principes ad pedes illius prostrati illos deosculati sunt. Hæc autem non ex illorum virtute, sed ex potestate ipsis à Deo tradita fecerunt: Hæc munera, hæc miranda fecit Deus, dedit Deus. Si clamas, de Cælo & ipse spectat: si luctaris, & ipse adiuuat: si vincis, & corona cælesti perpetuò duratura coronat; cogitationibus tuis Domine, non est qui similis sit tibi. Sæculum istud mare est, noxiam habet amaritudinem, fluctus habet tribulationum, tempestates tentationum; in ipso & tu stas, hoc ambulas & calcas. Audi præcedentem te, & dicentem, spectaculum facti sumus huic mundo, & Angelis, & hominibus, 1.Corinth.4. Dicas & tu cum Petro: Domine si tu es, iube me venire ad te super mare, Matth. cap.14. nu.20. Nàm & ipse Dominus in hoc sæculi mare stetit, in hoc ambulauit; quomodò autem compatiatur, atque in infirmitatibus nostris, & ipse sit patefecit, quando nauicula sua iactabatur fluctibus, Matth. d.cap.14. nu.24. Pedes tuos super hanc petram Christum fige, & non mergeris, nàm & ipse, qui & tecum est in his tribulationibus; cum ipso inquit, sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum: audiet te petentem, vt erigat te mergentem. Clama, dicens cum Petro, Domine pereo, adiuua me, quia non sinet te perire, qui iussit, te ambulare; quia continuò extendens manum apprehendet te, & ascendens cum illo in nauiculam cessabit ventus. In petra ambulas, non timeas in mari: si sine petra fueris, si sine Christo fueris, in mare huius sæculi demergeris, in vanitatibus suffocaberis: in petra Christi ambula, si non vis submergi in hoc mare sæculi: Calca mare, ne mergaris in mare: non ibis, non calcabis, nisi ille iusserit, qui prior in mari ambulauit; dixit Petrus, Domine, si tu es, iube me venire super aquas; & quia ipse erat, audiuit, tribuit desideranti, vocauit ambulantem, erexit mergentem, dicit Augustin.

Hæc, & alia magna inquit Iesus, vt in Psalm. Annunciaui, & locutus sum; multiplicati sunt super numerum. Hæc dicite, inquit, Ioanni, quæ audistis,

&

& vidiſtis: quia cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt; pauperes euangelizantur, Luc. 17. num. 22. Multiplicati ſuper numerum illi homines praui, & adulteri, nàm omnes clamabant crucifige, crucifige: multiplicati ſunt in malo ſupra numerum, ideſt ſine numero, ſiue omnes; Et ſurgens omnis multitudo eorum duxerunt Ieſum ad Pilatum, Luc. 23. num. 1. at illi inſtabant, vt crucifigeretur, ibid. Luc. num. 23.

Annunciaui, & locutus ſum. Si annunciaſti, nonnè tunc locutus es? & ſi locutus es, quomodò, & non annunciaſti? nunquid aliud ſit annunciare, aliud loqui? annunciauit per alium, locutus eſt per ſemetipſum. Annunciauit per Prophetas Dominus, quæ futura, aduentum Domini ſcilicet, Iſai. cap. 40. nu. 3. Vox clamantis in deſerto: parate vias Domini, rectas facite in ſolitudine ſemitas Dei veſtri, & reuelabitur gloria Domini, & videbit omnis caro pariter quòd os Domini locutum eſt; & idem Iſai. cap. 61. num. 1. Spiritus Domini ſuper me, eo quod vnxerit Dominus me, ad annunciandum manſuetis miſit me, vt mederer contritis corde; & prædicarem captiuis indulgentiam, & clauſis apertionem; vt prædicarem annum placabilem Domino, & diem vltionis Deo noſtro, & iterum Iſai. cap. 42. num. 9. quæ prima fuerunt, ecce venerunt: noua quoque ego annuncio, antequàm oriantur, audita vobis faciam: Cantate Domino canticum nouum, laus eius ab extremis terræ, & cap. 48. num. 3 priora ex tunc annunciaui, & ex ore meo exierunt, & audita feci ea, repentè operatus ſum, & venerunt; & num. 5. Prædixi tibi ex tunc, antequàm venirent indicaui tibi, &c. Annunciaui ergo per Prophetas, & Doctores aduentum meum, in remiſſionem peccatorum tuorum. Sed quid annunciaſti amplius? Iſai. 50. num. 2. Quia veni, & non erat vir, & num. 6. Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus, faciem meam non auerti ab increpantibus; & conſpuentibus in me, &c. Et multiplicati ſunt ſuper numerum: cantate ei canticum nouum, quia iàm priora tranſierunt. Sacrificium, & oblationem noluiſti, aures autem perfeciſti mihi. Quia ſanguinem pro peccatis gentium ego effudi, qui ſicut ouis ad occiſionem ductus propter ſcelus populi mei me Pater percuſſiſti: & iniquitatem eorum ego portaui, Iſai. 53. per totnm.

Annunciaui, & locutus ſum. Quia ego ſum, qui veni, vt illorum portarem iniquitates; occiderunt eos, qui prius aduentum meum annunciauerant, qui eorum peccata reprehendebant: & extrà Ciuitatem me eiecerunt, crucifixerunt, occiderunt, multiplicati ſunt iniqui, quia omnes clamauerunt, crucifige ſuper numerum, quia omnis turba quærebat me occidere; meq. redemptorem noluerunt recipere.

Vel dicamus cum Auguſtin. Multiplicati ſunt ſuper numerum; nàm in Eccleſia militanti ſunt boni, ſunt & mali; bonorum numerus electorum certus eſt, nàm omnes, qui piè volunt viuere, in numero certo ſunt: & ſi mali ſint, dúmodò conuertantur à malitia ſua. Et mali omnes, baptizati ſunt, Euangelio credunt, quod nobis per Apoſtolos annunciatum eſt, & Dominus ipſe locutus eſt, quæ in illo continentur. Multiplicati ſunt, malè operantes, retrò abeuntes, multiplicati ſunt ſuper numerum, quia non eſt amplius illis locus in Cælo, cum mali ſint Chriſtiani; ſuper numerum ſunt, quia etſi baptizati; condemnabuntur tamen, cum iuſtis non ſcribentur: Ianua ipſis clauſa erit, quia non ſumpſerunt oleum ſecum. Multiplicati ſunt, quia in omnem terram exiuit

ſonus

sonus Apostolorum, sed non omnes viam arctam ingressi sunt, quæ ducit ad Cęlum: Annunciaui quia ipse Christus misit annunciatores: ex mēbris suis Apostolos, & Prophetas. August. Quanti fideles agglomerantur, quantæ turbę concurrūt, multi verè cōuersi, multi falsò conuersi, & pauciores sunt verè conuersi, quia praui multiplicati sunt super numerum. Est numerus certus pertinens ad illam Cęlestem Ierusalem, nouit enim Dominus, qui sunt eius, Christianos timentes, Christianos fideles, præcepta seruantes, Dei vias ambulantes, & à peccatis abstinētes, si ceciderint confitentes. Ipsi ad numerum pertinent. Sed sunt super numerum, nàm multis turbis impletæ sunt Ecclesiæ, stipantur parietes, pręssuris se vrgent, prope se suffogant multitudine: Rursus ab eis ipsis; si mimus est, curritur ad Amphiteatrū: isti super numerū sunt: ipsis dicitur ab Apostolis, & à prędicantibus, & Doctoribus Ecclesię ex persōna Christi, annunciaui, & locutus sū, hæc August.

Sacrificium, & oblationem noluisti. Eutymius verò, & alij coniungentes præcedentem versiculum cum præsenti exponunt; nàm prius dixerat nullum similem Deo, qui multa, & mirabilia fecit, quæ mirabilia multa Iesus annunciauit, & locutus est, sed non omnia, quia super numerum ità multiplicata sunt, quòd nec dici, nec cogitari possint; ad hæc enim explicanda multiplicati sunt sermones, & libri super numerum. Nàm, vt dixit Daniel c. 12. pertransibunt plurimi, & multiplex erit scientia, & Ioan. c. vltimo in fine, Non arbitror, ipsum mundum capere posse libros, qui scribendi essent. Quis ineffabilem explicet rationem, qua is, quem totus non capit orbis, terramque, & Cælum implet in visceribus Mariæ claudi potuerunt? Quibus sermonibus enarretur quomodò filius Dei, similis nobis, homo sit factus, qui cum sit vita, mori voluerit; vt satisfaciens iustitiæ Patris, populum, quem iàm perditum scimus, Gentilem, & Hebręum redimeret. Ne is etiam, quæ cum quotidiana sint, vilescere videantur. Quid dicemus de Cælo, & Sole, & Luna, & Stellis, de Terra, & Animalibus, quæ in ea sunt: de marium, & aquarum congregatione, & quæ in illis continentur: insuper, & de homine formato ex luto, quem similem sibi facere voluit, atque formauit. Mirabilia fecit Deus, & quotidie multiplicat, ità vt enarrari, nec per homines possint, nec per Angelos.

Sacrificium, & oblationē noluisti, Isai. 1. n. 11. Quò mihi multitudinem victimarum vestrarum, dicit Dominus plenus sum; holocausta arietum, & adipem pinguium, & sanguinem vitulorum, & agnorum, & hircorum nolui, & n. 13. Ne offeratis vltra sacrificium: incensum abominatio est mihi, &c. calendas vestras, & solemnitates vestras odiuit anima mea, &c. Et cum multiplicaueritis orationem, non exaudiam, &c. Cessant nunc figuræ illę, quia venit, qui promissus fuerat Christus Iesus, noluit illa. Explicat istum Psalmi nostri locum, Paulus Apostolus ad Hebr. 10. nu. 5. ibi: Ideò ingrediens mundum dicit, scilicet Iesus: Hostiam, & oblationem noluisti: Corpus autem aptasti mihi: holocaustomata pro peccato non tibi placuerunt: tunc dixi, ecce venio. In capite libri scriptum est de me, vt faciam voluntatem tuam. Superius dicens; quia hostias, & oblationes, & holocustomata pro peccato noluisti; nec placita sunt tibi, quæ secundum legē offeruntur, tunc dixi, ecce venio: vt faciam Deus voluntatem tuā; aufert primum, vt sequens statuat, ideò inquit, corpus autem perficisti mihi, hæc Paul. Ex quibus rationem cognoscimus quare sublata sint prima, & antiqua sacrificia, & oblationes; quia illa prima erant in figura obseruanda, donec figura-

tum veniret. Venit, cessant igitur illa; quia Christus est oblatio nostra; ipse oblatus est, quia voluit, vt peccata nostra tolleret Isai.d.c.53. promittebat enim tūc Deus dare Messiam, nūc cessat promissio, quia venit ipse Deus, & factus est homo.

Augustin. Quare illi primo hoc placuit verbum, & quare illud mutauit? quia temporis sui verbū fuit, & pro tempore suo placuit. Quando promittebat, tunc dicebatur, cum autem datum est, quod promissum, ablata sunt verba promissiua, data sunt completiua; Corpus scilicet Iesu Christi. Ideò illa noluit, vt hoc perficeret; illa voluit antequàm hoc perficeret; in corpore hoc nos sumus, huius corporis participes sumus. Hæc August. Illa ergo antiqua ablata sunt, hæc impleta: Ierem.31.n.32. Non secundum pactum, &c. & n.33. sed hoc erit pactum, quod feriam cū domo Israel post dies illos, &c. & ad Hebr.10.n.16. Hoc autem testamentum, quod testabor ad illos. Post dies illos, dicit Dominus, dabo legem meā in cordibus eorum, & in mētibus eorum superscribā eam, &c.

Sacrificium, & oblationem noluisti, corpus autem perfecisti mihi: secundum Græcam expositionem, quam sequitur Paul. vt supra, sic ista habentur, Holocausta etiam pro delicto non petisti; tunc dixi; ecce venio. Quibus benè adaptantur, quæ per Isai. d.c.6.n.9. Et audiui vocem Domini dicentis: Quem mittam? & quis ibit nobis? & dixi: Ecce ego mitte me, &c. & verè inquit August. fratres mei attendite, illa ablata, hæc impleta: det mihi modo gens illa Iudaica sacerdotem: vbi sunt sacrificia illorum? Certè perierunt, certè ablata sunt; nullum aliud signum his, qui residui facti sunt, nisi Circumcisionis: dixi residuis, quia multi ex illis gratia Spiritus sancti fidem Christi amplexi sunt. Cæteri verò tenent signum Cain: Agnum occidunt, azima comedunt: & nos occisum cognoscimus, quia Pascha nostrum immolatus est Christus, 1.Corinth.5. nu.8. & diem festum celebramus, non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ, sed in azimis sinceritatis, & veritatis. Occidit Cain Abel offerentē sacrificium Deo de agnis: occiderunt & Iudæi agnum immaculatum Iesum Christum: clamabat sanguis Abel de terra ad Dominum: surdus fuit, qui occidit. Maledictus ille, qui effudit sanguinem, & ipse non excepit: ille effudit, alia terra excepit, & ab ea terra, quæ os aperuit, & sanguinem excepit, ille maledictus est. Terra hæc est Ecclesia, quæ occisi agni excepit sanguinem. Ità Augustin. vox sanguinis fratris tui clamat, inquit, ad me de terra, Genes. cap.4. num.10. Surdus Cain, qui non viuit: Surdi sunt Iudæi, qui Christum occiderunt; ideò mortui sunt, traditi Diabolo, quia maledicti remanent super terram. Egressus est Cain à facie Domini, & habitauit profugus: egressi sunt & Iudæi, & profugi, & serui habitant extrà illorum regionem, & domos.

Holocaustum, & pro peccato non postulasti; propterà tu corpus meū ad sacrificium tibi placitum adaptasti, & aures meas perfecisti, vt audirem te, & obedirem tibi; Propterea dixi ecce Domine venio, & paratus sum facere voluntatē tuam Deus meus, quia volui. In capite enim libri scriptum est de me, vt facerē voluntatem tuam, Deus meus: volui, & legem tuam in medio cordis mei. Corpus meum adaptasti, legit S. Paulus: Vulgata habent, Aures perfecisti mihi ad idipsum significandum, Aurium facta mentione, quia de obedientia agitur; per figuram Sinecdochen, Psal.17.n.45. In auditu auris obediuit mihi: pars pro toto: Aures inquit perfecisti mihi, cū meum adaptasti corpus, vt audiens mandata tua, Domine, corpus meum pro sacrificio in ligno Crucis tibi obtulerim, vt facerem volun-

voluntatem tuam, Ioan.cap.4.num.34. idem Ioan.cap.12.num.27. ibi. Et propterea veni in hanc horam, Idem cap.6.nu.38. Descendi de cælo, non vt facerem voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me Patris.

Ego verò dicerem,& legerem, prout iacet, Aures autem perfecisti mihi. Ac si dicat: Reuelasti aures meas, indicans scilicet, & reuelans mihi vt homini, quòd Corpus meum in sacrificium postulasti, Ità simile videmus, 2.Reg.7.num.27. Domine Deus Israel reuelasti aurem serui tui, dicens, Domum ædificabo tibi: Propterea inuenit seruus tuus cor suum, vt oraret te oratione hac. Vndè benè hic subiectum est. Sacrificium,&c. ac si dicatur. Et ego tunc dixi: ecce venio, vt Corpus meum sit sacrificium tibi, qui holocaustum pro peccato noluisti: sacrificium ergo,& oblationes pro peccatis in veteri lege à Deo data, noluit esse Deus duratura, quia ad tempus erant data illis in scriptis vsque ad aduentum Domini Iesu veri Redemptoris: nàm lex,& Prophetæ vsque ad aduentũ Ioannis, dicebat Iesus, Matth.c.11.n.13. & si vultis recipere, ipse est Elias, qui venturus est,& cap.17.nu.12. Dico autem vobis, quia Elias iàm venit, & non cognouerunt eum,& Luc.c.1.nu.17. Et ipse præcedet ante illum in virtute Eliæ, vt conuertat corda Patrum in filios,&c. Malach.4.nu.5. Ecce ego mittã vobis Eliam Prophetam, antequam veniat,&c. Propterea ego, is ait, dixeram ecce venio, vt faciam Deus voluntatem tuam, Paul. ad Hebr.c.10.num.10. Abstulit primum, vt sequens statueret: in qua voluntate nos sanctificati sumus per oblationem Corporis Iesu Christi semel. Et omnis Sacerdos Iudæus præsto est quotidie ministrans,& easdem sæpe offerens hostias, quæ nunquam possunt auferre peccata. Hic autem vnam pro peccatis offerens hostiam, in sempiternum sedet in dextera Dei,&c. & num.14. Vna enim oblatione consummauit in sempiternum sanctificatos, hæc Paul.d.cap.10. ad Hebr. per totum. Non ergo memineritis priorum, dicit Isai. d.c.43.nu.18. & antiqua ne intueamini; ecce ego facio noua,& nùnc orientur vtique cognoscetis ea, & Apocalyps.cap.21.num.5.

Sciendum autem quod hic dicitur, & pro peccato, significare speciale sacrificij genus, quod pro peccatis offerendum erat in lege veteri contradistinctũ ab alijs, quo significato, aliquando etiam Paul.2.Corinth.5.nu.21. peccati nomen vsurpat, dicens, Qui non nouit peccatũ, pro nobis fecit peccatum: August. exponit, qui pro nobis se fecit peccatũ, idest sacrificium. Holocaustum quippe totũ cremabatur super altare holocaustorum, non offerebatur pro peccato populi, vel particularis personæ, sed tantùm ad honorem Dei, sicut & victima, siuè pacifica, quæ hic dicitur oblatio; offerebatur tantùm ad petitionem, vel gratiarũ actionem, pro lucro captando, vel damno vitando,& comedebatur à populo coram Deo; speciale autem sacrificium offerebatur pro peccato publico, vel priuato: & redibat in vsum Sacerdotum, qui propterea peccata populi comedere dicebãtur, & ideò dicunt, quod hoc sacrificium dicitur peccatũ, non tamẽ per illud sacrificium, sicut nec per aliud veteris legis Sacramentum, peccatũ originale tollebatur: quamuis August.lib.1.de Nupt.& concupisc. c.11.& Magist. Sentent. in 4. libro dist.1. asserat, Deum circumcisionem instituisse ad tollendum originale, & quòd ità valebat, sicut modò Baptismus; quorum dicta ità intelligi possunt; quòd benè circũcisus liberabatur in fidẽ venturi Christi, sicq; sẽper remanebat debitor in Christo,& Deus semper remanebat creditor vsque ad generalem solutiònem faciendam per Christum. Propterea sacrificium, inquit,& oblationem

noluisti; quia nondum integraliter pro peccato erat satisfactum, quia sacrificia non erant sufficientia, confirmantur hæc per ea, quæ scripsit Paul. ad Galat. cap.2.numer.16. Ex operibus legis non iustificatur homo, scientes, quòd non iustificatur homo, ex operibus legis, nisi per fidem Iesu Christi, & ad Roman. cap.9.num.11. & ad Hebr. & præcipuè d.cap.10.num.1. & 4. Vmbram enim habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum per singulos annos indesinenter, nunquam potest accedentes perfectos facere, &c. Impossibile enim est sanguine taurorum, & hircorum auferri peccata. Et facere videntur, quæ in Genes. cap.17.numer.9. & 10. Circumcidetur ex vobis omne masculinum, & circumcidetis carnem Præputij vestri, vt sit signum fęderis inter me, & vos: nàm si in signum fęderis, ergo non in pretium; nàm frustrà Patres vestri Abraham, Adam, Iacob, & Moyses, Abel, & Noe, & cæteri Patriarchæ expectassent, & desiderassent aduentum Christi, vt ad tollendum peccatum veniret: si sciuissent, quòd sacrificia veteris legis iustificare potuissent hominē, & tollere peccatum. Et tamen omnes redemptionem expectabant, vndè David Psal.19. Veni ad liberandum nos Domine Deus virtutum; & Psal. 50. Asperges me Domine hyssopo, & mundabor, & Zach.8.n.11. Tu verò in sanguine testamenti tui eduxisti vinctos de lacu, vbi non erat aqua. Quid de lacu, vbi non est aqua, nisi de limbo, vbi sancti Patres vsque ad aduentum Christi permanserunt? & Isai.d.cap.53. Attritus est propter peccata nostra. Accedit, quia si hominis Circumcisio ad tollendum originale valida fuisset, ergo mulier, quæ non circumciditur, erit exclusa; ergo lex non est vniuersalis, sed particularis, & non iusta, quia mulier reperitur exclusa, & illa conteret caput serpentis; Genesi d.cap.3.nu.15. ex qua & omne bonum nobis datum est, quia Virgo virginum peperit Iesum Christum Redemptorem nostrum. Augustin. tamen authoritati multum defero, & hanc quæstionem Theologis disputandam relinquo. Omnia ergo genera sacrificiorum veterum figuras esse sacrificij Iesu Christi dixerunt Paul. & alij Doctores, & S. Leo in Serm.8. de Passione Domini, omnes differētias hostiarū, vna Corporis, & Sanguinis Christi implet oblatio. Quando ergo Dominus hæc decreuit, tūc filius dixit, ecce ego venio: vt faciā voluntatem tuā, iuxtà quod aures perfecisti mihi, vt obedirē tibi, vt populum meum peccatorem sanctificarem tibi per sanguinis effusionem, ac mortem meam, ad Hebr.d.c.10.

In capite libri scriptum est de me, vt facerem voluntatem tuam: Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei. Quid sit libri caput; multi multa dicunt: alij principium libri Genesis, ità S.Ambr. Hoc nunc os ex ossibus meis; & relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori suæ, Sacramentum hoc dicit Apostolus ad Ephes.5.nu.30. magnum est, ego autem dico in Christo, & Ecclesia, num.32. Prius dixerat num.29. nemo enim vnquam carnem suam odio habuit; sed nutrit, & fouet eam, sicut & Christus Ecclesiam; quia membra sumus corporis eius, de carne eius, & de ossibus eius, August. Ecce ad membra respexit: ecce & ipse fecit voluntatem Patris, sed in quo libro scriptum est de illo? Fortasse in capite libri huius Psalmorum, quid enim longè petamus, aut alios libros inquiramus? ecce in capite libri huius Psalmorum scriptum est; Beatus vir, qui non abijt in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit. Sed in lege Domini voluntas eius fuit; Hoc est Deus meus volui: & legem tuam in medio

cordis

cordis mei, hoc est & in lege eius meditabitur die, ac nocte.

Alij verò, vt Chrysost. Eutymius, Theodoretus de libris Prophetarum intelligunt, in quibus plurima de Christi passione scripta sunt, quia in Hebræo non dicitur in capite, sed in volumine. Alij intelligunt de libro vitæ, de quo lib. Psalm. 68. & Daniel 12. numer. 1. Saluabitur populus tuus omnis, qui fuerit scriptus in libro vitæ, & Matth. 25. num. 46. Iusti autem in vitam æternam, & Luc. 10. num. 2. Gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in Cælis, & in alio loco, Apocal. 20. num. 12. Et libri aperti sunt, & alius liber apertus est, qui est vitæ, & iudicati sunt mortui ex his, quæ scripta sunt in libris secundum operationem ipsorum, & si liber iste clausus sit nunc. Quòd tamen Christus in illo, & in eius capite scriptus sit, non est dubitandum; literalis satis ista videtur acceptio.

Ego autem, saluo meliori iudicio, dicerem quòd cum quicquid per Prophetas prænunciatum est, & scriptum, omnia propter Christum, in figura tamen, scripta sunt, ideòque post Aduentum Ioannis, post Natiuitatem Christi Iesu cessarint, & vsque ad illud tempus illi vaticinati sint: Consequenter quia omnia de Christo venturo scripta sunt: idest quia tota Scriptura, Spiritu sancto dictante, propter Christum edita est; In capite libri, inquit, idest, quia propter me scripta sunt. In summa libri (legunt nonnulli) Ego caput, & causa fui libri huius scribendi veteris Testamenti. Adeòq. in eo toto inuenietis cuncta ad id notificandum directa, vt facerem voluntatem Dei Patris mei. Enimuerò, quia omnia quæcumque habet Pater meus, mea sunt, propterea dixi, Deus meus volui, Ioan. 16. num. 15. In capite libri, quia Deus est, qui testimonium perhibet de me, Ioan. 5. num. 37. & 39. scrutamini scripturas, quia vos putatis, in ipsis vos habere vitam æternam, & illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me, & num. 46. si enim crederetis Moysi, crederetis forsan & mihi: de me enim ille scripsit, si autem illius literis non creditis, quomodò verbis meis credetis? Vt facerem voluntatem tuam, cum ea, quæ sunt placita tibi, faciam semper, Ioan. cap. 8. num. 29. Aures autem perfecisti, idest mihi reuelasti, vt sanguine meo populi peccatum delerem.

Ecce ergo Domine venio in mundum, vt faciam voluntatem tuam, quia in alio non est generis humani redemptio, nisi in sanguine meo immaculato; propter quod ità corpus meum aptasti, sicut tu Domine per Prophetas aduentum meum promisisti; & ego volui, quia tu Domine in me, & ego in te, Ioan. cap. 17. lex enim tua in medio cordis mei est, non in tabulis lapideis, sed in corde. Scriptum enim est etiam: Lex Dei eius in corde ipsius, & non supplantabuntur gressus eius, Psalm. 1. nu. 2. & custodiam illam semper, Psal. 118. nu. 44. & 47. Quomodò dilexi legem tuam Domine, tota die meditatio mea est. Ligaui propterea eam in corde meo iugiter, & circumdedi gutturi meo, Prouerb. cap. 6. num. 21. Mandatum lucerna est, & lex lux, & via vitæ increpatio disciplinæ, ibid. num. 23.

Annunciaui iustitiam tuam in Ecclesia magna, ecce labia mea non prohibebo: Domine tu scisti. Quid annunciasti? Quòd in mundum venisti quòd cum sis filius Dei, & incomprehensibilis, corpus humanum assumpsisti, & illud adaptasti, vt diuinitati tuæ, & animæ tuæ vniretur, ad se subijciendum humanis miserijs, ità vt famem, sitim, lassitudines, verbera, & mortem tandem Crucis

pateretur. Hæc enim in capite libri de te ò Iesu Christe scripta sunt, per Moysen, Dauidem, Isai. & alios Prophetas vt supra dixi. Tu namq. ipse iustus iustificasti multos, & iniquitates eorum portasti, & cum sceleratis reputatus es: & peccata multorum tulisti, Isai. d. cap. 53. in fine: & etiam pro transgressoribus rogasti, exaudiuitq. Deus Pater preces tuas, quia multiplicati sunt qui venerunt, & in sanguine tuo redempti sunt. Hæc vniuersa in Ecclesia Iudæorum, & demum in Ecclesia magna annunciasti, & quòd in te sit salus, & vita, eademq. etiam Apostoli tui, & alij fideles prædicauerunt. Quod pro iustitia Dei, qui ità mundum dilexit, vt filium suum vnigenitum daret prò redemptione illius; pro iustitia Patris inquam ipse descenderis de Cælo, humanitate vestireris, crucifigereris, morereris: Magna iustitia tua Domine sancte Pater, vt nec filio tuo peperceris, ità mundum dilexisti. Poteras Deus meus nouum mundum creare, & nationes, quas feceras interimere, Sapient. 12. numer. 12. cum sis Dominus omnium, & quis imputasset tibi, si mundum renouasses, & nationes existentes reprobasses, interfecisses, ad nihilum reduxisses? Iob cap. 39. cum sequen.

Hæc omnia nota sunt Deo, quia ipse fecit omnia; ad nostram instructionem, & doctrinam scripta sunt; vt quæ Iesus fecit, & nos faciamus: annunciauit, vt annunciemus: passus est, vt & nos compatiamur, & quia, cum ipse sit glorificatus, vt & nos glorificemur. Annunciauit in Ecclesia magna: in omnibus gentibus, iuxtà id quod Genes. 12. num. 3. & cap. 22. num. 18. Deus dixit Abrahæ, ex cuius semine sumus & nos: Benedicentur in nomine tuo omnes gentes terræ. Ideò in Ecclesia magna annunciaui mirabilia tua, inquit, vt omnes credant in te, & in me filium tuum, qui ideò me misisti, vt saluarem eos, quos dedisti mihi, Ioan. d. cap. 17. Annunciauit ergo iustitiam, vt gloriam dans Deo, & nos gratias illi agamus, quia per iustitiam, quam Pater in Iesum Christum exhibuit, nos apud eumdem Patrem cooperantibus nobis iustificati sumus: Propterea autem dixit: Ecce labia mea non prohibebo; quod est etiam temporis futuri, vt sciamus, quia semper laus in ore nostro esse debet; à qua neque timore, neque alia ex causa recedere debeamus, nec labia nostra prohibere, ne magnalia Dei loquantur.

Iustitiam tuam non abscondi in corde meo, sed veritatem tuam, & salutare tuum dixi; nàm quod erat in corde, illud erat, & in ore: Credidi, propter quod locutus sum, Psalm. 114. labia mea non prohibui, tu scis Domine: Vtrunque enim necessarium relinquo prędicandum Apostolis meis: Deut. 30. n. 14. Propè est verbum in ore tuo, & in corde tuo, & ad Rom. 10. num. 8. Hoc est verbum fidei, quod prædicamus; quia si confitearis in ore Dominum Iesum Christum, & in corde tuo credideris, quòd Deus illum suscitauit à mortuis, saluus eris; Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem fit confessio ad salutem: Iustitiam ergo Dei, & tu quisquis es fidelis non abscondas in corde tuo: & veritatem Iesum Saluatorem, qui est ipsa veritas, confitearis, quia ipse solus est, qui tollit peccata mundi, qui credentes sibi redimit, & saluat. Non sint verba laudantia, & cor absens à veritate, Isai. d. cap. 29. num. 13. Matth. 15. num. 8. Præ timore non prohibeas labia pronuntiare fidem, quam habet in corde, Matth. c. 10. n. 32. Qui enim confitetur Christum corá hominibus, confitebitur & is illum coram Patre suo: & qui negauerit illum coram hominibus & ipse negabit

illum

illum coram Patre, ideſt, non eum cognoſcet, quia erubuerit confiteri ipſum coram hominibus, Auguſtin. non ſit inter cor tuum, & inter labia tua rixa: ſed dicant labia, quod habet cor. Hoc contrà timorem habeat cor, quod labia dicunt; hoc contrà ſimulationem habeant labia, quod credit cor. Aliquando enim timor eſt, & non audes dicere quod noſti, quod credis: aliquando ſimulatio eſt, dicis, & non habes in corde. Conſentiant labia tua cordi tuo. Quærens pacem à Deo, tibi ipſi eſto pacatus; non ſit inter os tuum, & cor tuum mala rixa. Ecce labia mea non prohibebo; Domine tu ſciſti, tu cognouiſti; intus in corde cognouit Dominus, & ideò labia non prohibet, dicens: Credidi propter quod locutus ſum: nec horruit paſſionem, propterea adiungit, calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo: & quia locutus eſt, hoſtis quid nocuit? pretioſa in conſpectu Domini, mors Sanctorum eius, Pſalm. 115. num. 15. hæc Auguſtin.

Iuſtitiam tuam, dixit, non abſcondi, & ſalutare tuum dixi; in ſequenti verò verſiculo, Non abſcondi miſericordiam tuam, & veritatem tuam à concilio multo. Quid eſt, iuſtitiam tuam non abſcondi, ſalutare tuum dixi, miſericordiam tuam non abſcondi, & veritatem tuam à concilio multo? Iuſtitiam non abſcondit, quia miſſus eſt ipſe filius Dei; ſicut promiſit, Geneſ. cap. 49. nu. 10. Deuter. 18. num. 18. Iſai. cap. 40. num. 10. & cap. 45. num. 8. Rorate Cæli deſuper, & nubes pluant iuſtum: aperiatur terra, & germinet Saluatorem, & iuſtitia oriatur ſimul, quia ſcilicet per ipſum Ieſum Chriſtum iuſtificamur, & Ierem. cap. 23. nu. 5. & ſequen. Et ſuſcitabo Dauid germen iuſtum; & regnabit Rex, & ſapiens erit; & faciet iudicium, & iuſtitiam. Non abſcondi ergo me illis, quia ille ego ſum, quem tu miſiſti Saluatorem: nec abſcondi miſericordiam tuam, quia vt peccatores ſaluarentur per tuam miſericordiam miſſus ſum, & hanc veritatem non abſcondi à concilio multo Iudæorum, & aliarum gentium, quibus per labia mea, & per Apoſtolos meos nota feci, iuxtà illud verbum Domini creſcebat, & multiplicabatur numerus Diſcipulorum, multa etiam turba Sacerdotum obediebat fidei, Act. cap. 6. num. 7. & cap. 4. num. 4. & 5. cum ſeqq. Congregati Principes Sacerdotum, &c. interrogabant, ſtatuentes eos in medio eorum, &c. in qua virtute hæc facerent, & num. 10. Notum ſit omnibus vobis, & omni plebi Iſrael; quia in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti Nazareni, quem vos crucifixiſtis, quem Deus ſuſcitauit à mortuis, en hìc iſte aſtat coram vobis: Claudus enim ex vtero ſanatus erat à Petro, & à Ioanne in nomine Ieſu; & num. 12. Hic eſt lapis, qui reprobatus eſt à vobis ædificantibus, qui factus eſt in caput anguli, & non eſt in alio aliquo ſalus, &c. nec aliud nomen eſt ſub Cælo datum hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri. Non abſcondi miſericordiam tuam, & veritatem tuam à concilio multo; nàm dixerunt ad eos in concilio congregatos, in nomine Ieſu prædicare prohibentes: ſi iuſtum eſt in conſpectu Dei, vos potius audire, quàm Deum, iudicate. Non abſcondi veritatem tuam à concilio multo; Verbum enim Dei non eſt alligatum: Ducemini enim, dicebat Ieſus, ante Reges, & Præſides, nolite terreri.

Sed quomodò non te abſcondiſti Ieſu dulciſſime, ſi Apoſtolis tuis præcepiſti, vt nemini dicerent, te Ieſum Chriſtum? Matth. cap. 16. num. 20. Tunc præcepit Diſcipulis ſuis, vt nemini dicerent, quia ipſe eſt Ieſus Chriſtus. Nonnè tu es Via, Veritas, & Vita; Si tu abſconderis, & Veritas abſcondita erit,

quia

quia tu es Veritas. Propter nos voluit, vt nomen eius diceretur Iesus Christus: Nàm si Iudæi Messiam, & Christum sciuissent, nunquam Regem gloriæ crucifixissent; neque nos redempti fuissemus. Non tacuerunt tamen Apostoli, miracula, & opera eius mirabilia narrare, & prædicare: at miseri illi Iudæi audientes non audiebant, quia corda eorum indurata erant, ne viderent; Per quod ipsemet Iesus docuit nos, ne gloriemur in nobis: sed gloria nostra sit in Deo; Mirabilia faciebat Iesus, mortuos suscitabat, cæcis lumen dabat: exijt sermo in vniuersam terram Iudææ de eo, & in omnes regiones; Ioannes motus ab illo mittit duos de Discipulis ad eum, dicens, Tu es, qui venturus es, an alium expectamus? Iesus autem non dixit, ego sum; sed dixit, Ite, renunciate Ioanni, quæ audistis, & vidistis, cæci vident, claudi ambulant, surdi audiunt, mortui resurgunt, &c. Pauperes euangelizantur, & beatus qui non fuerit scandalizatus in me, Luc.7.nu.17. cum sequen. Tu etiam fac bona opera, & da gloriam Deo; non tibi assumas honorem, Ioan.7.num.54. Si ego me glorifico, gloria mea nihil est; est Pater meus, qui glorificat me: Obmutescite, dicebat Iesus spiritibus illis immundis, clamantibus; Quid nobis, & tibi, Iesu Nazarene venisti perdere nos? scimus quia sis sanctus Dei, Marc.cap.1.nu.24. nec sinebat illa loqui. Et tu miser, cui Deus dedit aliquam virtutem, vel gratiam, vel diuitias, in te gloriaris? 1.Corinth.cap.10.num.17. & cap.1.nu.31. ad Philippens.3.num.5. gloria tua sit ipse Deus, Obmutesce ingrate, da gloriam Deo, quid enim habes, quod non accepisti? quid gloriaris, quasi non acceperis? 1.Corinth. cap.4. numer.7. Quomodò verò Christus iusserit Discipulis, vt tacerent, & quare, & quomodò, videas per te Doctores de hoc loquentes in Euangelio, Matth.cap.6. & præcipuè Tostat. ibi quæst.91.92.93. & 94.

Non abscondi misericordiam tuam, & veritatem tuam à concilio multo. Prædicauit misericordiam, non tamen reliquit veritatem, in hoc corpore & nos sumus Ecclesiæ, vt prædicemus eis veritatem, & misericordiam. Verax est, si de peccatis pœnitentiam egeris, dabit tibi peccatorum veniam, & ipsa delebit, quia apud ipsum est misericordia, non sic autem est Deus misericors, vt sit iniustus; nec sic iustus est, vt misericors non sit, Augustin. Parua ne misericordia tibi est? non imputabit priora omnia, si nunc benè hodie viues: benè viue hodie, hanc misericordiam non celabis, hæc Augustin. Misericordiam Dei non contemnens, veritate gaudebis: tunc verò gaudebis, quando in diuisione ouium, in iudicio vniuersali ab hædis segregatus, inter oues ad dexteram Domini stabis, Matth.cap.25. Quòd si illam spreueris inter hædos, qui ad sinistram sunt, collocaberis: ibi enim non est pœnitentiæ locus. Misericordia, & veritas obuiauerunt sibi, vt & nos fruamur pace Christi.

Tu autem Domine ne longè facias miserationes tuas à me, misericordia tua, & veritas tua semper susceperunt me.

Tu autem Domine ne elongaueris auxilium tuum à me, ad defensionẽ meam conspice, Psalm.20.num.21. quoniam tua misericordia, & veritas semper susceperunt me. Quia iustus fuit, ideò gratia Dei, & misericordia semper fuit cum illo, Sap.cap.4.num.15. & cum electis eius, Bernard. in Epistola ad fratres de Monte Dei, gratias ipsi gratiæ, etsi dici potest, plusquam gratuitæ miserationi, qui beneficijs obruit non solum immeritos, sed etiam nimium malè

me-

meritos, & ingratos: pro populo enim sibi credito orat Dominus petens auxilium, vt non longè faciat miserationes ab illo.

Venisti Domine Iesu peccatores vocare ad pœnitentiam, illorum miserearis: sicut mulieris in adulterio deprehensæ misertus es, digito in terram scribendo, Ioan.cap.8.nu.16. Ità, & nobis peccatoribus miserearis, quia pro nobis venisti, vt miserearis; auertisti faciem tuam Domine, & declinasti in terram, ne crimen adulteræ cerneres, quod punires: Mundi enim sunt oculi tui, ne videas malum, & respicere ad iniquitatem non potes, Habac. cap.1.nu.13. Chrysolog. Serm.113. Quia multus es ad ignoscendum, ideò, & miserationes tuas ne longè facias à nobis, qui viam iniquam relinquere parati sumus, & iniquas cogitationes nostras, Isai.c.55. Reatus est nobis, sed misericordiæ tuæ recordaberis, Habac.3.num.2. tu ne longè facias miserationes tuas.

Misericordia, & veritas semper susceperunt me: Augustin. Non auderem conuerti, nisi securus essem de remissione; non durarem perseuerare, nisi securus de promissione. Misericordia, & veritas semper susceperunt me. Attende, quia bonus es: attende, quia iustus es; amo bonum, timeo iustum, amor, & timor perducunt me, quia misericordia, & veritas tua semper susceperunt me, hæc Augustin. Quia ergo in te est misericordia, & veritas tua semper valida est, & firma: hæc duo simul susceperunt me, vt pœnitens venirem ad te, quia, & tu suscipies me, quia verax es, & saluas venientes ad te, sicut promisisti.

Ne longè ergo facias miserationes tuas à me, quoniam circundederunt me mala, quorum non est numerus. Si tu adiutor meus eris, ego non ero confusus; propè tu sis mihi, & iuxtà, vt iustifices me, quis enim contradicet mihi? stemus simul, quis est aduersarius meus; & si Dominus Deus meus auxiliator meus es, quis condemnet me? Isai.cap.50.num.8.

Mala circundederunt me, quorum non est numerus: comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui, vt viderem. Scimus Domine Iesu, quia numerus malorum fuit innumerus; quia totus mundus, cuius tu peccata portasti, erat peccatis immersus. Propterea, nec species erat in te, neque amplius decor, nec aspectus: Virum dolorum, & infirmitatem nostram scientem te vidimus: & quasi vultum tuum, absconditum, & despectum, quia verè languores nostros tu portasti, & dolores nostros in te suscepisti, Isai.dicto cap.53. num.3. cum sequen. Quia comprehenderunt te iniquitates nostræ, & non potui, inquis, vt viderem, quia velauerunt faciem tuam, Ezech. cap.12.nu.12. facies eius operietur, vt non videat terram, Luc.cap.21.num.63. Viri qui tenebant eum, illudebant ei cædentes, & velauerunt eum. Vel ideò non potuisti Domine videre, quia cum tu sis ipsa misericordia, peccatorem peccantem in te condemnari non potes videre, miserationes enim eius super omnia opera eius, dicit Dauid Psalm.144.num.8. & 9. Non potui ergo, vt viderem, quia vniuersæ viæ Domini misericordia, & veritas; Quando peccator peccat, quasi viam spinosam, & asperam, sibi aperit, vt Deus corrigat illum, & puniat, Psalm.77.nu.50. Viam, inquit, fecit semitæ iræ suæ, vt per Angelos malos immittat in peccatores indignationem, iram, & tribulationem, num.49. in eodem Psalm. Deus enim non fecit mortem, nec lætatur in perditione viuorum, Sap. cap.1.num.13. & cap.2.num.24.

Et non potui, vt viderem, quia peccantes longè facti sunt ab illo. Quomodò longè facti sunt ab eo, qui propè vbique est? Dauid Psalm. 138. per totum, & num. 7. Quò ibo à spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? si ascendero in Cælum, tu illuc es, si descendero in infernum ades, &c. quomodò ergo de longinquo sit peccator: Hieronym. Epist. ad Damasum Papam, loquens de filij Prodigi parabola. Recedunt, ait, peccantes affectu, non locorum spatijs: recessit filius iunior, Cain egressus est à facie Domini, & Chrysost. Serm. 11. Epist. ad Phip. Peccata elongant nos à Deo voluntate, & animo, non loco: vehementer Deum fugimus; quo fugis miser? quo fugis vitam, & salutem tuam? si Deum fugis, ad quem confugies? si lucem fugis, quo respicies? si vitam fugis, vndè posteà viues? Cum peccamus fugimus à Deo; fugitiui in alienam terram descendemus, quando ille, qui bonis paternis consumptis, abijt in terram alienam; Facit cap. 1. in Sap. nu. 3. Peruersæ cogitationes separant à Deo, & Psalm. 118. longè à peccatoribus salus, num. 155.

Iterum ex persona peccatoris ad Dominum, quia multitudine peccatorum opertus est, Domine ità graue grauatæ sunt super me iniquitates meæ, & peccata, vt nec te videre potuerim. Premit iniquitas mea, vt lucem non videam; sed quomodò vis tu, ò peccator primum videre, si iniquitas opprimat te, si peccata tua suffocant te: dele iniquitatem, & videbis. Cæli lumen non videbis, si oculos clausos teneas: superbus es, si prius accedere ad Deum, vt videas, antequam laueris: remoueantur velamina, tollantur peccata, & impedimenta, & sic videbis: si cæcus es, quid tibi lucis ostensio proderit? Crede prius, deindè lauare, lachrymis, & confessione lauantur peccata, & tunc videbis. Quid videbis? quòd hucusquè in lacu miseriæ, & in luto fæcis fuisti: iniquitatem tuam cognosces, & cum Dauide dices; amplius laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me. Cur ità Dauid? quia iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contrà me est semper, Psal. 50. Augustin. Prius effice quod tibi præcipitur: sana cor: munda cor: dilige inimicum. Hoc iubet Medicus, amarum est, sed salubre: ità vexatus es, vt indè saneris, & sanari, inquit, non erit onerosum, voluptuosè diliget inimicum sanatus: conare, vt saneris. In tribulationibus, in angustijs, in tentationibus fortis esto, perdura, Medici manus est, non latronis, Hæc Augustin. Sana ergo me Domine, & sanabor, Ierem. cap. 17. nu. 14. & oculi mei erunt videntes te Dominum: sana animam meam, quia peccaui tibi, Psalm. 40. num. 5. liuore tuo sanus factus sim; & ego, Isai. d. cap. 53. ne me humilem, & contritum despicias Domine Iesu, qui cum contrito, & humili habitas Deus, vt spiritum eius viuifices, & cor contritorum. Iàm viuens confiteor, me vagum in via cordis mei ambulasse. Vias meas vidisti; ideò contritus sum, & humiliatus, & tu Domine sana me, vt reducas me, Isai. 57. num. 15. cum sequen. sequitur Psalmus.

Multiplicati sunt super capillos capitis mei; & cor meum dereliquit me. Malorum, seù peccatorum prius dixit non esse numerum: nunc verò ità peccata multiplicata, ait, vt sicut capilli capitis numerari non possint, propter quæ cor meum dereliquit me. Istos tres versiculos, non est dubitandum, in personam Christi esse pronunciatos, qui ideò venit, vt tolleret grauia, & multa peccata; nec illa non vidisse, & cognouisse putes, quia ipsi omnia sunt cognita; & ideò venit, quia cognouit, vt tolleret illa: Grauissima erant, ideò

maior virtus, & vis necessaria erat ad illa tollenda; propterea videbatur cor eum dereliquisse, quia pro satisfactione maior futura erat passionis, & afflictionis suæ pœna; quasi enim guttæ sanguinis decurrentis in terram, erat sudor eius in horto, & si ante passionem talis, maior erat futura profectò in spinarum corona capiti sacratissimo eius imposita, in colaphis, in verberibus, in nuditate, in crucifixione: de Cruce quippè clamabat ad Patrem, Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me? adeò erat illius humanitatis pœna grauis, & crudelis, & aspera. Cor meum dereliquit me; quia grauitas, & multitudo peccatorum innumerabilis aggrauabat illum in maioritate pœnæ. Comprehenderunt me iniquitates meæ corporis mei, Christus enim innocens fuit, & à peccatoribus segregatus. Adeò verò multiplicatæ tunc fuere iniquitates nostræ, vt non potuerit, idest noluerit ea intueri, Multiplicati sunt super capillos capitis sui, ei non potuit, vt viderem, dicit vnusquisque nostrum contemnens peccata venialia, quòd eorum tanta sit multitudo, vt vix obseruari queant, cum tamen de quocunque verbo otioso sit reddenda ratio, Matth. 12. num. 36. & de venialibus si contemnuntur, quia paulatim ad peccati mortalis lapsum disponunt. S. Thom. 2. 2. quæst. 88. art. 3. Et ità quòd peccata occidunt, si negligantur; interpretatur Augustin. in lib. 2. de Peccatorum meritis, & remissio, cap. 3. & super Psalm. 118. Concione 3. & in Tract. 12. in Ioannem, & Chrysost. Tom. 5. Serm. De leuium peccatorum periculis. Augustin. hic. Minuta videntur, sed multa sunt: præcauisti magna: iàm non facis adulterium, & alia de quibus Deuter. 5. num. 17. Et cor meum dereliquit me, quia deliqui, proptereà cor meum non est in me, 2. Reg. cap. 7. num. 27. Proptereà, inquit, inuenit seruus tuus cor suum, vt oraret te oratione hac: nàm prius per peccatum amisit cor, quod ideò posteà inuenit. Magna præcauisti, de minutis quid agis? Proiecisti molem, vide ne arena obruaris. Cor meum, inquit, dereliquit me: quid mirum, si cor tuum à Deo tuo desertum est, quando teipsum deseruit? Quid est, cor meum dereliquit me? Non est idoneum cor meum ad cognoscendum se, corde meo volo videre Deum meum, & non possum, præ multitudine peccatorum meorum. Quid mirum si Deum non discernas, si cor tuum obscuratum est totum ne discernere possis? aufer tenebras, & cor tuum lucidum erit, vt Deo inseruias; & sic illum videre poteris, si intus reformatus fueris, quia Iesum in corde iterum paries, qui renouabit te. Iacta cogitatum tuum in Domino, & cor tuum non derelinquet te. Si tecum me oportuerit mori, non te negabo, dicebat ille Petrus Princeps Apostolorum falsa præsumptione, Matth. 26. Melius nouit, qui corda hominum noscit Deus. Ter, inquit, me negabis. Cor petri latebat cordi Petri, & cor eius dereliquit illum. Sequere ergo & tu pœnitentem, exijt ille foras, fleuit amare, & Dominus etiam conuersus videbit etiam te; vt scias quia non derelinquet te: Clama ergo cum Propheta dicens.

Complaceat tibi Domine, vt eruas me: Domine ad adiuuandum me respice, quia expectans expectaui te, quia perseueraui desiderans te, ideò complaceat dare mihi, sicut tu promisisti, vt mecum sis in tribulatione, vt eruas me, & eripias me, Psalm. 90. num. 13. tunc enim non timebo mala, quando tu mecum eris, tunc de luto platearum, de luto fæcis, de luto ex sputo liberabis me; triplex enim lutum notat hìc S. Bonauent. lutum platearum, vt Habac.

dicto c.3. de luto platearum delebo vos, & significat luxuriam per latam viam incedentem; istorum enim inquinatæ sunt viæ in omni tempore, Psalm.10. numer.5..2. de luto fæcis, idest de cura temporalium, viam fecisti in mari equis tuis: hoc est mare magnum est, & spatiosum, Psalm.105.num.25. & mirabiles illius elationes, Psalm.92.num.4. de istis enim miserijs plenus est mundus, ideò spatiosum mare, & magnum, de 3. luto ex sputo, vt in hoc Psalmo, vel de concupiscentia, vel de miseria huius sæculi, vel de idolatrantibus, hæc Bonauent. Educas ergo me, de lacu miseriæ, quia sine te nihil possum ex me, vt accedens ad seruitutem tuam Domine, incipiam cum timore amare te, & in via tua ambulans sim proficiens dirigendo gressus meos in te, & ità ambulans, & proficiens sim; vt dignè in os meum Canticum nouum mittas, vt omni tempore laudem te. Complaceat ergo tibi Domine, vt eruas me de lacu miseriæ, & de luto fæcis, Domine ad adiuuandum me respice, quia si respicis lapsi stabunt, fletuq. culpa soluitur.

Confundantur, & reuereantur, qui quærunt animam meam, vt auferant eam, Psalm.141. num.5. Aspiciebam, vel, vt Vulgata habent, considerabam ad dexteram, & videbam, & non erat qui cognosceret me; August. legit aspiciebam in dexteram, & videbam, & non erat qui requireret animam meam, Prouerb.cap.1.num.24. & non fuit qui aspiceret, & non erat, qui me imitaretur, Augustin. attendebam ad dexteram, non ad iniquos, sed ad Apostolos ipsos, & non erat, qui requireret, immo qui præsumpserat, me negauit, Matth. cap.26. Non pereant igitur, qui quærunt animam meam, sed confundantur, & confusi reuereantur, qui quærunt animam Christi. Posuit Iesus Christus animam suam, quia voluit, Isai. dicto cap.53.num.7. & illam recepit, quia potuit, Ioan.cap.10.num.17. & 18. ego pono eam à meipso, & potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi eam. Breuis fuit illorum gaudium, qui Christum occiderunt, perpetua illorum confusio, quando eum resurrexisse cognouerunt. Compuncti sunt corde, quia Christus pro illis rogauit in Cruce, Act.cap.2.num.37. & Luc.23.num.34. Pater dimitte illis, quia nesciunt, quid faciunt; Confundantur qui compuncti corde reuertuntur: Et reuereantur, non moriantur, nisi qui obstinati in eorum cordis duritia permanebunt. Conuertantur primi retrorsum à superbia, & humiles facti sequantur vestigia mea. Conuertantur retrorsum, qui volunt mihi mala, quia ipsis Christus præcatus est bona, vt non amplius maledicentes dispereant, sed conuertantur, & reuereantur, Psalm.36.num.22. Luc.6.num.28. Benedicite maledicentibus, 1.Corinth.4.num.12. Maledicimur, & benedicimus, blasphemamur, & obsecramus, vt conuertantur retrorsum maledicentes, & facti benedicentes reuereantur Dominum.

Confundantur, & reuereantur, qui magna locuti sunt aduersum me, qui volunt mihi mala conuertantur retrorsum, & erubescant. Ferant confestim confusionem suam, qui gratulantes de mea passione, dicebant, euge, euge, deuorauimus eum, Psalm.34. Iàm non amplius in corde solum, sed ore clamabant gaudentes, vah qui destruis Templum Dei, descende nunc de Cruce, &c. seductor ille, &c. Matth.27.num.63. Recordati sumus, quia adhùc viuens dixit: post tres dies resurgam, iube custodiri sepulchrum vsque in diem tertiam, ne fortè veniat Discipuli eius, & furentur eum, & dicant quia surrexit à mortuis,

&

& erit error peior priore; Ergo error fuit primus, quando crucifixistis eum, quia Authorem vitæ interficistis: error peior secundus, quia Christum resurrexisse negatis. Conuertantur statim erubescentes, qui dicunt euge, euge, & reuereantur incedentes, & in eo quod verebantur, & illorum fuit error peior priore.

Exultent, & lætentur super te omnes quærentes te; & dicant semper magnificetur Dominus, qui diligunt salutare tuum. Domini sit gloria, ipsi soli vocatio tua, qui ideò vocauit te, vt illum quærendo adiuuaret te. Exultes tu vocatus à Domino, & in Domino lætare; quia salus ab illo, & non à te, & simul tecum qui diligunt salutare Domini, Christum Saluatorem nostrum, dicant, Magnificetur continuò Dominus. Gloriatur in Domino, qui consensit vocationi suæ, 2. Corinth. cap. 1. num. 5. Per Christum abundet consolatio nostra; si in nobis Christi passiones abundauerint: non in nobis fidentes simus, sed in Deo, qui suscitat mortuos; Qui ergo gloriatur, in Domino glorietur, 1. Corinth. cap. 1. num. 31. qui vocati sumus, à rerum temporalium dulcedine eripiamur, ablactemur à lacte, sicut de iustis Isaac, & Samuele tantum in Scriptura sancta legimus, Genes. cap. 21. numer. 8. & 1. Reg. cap. 1. numer. 22. fecit enim Abraham in ablactatione Isaac, magnum, & grande conuiuium: Anna verò, Non vadam, inquit, donec ablactetur infans, & numer. 24. Postquam ablactauit eum, adduxit eum in domum Domini. Fecit enim Dominus grande conuiuium: nàm gaudium magnum est in Cælo super vno peccatore pœnitentiam agente, Luc. cap. 15. numer. 7. In corde bono, & optimo verbum, quod nobis euangelizatum est, retineamus, vt fructum in patientia afferamus; Ablactemur à solicitudinibus, & diuitijs, & voluptatibus vitæ huius, ne suffocati fructum referre prohibeamur, Luc. cap. 4. numer. 14 & 15. Maior est enim dulcedo seruientibus Deo, Psalm. 30. numer. 20. Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, quam abscondisti timentibus te. Gloriemur non in his, quæ videntur; sed in spe gloriæ magni Dei, quæ non videtur. Bernard. in Psalm. Qui habitat. Gloriemur in tribulationibus: in tribulatione siquidem spes est gloriæ, & ipsa in tribulatione gloria continetur; sicut spes fructus in semine, sic spes fructus in tribulatione est; in hunc modum, etiam modo regnum Dei est intrà nos, est inquam, sed absconditum, felix, qui inuenerit illud.

Exultent igitur, dicit Dauid, super te, non super alios: quia ipse solus est Saluator, qui redemit te. Si peccator eras, & factus es iustus, da gloriam illi, qui te iustificauit Iesu Christo Domino nostro, qui impium iustificat, à quo recepisti, ad Roman. cap. 4. numer. 5. si iustus sis, lauda eum, qui ad coronam te vocat; nàm si per teipsum, tu quis es? Egenus, inquit, & pauper sum ego; mendicus ego sum, & pauper, Dominus solicitus es mei. Propterea ante ianuam tuam, Domine ego sto, & clamo, & pulso, Domine miserere mei, tu qui me fecisti, curam habeas mei; in te cogitatum meum iactaui, tu enutrias me, qui me creasti, Psalm. 54. numer. 23. Nunquid obliuisceris mei; qui pluis super iustos, & iniustos; & Solem super vtrumque facis oriri?

Verùm quia in persona Christi loquitur: nunquid illo alius pauperior fuit, qui in Cruce affixus nudus remansit? nunquid mendicior alius, cui siti enti

in ſpongia vinum myrrhatum obtulerunt, quod nec bibere voluit; Cuius caput vbi reclinaret non habuit; Egenus, & omni humano auxilio deſtitutus, afflictus, humiliatus, derelictus; quem & Pater dereliquiſſe viſus eſt, propterea enim dixit, Eloi, Eloi, lamma ſabacthani, ideſt Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquiſti me? meritòq. concludit Pſalmum, dicens, adiutor meus, & protector meus es tu Pater ſancte, & Deus meus, ne meam tardaueris reſurrectionem.

Ego verò Domine Ieſu non in rei alienæ deſideria immerſus, ſed ab huius ſæculi immunditijs ſeparatus; ſolum te Deum meum viuum, & verum adoro, totum, & totis viſceribus amplector, in te ſolo eſt ſpes mea, quia tu vita, & lux mea es, in te tremor meus, vt ſpiritum ſalutis concipiens, quæ tibi placita ſunt, parturiam, Iſai. cap. 26. numer. 18. ablactatus, & abalienatus à ſæcularibus deſiderijs, te ſolum quæro Deum, & Redemptorem meum, te ſolum volo.

SOLILOQVIVM.

EXPECTANS expectaui, & vſque ad finem perſiſtam, quia in te eſt ſpes mea, intende mihi, ſis mihi auxilium, & protectio, vt de lacu miſeriæ huius, & de luto fæcis, te Duce, te Rectore, euadam, & eripiar; Pedes iàm ſuprà petram poſui meos; greſſus mei non ſint extrà illam, vt nouum tibi canticum cantem, cum iuſtis tuis, & hymnum, quem in os meum immiſiſti, in Eccleſia tua dicam. Multi videntes te timebunt, & ſperabunt in te; quid enim beatius, quàm relictis inſanijs falſis, & vanitatibus ponere in nomine tuo ſpem noſtram? Mirabilia enim tua Domine multa ſunt, & cogitationibus tuis, non eſt tibi ſimilis. Annunciet per Prædicatores ſuos Eccleſia toto terrarum orbe diffuſa, nàm vltrà numerum iàm multiplicati ſunt multi eius fideles boni ſimul, ac mali, vt omnes à ſua conuertantur malitia. Recedant vetera ſigna, pro remiſſione peccatorum audiatur Eccleſia, cuius tu es caput Chriſte, qui iàm veniſti, & legem tuam in medio cordis noſtri reliquiſti. Non amplius holocauſtomata, non animalium ſacrificia; nàm de ſanguine tuo, qui verè tollis peccata mundi, loquitur ſacra Scriptura, prout etiam prædicaris in Eccleſia magna: & in concilio multorum proclamaris Saluator veridicus, & miſericors, qui iuxtà dicta Prophetarum veniſti relaxare noſtra delicta. Nè ergo Domine Ieſu miſerationes tuas longè facias à me; & ab Eccleſia tua; Veritas, & miſericordia tua circundent me. Inimici mei, immo, & tui Domine, quorum non eſt numerus: iniquitates meæ, hæretici, & infideles obnixi ſunt, vt tollerent, & lacerarent me; Concilium illorum deleas; ſanè ego videns mala illorum omni contentione ſtudui, vt mederer eis, nec potui; quia multiplicati ſunt nimis ſuper capillos capitis mei: Domine, qui vides omnia, ad adiuuandum me reſpice, quia cor meum dereliquit me: Confundantur, & reuereantur, qui quærunt animam meam, filios ſcilicet meos deuotos, vt auferant, & tollant illos: ijdemq. confuſi retrorſum conuertantur, quia vitam bonam reliquerunt, & ſpinoſam ingreſſi ſunt; Confeſtim videant, confuſionem ſuam, quia dicunt, Euge, euge, dilaceremus eum; In te verò exul-

 tent,

tent, & lætentur iusti, qui quærunt te, & dicunt semper, magnificetur Dominus; qui diligunt te salutare nostrum. Ego autem seruus tuus, mendicus sum, & pauper, qui diligo te salutare meum; Adauge mihi fidem, adiuua incredulitatem meam, solicitus sis mei. Perditus sum, nisi tu adiuues me, qui es adiutor, & protector meus. Deus meus, ne tardaueris; moram fecisti, expectans expecta, intende mihi, & exaudi me: iàm in petra exaltasti me, Gressus meos direxerunt, qui me docuerunt Apostoli tui Simon, & Iudas, quorum festum præuenimus hodie. Nondum perfeci, nondum perueni, quia ex tarditate mea, nec ego cucurri: nunc currere enitor, non vt aërem verberans, sed vt comprehendam: Domine Iesu per merita Beatæ Genitricis tuæ Mariæ, & Dominæ meæ, exaudi, adiuua, festina, donec comprehendam te; nec interim dimittas me Iesu dulcissime, Amen. Fiat, fiat.

IN PSALMVM XL.

Beatus qui intelligit super egenum, & pauperem: in die mala liberabit eum Dominus.



TITVLVS. In finem, ipsi Dauid, de quo aliàs diximus.

Continuatur ad præcedentem, in quo de his, qui firmati sunt in petra, dictum est: & à quibus ijdem sint liberati periculis. Verùm quia fides sine operibus mortua est, idcircò admodum consequenter in hoc Psalmo 40. declaratur quid opus sit ad beatitudinem acquirendam, Beatus qui intelligit, &c. Vt Christum videlicet mendicum sequamur, & pauperem, adhoc vt in Cælo ipsam habeamus beatitudinem.

Totus Psalmus de Christi passione.

Summa hæc videtur. Memoria passionis Christi, vt in die mala liberemur.

Beatus qui intelligit super egenum, & pauperem, quia in die mala liberabit eum Dominus.

Beatus, inquit, qui intelligit. Non dixit qui iàm intellexit, vel semel intelligebat, qui intelligit dixit, qui semper intelligit, qui quoties est illi hodie, in die illa semper intelligat super egenum Christum; quia secum semper ille egenus erit omni hodie; vt is liberet illum in illo hodie, die magna, & amara valdè. Intelligit, inquit, idest meditetur, vt in præsenti hodie illius voluntariam paupertatem, & mendicitatem: qui considerat Regem Regum pro nobis hominem factum, ideòq. & mendicum, & pauperem, vt ipsum puluerem, & lutum faceret secum Regni cælestis participem, & hæredem. Dies mala est ea, qua extremi iudicij sententia proferetur, eademq. dicitur vna dies, quia prolata in illa semper durabit Iudicis sententia perpetua, quæ nunquam transit, quæ velis nolis erit, venietq. & non tardabit, statim illa, & ex improuiso veniet amara valdè.

O verè beatus, qui rectè intelligit super egenum istum compatiendo illi, quia, & ipse liberabitur in die illa mala iudicij.

Sed quis dicitur intelligere super istum egenum, & pauperem? nunquid qui tantum illius passionem audit, & ad alia posteà mente transuolat? Non certè, audi eundem egenum docentem, quis verè intelligere dicatur, Matth. 13. num. 3. & num. 19. cum sequentib. est qui audit, sed non intelligit, sicut is qui secus viam seminauit: est & alius illis similis qui supra petrosam terram iecit semen, iste audit cum gaudio, sed per totam vitam verbum illud ab eo tollitur: est & alius ad instar illius, qui supra spinas semen iecerit, quod ab ijsdem spinis suffocatur, à solicitudinibus, nimirum huius mundi suffocato, quod ille audiuit verbum, adeòq. sine fructu.

Sis tu potius similis agricolæ illi prudenti, qui in terra seminauit bonam, audias verbum, corde bono, & optimo, sicquè benè illud intelligens, & fructum afferes centesimum, &c. fuge mundi curas: firmiter intelliges. Credas, nec circumueniaris à mundi fluctibus, & tempestatibus maris, pone verbum, vt radicem in terram tuam bonam emittet fructum, & beatus eris, quia super egenum Christum intelliges: quòd scilicet ipse peccata tua portauit, pro te passus est, pro te ideò venit, vt à die malo erueret te. Et quis non intelliget super istum egenum, & pauperem, vt per illum liberetur à perpetua paupertate, & pœna? captiuus ductus erat populus, quia non habuit scientiam, ideò dilatauit infernus animam suam, & aperuit os suum absque vllo termino: & ad eum sublimes, & gloriosi descendunt, quia non habuerunt scientiam, Isai. cap. 5. numer. 14. cum sequen. Iterum Augustin. quærit, Quid est intelligere super egenum, & pauperem? ex dicto Pauli respondet, ad Philippens. cap. 2. numer. 6. cum sequen. Quia, inquit, exinaniuit, & humiliauit semetipsum, formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo: humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem, mortem autem Crucis, &c. Diues apud Patrem, & pauper apud nos: Diues in Cælis, pauper in terra. Hoc te turbat, quòd hominem vides, quòd carnem intueris, quòd mortem respicis, quòd Crucem irrides? hoc te turbat? intellige super egenum, quia vbi exposita est infirmitas; ibi latet Diuinitas. Diues, quia sic est, pauper, quia tu sic eras; sed tamen paupertas ipsius diuitiæ nostræ sunt; quomodò stultitia ipsius, sapientia nostra est, 1. Corinth. cap. 1. nu. 25. cum sequen. quomodò infirmitas ipsius fortitudo nostra est: quomodò mortalitas ipsius, immortalitas nostra est. Quid sit pauper attende; non enim ex aliorum paupertate metiaris; impleuit pauperes, qui pauper effectus est. Propterea aperi sinum fidei: suscipe pauperem, ne pauper remaneas. Augustin. Si beatum dixerimus, qui intelligit super egenum Christum, & mendicum, quare, & membri illius eandem patientis egestatem non misereamur; esuriui, & non dedistis mihi manducare, quando te vidimus esurientem, &c. nec mihi fecistis, quia nec vni ex meis famem patienti manducare dedistis, omnes pauperes in Christo viuentes, filij Dei sunt, membra eius sunt, itàvt quod vni ex illis fecerimus, & Christo fecisse dicamur, Matth. cap. 25. numer. 46. & Luc. cap. 11. num. 41. Veruntamen quod superest, date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.

In

In die mala liberabit eum Dominus. Egenum illum, & pauperem, Christum intelligamus; Foris egenus is fuit, quia voluit; nàm si per ipsum omnia facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quomodò egenus, si non voluisset, cum ipse sit Deus? sed si, inquis, Deus est Christus, quomodò qui super Christum intelligit, dicit, quòd liberabit eum Dominus? numquid aliud est Christus, aliud est Dominus? An ignoras, quòd idemmet Christus, qui homo factus est, sit etiam Deus, & quod filius Dei Patris, & Deus Pater vnum sunt? egò & Pater vnum sumus, Ioan.dicto cap.19. Tu intendas in Christum hominem, & ipse Deus tui erit liberator hominis, vt secum, & tamquam illi similis, vna fruaris. Sed iterum quæro, si in die mala, idest in die vltima iudicij liberabit, interim ergo quid erit? numquid tamquam Deus, quasi de terrenis non curans, in die afflictionis, in tempore necessitatis homines relinquet? Et si Christus voluntariè egenus factus est, & voluit pati, quid super volentem ègo intelligere possum? non fit iniuria volenti, dicunt Iuristæ, & quod quis sua culpa sentit sibi imputandum, &c. Ad primum, stultè quæris, sicut, & in secundo quæsito: non te super illum intelligentem, nec in mundo reliquit, qui tecum semper in omnibus tribulationibus existit, cum ipso sum, inquit, in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo illum. Semper est dies mala illi, qui insanijs, & voluptatibus huius mundi addictus sit, & in vanitatibus, & peccatis, quia seruus Diaboli est. Sed si tu, præcedente Dei gratia, super Christum humilem, & pro te passum intelligas, & fidem in illo habeas, spesq. tua reposita in eo sit, nonnè de luto fæcis, & de lacu miseriæ in die illa, qua conuersus es ad illum, liberauit te? Erat illa iniquitatum tuarum dies mala, in qua reperiebaris: Credidisti, peccatum reliquisti, bonitatem fecisti, nonnè à die illa mala, quæ aliàs tibi erat in pœnam perpetuam, liberauit te Dominus Iesus, qui ideò venit egenus, & passus est, vt intelligentem in ipsum egenum te intus forisq. mendicum ditet intus, & extrà: vt sis hæres illius in sæcula. Non ergo blasphemandum, vt in secundo suprapo sito dubio, ideò culpam in Christum esse referendam, quòd factus sit egenus, ac pauper, passusq. sit, quia sic ipse voluit. Si quidem re vera culpa in eo extitit, sed tua, non illius, vt te repertum reum, & in culpa egestate, humilitate, & morte sua recrearet, & renouaret in hominem Deo carum sine culpa.

Ipse innocens, super quem Deus Pater omnium nostrum iniquitates posuit, Isai. cap.53.numer.6. & num.8. propter scelus populi mei percussi eum. Adeò enim Deus dilexit mundum, vt filium suum Vnigenitum daret, vt quod perditum tua culpa erat, eius benignitate, & amore de manu erueret Diaboli.

Christum ergo cognosce, in assumpta carne venisse, in qua factus est pauper pro nobis, & egenus, vt cælestium Beatitudinum, & tu capias opes; non tibi ergo videtur quia pauper, cum in Cruce nudatus, nec habebat vbi caput reclinaret? Nonnè etiam & ibi egenus videtur, cum ex egenorum cibis recreari se asserat? Quod enim, inquit, vni ex pauperibus meis fecistis, & mihi fecistis, qui enim cibat pauperem, Christum in illo cibasse didicimus.

Dominus conseruet eum, viuificet eum, & beatum faciat eum in terra, &

non tradat eum in animam inimicorum eius: Dominus tibi concedat, vt ab hac intelligentia, ne discedas vnquam, omne enim bonum, propterea tibi erit, si in tali intellectu perseueraueris vsque in finem. Has deprecationes Psalmista intelligenti super egenum prædicit. Neque enim credimus sumendum, vt moderniores dicunt, conseruet, idest custodiat, dum viuit: viuificet, idest post mortem iterum viuere faciat, resuscitando eum cum iustis; & beatum faciat eum in terra, idest, & tunc verè perfectèq. beatum faciat eum in terra viuentium, &c. Nàm supradictæ omnes deprecationes ad perfectioris intelligentiæ confirmationem, accessionemq. dictæ sunt, & ad designandum desiderium maioris meriti, ipsius intelligentis, vt iste sit sensus: Beatus, qui intelligit super egenum, &c. quia Dominus liberabit eum ab infidelitate præterita, & à peccatis, & dum viuit conseruabit illum: immo, & viuificabit illum semper illi maiorem intelligentiam, & spiritum immittendo: & in hac terra beatum faciet eum, quia à curis mundialibus, & vanitatibus absolutus: Beatus erit in terra, quia etsi de terra, haud tamen terra illum tanget: propterea liberatus erit etiam ab inimicis, & à Diabolo, quia ab illorum potentia immunis erit; & ideò sequitur quòd ab ipsis liberatus sit, reddita ratione; nàm si intelligit super Christum egenum, & pauperem, & crucifixum pro nobis; & Christus pariter illum propterea adiuuabit, ne in tribulationibus, & in angustijs deficiat, sed patienter illa sustineat, exemplo suo, cuius dolor immensus fuit; quia omnium peccata ipse tulit, adeoquè super lectum doloris eiusdem Christi opem fieret illi: idest in eius intelligentia ponet, quantus fuerit passionis illius dolor, & ad illius memoriam minorabitur dolor intelligentis. Non enim tribulationes aufert, quia quos amat, hos corrigit; sed eos adiuuat, vt patienter sustineant, vt propter earum tollerantiam secum frui cælestibus mereantur donis.

Et ideò sequitur: Vniuersum stratum eius, versasti in infirmitate eius, idest, & erit secundum Ambros. & Ioan. Chrysost. mutabis statum ægroti, & tribulati, in statum sanitatis æternæ, ad Roman.cap.8.nu.10. Corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus autem vita est propter iustitiam; si autem qui suscitauit Christum à mortuis, habitat in vobis, viuificabit & mortalia corpora vestra per inhabitantem spiritum in vobis. Hæc est opes in infirmitate eius, vt stratum eius versauit in infirmitate eius mutatione infirmitatis in sanitatem; licet hunc sensum videantur tenuisse Hieron. & Augustin. hìc. Per stratum, inquit Augustin. intelligitur aliquid terrenum, omnis anima infirma in hac vita quærit aliquid terrenum, acquiescit, & anima innocens in domo sua, quoniam intentionem laboris, & mentis extentæ in Deum difficilè potest perpetuò tollerare; acquiescit ergo innocens aliquando in his similibus, vt in filijs, in familia; sed tamen Deus volens, nos amorem non habere nisi vitæ æternæ, istis delectationibus, velut innocentibus aliquando miscet amaritudines, vt & in his patiamur tribulationes, & vniuersum stratum nostrum vertit in infirmitate nostra.

Vniuersum stratum eius versasti in infirmitate eius; non ergo conquæratur, quando in his, quæ innocenter habet, patitur aliquas tribulationes. Docetur amare meliora per amaritudinem inferiorum, ne viator tendens ad patriam

ſtabulum amet pro domo ſua,hæc Auguſtin. addens. Sed quare iſta? quia flagellat omnem filium, quem recipit, ad Hebr. 12.num.6. Quamuis ergo opes Dominus fecerit,cum tot tamen ſcandala,& pijs hominibus tribulationes ex illis oriantur, Deus id permittit, vt cognoſcant pij, illas opes, & commoda ipſum remouere: vt inter domum, & ſtabulum ſciant diſtinguere; vt ſtabulum, quæ ſunt terrena pro domo non diligant: propterea ex ammiſſione bonorum temporaliũ non turbari,ſed in ſolo Deo ſpem,& delectationem habere,illumq. ſolum quærere. Vniuerſum ergo ſtratum eius verſaſti in infirmitate eius. Quia ſolus Deus eſſe debet conſolatio noſtra, ſpes noſtra, refugium noſtrum, Pſal.89. num.1. Domine refugium noſtrum factus es nobis à generatione,in generationem. Alteram rationem adducit Auguſtin. quia flagellat omnem filium,quem recipit; & rationem rationis adducit, quia peccanti homini dictum eſt, in labore vultus tui veſceris pane tuo; ergo quia correptiones iſtas, in quibus vniuerſum ſtratum noſtrum vertitur in infirmitate noſtra, agnoſcit homo propter peccata ſe pati; ideò conuertit ſe ad Deum, quod in Pſalmo ſequitur.

Ego dixi Domine miſerere mei,ſana animam meam, quia peccaui tibi. Domine iàm me infirmum cognoſco: ſtratum meum, corpus meum infirmitate plenum, in tribulationibus anguſtiatum. Non audiuit Adam, Domine præceptum tuum, vt non caderet; ecce ego ægrotus ſentio infirmitatem,ſentio dolorem, vt ſurgam, quia iàm cecidi,ſana me Domine miſerendo,quia tibi peccaui tranſgrediendo. Scio,quia vnico filio tuo innocenti nõ pepercisti;nàm peccati expers flagellatus eſt, ob id quòd ego peccaui tibi: ſana animam meam, quia ipſe vnicus tuus portauit iniquitatem meam,Iſai.d.cap.53. non reſpuit ille amaritudines, ſpontè ſuſcepit, vt oſtenderet me pœnitentem, & clamantem ab infirmitate mea redemptum eſſe, & ſanatum paſſione ſua.

Si in iſto verſiculo,prout & in alijs loquatur Chriſtus,in quo omnes conueniunt: quomodò is hìc dicit; quia peccaui tibi,cum inferius aſſerat,Dominum propter eius innocentiam eum ſuſcepiſſe, & in æternum in coſpectu ſuo confirmaſſe? nu.13. Hic ille tamquàm peccator ſe accuſat, miſerere, quia peccaui tibi: infrà verò innocentem ſe à Deo ſuſceptum,&c. Parum recordari, videris; nonnè ſuprà vidiſti, & in alijs Pſalmis, Dominum venturum, vt omnium peccata portaret? Iſai.d.cap.53. & in alijs locis, carnem noſtram aſſumere propterea voluit, vt homo, caputq. noſtrum factus Patri ſatisfaceret pro nobis infirmis & peccatoribus, ſuſcepit ergo Ieſus peccata noſtra, pro peccatis ſuſceptis, debebat pati, ideò, miſerere inquit, mei, Domine in Paſſione mea, quia peccaui tibi, quia peccata ſcilicet populi mei, & totius mundi in me ſuſcepi: iàm ſatisfeci tibi; tu ergo ſana nunc animam meam, vt liuore meo ſanati ſint populi mei, ſicut promiſiſti, Matth.8.num.17. Iàm alligatum eſt vulnus populi mei, & percuſſus ſum ego, vt plaga eius ſanata ſit, Iſai.30.num.16. Domine memento mei, & miſerere populi mei; tantum in me auxilium tuum, quia perditio fuit ex Iſrael, Oſe.13.num.9.& 14. De manu mortis libera eos, quia de morte redemi eos. Sana Domine contritiones eorum,quia ſpontaneè diligo eos: quia auerſus eſt furor meus ab eis, Oſe. 14. num. 5. ſana me Domine, & ſanabor, ſaluum me fac, & ſaluus ero, quoniam laus mea tu es, Ierem. cap.12.num.14. Auguſtin. Nunquid ipſe? immo ipſe ex membris ſuis; quia vox membrorum ipſius, vox ipſius, quia & vox capitis, & vox noſtra: in illo

enim

enim eramus, quando dixit; tristis est anima mea vsque ad mortem, Matth. 26. Non enim timebat mori, quia venerat mori, aut recusabat mori, qui potestatem habebat animam suam ponendi, & potestatem habebat iterum reassumendi eam; sed loquebantur membra in capite; & loquebatur caput pro membris: vox ergo illa, sana animam, quia peccaui tibi, vocem nostram inuenimus. Et quando dixit, Deus Deus meus, vt quid dereliquisti me, in illo eramus, & consequenter in hoc Psalmo, vbi in capite hìc versus est, Verba delictorum meorum, ad Rom. 6. num. 3. Quorum delictorum in illo, nisi quia vetus homo noster simul crucifixus est cum illo; vt euacuaretur corpus peccati, & vltrà non seruiamus peccato. Ad illum ergo, & in illo dicamus: ego dixi, Domine miserere mei, sana animam meam, quia peccaui tibi.

Inimici mei dixerunt mala mihi, quando morietur, & peribit nomen eius; Quibusnàm verbis clarius? Propheta Dauid Pharisæorum, & Hebræorum inimicitias contrà Iesum poterat explicare, simulq. illorum rabiem, ac persecutionem, & quomodò illius mortem desiderarent, vt & eius nomen deleretur. Expedit, vt vnus homo moriatur pro populo, dicebat ille Pontifex illius temporis, quando consilium facientes Principes Sacerdotum, & Pharisæi dicebant; Quid facimus, quia hìc homo multa signa facit? si dimittimus eum sic, venient Romani, & tollent locum nostrum, & gentem, Ioan. cap. 11. num. 50. Consilium fecerunt, vt Iesum dolo traderent, & crucifigerent: dicentes quando morietur? quid facimus? quid tardatis, ò Iudæi interim? dolo teneamus eum, occidamus. Festinabant illi: at Princeps Caiphas, non in die festo, ne tumultus fiat in populo, Matth. 26. num. 5. De dolo agebatur, vt occideretur cum dolo, propterea Diabolus succurrit illis, quia eius filij erant, & desideria Patris eorum voluerunt perficere, Ioan. cap. 8. num. 44. ille enim homicida ab initio, & in veritate non stetit, quia non est veritas in eo, cum loquitur mendacium, ex proprijs loquitur, quia mendax est, vt ibi: Intrauit enim Satanas in Iudam, postquàm Princeps Sacerdotum sententiam illam protulit, expediens esse, vt Iesum interficerent, Luc. 22. nu. 2. & abijt ille proditor, & locutus est cum eis, quemadmodum illum traderet eis, & gauisi, & pacti sunt, pecuniam ipsi dare; Deleatur nomen eius, denunciauerunt enim Petro, & alijs Apostolis, ne omninò loquerentur, neque docerent in nomine Iesu, Act. Apost. 4. nu. 18. & cap. 5. nu. 40. Iste est hæres, Marc. 12. nu. 7. Venite occidamus eum, & non memoretur nomen eius amplius.

Et si ingrediebantur, vt viderent, vana loquebatur eorum cor, congregauit iniquitatem sibi. Quia ex corde quærebat opportunitatem ille traditor, postquàm pacto conuenit Iesum illis tradere: satagentes soliciti Principes Sacerdotum, &c. ingrediebantur in consilium, vt viderent, quando traditor tradidisset illis; cor eorum vana loquebatur, quia, sublato Iesu de medio, liberos sicut prius esse cogitabant, & quòd quicquid illis placitum erat, prout prius, licuisset eis. Simonias, adulteria, falsa documenta, Matth. 23. nu. 16. omnia illorum scelera per os Domini narrat, & enumerat, & numer. 33. serpentes, genimina viperarum, Luc. 3. num. 7. & Luc. 20. per totum, & num. 47. qui deuorant domos viduarum. Ingrediebantur vt viderent, si iàm Iesum tradidisset, vt Ecclesiam extinguerent; sicut & alias fecisse eosdem asserit Paulus, dicens ad Galat. 2. n. 4. Propter subintroductos falsos fratres, qui subintroierunt

explicare libertatem nostram, quam habemus in Christo Iesu, vt nos in seruitutem redigerent.

Vel dicamus, quòd ille traditor, qui egressus fuerat vt quæreret opportunitatem ingrediebatur, vt finem videret. Quocircà & tu Paule sancte, quid lamentaris, si in seruitutem, & illi fratres falsi quęrebant te reducere? idem in capite nostro fecerunt, & tu maior, capite nostro eris? ad caput nostrum Iudas ingrediebatur, vt videret, vt exploraret, non vt haberet quod crederet, sed vt inueniret quod proderet: si Dominum Iesum persecuti sunt, & vos persequentur, Ioan. 15. num. 20. Vana loquebatur cor eorum; Propterea congregauerunt iniquitatem, & mentita est iniquitas sibi, Psal. 26. Vana loquebatur, cum ingrediebatur. Quid est cum ingrediebatur vana loquebatur? quia iniquitates, quas prius in corde suo contrà Iesum congregauerat, Principibus illis iniquis, tamquàm veras, vt Iesum proderet, asserebat. Vana tamen loquebatur; quia falsa erant omnia. Iterum egrediebatur foras, & in idipsum loquebatur, iàm enim Diabolus in cor eius intrauerat: constitue super eum peccatorem, & Diabolus stet à dextris eius, Psalm. 108. numer. 6. Loquebatur in idipsum, quia iàm sine ratione erat, sine intellectu, non sibi constabat, perditum se censebat, si Iesum non tradidisset; ideò egrediebatur, ingrediebatur, in idipsum loquebatur. Ità malitia, & iniquitas cor eius impleuerat, ità Diabolus illum obcæcauerat, vt nec discerneret, quòd, quicquid in corde malo intrauerat ipsius perditio, & iniquitas maxima erat, tradere Iustum, & præceptorem, Dominum suum iniquè, iniustè, impiè. Dic traditor, & sacrilege; iniquitatem falsò Domino tuo opposuisti, & ecce iniquitas congregata est tibi, quia crepuisti medius, & pœnas luisti: Et si ingrediebatur, vt videret, vana loquebatur, Augustin. Vtinam intus esset, & vera loqueretur, non exiret foras, vbi falsa loquitur. Traditor, & persequutor est, egressus foras loquitur, si ad membra Christi pertines, veni introeas ad caput. Toléra zizania, si triticum es: tolera paleam, si frumentum es: tolera pisces malos in retia, si piscis bonus es. Quare ante tempus ventilationis auolasti? quare ante tempus messis etiam frumenta eradicasti tecum? quare antequàm ad litus venires, retia diripisti. Egrediebatur foras, & loquebatur in idipsum, hæc Augustin.

Ingrediebatur in iniquorum consilia, vt videret, quid de traditione sentirent illi: & quia gauisi sunt ex proditione promissa, vana loquebatur, idest falsa, & iniusta; In corde enim suo congregauerat iniquitatem sibi; & illa tamquàm vera asserebat; Extrà consilium etiam egrediebatur, & coram turba in idipsum loquebatur; quocircà iuncti simul inimici cum traditore, omnes susurrabant, Seductorem dicentes Iesum. Et quis nàm, dicebant, iste Iesus? In Beelzebub eijcit Dæmonia, &c. Dæmonium habet, Ioan. cap. 10. nu. 20. filius fabri est, non scit literas, quia illas non didicit, est vini potator: seducit populum, & gentem nostram: est contrarius operibus nostris. Quid respondebas tu Iudas traditor? In idipsum loquebatur; omnia vera sunt, quæ dicitis, propterea tradam illum Principibus vestris, vt moriatur. Mala cogitabant simul contrà Iesum. Venite dicebant, & disperdamus eum de gente, vt non memoretur nomen eius vltrà. Quoniam cogitauerunt vnanimiter simul aduersum te, testamentum disposuerunt, Psalm. 62. n. 4. & 5. vt eum morti traderent. Verbum iniquum constituerunt aduersum me: Nunquid qui dormit non adij-

quidem diligentibus pacem veram minime esse, præsertim quum pacem in pecunijs se habere putant Melius autem dicemus, Iesum appellasse Iudam hominem pacis suæ, quia per illius proditionem pacem veram ipse reliquit Ecclesiæ suæ, de qua dicebat: Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis Ioan. 14. n. 22. hęc locutus sum vobis, vt in me pacem habeatis, Ioan. 16. n. 33. Non quomodò mundus dat, ego do vobis. Homo pacis meæ, quia iàm pacem suam discipulis suis dederat Iesus, & illis, qui simul cum illis erāt, Ioan. d. c. 16. n. 33. non suscepit pacem ille, qui fraudulento osculo Iesum traditurus erat, Prouerb. 27. num. 6. Meliora fuerunt vulnera Petri diligentis, quia conuersus fleuit amarè.

Tu autem Domine miserere mei, & resuscita me, & retribuam eis. Sed Domine Iesu quomodò dicis, miserere mei, & resuscita me? nonnè quæcunque facit Pater, & tu facis, & sicut ille mortuos suscitat, & tu mortuos virtute tua resuscitas? & viuificas? Ioan. cap. 5. num. 20. Nonnè tu à te ipso animam tuam posuisti, & potestatem habebas à te ipso assumendi eam? Ioan. d. cap. 10. n. 17. Quomodò ergo Patrem rogas, vt resuscitet te? Pro solutione sciendū est, quod alias dixi, filium Iesum Deum Patrem misisse, Ioan. d. cap. 5. num. 36. vt redimeret perditas gentes, & alia faceret, de quibus Ioan. d. cap. 10. num. 11. Ego veni, vt vitam habeant, & abundantius habeant, vt idem Ioan. vt suprà; opera enim inquit, quæ dedit mihi Pater vt perficiam, ea ipsa opera, quæ ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me; & qui misit me Pater, ipse testimonium perhibet de me, Ioan. d. cap. 10. num. 25. propterea me diligit Pater, ego pono animam meam, & iterum sumam eam; nemo tollit eam à me; sed ego pono eam à meipso, & potestatem habeo ponendi eam; & potestatem habeo iterum sumendi eam, hoc mandatum accepi à Patre meo, Ioan. d. cap. 10. num. 18. si ergo Pater illum misit & propterea carnem assumpsit: si caro moritura, quia Pater ità voluit, & filius consensit; quid miraris, quòd idem Patrem rogauit, vt ipsum resuscitaret? Pro sua resurrectione rogabat vt honorificaret Patrem suum, ipse enim sciebat, quia tertia die resurrecturus erat, exemplum dans nobis, vt qui filium glorificamus, & honorificamus, & Patrem suum etiam glorificemus, & honoremus: quia Pater, & filius vnum sunt, Ioan. cap. 24. num. 9. Philippe, qui videt me, videt & Patrem meum, in hac ergo resurrectione erat, & Filio, & Patri, & Spiritui sancto vna potestas, vnica voluntas.

Sed si vna est potestas, cur in iudicando sibi filio soli tribuit iudicium, subdēs. Et ego retribuam eis, sicut & aliàs cōtestatus est. Pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit filio? Ioan. d. cap. 5. num. 22. Aptissimè profectò id sibi peculiariter tribuit Iesus, & congruenter. Conueniens enim erat, vt qui pro nobis humanitatem assumpserat, & etiam hominem iudicaret, Ioan. 17. num. 2. Dedisti ei potestatem omnis carnis, vt omne quod dedisti ei, det eis vitam ęternam, & Matth. 28. num. 18. Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra; Christus caput est Ecclesiæ suæ, & oues suas cognoscit, & illæ cognoscunt eum, ideò iudicandi iure sibi adscripsit potestatem, vt malos malè perdat, bonis verò det vitam æternam; dicens, & retribuam eis.

In hoc cognoui, quia voluisti me, quoniam non gaudebit inimicus meus super me. Qui sciuit infirmitatem, non ignorauit sanitatem, non ignorauit sacrificij oblationem acceptam Deo. Cognoui, inquit, quia voluisti me. Sed

in

in quo cognoſcis? quia inquit, non gaudebit; ſed ſi nondum reſurrectio, nec etiam paſſio tua; quomodò ſcis, quia non gaudebit? eſt enim temporis futuri verbum, non gaudebit. Coram illo omnia præſentia, & præterita, & futura ſunt non vides maiorem ſeruire minori? Geneſ.cap.25.num.23. Populum Iudaicum ſeruire minori: ante enim per multa ſæcula, etiam per alios Prophetas prædixerat Ieſus Iudæorum diſperſionẽ, & Iudæ proditionem, atque illius mortem infamem, & violentam; nàm de Iuda, Iſai.24.nu.20. Grauabit eum iniquitas ſua, & corruet, & non adijciet, vt reſurgat; de illorum verò Iudæorum perditione, Iſai.cap.66.num.8. Glorificetur Dominus, & videbimus in lætitia veſtra, ipſi autem confundentur Ierem.cap.10.num.20 Tabernaculum meum vaſtatum eſt, omnes funiculi mei diſrupti ſunt, filij mei exierunt à me, &c. & cap.11.num.22. Iuuenes morientur in gladio, filiæ eorum morientur in fame, & cap.50.num.39. & 40. & non habitabunt vltrà vſque in ſempiternum, nec extruetur vſque ad generationem in generationẽ; ſicut ſubuertit Dominus Sodomam, & Gomorrham, &c. Iſai.30. & comminuatur, ſicut conteritur lagena figuli contritione præualida, & Iſai.cap.3.num.5. corruet populus vir ad virum, & num.8. Ruit enim Iſrael, & Iudas concidit, quia lingua eorum, & adinuentiones eorum contrà Dominum, vt prouocarent oculos maieſtatis eius, & Pſalm.26. Qui tribulant me inimici mei, ipſi infirmati ſunt, & ceciderunt, & in alijs mille locis.

Vocatio verò gentium, Pſalm.95.num.9. Omnes gentes quaſcunque feciſti venient, & glorificabunt nomen tuum, Iſai.54. Dilata loca tentorij, &c. & ſemen tuum gentes hæreditabit, item Pſalm.2.n.8. Dabo tibi gentes, ideſt gentiles in hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam; Ambulabat enim in tenebris gentilitas, & vidit lucem magnam, Iſai.9.num.2. propterea dixit per eundem Iſai.65.in princ. Inuentus ſum à non quærentibus me. Fuerunt Iudæi inuitati, vt audirent vocem tubæ, & dixerunt, non audiemus; ideò populo gentili dictum eſt, audite gentes, &c. & Deut. cap.28. numer.43. Aduena, qui tecum verſatur in terra, aſcendet ſuper te, eritq. ſublimior, tu autem deſcendes, & eris inferior, & num.44. Ipſe erit in caput, & tu eris in caudam, & Iſai.49.num.22. Ecce leuabo ad gentes manum meam, & ad populos exaltabo ſignum magnũ, & Zach.2.nu.11. applicabuntur gentes multæ ad Dominum, & erunt mihi in populum: egreſſus enim es Domine in ſalutem populi tui, in ſalutem cum Chriſto tuo, Habac.cap.3.num.19.

De Iuda verò traditore, Prouerb.21.num.6. congregaſti theſaurum lingua mendacij, & propterea vanus, & excors fuiſti, & impinctus ad laqueos mortis, & Iob.cap.18.nu.9. Immiſit in rete pedes ſuos, & tenebitur planta eius laqueo, & num.18. Expellet eum de luce in tenebras, & non erit ſemen eius, neque progenies, Pſalm.108.n.7. & 8. Cum iudicatur exeat condemnatus, &c. & Epiſcopatum eius accipiat alter; Abſconderunt enim interitum laquei ſui, propterea venit illi laqueus, quem ignorabat, & captio, quam abſcondit apprehendit eum, & laqueus cecidit in ipſum. Ideò & Petrus, vt in Act. Apoſt. cap.1.num.16. inquit; Fratres oportet impleri Scripturam, quam prædixit Spiritus ſanctus per os Dauid de Iuda, qui fuit dux eorum, qui comprehenderunt Ieſum, qui connumeratus erat in nobis, & ſortitus eſt ſorté miniſterij huius: & hic quidem poſſedit agrum de mercede iniquitatis, & ſuſpenſus crepuit medius,

& diffusa sunt omnia viscera eius. Haud itaque mirandum, quòd Iesus inimicorum suorum perditionem prædixerit, viderit, & atque cognouerit: ipse enim Dominus, qui per Prophetas de eo loquentes locutus est, ipsi nihil incognitum, vel præsens, vel futurum.

In hoc, inquit, cognoui, quoniam voluisti me. Mox dicebat: Miserere mei, & resuscita me: & nunc statim subijcit, cognoui, quia exaudisti me. Vndè hoc? quòd tam citò exauditum fuisse cognouit? Ioan. cap. 11. num. 41. & 42. Pater, gratias ago tibi, quoniam audisti me: ego autem sciebam, quia semper me audis, sed propter populum, qui circumstat dixi, vt credant, quia tu me misisti. Propter nos ergo dixit Iesus, Cognoui, quia voluisti me, vt credamus, quia ipse Filius Dei est, ipse enim sciebat, quia eum Pater diligebat, & illum volebat, & quia inimicos suos dispersurus erat, quòdque non essent gauisuri de morte ipsius: sanè de Christi morte gauisi sunt Iudæi inimici, quia quod desiderauerant, impleuerant, fructumq; sæuitiæ suæ habuerunt, vndè in Cruce illo pendente, lætabantur. Capita sua mouentes, ac illudentes, dicebant: Vah, &c. Attamen per breue fuit gaudium illorum, quia capita sua agitantes, caput Christum amiserunt. Vah, dicebant, descendat nunc de Cruce, si Filius Dei est, & credimus ei, Matth. dicto cap. 26. O ingrati, non potuit de Cruce descendere, qui potuit seipsum resuscitare? noluit ostendere suam potentiam, vt nos doceret patientiam, opprobrium tolerare voluit, ne etsi victus, quia voluit, illis cessisse in tormentis videretur: voluit sustinere mortem, vt nobis donaret libertatem, & si in illum credimus, vitam sempiternam.

Quoniam non gaudebit inimicus meus super me: Post breue gaudium illorum sequuta est longa & indeficiens eorumdem molestia. Agitant nunc caput, non gaudentes, sed mirantes, quòd totus mundus post Crucifixum, qui & resurrexit, vadit, illum sequens, in illumq. credens; Ipsi verò inimici Iudæi; dispersi, pauidi, opprobrium hominum facti, huc, atque illuc trahuntur, sine Sacerdotio, sine Rege, afflicti, nec Ciuitatem, aut loca propria habentes. Firment caput, vt intelligant, quia quem crucifixerunt, ipse est, de quo Isai. dicto cap. 53. Sicut ouis ad occisionem ductus est, & sicut agnus coram tondente se non aperuit os suum, cuius vulneribus sanati sumus. Christum viuentem occiderunt, ne mundus post illum iret; & ecce Christum mortuum, & surgentem illum totus mundus sequitur; timuerunt Romanos, eo viuente, ne tollerent ipsorum gentem, & ecce post illum Crucifixum, venerunt Romani, & totam gentem vastarunt, Ciuitatem, Templum, & facultates illorum dissipauerunt, destruxerunt, occiderunt, residuum verò ex illis captiuum duxerunt.

Quoniam non gaudebit inimicus meus super me: me autem propter innocentiam suscepisti: Augustin. Verè innocentiam; integritatem sine peccato, redditionem sine debito, flagellum sine merito, hæc Augustin. Et confirmasti me in conspectu tuo in æternum. Quia in conspectu hominum ad tempus infirmasti, Isai. cap. 9. num. 7. Multiplicabitur eius imperium, & pacis eius non erit finis. Super solium Dauid, & super Regnum eius sedebit, vt confirmet illud, & corroboret in iudicio, & iustitia amodò & vsque in sempiternum, Zelus Domini exercituum faciet hæc. Quid est fratres, quòd dicit: Propter innocentiam susce-

suscepisti; nisi quia vnusquisque in viam suam declinauerat, & quasi oues errauimus; & posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum; non enim habebat ipse necessitatem sacrificium offerre pro peccato suo, deindè pro populo, quemadmodum Sacerdotes, ad Hebr.5.n.3. quia innocens erat, & immaculatus: ipse enim vnam offerens pro peccatis hostiam, in sempiternum sedet in dextera Dei, ad Hebr.cap.10.num.5. Holocaustomata, ait, non placuerunt tibi, tunc dixi: ecce venio, vt Psalm. superiori 39.n.7. vt facerem voluntatem tuam Deus: in qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Iesu Christi semel, Psalm. vt suprà, nu.10. hæc autem oblatio corporis Iesu Christi confirmata est in conspectu Domini in æternum, & quidem cum esset Filius Dei, didicit ex eis, quæ passus est, obedientiam; & consummatus factus est omnibus obtemperantibus sibi, causa salutis æternæ, ad Hebr. dicto cap.5. num. 8. cum sequen.

Propter illius itaque innocentiam eum elegit Dominus, vt ab omnibus expeditus facilius omnium peccata portaret. Quamobrem illius oblationem, & sacrificium, vt Sacerdotis in æternum confirmauit Deus Pater in conspectu suo etiam in æternum: eritq. illi acceptabile, & gratum in æternum sacrificium à Iesu Christo institutum, Corporis, & Sanguinis ipsius in odorem suauitatis.

Benedictus sit Deus Dominus Israel à sæculo, & vsque in sæculum, qui nobis tale, & tantum reliquit sacrificium, & Sacramentum animæ, & corpori salutare.

SOLILOQVIVM.

QVIS super egenum, & pro nobis effectum pauperem Iesum Christum Saluatorem non intelliget; qui in die mala à malo liberari desiderat? & quis non intelliget eum, si conseruari desiderat, & viuificari, & in terra beatificari, ità vt nec anima sua in manus inimicorum tradatur? Credamus ergo omnes in Iesum Christum, in illo sit spes nostra, qui sua Passione saluabit nos à miseria; quia ipse est, qui portauit nostra delicta. Sit in nobis Passionis eius memoria, vt propter illum aliquando tribulati facilius exerceamur in nostra patientia, in nostra infirmitate.

Domine ego dico miserere mei, anima mea est, quæ peccauit tibi, & tu vt redimeres illam ab inimicis suis multa passus fuisti: mortem enim tibi dare, & nomen tuum delere intendebant. Ingrediebatur traditor ille, qui in corde suo congregauerat iniquitatē sibi; & vana, atque iniqua contrà te simul cum Iudæis loquens, susurrabant omnes, malaque aduersum te cogitantes, statuerunt verbum iniquum. Quid verò ò stulti iniqui, nunquid qui dormit non adijciet, vt resurgat? nunquid, quia illi mortem dare constituistis; qui mors est mortis, is per seipsum viuificare non poterit? Et tu Iuda proditor, cuius descriptio ponitur à Propheta realiter, nonnè cum Apostolis Psalmos de te proditore loquentes intelligebas? Nonnè tametsi latro esses, & fur, semper nihilominus Dominus, ac Magister tuus, pacificus tibi fuit? Nonnè cum eo panem illius comedebas,

ipsum sequens Magistrum? Nonnè ille amicus tuus erat, qui in ipsa proditione te amicum vocauit? quare supplantasti Dominum tuum? quare & aliorum supplantationem magnificasti, laudans impios de iniquitate sua? Ecce ò traditor, ecce, ò Iudæi iniqui, ille ipse, cui mortem intulistis, resurrexit, ipse viuit, quia Dominus Pater exaudiuit eum, ipse dignam, quam commeruistis retributioné retribuit vobis. Tu Iudas laqueo suspensus, visceribus tuis, dispersis crepuisti medius. Vos Iudæi Regnum, & Sacerdotium, & gentem, & Ciuitatem, & omnia amisistis; perdidistis, Ciuitas vestra, templumq. desolata, & in sæcula sæculorum vestra perditio, desolatio, ignominia durabit. Non estis super Christi passionem, ac mortem gauisi, nisi ad punctum, & in perpetuum eritis afflicti, angustiati, & dispersi. Eia, fratres Iudæi, innocentem occidistis, quia illum Redemptorem forsan ignorastis; nobiscum super innocentem peccata vestra proijciatis, quia ipse est, qui tollit peccata totius mundi, pœnitemini, & confitemini, lauamini, mundi estote, lauacro Baptismatis: & nobiscum eritis, & vos iterum populus Dei. Non occidas vltra Sol iustitiæ Domine Iesu super illos, sis illis lux, & via & veritas; vt videntes, viam tuam veritatis ingrediantur. Domine labia tua non prohibuisti, in Ecclesia magna veritatem Euangelicam: sint & illi in hac Ecclesia tua magna, in qua est salus, & vita, vt videntes, & intelligentes confiteantur te Dominum Iesum Christum, Filium Dei, qui surrexisti à mortuis: qui sedes ad dexteram Patris: qui inde venturus es iudicare viuos, & mortuos. Fiat Domine, fiat, per merita Beatissimæ Matris tuæ Virginis Mariæ, & Sancti Martini Pontificis, & Martyris tui, pro cuius fide, te Dominum sequens, & ipse sanguinem suum fudit. Deo gratias.

IN PSALMVM XLI.

Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum: ità desiderat anima mea ad te Deus.

IVSTVM animæ innocentis desiderium ante faciem Domini appareret, vt illuc perueniat, vbi est Deus: hoc desiderium Ceruæ sitienti ad fontes aquarum assimilat: nàm, etsi per ardua transitura sit, parui tamen illa faciens, ad ipsas accedit aquas, & bibit. Ità Dauid hìc per multas tribulationes transiliens, ad fontem vitæ peruenire desiderans, dicit, Sitiuit anima mea, quando ad Deum veniam, vt ante faciem eius appaream? Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die, ac nocte, dum in tribulationibus existenti dicebatur mihi; vbi est Deus tuus? Tribulationes corporis quales, & quantæ Dauid fuerint, satis notum est; verùm de sui cordis perturbationibus, & tentationibus hæc supradicta intelligi posse non est dubitandum, nec non, & de quinque sensibus corporis sui, qui militant aduersus animam. Vndè August. Tom. 10. Serm. 44. de diuersis, in fine, Nunquid

quia non te vrget hostis manifestus corporis,non vrget persecutor occultus illecebris carnis? quanta suggerit mala per cupiditatem? quanta per timorem? Iustus erat,quia in Domino credebat; peccata tamen cordis,& operis per aliquod tempus non cognouisse videtur,dum adulterium,& homicidium cõmisit,& simulauit quousq. Propheta dixit illi,& tunc confessus dixit,Domine miserere me,quia peccaui tibi,Psal.50.audiuitq.& Dominus transtulit peccatum tuum. Hæc recordatus,inquit,amplius laua me Domine ab iniquitate mea,&c. à peccatò meo mũda me ; ne proijcias me à facie tua, & Spiritum sanctum ne auferas à me. Ecce enim dicebat,in iniquitatibus conceptus sum; sacrificium tibi Domine cor contritum,& spiritus contribulatus; Hęc effudi in animam meam,vt non dominentur in me inimici mei; Hęc recordatus sum,& effudi in me animam meam, vt in tabernaculi admirabilis locum transire valeam vsque ad domum Dei. Lacrymarum panem die,ac nocte edere non cessabit,vt in vocem exultationis,& confessionis sonus epulantis deueniret. Ne tristis, inquit, sis anima mea,neque conturbes me; contritus, & pœnitens panem viatorum comede, vt in tabernaculo Dei panem Angelorum comedere possis. Spera in Deo, & adhuc confitearis illi,quia ipse est salutare vultus mei,& Deus meus. Vt quid adhuc turbaris anima mea,memor esto,quòd quamuis in grauibus, & multis inuolutus delictis, & de terra Iordanis,& Hermonijm Deum offenderis in terra,in modicũ montẽ nihilominus ascende, & sanaberis. Etenim cor contritum, & humiliatum Deus non despicit. Humilia ergo teipsum, & pœnitentiam age, vt ascendas in montem,qui Christus est. Et triturabitur Moab sub èo,sicut teruntur paleæ in plaustro, Isai.c.25.n.10. pericula,& tribulationes si confluant, abyssus abyssum inuocat: sunt quippè eæ ex permissione Dei, vt sicut aurum in fornace proberis, Sap.c.3. In paucis vexati, in multis benè disponentur, quia Deus tentauit eos,& inuenit illos dignos se. In die enim mandauit Dominus misericordiam suam, & nocte canticum eius. Quia & tu in tribulatione consolaberis, ideò in nocte canticum eius erit tibi, vt in mane, idest finitis tentationibus fruaris misericordia Dei. Vt quid ergo tristem incedentem affligit te inimicus? Vt quid Deum te dereliquisse conquæreris? Ad modicum te dereliquisse videtur,vt cum Iustis scribaris; affligit te inimicus, vt ipse lassatus in via perditionis, & iniquitatis in inferno crucietur. Confringunt ossa, dilaniant carnes, exprobrant inimici, nunquid animam tollere possunt, & perdere in gehennam? visus es oculis insipientium, à via veritatis deuiantium mori, tu autem es in pace, & inter filios Dei computatus es, Noli conturbari Dauid, noli contristari anima Iusti, adhuc Domino confitearis, nàm est salutis tuæ Deus, qui te nunquam deserit in tribulationibus, &c.

Quinque fuisse libros Psalmorum asserit hic Hieronym. Primum vsque ad supradictum numerum 40. Psalmum durasse. Secundum à quadragesimo-primo vsque ad 71. Tertium vsque ad 88. Quartum vsque ad centesimumquintum; Quintum vsque ad finem.

Expleto itaque, Deo adiuuante, primo libro vsque ad quadragesimumprimum sequamur aliorum interpretationem: Continuatio ad præcedentes Psalmos non sine ratione cessare videbatur; verum quia, etsi libri sint distincti, sequentes tamen Psalmi, & de Christo venturo, & passo, & de eius erga

nos

nos pietate loquuntur: eiusdem etiam materiæ continuationem esse faciendam cogitauimus. In proximis ergo Psalmis duobus præcedentibus de fide, quæ operibus coniuncta esse debet vidimus: Verùm quia non omnis operatio ad fidei fructum consequendum apta est; nàm multi benè operantur, vt videantur, provt sunt, hypocritæ, vt fuit ille Pharisæus, qui decimas omnium quæ possidebat, dare se iactabat pauperibus, &c. Ideò hic docemur, quomodò erga Deum, & proximum charitas in fideli Christi esse debeat, intimum quippè sui cordis in amorem Dei ostendens Propheta ait, quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ità desiderat anima mea ad te Deus. Ignitum fuit eloquium Dei in illo vehementer, & ità credens dilexit illum, vt amore flagrans, & feruoris verbum eructans incipiat; ità desiderat anima mea ad te peruenire, sicut ceruus sitiens ad fontes aquarum, istud sitio, istud desidero, istud tota deuotione perquiro; tu scis Domine, cui nihil est absconditum, & hominum corda nota sunt; Domine tu scis, quia cor meum etiam simplex est in te, & erga te Deum amore flagrans, in te tantum est spes mea, desideria mea, intellectus meus totus in te positus est, Domine quando veniam ad te.

Titulus Psalmi talis est.

In finem, intellectus filijs Core. Inuitat nos titulus, immo (vt melius dicamus) Dauid ipse nos excitat, vt in Deum credentes, laudesq. eius ex toto corde cantantes, illum solum desiderare discamus, & in eo laudando totum nostrũ intellectum ponamus.

Dirigitur Psalmus Core, filijs in finem, & cum intellectu: quia admonet, vt quod ore cantamus in eius laudem, qui nos creauit, qui nos perditos redemit, intelligamus; si enim mens nostra longè sit, & abalienata, nec quod os profert, intelligat profectò neque cui profertur id gratum est laudis, neque emissa exauditur oratio. Cum è contrà scriptum sit, sapiens in verbis amabilem facit seipsum, apertio autem oris insipientis inflammatio est; Eccles. c.20. nu.13. & 15. Deprecatio pauperis ex ore vsque ad aures scilicet Dei perueniet, & iudicium festinanter adueniet ei, Eccles. cap.21. num.6. In toto ergo corde, & ore collaudemus, & benedicamus nomen Domini, Eccles. c.39. nu.41. inclinemus aures nostras, & suscipiamus verba intellectus, Eccles. cap.2. nu.2. quia Propheta nos, qui Core filij sumus, alloquitur, vt in finem, in Christum cum intellectu laudes eius cantemus: Passionem eius cum intellectu meditemur: mortem eius, qui pro nobis fuit mortuus, consideremus; item & resurrectionem, vt nos resurrecturos intelligamus, & in hæreditatem eius immarcessibilem nos ingressuros credamus. Filij itaque eius fiamus Christi scilicet, nàm filios Core dicit, quia nos, qui filij gentilium fuimus, è filijs iræ filios Dei Christus effecit Cruce sua signatos, quòd filij Crucis sumus; adeòq. Dauid filios Core vocat, Core enim Caluaria interpretatur, nouimus autem in monte Caluario Christum fuisse crucifixum, sicut ergo cerui sitientes ad fontes, ità nos ad fontem aquæ viuæ, quæ est Christus curramus, Ioan. cap.4. nu.14. vt agnus Dei, qui in medio throni est, regat nos, & deducat ad vitæ fontes aquarum, Apocalyps. cap.7. num.17. Et hauriamus aquas in gaudio de fontibus Saluatoris, Isai. cap.12. nu.3. vbi est semita, & via, quæ ideò Sancta vocatur, nec vir pollutus intrat per eam; & quia est directa via, nec stulti intrant per eam, sed qui solũ redempti sunt à Domino, Isai. cap.35. num.7. quomodò ergo ille ceruus desiderat ad fontes aquarum, ità

nostri cerui, qui de Ægypto, & de sæculo recedentes interfecerunt Pharaonem Exod.cap.12. num.37. cum actibus suis, omniq. eius exercitu in baptismo necauerunt: post demersionem Diaboli, desiderant fontes Ecclesiæ Patrem, Filium, & Spiritum sanctum; Fons est Pater, Ierem.2.numer.13. Me dimiserunt fontem aquæ viuæ; filius est etiam fons, Baruch d.cap.3.nu.12. Dereliquerunt fontem sapientiæ: Spiritus sanctus, Ioan.4.nu.13. qui bibet ex hac aqua, quam ei dedero, orietur in eo fons aquæ salientis in vitam æternam, de Spiritu sancto idem intelligitur, hunc fontem desiderat anima credentis, anima baptizati.

Summa Psalmi huius est, quòd anima pœnitens, & lacrymas effundens ad Deum desiderat accedere.

Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ità desiderat anima mea ad te Deus. Cur potius de ceruo sitienti, quàm de alio animali dat similitudinem Psalmista? tum quæro, cur non de famem patienti? nàm fuerunt illi lacrymę panes die, ac nocte, sed de fontibus aquarum, ac de illas sitientibus.

Quò ad primum legimus; ceruum naribus serpentem haurire. Eua parens nostra auribus serpentem hausit, cui credens gratiam Dei peccando amisit, Genes.cap.3. Cucurrit illa, vt ederet pomum, & aperti sunt oculi eius, Genes. cap.5.num.6. Currit ceruus, vt extinguat sitim, quia serpentem hausit, ità peccator pœnitens post serpentem haustum; cum iàm in peccatorum multiplicitate se videat, currit ad Christum fontem viuum: Currit ad Sacerdotem, cui ligandi, & absoluendi data est facultas, vt aqua pœnitentiæ dilutus sitim illam vlterius peccandi dimittens; extinctaq. ea siti accedat ad fontem aquæ viuæ, aquæ salutis, & vitæ, Psalm.35. & intellectus, vt illuminatus soli Deo seruiat viuenti, Comedi, quia serpens decepit me, dicebat Eua illa, serpentem deglutiuit, quia pomum pulchrum erat oculis, aspectuq. delectabile, Genes.d.c.3.n.6.

Intellectus filijs Core: nàm postquàm peccator serpentem hausit, aperti sunt oculi illius, vndè & ait. Iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contrà me est semper, quia tibi soli peccaui; Psalm.50. sitiunt ambo, & Eua, & peccator, quia multiplicatæ sunt Euæ ærumnæ, & conceptus sui, vt in dolore parturiret; peccator pœnitens panem comedit lacrymarum: dieq. ac nocte in dolore est, quia peccauit; & vtriusque aperti sunt oculi; nàm vexatio dat intellectum, Isai. cap.28.num.19. Fontem desiderat ceruus, quia venenum serpentis hausit; desiderat homo pœnitens remissionem, & peccatorum absolutionem, quia in Domino peccauit, currit ille ad fontem, currit iste ad Christum, apud quem est fons vitæ, d.Psalm.35. Currit ille, vt extinguat sitim, currit peccator, vt voluntatem peccandi tollat, & extinguat; extincta est cerui sitis, quia aquam bibit, sed non extinguitur peccatoris pœnitentis sitis, quia sit à peccatis absolutus, sed immo magis sitit, quia fontem aquæ viuæ, aquæ salutis, & intellectus desiderat, ipsum scilicet Christum, qui est vera lux, qui est fons vitæ, & intellectus; Bibit ex aqua putei, seù fontis, & iterum sitit ceruus, quia iterum serpentem naribus hausit: bibit peccator ex aqua, quam illi dat Dominus, & amplius non sitit, Ioan.4.n.13. quia illa est aqua salutis & intellectus. Si cognoscere vis, quomodò extinguatur sitis, audi Augustin. hìc. Si Christus fons est, & lumen est, ergo & intellectus est, quia & satiat animam auidam sciendi; cui addimus, quæ in cap.1.Eccles.num.14. cum sequen. & omnis qui intelligit, luce quadam non corporali, non carnali, non exteriori,

sed

sed interiori illustratur: est ergo quædam lux, qui intus eam non habent, non intelligunt; obscurati enim sunt, quia non intelligunt, ad Ephes. cap.4.nu.18. ibi. Non sicut gentes obscurati intelligentia eorum, ergo illuminati, quia intelligunt.

Sicut ceruus curre ad fontem Christum, quia apud illum est fons vitæ, dicto Psalm. 35. curre vt ceruus, impigrè curre, non tarditas sit in currendo; sitit anima tua, currat vt cerua, adiuua fratrem vt cerua; alter alterius onera portate; scribitur enim per Augustin. in 4. Tom. lib. Quæst. 83. quæst.71. & in hoc Psalm. quòd fretum transeuntes cerui, vt ad insulam transeant pascuorum gratia, sic se ordinant, vt onera capitum suorum, quæ gestant in cornibus, super se inuicem portent, vt & posterior super anteriorem ceruice proiecta caput collocet; & quia necesse est vnum esse, qui cæteros præcedat, non ante se habeat, cui caput inclinet, vicibus id agere dicuntur, vt lassatus sui capitis onere, ille, qui præcedit, post omnes recedat, & ei succedat is, cui ferebat caput, cum ipse præiret, inuicem onera sua portantes, fretum transeunt, donec veniant ad terræ stabilitatem, ità Augustin. in dicto lib. Quæst.83.q.71. litera D. hinc Prouerb. cap.5. num.19. Cerua carissima, & gratissimus hinnulus; vbera eius inebrient te in omni tempore, in amore eius delectare iugiter; ideò, & ad Galat.6.num.2. docet nos Apostolus, vt alter alterius onera portemus, & sic impleamus legem Christi, idem Ioan.13. num.34. & cap.15. num.12. mandatum, inquit, nouum do vobis, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos; Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis, & hoc officium, quod sempiternum non est, perducit sanè ad beatitudinem æternam, in qua nulla erunt onera nostra, quæ inuicem portare iubeamur. Nunc verò cum in hac vita, idest in hac via sumus, exemplo cerui onera inuicem nostra portemus, vt ad eam vitam, quæ caret omni onere, peruenire possimus: vide Augustin. in d.Quæst.71. & in hoc Psalm. & Tom.10. de verb. Apostol. Serm.12. cap.7. Habes, inquit, sarcinam Christi, vndè portes cum altero onus proprium; pauper est, diues est, onus illius paupertas est; tu tale onus non habes; Vide, ne fortè cum te interpellabit paupertas, dicas, vnusquisque onus proprium portabit; aliud verò præceptum supradictum, alter alterius onera portate, illud audi: paupertas non est onus meum, sed est onus fratris mei, vide dicit Augustin. ne diuitiæ sint maius onus tuum; nàm non habes onus paupertatis, sed habes onus diuitiarum, si benè intelligas, onus est, ille alterum onus habet, tu alterum porta cum illo, & portet tecum, vt inuicem onera vestra portetis: onus paupertatis est non habere: onus diuitiarum est, plusquam opus est, habere, & ille oneratus est, porta cum illo, non habere: portet tecum plus, quam opus est habere, & fiant æquales sarcinæ vestræ, hæc Augustin. Si enim dederis indigenti, minues illi non habenti onus ipsius, quod erat non habere; si ei dederis incipit habere, minutum est illi onus, quod vocatur non habere, minuit & ipse onus tuum, quod vocatur plus habere, hæc Augustin. Ceruus saltans, ad extranea nos sui exemplo perduxit; nunc propius ad materiam accedentes ad secundum quæsitum deueniamus,

Cur non de famem patiente; sed de ardore sitientis loquatur Propheta, ratio posset adduci, quia, qui biberit ex hac aqua, non esuriet, neque sitiet in æternum; omni ergo affectu Psalmista has aquas haurire desiderat, quia nec am-

amplius sitiet, neque esuriet. Ambros. lib. 10. in Lucam, cap. 22. vbi de homine portante amphoram aquæ, ò aqua, quæ Sacramentum Christi esse meruisti, quæ lauas omnia, nec lauaris; tu incipis prima, tu comples perfecta mysteria, à te principium, & in te finis, vel potius tu facis, vt finem nesciamus; Per te arentibus æstu corporibus dulcis ad gratiam, salutaris ad vitam, suauis ad voluptatem potus infunditur.

Qui biberit ex aqua, quam ei dabo, non sitiet in æternum. Cur ergo non sitit omnis homo ardenti siti, & in Ecclesiam Dei ingrediens, non se præparat ad Pascha, lauans se baptismatis aqua? & cur sacram aquæ doctrinam non apprehendit, vt non amplius sitiat? Appropiate ad me indocti, & congregate vos in domum disciplinæ, quid adhuc retardatis? animæ vestræ sitiunt vehementer, Eccles. 51. num. 32. Nàm purificat hæc diuinæ gratiæ aqua, & refrigerat; vndè Chrysost. in homil. 31. in Ioannem. Spiritus est quasi purgamentum, & in refrigerium; sicut enim aqua pomarium irrigat, & arbores vegetat, & virides conseruat, & ignea extinguit, sic effusio Spiritus sancti in animas, Ezech. cap. 36. num. 25. Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, & dabo vobis cor nouum, & spiritum nouum, num. 26. sitiat vnusquisque hanc aquam, & dicat, Quando veniam ad te, &c. qui es fons sapientiæ clarificantis? Eccles. 15. num. 3. Aqua enim sapientiæ potabis illum, & firmabitur in illo, & non flectetur, & si firmabitur in illo, & illum consolabitur, & reficiet, Psalm. 22. nu. 2. Super aquam, inquit, refectionis educauit me, animam meam conuertit. Et vlterius audi Ioan. Apocalyps. 7. nu. 16. Et qui sedet in throno habitabit super illos, & non esurient, neque sitient amplius, neque cadet super illos Sol, neque vllus æstus; quoniam agnus, qui in medio throni est, reget illos, & deducet eos ad vitæ fontes aquarum, & absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum.

Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ità desiderat anima mea ad te Deus; Sitiuit anima mea, &c. Quia verbum tuum, Domine, est fons sapientiæ, Eccles. 1. num. 5. quid delectabilius, quàm consolari in fonte isto misericordiæ Dei consolantis? Audi Psalmistam in hoc nostro Psalmo. Hæc recordatus sum, & effudi in me animam meam, quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis vsque ad domum Dei; ecce fluunt ad sanandum aquæ de fonte Christi, de fonte Vitæ, Psal. 35. Fluunt inquam, cum sint in abundantia magna, & bibentes non sitient ob earũ abundantiam, ob illarum indeficientiam, obq. illarũ efficaciam; bibamus, & nos, si prius sitiẽtes ad illas accesserimus. Exite, exite, qui in tenebris estis, introite atria eius in confessione, in lacrymis, ac pœnitentia, introite ad aquas Saluatoris, quia amplius non esurietis, neque sitietis, quia miserator Dominus reget vos, & ad fontem aquarum potabit vos, Isai. 49. nu. 10. S. Bonau. in Ioan. 4. Collat. 21. sitiens in cursu, satiaberis in aduentu. Augustin. Occidas ergo, & tu serpentem, tolle peccatum à te, & eris sitiens salutis æternæ. Fuge ad montes, & euadas persequentes; adiuua fratrem egentem, vt tu diues subleueris, sarcinam grauem portans: & vt sitiens aquæ fontem inuenias, ambula per vias asperas. Hæc enim de ceruo narrantur, vt exemplo illius sis serpentis inimicus; tentatus, & tu fuge ad Christum, si de salute tua, & de misericordia Dei confidis, & illam sitias, vt aquam inuenias: fuge mundi delicias, & tunc dices: Domine, quando veniam ad te? Vt cito veniam, trahe

trahe me post te; desidera ad fontes aquarum, quia habet Deus, vndè te reficiat, & impleat venientem ad se, & sitientem post interemptionem serpentum, tamquam velocem ceruum.

Sitiuit anima mea ad te fontem viuum, Isai. dicto cap. 49. num. 26. & sciet omnis caro, quia ego Dominus saluans te, & Redemptor tuus fortis Iacob. Quid sitiat, qui ceruo sitienti se comparat? sitiuit, inquit, anima mea ad Deum; Hoc est, quod sitio venire ad Deum, & apparere ante conspectum illius; sitio in peregrinatione, sitio in cursu, vt satier in aduentu; Aliqui habent ad Deum fontem viuum; vt Hieron. hìc in Comment. Vulgata tamen legunt ad Deum fortem; quocunque modo legere velis, idem sonare videtur, quid enim fortius baptismo, cuius virtute, & potentia fugatur Draco, & aperta patet animæ fideli porta in Cælo; aqua enim baptismi, accedente verbo, fit Sacramentum, quo renascimur, & in filios adoptionis renouamur, cum aliqui sine illa Regnum Dei videre non possimus, Ioan. cap. 3. num. 5. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto non potest videre Regnum Dei; & Paul. ad Ephes. c. 5. num. 26. Christus, inquit, dilexit Ecclesiam suam, & pro ea tradidit seipsum, vt illam sanctificaret, mundans lauacro aquæ in verbo vitæ, & ad Tit. cap. 3. num. 4. cum autem benignitas, & humanitas apparuerit Saluatoris nostri Dei, non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis. Spiritus sancti, quem effudit in nos abundè per Iesum Christum Saluatorem nostrum.

Sitiuit anima mea, quia adhuc est in via, Iob cap. 26. num. 15. Sicut viator sitiens ad fontem os aperit, effunde ergo Domine Iesu aquas super sitientem, & fluenta super aridam, effunde spiritum tuum, & benedictionem tuam super ceruum tuum te sitientem, Isai. 44. num. 3. Quando veniam, idest perueniam, & apparebo ante faciem tuam? Quod modicum est apud te Deus, longum est apud me, Augustin. Quod citius est Deo, tardum est desiderio. Sed quid sitis, ò Dauid, quid quæris à Deo? Vnam, inquit, petij à Domino hanc requiram, vt scilicet inhabitem in domo Domini, vt videam voluptatem Dei, & visitem Templum eius, Psalm. 26. num. 4. Iàm es in petra exaltatus, 1. Corinth. cap. 10. num. 2. & 4. Bibebant autem de spiritali consequente eos petra, petra autem erat Christus; expecta Dominum quia veniet; interim viriliter age, & confortetur cor tuum, & sustine Dominum. Idem Psalm. 26. num. 6. & 14. Roboretur interim cor tuum, & expecta, quia veniet, & non tardabit. Ecce festinus veniet velociter, non est deficiens, neque laborans in eo, non dormitabit, neque dormiet, Isai. cap. 5. num. 26. Veniam ad te tamquam fur, & nescies, qua hora veniam ad te. Et quoniam seruasti me verbum patientiæ, & ego seruabo te ab hora tentationis, ecce venio citò; tene quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam, Apocalyps. cap. 3. num. 3. 10. & 11. quia qui vicerit faciam illum columnam in Templo Dei mei, & foras non egredietur amplius; & tunc tu venies, & apparebis ante faciem Dei; & in die illa erit fons patens domui Dauid, & habitantibus Ierusalem in ablutionem peccatoris, Zachar. cap. 13. num. 1. Ne quæras diem, quia illa nota est Domino; neque dies, neque nox, & in tempore vesperi erit lux, & erit in die illa, exibunt aquæ viuæ de Ierusalem, idest de Ecclesia; & statim veniet ad Templum suum dominator, quem inquiris, & Angelus testamenti, quem tu vis, Malach. 3. n. 1.

&

& tunc venies ante faciem Dei. Scio, inquit Dauid, quod in tempore vesperi erit lux, quia ipse est lux, quæ lucet in tenebris; hunc meditor, ad hunc curro, dum in hac via existo. Antequam veniam, antequam appaream, hæc considero, quia nomen eius est admirabilis, consiliarius, Deus fortis, Pater futuri sæculi, princeps pacis, cuius pacis non erit finis, Isai. 9. num. 6. idcircò suspirans dico: quando veniam, & apparebo ante conspectum Dei mei? sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum, ad aquas illas viuas, quæ de Ierusalem exibunt, faciem eius exquiro; quando ante illius cōspectum ero, vt saluus fiam? Psal. 79. num. 4. & 20. quis mihi det, vt citò ante Domini Dei faciem veniam, vt cum apparuerit gloria eius mihi, tunc satiatus fiam?

Sed si sitis, quomodò lacrymæ tuæ tibi panes fuerunt die ac nocte? Pro potu lacrymas petas, non pro esu. Fuerunt, inquit, panes, quia sitim cupio, sitim seruare desidero: non lacrymas peto, vt sicut fontes aquarum extinguant sitim; vt panes fuerunt, propterea vt sitis magis augeretur, panem quotidianum de die comedunt homines, de nocte verò dormiunt: ego verò, siuè in huius sæculi prosperis, siuè in nocte, & in aduersis desiderij mei lacrymas fundo; ego desiderij mei auiditatem non desero. Propterea panes fuerunt mihi lacrymæ meæ, vt cor meum confirmarent in siti, in flagrantia amoris Dei; panis enim cor hominis confirmat, Psalm. 103. n. 15. Ciba nos Domine hoc pane lacrymarum, Psalm. 79. num. 6. Sed cur tot lacrymæ, cur tàm affligeris, ò Dauid, tu Rex eras, tu Diues, tu Deo dilectus, qui te à tot, & tantis liberauit periculis, cum prius pauper esses, quem de post fœtantes idem accepit Deus: Quid ploras? quid doles? Obscurant, inquit, tamquam tenebræ transitoria hæc, delitias Regibus præbet Aser, Genes. 49. num. 20. quod interpretatur beatitudo, siuè felicitas; hæc omnia plus habent deceptionis, quam delectationis, & dilectionis, non enim, inquit Ecclesi. 5. n. 19. satis recordabuntur dierum tales vitæ suæ, eo quòd Deus occupat delitijs cor eorum. Cur ergo non & in meipso fiant lacrymæ meæ panes; Augustin. siquidem, & cum felicitas sæculi circumfulget, 2. Corinth. cap. 5. nu. 6. quandiù sum in corpore, peregrinor à Domino: & nu. 1. scimus enim quoniam, & terrestris domus nostra huius habitationis dissoluetur, quòd ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in Cælis; nàm, & in hoc ingemiscimus, habitationem nostram, quæ de Cælo est superindui cupientes: nàm qui sumus in hoc Tabernaculo ingemiscimus grauati.

Fuerunt mihi lacrymæ panes die, ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, vbi est Deus tuus? Quid, ò peccator, ò Gentilis, ò aliàs quivis sis tenebrosus, Deum Creatorem omnium; Lucem lucidissimam, in peccatis permanens, terreus, & cæcus oculis tuis videre cupis? de sæculo exeas tenebrarum harum: demergas in aquis baptismatis Pharaonem; tunc Dominus tollet manum suam, vt posteriora eius videre possis, Exod. 34. num. 23. faciem tamen illius videre non poteris: si totus nunc in peccatis inuolutus es, si totus terrenus, quomodò quis sit Deus scire præsumis? si & teipsum, qualis sis ignoras? posteriora eius vides, nec quæ, & qualia sint, & quis illa fecerit adhuc consideras. Laua in hoc fonte peccata tua, & tunc nosse opta quid sit Deus, & per ea, quæ fecit effundens animam tuam in te iudica, & videbis, quia Deus est spiritus, est essentia inuisibilis, omni creaturæ incomprehensibilis, totā vitam, totam sapientiā,

totam

totam æternitatem simul possidens: idem ipsa vita, ipsa sapientia, idem ipsa veritas, ipsa iustitia, ipsa æternitas existens, omne creaturæ bonum instar puncti in se continens; Si in Iesum Christum fidem habueritis: potens est ille Redemptor noster efficere, vt impleamini agnitione voluntatis eius in omni sapientia, & intellectu spirituali, vt ambuletis dignè Deo placentes in omni opere bono fructificantes, & crescentes in scientia Dei; in ipso Iesu, qui est imago Dei inuisibilis, primogenitus omnis creaturæ, quoniam in ipso condita sunt vniuersa in Cælis, & in terra, visibilia, & inuisibilia, &c. omnia per ipsum, & in ipso creata sunt, & ipse est ante omnes, ad Colossens. cap. 1. num. 10. cum sequen.

Quid dicis, ò homuncule, qui vbi Deus sit Christianorum non considerans, & illum esse negasti? Fuerunt Prophetæ lacrymæ panes, dum hæc ab ignorantibus iniquis, illudendo requirerentur: Nonnè si homo es inique, à quo factus sis, scire deberes? Quis tibi intellectum dedit, & mala, ac bona ante conspectum tuum posuit, vt eligeres quod tibi placitum foret? quis fecit hanc terram, & quis incrementum dat vitæ? quis creauit Cælum, & terram? qui fecit Solem, nonnè erit Sole clarior? qui creauit Angelos, non erit Angelis potentior, & celsior? qui mortem dat morti, non est ille vita æterna? qui coronat fidelem in misericordia, & miserationibus, nonnè ipsa est misericordia:

O infelix peccator, hæc recordatus sum, inquit Psalmista; & effudi in me animam meam deplorans, tuam damnationem, quia non speres Christum venturum; Ego verò promissionis factæ de Christo recordatus scio, quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis, vsque ad domum Dei. Quia ipse iniquitates meas portabit, & sanguine suo me redimet, & introibo in Ecclesiam Dei, postquam Iordanem transiero, idest aqua baptismi lotus fuero, & à peccatis absolutus. Veni Domine, & noli tardare: relaxa facinora plebi tuæ; Propter hæc lacrymas effundo, & tamquam panem illas comedo. Inimici mei, sensus mei, caro mea quotidie dicunt, quid cruciaris? quid lacrymaris? vbi enim est Deus, quem tu expectas? Hæc recordatus sum, & effudi in me animam meam; quam certam feci, quòd veniet, & non tardabit, & tunc transibo in locum tabernaculi admirabilis; in Ecclesiam Dei, & ibi manebo vsquequo ad domum Dei mei perducar; per ipsum enim Christum aperientur portæ Cælorum. Et recordatus sum, & effudi animam meam, in lacrymis, in siti, in spe certa aduentus filij Dei. Propterea scio, quòd qui lugent consolabuntur; quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis, vsquequo ad domum Dei mei perueniam; His lacrymis meis, hac siti videndi filium Dei animam meam impleui; in illis illam inuolui, quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis, vsquequo, quando Christus resurget, perducat me in domum suam cum alijs electis Dei.

Hæc recordatus sum, & effudi in me animam meam, Supra dixit: quando veniam, & apparebo ante faciem Dei: Humana tentatio apprehendit Psalmistam? quomodò inquiens ante faciem Domini apparere desideras, quem oculus tuus nunquam videre potuit; quæsiui eum, vt si possem, non tantum crederem, sed aliquid, & viderem, video enim quæ supra narrata sunt, quia mirabilia sunt, non tamen video Deum meum, qui hæc fecit: desiderans tamquam ceruus ad fontes aquarum; quid agam, vt Deum meum inueniam. Sic Paul.

in

in dicto cap. 1. ad Roman. Inuisibilia Dei, dicens, per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, miror omnia creata, Cælum, & terram, &c. sed auctorem sitio, Deum videre cupio. Iàm tibi dixi, quòd Deum nullus vidit; posteriora mea, dixit Moysi, videbis: Non oculis carneis inquirendus est Deus; intus quæratur. Augustin. cum cogitamus iustitiam, qua eius intus in ipsa cogitatione pulchritudine fruimur? intus est, & pulchra est, & laudatur, & videtur; etsi in tenebris sunt oculi isti, animus illius luce perfruitur. Quid est, inquit, illud quod Tobias videbat, quando videnti filio cæcus consilium verè dabat? Tob. 4. num. 6. cum sequen. Noli auertere faciem tuam ab vllo paupere, ità enim fiet, vt nec à te auertatur facies Domini. Est ergo aliquid, quod animus ipse dominator corporis, rector, habitator videt, quod non per oculos corporis sentit, sed per seipsum, & vtique melius est quod per seipsum, quàm quod per seruum suum, quod est corpus, seipsum enim per seipsum videt, & animus ipse, vt norit se, videt se: sed nec vtique, vt videat se corporalium oculorum quærat auxilium, immo verò ab omnibus corporis sensibus, tamquã impedientibus, & perstrepentibus abstrahit se à se, vt videat se in se, vt nouerit se apud se. Quæro Deum meum in omni corpore, siuè cælesti, siuè terrestri, & non inuenio, quæro substantiam eius in anima mea, & non inuenio: meditatus sum tamen inquisitionem Dei mei; per ea quæ facta sunt inuisibilia Dei mei: cupiens intellecta conspicere. Effudi super me animam meam, & iàm non restat quem tangam, nisi Deum meum; ibi enim domus Dei mei; super animam meam habitat, indè me prospicit, indè me creauit, indè me gubernat, indè mihi consulit, indè me excitat, indè me vocat, indè me dirigit, indè me ducit, indè me perducit. Ille enim qui habet altissimam in secreto domum, habet etiam in terra Tabernaculum, quod est Ecclesia eius adhuc peregrina; in qua via inuenitur, quia peruenitur ad domum, ibi ergo quærendus est.

Hæc recordatus sum; nàm ex parte mea sitis, & lacrymæ meę videndi Deum, & ex alia parte improperium sustinendo, cum mihi quotidie dicebatur, vbi est Deus tuus; quia sic sitis, & lacrymas ad eum videndum effundis: In me interim liquefacta est anima mea, & dum hæc tractarem in me tabui; Cum, etsi Cælum, & terram cernerem, Deum tamen videre, nec oculis meis potui: Et dixi animæ meæ: tu similis Deo facta es: Spiritus sũmus est Deus, tu etiàm spiritus es. Spiritu ergo, & videbis Deum, si mente pura, & simplici ad illum accedes, si transiliens aquas maris Pharaonem in illas demerges, hæc recordatus sum, & effudi in me animam: Augustin. Quando anima contingeret, quod super animam meam quæritur, nisi anima mea super se effunderetur? Si enim in seipsa remaneret, nihil aliud quàm se videret, & cum se videret non vtique Deum suum videret. Quærat ergo anima tua quæ super se sunt, Dei nostri mediteris inquisitionem, cupiens intellecta conspicere; effunde super te animam tuam; & iàm non restat, quem tangas, nisi Deum tuum, ibi enim domus Dei mei super animam habitat, &c. hæc Augustin. & quia idem Deus, & hìc in terra habet Ecclesiam, ingrediamur in illam, in qua via, qua peruenitur ad domum Dei, ad Templum eius, inuenitur. Verè, inquit Psalmista, sunt mihi lacrymæ die, ac nocte, vt sit mihi locus in hoc Tabernaculo, in hac Dei Ecclesia, per quam domum Dei mei ingredi valeam.

Hæc recordatus sum, & effudi in me animam meam. Quare effudisti animam

mam tuam, ò Dauid sancte. Nisi, quia timor Domini erat in te: quia tu Dominum Deum dilexisti? Eccles.1.num.14. Dilectio Dei honorabilis sapientia; quibus autem apparuerit in visu, diligunt eum in visione, & in agnitione magnalium suorum. Quid mirum si in effusione animæ tuæ magnalia Dei didicisti, in tabernaculi admirabilis locum transiuisti, & vsque ad domum Dei peruenisti. In voce exultationis, & confessionis, sonus epulantis: Confessio, & magnificentia opus eius, Psalm.110.numer.3. Introite portas eius in confessione, atria eius in hymnis, confitemini illi, introite in conspectu eius in exultatione, Psalm.99.numer.2.& 4. & Psalm.148.num.14. Confessio eius super Cælum, & terram, & exaltauit cornu populi sui. Quid ergo anima mea ploras, & tristis es, & quare conturbas me? nonnè in domo Dei mei, in Tabernaculo eius, in Ecclesia sua, voce exultationis, & confessionis, & in sonitu epulantis, idest in voce læta, & festiua, in populo graui, in Ecclesiam magnam laudans Dominum, introibis? Benedic igitur Domino anima mea, & omnia, quæ intra me sunt nomini sancto eius, & noli obliuisci omnes retributiones eius. Miraberis, & delectabitur cor tuum, quando gloriam cælestis Ierusalem eleuatus contemplaberis, & in tabernaculum peregrinans diuertes, quod domus Dei est in terris, per quam ad cælestem Ierusalem omnium nostrum matrem venimus, & trahimur; Quare ergo in modicum tristis es anima mea, si veniente Domino, intrabis, & tu cum Iesu in æterna sua Tabernacula, si in terris incederis, in Ecclesia sua sancta? adhùc vnum modicum, dicit Dominus per Agge.2.nu.7. Et veniet desideratus cunctis gentibus, & implebo domum istá gloria, dicit Dominus exercituum, quæ gloria sit istius nouissimæ domus, nu.10. Magna, inquit, erit gloria domus istius nouissimæ plusquà primę, dicit Dominus, & in loco isto dabo pacem, dicit Dominus, qui est vera pax.

Hæc recordatus sum, & effudi in me animam meam; quoniam transibo in locum Tabernaculi, vsque ad domum Dei. Admirabile Tabernaculum, in quo habitat Iesus Rex gentium, admirabile, inquam, quia in illo docemur viam, per quam ad cælestem domum Dei peruenimus: admirabile Tabernaculum, in quo sunt millia millium Sanctorum hominum: admirabile Tabernaculum, in quo Christus Dei filius cum hominibus vsque ad consummationem sæculi, Baruch cap.3.num.30. & cum hominibus conuersatus est; & Isai. cap.52. num.6. Populus meus in die illa sciet nomen meum, quia ego ipse, qui loquebar, ecce adsum, Zach.2.num.10. Lauda, & lætare Sion, quia ecce venio, & habitabo in medio tui, ait Dominus omnipotens, Ierem.c.14. in fine. Nonnè tu es Dominus Deus noster, quem expectauimus, tu enim fecisti omnia hæc: & in cap.31.num.34. Omnes cognoscent me, à minimo eorum, vsque ad maximum, ait Dominus.

In voce exultationis, & confessionis sonus epulantis, ambulant enim in hoc Tabernaculo admirabili Dei, & miracula Dei in redemptionem fidelium considerant. Mulcet aurem sonus festiuitatis illius, & rapit ceruum ad fontes aquarum; Non est ad tempus festiuitas illa, non ad diem, neque ad horam; in domo Domini festiuitas sempiterna est. Vultus præsens Dei, Angelorum lætitia sempiterna sine defectu. Dies ille festus ità est, vt nec aperiatur initio, nec fine claudatur, non perstrepit mundus, quia aliquid sonori cordis auribus dulce sonabit.

Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me? Stat ceruus die, ac nocte lacrymas manducans panem suum, raptus desiderio ad fontes aquarum, interiorem scilicet Dei dulcedinem, effundens super se animam suam: ambulans in locum Tabernaculi admirabilis, vsque ad domum Dei: & ductus interioris, & intelligibilis soni iucunditate, vt omnia exteriora contemneret, & in interiora raperetur. Adhuc tamen homo est, adhuc gemit, & carnem fragilem portat, & inter scandala huius mundi periclitatur; peregrinamur in hoc mundo à Domino, dum simus in hoc corpore: & corpus, quod corrumpitur aggrauat animam, 2. Corinth. cap. 5. numer. 2. Respiciens ergo seipsum ceruus iste, Dauid iustus ad istas miserias, & comparans hæc illis, ad quæ videnda ingressus est, & post quæ visa egressus est, quare, inquit, tristis es anima mea, &c.

Sed quare tristis est anima tua, si lacrymis deleantur delicta? tibi verò, ò Dauid fuerunt lacrymæ tuæ panes die, ac nocte; sed quare die, ac nocte lacrymæ panes, nisi quia, vt scribit Chrysostom. homil. 5. ad Pop. Tibi mensura consolationis lacrymæ, & pœnitentia sunt, Iacob. cap. 4. numer. 9. Miseri estote, & lugete, & plorate; risus vester in luctum conuertatur, & gaudium in mœrorem. Humiliamini in conspectu Domini, & exaltabit vos. Adde dicta Hieronym. in Psalm. 95. lacrymæ sunt Baptismus animarum, Isidor. de Offic. Eccles. lib. 2. cap. 24. Lacrymarum enim aquis virtus peccata abluendi, sicut in Baptismo, dixit Hieronym. Epistol. 23. Qui ab aquis, inquit, ille, primum signum Iesus cœperat, finiuit in aquis, aquam in vinum conuertit, Ioan. cap. 2. numer. 1. in morte aqua effluxit, vt lacrymarum virtus ostenderetur.

Quare ergo tu, ò Dauid, animam meam mœrentem affligis, & lacrymas cordis fluentes, vanè conturbas, si tu consiteris Dominum lacrymas tuas percipere, Psalm. 38. nu. 13. orans prorumpas in lacrymas, vt requiem inuenias, quò abiturus sis, dicit S. Ephrem de Pœnitentia, & Compunctione, fol. 168. in princ. Moneas potius animam tuam, vt vigilet, vt belli tempore paratã se custodiat à malo? precibusq. intenta sit, & cum lacrymis oret, & ad Deum cum cordis dolore exclamet, & statim ille tibi in auxilium mittet Angelum misericordem, qui te ex ipso belli periculo liberet, & ab inimici confusione. Nunc ploras, nunc lacrymas dolens effunde, ne in separationis hora in tristitiam incidas, ac gemitum, ne inutiliter plores in æternum: Quare tristis, inquis, es anima mea? immo dicas; Cur lætaris anima mea, cum lætitia in luctum vertenda sit? Ergo, ò Dauid, ò pœnitens, animam tuam quotidie lacrymas effundere permittas, quia ex illis lauantur crimina tua: O lacrymarum vis, inquit Sanctus Ephrem in Serm. 3. de Compunctione, fol. 147. Quovsque pertingis, quæ multa cum fiducia, nullis impedita retiaculis, ipsum Cælum penetrat? ò lacrymarum vis, quæ si velis ante sanctum, atque excelsum, immaculati Domini thronum cum gaudio assistere potes? ò vis lacrymarum, in cuius præsentia, atque confidentia Angelorum ordines, cælestesq. omnes virtutes semper exultant, ò lacrymarum potentia, quomodò in ictu oculi, quasi præpetibus sublata pennis in Cælum euehis, atque ascendis, & postulata à Deo sancto obtines? occurritquè tibi hilariter indulgentiam, ac remissionem peccatorum deferens. Largire mihi indigno famulo tuo Domine

lacrymas, illuminationem cordis, atque fortitudinem, vt fontes lacrymarum iugiter cum dulcedine fundens, cor meum illustretur in oratione munda; vt magnum illud delictorum meorum Chyrographum modicis lacrymis deleatur, ignisquè ardens ibi exiguo fletu extinguatur: nàm si hìc peccata mea defleuero, illic inextinguibilem ignem euadam, hæc Ephrem.

Non dolet Dauid, & iustus, quia anima sua lacrymas fundat, & contristetur, neque quia mundanis sit immersa cupiditatibus; Neque contristatur, quia cupiditates illas relinquens, & quia sitiens Deum oculus eius flumina lacrymarum fundat; immo gaudet, quia Saluatorem expectat, quia Redemptorem desideret; Confortetur, inquit, cor tuum: Spera in Deo, quoniam confitebor illi, salutare vultus mei, & Deus meus. Quare, inquit, ingemiscis, & contristaris, ò anima mea? quæ dixisti sitiens sicut ceruus, quando veniam ad te? Timeant illi, qui terrena sapiunt; neque enim animam cunctis rebus terrenis liberatam contristat, angitquè migrationis hora, sed mors contristat hominem, desidia torpentem, & peccatorem; contristat remissum, & negligentem, & quæ Deo placent omittentem: Contristat multa possidentem, & eum qui curis, & negotijs sæcularibus suam deuinxit animam. At tu quare contristaris, & ingemiscis, ò anima, à mundo libera, sæculiq. rebus exuta? In via Dei generosè perge, alacriter quæ ipsi sunt placita perficiens: Non prohibeo cordis tui lacrymas; videre Christum desideras: quia Saluatoris Redemptorisq. tui aduentum sitias, effunde lacrymas, etenim Deus exaudiet illas, quæ citò, vt veniat interpellant ex affectu sequere, lacrymas funde, iugiterquè plangas, quia ob lacrymas tuas lætitiam cor meum inueniet; lacrymis, atque singultibus corpus meum laua, ò anima mea, quia Diuinam cordi meo gratiam conciliabis: Enimuerò quid in hora mortis dulcius in terris lacrymarum gratia, & cordis compunctione? Vndè Sanctus Ephrem in lib. de Iudicio extremo, & de Compunctione fol. 252. Certò scitote fratres, non fore in terris quid dulcius gratia lacrymarum, & compunctione cordis in illa hora.

Cum quis in oratione sua Deum contemplatur, semper in suo corde Deum ipsum defixum tenet. Si quis vestrum expertus lacrymarum dulcedinem, mediante oratione desiderauerit eleuari è terris, totus hìc extrà corpus in Cælum fertur, & quid dico extrà corpus? immo extrà sæculum vniuersum totus est, nec amplius conuersatio eius inuenitur in terris; talis enim cum ipso Deo colloquitur, in Christo illuminatur, & in Spiritu sancto iugiter sanctificatur. Magnum miraculum, inquit, quod terrenus homo semper pura, & sancta oratione sua, cum inuisibili Deo sermones conferat; hæc Ephrem vbi supra declarans, quòd compunctio sit illuminatio mentis, & sanctitas animæ, quæ peccatorum remissionem conciliat, & in nobis Iesum filium Dei Vnigenitum habitare facit, Spiritum quoque sanctum, compunctio ad se inuitat, & attrahit.

Ingens ergo lacrymarum vis earum, quæ sunt secundùm Deum; quia animam à peccatis abstergunt, & à cunctis iniquitatibus expiant, fiduciam in Deum præbent, nec illis præualent sordidæ cogitationes.

Sitiebat ergo Dauid aduentum Dei: die, ac nocte lacrymas sudebat; fuerunt enim panes lacrymæ eius, hoc est ieiunabat, non comedebat, se affligebat,

& quodammodò pane lacrymarum sustentabatur; nondum tamen, vt veniret Iesus Christus impetrauerat, & cum dicerent illi, vbi est Deus tuus? anima eius tristis erat, & illum conturbabat, quia statim post lacrymarum effusionem, suam cogitabat petitionem à Deo impetraturum.

O Dauid quomodò dicebas; Proba me Deus, & tenta me, Psalm.21.numer.2. nunc statim post aliquam tui contritionem subitò vis exaudiri? in perseuerantia consistit virtus, nàm dicitur Luc.cap.21.numer.19. In patientia vestra possidebitis animas vestras, idest in perseuerantia, ideò Matth.cap.24.numer.13. Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit; Patientia opus perfectum habeat, dicit Iacob. in Epistol. cap.1.numer.4. In aduersis tollerandis, dicit D.Thom.2.2.quæst.136.art.3. ad primum, ex quibus procedit tristitia, quam moderatur patientia, secundo ira, quam moderatur mansuetudo, tertiò odium, quod tollit charitas, quarto iniustum nocumentum, quod tollit iustitia, & in secundo dicitur homo per suam patientiam, suam animam possidere, inquantum radicitus tollit passiones aduersitatum, quibus anima inquietatur, & pacatam reddit animam. Sic Propheta sanctus dicit: Quare tristis es anima mea? quare conturbas me? volo enim patientiam habere, & in Domino sperare, quia adhuc, idest iterum, & semper, confitebor illi salutari meo, & Deo meo; nàm Deus fingit laborem in præcepto, Psalm.38. Augustin. legit, Qui abscondis doctrinam sub labore. Satiabor, inquiunt aliqui, cum afflictus fuero, in illis verbis Psalm.16. Satiabor cum apparuerit gloria tua: cum affligar satiabor ad similitudinem tuam, ad similitudinem enim filij Dei facti sunt prædestinati, ad Roman. cap.8. numer. 29. Igitur, & ad similitudinem eius, & patientiæ exemplum torqueri, & affligi permittit, qui sicut ouis non tàm coram tondente se, quàm coram occidente obmutuit. Bernard. in Missus est, homil.1. Sublimatur, inquit, qui propter Deum humanam despicit mortem. Chrysost. Serm.101. &c.

Et ideò animæ suæ dicit Dauid, sustine adhuc mecum, quia adhuc confitebor illi, salutare vultus mei, & Deus meus. Nondum præterijt tempus, veniet namque, & confitebor illi, qui ipse lux vultus mei, Dominus, qui aperit Cælum iustis, & Deus meus, qui dat salutem credentibus. Spera in illo, non enim salus à te, nec à me potest esse. Confitearis mecum, quia salus ab illo Redemptore procedit: non dico, quia saluus iàm sim ex omni parte, Augustin. salus à me mihi esse non potest; Hoc dicam, hoc confitebor, salutare vultus mei Deus meus, etenim vt metuat in his, quæ vtcunque intellecta cognoscit, respexit iterum solicitus, ne obrepat inimicus, nondum dicit, saluus sum ex omni parte; Etenim primitias habentes spiritus in nobis ipsis ingemiscimus, adoptionem expectantes, redemptionem corporis nostri, ad Roman.8.num.22. hæc Augustin.

Ad meipsum anima mea conturbata est, propterea memor ero tui de terra Iordanis, & Hermonijm à monte modico. Propter me, inquit, anima mea turbatur. Sitiebat Dauid, lacrymas fudebat, affligebatur, & addit, Ad meipsum conturbata est anima mea: quid dubitas, ò anima? si corpus illius ità compungitur propter peccata; Qui se putat stare, videat ne cadat; 1.Corinth. cap.10.num.12. nunquam in eodem statu permanet homo, Iob cap.14.num.2. affligitur, confitetur, dolet de commissis offensionibus, verum in mundo per-

manet, in quo abyssus abyssum inuocat, nàm peccatum super peccatum adijcimus. Noli Dauid, noli pœnitens homo de te sperare, sed de Deo, d. Psalm. num. 24. Nàm si speras de te, anima tua conturbatur ad te, quia nondum inuenit, vndè sit secura: spes tua sit in Deo: quatenus bonum operaberis in conspectu eius.

Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me? quia respondet ipse sibimet versor in hoc mundo, in hoc mari fluctuoso, omni tempestasti subiecto, & ideò conturbatio mea à meipso procedit, & quamuis bona, quæ narrata sunt fecerim, non sum securus in spe, quia dicit Iesus cum hæc omnia feceritis, dicite; quia adhùc inutiles serui sumus, Luc. 17. num. 10. Noli in lacrymis tantum præsentibus confidere, quia & in illis aliquid superbiæ poterit esse. Non sum, dicebat ille, sicut cæteri hominum, & sicut Publicanus iste: ieiunabat ille, eleemosynas faciebat, & tamen qui se peccatorem confitebatur, iustificatus est, ille verò, qui se iactabat, non: quia qui se humiliat exaltabitur, & qui se exaltat humiliabitur.

Quocircà, inquit Dauid, Memor ero tui de terra Iordanis, & Hermonijm à monte modico, à monte paruo, in humilitate; Etsi in magno sim positus monte, & si Rex sim, & magnus valdè: iniquitatem meam ego cognosco. Tu Domine scis, quia peccatum meum contrà me est semper, afflictus proptereà, & humiliatus sum nimis; rugiebam à gemitu cordis mei. Peccatorem me confiteor in terra Iordanis, tui memoratus Domine, in fonte baptismatis, in quo delentur peccata, in quo fit peccatorum remissio est spes mea. Ecce curro ad te Domine, quia peccatum meum destruit me; illud displicet mihi, propterea venio ad te humiliatus, & contritus; Augustin. Etenim nemo currit ad remissionem peccatorum, nisi qui displicet sibi; nemo currit ad remissionem peccatorum, nisi qui se confitetur peccatorem; nemo se confitetur peccatorem, nisi humiliando seipsum Deo: ad Iordanis memoriam ipse currit, Iordanis enim descensio eorum interpretatur; Descendit ergo Dauid, vt eleuetur: non extollitur, ne elidatur: anathematizat seipsum displicendo sibi. Nàm Hermonijm anathematizatio dicitur; vt placeat Deo; nàm bona, quæ possidebat, non à seipso esse intelligebat, sed à Deo; ipse enim ex se nihil merere cognoscit; hæc memoratus de terra Iordanis, & Hermonijm, sui ipsius despectus, & humilis, vt in Domino se gloriando, à Domino mereatur exaltari. Conturbat illum anima eius, quia in periculo videt se positum; nàm, vt dicit Iob 4. num. 18. Si qui seruiunt ei non sunt stabiles, & si in Angelis suis reperit prauitatem, quantò magis in his; qui habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentum. Conturbatur, quia circunstant illum pericula terræ, quam inhabitat. Et quid, si super te plaga veniret, ò anima mea, dicit Dauid; vbi est timor tuus, fortitudo tua, patientia tua? præpara animam tuam ad tentationem, qui seruire Deo intendis; deprime cor tuum, & sustine, in dolore sustine, & in humilitate tua patientiam habe, Eccles. 2. num. 1. cum sequen. Sustineo Domine, quia semper memor, inquit ille, ero tui; ideò conturbatus, oculos meos ad te conuerto, & de monte modico testamenti tui, Ioan. cap. 14. num. 13. ibi. Sedebo in monte Testamenti veteris, in quo nunc sto: respiciens memor ero, & Testamenti tui noui, in quo fons Iordanis est lauans crimina eorum, qui in terra sunt, qui in terra anathematizant se, qui

ponentes eorum voluntates in Deum, abnegant se, vt seruiant Deo viuenti. Memor ero verbi tui, in quo mihi spem dedisti. Abyssus veniet super me tribulationum; abyssum inuocabo super me misericordiarum tuarum; abyssum mihi dedisti diuitiarum, & exaltauerunt me in Regem, & potentem, Ezech.cap.31.num.4. abyssum humiliatis profundè inuadam, vt in illa Iordanis aqua baptizatus, in te solum Deum meum spem habeam, vt humiliatus in terram sanctam, in tuo habitaculo à te exaltari merear. Vt in abysso miseriæ huius mundi positus, abyssum misericordiæ tuæ baptizatus inueniam, Eccles.31. num. 26. Speciosa misericordia Domini in tempore tribulationis, sicut nubes pluuiæ in tempore siccitatis. Ideò omnia excelsa tua, & fluctus tui super me transierunt: omne enim auxilium à Domino, & ab ipso salutare meum.

Vel secundum Eutymium dicamus, quòd aliter suprà diximus, nempè Testamentum vetus abyssum, quia figura noui Testamenti abyssi, à veteri Testamento vocati: nouum Testamentum, abyssum vocat, quia sit abyssus veteris Testamenti, cuius figuræ adimpletæ in eo demonstrantur. Inquit enim Eutymius: Nouum Testamentum inuocat Testamentum vetus in testimonium, ad prædicationem Apostolorum, immo addas, ad testificationem Iesu Christi, qui dixit Iudæis; scrutamini Scripturas, & Psalmos, quæ testimonium perhibent de me, aut etiam Prophetarum iuxtà proprium sensum, in paraphrasi indicatum Anselmi, qui addit elegantem esse allegoriam, quia inducitur Deus excitatis tonitruis, & ingenti tempestate Dauidem obruere infinita copia imbrium, in qua allegoria persistit adhùc in vers. sequen. Omnia excelsa tua, & fluctus tui, super me transierunt, quæ dictio excelsa propriè significat subleuationes, vel, vt Augustin. legit; suspensiones, significat autem hoc loco imbres ex sublimibus nubibus in aëre suspensis decidentes, aquæ autem in scripturis Dei summi consueuere pro calamitatibus. Hæc Anselmus.

Abyssus ergo abyssum inuocat, calamitas scilicet calamitati succedit; in voce cataractarum tuarum, sicut aqua diluuij, quando cataractæ Cæli apertæ fuerunt, cum strepitu scilicet, & illarum continuatione, quasi videantur nunquam defecturæ, quasi semper permanentes, & cum augumento accrescentes. Tribulationes cordis mei multiplicatæ sunt. Hoc intelligit cum ait, omnia excelsa tua, & fluctus tui super me transierunt: tentationes multæ apprehenderunt me, tribulationes meæ multiplicatæ sunt super numerum, Psalm.39. num.6. tribulationes cordis mei multiplicatæ sunt, Psalm.24.num.17. Abyssus abyssum inuocat, quia omnia excelsa tua, à te Domine omnia procedunt. Potentiam tuam, & iustitiam tuam Deus vsque in altissima. Ostendisti nobis tribulationes multas, & malas, & conuersus viuificasti me, & de abyssis terræ iterum reduxisti me, Psalm.70.nu.19. & 20. Isai.cap.51.num.15. & 17. ego Dominus Deus tuus, qui conturbo mare, & intumescunt fluctus eius. Conturbasti Domine Deus corda hominum, vt tribularent me, intumuerunt fluctus, transierunt super me, sed non demergerunt me. Calicem soporis, fundum Calicis indignationis iræ Dei de manu eius tuli, neque adijciam vltrà, vt bibam illum; Conturbationes, & ærumnas in gaudium vertisti, & quò maiora fuerunt, & ingruunt mala, copiosiori gaudio afficis illa sustinentes, vndè Iacob,cap.1.num.12. Beatus vir, qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit accipiet coronam vitæ, &c. Creatura enim tibi factori deseruiens

exardescit in tormentis aduersus iustos, & lenior fit ad benefaciendum pro his, qui in te confidunt, Sapien.16.num.24. & ignis suæ virtutis oblitus est, vt nutrirentur iusti, ibid.num.23. Vas figuli inquit, probat fornax, & homines iustos tentatio tribulationis, Eccles.cap.27.nu.6. hinc ipsemet Dauid Psalm. 65. numero. & sequen. Probasti nos Deus; igne nos examinasti, sicut examinatur argentum; induxisti nos in laqueum, posuisti tribulationes in corde nostro; imposuisti homines super capita nostra: transiuimus per ignem, & aquam, & eduxisti nos in refrigerium. Hinc Cyprian.de Laude Martyrij: Quando nos terrenis tentationibus probat Deus, & his sæculi malis scrutatur Christus, gratulandum nobis est, atque lætandum, quòd cum illis à perennibus reseruet exitijs, sed gaudeat ab omni contagione purgatus; Chrysost. Serm.10. ad Rom. cum securitate, & libertate futuris bonis potiamur, tamquàm in schola aliqua præsentis vitæ, per morbum, per afflictionem, per tentationes, per paupertatem, per cætera item, quæ mala videntur esse, erudit, vt idonei efficiamur ad futurorum bonorum perceptionem, &c. Vndè considerat Maldonat. per illa verba Matth.cap.2.num.20. Surge, accipe puerum, & fuge in Ægyptum; Videntur, inquit, Ægyptij, filiorum Dei schola esse, quia adolescere non possunt, nisi vexentur omnia excelsa tua; ego Deus creans fabrum, in igne prunas sufflantem, Isai. cap. 54. numer.16. & proferentem vas in opus suum, omne tamen vas, quod factum est, contrà te Domine non dirigetur, quia nimirum intentio Diaboli, & persecutoris frustrabitur, ideò in Psalm.9. numer.15. dicit Dauid, Qui exaltas me de portis mortis. Non dicit, Qui liberas, sed qui exaltas.

A iudicijs tuis Domine timui, Psalm.35.num.7.Psalm.118.num.120. quia tu dixisti Domine, Genes.2.num.17. In quacunque die ex eo comederis, morte morieris. In sudore vultus tui vesceris, Genes.3. num.19. pane tuo. Et in hac mortali carne peccatrice laboriosa, dicit Augustin. molestijs, & scandalis plena, &c. damnatio quædam est de iudicio tuo, quia ità dixisti: hæc abyssus prima iudicij tui, & si malè vixerint homines, abyssus abyssum inuocat, quia de pœna in pœnam transibunt, de tenebris ad tenebras, & de profunditate ad profunditatem, de ardore cupiditatis in flammas gehennarum, idcircò dixit Dauid, ad meipsum anima mea turbata est, quia propterea memor ero tui de terra Iordanis, & Hermonijm, &c. hæc Augustin. Abyssus abyssum inuocat, quia hìc labores, & tribulationes, tu Domine nobis das, sed maiores tu minaris in voce, & sonitu cataractarum tuarum, quæ etsi adhuc non appareant, præparatæ sunt, in te sperantibus, vel etiam ad iustorum maiorem probationem; Sed si ità est Domine, quò ego abibo, quò à facie tua fugiam? fluctus tui iàm super me transierunt; nec tamen cataractæ tuæ apertæ sunt, tribulationem, & dolorem inueni. In die tu misericordiam tuam mandasti, quia & in rebus prosperis, mandasti misericordiam tuam. Fluctus tui super me transierunt, minæ tuæ me compunxerunt, me terruerunt, quòd si spem meam in diuitijs, & delitijs posuero, in illisq. me inuoluero, mortem minaris. Veniat tribulatio, vt cognoscam, quòd tu es mihi in adiutorium; quia etsi in die mandasti misericordiam tuam in prosperorũ exhibitione, in nocte tamẽ tribulationis cognoscam canticum tuum, idest tibi decantandas laudes, quia in illa tu Deus non derelinques me, & cum clamauero ad te exaudies me. Speciosa mise-

misericordia tunc mihi erit in tempore tribulationis, Eccles.d.cap.35. subuenis enim tunc mihi, quando venit tribulatio in me.

Calamitas inquit Seneca in lib. de Prouidentia, cap. 4. Virtutis occasio, miserum te iudico, quia non fuisti miser; transisti sine aduersitate vitam, nemo sciet, quid poteris, nec quidem ipse. Calamitas virtutis occasio est, persæpè enim in impiorum manus & potestatem iusti veniunt, non vt illis honor habeatur, sed vt horum virtus exploretur. Vide Augustin.4. de Ciuit.Dei cap.3. Naziazen. de laudibus Athanasij, Facit Isai.d.cap.54. Ego Deus creans fabrum sufflantem prunas in igne, vndè d.Psalm.9. num.15. dicitur, Qui exaltas me de portis mortis, non dicit liberas, sed exaltas, non enim in eorum malis tantum soluendis, subsistit Dei beneficium, sed facit eos etiam admirabiles, insignes, & clariores, Chrysost. in Epist. ad Rom. homil.15. Et si nostræ naturæ, vel hæreditario iure datum sit, semel tantum mori, præstitit tamen Deus hoc, vt voluntati si placuerit, quotidie mortem pati liceat, sustinendo alia quæcumque nobis illata fuerint mala, etiam vsque ad mortem. Ideò dicit Psalm. 43. Propter te mortificamur, morti tradimur, tota die æstimati sumus sicut oues occisionis, & Ambros.in Psalm.38. ibi: Ecce mensurabiles posuisti dies meos: Alius inquit, habet, Palestras posuisti dies meos; palestræ enim luctatores magistri dicuntur, qui luctantur ad coronam, ergo pleni sunt dies mei certaminis, & laboris, & Iob c.3. Vita hominis militia super terram, & Gregor.8. Moral. Non militia, sed tentatio vocatur vita hominis, quia vita nostra est tentatio, Hieronym. in Epist. ad Chelidonium inquit; Erras frater, erras, si putas Christianum vnquam persecutionem non pati; tunc maximè oppugnaris, si te oppugnari nescis. Aduersarius noster sedet in insidijs cum diuitibus in occultis, & Bernard. in Serm.1. in Ramis palmarum, Disce, inquit, in passione, qua fuit eundum. Hæc est via vitæ tribulatio præsens, via gloriæ, via ciuitatis habitaculi, via regia secundum quod latro clamat in Cruce: Memento mei Domine, dum veneris in Regnum tuum. Euntem illum vidit scilicet per passionem, & crucem, quò cum perueniſset, sui memoriam esse rogauit. Peruenit ergo & ipse, sed si vis nosse, quàm compendiosà via; eadem die meruit cum Domino esse in Paradiso; ideò dicitur ei, hodie mecum eris in Paradiso; tam citò enim peruenit per Crucem, & tormenta, quæ est via compendiosa, & initium beatitudinis, hæc ille.

In die ergo mandauit Dominus misericordiam suam, nocte tamen canticum eius intonuit, quia & in iucunditate, & in ærumnis intonuerunt mihi monitiones tuæ, & ideò apud me oratio Deo vitæ meæ, dicam Deo, susceptor meus es tu. Et si tamquàm oues escarum nos dederis gentibus, & in opprobrium dederis nos vicinis nostris, & in derisum; non tamen tui obliti sumus, neque iniquè egimus in testamento tuo: nec cor nostrum retrò recessit, Psalm.43. per totum; tu enim susceptor meus, qui sperantes in te liberare scis, & de manibus inimicorum illos deducere: In nocte canticum eius. Quia ignis in conspectu tuo exardescet, idest iudicium tuum diuinum, quia iniustos in ignem mittet, & in circuitu eius tempestas valida: Ventus validus separans à paleis grana, Psalm.49.nu.4. vbi Augustin. Vel in nocte canticum eius, quia postquam fortes fuerunt in tribulationibus, & in vinculis non dereliquit eum, donec afferret illi sceptrum Regni, & potentiam aduersus eos, qui eum derri-

deprimebant; & ideò, inquit, decantauerunt Domine nomen sanctum tuum, & victricem manum tuam laudauerunt pariter, quoniam sapientia aperuit os mutorum, & linguas infantium fecit disertas, Sapien.12.num.14. & 20. In die ergo mandauit Dominus misericordiam suam, quia memor fui illius de terra Iordanis, & Hermonijm, quia coram illo factus sum humilis; in die enim illa Deus mandauit, vt appareret pulchrior, quia in tempore tribulationis illam transmisit, speciosa misericordia Dei in tempore tribulationis, Eccles.dicto cap.35.num.26. quasi nubes pluuiæ in tempore necessitatis.

Cur enim tot, & tantis tribulationibus homo iste erat circundatus? vt ità multiplicarentur, vt quasi abyssus abyssum illas vocaret, in sonitu cataractarum tuarum; omnia excelsa tua, vt fluctus tui super ipsum transeuntes, quia illæ non ad pœnam, sed per misericordiam sibi à Deo immissæ erant, Paul 2.Corinth.cap.7.num.11. cum sequen. Gregorius in illud Iob.36.nu.15. Eripies de angustia pauperem, & reuelabis in tribulatione aurem eius, intelligens de supplicio, sic in 26.Moral.cap.23. Aurem, ait, in tribulatione reuelare, est auditum cordis verberum plagis aperire, pulchrior ergo apparet esse, & speciosior apparet Diuina misericordia, cum adest dies, & tempus tribulationis, in eoq.cernitur eius pulchritudo, quod parcat, & misereatur eis, in quibus tribulatio, iudicium, & iustitia debebatur. Propterea dicit, in die mandauit Dominus misericordiam suam. Vndè de verbis Abacuc; Cum iratus fueris misericordiæ recordaberis; Ipsa, inquit, indignatio non aliundè, quàm de misericordia est, miseretur enim Dominus super afflictione, 2.Reg.24.num.16. Exaruit etiam manus illius regis, quam extenderat super altare, nec eam amplius ad se retrahere Rex ille valuit: Deprecare dicebat ille ad virum Dei, faciem Domini Dei tui; Et ora pro me, vt restituatur manus mea mihi; orauitq. vir Dei faciem Domini, & reuersa est manus eius ad Regem eumdẽ, & facta est sicut prius fuerat, Ieroboam erat ille Rex. Ambros. extollit, miratur, prædicat tàm maturum misericordiæ adinuẽtum in ipsa Dei indignatione, qua certissimè temperat supplicium, vel iustissimè inflictum in lib.2. de Virginibus. Chrysost.homil.2. in Psalm.50. Noli dicere, quomodò? scilicet misericordia Dei pertingat ad nequissimos homines; admirare, & glorifica; vbi misericordia Dei imploratur, quæstio non expetitur. Quid est peccatum ad misericordiam? Tela araneæ, quæ flante vento nunquàm apparet.

Tetendit arcum suum quasi inimicus, firmauit dexteram suam, quasi hostis, Thren.2.n.4. Sagittàrio comparatur Dominus, Psal.32. sagittas meas, &c. hic firmauit dexteram suam, ne feriret hostem, vt scilicet daret locum illi, vt pœniteret, Sapien.cap.12.num.10. sed partibus iudicans, inquit, dabis locum pœnitentiæ. Dedisti timentibus te significationem, vt fugiant à facie arcus, vt liberentur dilecti tui, Psalm.59.nu.6. In die ergo mandauit misericordiam suam, quia speciosam in tempore tribulationis, vidit misericordiam, & in nocte canticum eius; nàm in fine dixit illi, hodie mecum eris in Paradiso: diceetq. Venite benedicti Patris mei, percipite Regnum, quod vobis paratum est, Matth.25.num.34. ideò apud me oratio Deo vitæ meæ: dicam Deo susceptor meus es; & Pater misericordiarum, 2.Corinth.cap.1. & 1. Petr.cap.1. Fuerunt tribulationum genera multa; tu verò Domine declinasti super me quasi fluuium pacis; idest misericordiæ, & quasi torrentem inundantem gloriam, Isai. cap.66.

cap.66.num.12: Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei, Psalm.45.numer.5. vndè Augustin. in libr. Meditat. cap.2. Tu factor omnium Deus, licet in cunctis operibus tuis sis mirabilis, mirabilior tamen crederis esse in operibus pietatis; vndè de teipso per quendam seruum dixisti, miserationes eius super omnia opera eius; Psalm.144. Idipsum, & in lib.2. de Peccatorum merit. & remiss. cap.5. & Anselm. in Epist. ad Hebr. cap. 9. Chrysol. Sermon.42. Magna sunt opera Domini, sed magnitudinem præcellit misericordiæ magnitudo; optimè ergo hìc Dauid inquit, Apud me oratio Deo vitæ meæ, dicam Deo susceptor meus es: nàm, vt dicit Chrysost. in Psalm. 50. cum misericordia inuocatur, tollitur examini locus: vbi flagitatur, interrogatio cessat: vbi postulatur, iudicium non sæuit: vbi petitur, pœnæ locus non est: vbi misericordia, quæstio nulla: vbi misericordia, condonatio responsio est. Qui autem flagitat misericordiam non audet nomen proprium exprimere, solum dicit. Miserere mei Deus. Quando Dauid exposuit mansuetudinem, & propter eam petijt exaudiri, nomen expressit suum, memento Domine Dauid, & omnis mansuetudinis eius, & vbi de misericordia sermo est, nihil amplius memoratur, quia ea sola sufficit, & nullum exquirit meritum, aut opus cum etiam super omnia opera Domini sit ipsa misericordia.

Tu ergo Domine, quia susceptor meus, & liberator meus es; quare oblitus es mei, & quare contristatus incedo, dum affligit me inimicus: quasi dicat, tempus faciendi Domine, idest tempus misericordiæ, vel, vt explicat Theodoretus, tempus faciendi, idest in auxilium consurgendi, Psalm.118. Exurge Domine, & ne repellas in finem, Psalm.43. quare obdormis? da nobis auxilium de tribulatione, quia vana est salus hominis, d.Psalm.59.num.15. Deus meus, vt quid dereliquisti me? Clamabat in Cruce Iesus, Matth.27. quare oblitus es mei? nunquid qui adhuc confidit in Deo,& spes sua in illo est,quem salutare suum adhuc confitetur, credere poterit eius oblitum Deum in persecutione, qui cum ipso semper in tribulatione esse asseruit, & illum de tribulatione eripere promisit? Quare ergo oblitus es mei? Nunquid obliuiscetur misereri Deus, aut continebit in ira sua misericordias suas? Psalm.76.nu.10. Non quia Deus oblitus illius sit, clamat Dauid, sed quia iniqui illum persequentes videntes mirabilia Dei non sunt ad illum conuersi, cum iterum dicant, vbi est Deus tuus? quia in Platea veritas corruerit,quia veritas facta sit in obliuionem, Isai.54.num.15. Et qui recessit à malo prædæ patuit, vt patet Act. Apost.cap.8. Facta est autem in die illa persecutio magna in Ecclesia, quæ erat Ierosolymis; quare ergo oblitus es mei, & quare contristatus incedo? Incedit enim prædicando Iesum, vt alij credant in ipsum, sed noluerunt eum audire, immo contumelijs affectos dimiserunt illos, Act.Apost.cap.13.num.45. contradicebant enim blasphemantes.

O Dei magnalia, ò Christianæ Philosophiæ vis, & virtus; labores enim & ærumnas in gaudium vertit, & quò grauiora ingruunt mala, eò iubet copiosiori affici gaudio, omne gaudium dicit Iacob. in Epist.sua cap.1.vers.2. Existimate fratres mei, cum in tentationes varias incideritis. Pro summo gaudio existimate, perfectum gaudium in vobis esse credite, eò maximè cum tentationes pro fide, ac pietate à perfidijs proueniunt calamitates; tentationes enim vocantur labores, vigiliæ, & persecutiones, & his similia vocantur, Luc.22.

Vos

Vos qui permansistis mecum in tentationibus meis; Ille meret, & deflet, si sibi malè sit in sæculo, cui non potest esse benè post sæculum. At verò hi, qui secundum tentationum varietatem expectant præmij magnitudinem, læti, & festiui, & quærunt tentationes, & ab eisdem cum inueniuntur, lætati sumus, inquiunt, pro diebus, quibus vidimus mala, Psalm. 39. Bernard. Serm. 87. in Cantic. Hoc genus lætitiæ nescierunt Cæli, nisi per Ecclesiæ filios: tribulationem, & dolorem inueni, dicit Dauid, & nomen Domini inuocaui, & Psal. 118. tribulatio, & angustia inuenerunt me, quærunt ergo tribulationes iustum, Ambros. in Serm. 18. in Psalm. 118. Et inueniunt, cui corona debetur; aliquando non inueniunt, cui corona non debetur: non inuenitur autem, quia idoneus certamini non probatur.

Dum confringuntur ossa mea, idest dum potentes Apostolos lacerant, atque Doctores, Martyres, & Confessores, & Virgines; tribulant me inimici mei, exprobrantes quotidie dicunt, vbi est Deus tuus? nunc liberet eum de manibus nostris, Matth. 27. Quare tristis es anima mea? & quare conturbas me? etenim vniuersi, qui Deum expectant Saluatorem, non confundentur, Psalm. 24. num. 3. cum spes illorum sit in Deo, adhuc, inquit, non cesses, & prædica verbum opportunè, importunè, quia ipse est Saluator Iesus, qui in mundum venit, vt redimat populum, & illis, quos dedit illi Pater confitearis, quia ipse saluum faciet populum suum à peccatis eorum, & quia ipse est Deus, qui in hunc mundum venit: In ipso ergo sit spes mea, cuius fluctus super me transeunt, sed non firmantur, ne demergar, & in tentationibus me faciat fortem in bello, ad Hebr. cap. 11. num. 34.

SOLILOQVIVM.

DA mihi Domine intellectum, vt te solum desiderans Deum meum, & fortem sitiens vt ceruus ad te fontem vitæ, ad te Deum, & Dominum, fortis, & ego accedam, & ante faciem tuam mundus appaream. Lacrymæ meæ fuerunt mihi pro pane die, ac nocte, quia perditionem illorum, qui non nouerunt te, videbam; illi verò deridebant me, quia te Deum viuum, & verum, & Saluatorem confitebar, dicebant enim, Vbi est Deus tuus? non quia te negauerunt, ego succubui, immo quando recordatus sum eorum, quæ tu Domine promisisti, quòd transibo in locum tabernaculi admirabilis, effudi in me animam meam præ dolore mœrentem, & contristatam, & illam dilataui, relaxaui. Nàm illi dixi, quòd in voce exultationis, & confessionis vsque ad domum Dei transibimus. Spera ergo in Deo anima mea, quare contristata es, & conturbas me? Confitearis mecum illi, quia ipse est salus nostra, & Deus noster. Iterum conturbat me anima mea, quia longè sit salus mea, ab illa aqua, per quam delentur peccata. Nondum venisti Domine, vt saluares me! Memor ero dixi de terra Iordanis, & Hermonijm à monte modico: nàm humilis, & qui mihi ipsi displiceo, confitens me peccatorem, curro ad remissionem peccatorum, ad Iordanem anathematizans meipsum, quòd peccator sim. Condelector legi Dei mei, & ad remissioné peccatorum curro, ad fontem Baptismatis: Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis

meæ,

meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis: Calamitas calamitati adiungitur, abyssus abyssum inuocat in voce cataractarum tuarum, fulmina, & fluctus super me transierunt, fluctus tuarum minarum terrent me, & super me transierunt; foris pugnæ intus timores. Quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum. In die mandauit Dominus misericordiam suam, vt magis in tribulationibus resplendeat misericordia sua; & canticum eius in nocte, dicens; Venite benedicti Patris mei: Domine omnia excelsa tua; cum potentia tua, & iustitia sit vsque ad altissima; maior enim his omnibus est misericordia tua: Fluctus tui super me trásierunt; multas enim ostendisti mihi tribulationes, & magnas, & conuersus viuificasti me, & de abyssis terræ iterum eduxisti me. Nàm in die mandasti misericordiam Domine, & nocte canticum tuum, vt tribulationes passus in hac vita, in nocte, in hora mortis meæ canticum tuum audire sim dignus. Propterea das tribulationes Domine in hac vita, vt viam vitæ discamus in altera. Tribulatio præsens gloriæ via est, Ciuitatis habitaculi via: sit ergo apud me oratio Deo meo vitæ meæ, quia ille suscipiet me in tabernaculo suo. Sit apud me, non extrà me oratio mea: loquar ad Dominum in toto corde meo, non mente ad aliena vagus, sed totus existens in me, & mens mea ad illum, qui genuit me, qui creauit, & redemit, & peccata mea in Iordane demersit; Cur Domine tandiù moraris concedere, vt veniam ad te, quasi oblitus fueris mei. Quòd si Deus susceptor meus est, cur contristaris anima mea? quasi derelicta videaris, dum inimicus Diabolus tentans affligit me. Flagellantur Sancti, persecutionem patiuntur ab inimicis meis; & dicunt, non adesse te Deum adiutorem meum; vt quid anima mea propter hæc contristaris? quid me conturbas? transeunt fluctus, adaugentur calamitates calamitatibus; non tanget tamen Sanctos Dei tormentum mortis: Insipientium oculis mori videntur, illi autem sunt in pace, & intèr Sanctos reputati sunt. Spera etiam tu anima mea in Deo; sustine tribulationes confitendo, quòd ille est Iesus Saluator tuus, qui tecum permanet in tentationibus, vt in igne probata inueniaris in regno eius lucida, clara, & Deum glorificans cum Sanctis eius. Ità fiat Domine Iesu, vt & ego seruus tuus in afflictione positus illas taliter sustineá, vt fortis euadens, venire merear ad te Deum meum fortem, & viuum per intercessionem sanctissimæ Virginis Mariæ, cuius laudes hodie in Ecclesia cantantur. O sapientia infinita, veni ad docendum me viam prudentiæ, O Adonai, veni ad redimendum me in brachio extento; O Radix Iesse veni ad liberandum me, noli tardare; O Dauid clauis, & sceptrum, veni, educ me de domo carceris vinctum, in tenebris, & vmbra mortis sedentem; ò Oriens lucis æternæ, & splendor, veni, & illumina me sedentem in tenebris, & vmbra mortis; O Rex gentium, veni & salua me, quem de limo formasti; O Emanuel Rex, & Legifer, veni ad saluandum me Dominus Deus noster; expecta inquit Dominum, viriliter age, confortetur cor tuum. Deo gratias. Amen.



IN PSALMVM XLII.

Iudica me Deus, & discerne causam meam de gente non sancta: ab homine iniquo, & doloso erue me.



SEQVITVR continuatio præcedentis Psalmi 41. supra visum est de fide, quæ operibus coniuncta esse debet; verùm quia ad tentationes fideles debent præparari, & tribulationibus probari, ideò petit ab homine iniquo liberari.

Summa hæc est; vt fidelis in pressuris, & tribulationibus non deficiat. Titulus. In finem, idest in Christum: Psalmus Dauid, sperat quia adiutus à Deo, illi gratias aget, quando introibit ad altare Dei.

Iudica ergo me Deus,& discerne causam meam; Vt bona, quæ coram te operatus sum, sint tibi accepta, de gente non sancta, & ab homine iniquo, & doloso erue me; non enim impleuerunt iniqui quod tu Domine iussisti, Leuit. cap.11.num.44. & cap.20. num.7. 1.Petr.1.nu.16. Sancti estote, quoniam ego sanctus sum; discite à me,quia humilis sum corde, Matth.c.11.n.29.& accipietis requiem animabus vestris. Iudica Domine inter illos, qui iniqua egerunt, & inter me,qui mandata tua custodiui;qui nec impiè gessi à Deo meo,Psal.17.n.22.

Hic primo sistendum est aliquantulum,nàm cur petis,vt causam tuam discernat Deus ab impio? Nonnè tu dixisti,in Psalm.1.nu.5.Non resurgunt in iudicio impij, neque peccatores in consilio iustorum? si eorum iter peribit, ibidem num.6. Causa iusti tui libera erit,nec cum illa impij commixtionem habebunt: quid ergo dicis, discerne causam meam? si vindicta carnis impij ignis, & vermis,Ecclesi.cap.7.num.19. sine Dauid vtrumque crescere, iniquum, & iustum, vt per illum iustus exerceatur, vel vt his exemplo item iusti corrigatur. Non in via discernitur impij, & iusti causa; ne forte colligentes zizania eradicent & triticum; vsque ad messem sinite; inquit Dominus, crescere, & in tempore messis dicam Messoribus, colligite primum zizania, & alligate ea in fasciculis ad comburendum; triticum autem congregate in horreum meum, Matth. cap.13.num.30. Diuisionem impiorum à iustis desideras, nisi esset impius, quod bellum sustineret iustus? ad quid dixisti, propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oues occisionis? Psalm. 43. Si à gente iniqua eripi desideras? an ignoras, quia mensurabiles posuit Dominus dies nostros; palestras legunt aliqui, idest plenos certaminis dies, & laboris, quomodò tu ab illis separari desideras, Ambros. in Psalm.38.

Si Christus est iusti caput,& dux, quomodò illius dicendus miles, qui nunquam erit pugnaturus? quomodò miles delicatus sub capite spinoso? Tollat Crucem suam, & sequatur me, dicit Christus; neque coronatur, qui non legitimè certauerit, 1.ad Thimot.cap.2.nu.5. & non est me dignus, qui Crucem suam non accipit,& sequitur me, Matth.10.num.38. cap.16. num.24. parum enim habet gloriæ sola innocentia, si non adsit etiam fortitudo ad agenda perfectæ iustitiæ opera, Theodoret. in 3.Reg.2.quæst.3.

Creuit Deus persequutores, vt eò magis iustorum ignis, & in Deum amor

accendatur, Isai.cap.54.num.16. Ecce ego creaui fabrum sufflantem in igne prunas: probatos illos ostendit, ideòq. de portis mortis Dominus illos exaltat, Psalm.9.num.15. idest facit eos clariores, vt annuncient omnes laudationes eius in filijs Sion. Vndè Tertull. in lib. de fuga in persecutione, c.3. Cum exurimur persecutionis ardore, tunc probamur de fidei tenore, & Nazianzen. Orat. de laudibus Athanasij; Persæpe, inquit, in impiorum manus, ac potestatem veniunt iusti, non vt illis honor habeatur, sed vt horum virtus exploretur.

Si ergo separas, si causam discernas, non erit occasio, cur virtus iusti ostendatur.

Verumtamen, ò stulte, ò insipiens respondit Dauid, nàm quis es tu, inuoluens sententias sermonibus imperitis? Iob c.38.num.2. non enim à Deo quæro bona temporalia, vt mihi ex illis veniant dona æterna; non peto iudicij discretionem inter meam causam, & gentem non sanctam, vt illam de mundo tollat, sed vt Ecclesiam sanctam, cuius causa est mea, liberet à persequentibus; Zizania in agro superseminauit malus homo, Diabolus scilicet: peto à Deo, vt donec còburantur tempore messis, illam à tritico discernat, non vt colligere sinat illa, ne euellatur simul & triticum, sed vt discernat, & iudicet de gente non sancta. Et si vis scire qualem ego discretionem à Deo petam, & quale iudicium, istud est, vt emittens lucem suam, & veritatem suam, filium suum vnigenitum, qui est lux, & veritas, videant homines; cum Ecclesia Domini sancta sit, & via recta, per quam directæ ambulantes homines deducuntur, & adducuntur in tabernaculum, in montem sanctum eiusdem Dei. Iudica ergo, dico ego, me Deus, qui aduentum tuum prænuncio, sicut promisisti, & discerne causam meã de gente non sancta, quæ te Deum negat, & causam meam, idest qui te prædico Deum verum, & pro salute nostra venturum, illosq. exhortans, vt intrantes in Ecclesiam tuam saluentur, Gentis quippè non sanctæ causa est, vt in infernis in perpetuum condemnentur. Pro salute est causa mea, est Ecclesia tua: pro damnatione causa est gentium; ab homine iniquo erue me Domine; quia nihil ex me sine te, quia tu es Deus meus fortitudo mea.

Crescunt hæretici, crescit zizania, quia tu Domine nondum discernis Ecclesiam tuam, sit distinctus locus Ecclesiæ tuæ, eorumque, qui in te credunt, atque illorum, qui in te minimè credunt; dispar enim desiderium, quia illorum iter peribit, iustorum verò pollicitatorem habemus certum, desideriorum nostrorũ finem, nempè te Domine Iesu, qui es finis noster, Augustin. hìc, Finis desiderij nostri ipse promissor; seipsum dabit, quia seipsum dedit: seipsum dabit immortalibus immortalem, quia seipsum dedit mortalibus mortalem, hæc Augustin.

Iudica ergo me Deus, idest Iudex meus & defensor meus, sis tu Domine; similes habuit sermones Dauid, quando Saul illum persequebatur, 1. Reg.c.24. num.16. sit Dominus Iudex, & iudicet inter me, & te, & videat, & iudicet causam meam, & eruat me de manu tua, de manu inimicorum meorum.

Iudica me Deus dignum tua protectione, tuo auxilio, & à gente non sancta protege me, defende me, discerne causam meam, quia multum differt ab aliena. Turris fortissima nomen tuum Domine, ad teipsum curro, fortem tu me facias, vt vsque ad finem perseuerem, Prouerb.c.18. nu.10. & exaltabor. Quia tu es Deus meus fortitudo mea, quare me repulisti? quare tristis incedo, dum affligit me inimicus? ab homine iniquo, & doloso erue me. Quid dicis ò Dauid?

Non-

Nonnè ſpiritus à Domino prodiet, & omnem flatum ipſe fecit, Iſai. 57. nu. 16. Non vſque ad finem, inquit Deus, iraſcar; quia ſpiritus à facie mea egredietur, & flatus ego faciam, vndè Paul. 1. Corinth. cap. 4. Maledicimur, & benedicimus. Non exardeſcimus propter iniurias illatas, non enim obiectum crimen nos lædit, & Ambroſ. lib. 2. de Interpellatione cap. 1. Imitemur hunc virum, Iob cap. 19. qui ſilentio ſuo redarguebat conuiciantes, oſtendebat enim virtutem animi ſui, quem contumeliæ non mouerent, & conſcientiæ innocentiam demonſtrabat, & manifeſtabat, qui obiecta crimina non recognoſceret, ſed quaſi aliena videret. Triſtis incedis ò Dauid, quia tu ſuſtineas malos homines, & te affligentes? Sanctum Auguſtin. hìc audi. Quæris, inquit, cauſam triſtitiæ, dicens, vt quid repuliſti me? & quare triſtis incedo, dum affligit me inimicus? Triſtis incedo, inimicus affligit me quotidianis tentationibus immittens, vel quod malè amemus, vel quod malè timeamus, & contrà vtrumque pugnans anima mea, & ſi non capta, tamen periclitans contrahitur triſtitia; & ideò dicit Deo; Vt quid triſtis incedo? quærit ab ipſo, & audiat, vt quid? audiat ex Iſai. d. cap. 53. numer. 16. ſpiritus, inquit, à me prodiet, & omnem flatum ego feci, propter peccatum enim modicum illum contriſtaui, & auerti faciem meam ab illo, & contriſtatus eſt. Quid ergo quærebas, vt quid me repuliſti, vt quid triſtis incedo?, audiſti propter peccatum, cauſa triſtitiæ peccatum eſt, cauſa lætitiæ tuæ lætitia ſit. Peccare volebas, & laborare nolebas, vt parum tibi eſſet, quòd eſſes iniuſtus: niſi vt eum iniuſtum voluiſſes, à quo in te vindicari noluiſſes. Reſpice meliorem vocem in alio Pſalm. 118. nu. 71. Bonum eſt mihi, quia humiliaſti me, vt diſcam iuſtificationes tuas. De inimico quæreris dicens, vt quid contriſtatus incedo? Reuera affligit, ſed tu ei locum dediſti, & nunc habes quid agas. Elige conſilium, Regem admitte, Tyrannum exclude, hæc Auguſtin.

Non ergo dicas Dauid, quia Dominus te repulerit, non enim reijcit Deus filios ſuos, quos corrigendo diligit. Quomodò repulit te? Quomodò oblitus eſt tui Deus, qui aſſerit non poſſe obliuiſci tui, quem in manibus ſuis deſcripſit. In plagis in manibus ſuis factis te depinxit, te poſuit, Iſai. cap. 49. num. 14 cum in Eccleſia ſis deſcriptus, cuius muri in oculis Domini ſunt ſemper, Iſai. d. cap. 49. num. 16. Auguſtin. Epiſtol. 27. quæſt. 1. ſunt in corpore veſtigia vulnerum, tamquam tituli gloriarum. Vtinam, dicebat Nazianzen. Orat. 27. in fine, in manibus Domini depingamini.

Non audeo ò Dauid ſancte de te talia loqui, quaſi hæc dicendo peccaueris, ſed quaſi docendo alios, quomodò in tentationibus ſe habere debeant, vt oremus quod audimus, vt omnium noſtrum ſit illa vox Prophetæ; Emitte lucem tuam, & veritatem tuam, ipſa me deduxerunt, & adduxerunt in montem ſanctum tuum & in tabernacula tua. Triſtemur, quia hæretici Eccleſiam Dei, & ſanctos eius dilaniant, perſequuntur; oremus ad Deum noſtrum, vt auxilium, gratiamq. ſuam, & fauorem nobis præſtet; vt promiſſionum ſuarum fidem præſtet, & effectum, quod nunquam portæ inferi ſint contrà illam præualituræ, Matth. 16. n. 18. taliter enim orat ſanctus, dicens: Emitte lucem tuam, & veritatem tuam, filium ſcilicet tuum Ieſum Chriſtum, qui eſt lux, & veritas, Ioan. cap. 8. num. 12. Ioan. 14. nu. 6. & via. Sic orat Dauid, vt quod audiuimus ab ipſo, & nos oremus: Emitte ergo Domine Deus lucem tuam, & veritatem tuam,

vt nos ab iniquis hominibus liberet, & defendat, causamq. nostram à gente iniqua, ab hæreticis iniquis, & iniustis discernat, quia ipse est, qui mittet Angelos suos, qui zizaniorum fasciculos colligent ad ignem, frumentum verò electos suos ad horreum, ad montem sanctum suum, in Ecclesia sua immunes à peccato conseruet, viuificet, muniat, atque defendat; Lapis ille paruus, qui in montem magnum creuit, Daniel. 1. Confringat crescens omnes hæresiarcas, infideles, & illorum iura cum iniuria vsurpata, & regna ex monte sancto suo, ex Ecclesia sua. Audias Domine preces populi tui fidelis; qui in te credit, quia & Dauidem eodem è monte sancto tuo exaudisti, Psalm. 3. num. 1. ità vt dixerit; voce mea ad Dominum clamaui, & exaudiuit me de monte sancto suo. Exaudiuit Dominus & nos in eo, quòd luce sua, & veritate sua iàm in tabernaculum suum ingressi sumus, & in illo peregrinamur, nondum ad cohabitantium domum peruenimus, de qua Psalm. 83. Beati qui habitant in domo tua Domine, in tabernaculo peregrinantium sumus, atque militantium; in bello sumus, cum vita hominis sit militia super terram, Iob cap. 7. num. 1. Augustin. Cum audis tabernaculum, bellum intellige, hostem caue: Iàm gratia Dei illuminati sumus, & veritas eius illuxit nobis; si illuminati, ergo peccata fugiamus, cum inquinatus reijciatur, non admittatur ad bellum, nisi prius vestimenta deponat peccatorum. Cum nudo luctandum, quia cum spiritu maligno bellum est nobis faciendum, nudi cum nudo, ne tàm facilè in terram deiciamur: Emisit lucem suam sanctam, & veritatem suam, non tamen Iudæi illam voluerunt: nos verò, qui illum non quærebamus, inuenimus illum, Isai. cap. 65. numer. 1. ad Rom. cap. 10. numer. 20. Inuentus sum à non quærentibus me; palam apparui ijs, qui me non interrogabant. Ecce ego, ecce ego, dicit per Isai. vt supra, ad gentem, quæ non inuocabat nomen meum. Appropinquauit ergo nobis Iesus ipse, Iacob. cap. 4. num. 8. Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis, & nos appropinquemur ipsi per nostri ipsius cognitionem, & scelerum nostrorum pœnitentiam; Vndè Ambros. in Exhortat. ad Virginem, cum cœperis quærere adest; neque enim fieri potest, vt desit quærentibus, qui palam factus est non quærentibus, & inuentus à non interrogantibus. Quæramus ergo eum in toto corde nostro, & apparebit nobis; sed peccator derelinquat vias suas, & iniquus cogitationes suas, & reuertatur ad Dominum, & miserebitur eius, & ad Deum nostrum, qui multus est ad ignoscendum, Isai. cap. 55. num 7. cum sequen. Inquirentes autem Dominum, non minuentur omni bono, Psalm. 33. num. 11.

Emitte lucem tuam, & veritatem tuam, ipsa me deduxerunt, & adduxerunt in montem sanctum tuum; Ecce scala, de qua 2. Reg. cap. 23. dixit vir, cui constitutum est de Christo Dei Iacob, egregius Psaltes Israel; Hieronym. ex Hebræo explicat, cui constituta est scala Christo Dei Iacob; scala inquit Hieronymus, eidem Christo Dei Iacob, idest David constituta est, per quam conscenderet ad Deum, & Psalm. 83. numer. 6. Beatus vir, cuius est auxilium abs te: ascensiones in corde suo disposuit, in valle lacrymarum in loco, quem posuit.

Scala autem in hoc Psalm. iuncto superiori, quia continuatio est illius, clara videtur, ideò ibi in primo gradu lacrymas fundit die, ac nocte; in secundo gradu Deum diligit, & in tertio in dilectione permanet, quartum designat vbi

inquit; Et si persecuti me fuerint, confitebor illi salutare vultus mei, & Deus meus, quintum ibi. Et apud me oratio Deo meo vitæ meæ; Ideò iudica me Deus, & emitte lucem tuam, vt deducant, & adducant me in montem sanctum eius, vide scalam in sapientiæ libro repetitam, cap.6.nu.16. cum sequen. qui de luce, inquit, ad illam vigilauerit, non laborabit, assidentem enim illam foribus suis inueniet, cogitare ergo de illa sensus est consummatus: & qui vigilauerit propter illam citò securus erit, quia dignos seipsa circuit quærens, vt in vijs ostendat se hilariter, & in omni prouidentia occurrit illis, initiũ enim illius verissima est disciplina concupiscentiæ: Nota scalam: Cura disciplinæ, dilectio est: & dilectio custodia legum illius est: Custodia verò legum consummatio incorruptionis est: incorruptio autem facit esse proximum Deo: Concupiscentia ergo sapientiæ deducit ad Regnum perpetuum.

Emitte ergo lucem tuam, & veritatem, quia ipsa me deduxerunt, & adduxerunt in montem sanctum tuum, & in tabernacula tua. Deduxerunt de tenebris, de peccatis ad lucem, ad Christum, qui ideò passus est, vt illa tolleret; Et adduxerunt in montem sanctum suum in secundo aduentu. In primo ergo aduentu tulit peccata mundi, in secundo perducit ad gloriam. Sint mihi lacrymæ die, ac nocte, deducant oculi mei lacrymam per diem, & noctem, Ierem. cap.14. num.17. & quasi torrentem lacrymas meas deducant, Thren. cap.2. num.18. vt plangens delicta merear à Domino de tabernaculo tribulationis, & pugnæ adduci in domum eius; & super excelsa me ducat victor in Psalmis canentem, Habac.3. num.19. sit mihi Deus meus in salutem, quia deduxit me in tabernaculum suum, & factus est fortitudo mea, & spes mea, Psalm.60. num.3. vt deducat me in Ciuitatem munitam, Psalm.59. num.11. Psalm.107.num.11. In bono sit cor meum, & in vijs Domini sint gressus mei, vt pro his omnibus adducat me Dominus in iudicium, Eccles.11.n.9. Tu enim Domine locutus es, & vocasti me, adduxisti me in tabernaculum tuum, in Ecclesiam tuam sanctam, cuius via est directa, ecce accedo ad te, & audio tua præcepta, Isai.48.num.15. Da mihi fontem lacrymarum, vt deleantur peccata mea. Filius aduenæ ego sum, seruus tamen tuus, & nomen tuum diligo; mandata tua custodiui, fac mihi, quæ per Isai. Prophetam tuum dixisti; Vt adducas me in montem sanctum tuum, & lætifica me in domo orationis tuæ. Holocausta mea, & sacrificia mea sint tibi placita super altari tuo, domus enim tua, domus orationis vocatur cunctis populis, Isai.cap.56. num.6. & 7. Factus es mihi Domine Iesu Pater, ecce in fletu venio, vt in misericordia reducas me, & si per torrentes aquarum me adducas, tamen in via recta, & non impingam in ea, Ierem. cap.31. nu.9. Iàm Domine ecce in nomine tuo me cum alijs tuis fidelibus congregasti in Ecclesia tua, Sophon.3.nu.20. dedistiq. nos in nomen, Christianum scilicet, in laudem omnibus populis. In omnem terram laus tua, in Ecclesia tua, vbique terrarum diffusa laudaris: Fac & me vnum ex mercenarijs tuis, vt cum ipsis laborans dignè seruiam tibi; mane, vespere, & meridie annunciabo, prædicabo laudes tuas. En meas necessitates, & miserias; tu Domine exaudi vocem meam, Psalm.54. num.20. & in voluntate tua deducas me, Psalm.72.num. 24. & in via tua, Psalm.85.nu.11. in viam rectam, Psalm.106.num.7. in semitam mandatorum tuorum, Psalm.118.num.35.

Emitte lucem tuam, fauorem tuum, auxilium tuum, vt tàm in agendo, quàm in credendo gratia tua adducat me in Templum tuum, in Ecclesiam tuam sanctam, in montem sanctum tuum, in Tabernacula tua; discerne causam meam de gente non sancta, ab homine iniquo, & doloso erue me: Increduli enim, & subuersores sunt mecum, & cum scorpionibus habito, nec tamen verba eorum timeo, nec vultum eorum. Liber ille scriptus erat intus, & foris, & scriptæ erant in illo lamentationes, & Carmen, & væ, Ezechiel. cap.2.nu.9. Discerne tu Domine causam meam, quia & propter te mortificamur tota die, sunt mihi lacrymæ die, ac nocte. Deprecor, vt quæ in primo folio lamentationes & carmina sunt, pro me scripta sint; væ autem pro illis, qui iniqua gerunt, & ad te nolunt conuerti, semper sit cum illis in inferno, D.Hieronym. Epist. ad Sabinian. Liber ille, quem Propheta deuorat, series scripturarum est, in quibus, & pœnitens plangetur, & iustus canitur, & maledicetur desperans, & Rupert. Abbas auertit lib.1. in Ezechielem, cap.18. prius lamentationes, quā carmen scribi, dicens, lamentationes in hoc libro scriptæ sunt, & carmen, & væ: prius lamentationes, deindè carmen, quia Psalm.125.nu.5. qui seminant in lacrymis, in gaudio, & benedictione metent; qui autem nunc lamentari, idest pœnitentiam agere nolunt, illis væ, quia mittentur in ignem æternum. Insuper & qui seminant in lacrymis, primo veluti tempore metent, iuxtà illud, quod Dominus Iesus dixit, Luc.15. Gaudium erit in Cælo, &c. & Bernard. in Serm. ad milites Templi, cap.5. Non miror, si superna curia magis gaudeat super vno peccatore pœnitentiam agente, quàm super plurimis iustis, dum peccatoris, & maligni tantis proculdubio prosit conuersio, quantis etiam prior nocuerat conuersatio. Hinc Euseb.Emiss.homil. de Pœnitent. Niniuit. Beatus, qui hìc mala scit deflere, qui hìc debita sua festinat exoluere, & innocentiam, quam non potest reparare per Baptismum, recuperare studet per summum Pœnitentiæ fructum; qui placiturus est Deo, ipse sibi displicet, ipse sibi quodammodò sub priuatæ cognitionis sententia & testis, & accusator, & iudex est; Meritò Dominus ad tales loquitur, non iudicabo bis in idipsum, idest, quod tu in te seuerus agnoscis, ego propitius ignoscam; quod tu tristis accusas, ego lætus absoluam: ergo charissimi vnusquisque respiciens sic arguat, ante se constituat peccata sua, cum Propheta pronuntians, delictum contrà me est semper. Ante nos sit, vt contrà nos esse non possit. Et illud notandum, dixit idem, Niniuitas tàm efficacem iudicasse pœnitentiæ fructum, & remedium, vt sibi etiam animalium existimarint profuturum ieiunium, & afflictionem. Ipsa me deduxerunt in tabernaculum, propterea oculi mei lacrymas deducunt, & palpebræ meæ defluunt aquas, Ierem.cap.9.nu.18. quia adhuc sum in via, dum adducar in montem sanctum Domini; ingemisco, quia adhuc ad locum sanctum non perueni. Antequam contenebrescat, do gloriam Deo, vt non offendant pedes mei ad montes caliginosos, quia tunc expectans lucem ponet eam in vmbram mortis, & in caliginem, Ierem. c.13.num.16. post mortem enim non est locus pœnitentiæ: propterea hìc tristis sum, hìc cōfiteor pœnitens peccata mea; emitte ergo lucem tuam, ne tenebræ comprehendant me, & veritatem tuam, quia tu Domine dixisti, propter me te in mundum venisse, Matth.cap.9.num.13.

Propte-

Propterea confitebor tibi in cithara Deus meus; antequam ad altare tuum Domine Deus meus ego introeam; quia tu es Deus, qui lætificas animam meam, & iuuentutem meam; quia nouus homo factus sum credens in te; & in Ecclesiam deductus, ideò iuuentutem meam dico, quia nouus homo indutus dimisi viam iniquitatis, & lætus factus sum, quia tu Domine peccata mea delesti. Lux enim, & veritas tua, idest tu Iesu dulcissime venisti, & pro me passus, & mortuus, deindè surrectus à mortuis in Cælum ascendisti, vt iustis tuis locum præparares, Ioan.cap.14.num.3. Tu deduxisti, & adduxisti me in montem sanctum tuum, in Ecclesiam tuam sanctam, vbi fideles fiunt, & probi, gratia tua accedente, & in tabernacula tua, in quibus peregriner, donec ad domum tuam sanctam cælestem perueniam, Augustin. Perducti ergo ad habitaculum, & positi in monte sancto eius introibimus ad altare Dei, ad Deum, qui lætificat iuuentutem meam. Est enim quoddam altare sublime inuisibile, quo non accedit iniustus; ad illud altare ille solus accedit, qui ad istud securus accedit, illìc inueniet vitam suam, qui in isto discernit causam suam, hæc Augustin.

Tu ergo teipsum iudica, ò peccator, in causam tuam discernas, tui ipsius sis accusator, & reus, si iudicium vltionis euadere desideras: scalam in terram stantem ascendas, si ad illius summitatem peruenire concupiscis: hoc est tribulationes, angustias, & tentationes patienter sustineas, quia per illas in Regnum Cælorum intrabis. In terra stat scala, sed summitas illius vsque ad Cælum perducta, Cælum illa tangit, in cuius summitate innixus est Deus, vt tibi custos sit, Genes.cap.28.num.12. & 15. Audi illum dicentem tibi: ero tui custos; vt te ad Templum sanctum meum deducam, & adducam; si legitimè tamen certaueris, neque à scala in terra stante declinaueris, ascendunt enim per illam, & descendunt Angeli Dei, vt te perducant, & intromittant.

Quare, ò Dauid sancte, ò peccator te à Deo derelictum asseris, quare mœrore consummeris, quòd in terra turbaris, & tentaris? Nequaquam derelictus à Deo es, ex eo quòd tibi sint lacrymæ panes die, ac nocte, quòd tribulationes patiaris, immo sit tibi gaudium, quia habes in illis Deum socium, Iacob. in cap.1.num.2. Omne gaudium existimate fratres carissimi, cum in varias incideritis tentationes, scientes, quod probatio fidei vestræ patientiam operatur, patientia autem opus perfectum habet. Quærit Philo Hebræus in lib. de Ioseph, cur oblitus Pincerna ille pro Iosepho carceribus iniustè mancipato, non sicut promiserat intercesserit? & respondet, non decere Iosephum liberari à Pincerna, sed potius à Deo, quem comitem habebat in vinculis; per manus enim, inquit, potentis Iacob, idest Dei soluta sunt vincula brachiorum eius, & Nazianzen. Orat. 2. de Pace: Hoc est omnibus, quæ patimur carissimum, & magnificentissimum est, quòd cum Deo periclitamur: & Bernard. Sermon. 16. in Psalm. Qui habitat, quærit, cur in tentationibus gaudium, & respondet, quia sic tentati socium Deum habent in tribulationibus, quod per Dauid dum in Psalm.90. dixit, cum ipso sum in tribulatione; Et vndè, inquit Bernard. scimus, quòd nobiscum sit Deus in tribulatione? ex eo vtique, quòd in ipsa tribulatione nos sumus; quis enim sustineret? quis subsisteret? quis persisteret sine eo? Iuxtà est Dominus ijs, qui tribulato sunt corde, Psalm.33. & Ambros. in lib. de Ioseph, cap.5. Venditum Ioseph non dereliquit,

immo

immo descendit cum illo in foueam; Nihil mirum, inquit, si visitet Deus in carcere positos, qui seipsum cum suis inclusum memorauit esse; quod manifestius apparet ex ipsomet Dei verbo, & assertione, 2. Reg. cap.7. numer.5. omnibus filijs Israel, & numer. 9. vbicunque ambulasti, fui tecum in omnibus, &c.

Si ergo Deus est tibi in tribulatione socius, quare tristis incedis dum affligit te inimicus? cum lux emissa sit de Cælo Iesus Christus; qui est & veritas, qua omnis homo illuminatur, vt suscepta eiusdem veritate ducantur in montem sanctum, & introducantur in Tabernaculum Dei, in Ecclesiam eius, tentationibus, & tribulationibus circundatam; in illa enim Dominus Deus fabrum creauit in igne prunas sufflantem, Isai. dicto cap.54. creantur in illa Tyranni, vt perficiantur electi, vt fides Iesu clara sit omnibus, tamquam aurum in fornace purgatum: in labore enim, & amaritudine fit experimentum animæ, Exod. cap.15. num.23. Et venerunt in Mara, nec poterant bibere aquas de Mara, eò quod essent amaræ: Amaritudo vocata est illa aqua, illa Mara, ibi tamen Dominus constituit ei, & dedit Moysi præcepta, atque iudicia, & ibi tentauit eum, vt audiret vocem eius, & obediret omnibus præceptis eius. In amaritudine dedit præcepta, vt per lignum ostensum inuenirent dulcia; vndè Philo lib. de Migrat. Abrahæ, est inquit, certissimum animæ experimentum in labore, atque amaritudine, alioquin non facilè quò vergat discernit: nàm multi nimis citò defessi sunt, non ferentes laborem, grauem aduersarium, manus præ languore dimittentes, sicut Athletæ, qui desperant de victoria: Alij autem progressi sunt. Et clarius in lib. de Abel sacrificio, & Cain; Labor, inquit, inter præcipua bona; hunc enim, si verum dicendum est, omnis felicitatis, omnisq. virtutis principium hominibus esse declarauit, sine quo nihil honestum: nàm sicut sine luce videre non possumus, quia nec colores, nec oculi ad videndum sufficiunt; eodem modo animæ oculus nullam virtutis actionem potest attrectare, nisi à labore, siuè à luce adiutus. Vires enim fidei tentatione discutiuntur, dicit Augustin. in Psalm.36. eademque inexercitata languescit. Deus persecutionibus Tyrannorum, & fraudibus Hæreticorum illam examinat, exploratq; vtrum solida constansq. permaneat. Ne ab illa deficiamus, etiam si de hac vita propter eam exeundum fuerit, Isai. dicto cap.63. cum omni tribulatione eorum non est tribulatus; Hebraicè verò non fuit tribulatus ab eis; Vatablus exponit, cum maximè videbantur affligi, tunc non verè affligebantur, leuante Deo afflictiones eorũ, immo conuertente eas in gaudium, dum dicit, post persecutiones multas gaudete, & exultate.

Noli ergo esse tristis, dum affligit te inimicus, audi Chrysolog. Serm. 110. ad ea Pauli verba, tribulatio patientiam operatur; Ecce quibus ætatibus, iustus perfectum roboratur in virum, in tribulatione, patientia, probatione, & spe. Tribulatio fratres, velut primam iusti viri concutit, & conturbat infantiam, sed cum inuenerit ista patientem, ad maiora adolescentem iàm bonæ indolis, tunc erudit; tribulatio patientiam operatur. Patientia est fratres, quæ Christi iuuenem aptum probat esse virtutibus. Iàm passus, & patiens fuisti; iàm eruditus in patientia bonæ indolis adolescens. Introibo, inquit, ad altare Dei, ad Deum, qui lætificat iuuentutem meam, adolescentiam meam; quia etsi tribulatio, & angustia inuenerint me, Dominus etiam assumpsit me, lætificat

iuuen-

iuuentutem meam, quia spes mea immortalitate plena est, Sap. cap. 3. num. 4. & in oblectationem veniet mihi misericordia, quoniam pius, & misericors est Dominus, & remittit in die tribulationis peccata, Ecclesi. dicto cap. 2. num. 2. & 13. Ideò omne, quod applicitum est mihi, accipio, & in dolore sustineo, & in humilitate mea patientiam habeo, ibidem num. 3.

Propterea confitebor tibi in cithara Deus, Deus meus; quia paratus sum, te Dominum confiteri, te Deum meum sequi in angustijs, in tribulationibus. Mortalis sum, Ideò patior, quia à mortalibus crucior, patior, & psallo, canto, & citharizo, inquit Augustin. ad Galat. cap. 1. num. 4. quoniam Paulus dicebat, Euangelium se non ab hominibus, neque per hominem, sed per Iesum Christum accepisse; Desuper, inquit, sonabunt corde; Cum verò dicebat ad Roman. cap. 5. num. 3. Gloriamur in tribulationibus, &c. Cithara sonabat ex inferiori quidem, sed dulciter: omnis patientia dulcis est: Quare ergo modo dixit, Confitebor tibi in cithara? propter illud, inquit, quod dixerat, Vt quid tristis incedo, dum affligit me inimicus? Patiebatur quiddam ex inferiori afflictione, & in eo ipso tamen volebat placere Deo, & gratias gestiebat agere Deo, fortis in tribulationibus. Et quia sine tribulatione esse non poterat, patientiam Deo debebat; Quoniam, inquit, adhuc confitebor illi, salutare vultus mei, & Deus meus. Non citharam fregit, non tribulationes effugit, sed in illis patienter vsque ad finem permanere voluit: Bernard. Epist. 129. Perseuerantia, inquit, mæretur viuis gloriam, coronam virtutibus, &c. tolle perseuerantiam, neque obsequium mercedem habet, nec beneficium gratia, nec laudem fortitudo. Vide Gregor. 2. Moral. cap. vlt. & cap. 4. Per Moysen caudam hostiæ in altari offerri præcipitur, vt videlicet omne bonum, quod incipimus, etiam perseuerante fine complaceamus, Thren. 3. Perijt finis meus, duratio vertit Arias; Pagninus fortitudo: Septuaginta Victoria; in Psalmorum etiam titulis in finem, idest pro Victoriam consecuto; ideò Augustin. in Serm. 86. de Diuersis: In Cruce per totam istam vitam debet pendere Christianus; non enim est in hac vita tempus euellendi clauos; quid enim proderit vno, vel altero certamine superato, tandem persecutori manus dare: ea siquidem est patientia, quæ perfectum opus habet, ideò Paul. ad Hebr. cap. 12. num. 7. In patientia perseuerate, idest in flagellis, in laboribus. D. Hieronym. ad Roman. cap. 2. Tunc erit perfectum opus, si vsque in finem perseuerauerit; Ideò hic dicitur, spera in Deo anima mea, quia adhuc, & si fatigatus, & ærumnis inuolutus, ac doloribus, confitebor illi salutare vultus mei, & Deus meus, quando ad altare tuum introiero, immo ad teipsum Deum meum; cum indutus nouum hominem, renouabitur, inquit Dauid, vt aquilæ iuuentus mea, qui secundum Deum creatus est in iustitia, & sanctitate veritatis, tunc & tu Domine lætificabis iuuentutem meam, quia, vt dicit Paul. ad Ephes. cap. 4. num. 13. & 24. Donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & cognitionis filij Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.

Quare tristis es anima, & quare conturbas me? Animam alloquitur, sed quis loquatur ignoratur, non corpus, quia sine anima non loquitur, nec consonum videtur inferiorem, prout est corpus, alloqui superiorem; Imaginem Dei esse, dicit Augustin. mentem scilicet, atque rationem: ipsa enim inuocabat lucem Dei, & veritatem Dei, ipsa est, qua capimus iustum, & iniustum, & qua discer-

discernitur verum à falso, & vocatur intellectus; quem quisque habere potest, si non abijciat illum, vt in Psalm. supradicto 31. Nolite fieri sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus; Etsi ergo fessus, & in tribulationibus lassus videaris, intellectum erigas, dicens, vt quid anima turbaris, quia propter Christum pateris? propter veritatem sustine modicum, & in perpetuum lætaberis; Spera in Deo, quia adhuc confitebor illi salutari vultus mei, & Deo meo. Non est salus ex hominibus, sed in Deo; spera in illo, & dabit tibi petitiones cordis tui. Confitearis, quòd non propter eà, quòd tibi iustus videaris, ideò saluaberis, septies enim in die cadit iustus, Prouerb. cap. 24. numer. 16. Dic, Non intres in iudicium cum seruo tuo, Psalm. 142. numer. 2. Misericordia tua Domine mihi opus est. Iudicium sine misericordia durum esset, ideò non iustificabitur, dicebat Dauid, omnis viuens, in conspectu tuo, d. Psal. 142. & in alio Psalm. 129. numer. 3. Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit? Confitearis ergo Domino, quia propter suam misericordiam saluus eris; Augustin. Quædam sanat præsens allocutio; reliqua purgat fidelis confessio; da operam, vt sis iustus, & quantumcunque fueris, confitere te peccatorem. Semper spera misericordiam; & in ista humili confessione securus alloquere turbantem te; vt quid tristis es anima mea? vt quid conturbas me? spera in Deo, & noli in te: Augustin. Quid enim es in te? quid es de te? ille sit sanitas in te, qui suscepit vulnera propter te: confitebatur se infirmum, qui à Deo postulabat sanitatem, Psalm. 40. num. 5. ego, inquit, Dixi, Domine miserere mei, sana animam meam, quia peccaui tibi. Non in arcu meo sperabo, & gladius meus non saluabit me: tu enim Domine saluabis nos de affligentibus nos, exurge Domine adiuua me; & redime me propter nomen tuum, Psalm. 43. num. 7. & 26.

Benedic ergo tu anima mea Domino, qui propitiabitur omnibus iniquitatibus tuis, si in illum sperans confiteberis illi, in quo est salus tua, in cuius conspectu semper permanens, Deus erit vita, & salus tua.

SOLILOQVIVM.

CONFITEBOR ergo tibi Domine in cithara: ideò confisum in misericordia tua, dignum iudica me Domine Deus: non vt in iudicium venias cum seruo tuo, quia sine tua misericordia non iustificabitur in conspectu tuo omnis homo, sed me iudica, vt inter iniquos, & me, discernas causam meam; ipsi enim te Deum negant, & ego confiteor te: ipsi iniusti sunt, & ego seruus tuus; Propterea ab illis tu Domine erue me; quia sine te non est fortitudo in me, tristis enim incedo, cum affligit me inimicus, & me dereliquit tua fortitudo; auxilium tuum longè factum est à me; Emitte Domine lucem tuam, & veritatem tuam, Saluatorem Iesum filium tuum; ipse enim lux est, & veritas, quæ me de tenebris ad lucem, de mendacio ad veritatem, de manibus Diaboli deduxit, & ad cælestia contemplanda illæ deduxerunt quasi torrentem fundentem lacrymas per diem, & noctem, & adduxerunt in montem sanctum tuum, in gloriam tuam cælestem, ad Tabernaculum tuum, ad Altare tuum, vbi manes in gloria. Et ego eò introibo lætus, vbi iuuentus mea renoua-

uabitur. Cur ergo tristis eris anima mea, & cur conturbas me? Ecce & in cithara, in passionibus Deum meum confitebor; veniant mihi tribulationes multæ, & viuam in illo, nec illum vnquam negabo. Spera in Deo anima mea, & adhuc confitebor illi, salutare vultus mei, & Deus meus. Quia etsi cruciaris, & si tribulata, & afflicta, ipse tamen salus mea est, ipse Deus, & Dominus meus. Fac bonum anima mea, & spera in Dei misericordia, qui Petrum in fluctibus nauigantem erexit, & à carceribus per Angelum suum liberauit; cui data est soluendi, atque ligandi potestas, cuius festum hodie Cathedræ, vbi sedit à vinculis absolutus; agimus; Cuius precibus, & à nostris excessibus liberari humiliter petimus; vt & nos à vinculis absoluti, ad Altare Dei cum ipso introeuntes lætemur in iuuentute, quam Deus promisit diligentibus se, &c.

IN PSALMVM XLIII.

Deus auribus nostris audiuimus: Patres nostri annunciauerunt nobis.

TITVLVS huius Psalmi. In finem pro filijs Core: intellectus. In alio præcedenti Psalmo 41. Titulus erat: In finem, intellectus filijs Core; hìc intellectus postponitur, ibi anteponitur; aliam non inuenio rationem: nisi quia ibi in Psal.41. intellectus Christianis, Deum desiderantibus proponitur: hìc verò in fine, ideò ponitur, quia hìc & Christi fidelibus, & alijs extrà Ecclesiam existentibus, Gentilibus nempè, & Iudæis desideratur; ideò quia in Psalm.41. proximos perfectioni Christianos alloquitur, Dei gratiam desiderantes: hìc verò omnes extrà Ecclesiam etiam existentes admonet, & ad intelligendum inuitat, quòd in bonis temporalibus non est firmitas considerabilis, nec fundamentalis, sed in spiritualibus vera sit felicitas; à Deo tamen vtrorumq. procedit largitas. Ibi non mirandum, quòd in tribulationibus augetur Ecclesia; hìc verò considerandum; quòd in Synagoga bonis replebantur temporalibus, hæcq. in figura contingebant illis; vt intelligerent, in sponsi aduentu non temporalibus, sed cælestibus, & perpetuis Christum sequentes ditandos esse fideles. In præcedenti Psalm. Regis potētia demonstratur, qui humilia respicit, vt fortia quæque cōfundat; & quòd propterea qui Dominus est omnium, & fecit omnia, humiliauit se, vt sui exemplo eius Discipuli, Martyres, & fideles humiliati, humilitate ipsa sua vincerent Regna, itàvt pedibus eorum etiam Imperatores, & Reges prostrati ipsos adorarent. In hoc verò Psalmo intellectus omnibus proponitur, vt intelligat quisque, quòd etsi Dominus fecerit hæc omnia, pro filiis tamen hominum præparauit Regnum Cælorum. A fundamentis ergo incipe; si vis in altum fabricam extollere: Humiliauit se Iesus, qui pro te passus est, carnem assumpsit nostram, vt humiliatus flagellari posset, spinea corona coronari, crucifigi, & mori; voluit tamen resurgere à mortuis, vt scias & te surrecturum, atque cum illo Cælos ascensurum, si illum sequens in humilitate multa patieris pro nomine eius.

Ad agonem ergo & nos Christianos inuitat Psalmus; qui Christum Do-

Dominum in agonia positum, & crucifixum sequi desideramus. Ideò filios Core nos vocat; filios Caluariæ, Christum imitantes, qui in monte Caluario passus est, & crucifixus. Filios & nos idem Iesus Christus vocat, Matth.cap.9. num.15. dicens, Nunquid possunt filij Sponsi lugere, quandiù cum illis est sponsus? Venient autem dies, cum auferetur ab eis sponsus, & tunc ieiunabunt; sic benè Psalmista filios Core vocat nos sequentes Christum in Caluario passum, qui & à Christo, Christiani nominamur.

Continuatur ergo ad præcedentem Psalmum Psalmus noster; in illo enim fideles ab iniquis, & malis hominibus segregari desiderant, & ab illorum manibus erui; In hoc autem facta commemoratione eorum, quæ à Patribus audita erant, de collatione vberrimæ terræ promissionis Iudaico populo: Eiectis exindè antiquis possessoribus, quæritur, cur modo cum Sponsum habuimus Christum, cui data est omnis potestas in Cælo, & in terra, Matth. cap. 28. num.18. per quem facta sunt omnia, & cui omnia subiecta sunt; Cur inquam Ecclesiæ suæ, cuius est ipse caput, & Dominus, non etiam fidelibus suis idem facit, opes dans abundantiores, quin potius loco temporalium bonorum, dat multiplicitatem tribulationum: Flagellantur enim illius serui, occiduntur, persequutiones sustinent, itàvt insani ab hominibus videantur. Et indicatur ratio, quia Dominus humilis factus humilia respicit, & alta à longè cognoscit, humilibus dat gratiam, superbiam verò punit in diuitibus, de stercore erigit pauperem, & de sublimi deponit potentem.

Quocircà Paul. ad Roman.8.num.31. propter te, inquit, mortificamur tota die, sicut in hoc Psalm.43. legimus; æstimati sumus sicut oues occisionis; sed in his omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos; quis ergo separabit nos à charitate Christi? tribulatio? an fames? an nuditas? an gladius? Certus sum, inquit, quia neque mors, neque vita, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro: hæc Paul.

Iusta ergo est fidelium persecutio, quoniam propter Deum est illorum mortificatio; eorum tribulatio: Iustam dixi, quia cum pro Christo sint, optimam habent causam, pro cuius defensione gloriam cōsequuntur sempiternam, Matth. cap.5.num.10. Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est Regnum Cælorum.

Summa hæc esse videtur: In tribulationibus propter Deum, & persecutionibus spes sit in Deo, qui liberat taliter patientes ab omni malo: Si finis est Christus, non terrena curemus; sed æterna, in tribulationibus permanentes, in illo speremus, pro cuius gloria certare parati sumus, & mori.

Deus auribus nostris audiuimus, Patres nostri annunciauerunt nobis; opus, quod operatus es in diebus eorum, & in diebus antiquis.

Totus iste Psalmus de filijs Caluarij, & de Sanctis Martyribus, & electis Dei loquitur secundum meam sententiam; illius verba, verba sunt Martyrum, & eorū, qui propter Deum mortificantur tota die. Intellectus requiritur, vt magnæ profunditatis consilium Dei, ex parte saltem aliqua minima, inuenire valeamus. Quis enim poterit scrutari vias Domini? In manibus abscondit lucem, & præcipit ei, vt rursus adueniat, Iob cap. 36. numer. 23. & 32. Magnas victorias Patribus nostris dedit, populum in manu fortissima de Ægypto eduxit: persequen-

quentes inimicos in Mare demersit: in terram promissionis, debellatis hostibus, posuit: nunc verò victorias in Martyrium, diuitias in paupertatem, nobilitatem in ignominiam conuertit; itavt Sancti Dei, omnium facti sint peripsema, 1. Corinth. cap. 4. numer. 13. afflicti, angustiati; Cantant Sancti per os Dauid, per filios Core, quasi faciem suam ab electis Dominus auerterit; quasi illos dereliquerit; quasi diuitias, & protectionem, in luctum, & paupertatem; & quod non amplius eorum sit Deus, & defensor. Hoc ergo in gemitu confessionis in Psalmo isto cantant Core filij. Non frustra, inquit Augustin. ista facta sunt, manifestum est; quare sint facta, altius quærendum est; ideò filijs Core intellectus, est titulus. Gratia ergo Dei opus est; qui dat intellectum desideranti custodire mandata sua, Psalm. 118. nu. 125. Seruus tuus sum ego Domine, da mihi intellectum, vt sciam testimonia tua.

Filijs Core intellectus; persecutiones patiuntur Christiani, fideles Christi dilecti à Deo. Ipsemet Christus, qui tamquam caput nostrum, & nos corpus illius: nomine nostro aiebat: Vt quid Deus meus dereliquisti me, Matth. 26. numer. 39. Tristis est anima mea, Psalm. 21. numer. 1. & 2. pro corpore ipse, caput nostrum loquebatur, provt sequentia Psalmi verba demonstrant; longè, inquit, à salute mea verba delictorum meorum; Innocens enim Dominus, & sine macula, Isai. cap. 53. numer. 9. & peccatum in eo non est, 1. Ioan. cap. 3. numer. 5. iniquitates omnium portauit; qui & attritus est propter scelera nostra; ibidem Isai. numer. 5. Quid mirum, si secundum hominem nomine nostro dicat, Quare me dereliquisti; qui pro nobis vulneratus est, & mortuus? ille enim nunquam à Deo Patre derelictus fuit: quia ipse in Patre, & Pater in illo, Ioan. cap. 14. numer. 10. & cap. 17. pro nobis ergo sequitur dicens, quare me dereliquisti? Deus meus clamabo per diem, & non exaudies, & nocte, & non ad insipientiam mihi; Augustin. Quid intelligis per hæc verba, quid significant? A Senioribus, Scribis, & à Sacerdotum Principibus Iesus se passurum multa dicebat Discipulis; & etiam occidi; quid dices Petre sancte dilecte Dei? quid dicis? quid facis? Matth. cap. 16. numer. 22. Et assumens eum Petrus cœpit increpare illum, dicens, Absit à te Domine: non erit tibi hoc: Bonum est, nos faciamus hic tria tabernacula. Vade, inquit ei Iesus, post me Satanæ, scandalum es mihi: quia non sapis ea, quæ Dei sunt, sed ea, quæ hominum: & numer. 24. Quid enim prodest homini, si vniuersum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur. Tolle Crucem tuam, abnega temetipsum, si vis venire post Iesum. Clamabo ad te, dicitur in Psalmo supradicto 21. numer. 2. per diem, & non exaudies, & nocte, & non ad insipientiam mihi, idest non exaudies: Augustin. idest hoc ipsum quod non exaudies, non ad insipientiam mihi reputabis, sed ad intellectum. Quid est ad intellectum non exaudies? idest me non exaudies ad temporalia; vt intelligam à te desideranda sempiterna. Vade retrò Petre, non te dereliquit Iesus, quia hinc sit pro te discessurus: pro te moriturus: sed in gloriam sui Patris venturus cum Angelis suis, vt & secum post Crucem tuam ducat in excelsis. Non ergo te dereliquit Iesus; & cum videtur relinquere, tollit, quod malè desiderasti, & docet, quod benè debeas desiderare. Filijs Core intellectus; vt si crucientur, si pro amore Dei vexentur; turbentur, occidantur, quòd non illos reliquit Deus; quia temporalia amittunt, & terrena; sed vt fortiter susti-

nentes præmia illis largiatur æterna; huic vitæ malè dulci miscet amaritudines tribulationum, & ærumnarum, vt alia, quæ salubriter dulcis est, requiratur.

Deus auribus nostris audiuimus; Patres nostri annunciauerunt nobis; Habebant Iudæi Prophetas de Christo Messia loquentes: quæ magnalia operatus sit Christus, annunciauerunt Apostoli: auribus suis Gentiles, & Iudæi, in Iesum credentes audierunt; non tamen omnes crediderunt. Apostoli factis, & verbis Messiæ aduentum annunciauerunt, miraculis comprobarunt, in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Patres nostri, quia ex eorum prædicatione renati sumus, & Dei filij, & filiæ facti, Ierem. cap.31.numer.9. Act. Apostol. cap.6. numer.18. Hoc notum sit vobis, dicebant, & auribus percipite verba mea; audite verba hæc: Iesum Nazarenum Virum approbatum à Deo in vobis virtutibus, prodigijs, & signis, Act. Apost. cap.11.num.15. & num.22. Annunciauerunt Apostoli, quæ te viderunt operantem Domine Iesu: & nos filij eorum auribus nostris audiuimus, quæ Patres nostri annunciauerunt nobis; & verum scimus, quia est testimonium illorum, quod in scriptis, & in vocibus per ipsos, & successores didicimus; perq. filios eorum annunciauerunt filijs suis, & filij sui nobis, & nos filijs nostris annunciamus, Ioel cap.1.numer.3. Opus, quod operatus es, annunciasti tu Domine Patribus nostris, Genes.cap.12.nu.7. & Exod.cap.33. Vade, dicebat Deus Moysi, & ascende de loco isto, tu, & populus tuus, quem eduxisti de terra Ægypti, in terram, quam iuraui Abraham, Isaac, & Iacob, dicens: Semini tuo dabo eam; & mittam Præcursorem tui Angelum, vt eijciat Chananæos, &c.

Opus, quod operatus es in diebus eorum, & in diebus antiquis; Et quid in diebus antiquis operatus sit declarat in Psalm.79.numer.9. & sequen. Vineam, inquit, de Ægypto transtulisti, eiecisti gentes, & plantasti eam, Exod. cap.13. numer.17. & cap.33. numer.2. & Psalm.79.numer.10. Dux fuisti, inquit, itineris in conspectu eius: plantasti radices eius, & impleuit terram; Liberauerat enim Dominus populum Iudaicum à captiuitate Ægyptiaca, & in Regno Chananæorum introduxerat; Dux fuit quando vineam transtulit: in die enim in columna nubis, in nocte in columna ignis, in Exod. dicto cap.13. & Num.cap.14. Currus Pharaonis illum impedire volentis Dominus proiecit in Mare, vnà cum exercitu eius. Flauit spiritus Domini, & operuit eos Mare, submersi sunt quasi plumbum in aquis vehementibus, Exod.c.15.nu.19. Ingressus est enim eques Pharao cum curribus, & equitibus suis in Mare, & reduxit super eos Dominus aquas maris. Filij autem Israel ambulauerunt per siccũ in medio eius. Ad te clamauerunt Patres nostri, & salui facti sunt, in te sperauerunt, & non sunt confusi; Ego autem sum vermis, & non homo, tribulor, & non est qui adiuuet, d.Psalm.21.num.6. & 12. Illi salui facti sunt, ego, inquit Ecclesia pro suis Martyribus, tribulor, & non est qui adiuuet. Nunquid non idem ipse es Deus, qui eras ante sæcula? & in Patrum nostrorum tempore? scio, quia idem Deus es, & anni tui non deficiunt, neque est mutatio in te, tametsi temporum des tempora, vt alleues fastidium; mutantur tempora, non mutaris tu Creator temporum; Tu es ipse Rex meus, & Deus meus, dicit Dauid nomine Ecclesiæ, &c.

Sed

Sed cur ibi liberati sunt Patres, hic affliguntur filij. Bonum operatus est Deus in Patribus, quia fideles erant, & ad Dominum clamauerunt; filij bonum operantur, quia diligunt Deum, affliguntur tamen, cruciantur, persecutionem patiuntur, moriuntur, & non est qui adiuuet, quasi Deus dereliquerit eos. Opus, quod operatus es in diebus antiquis annunciauerunt nobis Patres; afflictiones, & tormenta, quæ patiuntur filij, nos videmus, illa audiuimus. Illi non in gladio suo possederunt terram, lacte,& melle manantem, nec brachium eorum saluauit eos, sed dextera tua, & brachium tuum, & illuminatio vultus tui, quoniam complacuisti in eis; Nos verò filij tui, quos vultu tuo illuminasti; propter quos etiam, vt liberarentur à morte, mori in Cruce voluisti. Quare ergo Domine illi liberati, nos morti destinati, illi gaudentes, nos flentes? Tu Rex meus, & Deus meus, qui mandas salutes Iacob, salua etiam nunc eamdem Ecclesiam tuam, eosdem fideles tuos, quos tuo sanguine pretioso redemisti. Quid clamas Dauid, quid tibi annunciauerunt Patres in diebus antiquis; nunquid mel sine malo? nunquid delitias sine tribulatione? nunquid Abel iustus à Deo dilectus non occisus, & alij Prophetæ Dei non interfecti? Videas, quæ Iesus per Matth. cap.21. numer.33. Agricolæ apprehensis seruis, quos Dominus in vineam miserat, alium ceciderunt, alium occiderunt, alium verò lapidauerunt, similiter & alios denuò seruos missos à Domino plures prioribus occiderunt; Nouissimè filium Domini; Hìc est hæres, dicebant, occidamus illum, prout occiderunt. Septima die, clangentes tubis, & vociferantes iussu Iosue, tradidit, eis Dominus Iericho, & Regem, quia Dominus erat cum Iosue, Iosue cap.6. per totum, sed nunquid, quia præuaricati sunt filij Israel, tria millia illorum terga vertentes percussi non sunt? Iosue cap.7. numer.5. Viderant, qui ab Ægypto liberati erant, in solitudine maiestatem Domini, & signa, quæ fecerat Dominus in Ægypto, & in solitudine, pluerat illis manna, & de petra fluxerat aqua ad bibendum; & nihilominus melius dicebant illi iniqui, vt constituamus nobis Ducem, & reuertamur in Ægyptum; & Dominum per decem vices tentauerunt, Num. cap.14. per totum, & numer. 22. Et erat multitudo illorum sexcenta millia, & quis illorum vidit terram, quam Dominus Patribus ipsorum promiserat: nullus ex his, qui detraxerunt Domino, vidit, nec illam est ingressus: in solitudine iacuerunt cadauera eorum, numer.29. ibidem, paruulos tamen illorum introduxit Dominus. Filij vestri erunt vagi in deserto quadraginta annis, & portabunt fornicationes vestras, donec consummentur cadauera Patrum in deserto, Num. cap. supradicto 14. num.30. Audi quæso, cur quadraginta fuerint vagationis anni in deserto: Miserant enim Moyses, & Aaron iuxtà præceptum Domini homines, qui terram Chanaan considerantes referrent, singulos de singulis tribubus ex Principibus. Ascendite, inquit Moyses, per meridianam plagam, cumque veneritis ad montes, considerate terram, qualis sit; & populum, qui habitator est eius, vtrum fortis sit, an infirmus; si pauci numero, an plures: ipsa terra bona, an mala: Vrbes quales, muratæ, an sine muris: humus pinguis, an sterilis: nemorosa, an absque arboribus. Confortamini, & afferte nobis de fructibus terræ, erat enim tempus, quando iàm præcoquæ vuæ vesci possunt; Abierunt illi, explorauerunt terram, à deserto Sin, vsque Ro-

bob, &c. pergentesq. ad torrentem botri absciderunt palmitem cum vua sua, quam portauerunt in vecte duo viri: de malis quoque granatis, & de ficis loci illius tulerunt, qui appellatus Hebeleschab, idest torrens botri; reuersique exploratores terræ post quadraginta dies, omni regione circuita, venerunt ad Moysen, & Aaron, & ad omnem cætum filiorum Israel in desertum Pharan, quod est in Cades: ostenderunt fructus, & narrauerunt quia reuera fluit lacte, & melle terra illa, vt ex fructibus cognosci potest; sed cultores fortissimos habet, & Vrbes grandes, atque muratas: Stirpem Enac vidimus ibi, &c. Fleuit turba, auditis his: murmurarunt contrà Moysen, &c.

Hæc omnia singula declaratione egent, quia plena sunt mysterijs; Ad rem nostram considera, quia ibi exploratores quadraginta dies morati sunt; fortitudinem locorum illorum, & Virorum robustam naturam asseruerunt: sed quis fortior, an Deus, qui terram illam possidendam vobis declarauit? nunquid Deo sapientiores estis? nunquid Deus decepit vos? nunquid non mirabilia, & inenarrabilia, quæ Deus fecit, non vidistis? quid murmuratis? Pro quolibet die annus datur vobis pœnitentiæ; quadraginta diebus morati sunt exploratores; quadraginta annis & vos eritis in deserto, dicto cap.14. nu.34. & cap.13. Idem ergo est Deus temporibus nostris, sicut ab initio, & erit in sæcula sæculorum. Prophetæ, & Patres occisi sunt, tormenta passi, & tribulati, sed ad ædificationem, ad illorum maiorem gloriam, rebelles verò Iudæi occisi, quos & terra deglutiuit, & gladius inimicorum persodit, sed ad pœnam, ad illorum destructionem, in inferno perpetuò sepulti. Idem Deus, ò Dauid, qui Sanctos Martyres, vt affligerentur, permisit, quia illos tentauit, vt probati, & fortes gloriam mererentur accipere sempiternam, & Ecclesiam suam sanctam sanguine plantaret; Iàm in Ecclesia lacte, & melle manante sunt etiam Christiani. Exploratores illi alijs Hæreticis, & Schismaticis referentes; quia in Ecclesia sunt fructus suaues, sed montes fortissimi, Ciuitates munitæ, contrà quam non præualebunt portæ inferi, quia Dominus custodit illam; hominesquè, quos reliquit fideles, illam benè custodientes; hoc est præcepta Dei custodienda; Ciuitas spiritualibus documentis munita; fideles populi, custodes fortes, Episcopi scilicet, alijquè fideles Dei Ecclesiastici nuncupati; Durus est, dicebant Hæretici, sermo illorum, Ioan. cap.6. numer.61. Vnum tibi restat, dicebat Iesus, Vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & sequere me, contristatus in verbo abijt mœroris, Marc.cap.10.numer.21. & ex ea dicit Ioan. cap. 6. numer. 67. multi Discipulorum eius abierunt retrorsum, & iàm cum Iesu non ambulabant, quia tollere Crucem suam, & sequi Dominum nolebant; Aquæ furtiuæ dulciores illis erant, idest huius mundi voluptates, Prouerb. cap.9. num.17. Et panis absconditus suauior, & ignorauerunt, quòd ibi erant Gigantes, & in profundis inferni conuiuæ eorum: Tolle Crucem Christi Hæretice, qui de peccatis pœnitentiam agere recusas: fides sit tibi cum operibus, si non vis includi in perpetuis ærumnis, & doloribus: Confitearis infernum, & effugies peccatum. Confitearis in pœnitente remissionem delictorum suorum, qui coram Sacerdote fleuit multitudinem suorum peccatorum, sis tu intrà Ecclesiam Catholicam, & Apostolicam, si vis inuenire veniam, aliàs in malignitate tua consummaberis, Sap.cap.5.num.13.

In solitudine iacebunt cadauera vestra, Num.d.cap.14.num.29.& 35.& animæ perpetuò cruciabuntur in inferno.

Opus quod operatus es in diebus eorum, & in diebus antiquis; quid verò in diebus antiquis sit operatus, iàm notum est de illorum egressu ab Ægypto, Moysis tempore, & de expulsione habitantium terram sanctam, inter quas gentes præcipua Chananæa, nàm septem genera gentium ibi erant, Dux eorũ fuit Iosue in itinere, operuit montes vmbra eius, & vsque ad Mare palmites eius extendit, vt in Psalm.79. in libris Numeri, Leuitici, & Regum, & in Genes. hæc Patres nostri audiuerunt, & nos illa legimus, & credimus.

Quid verò Patrum nostrorum tempore sit operatus Deus; auribus nostris, inquiunt, audiuimus; manus nostræ contrectauerunt, Ioan. Epistol. cap.1. in princ. Quod fuit ab initio, quod audiuimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, quod manus nostræ contrectauerunt de verbo vitæ, & vita manifestata est; & credimus, & testamur, & annunciamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis, &c. Et quid annunciarunt nobis? quòd Iesus, qui est filius Dei, homo factus, Ioan.cap.1. & habitauit in nobis; quem sequentes in tenebris non ambulant, cum ipse sit lux, Ioan.8. num.12. Qui confitenti remittit peccata, & emundat nos ab omni iniquitate nostra, Ioan. Epist. d. cap.1.nu.9. Olim Patribus loquebatur in Prophetis; nouissimè diebus istis locutus est nobis in filio, ad Hebr. cap.1. in princ. & eius sermones sequentes habent vitam æternam, Ioan.cap.8.num.51. & cap.14.num.23. Hæc salus nobis à principio à Iesu Christo enarrata est, & per illos, qui eum audierunt, Apostolos confirmata est in nos, contestante illam Deo signis, & portentis, & varijs virtutibus, ac Spiritus sancti distributionibus secundum suam voluntatem. Propterea, inquit Paul. ad Hebr. cap.2. num.1.& sequen. abundantius oportet obseruari nos ea, quæ audiuimus, ne forte pœnas luamus, idest ne pereamus, siuè excidamus; si enim (sequitur Paul.) qui per Angelos dictus est sermo, factus est firmus, & omnis præuaricatio, & inobedientia accepit, iustam mercedis retributionem: quomodò nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem, quæ à Iesu Christo initium habuit enarrationis, & tot miraculis, & signis est comprobata?

Manus tua Domine gentes disperdidit, idest onera vitiorum ab Ecclesia disperdidit; Propterea præuaricatores pœnas luerunt, & eiecisti illos. In Ecclesia verò tua magna, cuius caput est Christus, cuius membra sunt fideles eiusdem auditores plantasti ornamenta virtutum, hominesq. iustos, qui fructum exhibeant sanctitatis: qui sanguinem suum fuderunt pro nomine Christi capitis sui. Porro sicut septem earum Gentium expulsionis à terra lacte, ac melle manante causa fuerunt septem capitalia vitia, ità & alienatio à vitijs illis Sanctorum, atque iustorum causa fuit eorumdem salutis, & præmij vitæ æternæ.

Manus tua Domine gentes disperdidit; Peccata electorum ipse tulit, & sanguine suo plantauit eos, Ecclesiam sanctam suam. Afflixisti eos Domine, quia te audire noluerunt, Isai. cap.49 .num.5. 6. & 7. ait Apostol. cap.13. num.46. & expulisti eos. In vacuum enim Deus ait per Isai. Laboraui sine causa, & vanè solicitudinem meam ego consumpsi; parum est, vt sis mihi seruus ad suscitandas tribus Iacob, & fæces Israel conuertendas: ecce dedi te in lucem gentium, &c. Expulisti eos, qui in te credere noluerunt, qui ad Idola reuersi

ſunt, qui in peccatis ſuis affixi, & obſtinati permanſerunt. Populos expuliſti de terra tua, Iudæos incredulos ab Eccleſia tua, vt Gentiles in te credentes plantares in ea, ad Corinth. cap. 2. numer. 15. Chriſti bonus odor ſumus Deo in ijs, qui ſalui fiunt, & in ijs qui pereunt; alijs quidem odor mortis in mortem, alijs autem odor vitæ, in vitam.

Non in gladio ſuo poſſederunt terram ſanctam, & brachium eorum non ſaluabit eos, ſed dextera tua Domine: Incarnatio filij tui Ieſu: non enim homo per ſe tantam poteſt habere virtutem, & opera bona habere non poteſt, per quæ ſaluetur. Per brachium enim virtus ſpiritualis intelligitur, & bona operatio. Miſit, inquit Dauid, Pſalm. 17. num. 17. de ſummo, & accepit me, & aſſumpſit me de aquis multis, eripuit me de inimicis meis fortiſſimis, & numer. 4. & præcinxiſti me virtute ad bellum, quia poſuiſti, vt arcum æreum, brachia mea, ibidem num. 35. & præcinxiſti me virtute, & poſuit immaculatam viam meam, nu. 33. Et propterea, quòd non in gladio ſuo poſſederunt terram, dicit Pſalm. numer. 7. Non enim in arcu meo ſperabo, & gladius meus non ſaluabit me; ſed dextera tua, & brachium tuum, & illuminatio vultus tui, quoniam complacuiſti in eis. Quid dextera Domini, & brachium Domini, & illuminatio vultus eius ſignificant, niſi filium Dei Ieſum Chriſtum, dexteram Patris, quia per ipſum omnia facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil? Ioan. cap. 1. Firmetur manus tua, & exaltetur dextera tua, Pſalm. 88. num. 14. & in Pſalm. 76. numer. 11. Hæc mutatio dexteræ excelſi. Et in alio loco, Dexteram tuam ſic notam fac, vt Pſalm. 89. num. 12. & Pſalm. 62. num. 9. me ſuſcepit dextera tua, ideſt filius tuus.

Brachium etiam dicitur filius Dei; Fecit potentiam in brachio ſuo, quia omnia fecit in filio ſuo, quia diſperſit ſuperbos, & exaltauit humiles, Luc. c. 1. num. 51. Tuum brachium, inquit, cum potentia, Pſalm. 81. num. 13. & auditam facit Dominus gloriam vocis ſuæ, & terrorem brachij ſui oſtendet in comminatione furoris, & flamma ignis deuorantis, Iſai. cap. 30. num. 30. De filio enim Dei loquitur expreſsè, nàm ſupra numer. 20. dixerat, & erunt oculi tui videntes præceptorem tuum, & aures tuæ audient verbum poſt tergum monentis, hæc eſt via, ambulate in ea, & numer. 27. & 28. Ecce nomen Domini veniet de longinquo, ſpiritus eius velut torrens inundans vſque ad medium colli, ad perdendas gentes in nihilum, & frænum erroris, quod erat in maxillis populorum, & num. 29. Canticum erit vobis, ſicut vox ſanctificatæ ſolemnitatis, & lætitia cordis, ſicut qui pergit cum tibia, vt intret in montem Domini ad fortem Iſrael, hæc Iſai. Exſiccatum eſt fœnum, & cecidit flos, quia ſpiritus Domini inſufflauit in eo: Verè fœnum eſt populus; exſiccatum eſt fœnum, & cecidit flos; Verbum autem Domini manet in æternum, Iſai. cap. 40. num. 7, & 10. dic Ciuitatibus Iuda, ecce Deus veſter, ecce Dominus Deus veniet in fortitudine, & brachium eius dominabitur, ecce merces eius cum eo, & opus illius coram illo, ſicut paſtor gregem ſuum paſcet, in brachio ſuo congregabit Agnos, in ſinu ſuo leuabit, fœtas ipſe portabit: Iſtudquè eſt brachium, quod Dauid venturum populo annunciare deſiderabat, Pſalm. 70. num. 18. Vſque in ſenectam, inquit, ne derelinquas me, donec annunciem brachium tuum generationi omni, quæ ventura eſt, per quod confortabit eos, Pſalm. 88. nu. 22. ſaluabit ſibi dextera eius, & brachium ſanctum eius, Notum

fecit

fecit Dominus salutare suum, in conspectu gentium reuelauit iustitiam suam, propterea quòd ipse est illuminatio, Psalm.97.num.1. & 2. & Isai.cap.52.nu.8. quia oculo ad oculum videbunt, cum conuerterit Dominus Sion, & num.10. Parauit Dominus brachium sanctum suum in oculis, in oculis omnium gentiū, & videbunt omnes fines terræ salutare Dei nostri, ecce quia est illuminatio illuminans. Egrediatur vt splendor iustus eius, & saluator eius vt lampas accendatur, Isai.62.num.2. & videbunt gentes iustum tuum, & cuncti Reges inclytum tuum, & num.8. iurauit Dominus in opera sua, & brachio fortitudinis suæ; ecce Dominus auditum fecit in extremis terræ: ecce Saluator tuus venit, merces eius cum eo, & opus eius coram eo; & vocabunt eos, populus sanctus redempti à Domino.

Sed dextera tua, & brachium tuum, & illuminatio vultus tui. Christus scilicet saluauit eos, quia in lumine vultus Christi ambulabant, Psalm.88.nu.16. nàm si Thronus eius, sicut sol in conspectu Dei, & sicut luna perfecta, Psal.88. numer.39. quæ vultus illius erit illuminatio? Hanc victoriam dedit illis, quoniam, inquit, complacuisti in eis; ideò gloria virtutis eorum tu es, d. Psalm.88. num.18. & in beneplacito tuo exaltabitur cornu nostrum. Sicut ergo beneplacitum est Deo in filio, ità & nos beneplacentes simus in ipso, si volumus liberari, Ioan.cap.17.num.26. Et notum feci eis nomen tuum, & notum faciam; vt dilectio, qua dilexisti me, in ipsis sit, & ego in ipsis, & num.18. sicut tu me misisti in mundum; & ego misi eos in mundum, vt sint, & ipsi sanctificati in veritate: Augustin. quoniam complacuisti in eis, hoc est, sicut cum eis egisti, vt benè placeres in eis, vt quisquis eos attenderet, quomodò cum eis ageretur, diceret, quia verè Deus erat cum illis, & Deus illos agit. Quid ergo alter erat tunc, & alter est nunc? Absit., ideò sequitur. Tu es ipse Rex meus, & Deus meus, Isai.cap.43.nu.13. Ab initio ego ipse. Non est, qui de manu tua possit eruere; tu es ipse, non enim mutatus es: Tempora mutata video, Creator temporum non mutatur, tu me soles ducere, tu me soles regere, tu mihi soles subuenire: Augustin. hìc. Tu Deus meus es, qui in me regnas, à quo sum acquisitus, qui saluos facis sperantes in te, & omnes aduersarios tuos punis, Psalm.44.nu.8. & 9. Sedes tua Deus in sæculum sæculi, virga directionis, virga regni tui; dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem, &c. si illis dedisti corporum salutem, tu idem es Deus, & anni tui non deficiunt; fac, vt & tecum anima mea viuat in æternum, vt exultem tecum in gloria, Psal.149. num.5. quia tu es salutare meum, & gloria mea, Psalm.61.nu.8. qui das salutes in Iacob, qui venisti in mundum, vt sanguine tuo saluares nos fideles tuos, dans virtutem tuam, illam desiderantibus, vt Diabolum, & carnem superantes liberaremur ab illorum perturbationibus, & insidijs, contrà illos legitimè certantes; cum his luctamur, & in te confidentes, & fortes, à nobis iugum Diaboli abijcimus, reijcimus, & vincimus. Non enim nunc est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem, sed aduersus Potestates, & Principes, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contrà spiritualia nequitiæ in cælestibus, ad Ephes.cap.6.num.16.

Tu es ipse Rex meus, & Deus meus, qui mandas salutes Iacob. Qui cognouisti omnia nouissima, & antiqua, Psalm.117.num.4. vt tua virtute, & nos Diaboli supplantatores simus; idcircò magnificauit, inquit Dauid, super

me

me supplantationem, Psalm.40.num.10. quia tu Domine misereris mei; vt retribuam eis, vt salus mihi sit ex inimicis meis, Luc.1.num.71. & de manibus eorum, qui oderunt nos. Confiteor, quia tu es ipse, qui eras ante sæcula, qui es in sæcula, & qui facturus es idem per omnia sæcula; non est enim alius Deus, quàm tu, cui cura est de omnibus, vt ostendas quoniam non iniustè iudicas iudicium, Sapien.12.nu.13. qui mandas salutes in Iacob, & cum nobis das disciplinam, inimicos nostros multipliciter flagellas, vt bonitatem tuam cogitemus iudicantes, & cum de nobis iudicatur speremus misericordiam, Sapien.d.cap.12.num.22. ipse est, qui mandat salutes Iacob; sed quare non dixit salutem, sed salutes? Vna, inquit ille, salus victis, &c. salutes dixit ex inimicis nostris, & de manibus eorum, qui oderunt nos, Cantic. Zach. Luc. 1. num.77. Domini, inquit, est salus, Psalm.3.num.9. Deus illuminatio mea, & salus mea, Psalm.26.num.1. & in Psalm.23.num.12. operatus es salutem in medio terræ, & in alijs locis; Vnica est enim salus, qui est Christus Dominus, Psalm.117.num.14. qui factus est nobis in salutem, Daniel.cap.14.nu.42. Ipse est Saluator, qui saluando saluat gratis, & Isai.cap.12.num.2. & 3. & c.51.nu.5. & 63.num.8. Et factus eis Saluator; ipse enim solus est Saluator omnium hominum, 1. Timoth.cap.4.num.19. hunc misit Deus filium suum Saluatorem mundi, 1.Ioan.cap.4.num.14.

Verùm si bella, & illorum recensueris captiuitates, non vna salus illis, sed quot tribulationes eorum, & afflictiones, & carceres, tot salutes à Domino illis mandatas iudicabis. Salutes Iacob, benè ergo dixit, cum in quibuscumque ætatibus, & generationibus, sicut & peccata non defecerunt, & Iudæorum à Deo rebelliones, & delicta, ità eorumdem fuerunt pœnæ, & afflictiones, damna, & captiuitates; ab omnibus tamen semper Deus liberauit eos, saluabit eos, quia pœnitentes inuocauerunt eum. Tot ergo illorum captiuitates, tot salutes Iacob fuerunt: quamuis ab vno, & solo Deo omnes fuerint, qui dedit salutes Iacob; Legas librum Numeri, Exodi, & Deuteronom. & libros Reg. ibiq. videbis, quot fuerint Iacob salutes: aliàs etiam nos in libro contrà Iudæos de his dixisse meminimus. Vltima illorum maior pœna fuit illa septuaginta annorum Babylonica seruitus. Quæ verò priorum temporum fuerint delicta, enumerantur vt suprà, occiderunt Prophetas, & iustos: Idola, & Deos gentium alienos adorauerunt, aliaq. quàm multa facinora, & scelera contrà Deum commiserant; Proptereà septuaginta annorum illis pœna captiuitatis Babylonicæ illata fuit, à qua tandem liberati, quia illos flentes, & dolentes Deus exaudiuit, attamen ab hoc illorum vltimo contrà Deum excessu, & scelere numquam absoluti, quia nusquam pœnitentes, immo duri, & obstinati perstiterunt: proptereà illorum gens, Templum, & Ciuitates destructæ, solo æquatæ, combustæ; occiderunt enim Iesum Christum filium Dei Saluatorem: dispersi sunt sine sacrificio, & Prophetis, sine lege, sine ratione, abominabiles omnibus facti infames, clamant dispersi, destructi, Ierem.cap.24.nu.9. & 10. Et immittam in eis gladium, &c. & dabo eos in vexationem, afflictionemq. omnibus Regnis terræ, & Deuter.c.28, num.64. & 65. disperget te Dominus in omnes populos, & dabit tibi Dominus cor pauidum, & deficientes oculos, & animam consumptam mœrore. Ideò non exaudiuntur, & illorum erit perpetua desolatio, Daniel.9. in fine, Vsque ad consūmationem, inquit, & finem perseuerabit desolatio; & iàm

sunt

ſunt mille, & ſexcenti anni, & vltrà illorum deſolationis, & deſtructionis; ludibrijs enim, & increpationibus non ſunt correcti, ideò dignum Dei iudicium experiuntur. Finis condemnationis eorum venit ſuper illos, Sapien. cap. 12. propè finem.

Tu es Rex meus, & Deus meus, inquit Eccleſia ſancta Chriſtianorum, qui mandas ſalutes Iacob, qui cum nobis das diſciplinam, inimicos noſtros caſtigas, & nobis das ſalutem, vt bonitatem tuam cogitemus iudicantes, & cum de nobis iudicatur ſperemus miſericordiam tuam: Iudæorum, & Hæreticorum pœna eſt ad mortem; Chriſtianorum verò correctio,& afflictio eſt ad ſalutem; Non deficiunt vmquam in Eccleſia Dei tribulationes,quia numquam venti deficient, qui validi mare deturbant. Fluctus maris nauiculam Petri hùc, atque illùc agitant, ſed illam frangere non poſſunt. Hæretici, & Iudæi demergentur in profundum Inferni: fideles ſubleuantur vſque ad Cælum, ibidem perpetuò permanſuri; Audi Paul. ſanctū Eccleſiæ Doctorem, & Magiſtrum ad Hebr. cap. 11. numer. 36. Alij verò ludibria, & verbera experti, inſuper vincula, & carceres, lapidati ſunt, ſecti ſunt, tentati ſunt, in occiſione gladij mortui ſunt, circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, anguſtiati, & afflicti, quibus non erat dignus mundus; & de his omnibus eripuit nos Dominus, & 2. Corinth. cap. 11. nu. 20. poſt multarum tribulationum enarrationem, in profundo maris fui, &c. in labore, & ærumna, &c. Quis infirmatur, & ego non infirmor? ſalutem enim ex inimicis noſtris, & de manu omnium, qui oderunt nos, Cantic. Zach. Luc. 1. num. 71.

Tot ergo tribulationum diuerſitates, tot erunt ſalutis vocationes: propterea intellectus Core in hoc Pſalmo, in quo multæ narrantur afflictiones, & petitur auxilium à Deo, qui ipſum dereliquiſſe videtur; Ideò intellectus Coré, quia vexationes in hoc dant intellectum, Iſai. 28. nu. 19. Nec ideò te dereliquit Deus, quia ſis afflictus, nàm te videt quando tribularis, & de neceſſitatibus eruet te, Pſalm. 105. num. 44. Pſalm. 142. nu. 11. Quis ergo mandat ſalutes Iacob? ex his tu magis ſcire poteris, Deus enim omnium Dominus eſt, Sapien. 9. nu. 1. & 2. in manu illius nos, & ſermones noſtri, & operum ſapientia, & diſciplina, Sapien. 7. num. 16. nec eſt qui ſe poſſit abſcondere ab illo: hinc Pſalm. 138. Quò ibo à ſpiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? Si aſcendero in Cælum, tu illic es, ſi deſcendero in infernum, ades; ſi ſumpſero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis terræ: etenim illuc manus tua deducet me. In paucis vexati in multis benè diſponentur; quoniam Deus tentauit eos, tamquam aurum in fornace probauit illos, Sapien. d. cap. 3. num. 5. bonorum enim laborum glorioſus eſt fructus, ibidem num. 15.

Suſtineamus ergo patientes, quando tribulamur, quia ideò hæc, vt ſaluemur, omnia enim à Deo procedunt, Pſalm. 65. n. 11. Induxiſti nos in laqueum, poſuiſti tribulationes in dorſo noſtro; impoſuiſti homines ſuper capita noſtra n. 12. Tranſiuimus per ignem, & aquam, & eduxiſti nos in refrigerium, & Paul. dixit, In infirmitate virtus perficitur, 2. Corinth. cap. 12. num. 9. Libenter, inquit, gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Chriſti, Per quos nàm mandauerit Dominus ſalutes Iacob; an per Angelos bonos, vel malos, an per ſpiritum diuinū? Vltrà ſupradicta Hieron. Qui mandas ſalutes Iacob, ideſt populo Chriſtiano, qui ſupplantato ſeniore mandatum ſalutis per doctrinā

Prophe-

Propheticam, atque Apostolicam suscepit, D. Augustin. Per quamlibet creaturam Deus mandat salutem Iacob, & non solum (alloquitur Deum, Augustin.) per te ades, sed per quamcunque creaturam tu affueris, tu mandas propter salutem seruorum tuorum, quod tu ipse per te facis: hoc autem pro salute seruorum tuorum, quod faciunt, quibus mandas; qui mandas salutes Iacob; qui mandas saluare populum Iacob, qui tuorum salutem per Angelos mandas, ità Exod. c. 23. num. 20. Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcedat te, & custodiat in via, & introducat in locum, quem paraui, &c. & num. 21. obserua eum, & audi vocem eius, nec contemnendum putes; quia non dimittet; cum peccaueris, & est nomen meum cum eo, & cap. 33. num. 2. Et mittam Præcursorem tui Angelum, &c. vt intres in terram fluentem lacte, & melle manantem, Malach. c. 4. nu. 2. & 6. Et orietur vobis timentibus nomen meum Sol iustitiæ, & sanitas in pennis eius, idest in radijs, & gratijs: Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, & conuertetur cor Patrum ad filios, & cor filiorum ad Patres eorum, Matth. verò cap. 17. num. 12. Dico autem vobis, quòd Elias iàm venit, & non cognouerunt eum; & cap. 11. num. 14. lex vsque ad Ioan. & si vultis recipere, ipse est Elias, qui venturus est, & Marc. cap. 11. nu. 10. & sequen. Quid dicunt ergo Pharisæi, & Scribæ, quòd Eliam oportet venire primum, &c. Elias, inquit Iesus, cum venerit, primò restituet omnia; & quomodò scriptum est in filium hominis, vt mala patiatur, & contemnatur, sed dico vobis, quia & Elias venit, & fecerunt illi quicquid voluerunt, sicut scriptum est, de eo, &c. Et quid dicit iste Elias? Hic est, qui ante me factus est; Mandas salutes Iacob, Ecclesiæ tuæ, quia ab vtero es auxiliator eius; mandas, quia continuè es ei in auxilium, in protectorem, & cum ipso es vsquè ad sæculi consummationem, Matth. cap. 28. n. 20. effundens aquas super sitientem, & fluenta super aridam, & spiritum tuum super semen tuum, & benedictionem tuam super stirpem tuam.

Mandat Iesus per seipsum, idest ipse venit, vt populo suo Christiano daret salutem; mandat per Angelos bonos, qui præcedant nos in vijs nostris: mandat per Apostolos, & successores eorum: Ite, inquit, prædicate Euangelium meum omni creaturæ, & qui crediderit saluus erit, Matth. vt suprà in fine: Mandat per Angelos malos, & homines malos, vt ab illis iusti tententur, & sicut aurum, & argentum in igne probati digni reperiantur, qui vita fruantur æterna, Sap. d. c. 3. nu. 4. Et ideò virtute Dei armati: In te, inquit Psalm. inimicos nostros ventilabimus cornu; & in nomine tuo spernemus insurgentes in nobis: non timebo, inquit, mala, quoniam tu mecum es, quia virga tua, & baculus tuus, ipsa me consolata sunt; nam parasti in conspectu meo mensam, aduersus eos, qui tribulant me, Psalm. 22. nu. 4. & si ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala; Immo lætati sumus pro diebus, quibus non humiliasti; annis, quibus vidimus mala, Psalm. 89. num. 15.

In te inimicos nostros ventilabimus cornu, & in nomine tuo spernemus omnes insurgentes in nobis. Nàm si Patres nostri non in gladio suo, sed ope dexteræ tuæ possederunt terram; & manus tua disperdidit illorum inimicos; quanto magis, & nos serui tui, quorum ipse es Rex, & Deus, qui salutes animarum in nos Christianos mandas, cornu tuo, potentia tua, & virtute tua, inimicos nostros ventilabimus, sicut paleam. Non vt diuites nos faceres terrenorum, venisti Domine, sed vt Reges, & cohæredes nos tuos in Regnum Cælorum consti-

constitueres, mori voluisti pro nobis: carnem nostram suscipiens, vt nobis locum in Cælo præparares: ideò resurgere, & illuc ascendere voluisti, vbi nunc ad dexteram resides Patris. Illa Patrum nostrorum terrena fuit possessio, figura regni Cælestis; nostra adoptio, & possessio cælestis. Homines in gladio tuo de terra sancta eiecisti, expulisti, occidisti, pro patribus, pro nobis eiecisti Principes huius mundi, Ioan. cap. 12. num. 31. Immo & talem credentibus dedisti dæmonia eijciendi potestatem in nomine tuo, & super serpentes, Marc. cap. 16. nu. 17. Act. Apost. cap. 16. num. 18. & cap. 28. num. 5. vt Paulus viperam excutiens in ignem, nihil malè passus sit, Act. cap. 28. nu. 3. & spiritui Pythoni mandans in nomine Iesu vt exiret à puella, exijt ille statim, Act. cap. 16. nu. 18.

In nomine tuo spernemus insurgentes in nobis. Nunquid spernere alium bonum est? Nonnè omnes in correptione sumus, Eccles. cap. 8. num. 6. non exprobretis aduenæ, scriptum est Leuit. cap. 19. nu. 34. sed inter vos sit quasi indigena, & diligetis eum quasi vosmetipsos; fuistis enim, & vos aduenæ in terra Ægypti; Nonnè habemus, vt inimicos nostros diligamus sicut nosmetipsos, Luc. cap. 6. nu. 35. & si spernis, nonnè, & sperneris? Isai. cap. 33. nu. 1. & dicto Paul. 1. Corinth. cap. 4. nu. 12. Persecutionem patimur, & sustinemus, & in cap. 9. num. 12. sed non vsi sumus hac potestate, sed omnia sustinemus, ne quod offendiculum demus Euangelio, & in alio loco 2. ad Timoth. cap. 2. nu. 10. omnia sustineo propter electos, vt & ipsi salutem consequantur, quæ est in Christo Iesu cum gloria cælesti. Fidelis sermo; nàm etsi commortui sumus, & conuiuemus, si sustinebimus, & conregnabimus, & in cap. 3. nu. 11. tu verò assecutus es meam doctrinam, institutionem, propositum; patientiam, persecutiones, passiones, &c. & omnes qui piè volunt viuere, persecutiones patiuntur. Quomodò ergo tu dicis ò Dauid, quia spernemus inimicos, si illos diligere nobis mandatum sit? Non spernit, vt illudat, sed spernit, quia sperat; spernit terrena, quia sperat æterna: vel quia odio inimicos habeat, spernit inimici præcepta, quia sunt præceptis Dei contraria, spernit iussa Principum, quia obseruare intendit Dei mandatum. Petrus, & Ioannes respondentes, dixerunt ad eos, Act. Apost. cap. 4. num. 19. si iustum est in conspectu Dei, vos potius audire, quàm Deum, iudicate, & Act. cap. 5. num. 29. & 30. obedire oportet magis Deo, quàm hominibus. Fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania: astiterunt reges terræ, & principes aduersus Dominum conuenerunt, & aduersus Christum eius. Sed tu, qui habitas in Cælis, irridebis eos, Psalm. 2. num. 1. & sequen. Apostoli postquam cæsi sunt, ibant gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati, Act. d. cap. 5. nu. 40. Vndè Iacob. in sua vnica Epist. cap. 5. nu. 6. adduxistis, & occidistis iustum, & non restitit vobis, & facit Prouerb. cap. 26. num. 4. ne respondeas stulto iuxtà stultitiam suam. S. Ambros. in supradictis verbis, cap. 49. non quò respondisse nequeas, sed quò respondere non debeas. Propterea Tertullian. in lib. de Patientia, cap. 14. Os appellat taciturnitatis honore signatum; & quare iusti ouibus à dextris Dei comparentur, Matth. cap. 25. statuit enim illas Dominus à dextris, quia propter mansuetudinem saluantur; propter quod vsque ad occisionem parati fuerunt venire, imitantes Christum, qui sicut ouis ad occisionem est ductus, Isai. cap. 53. num. 7.

In te inimicos nostros ventilabimus cornu, & in nomine tuo spernemus insurgentes in nobis, Quia non relinquet Dominus virgam peccatorum super

sortem

sortem iustorum, & qui confidunt in Domino, sicut mons Sion, non commouebuntur in æternum, Psalm. 124. num. 1. & 3. Mons enim est Dominus Iesus, Daniel.cap.2.num.31. ergo quia iusti totam in illo spem habent; non commouebuntur in æternum, quia conformes efficiuntur corpori gloriæ eius: Ventilabimus sicut puluerem in medio terræ, & erunt sicut stercora terræ, Psalm. 82. num. 11. & tamquam stercus in via conculcabuntur, Isai.cap.5.num.25. Et fient morticinia eorum quasi stercus in medio platearum, ideò dixit Paul. ad Philipp. cap.3.num.2. & 8. Videte canes, videte malos operarios, videte circumcisionem; Nos enim sumus circumcisio, qui spiritu seruimus Deo, & gloriamur in Christo Iesu, & non in carne, fiduciam habentes. Verumtamen existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam Iesu Christi Domini nostri; propter quem omnia detrimentum feci: & arbitror vt stercora, vt Christum lucrifaciam, & inueniar in illo non habens meam iustitiam, quæ ex lege est, sed illam, quæ ex fide est Iesu Christi; quæ ex Deo est iustitia in fide ad cognoscendum illum, & virtutem resurrectionis eius, & societatem passionum eius; si quomodò occurram ad resurrectionem, quæ est ex mortuis. August. in Manual. cap.26. & de Spiritu, & anima, cap.54. & 69. Quid illos iustos refert, si ad modicum affliguntur, vt in æternum gaudeant, & lætentur? dum enim præmuntur, capita leuant sua, & Iudicem adesse vident, vt coronā gloriæ accipiant, Ephrem lib. de Iudicio extremo, quid hac beatitudine, inquit, desiderabilius, qua anima ad spiritum accedentē contemplatur? quid hac dulcedine potest esse sublimius? quando enim anima Deum desiderat, ò fratres, semper eum sua precatione intuetur, ipsumq. meditatur die, ac nocte. hæc Ephrem: Hinc Iacob in sua Epist. dicto cap.5. Nolite ingemiscere fratres in alterutrum, vt non iudicemini, ecce Iudex antè ianuam assistit; & exemplum accipite fratres, exitus mali, laboris, & patientiæ à Prophetis, qui locuti sunt in nomine Domini; ecce beatificamur eos, qui sustinuerunt; sufferentiam Iob audistis, & in finem Domini audistis, quoniam misericors Dominus est, & misereator: Iudicari in scripturis sæpè sumitur pro condemnari, Matth.cap.7.nu.1. nolite iudicare, & non iudicabimini.

Non in arcu meo sperabo, cum nec Patres nostri in gladio suo possederint terram, tu enim idem es Deus noster, qui sicut illos, ità & nos de affligentibus nos saluasti, & saluabis, & eos, qui oderunt nos, confudisti; sed quomodò, ò Dauid dicis, quia Patres non in arcu suo, & gladio possederunt, nonnè vidisti, quæ Israel in diuisione bonorum Iosepho dixerit, Genes. cap. 48. num.22. do tibi, inquit ille, partem vnam extra fratres tuos; quam tuli de manu Amorrheorum, in gladio, & arcu meo.

Domine Domine dicebat Elisæus, dum puer eius exercitum Ciuitatem circumeuntem vidisset, & clamasset, aperi oculos huius, vt videat, 4.Reg. cap.6. num.17. & aperuit Dominus oculos pueri, & vidit, & mons plenus equorum, & curruum igneorum in circuitu Elisæi. Erant arcus, & gladius Iacob, orationes, & ad Deum preces: emerat enim partem agri, quando transiuit in Salem, Vrbem Sichimorum, quæ est in terra Chanaan, postquam reuersus est de Mesopotamia Syriæ, & habitauit iuxtà oppidum: & in illa parte agri, quam emerat, à filijs Hemor patris Sichem, centum agnis; fixerat tabernacula, & erecto ibi Altari inuocauit super illud fortissimum Deum Israel, Genes.cap.33. nu.18. Videamus modo arcum, & gladium Iacobi: nunciatum est Laban, quod fugeret Iacob,

Iacob, quem sequutus comprehendit in monte Galaad. Valet, dicebat Laban, manus mea reddere tibi malum: sed Deus Patris heri dixit mihi; caue ne loquaris contrà Iacob aliquid durius, Genes. cap. 31. n. 28. Vide gladium Iacob, nu. 40. die nocteq. æstu vrebar, & gelu, fugiebatq. somnus ab oculis meis, sicq. per viginti annos in domo tua seruiui tibi: quatuordecim pro filiabus, sex pro gregibus tuis, immutasti quoque mercedem meam decem vicibus. Nisi Deus Patris mei Abraham, & timor Isaac affuisset mihi; forsitan modo nudum me dimisisses, afflictionem meam, & laborem manuum mearum respexit Deus, & arguit te heri; ibidem num. 40. In gladio ergo, & arcu suo, in precibus scilicet, & orationibus, in labore, & in ærumna agri partem emerat, quem centum ex agnis illis sibi emerat, quos tanto labore, & sudore acquisierat, ideòq. illum Laban non interfecerat, neque illi aliquid mali intulerat, quia Dominum comminantem, & magno exercitu Angelorum astantem viderat. Et idcircò translatio Chaldaica illius capit. in Genes. cap. 48. in fine legit, In arcu, & gladio est, in precibus, & oratione, quæ metaphoricè arma dicuntur, cum per illa hostes impugnentur, vt supra 4. Reg. c. 6. num. 27. & Exod. cap. 2. orante enim Moyse Amalechitæ vincebantur; Cessante verò oratione, & manuum eleuatione Iudæi vincebantur. In arcu, & gladio, atque scuto Domini vincebant Patres, cum ipsorum pœnitentia, orationes, & ieiunia, victoriam, & inimicorum expulsiones obtinebant. Sic & te pœniteat de delictis tuis, & peccatis, & orationes iacta, vt victoriam arcu, & gladio de hostibus tuis referas, Sapien. dicto cap. 12. num. 22. Cum enim nobis das disciplinam, inimicos nostros multipliciter flagellas. Facit Isai. cap. 1. num. 1. & Baruch cap. 4. num. 20. Exui me stola pacis; indui autem me sacco obsecrationis, & clamabo ad altissimum in diebus meis.

Non enim in arcu meo sperabo; & gladius meus non saluabit me. Quia si mundus, si lotus non fuero; si malum de cogitationibus non abstulero, nihil proderunt orationes meæ, sacrificia mea, holocaustomata, & incensum. Tu enim Domine illa proijcies à te; frustra enim hæc offeruntur; si ab iniquis, & malis hominibus exhibeantur: frustra in arcu illorum manus extenduntur, quia oculi Domini ab illis auertuntur, nec multiplicitas orationum eorumdem à Deo exaudietur. Non in arcu meo sperabo, si iniquus in iniquitate mea permanebo, non gladius meus saluabit, si lingua mea dolo plena permanserit, gladio enim linguæ, occiderunt Iudæi Christum, facit Isai. cap. 1. nu. 12. cum sequen.

Saluasti nos de affligentibus nos, & eos, qui nos oderunt, confudisti. A te Domine recesserunt isti, propterea permisisti, vt ab inimicis affligerentur, ideòq. per afflictiones intellectum filijs Core dedisti; & ità ad te pœnitentes, & delicta confitentes conuersi ex affligentibus illos saluasti; immo & eorum inimicos odisti, cum multipliciter illos castigasti, Sapien. 12. num. 22. Et aduerte ad ea, quæ hic Augustin. notat, quòd scilicet omnia, tamquam præterita, ista dicuntur, cum futura essent; quia Deo futura tàm certa sunt, quàm quæ præterita sunt, nobis enim ea, quæ præterierunt, certa sunt, quæ futura, incerta sunt; nouimus enim aliquid accidisse, & non potest fieri, vt non acciderit, quòd accidit. Da, inquit, Prophetam, cui tàm certum sit futurum, quàm tibi præteritum, & quàm tibi meministi factum, & non potest fieri, vt non sit factum, tàm illi, quod nouit futurum, non potest fieri, vt non fiat; ideò de securitate dicuntur tamquam præterita, quæ adhuc futura sunt; ideò, inquit saluos

nos fecisti ex affligentibus nos, & eos, qui oderunt nos, cōfudisti. In Deo laudabimur tota die; videte, quomodò miscet etiam verba futuri temporis, vt intelligas & præterita, quæ dicta sunt, de futuro esse prædicta, hæc Augustin. quamuis ergo illa verba, saluasti, & confudisti sint, præteriti temporis, accipiuntur & pro futuro tempore, idest saluabis, & confundes, Prophetis enim, quæ à Deo habent reuelata, ità sunt futura certa, ac si præterita, saluasti ergo nos, & saluabis de affligentibus nos, si peccata nostra plangere non desistemus; si immunditiam peccatorum lauacro pœnitentiæ, & confessionis mundemus, si peruersè agere in futurum desinamus, Isai.d.cap.1.nu.16. Emundate manus peccatores; purificate corda duplices animo: Miseri estote, & lugete, & plorate. Risus vester in luctum conuertatur, & gaudium in mœrorem: humiliamini in conspectu Domini, & exaltabit vos. D. Hieron. in Epistol.83. miraculum Iesu Christi primum, & postremum in aqua; hoc modo inquit, qui ab aquis primum signum cœperat, finiuit in aquis. In Cana enim conuertit aquam in vinum, in morte effluxit aqua, vt significaret inquit, virtutem abluendi peccata sacri Baptismi, & martyrij, quorum virtutem tribuit, & aquis lacrymarum.

In Deo laudabimur tota die, & in nomine tuo confitebimur tibi in sæculum. In Deo laudabimur, non solum propter opus, quod operatus est in diebus illorum; Verùm quia etiam in nobis operatur bonum, & liberat nos à malis, ideòq. Psalmista tempus præteritum, & futurum intelligit, quia idem est Deus, qui semper operatur, Ioan.cap.5.nu.17. Iesus autem respondit eis, dicit Ioan. Pater meus vsque modo operatur, & ego operor; quia idem Deus est.

Sed in quo laudabimur tota die? Quia in ipso viuimus, mouemur, & sumus; Viuo ego, & non ego, viuit autem in me Christus, Paul. ad Galat.c.2. nu.20. Ioan. cap.4.nu.7. & sine ipso factum est nihil, Ioan.1. si ergo tu es, ergo propter Deum es, quia ab ipso factus es: spiritum habes, quia illum dat tibi Deus, & arbitrio suo aufert, ergo si momento viuis, propter Deum viuis; si in te est spiritus, quia Deus necdum à te abstrahit illum; ipse enim est, qui & Principibus aufert spiritum, & si Principibus cur non tibi? si peccas, Angelus eius non te deserit, ne ab illo penitus auertaris. Quare ergo non laudabimus Deum tota die, Non timebo tota die, & nocte laudare nomen Domini, Psal.60. num.9. Psalm.144.num.2. Psalm.70.nu.8. & 15. Augustin. Quid laudabimus? quid confitebimur? quia ex affligentibus nos liberasti nos: quia regnum perpetuum dabis nobis; quia complebuntur ea in nobis, beati qui ambulant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te, Psalm.63.

Hæc ergo futura certa sunt nobis, à Patribus verò nostris præterita audiuimus, sed quid modo? quid ad præsens, vt nos ad æterna perueniamus? docet Psalm. dicens; Nunc autem repulisti, & confudisti nos, & non egredieris Deus in virtutibus nostris; In tribulationibus ad præsens affligimur, repellimur, vt ad æterna futura perueniamus: Non in conscientia nostra confudisti nos, sed in facie hominum, quia, vt supra dixi, ex Isai. cap. 54. numer.16. Ecce ego creans fabrum sufflantem in igne prunas, creans scilicet persecutorem, vt eò magis purgatos, & probatos reddat, dum in Sanctos magis sæuit, magis ignem accendit, Tertull. in lib. de Fuga in persecutione, cap.3. Cum exurimur persecutionis ardore, tunc probamur de fidei tenore; Non enim malis

instan-

instantibus tantum assistit Deus, cum ipso sum, inquit, in tribulatione, sed glorificat, Psalm. 90. num. 16. & Psalm. 9. num. 15. Qui exaltas, inquit, non dixit liberas, facit enim illos clamores admirabiles & insignes. Beatus qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam gloriæ, quam repromisit Deus diligentibus se, inquit Iacob. in sua Epist. c. 1. 2. & 12. Omne gaudium existimate fratres, cum in varias tentationes incideritis, scientes, quòd probatio vestræ fidei patientiam operatur, patientia autem opus perfectum habet, vt sitis perfecti: Vndè Augustin. in Soliloq. lib. cap. 21. Qui hìc consolantur Domine Iesu, indigni tua consolatione habentur, sed qui hìc cruciantur, à te consolantur; Nemo potest in vtroque sæculo consolari, nec potest hìc quisque & in futuro gaudere. Tolle ergo, dicit Ambros. ad ea verba Luc. 4. nu. 13. Consummata omni tentatione, tolle inquit Martyrum certamina, tulisti coronas, tolle cruciatus, tulisti beatitudines, & August. lib. 83. quæst. 82. Iustus, etiam sequestrata spe futuræ vitæ, iucundius, & lætius præ amore veritatis torquetur, quàm luxuriosi præ cupidine ebrietatis epulentur.

Ad ea præterita opera Dei, & temporalia deuenerunt Patres nostri, & narrauerunt nobis, ij non peruenere nisi per magnos labores; sic pariter, immo multò magis, & nos ad ea, quæ æterna sunt gaudia, non deueniemus, nisi legitimè certauerimus; quamobrem dum præsens tempus habemus, in illo bonū operemur. Id autem nobis continget, si tentati cum patientia in fide Dei nostri permanserimus; ideò nunc autem, dicit Psalm. repulisti nos, & confudisti nos, & non egredieris Deus in virtutibus nostris; vt probati, in posterum vitam æternam possideamus. In multa patientia, dicitur 2. Corinth. c. 6. nu. 4. exhibeamus nosmetipsos, sicut Dei ministros, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustijs, in plagis, in carceribus, &c. & num. 9. quasi morientes, & ecce viuimus, vt castigati, & non mortificati, quasi tristes semper autem gaudentes, sicut egentes, multos autem locupletantes, tamquam nihil habentes, & omnia possidentes: vndè Gregor. lib. 9. Epistol. 39. Ego Abel esse non suspicor, qui Cain non habuerit. Audi Augustin. in Serm. de Tempore, in impressione nouiter facta, Feria 4. post ij. Dominicam in Quadragesima, fol. 243. col. 1. litera D. Quo, inquit, ordine populus maior seruiet minori? illo ordine, quo mali seruiunt bonis, non vtique obsequendo, sed persequendo. Quomodò ergo mali seruiunt bonis? quomodò persecutores martyribus; quomodò lima, vel mallei auro, quomodò molæ seruiunt tritico, quomodò in fornace aurificis palea seruit auro, vbi sine dubio palea consummitur, aurum probatur. Non ergo glorientur, nec se extollant mali, quando bonis aliquas tribulationes immiserunt, quia, cum illos persequuntur in corpore, se occidere probantur in mente, vt ad virum bonum perueniat hominis mali aduersitas, iàm illius animam putrefacit iniquitas; qui ergo malo animo virum bonum iracundiæ furore succensus conatur incendere: vtrum ille possit exuri, adhuc dubium est; Isai. cap. 43. num. 2. Cum ambulaueris in igne, non combureris, & flamma non ardebit in te. Quòd autem iste iàm ardeat, dubium non est, quia forte ille vir bonus spirituali succo, & sancti Spiritus refrigerio plenus, apposito persecutoris igne non ardet, ille verò, qui eum conatur exurere, sine dubio non potest non ardere: hæc Augustin. & Ambros. in Psalm. primum. Plantatus rectè dicitur secus decursus aquarum iustus, non in ipsis decursibus, vt finitimū,

non demersum intelligas, neque enim mens iusti laboribus, & ærumnis obruitur, sed irrigatur, quò pulchriores flores proferat, & vberiores fructus producat, vt contingit ijs arboribus, qui plantati sunt secus decursus aquarum; aquæ enim nomine labores, & afflictiones intelliguntur, Isai. cap. 8. num. 2. Propter hoc ecce Dominus adducet super eos aquas fluminis fortes, & multas, Regem Assyriorum, & omnem gloriam eius, & Psalm. 17. num. 17. & assumpsit me de aquis multis; eripuit me de inimicis meis fortissimis: tunc à Saulo, & post, & ab Absolome fuit Dauid erutus, sic idem Isai. cap. 43. num. 2. cum pertransieris per aquas, tecum ero, & flumina non operient te; vbi Hieronym. aquas, & flumina, ignem, & flammas, persecutorum impetum, furoremq. describit. Proinde S. Gregor. 14. Moral. Sanctis Viris, quot occasiones intulit inimicus, tot causas victoriæ ministrauit.

Nunc autem repulisti, & confudisti; Quare nunc autem dicit, nonnè & tunc aliquando Patres nostri afflicti fuerunt, occisi, quasi eos dereliquerit Dominus Deus? Cur modo nunc dicit, intellectus Core; non enim Patrum legitur talis persecutio, talis destructio, qualis illa Christianorum fuit, vndique omnes, quatenus essent Christiani, fugiebant, communiter affligebantur, occidebantur, communiter persequutionibus agitabantur, tamquam ad insultationem, & opprobrium pertineret; Pharao persequebatur Iudæos, sed Deus antecedebat illos; dux illorum erat, Cantic. Moysi Exod. dicto cap. 15. numer. 14. & per totum, diuidebat aquas, & transibant Iudæi, claudebantur aquæ, & submergebantur inimici. Nunc verò repulisti, & apud homines Christianos cõfudisti? quare illos quasi à te derelictos expulisti, & in opprobrium gẽtium illos dedisti? maiora debentur Christianis certamina, quia maiora ipsis reseruata sunt præmia. Fundamenta altiora requirebantur in Ecclesiæ Christianorũ plantatione, postquã destruenda erat illa Iudæorum Synagoga. In illa promittebantur tẽporalia, in Christianorũ Ecclesia gloria sempiterna; altiora debebant esse fundamenta, quia vniuersalis debebat esse Christianorum Ecclesia; Amplioris enim gloriæ iste præ Moyse dignus est habitus, quò ampliorem honorẽ habet domus, qui fabricauit eam, ad Hebr. 3. n. 3. Illa in superbia defecit, hæc Dei Ecclesia in humilitate creuit, nàm filius Dei homo factus est, quem totus mundus capere non poterat, corpusculum retinuit; ex cuius sanguinis effusione totus mundus redemptus, ille passus, & crucifixus, vt nos redimeret; quem Apostoli, & Patres nostri illius Discipuli sequuti sunt, D. Paul. ad Coloss. cap. 1. num. 24. Et nunc gaudeo in passionibus pro vobis, & adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi in carne mea, pro corpore eius, quod est Ecclesia; desunt inquit, idest patienda à Christianis, qui corporis Christi membra sunt.

Auertisti nos retrorsum, dicunt fideles, post inimicos nostros, & qui oderunt nos, diripiebant sibi; præcedebant inimici in mundanis, qui gloriabantur in opibus suis; nos retrorsum post illos auertisti; ne incedentes cum illis auerteremur à via Christi. Auertisti nos Domine retrorsum; multum enim valere tibi soli supererat semper, & virtuti tuæ quis resistet? Sap. cap. 11. nu. 22. Verumtamen non quia impotens eras, illos impios iustis tuis, aut bestijs sæuis, aut verbo duro illos exterminare; sed partibus iudicans dabas locum pœnitentiæ, non ignorans, quia nequam est natio eorum, Sap. dicto cap. 12. nu. 9.

Auertisti nos retrorsum; ne abiremus in vias gentium, Matth. c. 10. nu. 5. propte-

propterea qui oderant nos, diripiebant illa sibi, bona nempè nostra, qui sua sibi faciebant, odientes nos illa diripientes, & vsurpantes, Paul. ad Hebr.cap.10. num.34. Nàm, & vinctis compassi estis, & rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis, cognoscentes, vos habere meliorem, & manentem substantiam.

Auertisti nos retrorsum, quia inter rapinas cecidit verbum tuum, nàm tempore tentationis à te recessimus Domine, & qui obseruat nos; Dæmon bonum quod fecimus, per peccatum diripiebat sibi, Ezechiel.cap.18.num.24. Si autem, dicitur ibi, auerterit se iustus à iustitia sua, & fecerit iniquitatem, nunquid viuet? omnes iustitiæ eius, quas fecerit, non recordabuntur, in præuaricatione, qua præuaricatus est, & in peccato suo, quod peccauit, in ipsis morietur, facit Psalm. 14. numer 24. & Psalm.29. nu. 4. & idem Ezechiel. cap.33. nu.13. si dixero iusto quod vita viuet, & confisus in iustitia sua fecerit iniquitatem: omnes iustitiæ eius obliuioni tradentur, & in iniquitate sua, quam operatus est, morietur; morietur inquit, si in iniquitate, quam fecerat, permanserit, sed si se pœnitebit, saluabitur, vt ibidem.

Et quæ ex auersione à Deo mala ipsis eueniant, sequitur Psalm. illa enarrans: Dedisti nos tamquam oues escarum, & in gentibus dispersisti nos. Si de Iudæis hoc intelligas, satis ex libris Machabæorum apparet; si verò de Christi fidelibus, & hæc magis nota sunt, nàm tempore Romanorum, & Gentilium secti sunt, tentati sunt, angustiati, afflicti, quorum mundus non erat dignus; Ideò hæc illis contigere, vt sanguine suo ad instar Domini Iesu, & ipsi Ecclesiam irrigarent. Tamquam oues posuisti nos, ait. Vndè dicebat S. Ignatius Martyr; Dentibus bestiarum molar. Facit Matth. cap.10. num.16. Ecce mitto vos, sicut oues in medio luporum, Luc.cap.10. nu.6. & Eccles.cap.4. num.33. pro iustitia agonizare pro anima tua, & vsque ad mortem certa pro iustitia, & Deus expugnabit pro te inimicos tuos, Paul. ad Roman.cap.8. num.36. Propter te mortificamur tota die: sed in his omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos; Certus sum, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.

Hæc ab Ezechiele prænunciata fuerunt, cap.24. nu.8. Greges mei facti sunt in rapinam, & oues meæ in deuorationem omnium bestiarum agri. Gaudent tamen oues illæ dispersæ, quia vt ibi dicitur, num.12. Hæc dicit Dominus: sicut visitat Pastor gregem suum in die, quando fuerit in medio ouium suarum dissipatarum; sic visitabo oues meas, & liberabo eas de omnibus locis, in quibus dispersæ fuerunt in die nubis, & caliginis, &c. Ego pascam oues meas, & ego accubare eas faciam, dicit Dominus. ibidem nu.15. & Ioan.cap.10. num.9. Quòd autem grex ouium, homines sint, idem Ezechiel. dicto cap.34. num.33. Vos autem greges mei, greges pascuæ meæ homines estis; & ego Dominus Deus vester, dicit Dominus Deus; cum contriuero catenas iugi eorum, & eruero eos de manu imperantium sibi, & non erit vltra in rapinam in gentibus, neque bestiæ terræ deuorabunt eos: Et in gentibus dispersisti nos. Quas etenim ex Christianis reliquias ex occisis, & martyrio coronatis demiserunt gentiles, & Christi nominis persecutores, in gentibus dispersisti: Sed cur in gentibus dispersit illos? nisi

nisi vt illas docentes,& in viam Christi Iesu trahentes panem dispertirent eis cælestem; corpus scilicet Christi frangendo illis, qui in Iesum crederent. Nisi vt in omnem terram sonum Euangelij prædicarent auribus credentium in Domino? Act.cap.8.n.4. Igitur qui dispersi erant,pertransibant euangelizare verbum Dei, & cap.11. num.19.

Vendidisti populum tuum sine pretio. Quia & tu Domine Iesu vendidisti nos gratis, & sine pretio, vt merces nostra maior esset in Cælo; Beati enim, dixisti, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum Cælorum, Matth.cap.5. nu.10. & sequen. vendidisti populum tuum sine pretio. Quia ex gentilibus per aliquot tempus non fuit multitudo, quæ ex iustorum tuorum martyrio, redimeretur,& conuerteretur ad te Domine; & ideò sequitur Psalmus, dicens; Non fuit multitudo in commutationibus eorum, quia numerum occisorum, & venditorum vidimus; sed conuersorum ad te gentilium pœnitentium ignoramus. August. Vidimus enim quod dedisti, non vidimus quod accepisti; fuerunt multi occisi, sed ad te conuersi aliqui ex illis, sed non multitudo magna in martyrum locum commutata; S. Augustin. legit, Non fuit multitudo in iubilationibus eorum, sicq. exponit; non remanserunt multi in Ecclesijs: qui Domino iubilarent in officijs diuinis celebrandis, Nunquid enim ait, quando fugiebant Christiani, persequentibus inimicis idololatris, fiebant congregationes, & iubilationes Deo? Nunquid concinebantur hymni de Ecclesijs Dei, qui solent in pace concini? Non fuit in primitiua Ecclesia multitudo credentium ex Gentilibus, sicut ex Iudæis, de quibus legimus in Actibus Apostol. cap. 11. numer. 21. Multusq. numerus credentium conuersus est ad Dominum; & cap.6. num. 7. & verbum Domini crescebat, & multiplicabatur numerus Discipulorum valdè: & cap.2.num.41. & numerus credentium circiter tria millia; & in cap.4. num.4. & factus est numerus virorum quinque millia, & multus numerus credentium, Act. dicto cap.11.numer.21. Vel nos dicamus, Non fuit multitudo in iubilationibus eorum, quia non fuerunt multi, qui propter eorum martyrium, & dispersionem commoti, & conuersi venerint ad fidem,& inclyta eorum gaudia, & merita in Ecclesia pangerent, atque cantarent; omnes fugam arripiebant; & qui ab inimicis ignorantibus non fuerunt dispersi, & venditi, potius de excessu loquentes, ibant afflicti, turbati, in speluncis, & in pellibus caprinis.

Posuisti in opprobrium vicinis nostris, subsannationem,& derisum his, qui in circuitu nostro sunt.

Verùm quid facere potuerunt inimici? Visi sunt iusti oculis insipientium mori, flagellari, trucidari; illi autem sunt in pace, Sap. dicto cap.3. & 5. Isai. cap.51.num.8. Audite me, qui scitis iustum, populus meus, lex mea in corde eorum: nolite timere opprobrium hominum, & blasphemias eorum ne metuatis; sicut enim vestimentum, sic comedit eos vermis; & sicut lanam, sic deuorabit eos tinea; Facit Matth. dicto cap.10.num.11. & 22. Tradet enim frater fratrem in mortem, & Pater filium, & eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum, &c. Ecce, inquit, de Gentilibus illis,& de Iudæis, Ierem. c.6.n.10. Verbum Domini factum est in opprobrium,& non suscipiunt illud; laborauit Dominus per sanctos suos sustinens; effunde super paruulum foris, & super consilium iuuenum simul; Vir enim cum muliere capietur, senex cum

pleno

pleno dierum, & transibunt domus eorum ad alteros, adducam mala super populum istum, fructum cogitationis eorum, num. 19. Væ vobis viri impij: etsi nati fueritis, in maledictione nascemini, etsi mortui fueritis, in maledictione erit pars vestra, Ecclesi. 41. num. 12.

Posuisti nos opprobrium vicinis nostris, subsannationem, & derisum his, qui sunt in circuitu nostro. Non est Discipulus supra Magistrum, nec seruus supra Dominum suum, sufficit Discipulo, vt sit sicut Magister eius, & seruo sicut Dominus, Matth. cap. 10. numer. 24. neque Apostolus maior est eo, qui misit eum, Ioan. cap. 13. num. 16. si credentes, & Discipuli Christi esse profitemini, eadem & vos patiamini opprobrium, & tormenta; vt sequi digni sitis eiusdem Domini vestigia. Venditus est Dominus, & creator omnium, facies eius prius sputis, & colaphis despurcata, & cæsa, deindè velata; illusus Dominus, flagellatus, spinea corona coronatus, & vt vicinis suis omnibus circumstantibus, & passioni eius consentientibus in maius illius opproprium, subsannationem, & derisum illis esset; palam ductus Iesus, acclamantibus illis scelestis, vt in conspectu oculorum eorumdem magis appareret, dedit percutienti se maxillam, saturabitur opprobrijs, Thren. cap. 3. num. 30. Ecce homo, dicebant, Matth. cap. 27. per totum, Marc. cap. 14. & 15. num. 65. & 20. Luc. 23. Ioan. c. 18. & cap. 19. quare, si & vos ò fideles Iesu estis, eadem opprobria libenter non sustineatis? ipse non contradixit, qui totum fecit, & corpus suum dedit percutientibus, & genas suas vellentibus, nec faciem suam auertit ab increpantibus, & conspuentibus in illum; & quia, inquit, Deus est auxiliator meus, ideò non sum confusus: Audite quæ Dominus per Isai. dicit cap. 50. num. 11. Ecce vos omnes accendentes ignem, accincti flammis, ambulate in lumine ignis vestri, & in flammis, quas succendistis: quia de manu mea, inquit Dominus; factum est hoc vobis; in doloribus dormietis. Nolite timere opprobrium hominum, & blasphemias eorum ne metuatis: ipsi inimici conterentur; salus autem Domini in sempiternum vobis erit, Isai. dicto cap. 51. num. 8. post verò, ipsi per tineam, quæ pannos suos demoliat, comedentur, & erunt opprobrium in regione, Baruch cap. 6. num. 71. Ezech. cap. 5. num. 14. & 15. & erit opprobrium, & blasphemia, exemplum, & stupor in gentibus in conspectu omnis prætereuntis; quia sicut gauisi sunt super hæreditatem Israel, eò quòd fuerit dissipata; sic faciam vobis; dissipatus erit mons Seir, & Idumæa omnis, & scient, quia ego Dominus, Ezech. cap. 35. num. 15. Vos autem montes Israel ramos vestros germinetis, & fructum vestrum afferatis populo meo Israel, Ezech. cap. 36. num. 9. Quia ecce ad vos conuertar, & arabimini, & accipietis sementem, & multiplicabo in vobis homines, & non addes vltrà, vt absque eis sis, num. 12. ibidem. Opprobrium, dixit, posuisti nos vicinis nostris; idest magnum vituperium, seu magnam vituperationem, cum opprobrium, quasi obiectum probrum dicatur; & eò maius, quia factum est coram vicinis nostris; coram his, qui in circuitu nostro sunt; nàm tunc maior dicitur afflictio, & opprobrium aggrauatur, cum à vicinis secundum Gloss. hìc, maior inferatur afflictio; quàm quæ à remotis; quia non transitoriè dicitur, quod à circumstantibus irrogatur; propterea non qui circumstant inuitantur, vt compatiantur, sed qui transeunt, Thren. cap. 1. numer. 12. dicitur enim ibi, ò vos omnes, qui transitis per viam, attendite, & videte, si est dolor, sicut dolor

meus.

meus. Congratulabantur illi, compatiebantur isti; Vindicta fuit illis; excessus iudicabatur à transeuntibus. Posuisti nos opprobrium vicinis, vt eò magis patientes in vituperio, & opprobrio fructum caperemus ex illis.

Subsannationem, & derisum his, qui in circuitu nostro sunt. Flagellabantur, & occidebantur Christiani à Gentilibus, & ab Idololatris; & Iudæi, qui in illorum circuitu stabant, irridebant illos; erat enim illorum vita dissimilis, quia Christum negabant, subsannatio enim, & derisio in hoc differunt; nàm subsannatio dicitur derisio facta despectiuè contracto naso, & rugato: derisio verò est quædam vox confusa, lætitiæ insultationem immoderata lætitia denuntians. Posuit illos Deus in opprobrium his, qui in carne sunt, qui secundum prudentiam carnis ambulant, quia eorum, qui carnis sunt, sapientia, & prudentia est mors: & hæc carnis sapientia, inimica est Deo, ad Roman.cap.8.numer.6. Christiani verò, qui secundum spiritum sapiunt, citò sunt liberati, vt maioris gloriæ, & honoris digni effecti fruantur gloria sempiterna. Opprobrium illis iniquis, gloria sit fidelibus Christianis; & Dominus irridebit iniquos illos contemnentes, & ludentes. Et erunt post hæc decidentes sine honore, & in contumelia inter mortuos in perpetuum; quoniam disrumpet illos inflatos sine voce, & commouebit illos à fundamentis, & vsque ad supremum desolabuntur, Sap.4.num.19.

Posuisti nos in similitudinem gentibus commotionem capitis in populis. Ad tui similitudinem posuisti nos; nàm sicut à Iudæis illusus, flagellatus, & crucifixus, mortuusq. fuisti; ità & nos à gentibus, quibus Euangelium tuum, & illorum salutem prædicamus, illusi, flagellati, & occisioni dati sumus. Tu Domine ad oues, quæ perierant Israel, venisti, vt saluares illas; nos autem ad gentes, vt reciperent verbum tuum, misisti; in tuam passionis similitudinem posuisti; iubens vt Crucem nostram te sequendo in omnibus portemus; ideòq. illis persequentibus, & cum irrisione, capita sua mouentibus, ac blasphemantibus flagellati, & dispersi sumus. Non solum ergo Christi passionem, sed & Sanctorum martyria præuidens Psalmista, cecinit vt supra, similitudinem martyrij Christi, & Martyrum, vt Hieronym. hìc interpretari videtur.

Posuisti nos in similitudinem Gentibus: In prouerbium, in derisum, in imprecationes malorum, contingat tibi, dicebant, sicut istis Martyribus, idest mentecaptis, & stultis; tales enim vocabant Sanctos, vt & vos occidamini. Sed quid vtilitatis, quid fructus ex irrisionibus, & flagellationibus, & ex alijs tormentis; & angustijs martyribus illatis? Nempè vt Domini potentia demonstretur; ex infirmis enim istis, & humilibus fratribus, & seruis tuis Domine fortia quæq. confundere voluisti; debiles erant, & infirmi, & ignobiles. Paulus, Vos nobiles, nos verò ignobiles, & quid sequitur? Posuisti commotionem capitis in populis; Prædicamus, inquit Paul. Christum crucifixum, Iudæis scandalum, Gentibus verò stultitiam, ipsis autem vocatis Iudæis, atque Græcis, Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam; quia quod stultum est Dei, sapientius est hominibus, & quod infirmum est Dei, fortius est hominibus. Quæ enim stulta sunt mundi elegit Deus, vt confundat sapientes, & infirma elegit Deus, vt fortia confundat, & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non sunt, vt ea quæ sunt destrueret, 1.Corinth.1.n.24. & 28. Ideò commotio capitis in populis: qui audito Dei verbo superbiam abijcientes, & Diabolum respuentes, & de cordibus

ſuis expellentes, Deum verum Ieſum Chriſtum confitentes, ſequuti ſunt, Iſai. cap.19.nu.1. Dominus aſcendet ſuper nubem leuem, & ingredietur Ægyptum, & commouebuntur ſimulachra,& cor Ægypti tabeſcet; Infirmiq. euangelizabant, ignobiles prædicabant, vt nobiles fierent, vt ex infirmis fortes, & ſani efficerentur. Sicq. nos poſuiſti ſimilitudinem gentibus, commotionem capitis in populis, Luc.23.num.5. Vndè illi inualeſcebant, dicentes, commouet populum, docens per vniuerſam Iudæam, incipiens à Galilæa vſque hùc: Quis eſt hìc? Populus dicebat; Hic eſt Ieſus Nazarenus, & commota eſt vniuerſa Ciuitas, Matth.21.num.11. Commotio in populo, qui ideò filium Dei Ieſum eſſe confeſſus eſt. Quid nàm hoc vult eſſe, dicebat Populus, quia loquebantur Diſcipuli Spiritu ſancto pleni, varijs linguis, Act. Apoſtol.cap.2.numer.12. ſtupebant enim omnes, & mirabantur adinuicem,audi commotionem, ibidem num.37. His autem auditis, compuncti ſunt corde, & nu.41. Qui receperunt ſermonem Petri, baptizati ſunt, & appoſitæ ſunt in die illa animæ circiter tria millia. Et dediſti nos commotionem in populis, quia, qui aquam Baptiſmi ſuſceperunt,facti ſunt petra duriſſima, quia ſupra petram Chriſtum iacuerunt, poſuerunt ſua fundamenta, Iob cap.38.numer.30. In ſimilitudinem lapidis aquæ durantur.

Tota die verecundia mea contrà me eſt, & confuſio faciei meæ cooperuit me. Tota enim die exprobrabant mihi, & qui laudabant me, aduerſum me iurabant, Pſalm.101.nu.9. propterea tota die contriſtatus ingrediebar, Pſalm.37. numer.7. Populus Chriſtianus loquitur, omnium nomine fidelium, & Martyrum, quorum erat ex verbis contrà Deum ab iniquis prolatis, & contrà eoſdem Martyres, & fideles verecundia, quia zelus Domini præcedebat, & gratia, Eccleſ.cap.3.num.14. illorum enim verecundiæ gratia ſuper aurum, dicit Eccleſ.cap.7.numer.21. non enim quia verecundabantur Chriſtiani ſancti, non confitebantur Chriſtum, Eccleſ.47. num.9. In omni tempore dedit confeſſionem ſancto, & excelſo in Verbo gloriæ. Facit ad Hebr.cap.11.num.34. Non erubeſcebant confiteri Dominum, propterea nec illos erubeſcet Dominus, Luc. cap.9.num.26. Marc.cap.8.num.38. Qui me confeſſus fuerit, & verba mea in generatione iſta adultera, & peccatrice, & filius hominis confitebitur eum, cum venerit in gloria Patris ſui cum ſanctis Angelis.

Tota die verecundia mea contrà me eſt: Loquitur enim Eccleſia, propterea dicit, contrà me eſt, ideſt contrà Sanctos meos, qui boni ſunt; ideò perſequutione agitari, quia fideles, ideò fortes in Domini confeſſione, Gloſſ. hic. Verecundia grauis erat contrà Sanctos, vel coram Sanctis, ideſt ante oculos Sanctorum, quando quos impios ſciebant, ſibi inſultare videbant: Ideò confuſio faciei meæ; operuit enim rubor facies Sanctorum, nàm nube quadam ſanguinis ſuſi inflammata rutilabat à facie exprobrantis, & mala loquentis.

Auguſtin. Confuſio vultus mei operuit me: ideſt à voce inſultantium, & crimen mihi obijcientium de illo nomine, vndè mihi omnia crimina delebuntur: hæc Auguſtin. Temeritas iniquorum, peccata eorumdem, & crimina, atque in Deum blaſphemiæ obtenebrarunt, velauerunt faciem meam, ne illi iniqui ſalutis lucem viderent, Mich.cap.3.num.5. & ſequen. Mordent dentibus, & ſi quis non dederit in ore eorum quippiam, ſanctificant ſuper eum.

præ-

prælium; Loquitur de falsis Prophetis. Propterea, dicit Deus, Nox vobis pro visione erit, & tenebræ vobis pro diuinatione,& obtenebrabitur super eos dies, & Isai.cap.5.num.30. Lux obtenebrata est in caligine eius, confusio faciei meæ operuit me à voce exprobrantis,& obloquentis; Quis est hic, quis est hic? Ioan. Multa signa facit, si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, Ioan. cap.11.numer.47. Confusio operuit vultum meum, ne ipsi viderent, & sanarentur, Isai.cap.11. & cap.6.num.9. Audite audientes, & nolite intelligere, & videte visionem, & nolite cognoscere, excæca cor populi, &c. & oculos eius claude, & idem Isai.cap.13.num.10. Stellæ Cæli, idest Sancti Dei, & splendor earum non expandent lumen suum; obtenebretur Sol in ortu suo, & Luna non splendeat in lumine suo, & Ezech.cap.32.num.2. Operiam Cælum, cum extinctus fueris, & nigrescere faciam stellas eius. Vnde ergo erubescentia, & confusio Ecclesiæ proueniat, satis clarè declarat Psalm. A voce, inquit, exprobrantis,& obloquentis: à facie inimici, & persequentis. Maledicebant enim præsentem, & in facie stantem, & obloquebantur in absentia, iusto detrahentes; Est malefactor, crucifigatur, clamabant, tradamus illum, quia contrarius est nobis, Sap. cap.2.

A voce exprobrantis, & obloquentis, à facie inimici, & persequentis; Quæ præterita dicta sunt, audiuimus, non fient in nobis, quæ verò futura sperantur non apparent, præterita audiuimus, quòd ex Ægypto in magna gloria eductus est populus, Exod.cap.44. in præsenti, siuè in medio, hoc est inter præterita, & futura, tribulatio. A facie, inquit, obloquentis, & exprobrantis, & inimici persequentis, intellectus Core, intellectus mihi. Nàm si gratis à Deo accepi, quando ex nihilo me fecit nasci; & iterum gratis ab eo redemptus; quare, & ego gratis illum non colam? Quid enim illi do, nisi temporalia, vt percipiam æterna? Modicum patior, vt in æternum fruar. Non propter hæc temporalia; vel quia nobis data sint, vel ablata, sed ideò Deum diligo, & mandata eius custodio; vt ipse me diligat, & seipsum mihi in alia vita ostendat, Ioan.cap.14.numer.21. & manifestabo illi meipsum: Augustin. Si illum tunc videbant, quem ostensurum promittebat, quid est hoc? quasi, inquit, diceret, Videtis formam serui, occulta est forma Dei; per hanc vobis blandior, per illam vobis seruio: hac vos paruulos nutrio, illa grandes pasco: ergo vt fides hæc nostra, qua purgamur, ad inuisibilia præparetur. Hoc est, quod in intellectu filijs Core facta sunt ista omnia, vt detraherentur Sanctis ea, quæ habebant, detraheretur & ipsa vita temporalis; vt non propter hæc ipsa temporalia colerent spiritum æternum, sed amore illius casto tolerarentur hæc omnia; quæ pro tempore paterentur.

Quocircà quia filij Core ista intellexerunt, dicunt; Hæc omnia venerunt super nos, & non sumus obliti tui, & iniquè non egimus in testamento tuo. Et si in magnis tribulationibus positi, & persecutionibus gentium, Deos tamen alienos nec coluimus, nec gloriam tuam in similitudinem Vituli comedentis fœnum mutauimus, Psalm.105. sed te Deum verum sequuti sumus, nec iniquitatem contrà pactum fecimus; non sumus transgressi mandata tua; Hæc ergo mala omnia in corpore, in facultatibus, & bonis venerunt super nos; sed animam nostram non potuerunt inimici perdere, qua te semper coluimus; præcepta tua custodientes. Tradiderunt Sancti Martyres corpora sua propter Deum

ad supplicia: nec vnquam obliti sunt Deum: Memoriam & nos Dei habeamus, si eius præsentiam videre concupiscimus, Eccles. cap. 12. num. 1. Memento Creatoris tui in diebus iuuentutis tuæ, antequam veniat tempus afflictionis, quia eius obliuio parit multa mala; Nàm vita mea appropinquans erat in inferno deorsum: Circundederunt me vndique, & non erat, qui adiuuaret, respiciens eram ad adiutorium hominum, & non erat, memoratus sum misericordiæ tuæ Domine, & operationis tuæ, quæ à sæculo sunt; quoniam eruis sustinentes te, Eccles. cap. 51. num. 8. & sequen. Zelatus sum bonum, & non confundar, colluctata est anima in illa, & in faciendo eam confirmatus sum, ibidem num. 24. & 25. Et tu anima non memineris Redemptoris tui? quid enim nasci profuisset, si à peccato per Iesum Christum redemptus non fuisses? si oblitus fuero tui Domine, obliuioni detur dextera mea, adhæreat lingua mea faucibus meis; si non meminero tui.

Et non recessit retrò cor nostrum, & declinasti semitas nostras à vijs tuis. Quare non recessit retrò cor nostrum? quia declinasti semitas nostras corporales, & temporales à via tua; Diripiebant bona nostra inimici nostri; in gentibus nos dispersisti, & tamquam oues escarum illis nos dedisti; hæc omnia venerunt super nos; recessimus à via nostra secundum carnem, quia malum pro malo illis non retribuimus, quia ità tu Domine præcepisti: nemo enim potest duobus Dominis seruire, Matth. cap. 6. num. 27. Ideò declinasti semitas nostras, huius mundi à via tua, sed nunquid sufficientia nostra fuit ex nobis? nunquid sine te à malo recedere poteramus? 2. Corinth. cap. 3. num. 5. Nisi tu adiuues, à nobis resurgere non valemus; propterea deduxisti, quia in via mundi eramus immersi, Augustin. in lib. Soliloq. cap. 15. Quòd cecidi, fuit ex me, quod surrexi, fuit ex te; quoniam si quid boni est parui, vel magni, donum tuum est, & nostrum non est nisi malum. Vndè D. Thom. 1. 2. q. 8. ait, non omnium peccatorum causam esse Diabolum: & Augustin. in lib. de Dogmatibus, cap. 82. Non sunt enim viæ tuæ, viæ nostræ, viæ huius mundi, Isai. cap. 55. numer. 8. illa mundi spatiosa est, sed ducit ad mortem; arcta verò est via Domini, quæ ducit ad vitam, Matth. cap. 7. numer. 13. & 14. Semitæ enim nostræ erant affectus nostri, desideria nostra temporalia, in voluptatibus, in prosperitatibus harum rerum temporalium. Tulisti semitas meas de via tua, de domo tua, & induxisti nos in refrigerium; induxisti in viam tuam, quæ hìc in mundo arcta videtur, sed postmodum lata, & spatiosa: Augustin. Pauci sunt, qui tolerant tribulationes, tentationes, qui non in his omnibus molestijs non deficiunt, qui non ad horam gaudent ad Verbum, Matth. cap. 13. Et qui in tempore tribulationis, tamquam orto iàm Sole, crescunt, habent radicem charitatis, Marc. c. 4. Luc. 8. Radicem ergo habe charitatis, vt, cum Sol exortus fuerit, non te vrat, sed nutriat.

Hæc omnia venerunt super nos, & obliti non sumus te, & iniquè non egimus in testamento tuo, & non recessit retrò cor nostrum, sed quia hæc omnia inter tribulationes facimus, iàm in angustæ via ambulantes, declinasti semitas nostras de via tua, quasi à te derelicti fuerimus, declinasti semitas nostras à tua misericordia. Non ergo si pro te bona temporalia, ac vitam amiserimus Domine Iesu, vel si illa nobis dederis; nec si illa, vel acquisierimus, vel amissa cernamus, te amare vnquam cessabimus; Hæc omnia tui amore tolerabimus; Au-

Augustin. hic litera H. Ergo, vt hæc fides nostra, qua purgamur, ad inuisibilia præparetur, hoc est quòd in intellectu filijs Core facta sunt omnia ista, vt detraherentur Sanctis ea, quæ habebant, detraheretur & ipsa vita temporalis; vt non propter hæc ipsa temporalia colerent spiritum æternum; sed amore illius casto tolerarent hæc omnia, quæ pro tempore paterentur. Non ergo iniquè egimus, etsi talia passi sumus, nec obliti sumus te, quia veniant super nos.

Non timent temporalium amissionem Sancti, quia amant. Bernard. in Serm. 84. in Cant. Non timeo, quia amo, paueant, qui non amant, Augustin. in Euangel. Matth. Serm. 6. de Verbis Domini, cap. 2. Bonus si fuerit, qui tibi præest, nutritor tuus est; malus si fuerit, tentator tuus est: & nutrimenta libenter accipe, & in tentatione approbante, esto aurum, attende mundum istum tamquam fornacem aurificis. Ad illa dico apponitur ignis, palea vritur, aurum purgatur; Cessit nescio quis minis, & adductus est ad Idolum; Væ mihi, qui paleam plango, cinerem video; alius non cessit minis, non cessit erroribus, adductus ad Iudicem stetit in confessione sua, quid facit flamma? nonnè aurum purgat. State fratres in Domino, potentior est qui vocauit vos; non vos terreant impij, Hæc est sanitas, haurite hinc in ipso conuiuio, hic bibite vndè satiemini. Argentum estis, aurum eritis, Sap. cap. 3. sicut aurum in fornace probauit eos, & sicut holocausti hostiam accepit illos, & in cap. 9. Psalm. 51. numer. 14. sicut nouacula acuta fecit dolum; Sed quare dolum potentis nouaculæ malæ comparauit? quia non admittitur, nisi ad superflua nostra; sicut enim capilli in corpore nostro tamquam superflui sine detrimento carnis raduntur, sic quidquid potest tibi facere iratus potens, inter superflua tua numera; tollet paupertatem tuam, nunquid tollet diuitias tuas: Paupertas tua, diuitiæ tuæ in corde tuo, superflua tua potuit tollere permissus, & vsque ad lædendum corpus: Et ista vita cogitantibus aliam vitam, ista inquam vita inter superflua deputanda est, nàm & Martyres contempserunt illam; non vitam perdiderunt, sed acquisierunt. Admittuntur inimici aduersus nos, in quantum prodest tentandis, & probandis fidelibus, ipsi enim Deo cura est de nobis. Si capilli nostri numerati sunt, Matth. cap. 10. num. 30. quantò magis mores nostri? nec peribit capillus, dicitur Luc. 21. num. 18. & tu qui in Deo es positus, quid times? ablaturus est inimicus superflua; para tu capillos: nouacula acuta ablaturus est tibi superflua; rasurus quidquid relicturus es. Si ad corpus occidendum permissus fuerit, quid tollit, nisi quod latro? honoraui, cum dixi latro: nàm qualiscumque latro homo est; quod febris, quod scorpius, quod fungus malus, ista tota potentia sæuientium est facere quod fungus; manducant homines fungum malum, & moriuntur, ecce in qua fragilitate est vita humana, quam quandoq. relicturus es; noli pro illa sic pugnare, vt tu relinquaris; hæc Augustin.

Et non recessit retrò cor nostrum, & declinasti semitas nostras à via tua. Tu enim Domine vocasti nos, & audiuimus, nec ad aliena se extendit cor nostrum; non repugnauit vocationi tuæ sanctæ, & non recessimus à te, nec à via tua; postquam nostras declinasti semitas, nàm delicati ad te peruenire non poteramus; ad quem non nisi cum labore perueniri potest. Tu enim via nostra, qui vt patereris venisti, sed etiam vt glorificareris, contemni voluisti: mori, sed vt resurgeres; video laborem, considero mercedem; ideò contemno

con-

contemptibilia, & huius mundi caduca, & laborem subeo; vt ad æterna perueniam, vbi non est labor, sed gloria. Declinasti vias nostras à via tua; quia & si patiamur tribulationes, angustiemur à malis, & bona nostra huius sæculi amiserimus; non tamen nos dimisit Deus in via ista arcta, qua itur ad sempiternã, Venerũt tribulationes, nec te derelinquere voluimus; non retrò recessit cor nostrũ.

Declinasti semitas nostras à via tua; Quoniam humiliasti nos in loco infirmitatis, vt exaltes nos in loco fortitudinis. Declinasti nos in loco afflictionis, & cooperuit nos vmbra mortis; Quotidie enim morimur, quotidie affligimur, & propterea tota die mortificamur; sed cæci viuimus; in vmbra mortis sumus, vt mortẽ animæ, & corporis euitemus; si enim tanta patimur in hac vmbra, quid erit in altera non ficta, sed vera, non vmbra, sed realis, & certa, atque perpetua? hæc transit velut vmbra, illa permanet in sæcula; in hac in oculis insipientium mori videmur, & ecce post vmbram istam mortis in pace sumus; Vitam patiuntur iniqui, post huius temporis lapsum, mortem; nos in hoc sæculo humiliati, vmbra circundat mortis, vt illam veram corporis, & animæ fugiamus in perpetuum. In regione vmbræ mortis habitantibus lux orta est nobis, Isai. 9. nu. 3. Tempus enim afflictionis nostræ, vmbræ transitus est, Sap. 2. nu. 5. Posuerunt me in lacu inferiori, & in tenebrosis, & in vmbra mortis; tanta erat afflictio, & tribulatio mea: & ego ad te Domine clamaui, & oratio mea peruenit ad te, Psal. 87. nu. 7. & 14. & deduxisti me in viam rectam, vt irem in Ciuitatem habitationis: sedentem in tenebris, & vmbra mortis; veniens, in mendicitate, & ferro liberabit me, Psal. 106. nu. 7. & 10. hæc enim mortalitas vmbra est mortis, vera mors est damnatio cum Diabolo, Chrysost. homil. 5. ad Pop. Calamitatum nomina philosophantibus sunt tantum nomina, vera autem calamitas est, Deum offendere. Ne pueri efficiamini fratres mei sensibus, sed malitia infantes sitis; etenim puerilem timemus pauorem, pueri autem parui laruas quidem timent, ignem verò non timent, sed si ad lucernam lumen habentẽ portari contingat, inconsideratè manum mittent lucernæ, & flammæ, & contemnendã quidem personam horrescunt, & verè timendum ignẽ non timent. Sic quidem, & nos timemus mortem, quæ est larua contemptu digna, peccatum verò non timemus, quod est verè timendum. Et hæc non ex rerum natura, sed ex ignorantia nobis accedere consueuerunt. Igitur mortem lugere omittens, luge peccata; vt ipsa dissoluas; propter hoc enim tristitia facta est, non vt in morte, vel in vlla alia re tali doleamus, sed vt ipsa ad dolenda vtamur peccata; hæc Chrysostom.

Sustine etiam tu anima tribulationes; sentias immissum, quia peccasti, dolorem, si vis inuenire apud Deum misericordiam, si vis obtinere de commissis veniam, Gregor. in 2. Moral. c. 16. Augustin. in Tract. 60. super Ioan. Vbi non est, inquit, dubium, sic hominis animum esse, quemadmodum & corporis membrũ disperatius ægrotare, quando doloris amiserit sensum, Greg. 7. Moral. cap. 8. super illo verbo Iob 6. nu. 9. & qui cœpit, ipse me conterat, soluat manum suam, & succidat me, inquit. Sæpe namque fiducia longæ prosperitatis inflati in quodam fastu elationis erigimur, cumq; nos extolli conditor conspicit, sed amorẽ suum erga nos per verba non exercet, quasi ad ferienda nostra vitia manum ligatam tenet. Non affectus manum ligauerat, cum peccanti populo dicebat, non irascar tibi; & zelus meus recessit à te, soluat ergo manum, idest exerceat affectũ, & succidat me. Cum ergo securos nos, ac de virtutum affluentia inflatos re-

repentinus, vel flagelli dolor, vel infirmitatis tentatio percutit, protinus à statu sui vertice mentis nostræ elatio succisa cadit, vt à semetipsa nihil audeat, sed infirmitatis suæ ictu prostrata manum leuantis quærat. Hinc Sancti plus prospera pertimescunt, & ideò tentari appetunt, flagellari concupiscunt, quatenus incautam mentem metus, & dolor erudiat; proba igitur me, & tenta me, dicit Psalm. 25. numer. 2. sustine ergo laborem cum patientia: nàm vt Exod. 13. num. 13. Primogenitum asini mutabis oue, quod si non redemeris, interficies; Quid enim per primogenitum asini, nisi quando in onus probationis, & tu posita fueris, quia Deus te visitauerit, patienter sustineas, fructuosè illum feras, Ambros. lib. 2. de Cain, & Abel; Si quis sensum spiritualis intelligentiæ altius considerabit, quòd asina laboriosum sit animal; Omnem ergo laborem tuum, omnem industriam puro, & simplici commendabis affectu; Mutabis ergo asini primogenitum in ouem, in simplicem amoris affectum erga Deum, vt & tu patienter tamquam ille, qui sicut ouis ad occisionem ductus est, nec aperuit os Isai. cap. 51. Tribulationes, & persecutiones feras patienter, & sine murmuratione, Dominus enim dat, Dominus aufert, Iob 1. num. 21. Dominus dedit, Diabolus abstulit, non gaudeat inimicus, inquit Augustin. agnosco eius voluntatem, potestatem autem non nisi à Deo habet, quemadmodum potestatem iactanti respondit; Non haberes in me potestatem, nisi tibi datum esset desuper, Ioan. 19. num. 11. & 2. Reg. 16. num. 10. Dicebat Dauid, dimittite eum, vt maledicat, Dominus enim præcepit ei, vt malediceret Dauid, Semei autem maledicebat Dauidi, & mittebat lapides in illum, & Isai. 45. n. 7. Ego Dominus, & non est alter, formans lucem, & creans tenebras, faciens pacem, & creans malum; Ego Dominus faciens omnia hæc. Et Ioseph fratribus, non vestro consilio, sed Dei voluntate hìc missus sum; qui fecit me quasi Patrem Pharaonis, & Dominũ vniuersæ domus eius. Ideò flagella nobis dat Dominus, vt oculi nostri aperiantur, vt intellectus sit nobis, quia via arcta est, quæ nos ducit ad vitam, Greg. lib. 6. Moral. c. 6. Flagella, inquit, oculos mentis aperiunt, quos inter vitia securitas prosperitatis excæcabat; torpens quippè animus percussione tangitur, vt excitetur, quatenus qui statum rectitudinis perdidit, afflictus consideret quo iacet. Hinc itaque ipsa vesperitatis correctio origo fit luminis.

Si obliti sumus, inquit Psal. Dei nostri, si expandimus manus nostras ad Deum alienum, nomen Domini turris fortissima, ad ipsum currit iustus, & exaltabitur, Prouerb. 18. n. 10. Humiliasti nos in loco afflictionis, in regione infidelium, vbi capti reperimur, in loco draconum, & bestiarum, quia sunt crudeles, & sæui, in loco afflictionis, in quo calamitas acerbissima, & vmbra est mortis, quia morti tradimur omni tempore. Si tui Domine nominis obliti sumus, si Idola Gentilium adorauimus, manus nostras eleuantes, quæ sic eleuatæ signum sunt adorationis, & illud Idolis dedicauerimus; nonnè tu Domine requires ista, cui abscõdita cordis sunt nota? Tu vides Domine, quia nõ sumus obliti tui, neque iniquè egimus, derelinquentes mandata tua; propter te sustinentes, & nomen tuum cõfitentes. Propterea tota die morti tradimur; & tamquam oues ad occisionem tradimur, quia pro te mori non recusamus, quare obdormis Domine? obliuisceris tribulationis nostræ, inopiæ nostræ. Exurge Domine, & ne repellas in finẽ, ne patiaris, toto tempore vitæ nostræ, tribulationibus istis cruciari, & mori. Ipse Domine Iesu abscondita cordis nostri cognoscis; sed si ipse Dominus

no-

nouit, quare requirit? tu nosti Domine, quid aliud requiris à me? Nouit, inquit Augustin. in se, requirit propter te, opus suum tibi dicit, non cognitionē suam: Quando Deus cognoscentes facit, tunc dicitur Deus cognoscere; lætus est dies, quando serenus est, nunquid ipsa dies gaudet? sed gaudentem dicimus, quia gaudentes facit, sic triste Cælum dicimus; non est vllus talis sensus in nubibus, sed quia homines huiusmodi videntes faciem Cæli contristantur, triste dicitur, eò quod tristes facit. Exemplum est in Genes. 22. nu. 12. Nunc cognoui, quòd times Deum, & non pepercisti Vnigenito filio tuo propter me; sed nunquid Deus non prius Abraham cognouit, sed ipse Abraham se non cognouit, quia ipsa tentatione ipse sibi innotuit, ità Petrus, Matth. 26. Nunquid nouerat se, quādo dixit Iesu Christo: tecum sum vsque ad mortem. Iesus nouerat, vena inspecta, quod intus ageretur in ægroto, ægrotus non nouerat, venit accessio tentationis, & probauit Medicus sententiam suam, perdidit æger præsumptionē suam, sic ergo, & nouit Deus, & requirit; nouit quomodò ipse requirit? propter te, vt tu inuenias te, & gratias agas ei, qui fecit te, hæc Augustin. Mortificatur homo, & nescis; quare mortificetur, Deus nouit hoc, res in occulto est, & illud Deus cognoscit, quoniam propter te mortificamur tota die, æstimati sumus, sicut oues occisionis. Gaude ergo, & lætare dilecte Dei, qui in hoc mundo multa propter amorem Dei, & quia diligis eum, iniustè pateris ab iniquis, hæc enim requirit à te Dominus, vt scias, quia ab illo propterea dilectus sis; propterea hæc in te intulit tribulationes, & martyria, vt in Cælo scias, quia æterna coronaberis gloria. Non ignorat Dominus hominum secreta cordium, homines verò patientes nesciunt, an sint apud Deum accepti, nisi quatenus, quia diligunt Deum, & propter eum, quem confitentur verum Redemptorem, martyrio digni facti sunt, hanc enim requirit dilectionis probationem, vt & tu vir Dei scias tuam electionem. Fugias ergo tu peccata, si non vis, quod Deus in te requirat illa; nouit enim Deus eò modo, quo requirit, non propter se, sed propter te, quando aduersa dat, vt tu te inuenias, vt peccatum per tribulationes cognoscendo, Deo gratias agas, illas patienter sustinendo, Prouerb. 18. quia humiliatur prius quis pœnitens, antequā glorificetur. Non ergo te iuuat celare peccata tua, quia nouit Deus, & abscondita tua, qui enim abscōdit scelera sua, nō dirigetur, Prouerb. 18. qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur, ibidem.

Sed cur gratias agamus de tribulationibus, & mortibus? quia per illas Dominus à te expellit peccatum, venit & ipse glorificandus. Ab illo migrat, qui peccatum fecerit, ex homine in bestiam transiens; Pascebat ille porcos, & de siliquis comedebat, Luc. 15. & in se reuersus, Reuertar, inquit, in domum Patris mei, à qua per peccatum recesserat, Chrysol. Serm. 5. Cum in se esset, non erat secum; Cum Dæmone ergo erat ille, à quo, Dæmone expulso, à Domino fuit ille missus in domum suam, Matth. c. 9. post tribulationes in se reuersus, ad contemplandum Creatorem, vt rediret, Gregor. 8. Moral. cap. 11. Non dominentur ergo in te nationes, hoc est sensualitatum tuarum appetitus; allide Primogenita Ægypti, & semen Babylonis ad petram, Psalm. 136. nu. 9. Beatus, inquit, qui tenebit, & allidet paruulos suos ad petram, hoc est, prauas suas cogitationes ad petram. Qui desideria, & carnis concupiscentias, infirmitates hominum nascentes, statim antequam crescant, in ipso natiuitatis exordio, per fidem Christi, qui petra dictus est, 1. Corinth. 10. nu. 4. necauerit, is ad petram allidit paruulos

ſuos, Nazianz. Orat.49. Ambroſ.2. de Pœniten.c.11.S.Hieron. ad Euſtoch. Beatus, inquit, qui cum cœperit cogitare, ſtatim allidit paruulos ſuos ad petram, dũ paruulus eſt hoſtis, interfice, vt illius nequitia elidatur in ſemine; Hinc Sponſus in Cantic.2.nu.15. Capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur Vineas, nàm Vinea noſtra floruit. Qui ſpernit modica, paulatim decidet, Eccleſ.19.num.1. Noſcit ergo Dominus cordis abſcondita, quatenus tu prius ad petram non alliſeris ea; Neque permittas incipere, ſi vt deſinat, vis obtinere; facilius enim excluditur, quàm admittitur hoſpes. Vndè Bernard. in illud Iob 5. In ſex tribulationibus liberabit te, num.19. & in ſeptima non tanget te malum, peccatum in foribus eſt, niſi ipſè aperias, non intrabit; appetitus in corde præerit, ſed ſub te eſt, niſi ſpontè ceſſeris, nihil nocebit; qui ergo nouit abſcondita cordis, niſi tu repuleris mala illius, ille requiret iſta omnia, & mittet flagella, vt noſcens teipſum, obtineas confitendo veniam de illis.

Quoniam propter te mortificamur tota die: æſtimati ſumus, ſicut oues occiſionis. Cur dicit, propter te mortificamur tota die, & non dicit propter me, propter peccata mea? Cur tota die, & non tota etiam nocte? Non morimur in nocte, qui propter Deum mortificamur tota die. Mortificamur autẽ dicit tota die, quia ſemper viuemus in alio ſæculo, vbi ſemper eſt lux ſine nocte, Iſai.60.n.19. Non erit ibi amplius Sol ad lucendũ per diem, neque Lunæ ſplendor illuminabit te: ſed erit tibi Dominus in lucem ſempiternã, & Deus tuus in gloriam tuã; Non occidet vltrà Sol tuus, & Luna tua non minuetur; quia erit tibi Dominus in lucem ſempiternam, & complebuntur dies luctus tui, Apocal.21.nu.23. Paul. 2. Corinth.4.nu.6. Quoniam Deus, qui dixit de tenebris lucem ſplendeſcere, ipſe illuxit in cordibus noſtris ad illuminationẽ ſcientię claritatis Dei in facie Chriſti Ieſu, & nu.10. ſemper mortificationẽ Ieſu in corpore noſtro circumferentes, vt & vita Ieſu manifeſtetur in corporibus noſtris; ſemper enim nos, qui viuimus, in mortem tradimur propter Ieſum, vt & vita Ieſu manifeſtetur in carne noſtra mortali. Vis ergo ſcire, quare dicat, mortificamur propter te tota die? Vide Paul. 1. Corinth.13. per totum; Enimuerò ſi propter peccata tua patiaris, & charitatẽ non habueris, nihil tibi prodeſt. Nihil mihi conſcius ſum, dicebat Paul. ſed non in hoc iuſtificatus ſũ, c.4. 1. Corinth. Plangis peccata tua, quia te alienaſti à Dei gloria; mortificaris tota die propter Deum, ideſt propter amorẽ Dei; quia ſine illo nihil tibi prodeſſet ipſa Chriſti redemptio: Mors erit dicẽda potius pro me, quoties nõ erit mortificatio mea pro te Domine, ſed propter inanẽ gloriam, aut quid ſimile. Propter te mortificamur tota die, tota die, inquit, quia tu lux noſtra, nunquã dimiſiſti nos in tribulatione, ideò mortificamur, donec perueniamus ad te.

Exurge, quare obdormis Domine? exurge, & ne repellas in finẽ. Quomodò dicis, Deum dormire, qui ſemper vigilat, & eſt vbique? Tu dormis, qui Dominũ dormire putas. Obliuioni videbatur datus Dominus à corde, Pſalm.30. quando manſit tribus diebus in corde terræ; Vndè Diſcipulis mulieres nunciãtibus, quia lapis erat reuolutus, & in ſepulchro non inuenerunt corpus Ieſu, & etiam quia duo viri in veſtibus albis aſtiterant mulieribus, corpus Ieſu quærentibus; Quid quæritis, inquiunt illi duo, viuentẽ cum miraris? non eſt hic, ſed reſurrexit, viſa ſunt ante Apoſtolos, ſicut deliramentum, Luc.24.num.11. ſicut & duobus alijs Diſcipulis, oculi tenebantur, ne Ieſum agnoſcerent, exurge ſic, inquit Pſalmiſta, à mortuis viuens, qui pro ſalute mortuus eras, vt ſaluares; exurge

Ieſu

Iesu à mortuis, vt Iudæorum, & Gentilium, qui te non nouerunt, oculi aperiantur, & videant, quòd à mortuis resurrexisti, & quòd es filius Dei viui. In Ecclesiæ nauicula positi Apostoli, Luc.cap.8.num.23. excitant cum Propheta Dauid, & alijs Patribus te dormientem, vt surgas à mortuis; nàm procella venti descenderat in stagnum, & periclitabantur, Præceptor, clamant surge à mortuis, iàm tertia est dies, sicut dixisti, perimus; Iudæi, qui credituri in te sunt, deficiunt, titubant, periclitantur: exurge, quare obdormis Domine, exurge, & ne repellas in finem; nec expectes illorum perditionem, qui in te iàm credituri sunt. Quòd Propheta de resurrectione Christi loquatur, non videtur dubitandum, & sequens versiculus istud apertè declarat, dum dicit.

Exurge Domine, adiuua nos; & redime nos propter nomen tuum, Augustin. hìc. Nonnè magis videtur ille dormire, qui talia loquitur, balare, & vlulare? Respondet ille, Scio quia non dormit, qui custodit Israel, Psalm. 120. num.15. Martyres tamen clamant, exurge, quare obdormis Domine? ò Domine Iesu occisus es, dormisti in passione, cum nobis resurrexisti: sed gentes, quæ nos persequuntur, putant te mortuum, resurrexisse non credunt; exurge ergo & illis, quare illis obdormis? exurge, vt intelligant, te illis etiam resurrexisse, & quiescant. Denique factum est, dum moriuntur Martyres, & ità dicunt; & dormiunt, & excitant Christum verè mortuum dormitationibus eorum. Surrexit Christus quodammodò in gentibus, idest creditus est resurrexisse; ità paulatim, & ipsi credendo conuersi sunt ad Christum, & fecerunt numerum magnum; & cessauerunt persecutiones; dormiebat enim Christus gentibus, quia illi non crediderunt: hæc Augustin. Exurge Domine, vt isti cognoscant te, & sic non multiplicabuntur amplius persecutiones Ecclesiæ tuæ; Cur ergo differtur resurrectio tua, & illis obdormis non credentibus? Mentes illorum visita, vt fidem tuam congrua deuotione suscipiant, & ità cessabit persecutio.

Quare faciem tuam auertis: obliuisceris inopiæ nostræ, & tribulationis nostræ? Quid turbaris Dauid, quid doles? Nonnè dixi Moysi, quia faciem meam non videbit, sed posteriora mea? Exod.cap.33.num.23. & Genes.c.16. num.13. profectò hìc vide posteriora videntis me; erat enim puteus, vbi vidit posteriora videntis; qui propterea vocatus est puteus viuentis, & videntis me. Puteus altus est, & si non habes, vndè haurire possis aquam, ex illa non bibes, Isai.cap.4.num.11. Posteriora videntis vident, qui vestigia sequuntur eius, qui venit in mundum, Ioan.cap.1. & passus est multa, & crucifixus, & mortuus, vt tu via illa resurgas. Et quomodò dicis, quòd tui oblitus sum, si posteriora mea tu vides, si posteriora mea & tu sequeris? nonnè si posteriora mea vides, & me vides? nonnè tecum me dixi esse in tribulationibus tuis? nonnè ostendi tibi, quanta pro nomine meo passurus sis? Act.cap.9.numer.6. Vas electionis erat ille, nomen Domini coram Gentibus, & Regibus, & filijs Israel vt portaret deputatus, & qualem illi exhibet mercedem Deus? Ego ostendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati. Et tu, qui Discipulus etiam eius es, quia pro gloria Domini martyria, & afflictiones pateris; nunquid maior es Paulo, qui talia, & tanta passus est; vt vix tormentorum genera, & afflictionum enumerari possint? vide quoniam puteus altus est, & quis eius est consiliarius? nunquid irritum facies iudicium meum, & condemnabis me, vt

tu iustificeris? Iob cap. 48. nu. 3. Sap. 12. num. 12. Quis stabit contrà iudicium Domini, aut quis in conspectu eius veniet vindex iniquorum hominum?

Sustinete Martyres Dei adhuc modicum, quia merces vestra magna est apud Deum, qui in igne probat vos, Sap. dicto cap. 3. aurum vt remaneat purum, paleaq. sit cinis. Non conqueruntur iusti, & Sancti Martyres, vt martyrio repugnent, sed pro auxilio instant, vt in illis non deficiant. Sustinent Martyres opprobria hominum, & illusiones, quia sponte, & amore Dei illis se subiecerunt; illos tamen charitas impulit, vt salus Gentilium, & infidelium dilataretur, quorum oculi sunt adhuc obcæcati, nec conuertuntur ad Dominum. Sanguine suo Ecclesiam plantabunt, Fructus illorum perditus in terra videbatur illis; exurge Domine, ne obliuiscaris populi tui, ignosce illis, illumina corda illorum, vt te credant Deum verum, & viuum. Sustinete Sancti Dei, quia ecce Deus noster, quem expectatis, saluabit vos: iste Dominus; si sustinebitis, exultabitis, & lætabimini in salutari eius, quia requiescet manus Domini in monte isto, in Ecclesia ista sua sancta, & triturabitur Moab sub eo, sicuti teruntur paleæ in plaustro, Isai. 25. num. 9. & sequen.

Quare faciem tuam auertis; obliuisceris inopiæ nostræ, & tribulationis nostræ? Quare orationem nostram non audis, quia faciem tuam auertis, erubescentes nos dimittis; quia dicunt inimici nostri, qui in tribulationibus nos vident; vbi est Deus eorum? Psalm. 113. num. 1. Ideò faciem suam Deus à nobis tribulantibus auertit, vt post posteriora sua abeamus; vt Crucem portantes sequamur vestigia eius. Et nihilominus, etsi per faciem misericordia Dei, & per tergum iustitia eius; non est tamen iustitia eius sine misericordia; non enim sunt condignæ passiones huius mundi ad futuram gloriam, ad Roman. cap. 8. numer. 18. In Deo ergo sit fiducia nostra, 2. Corinth. 1. num. 9. sed ipsi in nobilmetipsis responsum mortis habuimus, vt non simus fidentes in nobis, sed in Deo, qui suscitat mortuos, qui de tantis periculis nos eripuit, & eruit, in quem speramus, quoniam & adhuc eripiet.

Pauperes enim voluntarij, qui inopia affliguntur, & tribulationibus implentur, durant tamen in illis, & quasi à Deo incogniti sic dimittuntur, vt crucientur, quare, inquiunt, obliuiscendo auertis etiam faciem tuam à nobis? Inuocant Deum, ergo illum cognoscunt; tribulantes clamant, ergo in tribulatione propter Deum permanent. Ad confusionem meam hæc scripta sunt, qui cognosco Deum, & ab illo cognitus sum; cognosco enim Deum, quia confiteor, me ab illo creatum, ab illo sanguine suo redemptum; seruo illi fidem, quamuis me confitear peccatorem, seruio illi toto corde meo, sed in hoc iustificatum me esse non assero. Cognoscit me Deus, quia hæc mihi dona dedit, qui etiam fidei gratia me insigniuit: donum Dei enim est fides; multis bonis etiam temporalibus me ditauit; & quid magnum facio: quatenus tot, & tantaq. bona ab illo recipio? Pauperes voluntate quomodò Deo seruiant, video: afflictiones, & tribulationes sustinentes considerò; in afflictionibus, & mortibus Deum inuocantes illos respicio: & vt magis patiantur quasi à Deo obliti clamantes audio. O me miserum, cur semper flens, & orans, & Deo gratias agens flexis genibus, magnalia Dei non considero: de beneficijs acceptis memor, quasi immemor, omnia mihi data non illi ex corde offero, & dedico; non suppliciter oro, vt me vnum ex supradictis Martyribus, & Sanctis in regno efficiat?

illi Sancti tui à te non cogniti, quia eos, vt magis probarentur, reliquisti: Populus, quem non cognouisti, seruiuit tibi, in auditu auris obediuit tibi, Psal.17. numer.45. & ego à te cognitus, & qui te cognosco, quomodò in delitijs, quas dedisti mihi, saluus ero: sub tuo capite spinoso, qui non in perturbationibus corporis milito, sicut illi, quomodò miles tuus dignus ero? deficiunt Domine corporis afflictiones, quia Ecclesia tua tranquilla pace lętatur; & ego in illa indignus sto; tu scis tamen Domine, quia amo te, & te adiuuante, animam ponere paratus sto. Adauge interim fidem: adiuua meam incredulitatem, ignem tui amoris in animam accende; vt igne illo flagrans, per vias tuas dignè ambulans, perueniam ad te: adhærat anima mea post te, Psalm.62.num.9. subiecta esto Deo anima mea, Psalm.61.num.6. quoniam ab ipso patientia mea; inflammatum est cor meum, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum, Psalm.76.nu.21. & 26. Quoniam humiliata est in puluere anima nostra, dicunt illi Sancti martyres tui; qui inter infideles, & iniquos illos habitantes, & ab illis, qui nihil aliud quàm puluis sunt, cruciantur, affliguntur, Psalm.1.num.5. non sic impij, non sic, sed tamquam puluis, quem projicit ventus à facie terræ.

Humiliata est in terra anima nostra; nec illis sufficiens fuit talis ad terram nostra humiliatio: nàm & in terra adhæsit venter noster.

Quid dicis, ò Dauid sancte: nunquid si sancti sunt, venter eorum in terra adhæsit, si terræ adhærent, quomodò Sancti? qui enim diligit, & charitate ardet, dicetur rectè Deo adhærere, d.Psalm.62.num.9. quia bonum est adhærere Deo, Psalm.72.num.28. & ponere in Deo spem suam: si adhærebis terræ, consentire videris his, quæ sunt terræ, an ignoras, quia amaricabitur venter eius, si terrena comederit? facit quod Apost. Ioan. in sua Apocal. cap.10. numer.9. cum sequen. Accepi, inquit, librum de manu Angeli, & deuoraui illum, & erat in ore meo tamquam mel dulce; & cum deuorassem eum, amaricatus est venter meus. Quid est hoc, inquit Augustin. nisi quia præcepta summa, quæ accipiunt spirituales, non accipiunt carnales; & de quibus gaudent spiritales, contristantur carnales? liber iste fratres, quid habet? Vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, Matth.cap.19. quàm dulcis in ore Ecclesiæ? ab omnibus spiritalibus factum est. At verò carnali cuicunque si dixeris, fac hoc, facilius à te recedit, sicut ille diues à Domino; quare recessit & tristis nisi quia liber ille dulcis est in ore, & in ventre amarus? hæc Augustin.

Humiliata est in puluere anima nostra; & ecce contrarius effectus; nàm conglutinatus est in terra venter noster; qui enim se humiliat exaltatur, ad Philip. cap.2. Iesus enim exaltatus est, quia se humiliauit; hic autem vsque in puluerem humiliatur: & conglutinatus est in terra venter eius; non enim adhuc illũ resurrexisse credebant illi, de quibus loquebatur, proptereà tristes retrorsum abierũt, & in terram conglutinati sunt; nunc verò Domine Iesu omnes gentes te verum filium Dei credunt, te resurrexisse confitentur, eruti ideò sunt de terra, qui hæserant in terra; corpori tuo Iesu Christe redditi sunt, quamuis infirmi, & imperfecti; illorum tamen imperfectum viderunt oculi tui, Psalm.138. num.16. & in libro tuo omnes scribentur. Exurge Domine, adiuua nos, & redime nos propter nomen tuum, quia tu dignatus es redimere, & facere. Non quia ego dignus sum, cui facias: non stes Domine Iesu in iudicium cum seruis tuis, sed dum in

hac

hac vita mortali, & tribulationibus plena versamur, exurgat tua misericordia, vt in opere bono, te adiuuante confirmati, numquam obliuiscentes tui, & præcepta tua seruantes, non retrocedat cor nostrum à tui dilectione; sit propterea mortificatio nostra propter te tota die, quatenus tu exurgens adiuues me: Propter nomen tuum Domine viuifica me: & ab alienis parce seruo tuo; vt non præualeant aduersus me.

SOLILOQVIVM.

PROPTER hoc venisti Domine, vt manu tua inimicos meos dispergeres, & expelleres, vt me in Ciuitatem tuam munitam reduceres; non gladio suo Patres nostri possederunt terram; hæc enim in figura contingebant illis, vt scirent, quia in brachio tuo, in illuminatione vultus tui gens redempta, & in fide illuminata in ciuitatem tuam lacte, & mele manantem deducenda erat à te, qui rex, & Deus noster es, & Saluator; in cuius nomine, & signo Dæmones, & inimicos nostros fugamus. Non à nobis est ista salus; sed tu Domine es, qui saluas nos ab affligentibus; & odientes nos confundis. Ideò in te sit semper laus nostra, confiteamur nomini tuo in sæculum; quia tu es Deus, dux noster, & salus nostra es tu, magnitudo doni tui, & redemptionis nostræ extollat nos, vt ne à via tua declinemus. Quamuis nunc afflictionibus, & confusionibus repleamur; & si nos dereliquisse videaris, & post inimicos nostros retrò nos auertisse, qui etiam bona nostra diripiebant sibi; & tãquam oues, quæ ad occisionem adducuntur, illis nos tradidisti; opprobriumq. illis, & vicinis nostris fuerimus & in derisum, & in prouerbium: itàvt propterea verecundia mea continuò esset contrà me, atque confusio ob illorum iniquorum exprobrantium voces: non tamen Domine obliti sumus te: sed mandata tua custodiuimus; non recessit retrò cor nostrum, quia tu Domine declinasti semitas nostras ad viam tuam, vt humiliaremur, & in vmbra mortis, non tamen mortui affligéremur, nominis tui obliti non sumus, manusq. nostras ad Deos alienos minimè expandimus.

Tu verò Domine considera, quia caro sumus; exurge, nec repellas in finem, idest in æternum. Iram pone, cum & nos fideles tuos esse vides. Quare faciẽ tuam auertis à nobis, & nostri non recordaris, quos in inopia reliquisti, & in tribulatione iàm quasi puluis effecti ità humiliamur, vt terræ caro nostra, & vẽter adhęreat. Exurgens adiuua nos, & redime nos propter nomen tuũ, vt in nomine tuo collecti, à tuis laudibus numquam cessantes glorificemus te Deum Patrem, & te vnicum filium eius vnigenitum, Spiritumq. sanctum tuum, qui ab vtroque procedit. Cui honor, & gloria, in sæculorum sæcula, Amen. Credamus & nos cum duabus sororibus Magdalena, & Martha, quia tu es, qui missus à Patre venisti in mundum, multa à Iudæis mala passus es, crucifixus, & mortuus; vt & nos tecum surgamus à mortuis, vt & nos viuificares, nos verò exurgeremus à peccatis, vt tecum viuamus in Regno tuo, qui cum Patre, & Spiritu sancto viuis, & regnas in sæcula sæculorum. Amen.



IN

IN PSALMVM XLIV.

Eructauit cor meum verbum bonum: dico ego opera mea regi: Lingua mea calamus scribe: velociter scribentis.



ITVLVS Psalmi est: In finem. Pro ijs, qui commutabuntur, filijs Core, ad intellectum, Canticum pro dilecto.

Continuatur ad præcedentem Psalmum.

Supra conquerebantur Iusti, quia tribulabantur: cum à Patribus audierint, magnalia iustis suis Dominum fecisse, & in terram alienorum illos constituisse; figura nostri temporis, quia si fideles per multas in tempore præsenti tribulationes transiremus, ad regna cælestia perueniremus. Verùm quia virtutes Christi venturi nondum notificauerat, & potentiam illius, quò facilius tribulationes pro illius nomine sustineremus. In hoc præsenti Psalmo Dauid cecinit canticum pro ipso, quem dilectum nuncupat, idq. pro his, qui ab Idolis ad fidem commutabuntur, filijs Core, filijs Adæ, filijs Gentium, ad intellectũ, vt libentius sustineant persecutiones; vt nossent, quis sit ille filius Dei, dum ait; Eructauit cor meum verbum bonum: dico ego opera mea Regi: speciosus forma præ filijs hominum. Nec mireris, nàm si superiora considerabis, non statim Patres nostri ad terram illam lacte manantem peruenerunt, sed post illorum Ægyptiacam multorum annorum seruitutem, post quadraginta annorum spacium itineris in deserto, post tot illorum incommoda, & tribulationes deuenerunt. Peruenerunt illi ad temporalia bona gaudentes; & nos post præsentis temporis calamitosas ærumnas, si fortiter, & pro Dei amore illas sustinebimus, ad æterna gaudia, ad lucem perpetuam, quam inhabitat Deus, ad vitam æternam, vbi nec mors, nec vllus dolor inuenitur, perueniemus. Filius Dei in nube illis ductor fuit, & in columna ignis de nocte; Filius Dei idem Iesus nobis non in nube, nec in columna ignis, sed in carne nostra visibiliter, cum hominibus conuersatus dux noster, Saluator noster, Rex noster fuit; ibi in nube, hìc in veritate; figura illa fuit, hìc verò figurati manifestatio.

Iste titulus habet varios intellectus, omnes tamen concordant, quòd de laudibus sit Messiæ, quod facilius demonstrari posse videtur, si qui sint filij Core, declaretur; nàm Core terra deglutiuit tempore Moysis cum alijs, Num. c.16. filij ergo isti sunt ex peccatoribus, qui, veniente Domino Iesu, commoti sunt, iuxtà illud Aggæ.2.nu.2. & ego commouebo Cælum & terram, &c. & veniet desideratus cunctis gentibus, & implebo gloria magna domum istam nouissimam plus quàm primam, dicit Dominus exercituum, vt suprà nu.10. Aggæ. Propterea dicit Dauid: In finem, pro ijs, qui commutabuntur. Nouissima enim est Ecclesia, quia non erit amplius alia domus Dei in terris nisi ista, quo circà in finem dicit, nàm Ierem.cap.30.num.18. Et ædificabitur ciuitas in excelso suo, & Templum iuxtà ordinem suum fundabitur, & egredietur de eis laus, voxq. ludentium: & multiplicabo eos, & non minuentur, & glorificabo eos, & non attenuabuntur, & num.21. & erit dux eius ex eo; & Princeps de

de medio eius producetur, & applicabo eum, & accedet ad me; quis enim iste est, qui applicet cor suum, & appropinquet mihi, dicit Dominus? & num.22. in nouissimo dierum intelligetis ea, & eritis mihi in populum, & ego ero vobis in Deum. Ergo per hæc, pro ijs, qui commutabuntur ad intellectum, significantur confitentes Dominum Iesum Christum, & de peccatis suis pœnitentiam agentes, quibus non imputabit Dominus peccatum. Ad intellectum, dicit, quem dabit illi Dominus, & instruet illos in via, qua gradituri erunt, Psalm.31.nu.8. Via enim est ipse Christus, nàm ipse dixit; ego sum Via, Veritas, & Vita: commutabuntur enim ad intellectum consentientes vocationi Dei, qui semper pulsando ad cor, quærit salutem nostram.

In finem pro his, qui commutabuntur, filijs Core, ad intellectum. Ad intelligentiam scripturarum, quæ de aduentu Messiæ loquuntur, nàm ex illarum scrutatione Messiam aduenisse cognoscent. Tunc canticum pro dilecto, sic enim à Patre nuncupatus, hic est filius meus dilectus, ipsum audite. Pro ijs dixit, quia non omnibus datum est nosse Regnum Dei: multi enim sunt vocati, pauci verò electi, ideò pro ijs, qui commutabuntur ad intellectum. Sed ad quid pro ijs? vt Canticum dilecto cantent, inuitantur, ideò egredietur de eis laus, dicit Ierem. vt suprà, Cantate Domino canticum nouum, quia laus eius erit in Ecclesia sanctorum; Psalm. iste est finis, de quo Daniel cap.8.num.17. intellige fili hominis, quia in tempore finis complebitur visio; & est finis, qui finem dabit peccato, Daniel cap.9.nu.24. & est finis, de quo Paul. ad Rom. cap. 10. num. 6. finis enim legis Christus ad iustitiam omni credenti; In finem ergò, idest in Christum Canticum docet Dauid pro ijs, qui in illum commutabuntur ad intellectum, vt cantent laudem dilecto, idest Christo.

Sed quam laudem, quod Canticum dilecto? Audi, Eructauit cor meum verbum bonum: dico opera mea regi; Quasi dicat, iuxtà me est sermo valdè in ore meo, vt faciam illum, Deut.cap.30.numer.14. quod Paul. declarat ad Rom. d.cap.10.nu.8. Propè est verbum in ore tuo, & in corde tuo: hoc est verbum fidei, quod prædicamus, quia si confitearis in ore tuo Dominum Iesum Christum, & in corde tuo credideris, quod Deus illum suscitauit à mortuis, saluus eris. Propterea dicit Propheta: Eructauit cor meum verbum, non spontè, sed Spiritu sancto impellente, ructus enim non spontè fit, eructauit ergo non totum, quia, quod maius erat repletionis, remansit; quæ enim Prophetæ vident, non omnia scire sinunt, Isai.cap.24. secretum meum mihi; vt & in hoc Psalmo laudes dilecti non posuit omnes, & Psalm.118. num.171. Eructabunt labia hymnum, Paratum erat cor suum, ideò eructauit, hinc Psalm.56. Paratum cor meum Deus, paratum cor meum cantabo, & psalmum dicam Domino, Psalm.56.num.10. Dico opera mea Regi, & quod corde credidit, etiam ore confiteri non erubescit, dicens; Lingua mea calamus scribę velociter scribentis; Corde autem creditur ad iustitiam, ore autem fit confessio ad salutem. Sed quã confessionem te facere iactas, ò Dauid de dilecto? Quis est iste dilectus? Audi, Speciosus forma præ filijs hominum, diffusa est gratia in labijs tuis; propterea benedixit te Deus in æternum. Pro dilecto est Canticum, & iste dilectus est forma speciosus præ filijs hominum; ergo iste dilectus est homo, & si præ filijs hominum speciosus, ergo vltrà humanitatem erit aliquid amplius in eo: cum etiam diffusa sit gratia in labijs suis; propterea benedixit eum Deus in æter-

æternum; Diffusa est gratia, quæ in illo erat naturalis, non acquisita, vndè Ioan.7.n.47. Nunquam sic locutus est homo, sicut hic homo: numquam sic locutus est homo alius, vt ad eius loquelam mortui resurgant, maria obediant, & venti, Eccles.cap.43.num.21. In sermone eius siluit ventus, & cogitatione sua placauit abyssum.

Dicit ergo opera sua Regi, quia lingua sua calamus scripsit, laudesq. eius, prius in corde suo existentes eructauit: verbum sanè bonum, quia laudes Domini. Quarè speciosus forma? quia filius Dei est, quia propter misericordiam suam homines perditos saluauit, hinc Eccles.cap.35.nu.26. Speciosa misericordia Dei in tempore tribulationis, quia misit de Cælo misericordiam suam, & eripuit animam meam de medio catulorum leonum, Psalm.56.num.4. quia anticipauerunt nos citò misericordiæ eius, Psalm.78.nu.8. Postquam igitur cor Dauid, inspirante Spiritu sancto, eructauit verbum bonum, volens illud scriptis demandare, librum, seù Psalmum Regi dedicat, inquiens, dico, idest dedico opera mea Regi, qui est dilectus à Deo Patre. Non ergo de ipso Dauide loquitur, sed de Rege Christo linguam autem suam Dauid excitat; vt illud foris exprimat ad effectum scribendi, dicens, lingua mea calamus scribæ velociter scribentis: Velociter dixit, quia negotium erat de grauioribus, nempè de aduentu filij Dei in mundum, & de eius laudibus; cum sit ipse misericors Dominus & iustus, velociter enim currit sermo eius, Psalm.147.num.16. & tu velociter accipe illum, nec ad alios transire permittas, te illius experte. Vocat te Deus in corde tuo, assentias illi velociter, & audias: firmitatis enim iudicium est, & quod fiat sermo Dei, & velocius audiatur, ità dicit in Genes.cap.41.num.32. nàm & ipse Deus etiam velociter te exaudiet, Psalm.142.n.7. & Psal. 101.n.3.

Speciosus, dicit, forma, ob id quod humanitatem assumpsit, cum Verbum Caro factum est: in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus est vt homo, & habitauit in nobis, præ filijs tamen hominum; quia is ità homo, vt & simul Deus erat, in quo nos non illi similes sumus; nàm quis similis Deo? Adam enim quasi vnus ex nobis, dixit Deus, quasi scilicet similis humanitati filij Dei, sed non similis filio Dei. Proptereà benedixit te Deus in æternum, quia speciosus forma præ filijs hominum, & diffusa est gratia in labijs tuis; propterea benedixit humanitatem tuam Deus in æternum. Vel iuxtà recentiorum interpretationem, propterea, idest quia benedixit te Deus in æternum, diffusa est in labijs gratia tuis, & speciosus es præ filijs hominum, eò modo, quo apud Isaiam dicitur, Isai.49.num.3. Seruus meus es tu Israel, quia in te gloriabor.

Accingere gladio tuo super fæmur tuum potentissimè. Gladius Dei est verbum, idest filius, ad Ephes.cap.6.nu.17. Et gladium spiritus, quod est verbum Dei, & Isai.cap.49.num.1. Dominus ab vtero vocauit me, recordatus est nominis mei, & posuit os meum quasi gladium acutum; & Ioan. Apocal. cap. 10. num.15. De ore eius procedit gladius. Accingere super fæmur ergo, hoc est, assume humanitatem ad Deum, vniens illam cum diuinitate, fæmur enim est caro, vndè in Genes.49.n.10. Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de fæmore eius. Assume, ait, carnem nostram ad Deum, specie tua, & pulchritudine tua, quia tu solus totus speciosus, & formosus, in te enim non est macula aliqua, immo es lux vera, quæ omnem hominem illuminas. Intende in adiutorium

populo

populo Dei; in manu enim tua Domine prosperitas hominis est, Eccles.cap.10. num.5. Prosperè intende: cum in te sit salus hominum,ò Domine benè prosperare, Psalm.117. num.25. benedictus,qui venit in nomine Domini, Isai.cap.55. num.11. sic erit verbum meum, quod egredietur de ore meo, non reuertetur ad me vacuum, sed faciet quæcumque volui, & prosperabitur in his, ad quæ misi illud. Intende igitur, quia prosperè euenient, ad quæ mittendus es; quo circà procede veniens à Patre,& regna,eijciendo Diabolum ex gentilitate, & ex mundo,& tibi dabitur omnis potestas in Cælo,& in terra. Vel intende prosperè, hoc est incũbe saluti humanitatis deperditæ,prosperè,idest cũ omni felicitate,& victoria,quam contrà Diabolum obtinebis,vt sit sermo ad humanitatẽ Christi.

Postquam laudes illius dixit animæ, & corpori, specie scilicet tua, & pulchritudine tua, intende, prosperè procede, & regna, & causam regnandi adducit, inquiens, propter veritatem, quià tu ipse es Via, Veritas, & Vita, Ioan.cap.14. num.6. & in alio loco, Ioan.cap.1.num.17. gratia, & veritas per Iesum, propter ergo veritatem, in veritate educis iudicium, in gentibusq. proferes & mansuetudinem, quia non clamabis, nec accipies personam, nec audietur vox tua foris; non eris tristis, neque turbulentus, donec ponas in terra iudicium, & legem tuam insulæ expectabunt, Isai.cap.42.nu.2. immo tamquam Agnus mansuetus, qui portatur ad victimam, non aperies os tuum, Ierem. cap.11.nu.19. Ego suscitaui eum ad iustitiam, dicit apud Isaiam Deus, & omnes viæ eius dirigam; Propterea sequitur Dauid dicens, Deducet te mirabiliter dextera tua,hoc est Diuinitas tua, dextera enim Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltauit me, dextera Domini fecit virtutem,non moriar sed viuam,& narrabo opera Domini; & in alio loco Psalm.97.nu.1. saluabit sibi dextera eius, & brachium sanctum eius. Prosperè ergo procede, quia veniens saluabis gentes, & regnabis super terram. Sta, dicet, Iesu fili Dei, cum tu sis mansuetus, & iustus; nàm quæ iustitia, vt Diabolus regnet in mundo, quem tu fabricasti, creasti; tui sunt Cæli, tua est terra, expellatur impius; Procedens homo participes nos facias tuæ Diuinitatis, & Diuinæ naturæ consortes. totus pulcher cum sis,nostras iniquitates speciositate, & æquitate tua dele, & humanitatem nostram propter peccatum tenebrosam, & maculatam effectam,claram redde,& lucidam, tua pulchritudine, tamquam niuem dealba. Intende propter veritatem tuam, quia promisisti Patribus,quòd ad saluandum genus humanum venires,iustum est,vt adimplear, quod promisisti; propter istam veritatem, quam nunquam irritam facis,& pro iustitia, quia sic promisisti, & propter mansuetudinem tuam, quia animatum corpus sumens, de Virgine nasci dignaberis, & pro nobis pati & mori, vt iustitiæ Dei satisfacias; intende ad preces supplicantium, & dicentium; Veni Domine, noli tardare, intende ad visitandas omnes gentes, Psalm.58. nu.6. & accelerando aduentum tuum in mundum,prosperè procede de thalamo Virginis Mariæ, tamquàm sponsus, & regna. Veni in mundum, vt relaxes facinora plebi tuæ, & tamquam agnus mansuetus, & si mortem suscipere decreueris, vt nos saluares, & deducet te mirabiliter dextera tua; teipsum suscitando, & mortem nostram moriens destruendo; tunc Princeps huius mundi Diabolus eijcietur foras à te; tunc regna, dicit Dauid, quia tibi dabitur omnis potestas in Cælo, & in terra; Prosperè igitur procede cum populo tuo electo, & regna super illum; Quomodò verò dextera sua deducat etiam alios, sequitur dicens.

Sagittæ

Sagittæ tuæ acutæ, populi sub te cadent in corda inimicorum regis, ad Hebr. cap. 4. numer. 12. Viuus est sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vsque ad diuisionem animæ, & corporis: vndè dicebatur, quòd audientes gentes gauisæ sunt, & glorificabant verbum Domini, & crediderunt quotquot erant prædestinati ad vitam æternam, Act. cap. 13. num. 49. sagittæ ergo Dei acutæ super prædestinatos populos, qui cadent sub te, genibus flexis, te Deum solum adorantes, & glorificantes vnà cum ipsorum Regibus, qui prius erant inimici tui, quia ipsi etiam ad te conuertentur.

Sedes tua Deus in sæculum sæculi, non ad tempus sicut illa Salomonis, & Dauid, & aliorum, sed perpetuò duratura; ex quo manifestè colligitur Prophetam de Messia Christo locutum in hoc Psalmo, cuius præparatio sedis iustitia est, & iudicium. Propterea dixit virgam huius Regni eius esse virgam directam, iustam, quæ reddet vnicuique iuxtà opera sua. Vndè sequitur Psalmus, Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem; virga enim hæc in dorso imprudentum, Prouerb. 26. num. 2. In electis verò virga, & baculus tuus ipsa me consolata sunt, & Psalm. 22. nu. 4. & Psalm. 124. nu. 3. Quia non relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem iustorum.

Deus est ergo, cuius est sedes ista, nàm dicit, sedes tua Deus, qui iustus es, & iustitiam diligis; hunc Deum vnxit Deus suus Pater; Propterea te vnxit Deus, Deus tuus oleo lætitiæ, non oleo terreno, & materiali sicut cæteri Reges, sed oleo cælesti, oleo lætitiæ, præ consortibus tuis, quia Spiritus sanctus meus totus erat in illo, oleo sancto meo vnxi eum, Psalm. 88. Isai. cap. 61. numer. 2. Spiritus Domini super me, eoquòd vnxerit me Dominus.

Præ consortibus tuis oleo lætitiæ, quia non ipse sicut alij Reges vnctus, vt liberentur à peccatis, sed ideò ille oleo lætitiæ vnctus, vt liberet homines à peccatis, oleum enim effusum nomen eius, hoc est Spiritu sancto totus erat plenus, quem in discipulos, & credentes posteà misit, vndè Dauid Psal. 24. n. 11. Propter nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo, quia oleum effusum nomen tuum; ideò præ consortibus tuis oleo vnctus, nàm illi gratiam recipiebant vnctionis ad id ministerij, ad quod vngebantur: at Iesus ità vnctus, vt gratiam funderet alijs; verè oleum lætitiæ sempiternæ, oleum effusum, quia misericordia Domini plena est terra, Psalm. 32. num. 5. & Psalm. 118. num. 54.

Sedes tua in sæculum sæculi, veruntamen iustitia & iudicium correctio sedis tuæ, quia misericordia in æternum ædificata est in Cælis, Psalm. 88. num. 2. Propterea virga Regni tui est virga directionis, tu enim Domine sagittis tuis dirigis corda inimicorum tuorum in viam salutis, quia misericors es, & dirigis mansuetos in iudicio, & doces mites vias tuas, Psalm. 24. num. 9. & quia vniuersæ viæ Domini misericordia, & veritas requirentibus testamentum tuum, & testimonium tuum, num. 10. ibidem, Vis ergo oleo vngi lætitiæ à Iesu? vis ab illo dirigi? sis humilis, & mitis, seù mansuetus, quia hos Deus dirigit in iudicio suo ante sedem suam, & tu lætaberis in his, quæ dicta sunt tibi, quia in domum Domini ibis: vbi Psalm. 121. num. 1. illicq. sederunt sedes in iudicio, sedes super domum Dauid, ibidem num. 5. Mansueti autem hęreditabunt terram; & delectabuntur in multitudine pacis, Psalm. 36. num. 11.

Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem; quid est dicere, dilexisti iustitiam,

nisi hominem, quem ipse in iustitia, & veritate ad similitudinem sui creauerat, diligere, quatenus rectus sic permaneat, & iustus? at cum post lapsum hominis venerit peccatum in mundum, & per peccatum mors, tradente illo hominem perditioni, propterea Deus iniquitatem odio habens, vnxit filium suum oleo lætitiæ, quia cum ipse filius se Patri obtulerit, vt peccatum de terra deleret, pro vt venit, & mortem propter peccatum moriendo destruxit, qui oleo lætitiæ Christi vncti fuissent Christiani in fide consolandi erant, & saluandi. Sed quia sola fides non sufficit, propterea addit Psalmista, myrrha, & gutta, & cassia à vestimentis tuis, Christus enim carnem sumpsit, vt saluaret nos, ex illa tamen myrrha oritur odor, sed & amara pariter eadem est, quia non sufficit, vt odore nominis Christiani sis decoratus tantum, & fidem habeas dumtaxat, sed opera etiam requiruntur, propterea dixit ipse Christus; Qui vult venire post me, tollat crucem suam, & sequatur me, & Christi bonus odor sumus, 2. Corinth. cap. 2. numer. 15. Myrrha à vestimentis suis, ab humanitate Christi assumpta, gutta etiam cassia; habitu enim inuentus est vt homo, ad Philipp. cap. 2. Abnegemus ergo nos, ecce myrrha, tollamus crucem nostram, ecce gutta, quæ ex myrrha distillat; stacte enim secundum Hieronymum est liquor myrrhæ; & sequimini Christum ecce cassia, quæ ablatis venenosis, & terrenis cupiditatibus, facit hominem sanum, & mundum. Ab istis domibus sic eburneis, ex quibus spirant odores suaues, delectatione perfunditur ipsemet Christus, quando de eius honore delectantur filiæ Regum, animæ scilicet fidelium, quæ Apostolis, & prædicatoribus crediderunt; Venite benedicti Patris mei, percipite Regnum, quod paratum est vobis à constitutione mundi; ecce quomodò reges sunt Apostoli, & omnes credentes in Iesum, & illum sequentes,

A domibus eburneis, hoc est à corporibus nostris, quæ aliàs obscura sunt, antequam crucem Christi in humeros nostros portemus; ebur enim ex se dicit Hieronym. Obscurum est & horribile, nisi radatur limis, & denudetur. Quando ergo abnegamus nosmetipsos, vt sequamur Christum, eiusdem crucem portantes sicut Apostoli, Martyres, & alij amici Dei, ex corporibus nostris factis eburneis domum Deo exhibemus redolentem myrrha, gutta, & cassia.

Vel, si licet, diuerso ab alijs, quos vidimus sensu, dicamus; sicut dixit Apostolus ad Rom. cap. 13. nu. 14. Induimini Dominum nostrum Iesum Christum, & carnis curam ne feceritis in desiderijs. Sicut Christo induimur, ità & Christi indumentum nos sumus, quod significatum crediderim per id, quod contigisse dicitur, quando idem Christus transfiguratus est; Matth. cap. 17. nu. 2. Vestimenta eius albà sicut nix, quos & pro insigni decore indutus est, quando in humanitate possessionem adijt regni cælestis, tales ergo sunt vestimenta Christi, à quibus odor emittitur myrrhæ, guttæ, & casiæ; nam permanentes fuerunt in fide, & in tentationibus constantes, domus istorum eburneæ factæ sunt, ex quibus delectauerunt te Domine Iesu filiæ Regum, animæ scilicet Sanctorum, quia gaudium est in cælis super vno peccatore pœnitente; & exultauerunt filiæ Iudæ in honore tuo.

In conuersione istorum fidelium astitit Regina, idest Ecclesia, quæ à dextris Christi semper stat, & astitit in vestitu de aurato, circundata varietate, quia ad ipsum venientes benignè amplectitur, donis spiritualibus locupletatos,

iuxtà illud Isaiæ cap. 49. num. 18. His omnibus velut ornamento vestieris, & circundabis tibi eos quasi sponsa. Et est varietate circundata, quia Christus eius sponsus alijs quinque, alijs quatuor, alijs duo talenta partitur; & venientibus quibuscunque horis ad laborandum in vinea Domini eadem merces elargitur; Circundata varietate, quia ex illa, & in illa alij Martyres, alij Doctores, alij Confessores, & Pontifices, & Virgines sunt, atque Viduæ Deo placitæ.

Audi filia, hoc est Ecclesia, quæ tunc erat inter Iudæos; loquitur enim Deus, & vide, & inclina aurem tuam ad illa, quæ superius diximus, quia scilicet veniet filius Dei Iesus, vt saluet Populum gentilem; quocircà subiungit dicens; Obliuiscere populum tuum Iudaicum scilicet, & domum Patris tui, quia reprobus fiet ille, & alius saluabitur; Et concupiscet Rex decorem tuum, qui in te elucebit post absterfionem omnis maculæ per fontem baptismatis; nàm ipse est Dominus Deus tuus, quem adorabunt filiæ Tyri in muneribus, hoc est gentilitas, quæ erat deperdita, & in angustijs posita; Tyrus enim interpretatur angustia; erant enim in angustia positi, quia filij erant Diaboli; Filij ergo Tyri in muneribus deprecabuntur vultum tuum; hoc fecerunt, faciuntq. multi Principes, Ecclesiam venerantes, & muneribus, seù oblationibus locupletantes illam. Phrasi Hebraica, dicit Cardinalis Bellarminus deprecari vultum, vel deprecari aliquem idem est, patet 1. Reg. cap. 13. num. 14. & faciem Domini non placaui, & Psalm. 118. deprecatus sum faciem tuam, & Psalm. 94. Præoccupemus faciem eius in confessione.

Astitit ergo Regina à dextris tuis in vestitu deaurato tamen, quia in ea nulla est macula, propterea deaurato quamuis sit militans, cuius gloria sunt omnes filiæ Regis, animæ Deo dicatæ, quas elegit Deus in charitate non ficta.

In fimbrijs aureis, hoc est, quæ etiam vsque ad extremum vitæ sunt inuentæ sine macula, & sequuntur Agnum quocunque ierit; ornata est hæc Ecclesia, & circumamicta varietatibus Sanctorum, qui in hac vita Domino seruierunt in visceribus misericordiæ; iuxta Paul. ad Coloss. cap. 3. induentes benignitatem, humilitatem, modestiam, & patientiam. Post sponsam Ecclesiam varietate supradicta circundatam, coram Rege Christo Domino adducentur etiam Virgines, quæ scilicet eiusdem membra sunt Ecclesiæ; propterea dixit proximæ eius, non Virgines, quæ extra Ecclesiam sunt, sed proximæ eius in fide, & charitate, & castitate, Luc. cap. 10. num. 29. & 36. Quæ sequuntur Agnum in itinere virginali gradientes. Istæ in Ecclesia afferentur in lætitia, & exultatione, adducenturq. vt sint in templum Regis, in tabernaculum Altissimi; quælibet enim pia anima templum est Dei viuentis, Paul. 2. Corinth. cap. 6. num. 16. Vos autem estis templum Dei viui, sicut dicit Deus, Leuit. cap. 26. num. 12. quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo inter eos, & ero illorum Deus, & num. 18. & ero vobis in Patrem, & vos eritis mihi in filios, & filias, dicit Dominus omnipotens, Ierem. cap. 33. num. 9. & idem Apostolus 1. Corinth. cap. 3. num. 16. Nescitis, quia templum Domini estis, & spiritus Dei habitat in vobis; templum enim Dei sanctum est, quod estis vos, ibidem num. 17. omnis gloria eius filiæ Regis ab intus, nàm secum oleum habebant in lampadibus expectantes Dominum.

Vel dicamus, quod post eam proximæ, quæ offerebantur erant viduæ, & pupillæ, & aduenæ, hæ enim iunctæ simul vadunt, provt est videre in multis

scripturæ locis, Exod.22.num.21. Deut.14. num.2. venietq. leuites, qui aliam non habet partem, &c. & Peregrinus, ac Pupillus, & Vidua, & comedent, sic in cap.14.num.20. Relinques aduenæ, pupillo, & viduæ, iuxtà illud Act. Apost.cap.9.num.41. & cum vocasset Petrus Sanctos, & viduas, assignauit eam viuam scilicet Tabitham resuscitatam. Pupillum, & viduam suscipiet, Psal.145. numer. 9. & in alio loco, Viduam eius benedicens benedicam, Psalm. 131. num.15. hinc Exod.cap.22.num.22. viduæ, & pupillo non nocebitis, & Iob cap.29.num.13. Cor viduæ consolatus sum. Pro Patribus tuis nati sunt tibi filij. Non egent hæc declaratione; alloquitur enim Ecclesiam Propheta, ac si diceret; Habuisti Patriarchas,& Prophetas Patres tuos, qui deficient, quando filius Dei veniet ad congregandas gentes; ne doleas, quia loco Patrum tuorum prædictorum nascentur, seù nati sunt tibi Ecclesiæ filij (præterita enim quasi præsentia sunt Prophetis) quos constitues Principes super omnem terram, Apostolos scilicet,& Discipulos Christi, & post illos; Pontifices, Episcopos, & Doctores, quorum in omnem terram exiuit sonus, & verba in fines orbis terræ: eruntq. Principes catholici. Quocircà dixit Iesus Discipulis: Vos autem quem me esse dicitis? vos scilicet, quos constitui suprà Reges, & Dij estis terræ, ite in vniuersam terram,& prædicate Euangelium omni creaturæ; vos,quibus populos subieci, & gentes sub pedibus vestris, Psalm.8.num.8.

Memores erunt nominis tui Domine in omni generatione, & generatione. Hinc colliguntur Pontificis Petri, & aliorum Episcoporum successiones, qui etiam filij dicuntur Dei per lauacri regenerationem, & sancti Euangelij susceptionem: Propterea in omni generatione & generatione, Euangelium promulgari curantes, erunt memores nominis tui, Ecclesiæ nempè, ipsamq. Matrem Catholicam omnium fidelium confitendam satagentes. Quocircà cum semper futuri sint Petri, atque Apostolorum Successores Episcopi, & Doctores, qui semper prædicabunt Euangelium Christi, etiam populi pariter confitebuntur tibi in æternum, & in sæculum sæculi. Confitebuntur tibi peccata populorum, vt remissionem accipiant; gloriam tuam enarrabunt, laudem tuam annunciabunt, hæc dicit Hieronym. Deus omnium pœnitentium exauditor, & Pater misericordiarum: exaudiat preces seruorum suorum, vt populus omnis, quem sanguine suo redemit, credens in illum, in die iudicij mereatur audire; Venite benedicti Patris mei, accipite Regnum, quod vobis paratum est à constitutione mundi; non credentes verò, & Barbari populi ad cor conuertantur, vt discant ipsum solum Deum & Patrem omnium, per cuius ostium intrare mereantur, & salui fiant in die illa tremenda.

SOLILOQVIVM.

FVI Domine & ipse peccator, vtinam non sim & in præsentiarum; per gratiam certè tuam sum de ijs, qui per pœnitentiam commutantur, teq. & intellectu norunt, & affectu habent pro dilecto, quem & cælestis Pater suum nuncupauit dilectum. Tuas Deus meus, quem diligit anima mea, celebrare vellem laudes simul ac sponsæ tuæ Ecclesiæ: at Spiritu sancto me impellente

vix tenuem vnà cum Propheta Dauid earum emittam ructum. Quicquid tamen illud est, tibi volo dicatum. Speciosus ità es, vt nullus tibi comparandus sit hominum, vtpotè qui sic homo es, vt sis simul & Deus. Gratiam propterea habens ab æterno naturalem, quæ tibi ex ipsa tua inest diuinitate, in labijs, atque in verbis quàm maximè. O quàm ardentibus desiderijs te alloquentes antiqui Patres, talia habuere. Assume iàm fili Dei, æternumq. Dei verbum, & vni humanitatem nostram cum diuinitate, quæ species, virtusq. est tua; vt sic gladio tuo accinctus super femur, carnemq. tuam intendens in auxilium nostrum prosperè regnes super populum tuum in veritate, mansuetudine, & iustitia, quibus mirabiliter deducat te in regnando dextera tua. Transfige dilecte mi cor meum sagittis amoris tui, sicut acutis eloquiorum tuorum sagittis confecisti, & conficies populos, tibi Regi aliàs aduersos, vt flexis adorent te genibus. Thronus tuus erit perpetuus in directa regnádi ratione: amans quippè es iustitiæ, & iniquitatis osor, cum à Deo Patre lætitiæ oleo fueris vnctus, quod & in nos effunderes tibi subiectos. Te induti fideles odorem tibi delectabilem emittent propterea myrrhæ abnegationis sui, guttæ amaræ mortificationis, & cassiæ obsequij: delectati & ipsi pro honore tibi vndequaq. præstito. Da mihi quæso, vt adeò in mea purus sim carne, vt domum eburneam ex illa ipsa tibi, in qua habites exhibeam, corpore meo existente templo Spiritus sancti. Astanti tibi item Reginæ Ecclesiæ sponsæ tuæ pijs comitatæ animabus, & multiplici Sanctorum varietate circumdatæ præsta, vt in ipsis fidelibus suis sit Deo iugiter obsequens, te in omnibus audiens. Vt illius tumet, qui es Dominus Deus eius, concupiscas decorem. Qui exhibitis eisdem Sanctis Apostolis in locum antiquorum Patriarcharum, constituisti in ipsa Principes, per quorum prædicationem, populorum facta est ad tui cultum conuersio, Amen.

IN PSALMVM XLV.

Deus noster refugium, & virtus: adiutor in tribulationibus, quæ inuenerunt nos nimis.



ITVLVS. (In finem, filijs Core pro arcanis, Psalmus) In Septuaginta. D. verò Hieronymus transtulit ex Hebr. Filijs Core pro iuuentutibus: est enim in Textu Hebraico vox Alamot, cuius singularis est vox Almà. Porro hoc nomen Almà ad duo æquiuocum est, vt aliàs fusius diximus in nostro Tractatu contrà Iudæos: nàm vno modo idem est quod adolescentula, seù puella: alio modo idem est quod secreta abscondita. Septuaginta Interpretes pro arcanis interpretati sunt. D. verò Hieronymus, pro iuuentutibus; non tamen hæc sine Dei prouidentia dicta sunt, cum nihilominus idem significent; Nàm Dauid more suo prophetizat Synagogæ mutationem, & translationem in Ecclesiam magnã, quæ translatio tunc facienda erat miraculis, prodigijs, & mysterijs profundis, cum autem prodigia ista, nascente Ecclesia, & miracula facta sint; ideò in iuuentute, ideò pro iuuentutibus, pro Apostolis, & Discipulis, pro Martyribus Dei, à quibus tot, & tanta miracula in nomine Iesu, virtuteq. Dei patrata fuere, vt

vt in Act. Apost. & fusius infrà dicemus. Quæ prodigia cum ad secretorum mysteriorum fidei Christianæ probationem facta sint, benè & pro arcanis eadem vox reddita est à Sept.

Vtraque ergo, & Septuaginta (Pro secretis) stare potest; & Hieronymi (pro iuuentutibus) Filijs autem Core Ecclesiam repræsentantibus; quia sicut Core Patrem istorum deglutiuit terra, ipsis filijs miraculosè relictis, Num. cap. 16. num. 32. & cap. 26. num. 11. & factum est grande miraculum, vt Core pereunte, filij eius non perirent; sic grande extitit miraculum, vt Patres Iudæorum crucifigentes Iesum perirent, filij autem eorum Apostoli, & Discipuli, arcana, quæ prophetata sunt, miraculis, & virtutibus demostrarent populis, Gentili, & Iudaico ad salutem vocatis, Isai. cap. 60. num. 14. & venient ad te curui filij eorum, qui humiliauerunt te, & adorabunt vestigia pedum tuorum omnes, qui detrahebant tibi, & vocabunt te ciuitatem Domini Sion sancti Israel.

In finem ergo, idest in Christum, qui finis est legis, vt latius suprà; ad iustitiam omni credenti, ad Rom. d. cap. 10. Pro arcanis. Non tibi videtur arcanum quod Apostoli verbo Dei firmati sunt? d. Psalm. 32. per quos sicut in vtre maris aquas in Ecclesia congregauit Dominus, hoc est multitudinem populi gentilis, qui in Christum crediderunt. His Apostolis, quia humiles fuerunt, sicut & cæteris humilibus Sanctis dedit Deus nosse mysteria regni Dei; non Iudæis, qui superba sapiebant, ac propterea elongatus est Deus ab illis, Psalm. 63. num. 8. accedet homo ad cor altum, & exaltabitur Deus, idest elongabitur ab eis, & magis cæci facti sunt; sagittæ paruulorum factæ sunt plagæ eorum, idest Iudæorum, paruuli enim pro Apostolis intelliguntur, cum autem Iudæis de Iesu mirabilia explanarentur, vnus post alium abibat, prædicatione Petri confusi, sicq. linguæ eorum infirmatæ sunt contrà eosdem Iudæos; sagittæ enim dicuntur, quia infidelium corda vulnerabant, vt ad fidem Christi reuerterentur, cap. 2. & 3. in Act. Apost. Cæteri verò conturbati sunt, & timuit omnis homo, ideò Ierem. cap. 16. num. 16. de Apostolis loquens; Ecce ego, mittam piscatores multos, dicit Dominus, & piscabuntur eos, & post hæc mittam eis venatores, & venabuntur eos de omni monte, & de omni colle, & de cauernis pastorum, quia oculi mei super omnes vias eorum, idem Ierem. cap. 23. num. 4. & suscitabo super eos Pastores, & pascent eos.

Pro arcanis filijs Core; Non de præteritis intelligitur psalisse Dauid, sed pro futuris, nàm si arcana, quomodò præterita? nisi quatenus omnia, quæ scripta erant, illis erant in figura, de aduentu filij Dei viui, de translatione Ecclesiæ in Gentiles, simulq. in Iudæorum paruas reliquias, quæ Domino crediderunt, iuxtà illud Isai. cap. 45. nu. 1. & 3. Hæc dicit Dominus Christo meo Cyro, cuius apprehendi dexteram, vt subijciam ante faciem eius gentes, & dorsa Regum vertam, & aperiam coram eo ianuas, & portæ non claudentur: ego anteibo, & gloriosos terræ humiliabo; portas æreas conteram, & vectes ferreos confringam; & dabo tibi thesauros absconditos, & arcana secretorum, vt scias, quia ego Dominus. Sed qui filij Core? nisi filij Caluarij, filij eius, qui Cruci affixo crediderunt Iesu Christo in Caluario monte: vt suprà vidimus in præcedenti Psalmo; Verum, quæ secreta Christianis prænuntientur, in hoc Psalmo infrà etiam deducemus.

Continuatur ergo ad præcedentem Psalm. 44. noster iste Psalm. 45. nàm in

illo

illo Ecclesiæ exaltatio ad nuptias cælestes, & spirituales, cum Rege Christo Domino. Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato circundata varietate, ibi num. 11. Adducentur, inquit, Regi Virgines post eam, proximæ eius afferentur tibi in lætitia, & exultatione in Templum Regis, pro Patribus tuis nati sunt tibi filij, constitues eos Principes super omnem terram, & num. 12. Audi filia, & vide, &c. & obliuiscere populum tuum, & domum Patris tui, & concupiscet Rex decorem tuum, quoniam ipse est Dominus Deus tuus.

Verùm quia Christi sumus, & eius vestigia sequi debemus, non ideò credas, ò fidelis, ò Ecclesia Sponsa Christi, te exultantem, & non tribulantem ad cælestia Regina peruenturam; nàm si Christus pro te passus est, & mortuus, cur & tu pro illius amore tribulationes non habebis, tormenta non patieris? persecutionibus non implearis? Pro arcanis ergo filijs Christianis: vt qui crucifixo credunt, & pro crucifixo & ipsi Cruci affigantur, ideò Dauid consequenter ad sustinendas persecutiones nos cohortando, inquit in hoc Psalmo. Patiaris libenter pro Christo, vt in Christo viuas in æternum: Deus enim ipse refugium nostrum, & virtus in tribulationibus, quæ inuenient nos nimis. Ipse, qui est finis ad perfectionem, inuitat nos, vt viam eius sequentes, ad illum nostrum perueniamus finem, ad illius perfectionem, ad illud summum bonum; & ad Templum ipsius Regis cum exultatione adducamur. Enimuero à terræ Principibus auxilium minimè sperandum, cum nec in ipsis sit aliqua salus, exibit quippè spiritus eorum, & reuertetur in terram suam; & in illa die peribunt cogitationes eorum. Nolite, inquit Psalm. confidere in Principibus, & filijs hominum, in quibus non est salus. Qui terrena sapiunt homines in illis confidunt, simulq. in foueam cadent, qui talia terrena sapiunt.

Nostrum verò refugium, & virtus Deus sit redemptor, & Creator omnium, etsi permittat, vt in mundo varijs tribulationibus circundati simus, & afflicti nimis, ipse, qui nos nunquam deserit; Cum ipso, tamen inquit, sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum, Psalm 90. num. 15. idcircò Paul. ad Philipp. 3. num. 20. Nostra autem conuersatio in Cælis est, Vndè etiam Saluatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum.

Summa Psalmi hæc est. Tribulati pro Christo exaltantur in Cælo.

Incipit ergo Psalm. Deus noster refugium, & virtus, adiutor in tribulationibus, quæ inuenerunt nos nimis: Consideremus Psalmi verba singula, vt quatenus etiam nobis filijs Core, pro arcanis sit nostra interpretatio, nostra salus, aliqualis Dei nostra intelligentia.

Velum Templi scissum est, ingrediamur in illud, qui claues Crucis Christi possidemus; vt proptereà arcana, & fratribus nostris Gentilibus, & Iudæis explanemus, declaremus, manifestaq. pro salute nostra & nos faciamus. Inquit ergo Psalmus, quia tribulationes nos inuenerunt. Sed quomodò? an tribulationes inueniant nos, vel nos tribulationes inquiramus, procuremus, obuiam illis nos faciamus? An ignoratis fratres, quia verbum Dei prædicamus? & illud Gentilibus, & Iudæis euangelizamus? sed si Iudæi illud audire, illud recipere recusant, nunquid & proptereà illud prædicare cessabimus? Minantur illi, tribulant nos idcircò, expellunt de illorum cordibus nos, & verbum Dei simul; angustiamur, non propter nos, sed quia salutem impugnant, lucem videre nolunt; Charitas nos impellit erga illos, quia perditos eos videmus. Inueniunt

nos

nos tribulationes, quia auctorem salutis Iesum Christum efficacius illis audire recusantibus prædicamus, instantes, Audite Apostolos, Act.cap.4.num.19. vocantes eos denunciauerunt Iudæi, ne omninò loquerentur, neque docerent in nomine Iesu. Sed nunquid à minis cessauerunt Discipuli Domini? Petrus, inquit Text. & Ioannes respondentes dixerunt ad eos; si iustum est in conspectu Dei vos potius audire, quàm Deum, iudicate.

Deus noster refugium, dicebant Apostoli, & virtus; & nunc respice Domine in minas eorum, & da seruis tuis cum omni fiducia loqui verbum tuum, ibidem num. 29.

Non igitur eorum erat tribulatio, quia illorum esset conscientia delictorum, nàm illorum ad Deum erat refugium, quia tribulationes pro illo sustinebant, propterea ad Deum refugiunt, vbi virtutem, & consolationem inueniunt. Augustin. Inter omnes tribulationes humanæ animæ, nulla est maior tribulatio, quàm conscientia delictorum, nàm si ibi vulnus non sit, sanumq. sit intus hominis, quod conscientia vocatur; (addo quod Ioan. in cap.3.num.21.in Epist. Charissimi, inquit, si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum; & quidquid petierimus accipiemus ab eo, quia mandata eius custodimus) vbicunque alibi passus sit tribulationes, illuc confugiet, & ibi inueniet Deum. Et post pauca litera E. Quid igitur prodest, si quod est exterius sanum est, & putrefacta est medulla conscientiæ? arctæ sunt, & vehementes omninò, nimiæ tribulationes sunt, & tamen in his adiutor factus est Dominus, dimittendo peccata. Iniquorum enim conscientias non sanat nisi indulgentia, 1.Ioan. cap.2.num.10. Hæc scribo vobis, vt non peccetis, sed si quis peccauerit, Aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum iustum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris. Vel dicamus, quomodò scilicet tribulationes inueniant illos, qui conqueruntur, ab illis nimis esse oppressos, per ea, quæ in Epistola dicta sunt, ad Roman.3.num.9. cum sequen. Causati, inquit, sumus Iudæos, & Græcos omnes sub peccato esse, quia sicut scriptum est, Psal.13. num.4. Non est iustus quisquam, non est intelligens, non est requirens Deum; omnes declinauerunt, &c. & num.16. Contritio, & infelicitas in vijs eorum, viam pacis non cognouerunt. Quia scio, inquit Apostolus, cap.3.num.17. ad Roman. quòd per ignorantiam fecistis, sicut & Principes vestri; nàm Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob, Deus Patrum nostrorum glorificauit filium suum Iesum, quem vos quidem tradidistis, & negastis ante faciem Pilati. His auditis compuncti sunt corde, & dixerunt ad Petrum, & ad reliquos Apostolos: Quid faciemus viri fratres? Petrus autem ad illos, Pœnitentiam, inquit, agite, & baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum, & accipietis donum Spiritus sancti, Act. Apost.cap.2.num.17. Non enim isti inuenerunt peccata sua, sed in eis inuenta sunt commemoratione Apostolorum, compuncti sunt, quia inuenerunt illos tribulationes, non ipsi inuenerunt tribulationes, ideò dixerunt, Deus noster refugium, & virtus, adiutor in tribulationibus, quæ inuenerunt nos nimis. Sed quare factus est adiutor, quia compuncti sunt corde, dixerunt, quid faciemus, quasi desperati, quia auctorem Vitæ illos occidisse audierunt, grauissimum peccatum perpetrasse cogitauerunt, qui auctorem Vitæ occidisse cognouerunt, considerauerunt ipsorum facinus; rogauerunt Deum, dicentes: Tribulatio-

nem,

nem, & dolorem inuenimus, & nomen Domini inuocabimus, Psalm.114.numer.3. quia à mortis doloribus circundatos, & à periculis inferni inuentos, & captos se agnoscebant. Iàm responsum habuerunt, vt vnusquisque baptizaretur illorum in nomine Iesu Christi, & sanguinem Iesu Christi, quem effuderant, biberent, Ioan.cap.6.numer.54. 55. & 56. Inuenerunt ergo illos tribulationes, quia anteà se peccasse, vel quid esset illis per peccatum ignorabant, ad Roman. dicto cap.3.numer.20. Per legem enim agnitio peccati, per legem fidei, inquit, num.28. comitantibus operibus bonis, Iacob. Epist.cap.1.nu.22. Ioan. Epistol. cap.2.num.3. Et in hoc scimus, quoniam cognouimus eum; si mandata eius obseruemus; mendax enim est, qui se scire Deum asserit, & mandata eius non custodit.

Tribulationes ergo illos inuenerunt nimis, quia ad Apostolorum prædicationem, confitebantur, quæ tunc agnoscebant peccata sua, tribulationes omnes commerentia: ideò refugium illorum Deus erat, vt sustinentes eò magis præmia consequerentur.

Augustin. litera G. Nihil enim peccato hoc grauius cogitare potuerunt; quid grauius peccatori ægro, quàm Medici interfectio? quid grauius potest æger facere, quàm Medicum suum occidere? ab illo ergo, cui dictum est refugium, & virtus, acceperunt magnam securitatem, baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Domini Iesu Christi, Act. dicto cap.2.num.38. & iterum. Nos inuenimus tribulationes, quando nos peccata nostra considerantes, pœnitet fecisse illa, vndè dicitur, tribulationem, & dolorem inueni, & nomen Domini inuocaui, dicto Psalm.114.num.3. Siuè ergo tribulatio nos inueniat, siuè nos illam inueniamus, vt vtranque depellat rogandus est Deus, qui est adiutor in tribulationibus.

Deus noster refugium, & virtus. Sed quomodò noster refugium, & virtus; Deus enim natura immortalis, nos mortales; ille Deus, & in Cælo, nos homines, & in terra? quia inter illum, & nos est magnum chaos: inter Cælum, & terram magnam videmus distantiam, quomodò ergo refugium, si tantum distat à nobis? Tres iàm Deus pro miserorum refugio Ciuitates refugij in terra constituendas per Moysen mandauerat, Deuter.19.num.7. & 10. In Cælo non legimus esse constitutas; Quid dicis, ò stulte, nonnè Deus est vbique, nonnè illius est orbis, & vniuersa quæ sunt in eo? Psalm.23.num.1. & num.2. Domini est terra, & plenitudo eius; tu forsan insipiens, qui dicas, quod non sit Deus in corde tuo, Psalm.52.num.1. An ignoras, quòd Cæli sicut fumus liquescent, & terra sicut vestimentum atteretur, & habitatores eius, sicut hæc interibunt? Salus enim in sempiternum à Deo est, Isai.cap.51.numer.1. & 6. cum sequen. Oculos tuos ad Cælos leua, vt sensus tuus reddatur tibi, quia tunc Altissimo benedices, & viuentem in sempiternum glorificando laudabis; quia potestas eius, potestas sempiterna, & regnum eius in generationem, & generationem, & omnes habitatores terræ apud eum in nihilũ reputantur, iuxtà enim voluntatem suam facit, tàm in virtutibus Cæli, quàm in habitatoribus terræ, & non est qui resistat manui eius, Daniel.4.num.31. cum sequen. Deus ergo refugium nostrum, & virtus. Ipsè est, qui ab omni malo nos custodit, ad istum oculos nostros leuemus, Psalm.120.numer.1. & 6. quia filij eius sumus sicut à principio, & cætus eius, vt coram eo permanemus. Visitabit enim aduersus om-

omnes, qui tribulant nos; quia Dux noster est, & Princeps, & Deus applicauit eum, & ad eum accessit. Quis enim iste est, qui applicet cor suum, & appropinquet mihi, ait Dominus, Ierem.30.num.20. & 21. Nisi filius Dei, qui ideò venit, vt vnà cum eo simul appropinquemus Deo Patri, Ioan. cap.17.nu.24. Pater, quos dedisti mihi, volo, vt vbi ego sum, & illi sint mecum. Deus noster Iesus Christus, qui carne nostra assumpta, nobis factus est communis; ideò refugium nostrum, quia peccatores saluabimur ad eum confugientes.

Adiutor in tribulationibus. Nunquid Deus tribulantes nos adiuuat? si adiuuat tribulantes nos, quomodò ad eum erit refugium nostrum? potestatem enim tribulandi nos non haberent aduersarij, nisi ipsis à Deo tributa fuisset, Ioan.19. num.11. Vniuersa quæ habet, in manu tua sunt, dixit Dominus ad Satan, tantum in eum non extendas manum tuam, Iob cap.1.num.12. & cap.2. in eodem Iob num.3. Tu autem commouisti me aduersus eum, dicebat Deus Satanæ, vt affligerem eum frustrà, Sap.cap.12.num.22. cum ergo nobis das disciplinam, inimicos nostros multipliciter flagellas. Tribulationes ergo à Deo. Dat autem Deus tribulationes, vt nos adiuuet sustinentes; permittit tribulantes, vt probet nos patientes; dat tribulationes, vt tribuat gaudia, & consolationes; tu ergo frater libenter eos sufferas, vt à Deo consolationem, & refugium accipias.

Deus ergo noster refugium, & virtus, vt in tribulationibus præualeamus; non ex nostra infirmitate, sed ex Dei virtute, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, quia ipse est Deus totius consolationis nostræ, 2.Corinth.cap.1. numer.3. Inueniunt nos tribulationes, & tentationes. Deus verò, quia fidelis est, non patitur nos tentari suprà id, quod possumus, sed facit etiam cum tentatione prouentum, vt illas sustinere possimus, 1.Corinth.10. num.13.

Verùm Dauid sancte, num ex persona tua, vel aliena hæc loqueris? Non ex tua; nam qui tempore tuo montes in cor maris translati sunt? qui fluminis impetus Dei Ciuitatem repleuit? vel quod erat Domini Tabernaculum ab illo sanctificatum, in cuius medio Deus stetit, & non est commotum, vel quæ regna sunt conturbata ad vocem tuam, quæuè conturbatæ sunt gentes? quæ terra mota est? Tu etsi Dei dilectus; non tamen propter te mota est terra; non ergo ex eo hæc dixisti, quòd tunc hæc facta contigerint, vel tempore tuo aduenerint; Per te ergo quæ futura erant, declarauit Deus. Nàm si Dominus virtutum nobiscum, susceptor noster Deus Iacob, sanè is propinquus Deo, qui credit in Deum Iesum, Matth.28.num.20. vobiscum sum cunctis diebus vsque ad consummationem sæculi; & non enim est alius Deus, sicut Deus noster appropinquans nobis, ex Deuter.4.nu.7. Non ergo hæc de Iudæis, sed de appropinquantibus Christo scripta sunt.

Quocircà non timuerunt Apostoli, & fideles dum tribularentur; quia ipsorum Deus erat appropinquans illis, & refugium, & virtus; tametsi contrà illos turbaretur terra, & transferrentur montes in cor maris, hoc est omni amaritudine cor Principum, & potentium contrà illos transferretur, odio malo maximo impleretur; Si consistant aduersum me castra, non timebo, dicebat ille, qui vnam petierat à Domino, hanc requirebat, vt habitaret in domo Domini Dei omnibus diebus vitæ suæ, idest omni tempore, vt videret voluptatem Domini, & Templum eius visitaret. Hanc considerabat Dauid Apostolorum con-

constantiam illam admirabatur, Act. Apost.cap.4.nu.13. videbant enim illi Petri,& Ioannis constantiam,ne prædicarent Iesum instabant,transferebantur corda eorum in cor maris, nàm alij ludibria, & verbera experti insuper vincula, & carceres, lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladij mortui sunt, circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati,afflicti, quibus dignus non erat mundus, ad Hebr.11.num.36.

Vel & forsan melius dicamus; scimus enim quòd in singulari mons Christus dicitur,sicut suprà diximus, Psalm.10.& 16. quis requiescet in monte sancto tuo, & Psalm.73.numer.2. Mons Sion, in quo habitasti in eo, & Isai.2. num.2. præparatus mons Domini in vertice montium, & numer.3. venit, & ascendit ad montem Domini. D. Gregor.33.Moral.1. Mons quippè in singulari Dominum incarnatum significat, sicut scriptum est; erit in nouissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium. Mons quippè in vertice montium est incarnatus Dominus trascendens celsitudinem omnium montium. Per montes autem celsitudo Apostolorum, & Prophetarum demonstratur, Psalm.35. Iustitia tua sicut montes Domini.

Translati sunt montes in cor maris, quando Discipuli, relictis Iudæis, ad Gentes se conuerterunt, Act.Apostol.cap.13.num.47.& cap.28.num.28. Quid verò cor maris, nisi infidelitas Gentium, & præsens sæculum designatur in terrenis immersum? diuersis enim eorum corda intumescunt huius maris sæculi fluctibus. Gregor.lib.37.Moral. dicens; Quid enim maris nomine, nisi præsens sæculum designatur, in quo corda hominum, terrena quærentium diuersis cogitationibus, fluctibus intumescunt, quia elatione superbiæ incitatis, dum alterna intentione se impetunt, quasi aduersantes hæc vndæ collidunt. Iàm Petrus in mari ambulat, quia nimium Christi prædicatoribus illa quondam Gentilium tumida corda humili auditu subijciuntur, Isai.cap.31.num.33. Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam, & ero eis in Deum,& ipsi erunt mihi in populum. Montes ergo Apostoli sunt; cor autem maris Gentilium corda sunt; ad quæ venerunt Apostoli Iudæorum obstinatam duritiem relinquentes, cor maris Gentilitas. Magna Ephesorum Diana, Ciuitas confusione repleta, tumens mare, Act.cap.19.nu.27. cum sequen. Turbata sunt Gentilium corda, quia cum incarnatus,& factus est homo Deus, missi sunt ad illas Gentes Discipuli; vt natum Dominum prædicarent, ijq. crederent; turbati sunt, quia malis corda eorum plena erant. Viderunt te aquæ Deus; viderunt te aquæ, & turbatæ sunt abyssi, Psalm.76.num.15. Ad quid enim repetitio aquarum videntium; Viderunt, inquit, te aquæ, iterum, viderunt te aquæ, nisi quia, & Iudæorum, & Gentilium duos populos denotare voluit, ex quibus vna Ecclesia fieri debebat; illi te Christi humanitatem viderunt, nos verò Christum Dominum per fidem videmus; quia ex vtroque populo aliqui ad fidem Christi peruenerunt, per prædicationem Apostolorum; per hanc visionem accidit; vt translati sint montes in cor maris incredulitatis.

Sonuerunt Apostoli, quia dederunt vocem suam, & turbatæ sunt abyssi, profunditas illarum aquarum, immanitatem, & peccatorum illorum immensitatem, propter quæ in profundum facilè demergebantur, considerantes, turbatæ sunt aquæ per prædicationem,quia illorum nouerunt peccatorum immanita-

nita-

nitatem, & contritione contriti, dixerunt aliqui ex Iudæis, Quid faciemus, quia Dominum vitæ morti tradidimus? Gentilium verò ad Dominum infinitus numerus conuersus: Quid facimus, quia hucusq. viam vitæ ignorauimus; opera manuum hominum adorauimus? Vnusquisque baptizetur, clamabant Apostoli, in nomine Domini Iesu Christi, & saluus erit; turbatæ sunt aquæ eorum à sonitu Apostolorum, & ad Dominum conuersi pœnitentiam egerunt. Conturbati sunt montes à fortitudine eius: non poterant enim resistere sapientiæ illius, qui loquebatur, montes illi Synagogæ, superbi Pharisæi, qui & tollentes lapides, lapidauerunt Stephanum, Iesum inuocantem, vt illis ignosceret, Iob cap.26.num.5. Gigantes gemunt sub aquis, quod Gregor.17.Moral. cap.1. exponit Gigantium nomine potestates huius sæculi esse: in aquis verò populi designantur, Ioanne attestante, qui Apocalyps.cap.17.num.15. dicit, aquas esse populos.

Sonuerunt, & turbatæ sunt aquæ eorum; Populi audientes, & Christum sequentes in tribulationibus, in speluncis, ad Hebr.cap.11. sed nunquid montes illi expertes fuere tribulationum? Si consepulti sunt cum Christo per Baptismum in mortem: si complantati similes facti sunt similitudini mortis eius, ad Roman. cap.6.nu.5. quomodò non & ipsi contribulati in fortitudine eius? Tribulentur etiam & ipsi pro nostra exhortatione, & salute, quæ operatur tolerantiam earumdem passionum, quas & ipsi patiuntur, socij enim passionum nostrarum sunt, 2.Corinth. cap.1.num.7. & cap.11.num.23. & cap.12.num.7. Augustin. de Natura, & Gratia, cap.32. alleg. ad Philippens. cap.2.numer.12. cum metu, & tremore vestram salutem operamini, & Psalm.2. Seruite Domino in timore, exultate ei cum tremore; Apprehendite disciplinam, nequando irascatur Dominus, & pereatis de via iusta; est enim in via, & timet ne pereat de illa. Vide ergo bonum, quod agis, ne superbia tollat. Audite vnum ex montibus loquentem, Paul. 1.Corinth. cap.2.num.3. Et ego in infirmitate, & timore, & tremore multo fui apud vos & sermo meus, & prædicatio mea: non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus, & virtutis. Conturbati sunt in fortitudine eius; quia speculatores facti illius magnitudinis, 2.Petr.cap.1.num.16. Conturbati sunt montes in fortitudine eius, quem vt lucrifaceret, omnia stercora esse arbitratus est, vt inueniretur in me iustitia, quæ in fide est Iesu Christi, si quo modo, inquit Apostolus, occurram ad resurrectionem, quæ est ex mortuis; non quòd iàm acceperim, aut perfectus sim; sequor autem, si quomodò comprehendam in quo & comprehensus sum à Christo Iesu, ad Philippens.cap.3.num.9. cum sequen. Conturbati in fortitudine eius; sunt enim iusti, & sapientes, & opera eorum in manu Dei; verùm quia nescit homo, vtrum amore an odio dignus sit, Eccles.cap.9.num.1. sed omnia in futurum seruantur incerta, &c. ideò conturbati sunt, quia timor, & gaudium magnum apprehenderat illos, Matth.cap.28.num.8. Montes in fortitudine eius non mente, sed corpore, quia Sancti martyrium expectabant, ideò tristis est anima vsque ad mortem, dicebat Iesus.

Augustin. alij sunt montes Dei, alij sunt montes sæculi; istorum caput est Diabolus: Caput verò aliorum est Deus Iesus Christus; turbantur per istos Christi montes; alij mundi montes, vt supra diximus, hæc Augustin. Quis est hìc, dicebant, commouet totam Ciuitatem, mundus totus post eum vadit:

Sæuit mare, conturbantur montes, descendit pluuia, venerunt flumina, flauerunt venti, irruerunt in domum, in Ciuitatem Dei, sed quia fundata erat domus supra petram, ideò non cecidit, Matth. cap. 7. nu. 25. lætificatur domus, lætificatur Dei Ciuitas, Ecclesia Dei; quia ad tempus fuerat illorum tribulatio montium, flauit enim spiritus Domini, & fluxerunt compunctionis aquæ.

Fluminis impetus lætificauit Ciuitatem Dei, erant enim in illa nocte laudantes Deum, audiebant montes persequentes, Act. Apostol. cap. 16. numer. 25. cum sequen. Subitò terræmotus factus est magnus, itàvt mouerentur fundamenta carceris, & statim aperta sunt omnia ostia, & vniuersorum vincula soluta sunt, turbatur custos, petitoq. lumine introgressus est, & tremefactus procidit Pauli, & Silæ ad pedes, & producens eos foras, ait, Domini, quid me oportet facere, vt saluus fiam? & illi dixerunt: crede in Dominum Iesum, & saluus eris tu, & tua domus, & baptizatus est ipse, & omnis domus eius continuò, & lætatus est cum omni domo sua credens Deo. Fluminis impetus lætificat Ciuitatem Dei, quia gaudium est in Cælo super vno peccatore pœnitentiam agente, Luc. 15. num. 7. & 10. Propterea conuertisti planctum meum in gaudium mihi, Psalm. 29. num. 11. Conscidisti saccum meum, & præcinxisti me lætitia, vt cantet tibi gloria mea, & non compungar, Montes exultauerunt sicut arietes, & colles sicut agni ouium, Psalm. 113. num. 4. Quod nàm flumen est illud, cuius impetu lætificatur Ciuitas Dei, nisi flumen Dei, de quo Psalm. 64. numer. 11. Flumen, inquit, Dei repletum est aquis? Non enim impetus aquæ quasi à natura, sicut cæteræ fluminum naturalium aquæ, sed quæ ex aquis è Cælo faciunt impetum superabundantis gratiæ cælestis, de quibus Deuter. 11. num. 10. Terra, ad quam ingredieris possidendam, dicit Deus, non est sicut terra Ægypti, vbi iacto semine in hortorum morem aquæ ducuntur irriguæ; sed montuosa est, & campestris, de Cælo expectans pluuias, quam Dominus Deus tuus semper inuisit, & oculi eius in ea sunt à principio anni vsque ad finē eius, Ioan. cap. 17. num. 9. Rogo pro his, quos dedisti mihi, quia tui sunt, quos seruabam eos in nomine tuo, & custodiui, ibidem num. 12. sed terra hæc campestris est, & montuosa, quia tribulationum plena est; dantur tamen sitienti aquæ, de fonte aquæ viuæ gratis; nec sitiemus amplius, quia in nobis fiet aqua, quam dabit Dominus, fons aquæ salientis in vitam æternam, Ioan. 4. num. 14. & in Apocalyps. cap. 21. num. 6.

Sanctificauit Tabernaculum suum Altissimus; Deus in medio eius non commouebitur. Quia qui sedet in throno, habitabit super illos: non esurient, neque sitient amplius, neque cadet super illos Sol, neque vllus æstus, quoniam agnus, qui in medio throni est, teget illos, & deducet eos ad fontes aquarum; Et absterget Dominus omnem lacrymam ab oculis eorum, Ioan. Apocalyps. 2. num. 17. quia Tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis, Apocalyps. cap. 21. num. 4. cum sequèn. Augustin. Fluminis impetus lætificat Ciuitatem Dei, innundatio scilicet illa Spiritus sancti, de qua Ioan. cap. 4. nu. 14. Si quis sitit veniat, & bibat; qui credit in me, flumina aquæ viuæ fluent de ventre eius, hæc flumina de ventre Apostolorum Petri, & Pauli, Ioannis, & aliorum Apostolorum, & Euangelistarum fluebant ab vno flumine: hæc flumina, quia fluunt, multi impetus fluminis lætificant Ciuitatem Dei. Mare tur-

turbatur, Ciuitas Dei lætificatur, quærunt illi Christianorum dispersionem, & deletionem. Ab Altissimo Tabernaculum sanctificatur, ideò fluminis impetu lætificatur, quia Spiritus sanctus, qui venit, impleuit totam domum, Act. d. cap. 2. vbi erant sedentes. Et propterea anima, quæ credit, sanctificata dicitur, cum Tabernaculum Dei effecta sit; Ciuitas Dei facta est, in cuius medio stat Deus, & non commouebitur, sæuiat mare, conturbentur montes, stat in medio Deus, & non commouebitur, cuius sedes sunt piorum animæ. Non cadas ergo tu à Deo, vt sit semper in te Deus; si tu cadis, non cadit Deus; quia semper est adiutor tuus; ille si se subduxerit cades tu, tu te si subduxeris, Deus non cadet; in medio stat, quia æquus est Dominus, æqualiter in omnibus consulens; sicut qui in medio stat, pauca habet spatia ad omnes fines; si tu stas, & ipse non commouebitur, si tu cadis, nec ille commouebitur, & nihilominus adiuuabit te Deus vultu suo.

Propterea conturbatæ sunt gentes, non vt amplius destruant tabernaculum, quod supra firmam petram fundatum reperitur; inclinata enim sunt, inquit, regna, vt adorent, non vt amplius superbiant, adorabunt enim eum omnes Reges terræ, Psalm. 71. Reminiscentur, & conuertentur ad Dominum vniuersi fines terræ, & adorabunt in conspectu eius vniuersæ familiæ Gentium, quoniam Domini est Regnum, & in conspectu eius cadent omnes, qui descendunt in terrã, Psalm. 21. Fluminis impetus Ciuitatem Dei lætificat. Quæ Ciuitas Dei, nisi anima, quæ ad instar Cæli continentis omnia, Templum Domini est effecta? Augustin. in 2. Serm. de Natiuit. Virg. Quis fluminis impetus in illam? audi Angelum, Luc. cap. 1. num. 28. Aue Maria, gratia plena, Dominus tecum. Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Dei obumbrabit tibi; Nouum creauit Dominus super terram, fœmina circundabit virum, Ierem. 31. num. 22. Domine refugium nostrum, quia ad te sunt oculi nostri, ne pereamus; mitte quem missurus es. Pro arcanis est titulus, super Alamot, super Virgine, veniat virtus, quæ obumbret illi, & nascatur Redemptor noster, filius tuus Vnigenitus; fluminis impetus gratiæ tuæ, de qua plena facta est Virgo, & virtus, quia ex fructu ventris Mariæ, salus plebi Dei restituta est. Fluminis impetus lætificat Ciuitatem Dei, quia de plenitudine eius nos omnes accepimus, Ioan. cap. 1. num. 16. Turbatur ex ortu Domini Herodes, & omnis Ierosolyma cum illo, Matth. cap. 2. num. 3. iratus ille occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem, & in omnibus finibus eius, ibidem numer. 16. Adiutor in tribulationibus, quæ inuenerunt nos nimis, Ierem. cap. 31. num. 15. Vox in excelsis audita est lamentationis, luctus, & fletus, Rachel plorans filios suos, & nolens consolari super eis, quia non sunt. Non timebimus, quia turbata sit terra; quiescat, dicit Dominus, vox tua à ploratu, & oculi tui à lacrymis, quia est merces operi tuo, & reuertentur de terra inimici, & reuertentur filij tui ad terminos tuos, numer. 17. ibidem. Translati sunt montes in cor maris, infantes in ira Herodis occisi sunt, & ecce profanus hostis nunquam beatis paruulis tantum prodesse potuisset obsequio, quantum profuit odio. Augustin. in Sermon. de Sanctis 10. Fluminis impetus lætificat Ciuitatem Dei, quia virtus Altissimi obumbrabit tibi: nàm de fructu ventris tui posuit innocentes super sedem sanctam, ò Beata Virgo. Et si gratia es plena, quomodò potuit esse in te originalis

ma-

macula? si Tabernaculum suum ab æterna ordinatione sanctificauit, quomodò in Tabernaculo suo, quod es tu Virgo sanctissima in primo Conceptionis tuæ instanti permiserit Dominus coinquinatum aliquod, & non fecerit te totam immaculatam, totam puram, totam pulchram Virginem Deo claram, Altissimi filij Dei domum mundam, Tabernaculum sanctissimum? tota enim pulchra es amica Dei, Mater Christi, Mater vitæ fidelium. Adiuuabit te Deus mane diluculo; quid mane diluculo, nisi in primo instanti in principio tuæ Sanctissimæ Conceptionis per gratiam Dei ab immunditia Originalis præseruata? Mane sanctificatus est Ioannes, hoc est ante Natiuitatem, in ventre Matris suæ, hoc idem de Ieremia dicitur, non tamen mane diluculo, non in ipso Conceptionis instanti, mane diluculo: speciali sanctificationis ratione per præseruationem à peccato originis dispensata est Virgo; Mane diluculo præseruata est Mater Christi, & Virgo; dignior enim erat prærogatiua Matris Christi, quæ in corpore suo gestatura erat filium Dei Saluatorem, & Redemptorem Ioannis, & totius mundi.

Sanctificatus est Ioannes in ventre Matris; sanctificatus verò est venter Mariæ per Iesum; ille sanctificatur, hìc Sanctificator; ille seruus, hìc Dominus; ille vox clamantis in deserto; hìc verò Verbum Dei ponens credentes in Cælo.

Vndè Augustin. de Natura, & gratia, cap.36. contrà Pelagium, eos, quos ipse dixit non peccasse, numerans, & instè vixisse, Abel scilicet, Enoch, Melchisedech, Abraham, Ioseph, Iacob, & Ioseph, cui desponsata est Virgo; & inter mulieres, Mariam, quam ipse Pelagius dicit sine peccato confiteri necesse esse pietate; Vndè Augustin. excepta, inquit, Virgine Maria, de qua propter honorem Domini, nullam prorsus, cum de peccato agitur, habere volo quæstionem; Vndè enim scimus, quod ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere, ac parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum; hac ergo Virgine excepta: si omnes illos Sanctos, & Sanctas, cum hìc viuerent congregare possemus, & interrogare, vtrum essent sine peccato; quid fuisse responsuros putamus? Vtrum quòd iste dicit, intelligens de Pelagiano, an quod Ioannes Apostolus 1.cap.4. nonnè vna voce clamassent; si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est? an illud humilius responderent fortasse, quam verius? sed huic iàm placet, & rectè placet, laudem humilitatis in parte non ponere falsitatis: sequitur Augustin. Itaque hoc si verum dicerent, haberent peccatum, quod humiliter faterentur, quia veritas in eis est: si autem hòc mentirentur; nihilominus haberent peccatum, quia veritas in eis non esset; hæc Augustin. addo Augustin. de Verbis Apostol. in Serm.29. in sex illis capitibus ex cuius doctrina infertur, illum asserere Virginem Mariam non solum ab actuali, sed ab originali fuisse immunem, nam ipse comparat ipsam Ioanni, Innocentibus, qui nec mortaliter, nec venialiter peccauerunt, & tamen dicit, nullum eorum fuisse sine peccato, præter Virginem Mariam, ergo ipsam asserit ab originali immunem. Propter, inquit, honorem Domini; scimus, Neminem à peccato esse liberum præter Christum: Credimus tamen, Virginem Mariam liberatam, & præseruatam à peccato: differunt enim esse liberum, & liberatum, nàm liber respicit personam, & naturam simul, prout est Christus, qui inter mortuos

liber, quia nec in persona fuit obligatus, nec in natura Adam: Virginis Tabernaculum sanctificauit propterea Altissimus, & in medio eius stans non commouebitur, cuius gratia fluminis impetus lætificans Mariam, ideò facta est gratia plena, quia adiuuauit illam Deus mane diluculo, vt dictum est, Vndè Hieronym. Psalm. 77. ibi: Deduxit eos in nube diei, tota nocte in illuminatione ignis. Per illam nubem Mariam intelligamus, illa enim nullo humano pondere prægrauata, semper fuit in die, & non in nocte, & semper in luce, & nunquam in tenebris, ergo neque in primo, neque in secundo instanti, sed semper immunis à peccato originali. De hoc aliàs diximus, & fusius tractabimus infrà, Deo fauente.

Turbantur ergo montes, dum fluminis impetus lætificat Ciuitatem Dei, illi in destructione turbantur, isti, quia ad prædicationem Euangelij concurrit credentium multitudo, Dei Ciuitatem, scilicet Ecclesiam suam sanctam lætificant, illi contemptores, & admirantes turbati, Habac. cap. 1. num. 5. repleti sunt zelo, & contradicebant blasphemantes, quæ à Paulo dicebantur; isti verò constantes, Paulus scilicet, & Barnabas indignos Iudæos iudicantes æternæ vitæ, positum in lucem Gentium Iesum Christum prædicant, Isai. cap. 49. numer. 6. Conuersi ad Gentes, quæ audientes, & Deum glorificantes gauisæ sunt. Illi Discipulos persequentes, contrà eos mulieres, & primos Ciuitatis excitabant, vt extrà Ciuitatem eijcerentur: isti verò, excusso puluere pedum in eos, repleti sunt gaudio, & Spiritu sancto, Act. dicto cap. 13. numer. 45. vsque in finem. Fluminis enim impetus lætificat Ciuitatem Dei, quia Tabernaculum suum Altissimus sanctificauit, Ecclesiam suam sanctam benedictionibus repleuit; & supra firmissimam petram illam fundauit.

Sæuiat mare, impellat impetus fluminis, in medio Ecclesiæ stat Deus, qui non commouebitur, & erit nobiscum vsque ad consummationem sæculi, vt adiuuet eam, hoc est suos fideles, mane diluculo, idest in opportunitate succurrat. Ipse enim Deus adiutor est in opportunitatibus, in tribulatione, Psal. 9. num. 10. Quocircà Paul. ad Hebr. cap. 4. num. 16. admonet nos, vt cum fiducia adeamus ad Thronum gratiæ, vt misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno. Momentanei sunt fluctus, statim enim transeunt; qui verò non franguntur, nec flectuntur ab vndis illis fluctuantibus, perpetuo gaudio lætantur. Noli ergo tu sedere in flumine, noli sedere sub flumine; hæc enim transitoria sunt. Iustus esse si vis & perfectus, super omnia transitoria firmus, & stabilis permaneas, multis fluctibus agitaberis, aut decursibus deuolueris, Augustin. super Psalm. 136. transitoria ergo ista, quæ stare nullo pacto queunt, ideò fac, vt à te transeant, non per te. Bernard. de Considerat. Nazianzen. Orat. 27. Aptantur, quæ in Psalm. 72. num. 18. dicuntur, Propter dolos posuisti eis; in Hebr. in lubricitatibus constitues pedes eorum, idest ne in lubrico, & lutoso itinere prolabatur; omnia enim, quæ hìc amantur, & transeunt, flumina Babylonis sunt, & dicuntur, Augustin. in Psalm. 136. Ideò graues viri considerantes Babylonis flumina, vel fugiunt penitus, vel super illa sedent: hæc Augustin. noli tu sedere.

Conturbatæ sunt aquæ maris, quia aqua fluminis appropinquauit illis, Eccles. cap. 24. à mari, inquit, num. 39. abundauit cogitatio sapientiæ, cogitatio eius, & consilium eius ab abysso magna; corruperat enim omnis caro viam

suam, nec fuit inuentus, qui faceret bonum. Ideò cogitauit mittere filium suum Vnigenitum in terram; ipse sapientiæ effudit flumina, & ipse quasi trames aquæ immensæ de fluuio, ego quasi fluuij doryx, & sicut aquæductus exiui de Paradiso; Dixi, rigabo hortum meum plantationum, & inebriabo prati mei factum, & ecce factus est mihi trames abundans, & fluuius meus appropinquauit ad mare, quoniam doctrinam, quasi antelucanum illumino omnibus, & enarro eam vsque ad longinquum, &c. & illuminabo omnes sperantes in Domino. Fluminis impetus lætificat Ciuitatem Dei, appropinquans enim mari illuminauit Gentilitatem, Iob cap. 12. num. 15. Si continuerit aquas, omnia siccabuntur. Arescebat intellectus, quia sancti Spiritus gratia ab audientis mente subtracta erat; neque enim, aiebant, si sit Spiritus sanctus audiuimus, Act. Apostol. cap. 19. num. 2. postquam verò id dictum est, Ioan. cap. 7. num. 36. & 38. Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ; de Spiritu sancto, quem accepturi erant credentes in eum, Act. 2. num. 17. Fluminis impetus lætificauit Ciuitatem Dei, nàm quia aquas emisit, subuersa est terra, Iob cap. 12. numer. 15. Quomodò autem aquæ subuerterunt terram, explicat D. Gregor. in exposit. Moral. Iob cap. 6. lib. 11. dicens, cum mens humana diuino munere infusa contrà hæc, quod consueuerat, agere cœperit, terra subuersa est, quia deorsum missa est, quæ prius eminebat, & sursum leuata est facies, quæ prius in profundo præmebatur, & de Paulo sancto dat exemplum, qui cum contrà Christum Epistolis acceptis pergeret, sancti Spiritus gratia in itinere infusus, ab illa sua protinus crudelitate mutatus est, & postmodum plagas pro Christo accepit, quas veniebat inferre Christianis, & qui prius carnaliter viuens in mortem conabatur Sanctos Domini tradere, gaudet postmodum pro vita Sanctorum suæ carnis sacrificium immolare: illæ crudelitates eius, frigidæ cogitationes versæ sunt in ardorem pietatis, & qui prius fuit blasphemator, & persequutor, humilis post factus est pius Prædicator, hæc ille.

Turbatur ergo terra, quando immissa est aqua, sed lætatur anima, quia reliquit temporalia damna, vt perueniat ad cælestia gaudia. Fluminis impetus lætificat Ciuitatem Dei, quia per illius aquæ infusionem peccator recessit à via perditionis, & inferni. O benignissime Iesu, aquam Spiritus tui sancti infunde super nos, vt te solum sequentes ad patriam illam & nos perueniamus lætantes, vbi manent Sancti tui.

Conturbatæ sunt gentes, & inclinata sunt regna, dedit vocem suam, & mota est terra. & in alio Psalm. 75. num. 9. De Cælo auditum fecisti iudicium tuum, tremuit terra, & quieuit, & in Psalm. 64. num. 8. & 9. Qui conturbas profundum maris: sonum fluctuum eius; turbabuntur gentes, & timebunt, qui habitant terminos à signis tuis; flumen enim Dei repletum est aquis, & paratus est cibus illorum.

Conturbantur gentes non vt Ciuitatem Dei destruant, sed vt pœnitentiam de præteritis peccatis agentes admittantur in illam, ad quam & inclinentur Regna, proptereàq. destiterunt facere mala, nec permanserunt in illis, Eccles. cap. 8. num. 3. Quia Deus dedit vocem suam, ideò mota est terra, Sap. cap. 8. num. 21. Nàm in Iesum Christum fidem habemus, declinamus à malo, & facimus bonum, scientes, quòd Regnum de gente ad gentes transferetur propter

iniustitias, & iniurias, & contumelias, & diuersos dolos, Eccles.cap. 10.num.8. Augustin. Inclinata sunt Regna, iàm non erecta, vt superbirent; sed inclinata vt adorarent, vt in Psalm.21.num.25. Reminiscentur, & conuertentur ad Dominum vniuersæ familiæ gentium; & adorauerunt omnes pingues terræ, & Psalm.71.num.11. Adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gentes seruient ei, quia Dominus dedit vocem suam, & mota est terra, hanc vocem dederunt nubes, Apostoli scilicet Domini, Psalm.76. numer.18. & illuxerunt corruscationes eorum orbi terræ, vidit, & commota est: & contremuit terra, quando montes in cor maris translati sunt, quando de pedibus excusso puluere ad gentes conuersi prædicauerunt Apostoli, Act.Apostol.cap.18.num.6. Contradicentibus autem eis, & blasphemantibus excutiens Paulus vestimenta sua, dixit ad eos, sanguis vester super caput vestrum; mundus ego, ex hoc ad gentes vadam; mandauit enim Dominus, ne pluerent imbrem super illam vineam, Iudæorum Synagogæ, Isai.cap.5.num.6. & Act.Apost.d.cap.15.num.46. & deserta facta est in conculcationem.

Conturbatæ sunt gentes. Sed quomodò conturbatæ? quos tribulationum socios habent, quia conturbatæ sunt? quia conturbatæ sunt, conturbetur palea, vt emittat frumenti grana; conturbatur, & triticum, vt remaneat à palea separatum, & nitidum; illa conturbatur, vt ad ignem mittatur, illud tribulatur, conturbatur, vt panis effectus fiat vita sumentium, & comedentium. Conturbatæ sunt gentes, quia relictis Idolis, & peccatis conuersi sunt ad Christum fontem viuum, remanserunt paleæ, quæ non audierunt vocem vitæ, ideò illi in perpetuum in inferno comburentur, & nunquam consummentur: isti vt in sempiternum viuant, & lætentur. Augustin. in Psal.13. num.7. Vndè Deus miscet tribulationes gaudijs terrenis, nisi vt tribulationem sentiant, & amaritudine discamus æternam desiderare dulcedinem?

Idemq. Augustin. in Tom.4. in lib. Vnico diuersarum Quæstionum, litera H. Fieri potest, inquit, vt per malum hominem Diuina prouidentia & puniat, & opituletur. Nàm Iudæorum impietas etiam Iudæos supplantauit, & gentibus saluti fuit. Item fieri potest, vt Diuina prouidentia per hominem bonum, & damnet, & adiuuet, sicut ait Apostolus 2.Corinth.cap.2.num.15. In ijs, qui salui fiunt, & in ijs, qui pereunt; alijs quidem odor vitæ in vitam, alijs verò odor mortis in mortem. Cum omnis tribulatio, aut pœna impiorum sit, aut exercitatio iustorum, quia eadem tribula, & paleas concidit, & frumenta paleis exuit, Vndè tribulatio nomen accepit.

Inclinata sunt Regna, quia dedit vocem suam, & mota est terra, Matth. cap.27.num.51. Et ecce petræ scissæ sunt, postquam clamans voce magna emisit spiritum. Inclinata sunt Regna, cum ipsi Christo Iesu data sit potestas in Cælo, & in terra, Matth.cap.28.num.18. In cuius nomine omne genuflectitur cælestium, terrestrium, & infernorum. Inclinata sunt Regna, quia cum Princeps huius mundi eiectus sit à terra, Ioan.cap.12.num.31. nunc non tangit nisi volentem, Psalm.8.num.8. omnia subiecit sub pedibus eius. Vndè Paul. 1.Corinth.cap.15.num.25. oportet autem illum regnare, donec ponat omnes sub pedibus eius.

Accedamus ergo ad illum, quia est Dominus virtutum, & erit nobiscum, susceptorquè noster Deus Iacob. Nàm nobiscum est, quia carnem nostram assum-

assumpsit, & est nobiscum vsque ad consummationem sæculi, Matth d.cap.28. num.20. ideò Emanuel vocatus, Matth.cap.1. quod nobiscum interpretatur. Et susceptor noster, quia carnem assumens nostram, peccata omnium ipse suscepit, ipse tulit, ipse portauit, Isai.cap.53.num.6. Posuit Deus Pater in eo iniquitatem omnium nostrum, & eius liuore sanati sumus. Iustitia, & iudicium fuit correctio sedis eius, quia potentiam Diaboli superauit, & nos à manibus illius liberauit, sed per iustitiam; cum omnium nostrum iniquitates ipse portauerit, & pro nobis debitum mortis exoluerit, & peccata multorum tulit, Isai.d.cap.53.num.12. & quòd morte Christi iustitia superatus sit Diabolus, probat Magister lib.3. dist.20.

Susceptor noster Deus Iacob, si ergo suscipi volumus, sicut paruuli, qui à parentibus suscipiuntur, efficiamur & nos paruuli lactentes sine dolo, lac concupiscentes, 1.Petr.cap.2. num.2. Si, vt Dominus sit susceptor cupimus, deponentes omnem malitiam, & omnem dolum, & simulationes, & inuidias, &c. sicut modo geniti infantes rationabiles, deponentes omnia, iram, indignationem, malitiam, blasphemiam, & ad Coloss.3.nu.8. & ad Hebr.cap.12.num.1. & ità per consuetudinem exercitati habeamus sensus ad discretionem boni, & mali, & tamquã perfectis solidus exhibeatur nobis cibus, vt dicit Paul. ad Hebr. c.5.n.14. Suscipiaris ergo à Domino, ità vt nutriaris; nàm non suscipiuntur, qui exponuntur, susceptor noster Deus Iacob.

Non credis quia susceptor noster est Deus? veni, & vide opera Domini; si vis videre, veni, ingredere in Ecclesiam Dei, suscipe fidem Iesu Christi, & videbis. Si non venis, non vides, si non vides, non credis, si non credis, longe stas. Quomodò vis videre, si longe sis à luce; si longe sis à fide; accede, veni, & videbis opera Domini, quæ posuit prodigia super terram, auferens bella vsque ad finem terræ. Quæ prodigia posuit super terram? Prodigia, inquit August. dicuntur, quòd aliquid portendunt, signa illorum miraculorum, quæ facta sunt, quando mundus credidit; siuè prodigium, quod in solidis corporibus prospicitur; Quod prodigium super terram ostendit Dominus? Christus filius Dei, cum in Cruce leuatur, vt eius mors iustis vita fiat; & omnes Apostoli, & Discipuli, & Martyres suo sanguine Ecclesiam in omnes fines terræ plantent, vt Regibus, Imperatoribus, & Principibus sit in honorem, quod prius erat illis in opprobrium, & prostrati nunc adorent, & super caput suum cum veneratione crucem portantes, & lætantes Christum crucifixum adorent, venerentur, & in illo sperent.

Venite, & videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram, vt per hanc consummationem, & martyrium fiat generatio credentium: per ignis consumptionem fiat lux æterna cremato: per membrorum trucidationem, fiat totius corporis vna consolidatio, vnica vnio sub illorum capite Iesu, quæ est Ecclesia Dei, Zacch.cap.13.num.9. Ducam tertiam partem per ignem, & vram eos, sicut vritur argentum; & probabo eos, sicut probatur aurum; ipse vocabit nomen meum, & ego exaudiam eum; dicam, Populus meus es tu, & ipse dicet, Dominus Deus meus.

Auferens bella vsque ad finem terræ, quia traxisti Domine omnia, Iud.c.12. vt quod in vno Iudææ templo obumbratis significationibus tegebatur, pleno apertoq sacramento, vniuersarum vbiq. nationum deuotio celebraret. S. Leo

Papa

Papa in Ser.8. de Passione Domini, post medium. Ijs, qui in Ecclesia Dei sunt veri fideles, non est iàm spes in illorum arcu, aut quòd brachium eorum salvet illos; non enim isti de sua potentia præsumunt, vt dicit Iob cap.15. nu.26. de quodam impio, cucurrit aduersus Deum in crassa ceruice scuti sui; Cucurrit, inquit Iob, aduersus eum erecto collo, & pingui ceruice armatus est; operuit faciem eius crassitudo, & de lateribus eius aruina dependet.

Non inquiunt iusti; in arcu meo sperabo, suprà Psal.43. & brachium meum non saluabit me. In illo bella confracta sunt dicit Augustin. talia bella deleuit vox Altissimi; illa de nubibus Sanctis, quia terra commota est, & inclinata sunt Regna, abstulit hæc bella vsque ad finem terræ, arcum conteret, & confringet arma, & scuta comburet igni. Augustin. Arcus est, insidiæ; arma, publica oppugnatio: scuta, vana præsumptio suæ protectionis: ignis, quo ista comburuntur, de quo Saluator, Luc.cap.12. Ignem veni mittere in terram, de quo igne non est, qui se abscondat à calore eius, Psalm.18. Feruente igne isto nulla in nobis impietatis arma remanebunt; necesse est, vt omnia confringantur. Aufert ergo bella, quia feruente isto igne nulla nobis impietatis arma remanebunt, Augustin. Conterantur, comburantur; remaneas inermis, non habens vllum adiutorium, & quantò magis infirmus es, nulla tua arma habens, tantò magis te suscipit, qui susceptor noster Deus est Iacob. Valebas quasi per te, conturbaris in te: perde arma, quibus præsumebas, audi Dominum dicentem, sufficit tibi gratia mea, 2. Corinth.cap.12.nu.9. nàm virtus in infirmitate perficitur, velut si diceres cum Iob d.c. 12. Non curro aduersus Deum in crassa ceruice scuti mei, qui prius fui blasphemus, persecutor, & iniuriosus, sed ideò misericordiam consequutus sum, 1. ad Timoth. cap.1. nu.16. vt in me primo ostenderet Christus Iesus omnem patientiam ad informationem eorum, qui credituri sunt illi in vitam æternam: vsque hùc, Augustin. A facie ergo Domini sileàt omnis terra, scutum conteret, & confringet arma eius, qui est contrà Ecclesiam suã semper permansuram, quia Dominus in templo suo comburet illa. Laborant gentes, & illius inimici populi in multo igne in vacuum, quia deficient: replebitur enim terra, vt agnoscant gloriam Domini, quasi aquæ operientes mare, Habacuc. cap. 2.num.14. & in fine, Et fiet vnum ouile, & vnus Pastor, Ioan.cap.10. num.16.

Vacate, si videre cupitis, vacate à delictis; desine ab ira, & relinque furorem, Psalm.36. num.8. si non vis habere Deum vltorem, Deus enim est omnium, qui exaltatur in gentibus, & exaltatur in terra: in gentibus, ad quas verbum Dei peruenit, & conuersæ sunt ad Dominum. Exaltabitur Deus, ideò accipient Regnum decoris, & diadema speciei de manu Domini. Exaltabitur in terra, quia malos malè perdet, & erit infernus domus illorum, Sap.cap.3. in princ. & cap.5.num.3. cum sequen.

Desine aduersus Dominum facere, 2.Paralip. cap. 25. num. 28. quia cum sit Dominus omnium proijciet te in puluerem terræ. Vacate, qui in delictis nunc estis immersi, nàm tunc videbitis, quòd nihil melius sit timore Dei, & quàm vtile & gloriosum sit, Dominum sequi, & respicere in mandatis Domini, Eccles. 23. num. 37. gloria enim magna est sequi Dominum. Vacate, impietatis dissoluendo colligationes. Videbis; nàm lumen tuum, & sanitas tua citò orietur, & anteibit iustitiam tuam facies tua, & gloria Domini colliget te; inuocabis

Domi-

Dominum, & ipse exaudiet te: clamabis, & dicet tibi, adsum, Isai.c.52.num.6. & sequen. & dabit nomen suum in corde tuo, Ierem.cap.31.num.40.

A contradictionibus animos reprimite vestros, non habebitis enim vndè pugnetis, si arma vestra, si sensualitates, & praua desideria vestra à vobis abdicaueritis, si comburatis illas, & illa; & tunc ad Dominum accedentes dicite.

SOLILOQVIVM.

DOMINVS refugium nostrum, & virtus, adiutor in tribulationibus, quæ inuenerunt nos nimis; Iàm præsumptionis humanæ arma combusta sunt, quia in cor maris montes translati sunt, non timemus amplius arma potentium, nàm montes fortium superati sunt, & amici Dei accincti sunt robore. Sanctificauit Dominus tabernaculum, & fluminis impetus lætificat Ciuitatem Dei, quia cum esset sterilis, facta est domina Gentium; neque commouebitur amplius, quia in medio eius stat Dominus, vt succurrat illi in tempore opportuno; speciosa misericordia Dei in tempore tribulationis, quasi nubes pluuiæ in tempore siccitatis. Conturbatæ sunt gentes, quia Dominus vocem suam dedit, & ideò mota est terra, quæ prius arida, per fidem, & bona opera fertilis est facta; Dominus enim virtutum suscepit illam, & agriculas suos misit in illam, & plantauit vineam, vt faceret fructus bonos, & vuam. Venite mortales, & ingredimini in illam, quia videbitis opera Domini, & prodigia, quæ posuit super terram, vt abnegantes vosmetipsos, & desideria carnalia comburentes, efficiamini filij Dei, & perueniatis ad patriam cælestem. Vacate in tranquillitate cordis, vt Deum bonorum omnium authorem cognoscentes, & in illum credentes, in illo, qui est vita æterna, viuatis.

Vacate ò Iudæi ab imperitijs, & præsumptionibus vestris, & vacantes considerate opera, quæ fecit Deus in terra post illius aduentum; ad vocem ipsius inclinata sunt Regna, vt adorent eum; à facie eius montes fluxerunt. Mota est terra, cum ipse ad seipsum traxerit omnia: omnes credunt in illum à solis ortu, vsque ad occasum: translati sunt montes in cor maris; conturbatæ sunt gẽtes, inclinata sunt Regna, dedit Altissimus vocem suam, & mota est terra, Dominus virtutum nobiscum, susceptor noster Deus Iacob. Impletur fides gentium, in quibus facta sunt miracula: iàm montes translati sunt, plenitudo gentium intrauit: cesset Iudæorum nunc cæcitas. Dominus tonitruo suo inclinauit iàm Regna: exaltetur nomen in gentibus, exaltetur & in terra, inter gentes scilicet, & inter Iudæos. Exaltetur in mari, & exaltetur in terra. Dicant omnes, Deus virtutum nobiscum, Deus susceptor noster, cuius nutu conturbata sunt mare, & terra; vt propterea deleta sint omnia peccata nostra. Succurre nobis immaculata Virgo, & Mater Christi Dei, Beata Maria, cuius & anima, & caro in ventre Matris tuæ Annæ mane diluculo munda, ac sancta fuit, sine peccato concepta. Sicut per vteri tui fructum deleta fuere nostra delicta, nostra peccata; sic per intercessionem tuam fluminis impetus gratiæ descendat in nostra pectora, vt sancti Spiritus illuminata lætetur & Ciuitas Sancta. Amen.

IN PSALMVM XLVI.

Omnes gentes plaudite manibus : iubilate Deo in voce exultationis.



CONTINVATVR iste Psalmus ad præcedentem Psalm.45. in quo de vocatione gentium, de Regnorum inclinatione ad Ecclesiam futura, & quem fructum exinde essent regna ipsa perceptura. Eodem quippè spiritu prophetico ductus Dauid filijs Core canendum hunc dedit Psalmum in laudem Christi Ecclesiæ capitis cum iubilatione, quia iàm Christus ascendens in Cælum secum omnem gentem trahit. Plaudite, dicit, ò gentes manibus benè scilicet operando; & voce confitentes Redemptorem exultate, & iubilate, quoniam Principes terræ congregati sunt cum Deo Abraham. Vox speculatorum suorum, leuauerunt vocem, simul laudauerunt, Isai.cap.51.num.5.

Titulus talis est (In finem pro filijs Core Psalmus) In finem, vt aliàs diximus in Christum, Psalmus canendus filijs Core, idest filijs Caluariæ, hoc est Christianis, Christo credentibus, qui in Caluariæ monte crucifixus est, idest Psalmus omni genti tradendus, ad quam Euangelicum Dei verbum peruenit, in omnem enim terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum, Psalm.18.

Summa illius. Ascensio Christi in Cælum lætitia, & iubilatio futura omni genti. Quòd verò Psalmus iste de Christi Ascensione, & in Cælum illius eleuatione intelligatur, patet ex eiusdem Psalmi serie consona dictis ab ipsomet Christo. Cum exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum; Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra, Matth. cap.vlt.in fine. Benè prophetauit Dauid vers.3. subiecit inquiens populos nobis, & gentes sub pedibus nostris, deindè: Ascendit Deus in iubilo, vers.5. & vers.8. Regnabit Deus super gentes: Deus sedet super sedem sanctam suam; Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham.

Vana ergo illorum opinio, quæ censet, Dauidem loquutum hunc Psalmum, quando Arcam Domini cum septem Choris præcedentibus deduxit cum iubilo, & buccinæ clangore, illamq. in medio domus Israel in Ciuitate Ierusalem collocauit, vt habetur 2.Reg.cap.6. nàm quæ comparatio domus Israel ad omnes gentes: quod iubilum in gentes, quia domus Israel saltat, & iubilat: quid Arca tabernaculi, cum Idolis gentium Dijs? immo nec tota Israel domus iubilat; nàm Michol filia Saul Dauidem subsilientem, & saltantem arguit. Vlterius, si Deus in Arca descenderat, quomodò dicit Dauid, ascendit Deus? descendit, quia de Cælo venerat; & sic sedet super sedem sanctam suam; quomodò applicatur descensus in arcam? qui enim prius descenderat, ascendit.

Regnat ergo Deus super omnes gentes, quia verbum illius susceperunt omnes; sedet in sede sua, quia ascendens in cælum, est sedens ad dexteram Patris: inclinata sunt ei Regna: propterea congregati sunt, inquit, Principes terræ cum Deo Abraham.

Omnes gentes, inquit, plaudite, non autem omnes Iudæi, dixit, vel omnis

populus

populus Iudæorum, quia ex illorum parte cæcitas facienda erat, Isai.c.6.nu.10. excæca cor populi huius, & aures eius aggraua: ne fortè videat oculis suis, & auribus suis audiat. Ruiturus enim erat populus Ierusalem, & Iudas casurus, quia lingua eorum contrà Dominum, Isai.cap.3.num.8. & Psalm.68.num.23. Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, & in retributiones, & in scandalum; Obscurentur oculi eorum ne videant. Offenderunt, vt caderent, dicit Paul. ad Rom.cap.11.num.11. vt illorum delicto salus esset gentibus, vt illos emularentur, delictum enim illorum, diuitiæ sunt mundi, & diminutio eorum, diuitiæ gentium, & num.15. amissio eorum reconciliatio est mundi, &c.

Omnes ergo gentes plaudite manibus, iubilate Deo in voce exultationis; Sit vox, & fides coniuncta operi, si cupis perfectè lætari; fides enim sine operibus mortua est, Iacob. in Epistola sua Catholica, cap.2.num.14. Quid, inquit, fratres proderit, si fidem dicat quis se habere, operà autem non habeat? & num.20. August. hìc. Quid est, plaudite? gaudete; sed quare manibus? quia bonis operibus; Ne gaudeatis ore, & cessetis manibus, vndè in Psalm.80. in princ. Exultate, inquit, Deo adiutori nostro: iubilate Deo Iacob: Sumite psalmum, & date tympanum; Sumat scilicet gens Psalmum, verbum quod illi prædicatur: illa verò det tympanum, accipiat gens spiritualia, & det carnalia. Fabricam construite, sed fundamenta prius fidei iacite. Accipite ergo gentes, & fidelium congregatio Psalmum, accipite spiritualia, & date tympanum; idest temporalia, & carnalia, Augustin.in d.Psalm.80. litera L. Hæc enim, quæ extrahuntur ad tempus, ad recipienda corpora, vel viuorum, vel mortuorum necessaria sunt, sed tempore prætereunte: Nunquid post iudicium Dei istas fabricas in Cælum leuabimus? sine his tamen hoc tempore agere, quæ ad possidendum Cælum pertinent, non poterimus: si ergo auidi estis in spiritualibus accipiendis, deuoti estote in carnalibus erogandis. Accipite psalmum, & date tympanum. Accipite vocem nostram, reddite manus vestras. Hucusque Augustin. Omnes ergo gentes plaudite manibus, iubilate Deo in voce exultationis. Si quid explicare non poteritis, haud ideò tamen ab exultatione cessetis. Quod poteritis, explicate, clamate; quod non potestis, iubilate; etenim ex abundantia gaudiorum, cui verba sufficere non possunt, is in iubilationem solet erumpere: Iungantur simul voces, & manus, vt sit perfecta salus; Voces vt confiteantur, quia Dominus Iesus est nostra redemptio, & salus; manus verò, vt operentur. Iungantur simul voces, & opera, vt Christo laudes debitas persoluamus omni tempore, ità enim cantat Ecclesia.

In voce exultationis, quia venit tempus nostræ redemptionis, quia qui crucifixus est pro nobis, sua potestate ascendit in Cælos; non tamen nos dereliquit solos in terris, cum semper nobiscum sit, Matth.cap.28.num.20.

Quoniam Dominus excelsus, terribilis, Rex magnus super omnem terram; Excelsus dixit, vt nos omnes humilitatem insinuantes sub Dei potentis manu in tempore visitationis exaltet, 1. Petr.cap.5.nu.5. Habac.3. in Oratione nu.19. Et super excelsa deducet me victor in Psalmis canentem; Terribilis Dominus, & magnus vehementer, & mirabilis potentia ipsius, quis enim videbit eum, & enarrabit? & quis magnificabit eum sicut est ab initio? multa abscondita sunt maiora his; pauci enim vidimus opera eius, Eccles.43.num.31. cum seq. & Psalm.75.num.18. Terribilis, qui aufert spiritum Principum, terribilis apud

Reges terræ. Ideò Rex magnus super omnem terram; non enim veretur potentiam & magnitudinem cuiusquam; quoniam pusillum & magnum ipse fecit, & æqualiter cura est ei de omnibus. Fortioribusq. instat fortior cruciatio, Sapien.6.num.5. cum seq. Rex magnus super omnem terram, cum pretio magno sanguine scilicet suo, emerit illam, atque redemerit. Rex etiam Iudæorum illorum, qui ad illum conuersi crediderunt, vt de Apostolis, & de alijs, de quibus Act. Apost. cap.2.num.38. & cap.4.num.4. & verbum Domini crescebat, & multiplicabatur numerus Discipulorum, cap.6.num.7. & per totum librum Actorum, & ideò titulus Crucis erat Rex Iudæorum. Verùm quia paruus illorum erat numerus credentium: scriptus idcircò titulus litteris Græcis, Hebraicis, & Latinis, vt illum omnium esse Dominum, & Redemptorem intelligerent, omnes ad illum accedere volentes; Romani scilicet, Græci quorum lingua est communis, & Hebræi, propterea dicitur in Psalm.30.num.9. Statuisti in loco spacioso pedes meos; in omnem enim terram exiuit sonus Apostolorum, & in fines Orbis terræ verba eorum: ideò sequitur Psalm. Subiecit populos nobis: Apostolis scilicet, Augustin. his enim Deus subiecit plebes, & gentes; vt hodie honorentur in gentibus, qui à suis Ciuibus occidi meruerunt, quomodò Dominus eorum occisus est à Ciuibus, & honoratur à gentibus: Crucifixus à suis, adoratur ab alienis, sed precio sanguinis sui, hęc August. & Psal.8. num.8. Omnia subiecisti sub pedibus eius, 1. Corinth.15, num.26. Et per consequens Ecclesiæ suæ, & pedibus eius omnia subiecit, idcircò nomine Ecclesiæ dicitur hìc; omnia subiecit sub pedibus nostris, Ioan. cap.14. num.20. in illo die vos cognoscetis, quia ego sum in Patre meo, & vos in me, & ego in vobis, & cap.17.num.21.cum sequen.

Et gentes sub pedibus nostris; sed quomodò dicis, ò Ecclesia Dei, quia gentes sub pedibus nostris subiecerit? vbi sunt positi pedes tui, vt gentes sub illis subijciantur? supra petram, inquit, sunt pedes Ecclesiæ, pedes credentium, petra autem est Christus, 1. Corinth.10.nu.4. ideò benè dixit Dauid Psalm.34. nu.3. Statuit supra petram pedes meos, quibus lucerna est verbum Dei, Psal.118. nu.105. Lucerna, inquit pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis. Subiecit ergo sub pedibus Ecclesiæ gentes, docendo illas, & baptizando in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Matth. cap. vlt. in fine. Fidem susceperunt gentes, in Ecclesiam ingressæ sunt. In vrbe fortitudinis suæ qui est Saluator, subiecit, inquiunt Apostoli, inquit Ecclesia, sub gressibus nostris, sub pedibus nostris in manu forti, vt quos dedit illi Deus, non capiat de manibus illorum Tartarus, Ioan.d.c.17. n.12. seruabam eos in nomine tuo; quos dedisti mihi, custodiui, & nemo ex ijs perijt, nisi filius perditionis, vt impleatur Scriptura, Psalm.108.nu.6. Constitue super eum peccatorem, & Diabolus stet à dextris eius, & nu.8. & Episcopatum eius accipiat alter: & Nahum cap.1. nu.15. Non adijciet vltrà vt pertranseat in te Belial: Vniuersus interijt. Sed quid mirum, si illos, qui ingressi sint Ciuitatem illam sanctam, in qua stant Iusti, nemo potest de manibus Domini eruere? Cum murus & antemurale positus sit in illa Deus fortis in perpetuum, qui humiliat habitantes in excelso, & Ciuitatem Ierusalem vsque ad terram, vt pes pauperis conculcet eam, pedes pauperis, gressus egenorum, Isai.cap.26. num.5. Subiecit gentes sub pedibus nostris, quia validus, & fortis Dominus confregit superbiam illorum, & pedibus conculcata est corona

super-

ſuperbiæ illorum, Iſai.38.in princ. Et gentes ſub pedibus noſtris, Iſai.49.n.22. & ſequen. Ecce dicit Dominus, leuabo ad gentes manus meas, & ad populos exaltabo ſignum meum, & afferent filios ſuos in vlnis, & filias ſuas ſuper humeros portabunt; & erunt Reges nutritij tui; & Reginæ nutrices tuæ; vultu in terram demiſſo adorabunt te: & puluerem pedum tuorum lingent, & cadent ſubtus pedes meos; Pſalm.17.num.39. & Malach. cap.4.num.4. ſub planta pedum veſtrorum calcabitis impios.

Quàm ſpecioſi ſunt, & pulchri pedes ſuper montes annunciantis, & indicantis pacem, annunciantis bonum, & prædicantis ſalutem. Affertur enim ad illum fortitudo gentium, & Reges eorum adducuntur; idcircò aperiuntur portæ tuæ iugiter, die ac nocte non clauduntur, Iſai. cap.60.num.11. Apocal.21. num.25. & venient ad te curui filij eorum, qui humiliauerunt te, & adorabunt veſtigia pedum tuorum omnes, qui detrahebant tibi, & vocabunt te Ciuitatem Domini Sion ſancti Iſrael, Iſaid.cap.60.num.12. cum ſeqq.

Elegit nobis hæreditatem ſuam, ſpeciem Iacob, quam dilexit. Quos diligit Deus niſi eos, qui facti fideles, receperunt verbum eius. Et ſi permanſerit in ſimplicitate cordis, ſpecioſus in conſpectu Dei factus eſt, Act. Apoſt.13. num.48. Et crediderunt, quotquot prædeſtinati erant ad vitam æternam, talis enim eſt Eccleſia Dei, fidelium cœtus: Num.c.19.nu.20. ſpecioſus eſt fidelium cœtus, quia aqua Baptiſmi, & lacrymis pœnitentiæ eſt luſtratione aſperſus.

Speciem Iacob, quam dilexit. Magnificentiam, excellentiam, & veſtimentorum fragrantiam Iacob ſenſit Iſaac, Geneſ.cap.26.numer.27. ecce odor filij mei, ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus; maior ſeruiuit minori; quia ſimplex ipſe erat, & habitabat in tabernaculis, Geneſ.25.num.27. odorq. bonorum operum erat illi; quia ſimplex & purus ambulauit in vijs Domini, ecce odor filij mei, ſicut odor agri pleni.

Elegit nobis hæreditatem ſuam ſpecioſam Iacob, quem dilexit; non Eſau primogenitum, qui terrena ſapiens Iacobo primogenituram reliquit; habuit lenticulam, vt hæreditatem perderet æternam, amiſit ſpiritualia, vt frueretur temporalibus; illam vendidit ei, cui ſcilicet minori ipſe maior ſeruiuit; & ſeruiet, Geneſ.21.n.34. & 27.n.29. ſpecioſa hæreditas quæ habet tantos hæredes, cuius termini ad Occidentem, & ad Orientem, & Septentrionem, & Meridiem dilatantur, in cuius etiam ſemine benedicentur ſicut in illo omnes gentes, omnes tribus terræ, cuius hæreditatis cuſtos ipſe Deus eſt, Geneſ.28.nu.19. cum ſeq. Cuius nomen, non Iacob, ſed Iſrael vocabatur, quia fortis eſt contrà Deum, & Dæmones, hominéſq. vicit, illiſq. præualet; Geneſ.cap.32.nu.28. Luctabatur enim cum Angelo, nec illum ſine benedictione dimiſerat; Non dimittam te, dicebat, niſi benedixeris mihi: hanc ille Iacob deſiderabat hæreditatem, & ſi diues eſſet etiam in terrenis bonis; ſed magis in bonis operibus diues erat, iuxtà dictum Pauli 1. ad Timoth. cap.6. numer.17. Præcipe diuitibus huius ſæculi, non ſublimè ſapere, ſed benè agere, & diuites fieri in bonis operibus. Terrenas enim diuitias, non veras, nec noſtras ipſe ſciebat; proptereà non dimittam te, niſi benedixeris mihi; hinc D. Ambroſ. lib.3. Epiſt.10. ad Simplicianum, verè diues qui in conſpectu Dei poteſt diues videri; in cuius conſpectu terra exigua, mundus ipſe anguſtus eſt; ſed ſolum illum diuitem nouit Deus, qui ſit diues æternitate, qui non opum, ſed virtutum fructum recondat,

idem dicit Augustin.in lib.de Libero Arbitr.cap.19. Speciem ergo Iacob, quem dilexit; quia Dominus illum elegit, vt dona gratiæ & virtutis communicaret, Iacob. in Epistol. Catholica, cap.2. numer.5. Deus in hoc mundo diuites in fide elegit, vt hæredes essent in regno Dei; Species Iacob, quem dilexit: propterea hæreditas illius ipse Deus fuit, cum & ipse Iacob Deum ex toto corde suo dilexerit. Et tibi Deus hæreditas tua erit, sicut Iacob, si Deum & tu ex toto corde tuo dilexeris, vndè S. Leo Serm.5. de Ieiunio Septimi mensis.

Rationabilis animus, qui sine dilectione esse non potest, aut Dei amator est, aut mundi; in dilectione Dei nulla nimia; in dilectione mundi cuncta, sed noxia; Qui ergo diligit Deum, diligit & Dominum, & confitetur Dominum, vt suam seruet animam, Clem. Alexand.4. Stromat. propterea ipse Deus prius dilexit nos, 1. Ioan.cap.4. numer.19. vt & nos redamaremus illum. Vndè Augustin. in lib. de Cathechizan. rudibus, cap.4. Si amare pigeat, saltem redamare non pigeat; nulla enim est maior ratio ad amorem inuitatoria, quàm præuenire amando, & nimis durus est animus, qui dilectionem, si nolebat impendere, nolit & rependere.

Et ideò elegit nobis hæreditatem suam dare, vt nos ad Deum; ità prius ab illo dilecti redeuntes ad illius gloriam perueniamus, vndè Chrysol. Serm.70. O homo redi ad Deum totus sic amatus à Deo, & ad illius gloriam da totum te,qui totum propter nos ad suam deduxit iniuriam,&c.D. Bernard. de diligendo Deo: Multum meruit à nobis, qui re immeritis dedit seipsum nobis; quid enim melius seipso poterat dare, vel ipse? Ergo si Dei meritum quæritur, illud est præcipuum, quia ipse prior dilexit nos; dignus ergo planè qui redametur, præsertim si aduertatur quis, quos, quantum, quæ amauerit, &c.

Elegit nobis hæreditatem suam, vt eò magis nos ad illius amorem excitaret, addens & beneficiorum promissionem; Quid enim amando Deum facis? nisi quia reddis debita Deo, qui nulli debet? vndè Augustin. 1. Confess. cap.4. Reddis debita nulli debens, vtiq. sine promissione, & voluntate sua: iustitia enim nostrorum meritorum fundatur non in absoluta condignitate, sed magis in gratuita, & liberali repromissione in Concil. Sauonen.cap.16. in Decret. fidei, & Tridentin. Sess.6. cap.16. Iustus inquit, vitam æternam sperare debet tamquam hæreditatem filiorum, & tamquam mercedem ex Dei promissione bonis operibus, & meritis reddendam, ad Roman. cap.4. num.4. Ei qui operatur,merces non imputatur secundum gratiam,sed secundum debitum:

Elegit, idest disposuit nobis, dare scilicet hæreditatem suam; speciem Iacob, sed quomodò species Iacob? & non alijs etiam? Nàm Iacob Israel ideò vocatus est, quia Deum vidit species Iacob, ideò, quia & hæreditatem, idest ipsum Deum vidit: quid speciosius ipso Deo? quid pulchrius illo, qui pulchritudinem creat? si pulchritudo delectat,quid pulchrius faciente? Augustin.Psal.144. litera G. col.4. in fine, & litera M. speciosior fuit visio omnipotentis; nonnè & tribus illis Apostolis in monte Thabor Christus gloriam suam manifestauit, quando ante illos transfiguratus est,& apparuerunt illis Moyses,& Elias? Matth. c.17.n.12.Marc.9. Nonnè cum omnibus Apostolis & Discipulis conuersatus est Iesus; quibus ait, Philippe, qui videt me, videt & Patrem meum, quia ego in Patre, & Pater in me est? Ioan.cap.14.nu.9. speciosa hæreditas Iacob, Ecclesiæ, quam diligit Deus præ alijs, quia pro illa tradit filium suum.

Aſcendit Deus in iubilo. Et factum eſt, dum Ieſus benediceret illis, receſſit ab eis, & ferebatur in Cælum, & ipſi adorantes egreſſi ſunt in Ieruſalem, cum gaudio magno, Luc.24.n.51.& ſeq. Ipſis cernẽtibus eſt eleuatus in Cælum, præ gaudio voces laudum emittere non poterant: ineffabile enim illorum erat gaudium, quod nec exprimere valebant, nec tacere poterant; vox illorum defecerat, Ieſum verbum Dei caro factum eſt, à mortuis reſurrectione glorioſum in Cælis propria virtute in eadem carne noſtra aſcendentem, videntes, gaudentes ibant. Videntes verò illum aſcendere iubilabant, & admirabundis defecerant verba, voxq. illorum ſiluerat. Quid admiramini ideò dicebant Angeli? Ieſus hic eſt Deus, homo hic eſt & Deus, qui à Iudæis negatus, & crucifixus; ſua ipſius virtute, & poteſtate, aſcendit in Cęlum triumphans, vt iterum ſic veniat iudicare. Credatis; introite in conſpectu eius in exultatione, Pſal.99.& Dominus in voce tubę: vos vocatis me magiſtrũ, & Dominum, & benè dicitis, Ioan.13.n.14.& ſcitote quoniam ego Dñs ſum Deus, & ego feci vos, non autẽ ipſi vos, Pſal.99.nu.3.

Speciem Iacob, quem dilexit: conſideremus fratres, quis hic; quibus filij Core loquantur, & de quo. Loquitur Eccleſia ex Iudæis, & gentilitate ad fidem Chriſti coniunctis, de filio Dei Ieſu Chriſto, qui poſt aduentum ſuum aſcendit in Cælum, quibus hæreditas in Cælo parata eſt, quæ eſt ipſe Deus; elegit enim inquit, nobis hæreditatem ſuam ſpeciem Iacob, quem dilexit. Dilexit Deus Abraham, dilexit Iſaac, ſed poſt in Cælum aſcenſum dilexit Iacob; quid fratres? quod per Iacob dilectionem documentum accipimus?

Regnum Cælorum vim patitur, fratres, & violenti rapiunt illud, Matth.11. num.12. Dicebat ille. Bonum mihi, quia humiliaſti me, Pſalm.118.num.71. & ante dixerat; Priuſquàm humiliarer, ego deliqui, nu.67. has à Deo accepit Iacob iuſtificationes, qui fecit ipſum Iacob luctari cum Angelo, in cuius Angeli perſona Deus erat luctatus. Tenuit, vim fecit, inualuit, vt teneret, fecit ſe detineri miſericordia, non infirmitate. Luctatus ergo Iacob præualuit, tenuit, & quem videbatur viciſſe, rogat, vt benedicatur ab eo. Quomodò intelligebat, cum quo luctatus fuerat, quem tenuerat? quare violenter eſt luctatus, & tenuit? quia, vt dixi, regnum Cælorum vim patitur, & qui vim faciunt diripiunt illud, quod facilè amiſimus, ne facilè recipiendo, quod amiſimus diſcamus perdere, quod tenemus, Auguſtin. in Pſalm.147. litera C. Laboret homo, vt teneat, tenebit ad infirmitatem, quod tenuerit poſt laborem; hæc iudicia Deus manifeſtauit Iacob, & Iſrael, quia & iuſti, qui hìc ſunt, labores, pericula, moleſtias, paſſiones pro merito patiuntur, iuſto Dei iudicio, quia ille ſolus poteſt dicere, ſine cauſa hæc paſſus ſum; quamuis, & ideò non ſine cauſa, quia propter nos, qui ſolus poteſt dicere, quæ non rapui, tunc exoluebam, Pſalm.68.num.5. qui ſolus poteſt dicere; ecce venit Princeps huius mundi, & in me non habet quidquam, Ioan.14. ſed ſi interrogaretur, quare ergo pateris? vt ſciant homines, reſpondet, quia voluntatem Patris mei facio; ſurgite, inquit, eamus, cæteri omnes merito ſuo, iudicio Dei, & pro iuſtitia quæ patiuntur, non ſibi arrogent, quaſi habeant paſſionem innocentiæ, qualis in Chriſto erat; tempus eſt, dicit Petr.1.cap.4. vt iudicium incipiat à domo Dei.

Tu ergo es Chriſtianus, certa certamen bonum fidei, 1. ad Thimot.6.n.11. depone omne pondus, & circunſtans nos peccatum, per patientiam ad propoſitũ tibi certamen curras, in auctorem fidei, & conſummatorem Ieſum aſpiciens,

qui proposito sibi gaudi sustinuit Crucem, ad Hebr.cap.20.nu.1. Luctare cum Dei Angelo sicut Iacob, quia Deus tentat te, & si fortis euadis, non te dimittet, nisi prius tibi benedixerit, quia te dignum se inuenit, Sapien.3. numer.5. cum sequen. In paucis enim vexaris, vt in multis disponaris; tibi enim erunt sicut Iacob obuiam Angeli Dei, Genes.32. num.1. & in benedictionibus suis, tunc cognosces illum, Eccles.44.nu.16. Dilexit Iacob, quia libenter sustinuit, & tu labores pro Deo sustineas,& eris benedictus ab illo; ipse enim laborem, & dolorem considerat, & Orphano adiutor remanet, efficiaris ergo & tu alter Iacob, & eris dilectus à Deo.

Elegitq. te in hæreditatem suam, Iacob quem dilexit, vt & tu tribulationes sustinendo; offerendoq. illas tamquam missas à Deo, sicut Iacob diligaris, & cælestis Regni hæres cum ipso efficiaris. Speciosa hæreditas mors Sanctorum eius in conspectu Domini.

Tu ergo fili, qui ad seruitutem Dei accedere cupis,& à Deo diligi desideras, sta in iustitia & timore, & præpara animam tuam ad tentationem, deprime cor tuum, sustine, & ne festines in tempore obductionis; sustine sustentationes Dei, coniungere Deo, & sustine: & crescat in nouissimo vita tua, Eccles.2.n.1. cum seq. & num. 64. In dolore sustine, & in humilitate tua patientiam habe, quoniam in igne probatur aurum, & argentum, homines verò receptibiles in camino humiliationis; habeas ergo has virtutes, & propius eris Deo, cui assimilaberis, S. Ambros. in Tract. de Dign. hom.cap.3.

Qui ergo Deo acceptus est, necesse est vt tentatio probet illum, ità Angelus ad Tob.12.n.13. & August. in Psal.61. ad illa verba: Subiecta esto anima mea, quoniam ab ipso patientia mea. Nunquid lucet aurum in fornace artificis? in monili lucebit, patiatur tamen fornacem, vt purgatum à sordibus veniat ad lucem, fornax ista, ibi palea, ibi aurum; ibi ignis, ad hanc stat artifex, in fornace ardet palea, & purgatum aurum, illa in cineres vertitur, à sordibus illud excipitur. Fornax mundus, palea iniqui, aurum iusti: ignis tribulatio, aurifex Deus. Quod vult ergo artifex facit, ibi me ponit artifex, ibi me tollero: iubeor ergo tolerare, nouit ille purgare; ardeat licet palea ad incendendum me, & quasi consummendum me, illa in cinerem vertitur, ego sordibus careo. Quare? quia Deo subijcietur anima mea: hæc Augustin.

Et Iacob. Epist. Catholica c.1.nu.12. Beatus vir, qui suffert tentationem, &c. & suffert, idest sursum fert, secundum Thren. pro eis, qui sursum sunt; Lætati sumus, inquit Psalm.89.num.15. omnibus diebus, quibus nos humiliasti; annis, quibus vidimus mala, & ibi fusius pertractauimus.

Et Origen. homil.23. in Numer. Aurifex frequenter admonet igni, subdit malleis in filijs perstringit, vt purgatum fiat, & valeat ad speciem, quam prospicit, peruenire, idem penitus accidere, inquit; vt quis fidelis in vas electionis euadat, &c. vndè Augustin. Psalm.35. num.118. vires fidei tentatione discutiuntur, eademq. inexercitata languescit; Deus persequutionibus, & fraudibus hæreticorum illam examinat, exploratq. vtrum solida, constansq. permaneat, nec ab illa deficiamus, & si de hac vita propter eam exeundum sit.

Vndè Phil.Hebr. in lib. de sacrificio Abel, & Cain; Labor, inquit, inter præcipua bona, hunc enim, si verum dicendum est, omnis felicitatis, omnisq. virtutis principium hominibus Deus declarauit. Sine quo nihil honestũ, nàm sine luce

videre

videre non possumus, quia nec colores, nec oculi ad videndum sufficiunt, eodem modo animæ oculus, nullam virtutis actionem potest attrectare, nisi labore, seù luce adiutus.

Quid infelicius eo, cui vnquam nihil euenit aduersi: oportet enim talem hominem, aut sibi ignotum esse, vt qui nunquam sui periculum fecerit, aut Dijs inuisus, quem præterierunt velut ignauum, ad fortunæ conflictum, ità Demost. teste Stobęo in Sermone 18.

Omne ergo gaudium existimemus fratres, cum in varias tentationes inciderimus, Iacob.d.cap.1.numer.4. & Paul. 2. Corinth.6. In multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus se Dei ministrum ostendit, & Iob.c.23.n.10. ipse verò scit viam meam, & probauit me quasi aurum, quod per ignem transit; vestigia eius secutus est pes meus, viam eius custodiui, & non declinaui ex ea, & à mandatis labiorum eius non recessi, & nu. 17. non enim perij propter imminentes tenebras, nec faciem meam operuit caligo.

Iàm arca Domini intrauit in domum, corpus Christi intrauit in Cælum, totis viribus ante Dominum cum Apostolis, & nos in Sanctuarium Dei, ingredi satagamus, & Arcam testamenti Domini in domum, in corda nostra, lineo Ephod, 2.Reg.6.nu.14. vestiti introducamus humilitate portantes Ephod super humeros nostros, iugum Domini, quod est suaue, & sanctificati prius, Exod. cap.19.num.11. & num.14. vestimenta, pedesq. & manus lauantes, tabernaculum testimonij ingrediamur, Exod.cap.30.num.19. & 20. hoc est peccata nostra confitentes, aquarum lacrymis ea lauantes, cum Domino ascendamus in iubilo; vt cum Dominus in voce tubæ aduenerit omnes ad iudicium vocando, Isai. cap.2.num.10. & 19. Matth.12.num.16. Matth.24.nu.31. 1.Corinth.cap.15.num.52. Nos ad dexteram Iesu stantes vocem illam, venite benedicti Patris mei, audiamus, percipite regnum, quod vobis paratum est à constitutione mundi.

Ascendit ergo Deus in iubilo, & illic sedes præparauit populo suo, Ioan. cap.14.num.3. Deus ascendit in iubilo, & Deus factus homo descendit in vocæ tubæ, ascendit, vt pro nobis intercedat, idemq. descendet iterum ad iudicium in voce tubæ, vt hędos ab agnis separet, malos malè perdat, & bonos secum ducat.

Psallite Deo, psallite, psallite Regi nostro psallite. Nunquid, quia notus in Iudæa Deus in Israel solum magnum nomen eius? Psalm.75. num.1. non est ipse, per quem omnia facta sunt, & sine quo factum est nihil? Ioan. 1. Notus in Israel, quia ex semine Dauid vt homo, sed illi Iudæi ipsum non cognoscentes dimiserunt eum, & à Deo alienati sunt, non sicut Deum glorificauerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum; dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt, ad Roman.cap.1.num.22. Non ergo notus in Israel? immò in omnibus gentibus; propterea psallite omnes gẽtes, quia ad vos peruenit verbum, quod Ierusalem recipere recusauit, Ioan. d.cap.1. in fine; nec sui eum receperunt; Lauda tu gentilitas, lauda sterilis, quæ non paris; decanta laudem, & hinni, idest iubila, & exulta, quæ non pariebas, quoniam multi filij desertæ, scilicet gentilitatis, magis quam eius, quæ habet virum, Synagogæ, cuius sponsus Deus erat, Isai.54.nu.1. cum seq. Psallite Deo nostro, psallite, psallite Regi nostro psallite, in Tympano, & Choro, in

Chordis, & Organo. Psallite manibus: vociferantes cantate: sint iuncta voces, & opera ad Deum glorificandum. Psallite, quia Rex omnis terræ Deus. Notus iàm in Iudæa Deus, nunc Rex omnis terræ Deus, omnes gentes plaudite manibus, nàm notus in Iudæa Deus, & Dominus omnis terræ, omnia traxit ad seipsum, Dominus, & Deus omnis terrę semper fuit; sed dicebatur Deus Israel, quia tunc solum ab illo cognitus: nunc autem ab omnibus iàm cognitus Deus Redemptor, & Creator; ideò omnes gentes plaudite manibus, iubilate Deo in voce exultationis. Quia gentem in monte hęreditatis suæ firmissimo habitaculo suo introduxit, Exod. cap. 15. num. 17. Psalm. 15. num. 5. ipse enim est hæreditas nostra, Deut. cap. 19. num. 2. & cap. 18. nu. 20. & nos illius hæreditas sumus, Psalm. 2. num. 8. ò beatos nos, quorum Dominus est Deus noster, populus, quem elegit sibi, Psalm. 32. num. 12. vt hæreditate possideamus Sanctuarium Dei, Psalm. 82. num. 3. fructus enim ventris Virginis hæreditas nostra, merces nostra, Psalm. 86. nu. 4. nàm benedictionem omnium gentium dedit illi Dominus, & testamentum confirmauit super caput Iacob, Eccles. 44. nu. 15. & 16.

Psallite Domino nostro, psallite; psallite Regi nostro, psallite, quia regnat Dominus super gentes, cuius semen ipsa gens hæreditabit. Ipse enim, qui gentem fecit, dominatur, Dominus exercituum nomen eius, & redemptor noster, Sanctus Israel, Deus omnis terræ vocabitur, Isai. d. cap. 54. num. 3. & nu. 5. ipsi ideò mente attenta psallamus, ipsi sapienter laudes dicamus; ipsi corde, & animo psallamus, vt spiritualiter dicta intelligamus, quæ per literam canimus, rectè tamen & concinnè dicendo, & operando benè psallamus, si Deum corde diligamus. Tunc enim sapienter psallimus, quia colimus non lapides, non lignum, sed Deum, qui fecit nos, qui redemit nos, quem scimus, quem adoramus, colimus, & illi psallimus; vndè Paul. 1. Corinth. cap. 14. num. 11. si nesciero virtutem vocis, ero ei, cui loquor, Barbarus, & qui loquitur mihi erit barbarus, & num. 13. Et ideò qui loquitur lingua, oret, vt interpretetur, nàm si orem lingua, spiritus meus orat, mens autem mea sine fructu est. Quid ergo est? orabo spiritu, orabo & mente, psallam spiritu, psallam & mente.

Si ergo psallas, sapienter, & intelligenter psallas; si lumē cordis quęris, qui Christianum esse profiteris; si sedem Christi & in terra esse cupis, Sapien. cap. 2. nu. 12. Anima iusti sedes est sapientiæ; Et reuera fratres, omnes homines, qui benè viuunt, qui benè agunt, secundum charitatem piam conuersantur, nonnè Deus in illis sedet? si ipse iubet; obtemperat anima sedenti in se Deo; & ipsa iubet membris, &c. & paulò inferius: non potest inferiori se benè imperare, nisi superiori se, non fuerit dedignata seruire, hæc Augustin.

Psallite sapienter. Ignis in altari Dei tuus perpetuò ardeat, Leuit. cap. 6. hoc est in actione gratiarum laudes pro me perpetuas tuæ confessionis & orationis, Deo sit laus tua, sit Psalterium, & Cithara, vndè Augustin. lib. 9. Confess. c. 6. Quantum fleui in Hymnis, & Canticis tuis suauè sonantis Ecclesiæ tuæ vocibus commotus acriter? voces illæ influebant auribus meis, & eliquabatur veritas in cor meum, &c.

Psallite sapienter. Quia non lingua tantum, sed tota vita laudandus est Deus, & omni tempore, Vndè Augustin. Psal. 146. litera E. & in d. Psalm. 146. col. 1. litera L. & R. Quare laudamus Dominum? quoniam bonus psalmus, ipse psalmus laus Dei est; non sic prætereamus laudare Dominum; dictum est &

transijt, factum est, & siluimus, laudauimus, & tacuimus, cantauimus, & conquieuimus, &c. non sic prætereamus laudare Dominum; non sic; nàm lingua tua ad horam laudat, Vita tua semper laudet. Psalmum quippè cantus est, non quilibet, sed ad psalteriū; psalterium autē quoddam organum est, cantilenæ, sicut lyræ, sicut Cithara, & indè organa, quæ inuenta sunt ad cantandum. Qui ergo psallit, non solum voce psallit, sed assumpto etiam quodam Organo, quod vocatur Psalterium, accedentibus manibus voce concordat: Vis ergo psallere? Non solum vox tua sonet laudes Dei, sed opera tua concordent cum voce tua. Cum ergo voce cantaueris, silebis aliquando. Vita sic canta, vt nunquam sileas; Negocium agis, & fraudem cogitas, siluisti à laude Dei: & quod grauius, non solum siluisti, sed in blasphemiam porrexisti. Cum ergo Deus laudatur de bono opere tuo, opere tuo laudas Deum: itaquè ad aurium exhortationem canta voce, corde ne sileas, vita ne taceas, & L. M. laudas, cum sine cogitatione fraudis agis negotium: laudas, cum cibum, & potum capis modestè, fragaliter, & temperanter.

Psallamus ergo ità sapienter, vt in nobis laudatio Dei perficiatur cum ad illam Ciuitatem peruenerimus, & æquales Angelis Dei effecti fuerimus.

Nàm, vt dicit Augustin. in Psalm. 102. Quid prodest, quia hymnum canit lingua tua, si sacrilegium exhalat lingua tua? si ergo vis benedicere Domino esto minister eius, qui facit voluntatem eius.

Sed cur sapienter psallendum, nisi ei qui regnabit, & regnat super gentes, sedet super sedem sanctam suam. Benè psallentibus præmia sedens, est præbiturus, regnabit, inquit, postquam Christus venerit, & pro gente pations omnia traxerit ad seipsum.

Regnabit, cum filius hominis in maiestate sua venerit, & omnes Angeli eius cum eo, tunc sedebit super sedem Maiestatis suæ, & congregabuntur ante eum omnes gentes, & separabit eos ab inuicem, sicut pastor segregat oues ab hædis, & statuet oues quidem à dextris suis, hædos verò à sinistris, Matth. cap. 25. num. 31.

Sed nunquid adhuc non regnat Deus super omnes gentes? Regnat, & nunc, & semper, & super omnes, quia Domini est plenitudo eius, Psalm. 23. num. 1. non tamen vt iudicet, sed vt parcat, vt intercedat, non vt damnet. Propterea quia Deus iudicans dat locum, & tempus pœnitentiæ, per quæ possint mutari à malitia, & misericordiam eius sperare, si de peccatis doluerint, & ea reliquerint, Sap. cap. 12. num. 10. & 20. Venit hùc vocare peccatores, Marc. cap. 2. num. 17. hùc, vt curet, & sanet, Matth. cap. 9. num. 35. illìc sedebit, vt iudicet, & de omni verbo otioso, quod locuti fuerint homines, reddant rationem de eo in die Iudicij, Matth. cap. 12. num. 36. Ex verbis enim illorum iustificabuntur, & ex verbis eorum condemnabuntur, ibidem numer. 37. Ecce, inquit, Malach. cap. 4. num. 1. dies veniet succensa, quasi caminus, & erunt omnes superbi, & omnes facientes impietatem stipula, & inflammabit eos dies veniens, dicit Dominus, &c. & num. 2. Et orietur vobis timentibus nomen meum Sol iustitiæ, & sanitas in pennis eius.

Regnat ergo filius hominis, nunc vt salui fiant, qui perierant; sedebit in iudicij die, vt condemnet, & iudicet, qui ad Dominum non fuerint conuersi; vt conuertatur cor patrū ad filios, & cor filiorum ad patres eorū; ibi verò judica-

turus est, vt malos malè perdat, bonos verò bonis æternis impleat, & prosequitur, Malach.d.c.4.n.6. & Ioan.c.12.n.43. Non enim veni, vt iudicem mundum, sed vt saluificem mundum, Matth.18.n.11. venit enim filius hominis saluare quod perierat, Luc.19.n.10. Tùnc verò vt bonos à malis separet, & ijs, qui à dextris eius erunt, dicet, Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis Regnum: his verò, qui à sinistris erunt, Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis eius, Matth. dicto cap.25.num.34. & 41. sepulchrum patens guttur eorum, Psalm.5.num.11. discedite à me omnes operarij iniquitatis, Luc.13.num.27. Væ impio in malum, retributio enim manuum eius fiet ei, Isai.cap.3.num.11. væ animæ illorum.

Regnabit vt parcat, sed etiam vt iudicet, stat enim ad iudicandum Dominus, Isai.cap.3.num.13. ideò non differas, vt de præteritis te pœniteat, quia sedet, vt quandocumque voluerit, te iudicet, & te condemnet, si ab impietate tua non diuerteris, Ezech.cap.18.num.24. & cap.33.num.13. & 14. Festina tempus, & memento finis, Eccles.cap.36.num.10. nàm casus malorum festinanter veniet, Eccles.cap.20.num.20.

Qui sedet super sedem sanctam suam. Filius Dei viui regnabit super terram, super gentem totam, Notus iàm in Iudæa Deus, in Israel magnum nomen eius, hìc regnabit super omnem terram, & ad eum fluent omnes gentes.

Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham, quoniam Dij fortes terræ vehementer eleuati sunt. Quieuerunt enim ab homine, cuius spiritus in naribus eius est, quia excelsus reputatus est ipse. Propterea in die illa proijciet homo Idola argenti, & simulachra auri sui, quæ fecerunt sibi, vt adorarent talpas, & vespertiliones; & ingredietur scissuras petrarum, & in cauernas saxorum à facie fortitudinis Domini, & à gloria maiestatis eius, Isai.2.num.20. cum sequen. Gentium Idola erant per totum mundum in aduentu Domini euanuerunt omnia, vt latius demonstrasse meminimus; hæc enim pro Dijs reputabantur ab omnibus, & illorum facinora, & mendacia pro veris habebantur Dei responsis; vehementer ij Dij eleuati erant, quia ab omnibus venerabantur; Venit filius Dei, vehementer eleuati sunt à veritate, & tamquam opera manuum hominum deleta sunt. Principes enim populorum in aduentu Dei Iesu suscipientes Christi fidem, ideò cum Deo Abraham congregati sunt, quia tamquam ex fide filij, semini eius adiuncti sunt, Isai.cap.4.num.2. In die illa erit germen Domini in magnificentia, & gloria, & fructus terræ sublimis, & exultatio ijs, qui fuerint saluati de Israel.

Vehementer Dij terræ eleuati erant, propter quos dilatauit infernus animam suam, & aperuit os suum absque vllo termino, & descenderunt fortes eius, & populus eius, & sublimes, gloriosiq. ad eum, Isai.cap.5.numer.14.

Quod autem id, quod Isai. in dicto cap.2. in fine, ait; vt quiescamus ab homine, cuius spiritus in naribus eius; quia excelsus reputatus est; intelligatur de Iesu Christo, & de eius aduentu; Diuus Hieronym. ibi, & omnes interpretes dicunt; cum hæc, inquit Hieronym. omnia ventura sint vobis, ea scilicet, quæ superius tradita sunt, & prophetico spiritu narrantur, & prædicantur, moneo, atque præcipio, vt quiescatis ab eo, qui secundum carnem quidem homo est, & habet animam, & ità spirat, & naribus halitum trahit, vt nos homines spiramus, & viuimus, sed secundum Diuinam Maiestatem excelsus,

&

& est, & reputatur, & creditur: quod excelsus sit Christus, in Psalm. 86. num. 5. Nunquid Sion dicet homo, & homo natus est in ea, & ipse fundauit eam Altissimus, & Luc. cap. 1. Et tu puer Propheta Altissimi vocaberis, & sequitur Hieronym. & ne in longum finem traham: in expositione enim sanctarum Scripturarum veritatem debemus sequi, non contentionem, in isto loco, cap. 2. Isai. apud Hebr. non legitur excelsus, sed excelsum, idest ipsa celsitudo, ipsa altitudo, atque sublimitas; quasi si de aliquo dicamus, non est diuinus, sed diuinatio, non est riuus, sed fons, non est homo, sed ipsa humanitas. Ità & Origen. hunc locum interpretatur.

SOLILOQVIVM.

HILARITER anima mea intrà te clama. Omnes ergo gentes Christo seruientes plaudite manibus, quia opera bona vestra scripta sunt in Cælis iubilate, & præ gaudio vociferantes cantate in voce exultationis, quòd Dominus excelsus, & Rex magnus super omnem terram. Liberauit nos de manu bestiæ nos tribulantis: & subiecit nos pedibus Ecclesiæ suæ militantis, vt taliter electi in hæreditatem suam in æternum permaneamus. Speciem Iacob quem dilexit, quia ibi non erat aliud, nisi domus Dei, & porta Cæli, quam Ciuitatem Bethel appellauit, vbi lapidem, quem capiti suo Iacob supposuerat, fundens oleum desuper, in titulum erexit. Ego enim, inquit Dominus, sum Deus Bethel, vbi vnxisti lapidem; speciosa domus Dei, quia ibidem à Domino benedictionem Iacob accepit, itàvt quasi terræ puluis, semen eius dilataretur, &c. & in eodem semine suo, in ipso benedicantur cunctæ tribus terræ, cuius & custodem se asserit Deus. Nec dubitemus, quòd de Christo Domino loquatur Dauid, cum Christus sit qui ascendit in Cælum, vt & nos eò trahat cum ipso: propterea in iubilo, quia qui vt saluaret descendit de Cælo, nunc ascendit triumphans de morte, vt simus hæredes in vita æterna cum illo. Non est loquutus in abscondito, qui semper erat, & est cum Deo Patre, & eius spiritu, & est missus ab illo; ad quem etiam Patris sermo spectauit: Hic est filius meus dilectus, ipsum audite; Cui data est omnis potestas in terra, & in Cælo: & de quo Angeli, quem vidistis, ascendentem in Cælum, ità veniet.

Psallite ergo Deo nostro, psallite; psallite Regi nostro psallite: quia non in alio est nostra salus, quàm in ipso: benè operantes, & canite, benè, & iustè; in præceptis eius ambulate, vociferate in Tympano, omnia mala propter illum sustinentes: in voce iubilationis cantate, psallite sapienter, quia ipse est Rex noster, qui saluat nos libenter.

Regnat ipse super gentes, vt de manu inimici liberet animas pœnitentes, & in illum sperantes; non tamen cuiquam lateat, quòd ipse Deus sedet super sedem sanctam suam, vt nos iudicet semper; & quia etiam semper sedet; ita in vigilia, ne te delinquentem, quando te vocauerit, inueniat, & dicat tibi, Amen, nescio te; quod Deus auertat.

O bone Deus, misericordiarum Deus, Rex, & Saluator meus, fons pietatis, quia non sum dignus vocari filius tuus: exiui enim à te, quia peccaui in te,

ne-

neque tu discessisti à me; fac me Domine sicut vnum de mercenarijs tuis; quia confiteor, me coram te Domine, & coram hominibus peccasse: pœnitentem non expellis à te: libera me afflictum, & de peccatis meis dolentem ab omnibus malis, ab ira tua: qui & Petro te neganti pepercisti, & in quem respexisti, non discedens ab illo. Tu scis, quia & ego amo te Domine, ne ego in hoc mari tempestuoso demergar; adiuua me. Tu beatissime Petre, tu prædicator gentium sancte Paule, quorum passiones hodie recolimus succurrite mihi, intercedite pro me. Fiat Domine Iesu misericordia magna super me, per Sanctorum tuorum Petri, & Pauli exemplum me restaura. Amen, Amen, Fiat, Fiat.

IN PSALMVM XLVII.

Magnus Dominus, & laudabilis nimis: in Ciuitate Dei nostri; in Monte sancto eius.



SVPRA visum est de Christi Ascensione, & ne arbitraremur, illum ad dexteram Patris regnantem corporis, cuius ipse est caput, haud amplius habuisse rationem, admodum consequenter in hoc Psalmo de ipsa mystici eiusdem corporis facta per illum exaltatione, & de Ecclesiæ fundatione, ac magnificentia prophetat Dauid, dicens: Fundata est exultatione vniuersæ terræ, &c. Ad quid enim vniuersa terra exultat? Haud certè, vt falsò asserunt Hebræi, quia reædificata domus fuerit in captiuitatis reuersione ex Babylone. Enimuerò quæ secundæ eius domus ad primam comparatio à Salomone constructam? & nihilominus, & constat, eamdem secundam à Vespesiano, & Tito destructam: quomodò ergo in æternum Deus ædificauit eam? vt hìc vers. 7. & in medio eiusdem Templi suscepimus Deus misericordiam tuam, ibidem num. 8.

Quòd verò minor fuerit in magnificentia, & pulchritudine, domus nouiter reædificata illa prima Salomonis, Aggæ. cap. 2. num. 4. demonstrat; dicit enim quis in vobis est derelictus, qui viderit domum istam in gloria sua prima? & quid vos videtis hanc nunc? Nunquid non ità est quasi non sit in oculis vestris? non ergo de Templo reædificato, non de Synagoga Iudæorum, sed de Ecclesia Dei ædificanda per Christum loquitur Propheta Dauid, provt expressa sunt & verba Psalmi. Consonat autem, & ipsa Aggæi Prophetia in eodem cap. 2. numer. 6. & 8. Quid dicit Psalm. noster, numer. 8. Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio Templi tui? quid verò Aggæ. dicit, num. 5. Confortare omnis populus terræ, dicit Dominus; quoniam ego vobiscum sum, & spiritus meus erit in medio vestri, & num. 7. Quia adhùc vnum modicum est, & ego commouebo Cælum, & terram, & mare, & aridam, & omnes gentes mouebo, & veniet desideratus cunctis gentibus, & implebo domum istam gloria, dicit Dominus, & numer. 10. Magna erit gloria domus istius nouissimæ, plusquam primæ, &c. & in loco isto dabo pacem.

Magnus ergo Dominus, & laudabilis nimis, quia fundatur exultatione vniuersæ terræ, mons Sion, Ciuitas Regis magni. Quod fuerit illud fundamentum,

tum, Isai. declarat verbis Domini in cap.28.numer.16. Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, preciosum, in fundamento fundatum; qui crediderit, &c. & numer. 18. & delebitur fœdus vestrum cum morte, & pactum vestrum cum inferno non stabit, & Paulus ad Ephes.cap.2.num.11. Estis ciues Sanctorum superædificati supra fundamentum Apostolorum, & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu.

Iàm enim per Ezechielem ruinam fundamenti manufacti Templi reuelauerat Dominus, cap.13.numer.14. Et destruam parietem, quem linistis absque temperamento: & adæquabo eum terræ, & reuelabitur fundamentum eius, & cadet, & consummetur in medio eius: & complebo indignationem meam in pariete, &c. & Thren. cap.4.num.11. Effudit iram indignationis suæ; & succendit ignem in Sion, & deuorauit fundamenta eius: non crediderunt Reges terræ, & vniuersi habitatores Orbis; quoniam ingrederetur hostis, & inimicus per portas Ierusalem propter peccata Prophetarum eius, & iniquitates Sacerdotum eius; qui effuderunt in medio eius sanguinem iustorum. Vt aliàs in alio Tractatu nostro diffusè diximus, de Iudæorum destructione. De Ecclesia itaquè Christi sanguine ædificata loquitur Dauid, contrà quam portæ inferi non præualebunt.

Summa hæc videtur. Laus Deo, qui Ecclesiam sanctam Ierusalem ædificatam per suum voluit filium, vt cum ipsa semper ille eius caput remaneret vsquè in sæculum.

Magnus Dominus, & laudabilis, &c.

Titulus huius Psalmi talis legitur.

Psalmus Cantici filijs Core secunda Sabbati; Laus scilicet à filijs Core Christianis scilicet voce cum Psalterio cantanda, hoc est in verbo, & opere laus Deo cantanda; Manus verò ad Cælum expandentur, vt vox à Domino exaudiatur, Eccles.48.num.22. expandentes manus suas extulerunt ad Cælum, & sanctus Dominus Deus audiuit citò vocem ipsorum. Non enim ad ostentationem humanam facienda sunt opera, sed ad laudem Dei omnipotentis; Vndè est scriptum. Nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua; & ideò Psalm.23. num. 3. Quis, inquit, ascendet in montem Domini? Innocens manibus, & mundo corde, qui non accepit in vano animam suam, &c. Filijs ergo Core cantandum in Psalterio proponitur.

Sequitur Titulus, secunda Sabbati, hoc est, in die Lunæ, quæ est prima dies post Dominicam; & secunda post Sabbatum, & hæc non sine mysterio dicta sunt, ideòq. non prætereunda.

Quia prima dies, quæ est Dominica, spectat ad Dominum, qui per Resurrectionem suam, lucem à tenebris, diem à nocte, vitam à morte separauit: pro filijs tamen Core; pro fidelibus Christianis, Isai.cap.4.num.3. omnis, qui relictus fuerit in Sion, & residuus in Ierusalem, idest in Ecclesia sanctus vocabitur, qui scriptus est in Vita; idest in libro Vitæ, in Ierusalem; Cum abluerit sordes filiarum Sion, &c. creabit Dominus super omnem locum montis Sion, & vbi inuocatus est, nubem per diem, & fumum, & splendorem ignis flammantis per noctem; hoc est; Faciet cum Christianis spiritualiter, quod olim fecit cum Iudæis corporaliter. Super omnem gloriam protectio, idest proteget, defendetquè, & gloriosissimos faciet sanctos suos: propterea prima

dies

die diuiditur lux à tenebris, vt lux luceat in iustis . . .

Prima ergo die lucem diuisit à tenebris, quia quando descendit Iesus in infernum, Psalm.23.num.6. dicens, Attollite portas Principes vestras, & eleuamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ; nempè Christus, quem si cognouissent, nunquam Regem gloriæ crucifixissent, 1.Corinth.cap.2.num.8. bonos à malis separauit. Multa corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt, & exeuntes de monumentis post Resurrectionem eius, venerunt in sanctam Ciuitatem, & apparuerunt multis, Matth.cap.27.num.52. & 53. lux ipsa Christusmet lucem à tenebris separauit, malos in tenebris relinquens exterioribus, & iustis plerisq. lucem Resurrectionis, cæterisq. vniuersis lucem æternæ felicitatis donans.

Quia hanc eandem lucem filijs Core, Christianis fidelibus, scilicet impertiuit, qui eum in Ecclesia existentes recipiunt, Ioan.cap.1. quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri: ideò benè Psalmus iste dicitur Canticum filijs Core secunda Sabbati; Laus quippè Deo in Ecclesia sua sancta ab ijs, qui in Cælo scripti sunt; & in Ecclesia Dei iusti sunt; qui huius mundi tentationibus non flectuntur, non cedunt. Vndè ipsa Ecclesia Dei dicitur firmamentum, ad Roman.cap.13.num.1. Debemus, inquit Apostolus, nos firmiores, imbecillitates infirmiorum sustinere, &c. & ad Hebr. cap. 6. numer.18. fortissimum solatium habemus, qui confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animæ tutam, ac firmam, & incidentem vsque ad interiora velaminis, vbi præcursor pro nobis introiuit Iesus secundum ordinem Melchisedech Pontifex factus in æternum. Firmamentum istud secunda die fecit Deus, Genes. cap.1.num.7. vocauitq. Deus firmamentum, Cælum: & factus est dies secundus. Hanc enim Ecclesiam, domum Dei appellat Apostolus, columnam, & firmamentum veritatis, 1.Timoth. cap.3.num.15. & manifestè magnum pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, iustificatum est in spiritu, apparuit Angelis, prædicatum est gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in Cælo.

Magnus Dominus, & laudabilis sine fine, quia solus habet immortalitatem, & lucem inhabitat inaccessibilem, ideò Timoth. 1. cap.6.numer.16. & semper laudandus, quia nobiscum est vsque ad consummationem sæculi, Matth.c.28. In fine, & etiam post huius sæculi finem laudandus, Psalm.83. numer.1. Beati qui ambulant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te. Serua mandatum sine macula, & eris laudans Deum semper in vita tua; nàm scriptum habemus, quòd qui custodit præceptum, non experietur quidquam mali, Eccles.8.num.5. & si cogitatum tuum habebis in præceptis Dei, & in mandatis Dei magis assiduus eris: ipse Dominus dabit tibi cor, Eccles. cap.6. num.37. & concupiscentia sapientiæ dabitur tibi. Venit ergo Iesus in prima Sabbati, die Dominica scilicet, & tenebras à luce diuisit, quando resurrexit; secunda verò Sabbati spiritale fecit firmamentum, idest Ecclesiam suam firmauit, vt lucem illi quærens per illam ambulares; vt & ipse esset lux tua: adiecit mandata, vt illa seruando, tibi sit vita æterna. Reliquit tamen hominem in manu consilij sui; si volueris mandata seruare, conseruabunt te. Apposuit tibi aquam, & ignem; vt ad quod volueris, porrigeres manum tuam; ante te vita, & mors, bonum, & malum; quod placuerit, dabitur tibi, Eccles.15.num.15

cum

cum seq. propterea non dicitur destruxisse tenebras, sed lucem separasse ab illis.
Magnus Dominus, & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non est finis, Psalm. 144. nu. 3. si ità est magnus, quia omnium Dominus, & Creator est, nàm si descendero, inquit, in infernum illic adest, & si ascendero in Cælum ibi est, Psalm. 138. num. 8. quomodò magnus, & laudabilis in Ciuitate Dei, in monte sancto suo? quæ est ista Dei Ciuitas: quis mons sanctus eius? Cur in omni loco dominationis non laudandus? non magnus?

Audi Eccles. 15. num. 10. Non est speciosa laus in ore peccatoris: quoniam à Deo profecta est sapientia: sapientiæ autem Dei astabit laus, & in ore fideli abundabit, & Dominator dabit eam illi. In maleuolam autem animam non intrat sapientia, nec habitat in corde subdito peccatis: hæc enim mala separant animam à Deo, Sap. cap. 1. num. 3. cum sequen. Vndè in Psalm. 49. numer. 16. Peccatori autem dixit Deus: quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Immola, inquit, superiori vers. 16. sacrificium laudis, &c. laudans itaquè Deum, aliud non omittas, de quo Paul. ad Rom. cap. 12. num. 1. Obsecro vos fratres per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum.

Consideremus fratres omnia huius versiculi verba distinctè; inquit enim, Magnus Dominus, deindè laudabilis nimis; sequitur, in Ciuitate Dei, in monte sancto eius. Magnus Dominus, quia fecit te sine te; magnus, quia perditum per peccatum regenerauit te: magnus Dominus, quia omnia subiecit sub pedibus, Psalm. 8. numer. 8. magnus Dominus: quia fecit Cælum, & terram, & omnia, quæ in eis sunt, quia ipse dixit, & facta sunt, ipse mandauit, & creata sunt, Psalm. 148. sed quid dicam? An non iste tàm magnus, & id fecit, vt & tu magnus etiam sis, timens Deum cogens quodammodò illum tuam facere voluntatem? Psalm. 144. nu. 19. Voluntatem timentium se faciet, & inuocanti illum propè est. In Ciuitate Dei permaneas, in monte sancto eius sta, & magnitudinem illius considerabis, & laus ab ore tuo non cessabit. Non quia tu illum magnum dixeris, ideò magnum illum facis, quoniam quis magnitudini illius quidquam addere poterit, aut illius celsitudini detrahere?

Vis tu pariter exaltari, illi te subde, qui non potest humiliari; & tunc ex tui consideratione, ex voce tua, ex confessione tua percipies, quòd omnia Deum confitentur, simul cum voce tua clamantia; omnium namquè pulchritudo quodammodò vox eorum est confitentium Deum. Clamat Cælum Deo, quid clamat? tu, inquit, me fecisti Domine, non ego: clamat terra, tu me condidisti, non ego. Magnus Dominus, clamas & tu, quia omnia mirabilia eius consideras. Sed quando tu illa consideras? Quando in timore Domini stas; quando in Ecclesia sua sancta, quando in excelso permanes. Si Cælum consideras, pulchrum, & magnum tibi esse videbitur: si terram consideras, pulchra nimis etiam tibi esse videtur; Vtroque simul, quid pulchrius? quid magnificentius? Quid si & eum consideras, qui illa fecit, qui illa regit, qui omnia suo nutu gubernat; temporaq. traijcit, atque munimenta sustinet, atque instaurat? Quid pulchrius illo? Quis magnus præter illum, qui talia magnalia fecit? Expauescat considerans mirabilia anima tua, & dicat, Magnus Dominus, qui fecit mirabilia solus; laudabilis Dominus.

Sed eò amplius expauescat anima tua, caro tua, qui ex terra, & in terra reuersurus, qui pusillus cum sis, & respectu Cæli, ac terræ vermiculus; ità te prius dilexit, vt factus sit inter nos; nàm Verbum caro factum est, & habitauit in nobis; vt ipsé immortalis fieret tecum mortalis, vt te mortalem, secum faciat immortalem; venit suscipere mortem nostram, vt promitteret vitam suam. Venit ad regionem peregrinationis nostræ accipere, quod hìc abundat, opprobria, flagella, sputa in faciem, colaphos, contumelias, spineam coronam, suspensionem in ligno, mortem. Dedit verò doctrinam: dedit remissionem hìc peccatorum nostrorum, vt cum illo & nos essemus in Cælo, Ioan. cap. 17. Vbi sumus nos, fuit & ipse nobiscum, vt vbi ille est, & nos essemus cum illo.

Magnus Dominus, & laudabilis nimis. Augustin. in Psalm. 148. litera E. Quid tibi promisit Deus, ò homo mortalis? quia es victurus in æternum: non credis? crede, crede; plus est iàm quod fecit, quàm id quod promisit: Quid fecit? mortuus est pro te. Quid promisit? Vt viuas cum illo. Incredibilius est, quod mortuus est æternus, quàm vt in æternum viuat mortalis: si propter hominem mortuus est Deus, non est victurus homo cum Deo? non est victurus mortalis in æternum, propter quem mortuus est, qui viuit in æternum? Mortuus est Deus, quia accepit ex te, vndè moreretur pro te. Non posset mori nisi caro; non posset mori, nisi mortale corpus; induit se, vbi moreretur pro te, induet te, vbi cum illo viuas; Augustin. ibidem. Vbi se induit morte? In Matris Virginitate. Vbi se inducit vita? In Patris æqualitate.

Magnus Dominus, & laudabilis nimis. Immo & tu laudabilis, qui Christum Dominum tuum confiteris: qui Christum Iesum cognoscis, & illum elegisti; qui ad ipsum pertines, qui te redemit, qui pro te mundum vicit, non armato milite, sed accepta Cruce, Augustin. in Psalm. 62. litera E. Laudabitur omnis qui iurat in ipso? Quis iurat in eo? Qui pollicetur ei vitam suam: qui vouet illi, & reddit: qui fit Christianus. Propterea dicit Psalm. Laudabilis in Ciuitate sua sancta, in Ecclesia scilicet existentes; nàm Pagani, & Hæretici, qui dicunt, se benè viuere, se laudes Deo offerre, quid illis prodest benè viuere? Nàm ad hoc vnicuique dabit benè viuere, vnicuique prodesse, vt detur illi semper viuere; nàm cui non datur semper viuere, quid prodest benè viuere? quia nec benè viuere dicendi sunt, qui finem benè viuendi, vel cæcitate nesciunt, vel inflatione contemnunt: hi sunt enim Pagani, & Hæretici, qui per ostium nec ingredi volunt, ideò fures, & latrones, Ioan. 10. num. 2. August. ibidem Tract. 45. lit. M. Et quomodò est illis spes vera viuendi, si extrà vitam viuunt? Si extrà Ciuitatem sanctam sunt, extrà Ecclesiam sanctam Dei, quomodò vitam agnoscent, qui est Christus: Ego enim, inquit, sum Via, Veritas, & Vita? quomodò benè viuunt, si finis propter quem viuunt, mors est dicenda, & non vita? si finita hac viuendi forma, veniat illis mors perpetua? Errauerunt, quia malitia eorum excæcauit illos, & sacramenta Dei scire neglexerunt, Sapien. cap. 2. numer. 21. Imitantur enim illum, qui sunt ex parte illius, Diabolum scilicet. Augustin. vbi supra litera A. Tract. 45. in Ioannem, cap. 10. Quærunt aliqui homines persuadere hominibus, vt benè viuant, & Christiani non sunt. Per aliam partem volunt ascendere, rapere, & occidere. Nàm quidã Philosophi fuerunt de virtutibus, & vitijs sublimia multa tractãtes, diuidentes, diffamantes, rationes acutissimas concludentes, libros implentes, &c.

Nos

Nos sequimini, hominibus dicebant, si vultis beatè viuere: sed nondum per ostium intrabant, perdere volebant, mactare, & occidere. Quid, inquit, de istis dicam? ecce Pharisæi legebant, & in eo, quod legebant, Christum sonabant. Venturum sperabant, & præsentem non agnoscebant; iactabant, se inter videntes esse, idest inter sapientes, & negabant Christum; non intrabant per ostium. Si cæci essetis non haberetis peccatum, dicebat illis Iesus, Ioan. cap.9.num.41. nunc autem dicitis, quia videmus: peccatum vestrum manet. Videbant Christum, & non intrabant per ostium; videre poterant, si oues Christi essent; hunc nescimus, vnde sit, Ioan.9.num.30. sibi vsurpabant lumen; quoniam furebant contrà lucem, Augustin. Ouile Christi, Ecclesiam Dei esse tenere, Ciuitatem illam, de qua in Psalmo. Confitere, & tunc inuocando Dominum laudabis eum: Vitæ, & linguæ consentiant. Quando Deum laudas; sacrificium, inquit, laudis glorificabit me, & ibi via est, in qua ostenditur salutare Dei; in sacrificio laudis via est, quia illi ostendam salutare Dei, Psalm.49. salutare Dei Christus est, qui venit tunc cum gratia ad nos, August. d. Psal.49. litera K.

In Ciuitate Dei, in monte sancto eius. Qui magnum dicit Dominum, & laudabilem, sit in Ciuitate Dei in monte sancto eius, sit in corpore, & membris Christi; quia & erit in capite Christo Iesu; aperiat quisquis domum suam, vt ingrodiatur Dominus in eam. In holocaustis, inquit, introibo in domum tuam; idest totum meum consumet ignis tuus Domine, nihil mei remaneat mihi, totum sit tibi, Augustin. Psalm.65. litera C. quando, & quomodò hæc sint, vide ibi apud ipsum.

Augustin. Psalm.90. litera L. in fine Psalmi. Deus clamantes ad se, etiam Paganos non eos audit ad æterna, nisi in monte sancto eius, sed ad temporalia eos audit.

Fundatur exultatione vniuersæ terræ mons Sion, latera Aquilonis, Ciuitas Regis magni; Nunquid, ò Dauid sancte, ante Carmen tuum non erat fundata Ciuitas Dei, Ecclesia sua sancta? Aduertendum, quod qui prius loquebatur ad Patres, in columna nubis loquebatur, Psalm.98.nu.7. Inuocabant Dominum, & ipse exaudiebat eos, in columna nubis loquebatur ad eos. Et ad quos loquebatur? ad Moysen, & Aaron, & ad Samuel seruos suos; Moyses, & Aaron in Sacerdotibus eius, & Samuel inter eos, qui inuocabant nomen eius, ibidem nu.6. quia custodiebant testimonia eius, & præceptum quod dedit illis. Moyses, & Aaron Sacerdotes Domini erant, vt August. in d. Psal.98. litera H. Samuel verò fuit in diebus Dauid, quem in Regem vnxit, 1. Reg.16.nu.12. cum seqq. supradictis loquebatur Dominus in columna nubis: loquebatur per figuras: erant illi Sacerdotes: loquebatur illis in nube, in parabolis. Nunc dicit Dauid, non ampliùs in parabolis, palam loquitur, Ioan.16.n.29. Fundatur Ecclesia aduétu Domini Iesu, exultatione omnis terræ; Exaltate populi Dominum Deum nostrum. Quare? Quia carnem nostram suscipiens fundauit Ecclesiam suam sanguine suo, & ideò, inquit Dauid, Psalm.98.nu.7. Adorate scabellum pedũ eius, quoniam sanctum est. Loquebatur illis Sacerdotibus in nube, in columna ignis, nunc homo factus, Deus loquitur in carne nostra assumpta: nunc locutus est in scabello pedum suorum: terra enim est pedum eius scabellum, Isai.66.nu.1. illi Moyses, Aaron, & Samuel Sacerdotes non adorabantur dilecti, eò quòd

Deus in nube, in columna ignis loquebatur; hic adorandum proponitur scabellum pedum eius, qui notus factus, Iesus filius Dei repertus est. Suscepit enim Iesus de terra terram, quia caro de terra est, & de carne Mariæ carnem accepit; in carne ista Deus ambulauit, & carnem ipsam nobis ad salutem manducandam dedit, quam nullus manducat, qui prius non adoret. Adoratur ergo scabellum pedum eius. Augustin. d. Psalm. 98. litera F. Spiritus est, qui viuificat, caro autem nihil prodest, Ioan. 6. ideò ad terram quamlibet cum te inclinas, atque prosternis, non quasi terram intuearis, sed illud sanctum scabellum pedum eius, quod adoras, quod sanctum est. Et cum adoras illud, ne cogitatione remaneas in carne, vt à spiritu non viuificeris; spiritus enim est qui viuificat, caro autem nihil prodest.

Fundatur exultatione vniuersæ terræ, mons Sion, latera Aquilonis, Ciuitas Regis magni: Fundatur, illis Martyres occidentibus, quia nec ipsa caro, quam ipsi persecutores occidere potuerunt, mortua est, quin tamquam semen non produceret fructum suum, ex quo & ipsi plantauerunt Ecclesiam suam sanguine suo. Et nihilominus caro, quæ illis mortua videbatur, ad tempus mortua est, vt in æternum resurgendo viuat cum Christo in sæcula. Exultat vniuersa terra, quia Idola, quæ fregit Christus, nunquam iterum faciet faber, Ierem. 10. lætetur vniuersa terra, quia sublatis Idolis, virtus Dei apparuit ad saluandas gentes.

Fundatur mons Sion, latera Aquilonis, Ciuitas Regis magni cum exultatione vniuersæ terræ. Consideremus fratres singula verba. Venit filius Dei, Iesus Christus. Huius scabellum pedum, humanitatem scilicet consideremus, & respiciamus carnem suam, quam nobis reliquit manducandam exultantes. Durus, dicebant illi Discipuli, Ioan. 6. num. 61. Sermo iste de commestione carnis suæ, & quis potest eum audire? ex hoc multi Discipulorum eius abierunt retrorsum, ibidem 67. Sermonem intelligebant carnaliter, ideò ipsi duri sunt, non sermo Domini. Verba enim, quæ locutus sum vobis, dicebat Iesus, spiritus, & vita sunt. Spiritualiter intelligite. Quod locutus sum vobis, hoc corpus, quod realiter manducaturi estis, non tamen in forma, ac specie, quam modò videtis, sicut & sanguis, quem effundam, sub alijs speciebus à vobis bibendus spiritualiter viuificabit vos. Verba vitæ æternæ, dicebat Petrus, habes Domine; & nos credidimus, & cognouimus, quia tu es filius Dei viui, Ioan. d. cap. 6. num. 70. Durus sermo, dicunt Hæretici, dicunt Iudæi; Christiani verò fideles dicunt, cognouimus, quia tu es filius Dei viui.

Fundatur exultatione vniuersæ terræ mons Sion: Quid Sion, nisi speculatio, idest visio, & contemplatio? speculari autem conspicere, vel prospicere, August. d. Psalm. 98. vel intendere, vt videas: Fundatur Sion, quia quos Christo tradidit Pater, & qui in Ecclesia in futurum ingressuri sunt, vidit Petrus, cognouerunt, & cæteri credentes, qui in lucem intendebant: anima mea, & tu Sion eris, & omnis alia, si lucem videre intendis, quæ videnda est. Ad illam intendas, & illuminaberis, ad lucem illius. Si Sion Ciuitas Dei sancta est; esto & tu, & alij fideles seruantes præceptum Dei, & tu cum alijs Ciuitatem Dei facies: sed inter cætera, quod est principale mandatum, sis charitate plena, & eris plena Deo, qui est ipsa charitas, & cum multis charitate plenis faciemus Ciuitatem Deo. Ista Ciuitas Dei vocatur Sion, ergo Ecclesia Dei est Sion. In illa ergo est magnus Deus, & laudabilis nimis, quare si tu anima mea in illo eris, erit & in te Deus;

Cum

Cum autem fuerit in te Deus, quia tu facta sis de Sion, membrum de Sion, ciuis de Sion, pertinens ad Ciuitatem populi Dei, magnus, & excelsus erit in te Deus, super omnes: quia fundatus sit in Sion in monte sancto Dei.

Mons Sion. Quis sit mons non ignoras, quia Christus est, ex lapide enim pretioso sine manibus confecto, sunt omnia Regna, Daniel. cap. 2. creuit lapis iste; factus est mons magnus, vt impleret vniuersam faciem terræ. Si exaudiri volumus, super monte magno adoremus. Exeant Hæretici, quia impleta est omnis facies terræ ab isto monte; hæserunt Hæretici in parte, & totum amiserunt. Augustin. Quid est mons, vndè præcisus est lapis sine manibus? Regnum Iudæorum, quod primò colebat vnum Deum, vndè præcisus est lapis iste Iesus Christus Dominus noster, lapis, quem reprobauerunt ædificantes, Psalm. 117. & factus est in caput anguli. Confregit Idolorum Regna lapis iste, Præcisus sine manibus, quia natus de gente Iudæorum sine opere hominum: magnus Dominus, cuius mons impleuit totam terram. Hæc est illa Ciuitas Dei, Ecclesia Catholica, quam fundauit Iesus Christus, quando venit in terram; & vt tu in illum prospicere posses, factus est terra, & resurrexit die tertia, vt, & tu cum illo surgas regnaturus in sæcula.

Quocircà iudicium, & iustitiam in Iacob ipse fecit, vt scias qui es in Ecclesia, quia à Deo vocatus es. Iudicium autem habebis, si malum à bono discreueris, & si bonum sequaris, & à malo declinaueris; iustitiam tunc habebis. Discernas ergo, & iudicium habebis; facias bonum, & iustitiam habebis. Habeto primùm iudicium, vt scias iudicare, quod sit malum, & quod bonum, qui in Ecclesiam Dei es ingressus. Sequere Petrum confitentem, & eris cum Petro in Cælo exultans.

Fundatur exultatione, Latera Aquilonis, Ciuitas Regis magni, in qua Dominus habitat, Isai. 43. num. 4. Noli timere, quia ego tecum sum; ab Oriente adducam semen tuum, & ab Occidente congregabo te. Dicam Aquiloni; da, & Austro; noli prohibere. Affer filios meos de longinquo, & filias meas ab extremis terræ, & omnem, qui inuocat nomen meum, in gloriam meam creaui eum, & feci eum, &c. & num. 11. Ego sum Dominus, & non est absque me Saluator; ego annunciaui, & saluaui, auditum feci, & non fuit in vobis alienus. Vos testes mei, dicit Dominus, & ego Deus, &c. & num. 19. Ego facio noua, & nunc orientur, vtique cognoscetis ea, &c. Populum istum formaui mihi, laudem meam narrabit, &c. Latera Aquilonis. Fundatur exultatione. Et ædificabunt filij peregrinorum muros tuos, & Reges eorum ministrabunt tibi, Isai. dicto cap. 60. num. 10. Populus autem tuus omnes iusti, germen plantationis meæ, opus manus meæ ad glorificandum. Ibidem Isai. num. 21. Exurge Ierusalem, & sta in excelso, & circumspice ad Orientem, & vide collectos filios tuos ab Oriente Sole vsque ad Occidentem, in verbo Sancti gaudentes, adducet autem illos Dominus ad se portatos in honore sicut filios regni, Baruch cap. 5. num. 5.

Omnia Deum confitentur, omnia clamant, omnium pulchritudo vox est eorum, Deum confitentium. Clamat Deo Cælum; magnus Dominus, quia tu me fecisti, & non ego; magnus dicit, clamat terra, quia non ego, sed tu me condidisti; considera tu, qui es in Ecclesia, quia pro illis, qui animam non habent, clamabit vox tua; attende Cælum quàm pulchrum est, similiter, &

terra: vtrunque simul pulchra valdè; quis fecit ea? Dominus, per quem omnia facta sunt, illa fecit, ipse regit, ipsius nutu omnia gubernantur, tempora ipse scit, momenta ipse instaurat, ipsius nutu gubernantur: *Hæc sunt in Cælo, hæc & sunt in terra, laudant eum Cæli, & terra, quando tu in te reuersus illorum magnitudinem consideras, dicens, Magnus Dominus, & laudabilis in Ciuitate, in monte sancto eius*. Sed si supradicta tàm pulchra, tàm magna tibi videntur; quid ille, qui ea fecit, per quem & omnia facta sunt? & ipse Creator transitoria ea dixit; Cælum, & terra transibunt. Non pro illis in mundum venit, sed pro homine, pro me misero peccatore venisse consideremus; tanta mala, vt pati posset, carnem nostram assumpsisse, mortem ipse passus immortalis, vt & nos immortales per resurrectionem etiam suam futuros ostenderet; quid pulchrius anima tua apud Deum, si fuerit sine mortali macula, si quæ per peccatum mortua, per passionem Christi sit viuificata, & per tuam confessionem gratia Dei sit candida facta, sine macula; & si quæ anteà coccinea, quasi nix dealbata; & quamuis ante rubra quasi vermiculus, velut lana alba facta, Isai. cap. 1. num. 18. ò magna dignitas animarum, ò illarum pulchritudo, & authoritas, vt ex nihilo particeps Regni cælestis facta sit, vt filium Dei Dominum, & cohæredem habere meruerit.

Magnus Dominus, & laudabilis, qui talem potestatem dedit hominibus, qui animas Cælis, & terra pulchriores fecerit, atque speciosiores cunctis alijs ab ipso creatis; qui fecit eas, & Angelis coæquales, illas tamen, quæ in Ciuitate Dei, in monte sancto eius, Iesu Christo, capiti nostro credunt, eumdemquè sequuntur. Si ergo Cælum, & terra pulchra, si ea, quæ in eis continentur preciosa sunt, illis verò pulchrior sit anima, quid de illorum Conditore, de animarum Redemptore, atque Creatore dicendum erit? quantò magis pulchrior qui fecit? Augustin. Psalm. 143. litera D. quantò magis illis Deus erit, considerans creaturam laudans Creatorem? Augustin. Psalm. 68. litera H.

O hominum detestandam stultitiam, ò iniquorum, & infidelium crudelitatem erga suam, & aliarum animarum perditionem. Pro modico temporali bono ficto, quod non est bonum, amittunt æterna, fruuntur temporaneis. Conuertimini, & videbitis, quid sit inter iustum, & impium: inter seruientem Deo, & non seruientem ei, Malach. cap. 3. num. 18. Erratis à via veritatis, ò iniqui, ò peccatores, & iustitiæ lumen non luxit vobis, & Sol intelligentiæ non est ortus vobis, Sap. cap. 5. numer. 6. & 7. In via iniquitatis, & perditionis lassati estis, & vias difficiles ambulatis. Quid superbia, & diuitiarum iactantia contulit vobis? transeunt hæc omnia tamquam vmbra; in malignitate vestra consumpti estis in sæcula; quando in inferno cum Diabolo consumpti eritis, Sap. d. cap. 5. num. 13. vt nunquam in consumptione deficiatis.

Magnus Dominus, qui dissimulat peccata hominum, Sap. 11. nu. 14. propter pœnitentiam: qui vobis parcere paratus est, Ezech. 18. nu. 21. & cap. 33. nu. 11. Et si ad Deum conuertimini, vobis timentibus orietur nomen Iesu Christi Sol iustitiæ, & sanitas in pennis eius, Malach. cap. 4. num. 2. Non est enim abbreuiata manus Domini, vt saluare nequeat, neque aggrauata est auris eius, vt non exaudiat, Isai. 59. num. 1. Parcit autem Dominus, quoniam omnia sua sunt, & amat animas, Sap. dicto cap. 11. num. 27. Surgite ergo postquam sederitis, qui manducatis panem doloris, Psalm. 126. numer. 2. Hìc enim gaudere de bonis

ter-

terrenis moleſtum eſt, & periculoſum nimis; ne ſic gaudeas, vt hæreas, & gaudendo malè pereas: Auguſt. in Pſalm. 137. Vndè Deus miſcet tribulationes gaudijs; niſi vt tribulationem ſentientes, & amaritudinem, diſcamus deſiderare dulcedinem; hæc Auguſtin. Deſine aduerſus Deum facere, 2. Paralip. 25. num. 25. Pſalm. 36. num. 8. Deſine ab ira, & derelinque furorem. Vacate qui nunc in delictis eſtis immerſi, & videte qui in delictis eſtis; quoniam nihil melius eſt, quàm timor Domini Dei: nihil dulcius, quàm reſpicere in mandatis eius, Eccleſ. cap. 23. nu. 37. Gloria magna eſt ſequi Dominum. Mementote nouiſſimorum, & deſine inimicari; tabitudo enim, & mors imminent in mandatis eius, Eccleſ. cap. 28. num. 2. Vacate diſſoluendo colligationes impietatis; & videte quia ipſe eſt Dominus; quoniam erumpet quaſi mane lumen tuum, & ſanitas tua citius orietur, & anteibit faciem tuam iuſtitia tua, & gloria Domini colliget te. Inuocabis Dominum, & exaudiet te, clamabis, & dicet: ecce adſum, Iſai. 58. num. 6. Neque deſinit tibi benefacere dans timorem ſuum in corde tuo; vt non recedas ab illo, Ierem. cap. 31. num. 40. Non ceſſes ergo, benè viuas, & Deum ſemper laudabis. Quod ſi à iuſtitia eius declinas, & ab eo, quod illi placet, tunc deſinis laudare, Auguſtin. Enarratione in Pſalm. 148. Meditatio præſentis vitæ noſtræ in laude Dei eſſe debet, quia exultatio ſempiterna futuræ noſtræ vitæ, laus Dei erit; & nemo poteſt idoneus fieri futuræ vitæ, qui ſe ad illam modò non exercuerit. Præcedat ergo iuſſio bonæ cogitationis, vt facta, quæ à bona cogitatione procedunt bona ſint. Facta enim de cogitatione procedunt; In corde noſtro ſedeat Chriſtus, qui bona ſemper iubet; abſit ab illo Diabolus, qui niſi mala iubet; Cantent ergo vox, & vita tua, cantent facta, vt laus Deo ſit ſonora, hæc Auguſtin.

Ecce ergo fratres, nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis, 2. Corinth. 6. tempus beneplaciti Deus, in multitudine miſericordiæ ſuæ, Pſalm. 68. Nàm ſi non eſſet multitudo miſericordiæ ſuæ, quid nos faceremus in multitudine iniquitatis noſtræ? Auguſt. d. Pſal. 68. litera B. Ama veraciter tu Deum, vt laus tua verax ſit apud Deum. Idem Auguſt. Tom. 2. Epiſtol. 120. lit. K. & L. Quis autem veraciter laudat, niſi qui ſinceriter amat?

Magnus Dominus, & laudabilis nimis, ab illis qui intelligunt opera eius in præceptis eius, Auguſtin. Pſalm. 105. lit. L. Deus eſt enim, vt dicit Apoſtolus, qui operatur in nobis, ad Philippenſ. 2. & dictum eſt ſemini Abrahæ, Pſal. 104. in princ. Cantate ei, & pſallite ei, quod intelleximus ità dictum, vti diceret, bona in eius laudem & dicite, & facite; quibus illa Pſalmi verba 105. conueniunt; Narrate mirabilia eius; hoc fit autem, cantate ei, quod verò dicitur laudamini in nomine ſancto eius, hoc fit pſallite ei: Sed eidem Abrahæ ſubiungit; luceant opera bona veſtra coram hominibus, vt videant bona facta veſtra, & glorificent Patrem veſtrum, qui in Cælis eſt, Matth. cap. 5. num. 16. Cum ergo præceptorum opera laudes ſint Dei, quis, inquit, qui operatur in eis loquetur potentias Domini, quoniam ineffabilia ſunt eius: & qui cum audiuit, facit laudes eius; beati qui cuſtodiunt, & faciunt iuſtitiam in omni tempore, beatus, qui vſque ad finem perſeuerauerit.

Magnus Dominus & laudabilis nimis, in Ciuitate Dei, in monte ſancto eius, in Eccleſia ſua ſancta, cuius caput Chriſtus eſt; cuius membra Chriſtiani ſunt; quorum operatio à capite procedat, ſi opera Domini, & laudes enarrare deſiderat,

siderat, Augustin. in Psalm.146. in enarratione litera K. L. & M. Non solum vita tua sonet laudes Dei, sed opera tua concordent cum voce tua. Cum ergo cantaueris voce silebis, aliquando. Vita sic canta, vt nunquam sileas à laude, cum ergo Deus laudatur de bono opere tuo, opere tuo laudas Deum; & cum blasphematur Deus de malo opere tuo, opere tuo blasphemas Deum; Itaque ad aurium exhortationem canta voce, corde ne sileas, vita ne taceas, hæc Augustin. Opera ergo tua bona sint, & erit coram Deo iucunda laudatio, quid enim iucundum, nisi quod est speciosum: si peccator laudat, quomodò erit speciosa laudatio, Ecclesi.d.cap.16. Noli ergo bonæ cantilenæ tuæ obstrepere moribus malis; nàm laudatio impiorum offendit Deum. Plus ille attendit quod viuas, quàm quod sones; si enim à te ipso dissonas, quomodò cum Deo pacem habere vis? Dissonas à te ipso, quando aliud sonat lingua, aliud indicat vita, hæc Augustin. ibi, & in Psalm.35. lit. B. In platea blasphematur Deus, & nomen Dei blasphematur in gentibus, ad Roman. cap.2.num.24. & ad Timoth.1.cap.1.num.7. Comparantes, inquit Apostolus, semetipsos sibimetipsis, non intelligunt, neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant; peccatori enim dicit, vt quid enarras iustitias meas? Psalm.49. Augustin. ibi litera H. Sacrificium laudis illis, qui benè viuunt. Certè sacrificium laudis nihil prodest malis; qui faciunt damnanda, quæ displicent oculis Domini. Qui enim malè viuis, & benè dicis, nondum laudas, & si quòd cœperis benè viuere, meritis tuis tribuas, nondum laudas. Nolo te esse, inquit Augustin. latronem insultantem cruci Domini, sed nec te volo esse Pharisæum, in templo iactantem merita sua, & occultantem vulnera sua; Idem Augustin. hìc. Laus Dei non potest esse, nisi in semitis eius; nàm qui malè viuunt, Deum non laudant; sed quia & si prædicant lingua, blasphemant vita; & sic laus non est in Christi infidelibus, nec in hæreticis, nec in malis Christianis.

Magnus est Dominus, & laudabilis nimis in Ciuitate Dei, in monte sancto eius, quia in Ecclesia Dei, in capite Christo Iesu per laudem Dei aperitur nobis via salutaris Dei, Augustin. d. Psalm.49. propè finem litera K. In sacrificio laudis via est, quia illi ostendam salutare Dei. Quid est salutare Dei? Christus Iesus. Et quomodò, inquit, in sacrificio laudis bonis ostenditur Iesus Christus? quia Christus cum gratia venit ad nos, ad Galat.cap.2.num.20. Viuo ego iàm non ego, viuit verò in me Christus. Quod autem in carne viuo: in fide filij Dei viuo, qui me dilexit, & tradidit semetipsum pro me, hæc Augustin.

In Ciuitate ergo Domini virtutum, in Ciuitate Dei nostri. Vbi videmus, & audimus, illìc & laudemus Dominum: extrà enim illam qui est, nec audit, nec videt, nec laudare potest, vt illi proficiat; non est ista laus, quæ est more peccatoris, Augustin. Psalm.49. litera H. Certè nihil prodest sacrificium laudis hominibus malis, quia assumunt testamentum Dei per os illorum, & faciunt damnanda, quæ displicent oculis eius. In Ciuitate Dei nostri videmus, quam Deus fundauit in æternum. Ideò ne timeas, quòd casurum sit fundamentum. In monte sancto eius, qui in Ecclesia sumus, suscipimus misericordiam Dei; versemur in monte sancto eius. Omnes, qui in Ecclesia sunt, Christiani sunt, omnes Christi Baptismum susceperunt, sed non omnes dignè illo sacramento viuunt, 2. ad Timot.cap.3.nu.5. sunt quidam habentes formam pietatis, virtutem autem eius abnegantes. Palea ad aream pertinet, sicut & tri-

ticum

ticum donec trituretur; ad horreum autem palea non pertinet, illa excluditur. Laudes vt tibi prosint benè viue; omnes in Ecclesia existentes Christiani vocantur: Viuas tamen tu dignè misericordia Dei; qui audis, & tenes, quod ait Apostol. 2. Corinth. cap. 6. num. 1. Præcipientes, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. Separentur mali mores à te, vt dignè laudes Dei cantes. Multi sunt vocati, pauci electi; ne & nos sicut primi parentes à Dæmone decipiamur, Genes. 3. Tentat Diabolus dicens, quia nequaquam moriemur, & si malè viuamus, docet nos Iob, quid suggestionibus respondeamus, cap. 2. n. 10. dicens: quasi vna de stultis mulieribus locuta es, nàm & ipsum Iob per fœminam, tamquam per Euam tentauit, & vicit in stercore, victus in Paradiso, Augustin. d. Psalm. 47. litera H.

Et si fusius scire cupias, quis stet in Ciuitate Dei, in monte sancto eius, & vbi fundata sit ista Ciuitas Dei, & mons, vide quæ supra diximus, Psalm. 23. ipse Dominus illam firmissimè stabiliuit super omnes fluctus sæculi huius, vt ab ea superentur, nec ei noceant. Flumina in mare fluunt, & cupidi homines labuntur in sæculum. Et istos superat Ecclesia, quæ deuictis per Dei gratiam cupiditatibus sæcularibus ad recipiendam immortalitatis charitatem, & immortalitatem parata est. Sis ergo tu innocens manibus, & mundo corde, si vis ascendere in montem sanctum Domini: mundus sis in cogitationibus & innocens in operibus; hæc est enim generatio quærentium Dominum, quærentium faciem Dei Iacob. Hi sunt, qui laudes Deo cantant, vt illis prosit, nec fraudat Deus credentes in illum præmio repromissionis suæ, August. d. Psalm. 68. lit. H. Quoniam Deus saluam faciet Sion, Ecclesiam suam, fideles gentes incorporando vnigenito filio suo: hi sunt, qui diligunt nomen eius, & habitabunt in eo.

Magnus Dominus ergo, quia te errantem vocauit, & tibi peccata tua confitenti dimittit. Magnificetur Dominus à te peccatore, vt te vocet, & confitendo magnificetur, vt ignoscat, si iustè viuis: magnificetur, vt regat, si vsquè ad finem perseueras: magnificetur, vt glorificet: Hæc sint iustorum laudes, hæc cantent, qui quærunt Dominum Iesum, ità Augustin. Psalm. 69. litera L. Vis ergo, vt Deo tuo iucunda sit laudatio? noli bonæ Cantilenæ tuæ obstrepere malis moribus, Augustin. Psalm. 146. litera A. Qui laudatis, benè viuatis; plus enim attendit quid viuas, quàm quid sones; Deus enim noster, quod sit ei iucunda laus, non ad os, sed ad cor; non ad linguam, sed ad vitam laudatoris, respicit, & hæc erit tibi laus, proficua tibi, Augustin. Psalm. 102. lit. A. Laudari vult Deus, vt tu proficias, non vt ille sublimetur; non est omninò, quod illi retribuas, & quod exigit, non sibi, sed tibi exigit, tibi proderit, tibi seruatur. Nō hoc à te amat, quod illum augeat, se quod te ad illum perducat; hæc Augustin. Seruabis ergo Dei præcepta, & laudes Deo dabis, August. Psal. 105. lit. L. Cur verò tanti faciat Deus laudem oris, & linguæ nostræ, crederem, quia verbum diuinum dixit, & facta sunt, & quia tu Dei seruus, Verbo factus es, verbo pariter illi gratias agas, diuino verbo laudes dicas, illudq. confitearis, per quod in Christo, & tu factus es, & sanguine eius redemptus, S. Bernard. in festo omnium Sanctorum, & Nazianzen. Orat. 2. in Pascha, & Nicet. qui dicit, nos Orationem conferamus pluribus de causis, primùm quia nihil sermone præclarius habemus; Tùm quia Christus præter alia nomina Verbum quoque appellatur.

Aliam

Aliam & ego adderem rationem, cur iustorum Deo caræ sint, & acceptabiles laudes; nempè quia illæ testes sunt, quòd verbum Dei in illis est manens, Ioan. cap. 5. quatenus quem misit Pater, corde credunt filium Dei, & talem ore confitentur, & sacram doctrinam eius, quam susceperunt, alios docent, vt vitam æternam habeant. Qui enim iustus laudat Dominum, facit, & reddit fructus suos, quos ex arbore bono percepit. Hanc expositionem ex Isai. cap. 55. num. 10. percipio. Et quomodò, inquit Dominus, descendit imber, & nix de Cælo, & illùc vltrà non reuertitur, sed inebriat terram, & infundit eam, & germinare eam facit, & dat semen serenti, & panem comedenti; Sic erit verbum meum, quod egredietur de ore meo, non reuertetur ad me vacuum, sed faciet quæcumquè volui, & prosperabitur in his, ad quæ misi illud, quia in lætitia egrediemini, & in pace deducemini. Montes, & Colles cantabunt, & omnia ligna regionis plaudent manu. Quia vox iusti laudat Verbum, gaudet Verbum, cum vox ab illo facta reddat in tempore suo fructum: Propter nos ergo Deum laudantes, acceptabilis illi est laus, quam ore proferimus, quia quos nos Patri redemit, hos conseruasse gloriabitur, vt nos conglorificemur, Joan. 17. n. 15. & sequen. sanctifica eos Pater in veritate, sermo tuus est veritas, & pro eis ego sanctifico meipsum. Et in alio loco; Qui confitebitur me, confitebor illum coram Patre meo. Laus ergo iusti Deo facta acceptabilis; quia & ipse fructum ex laude percepit, & alios, vt percipiant, docet magnificando opera Dei, illumq. laudando. Lætentur propterea, dixit Psalmus, & exultent filiæ, &c. Magnus ergo Dominus & laudabilis, quia si in Ciuitate sua, in illo maneamus, nobiscum est in tribulationibus, vt ab illis cum præmio vitæ æternæ eruamur, & consolatur nos in omni tribulatione nostra, ad Roman. cap. 1. num. 12. 2. Corinth. cap. 1. num. 4. de manu mortis liberet nos, Oseæ 13. num. 14.

Fundatur exultatione vniuersæ terræ, mons Sion, latera Aquilonis, Ciuitas Regis magni. Non ideò placet, quòd de Ierusalem & de templo à Salomone constructo loquatur, nàm, vt supra diximus, iàm Ciuitatem illam, Ierusalem à Dauide constructam credimus, quomodò ergo fundatur, quod iàm perfectum est? Cur in illius fundatione vniuersa lætatur terra, cum dempto Iudæorum populo, reliquum terræ Idolis seruiebat, & opera manuum suarum adorabat? Quomodò latera Aquilonis, quæ in frigiditate, & ideò ex diabolo Patre illorum erant, lætantur? quia per Christum eorum Idola tollantur, & eorùm Pater Diabolus victus in infernum detrudatur. Fundatur ergo in exultatione, quia semper crescit Ecclesia Dei, semper fundatur, quæ nunquam finem habitura est, donec fiat vnum ouile.

Non ergo de illa materiali Ierusalem Ciuitate prophetizat Dauid, quæ nihilominus destruenda erat, prout fuit destructa, sed de illa in æternum permansura Dei Ecclesia Ciuitate sua; contrà quam nec portæ inferi præualebunt, sed semper est duratura. Vniuersa terra ex fundatione istius Dei Ciuitate lætatur; quia ex omni parte gentes ad illam venientes, ex lateribus Aquilonis, gentilitatis scilicet ad illã confugientes salui fiant; quando nempè ex Apostolorum vocibus, & aliorum doctrinis iuxtà præcepta Iesu relictis, Credentes fieri debebant ex totius terræ habitatoribus, Iudæis, & Gentilibus, vt Ciuitas Regis magni, in qua Deus habitat, cognoscatur, prædiceturq. & in illa Verbum Dei, idest filius eius pro nobis traditus credatur.

Deus

Deus in domibus eius cognoscetur, cum suscipiet eam. Cum posuerit illum Dominus, vt esset gentium lux, & salus vsquè ad extremum terræ, Isai.cap.49. num.6. repulerant verbum Dei Iudæi, & propterea indigni æternæ vitæ, recedentes ab eis Apostoli, ad gentes sunt conuersi, Act. cap.13. num. 46. Fundatur exultatione vniuersæ terræ. Nàm gentes verbum audientes gauisæ sunt, glorificantes Dominum, ibid. num.48. in Act. & crediderunt, & cap.11. num.21. Latera Aquilonis, quia in Ecclesia magna, in populo graui laudabo te, Psal.34. num.18. Propterea latera Aquilonis, Ciuitas Regis magni, quæ locum tentorij sui dilatat, & pelles tabernaculorum suorum extendit; longos facit funiculos suos. Ad dexteram enim, & ad læuam penetrabit, & semen eius gentes hæreditabit. Ecce accola veniet, qui non erat mecum, aduena quondam tuus adiungetur illi, Isai.cap.54. num.2. & num.15. & nunc qui redempti sunt à Domino reuertentur, & venient in Sion laudantes, & lætitia sempiterna super capita eorum, gaudium, & lætitiam tenebunt, &c. Isai.cap.51. num.11.

Fundatur Ciuitas ista Ecclesia, sed à quo fundatur? Isai.cap.28. num.16. Ecce ego, dicit Dominus, mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, pretiosum, in fundamento fundatum, & num.29. & hoc à Domino Deo exercituum exiuit, vt faceret consilium, & magnificaret iustitiam. Sed quis à Deo exiuit? Iesus Christus filius eius, Ioan.16.n.28. exiui à Patre, & veni in mundum, Ioan.13.n.3. Isai.48.n.16. Et nunc Dominus Deus meus misit me, & spiritus eius, & quis es tu, qui Deum misisse te iactas? quē te facis? idem Isai.d c.48. n.12. Ego ipse, ego primus, & ego nouissimus: manus quoque mea fundauit terram, & dextera mea mensa est Cælos. Hic erat à principio apud Deum; & per ipsum omnia facta sunt, Ioan.1. Iste est, quem Deus dilexit; qui à principio nō in abscondito locutus est, & ex tempore antequam fieret ibi erat, ibidem Isai. n.16. Ipse est petra Christus, ad Ephes.2. num.20. Fundatur, & in illius fundatione exultat omnis terra, quoniam super illum bases eius solidatæ sunt, & lapidem angularem demisit, electum, pretiosum, & qui crediderit in illum, non confundetur, ad Roman.cap.9. num.33. de quo etiam Isai. cap.8. num.13. Dominum exercituum sanctificate, ipse pauor vester, & ipse terror vester; & erit vobis in Sanctificatione: in lapidem autem offensionis, & in petram scandali duabus domibus Israel; in laqueum, & in ruinam habitantibus Ierusalem, & offendent ex eis plurimi, & cadent, & conterentur, & irretientur, & capientur, &c.

Mons Sion, latera Aquilonis, ex his fit Ciuitas magni Regis, qui factus est in caput anguli, & non est in alio aliqua salus, Act.cap.4. nu.12. Fundatur exultatione vniuersæ terræ, quia latera Aquilonis, eorum scilicet qui Diabolo coniuncti erant, Populus ille gentilis, qui siliquas porcorum comedebat in Babylone, in se reuersus, Luc.15. nu.16. dixit in aduentu filij Dei, Vadam in domum Patris mei, à quo venit mihi cælestium cognitio, & dicam, Domine, non sum dignus vocari filius tuus. Iàm Diaboli membrum eram, iàm perditus; peccaui coram te Domine, & coram hominibus; tu me facias vnum ex mercenarijs tuis. Magnus Dominus, & gloriæ eius non est finis; ægrotus erat populus Gentilis, ad mortem erat, ex desperatione; conualescit ægrotus. Ab Aquilone nubes aurei coloris, Iob 37. nu.22. vel vt vulgaris habet, ab Aquilone aurum venit. Inuolutus erat tenebris Populus ille gentilis; præcepit Dominus pluuijs, vt ostenderent lucem nubium eius, Apostolis scilicet, vt gentibus præ-

prædicarent verbum eius, Iob dicto cap. 37. num. 15. & 19. Et ecce aurum ex nubibus Aquilonis, ex Gentilitate, quoniam verbum Dei susceperunt. Et gauisi sunt lætantes, Act. d. cap. vt supra, veterem deposuit gentilitas coronam, ad Ephes. cap. 4. num. 22. Qui mortuus fuerat reuixit; qui perierat inuentus est; maior filius, qui epulari nolebat, exhortatus ingressus est; & duo parietes, tamquam illi duo filij ad vitulum peruenientes Ciuitatem Regis magni fecerunt. Lapis angularis Christus Iesus gentilitatem Synagogæ adiunxit, & ex vtraque fecit vnam. Non amplius Sion montem solum intelligas, qui gentilitatem illi adiunctam consideras; non amplius ex Circumcisione carnis, sed ex cordis sinceritate. Ex Vnitate spiritus in Deum, vna Ecclesia, vnus populus, Deo factus dilectus; quia Deum filium quilibet eorum in domo sua suscepit, illum confitetur, & laudat. Illum creauit Dominus, qui inuocat nomen suum; in gloriam suam creauit eum, & fecit eum, & ideò laudem eius narrabit, Isai. c. 43. num. 7. & 21. In cuius lucem sempiternam est Dominus, & Deus in gloriam suam; populus enim iustus & in perpetuum hæreditabit terram, germen plantationis eius, opus manuum suarum ad glorificandum eum, Isai. 60. num. 21.

Fundata est ergo Ecclesia sancta, Ciuitas sancta, idest benè radicata secundũ S. Ambros. Augustin. & Hieronym. vel benè dilatata secundum eosdem; quia in omnem terram est fundata, dilatata est, radicata est, benè fundata, quia nec portæ inferi præualebunt aduersus eam.

Deus in domibus eius cognoscetur cum suscipiet eam. Quando eam suscepit? Quando factus homo, Sanguine suo illam plantauit; quando nomen Dei Patris, hominibus, quos dedit illi Pater, manifestauit, Ioan. cap. 17. num. 6. tunc cognouerunt eum, dicentes; Nunc scimus, quia scis omnia, in hoc credimus, quia à Deo existi. Respondit Iesus, modò creditis, Ioan. cap. 16. nu. 29. Deus in domibus eius cognoscetur, cum suscipiet eam. Consideres velim, quia de vna Ciuitate tantum fit mentio, de vna Ecclesia, quæ est vnica, sancta, & Catholica, cuius caput est Christus, & eius Vicarius; Cuius vnitas est Cœtus hominum Christianorum fidelium. Verùm cum in mundi diuersis partibus sit dilatata, in plurali domus illorum vocatur. At licet in varijs locis positi, sub vna tamen Ecclesia, sub vna Ciuitate includuntur, quamuis in diuersis locis domos, & Ecclesias habeant materiales, vndè Sacramenta suscipiunt, & à varijs Episcopis, & Cultoribus gubernentur. Et ideò in domibus illorum cognoscetur Iesus Christus, cuius Ecclesia omnes comprehendit, cuius Vicario omnes subijciuntur; & ab illo capite, quæ vera sit Christi doctrina, agnoscitur, declaratur, & manifestatur. Cum ergo Iesus iàm plantauerit Ecclesiam suam, omnium Ecclesiarum Matrem, & Magistram, & in domibus eiusdem Ecclesiæ vnitis, & subiectis cognoscitur, & pro filio Dei vero, & vnico adoratur, & creditur. Nec si plures Ecclesiæ, siuè domus sint, mireris, nàm Ioan. Apocalyps. cap. 2. num. 2. Angelo Ephesi cap. 8. Angelo Smirnæ Ecclesiæ, & cap. 3. quid spiritus docet Ecclesiam, & 1. Petri cap. 5. Salutat vos Ecclesia, quæ est in Babylone.

Deus in domibus eius cognoscetur, August. Iàm in domibus propter montes, propter duos parietes, tamquam illi duo filij ad vitulum peruenientes Ciuitatem Regis magni fecerunt, propterea in domibus eius cognoscetur propter montes, propter duos parietes, propter duos filios: sed gratiam comendat; dicas

cum suscipiet eam, nam quid esset ipsa Ciuitas, nisi ille suscepisset eam? nonnè statim caderet, nisi tale fundamentum haberet? fundamentum enim aliud nemo potest ponere præter id, quod positum est, quod est Christus Iesus, 1. Corinth. 3. nu. 11. hæc August. cum suscipiet eam. Vt tu scias, quia gratia Dei est, quæ necessaria est: Nemo ergo de suis meritis glorietur; sed qui gloriatur, in Domino glorietur, qui est in illa magna Ciuitate: tunc in ea cognoscetur, cum suscipiet eam, 1. Corinth. nu. 32. cap. 1. & tunc templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in vobis, 1. Corinth. c. 3. nu. 16. non ergo, si eam non suscepisset, grata illa Ciuitas haberetur, & ideò illam Dominus suscepit, vt à malo illam liberaret, illam sanaret, ideò agnitus est Dominus in ea, idest gratia ipsius cognita est in illa Ciuitate; ideò de eo, quod habet, gloriatur in Domino, cum ex se nihil habeat, Vndè Augustin. Psal. 83. Deus donator est indulgentiæ, debitor Coronæ; Vndè debitor est? debitorem ipse se fecit, non accipiendo, sed promittendo. Non enim dicitur, redde, quod accepisti, sed redde quod promisisti: Deus in domibus illius Ciuitatis, quam fundauit, cognoscetur. In Ciuitate Ierusalem, in illa Iudæorum non cognitus, immo negatus, & crucifixus; in ista verò, quam plantauit, & in domibus eius cognoscetur, quia omnes crediderunt in illum ex gentibus, & ex Iudæis etiã, quamuis pauci illorum, habito ad gentiles respectu.

Quocircà ecce Reges terræ congregati sunt, conuenerunt in vnum. Iudæorum in Domino credentium crescebat numerus; & qui ex illis magis Christum persequebantur, hoc est membra eius persequebantur Saulus, Act. cap. 8. nu. 9. factus Paulus prædicabat Iesum filium Dei. Ex gentilibus etiam multo plures, & ex illis Virgines, & pueri, & ignorantes, verbum Dei prædicabant, alios sapientes confundebant, mortuos ad vitam in nomine Iesu reuocabant; tormenta, ac si illis dulcia sustinebant, impetum inimicorum non metuebant; & ex his Ciuitas magni Regis Iesu magis augebatur, & numerus credentium crescebat.

Ecce Reges, Herodes, & Imperatores, omnesq. terrenæ potestates, congregati conuenerunt in vnum, vt credentes occiderentur, confitentes Iesum cruciarentur, nec potestas illorum præualuit contrà Iesum, lapidem angularem. Quia videntes signa, & quia totus post credentes Apostolos, Martyres, Virgines, abibat mundus; Admirati sunt, conturbati sunt, commoti sunt, tremor apprehendit eos. Regnum meum non est de hoc mundo, neque eripit mortalia, qui Regna dat Cælestia. Quid Domini potentiam admiramini, ò Reges, ò latera Aquilonis? veniant nunc aureæ nubes in vobis, quia venit, qui liberet vos ab infernis. Quid conturbamini? Durum est & vobis contrà stilum calcitrare. Infirma hæc elegit Deus, vt vestra quæque fortia confunderet.

Tremor vos apprehendit, non qui ex timore Dei prouenit, qui timor sanctus est, sed quia illum negastis, & Ecclesiam suam persequuti estis; propterea nisi conuertamini, in damnatione vos omnes positi estis; In vnum credentes conueniatis congregati, qui terrena gubernatis; quia filius hominis venit in mundum, quia iam filius Dei homo est factus, vt pro nobis passibilis, & Cruci affixus illum videatis, & videntes vos turbatos, & magnalia Dei admirantes, trementes facti timeatis, dum discussio venerit, atque ventura ira, Malach. cap. 4.

Peccata vestra vereamini, & mala opera vestra, scientes, quia Deus tunc non parcet delinquenti, Iob cap. 9. numer. 18. & Act. Apost. cap. 2. numer. 23. Fiebat

autem omni animæ timor, & metus erat magnus in vniuersis, & impleti sunt omnes stupore, & extasi, Act. Apost. c. 3. stupentes, n. 10. & 12. Fremebant Principes, & Annas Princeps Sacerdotum, comminantes Discipulos, ne in hoc nomine Iesu docerent; & Discipuli vocem leuantes ad Deum, dixerunt. Domine, qui Spiritu sancto per os Patris nostri Dauid dixisti, Psalm. 2. Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania. Astiterunt Reges terræ, & Principes conuenerunt in vnum aduersus Dominum, & aduersus Christum eius, Act. cap. 4. numer. 24. cum sequen. Trementes timor apprehendat, vt congregati in vnum credant te filium Dei viuum; conuenerunt in vnitatem fidei cum cæteris fidelibus, quia ex lapide factus est mons magnus, qui omnem terræ faciem operuit, in qua & ipsi comprehensi sunt. Nec qui erant infideles, ab illo lapide segregati, separati, concisi; conuenerunt inquam, quia admirati sunt videntes signa, & miracula, quæ fiebant ab Apostolis, & fidelibus in nomine Iesu Christi; & in vnum collecti dixerunt. Venite populi, qui nobis subditi estis, & simul in montem Domini ascendamus, Isai. cap. 2. numer 5. Iàm præparatus est mons Domini, eleuatus super omnes colles; ascendamus & nos ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos vias suas, vt ambulemus in semitis eius, quia de Sion exiuit lex, & verbum Domini de Ierusalem. Humilientur sublimes oculi nostri, & incuruetur superbia nostra; solus enim Deus exaltetur, ecce iàm in vnum collecti sumus; quia audiuimus; quia vidimus; quia Cælum non accipit iniustos, infideles, superbos. Ideò conturbati sunt, commoti sunt, tremor apprehendit eos, & ibi dolores vt parturientis; Ingrediamur, inquiunt, scissuras petrarum, in fide, quam nobis prædicat Petrus, & pœnitentiam agentes in cauernas saxorum à facie formidinis Domini, & à gloria maiestatis eius introeamus. Quis scit, si conuertatur, & ignoscat Dominus, Ioel. cap. 2. num. 14. Daniel. cap. 3. numer. 14. Ezechiel. cap. 18. num. 30. Conuertimini, inquit, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas.

Deus in domibus eius cognoscetur, cum susceperit eam. Stetit aliàs Deus in Templo, in medio Doctorum, sed illos interrogabat stupentibus omnibus, Luc. cap. 2. num. 46. & cum per medium illorum transibat stupebant in doctrina eius, Luc. cap. 4. nu. 30. iterum inter duos latrones medius stetit Iesus crucifixus; Cognouit latro diuinitatem Iesus, & suscepit eum Dominus cum ipso in Paradisum. Vltimo venit Iesus, cui data est omnis potestas in Cælo, & in terra, Matth. cap. vltimo, in fine; Et stetit in medio Discipulorum dicens, Pax vobis: Cognitus fuit Iesus, quia illis ostendit pedes, & manus, Ioan. cap. 20. num. 19. & nu. 27. In medio eorum cognitus est Deus, & ipse suscipiens eam, Ecclesiam scilicet, dedit illis Spiritum sanctum, & vt quibus peccata remitterent in terra, remitterentur & in Cælo. Euntes ergo, dicebat illis, docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, & ecce vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi, Matth. d. c. 28. nu. 18. cum sequen. Stetit ergo primò, vt interrogaret; stetit secundò, vt transiens per medium illorum humanitatem suam, atque diuinitatem eis ostenderet, quia nondum venerat hora eius: stetit tertiò inter duos latrones in Cruce, vt Ecclesiam plantaret sanguine suo; stetit & vltimò inter Discipulos suos, vt fundata Ecclesia, illos doceret, illos per totum mundum mitteret, vt in domibus, vbi

Verbum prædicaretur, & susciperetur, cognosceretur, quia ipse est fundamentum Ecclesiæ, Caput nostrum, redemptor noster, qui Ecclesiam suam sanguine suo plantatam, in suam recepit, & illorum, qui intra illam sunt, laudes suscipit, & preces exaudit. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, Ioan. cap. 1 nu. 2.

Audiebant populi, & gaudentes verbum suscipiebant; Videbant Reges totius populi commotionem, & Discipulos signa, & miracula facientes; & ipsi congregati sunt, & eamdem fidem Iesu Christi suscipientes conuenerunt in vnum, vt vnica crederetur Ecclesia per totum Orbem diffusa, Multitudinis enim credentium erat cor vnum, & anima vna, Act. c. 4. n. 32. Admirati sunt propter signa, quæ faciebant, conturbati sunt, quia virtute magna reddebant Apostoli testimonium Resurrectionis Iesu Christi Domini nostri: Admirati sunt, quia & si nihil possidentes essent, nemo tamen illorum egenus erat, & gratia magna erat in omnibus, Act. d. c. 4. num. 34. Admirati sunt, quia pauperes, & idiotæ Apostoli magnalia Dei prædicabant, Iudæos confundebant. Et sapientes conturbati sunt, quia per legem Christi cognouerunt peccatum, de quibus cum essent valdè grauati conturbabantur. Conscientia enim illorum turbauit eos, ad Roman. cap. 3. Vndè Augustin. Psalm. 118. in Concione 25. litera H. Quantò legis maior in quocunque cognitio, tantò minor peccati excusatio; quantò minor peccati excusatio, tantò manifestior præuaricatio: Tremor apprehendit illos, quia cognouerunt delicta sua. Augustin. tremor non est, nisi de conscientia delictorum.

Sed quare tremor? Quia Dominus terram aspexit, & facit eam tremere: quæ enim ò Reges est superbia vestra? loquuntur Apostoli, loquuntur serui Dei; & vos tremitis; Cœpistis potentes cædere fideles flagellis; sed cæditis, & tremitis? quid est hoc? non illi sunt, qui loquuntur, sed spiritus Domini, qui loquitur in illis, Matth. 10. Non est fortitudo ista vestra, ò Reges terræ, nàm si vestra est, & non Dei, duritia est, non fortitudo: ipse enim Deus est, qui aufert spiritum Principum, & deficiunt, ad Roman. capit. 4. ò terra exultas de bonitate tua, tibi tribuis vires opulentiæ tuæ, ecce respicit Dominus, & facit eam tremere, August. in Psalm. 103. lit. H. Respiciat te, & faciat te tremere: melior enim est tremor humilitatis, quàm confidentia superbiæ; cum timore & tremore, inquit Apost. ad Philipp. 2. nu. 12. vestram ipsorum operamini salutem. Idem August. d. Psalm. 103. Dicis ò Paule, operamini, dicis, vt operemur, quare cum tremore, & timore? Deus est enim, inquit, qui operatur in nobis; ideò ergo cum tremore, quia Deus operatur; quia ipse dedit; non ex te est, quod habes. Cum timore, & tremore operaberis, nàm si non timueris eum, auferet, quod dedit Deus; idem Psalm. 2. Seruite Domino in timore, exultate ei cum tremore; apprehendite disciplinam: Propterea, inquit ibi, vt dolores parturientis: quia cum inuenerit Dei gratiam, non recordatur amplius pœnitens pressuræ suæ; nàm super illum dolentem de peccatis quiescit spiritus Domini, Isai. 66. nu. 2. Ad quem autem respiciam, nisi ad pauperculum & contritum spiritu, & trementem sermones meos? Ad illum enim dolentem de peccatis aspicit Dominus; respexit Petrum, & conuersus fleuit amarè, Luc. cap. 22. num. 61.

Ibi dolores vt parturientis; in spiritu vehementi conteres Naues Tharsis. Quia prius viderunt mirabilia Dei, admirantur, quia illorum superbia Deum cognoscere non permittebat; conturbantur suam potentiam considerantes. Nàm

cum Dominus illorum spiritum abstulerit, in puluerem reuertentur; & ideò commoti sunt, & ab illorum maligna via recesserunt, & trementes facti magno dolore, de commissis contrà Deum concutiuntur, affliguntur. Digitus enim Dei tetigit illos; tetigit Deus montes eorum, superbiam scilicet, & fumigarunt, ex quo fumo lacrymæ excutiuntur. Ibi dolores parturientis, August. hic lit. H. vndè ipsam Conceptionem doloris, & parturitionis? Isai. 26. nu. 18. A timore, inquit, tuo concepimus, & parturiuimus spiritum salutis. Sic ergo conceperunt Reges à timore Christi, vt parturiendo, salutem parerent, credendo in eum, quem timuerunt. Vbi parturientem audis, fœtum expecta. Parturit vetus homo, sed nascitur nouus homo. Rectè igitur dolor pœnitentis, dolori parturientis assimilatur, quia ex dolore pœnitentiæ nascitur nobis spiritus salutis Christus, sicut ex dolore parientis nascitur fructus partus.

In spiritu vehementi conteres Naues Tharsis, superborum scilicet violentiam, & impetum contrà Ecclesiam insurgentium, Psalm. 44. nu. 4. Manus tua gentes disperdidit; afflixisti eos, & expulisti eos. Quæ verò sint Tharsis Naues, & quare Tharsis vocentur, vide hic Doctores; clarum tamen est, quòd superbiam gentium denotant.

Sicut audiuimus, sic vidimus in Ciuitate Domini virtutum, in Ciuitate Dei nostri, Deus fundauit eam in æternum. Dixit suprà, quod in domibus eius cognoscetur, qui verò cognouerunt in domibus scilicet, qui Ecclesiam sanctam sequuntur, qui intrà illam sunt; qui de populo Dei sunt, nunc clamant, & dicunt, quia sicut audiuimus, sic vidimus in Ciuitate Dei nostri, quam Deus fundauit in æternum: sed ò fideles Dei, ò vos Gentiles, ad quos verba Dei perueniunt, quid audistis? Vocem, inquiunt, clamantis in deserto audiuimus, Matth. 3. num. 3. Ioan. 1. nu. 25. Rectas facite in solitudine semitas Dei nostri; omnis vallis exaltabitur, & omnis mons, & collis humiliabitur. Verè fœnum est populus, exsiccatum est fœnum, & cecidit flos; Verbum autem Domini manet in æternum, Isai. 40. n. 7. Quid amplius audiuistis? Ecce seruus meus, electus meus, cui dedi spiritum meum super eum, iudicium gentibus proferet: desertos faciam montes, & colles, & ducam cæcos in viam, quam nesciunt, & in semitis, quas ignorauerunt, ambulare eos faciam, Isai. 42. nu. 1. & 16. & n. 18. Surdi audite, & cæci intuemini ad videndum. Quis cæcus, nisi seruus meus? & surdus, nisi ad quem misi Nuncios meos? Act. 13. nu. 46. Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei, sed quoniam repellitis illud, ecce nos conuertimur ad gentes. Qui de Ciuitate sancta vocati sunt, & super Deum Israel constabiliti sunt, Isai. cap. 48. nu. 2. & 14. Ego vocabo eos, & stabunt simul. Sicut audiuimus Dei filium Iesum Christum à Iudæis crucifixum, ità vidimus, Isai. cap. 50. Matth. cap. 27. numer. 35. Luc. cap. 23. numer. 34. Ioan. cap. 19. num. 18. Marc. cap. 15. numer. 24. Isai. cap. 53. per totum, propter nos crucifixum vidimus; propter nos venisse in mundum audiuimus, Isai. cap. 54. numer. 3. Semen tuum gentes hæreditabit, & numer. 15. Ecce accola veniet, qui non erat mecum, aduena quondam tuus adiungetur tibi; Vidimus etiam adimpletum, quod dicitur Psalm. 71. numer. 11. Adorabunt eum omnes Reges terræ; omnes gentes seruient illi; quia mortuus est, & eumdem resurrexisse vidimus, & credimus, & super omnes Cælos exaltatum, & super omnem terram gloria eius, Psal. 107. nu. 6. Augustin. hic: Vidi regnantem, quem illi viderant pendentem,

Act.cap. 1. Vidi in Cælo sedentem, quem contempserunt in terra ambulantem; item vidi impleri, Psalm. 21. num. 28. Reminiscentur, & conuertentur ad Dominum vniuersi fines terræ. Hæc vide, & cum gaudio exclama, sicut audiuimus, sic vidimus. Meritò sic Ecclesia vocatur de gentibus; Audi filia, & vide, & obliuiscere populum tuum, & domum Patris tui, Psalm. 44. num. 11. Sicut audiuimus. Quid audistis? Centurionem, inquiunt, Matth. 27. num. 55. Verè filius Dei erat iste, Bernard. Serm. 28. in Cantic. Si attenderet quod apparebat; quod nisi deforme, & nigrum oculis spectantium occurrebat, & solus erat risui, qui solus potuit esse terrori, solus honori esse debuerat; Ergo ad vocem credidit, ex voce cognouit; Erat enim fortasse ex ouibus eius, de quibus ait Ioan. 10. vocem meam audiunt; oculum species fefellit, auri veritas se se infudit; auri Dei filius, auri formosus innotuit: oportebat enim, vt vndè irrepsit morbus, remedium intraret, & per eadem sequeretur vestigia; vita mortem; tenebras lux, venenum serpentis, antidotum veritatis. Auris prima mortis ianua, prima aperiatur & vitæ; hæc Bernard. Mortuum vidit illa ouis, Magdalena scilicet, rediuiuum non cognouit: ad vocem eiusdem illum agnoscens clamauit, Dominus meus, Greg. homil. 25. in Euang.

Sicut audiuimus, sic vidimus. Audiuimus vocem Dei Patris, Matth. cap. 17. num. 7. Hic est filius meus dilectus, ipsum audite; & dum fieret vox inuentus est Iesus solus, Luc. cap. 9. num. 36. vt ipse solus audiretur, Augustin. homil. 1. de transfiguratione. Loquitur Elias, sed ipsum audite, loquuntur populi, sed ipsum audite, loquitur Moyses, sed ipsum audite, non iàm Moysen, sed ipsum audite, qui solus remansit in monte, nec alius à Discipulis visus est, post vocem illam Patris delapsam, vt Ecclesia sciret, hunc solum audiendum, istum solum quærendum, Cantic. cap. 5. num. 6. Anima mea liquefacta est, vt sponsus locutus est.

Sicut audiuimus. Quare non, sicut vidimus, & posteà audiuimus? August. hìc lit. D. Vocatur Ecclesia de gentibus, Pater illarum Aquilo fuit; Veniat gens ad montem Sion: prius audiat, deinde videbit; audi prius, posteà vide: audis primò, quod non vides; videbis posteà, quod audisti, Isai. 55. populus, quem non cognoui, seruiuit mihi, in auditu auris obediuit mihi; Si in auditu auris audiuit, ergo prius non vidit. Et vbi est, quibus non est narratum de eo, videbunt, & qui non audierunt, intelligunt? ad quos non missi Prophetæ sunt, ipsi primò audierunt, & intellexerunt Prophetas; illi, qui primò non audierunt, posteà audientes admirati sunt? remanserunt, ad quos missi sunt Codices ferentes, veritatem non intelligentes; testamenti tabulas habentes, & hæreditatem non tenentes. Sed nos sicut audiuimus, sic vidimus in Ciuitate Domini virtutum; in Ciuitate Dei nostri, hæc Augustin. Ibi audiuimus, ibi & vidimus; extrà illam qui est, nec audit, nec vidit; in illa qui est, nec surdus, nec cæcus est. Dixit ergo prius, sicut audiuimus, quia auditus est gradus ad visum, Bernard. in Serm. 41. in Cantic. Fides ex auditu; Audi filia, & vide. Videre desideras, sed audi prius, gradus ad visum est auditus, proindè audi, & inclina aurem tuam ornamentis, quæ tibi fecimus. Hinc est, quod primum præceptum est, Deut. cap. 6. num. 4. Audi Israel, Dominus Deus noster, Dominus vnus est. Vide Ambros. 1. Offic. cap. 2. Vox Dei dicit tibi, audi, si audias; custodias vias eius, tunc & si lapsus es, citò corrige. Non dicit ergo loquere;

sed audi. Ideò Eua lapsa est, quia locuta est, quod non audierat à Domino Deo suo. Propterea David Psalm. 39. nu. 7. Aures autem perfecisti mihi, Chald. Aures ad auscultanda præcepta tua formasti mihi, D. verò Hieron. Aures perfodisti mihi, seù aperuisti mihi. Salomon idcircò cor docile à Deo petijt, Hebr. Cor audiens, Græcè Cor sapiens, 3. Reg. 3. & Iob cap. 42. num. 5. Auditu auris audiui te, nunc oculus meus videt te. Inclinanda est ergo auris, vt intelligat verba intellectus, Eccles. cap. 2. num. 2.

Vultis videre, quid auditus boni operetur, auditus verbi Dei, quod in Ecclesia prædicatur? audite Origen. homil. 8. in Exod. inquit enim; Tu ergo, si verbum Dei, quod in Ecclesia prædicatur, tota fide, tota deuotione suscipias, fiet tibi ipsum verbum, quodcunque desideras. Nàm si ambulaueris tristis, consolatur te Deus, dicens, Cor contritum, & humiliatum Deus non despicit, Psalm. 50. num. 18. Si lætaris in spe futura, cumulat tibi gaudia, dicens; Lætamini in Domino, & exultate iusti, Psalm. 32. num. 11. Si iracundus es, mitigat te Deus, dicens. Desine ab ira, derelinque furorem, Psalm. 36. Si in doloribus, sanat te, dicens, Dominus eleuat de terra inopem; ergo manna verbi Dei reddit in ore tuo saporem, quemcunque volueris, dummodò per aures ingrediatur, hæc Origenes. Sicut ergo audiuimus, sic vidimus, quia Deus est in omnibus consolatio nostra, Psalm. 93. num. 19. Consolationes eius lætificauerunt animam nostram. Sicut audiuimus in Sion cum laude, sic vidimus, & gaudium, & lætitiam obtinebimus, quia fugiet dolor, & gemitus. Læteris deserta, & inuia gentilitas, quia audiens germinasti, & gloriam Domini, & decorem Dei nostri vidisti, Isai. cap. 35. num. 2. & nu. 11. Aures tuæ surdæ patefactæ sunt, & oculi tui aperti. Hæc, sicut audiuimus, sic vidimus in te, quam Deus fundauit in æternum; ò beata Ecclesia, quodam tempore audisti, quodam tempore vidisti. Audiuit in promissionibus, vidit in exhibitionibus, vt supra diximus: quodam tempore audisti, Psal. 67. Deus noster, Deus saluos faciendi, & quodam tempore vidisti; & Domini Domini exitus mortis; Deus enim saluos faciens, Dominus est Iesus, quod interpretatur Saluator, siue Salutaris. Ratio huius nominis hæc reddita est, quando priusquam ex Virgine nasceretur, dictum est; Paries filium, & vocabis nomen eius Iesum, ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum, Matth. cap. 1. nu. 21. In quorum peccatorum remissionem sanguis eius effusus est; Siquidem non oportuit eum de hac vita exitus alios habere, quàm mortis, ideò cum dictum esset, Deus noster, Deus saluos faciendi, continuò subiectum est, & Nomini exitus mortis, vt ostenderet eum moriendo saluos facturum, Augustin. de Ciuit. Dei ad Marcellin. lib. 17. cap. 18. in fine, inquit. Sed mirando dictum est, & Domini, tamquam diceretur; talis est vita mortalium, vt nec ipse Dominus aliter ab illa exiret, nisi per mortem: hæc Augustin.

Audiuimus hæc in Ciuitate Dei, & in eadem Ciuitate virtutum illa vidimus. Audiuimus natum de Maria Virgine Dominum Iesum, & in medio templi præsentatum: vidimus etiam eius misericordiam, quia pro nobis pati voluit, & mori, in medio Templi sui, à Iudæis crucifige clamantibus: in cuius morte inquit Psalm. Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio Templi tui, Sacerdotes, & Pontifices tollentes eum crucifixerunt, illius redemptionem recusarunt; sanguis eius super nos, omnes clamabant, in medio eorum, idest publicè condemnantes Iesum. Nos verò misericordiam tuam, idest redemptionem sanguine

tuo factam in medio Templi tui, ideſt à Iudæis omnibus clamantibus crucifige; ſuſcepimus. Venit enim nobis gaudium à ſancto ſuper miſericordia, quæ venit nobis ab æterno ſalutari noſtro: Emiſſi enim cum luctu,& ploratu,Idolis ſeruientes, & falſa relinquentes, & opprobrium; & ecce quia ſuſcepimus miſericordiam ſuam, Verbum eius reduxit Eccleſiæ nos Dominus cum gaudio, & iucunditate in ſempiternum, Baruch cap.4.num.22. cum ſequen. Et adducet nos Deus Iſrael cum iucunditate in lumine maieſtatis ſuæ, cum miſericordia, & iuſtitia, quæ eſt ex ipſo, Baruch 5.num.19.

Vel dicamus, Suſcepimus miſericordiam tuam in medio Templi tui, & facit quod Auguſtin. de Ciuitate Dei ad Marcellin. lib.17.cap.4. litera K. Templum enim Dei eſt anima iuſti, quæ dum in hoc corpore viuit, cum terreno clauditur corpore: miſericordiam, quam illi offert Deus, in Eccleſia ſua exiſtenti, vt ſeruando præcepta liberetur, ſuſcipit in hac vita, mandata eius adimplendo. In medio Templi, in hac vita, ex toto corde ſuo, vt ipſi in poſterum proſit: Quando quiſque recipiet ſecundum ea, quæ per corpus geſſit, bonum ſcilicet, propter quod Dei miſericordia, quam in hac vita eſt conſequutus, ſit illi ſalus in ſempiternum. Vndè Act. cap.11.num.23. Hortabatur omnes in propoſito cordis permanere in Domino. Quam ergo in medio Templi ſui miſericordiam ſuſcipimus, illa, & vſque in fines terræ cum laude ſecundum nomen eius ſit ſemper in vita noſtra: vt in fines terræ, ideſt vitæ noſtræ perſeuerantes ſalui ſiamus; Matth.cap.10. qui ergo ſuſceperit miſericordiam Dei, quam acquirimus in Eccleſia eius ſeruando præcepta, & illa adimplendo, perſeuerauerit vſque in finem vitæ ſuæ, hic ſaluus erit: In medio ergo Templi tui, ideſt in toto corde tuo miſericordiam Dei vt conſequaris, ſerua mandata ſua, & laus eius in fine vitæ tuæ ſit ſecundum nomen eius, qui ſolus eſt Ieſus noſter, Saluator noſter, Redemptor noſter in ſempiternum; Et quia magnus eſt Dominus, ſit & tua laus magna, itàvt nunquam ceſſes ab illa.

Vel iterum dicamus, Dauidem loquutum ex perſona illorum, quibus aliàs dictum à Chriſto Domino eſt, Vos autem quem me eſſe dicitis? cum prius ab eodem fuiſſet dictum,quem dicunt homines eſſe filium hominis? vos verò, qui Eccleſiæ Dei futuri eſtis Præſules, Epiſcopi, & Primates, quid dicitis? Confitemur, inquiunt, te Ieſum Chriſtum filium Dei, qui nobis facultatem dimittendi peccata, & populos Chriſti tui fideles docendi; ſuſcepimus in medio Templi tui exiſtentes, & tamquam omnium ſpectatores, & magiſtri; & miſericordiæ tuæ ſemen ſeminantes, & docentes, & baptizantes omnes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti; vt miſericordiæ tuæ & illi per manus noſtras ſint participes. Secundum nomen tuum Deus, quod eſt magnum, ſic & laus noſtra de te ſit vſque ad fines terræ, vt in omnem terram verba noſtra eant, & ſonitus noſter audiatur. Iuſtitia enim tua plena eſt dextera tua; vt omnes credentes iuſtitiam conſequantur propter nomen tuum, quod eſt magnum, & laudabile nimis. Non poteſt enim eſſe laus eius, niſi in Sanctis eius: nàm qui malè viuunt, non eum laudant; Auguſtin. hìc litera L.

Propterea ſequitur, lætetur mons Sion, Principes Eccleſiæ ſcilicet; Apoſtoli, & Prædicatores Verbi Dei; Et exultent filiæ Iudæ, omnes ſcilicet fideles, in Eccleſia exiſtentes, & verba Domini ſuſcipientes, & obſeruantes. Propter iudicia tua Domine, qui talem dediſti hominibus poteſtatem, vt quorum re-

remissa erunt peccata, remittantur eis; & denuò ex aqua, & Spiritu sancto renati, fiant nouus homo, qui secundum Deum creatus sit in iustitia, sanctitate, & veritate. Omnes ergo filiæ Iudæ, idest omnes Gentiles, & Iudæi, qui Dominum confitemini, Iudas enim confessio interpretatur; exultate confitentes Dominum, quia iudicia Dei vera sunt. In area triticum, & palea; Paleam à tritico discernit Deus, in horreum triticum, in ignem palea mittitur. Non fallitur Deus, iusta sunt iudicia eius; sunt boni in Ecclesia Dei, sunt & mali. Lætamini in Domino iusti propter iudicia eius; quæ vera sunt, malos enim malè perdet, & bibent de vino iræ Dei, quod mixtum est mero in calice iræ ipsius, & cruciabuntur igne, & sulphure, Apocalypsi. cap.4. numer.1. triticum verò in horreo conseruabit absque palea; Augustin. hic. O mons Sion, inquit ille, ò filiæ Iudæ; laboratis modò inter zizania, inter paleas, inter spinas laboratis: sed exultate propter iudicia Dei; non errat Deus in iudicando. Discretè viuite: & si concretè natæ estis, non frustrà vox de ore vestro de corde exijt. Ne perdas cum impijs Deus animam meam, Psalm.15. num.9. & cum viris sanguinum vitam meam. Ille ventilabit tantum istos, vt vnum granum tritici non cadat in aceruum paleæ comburendum; nec vna arista paleæ transeat ad massam, in horreo recondendam; hæc Augustin. ad vos pertinet colligere, ad illum separare.

Lætetur mons Sion, quia filiæ Iudæ, filiæ visionis Dei, ad quas peruenit verbum Dei, circundederunt eum, montem scilicet Sion, & illum amplectuntur, ità vt & enarretur in turribus eius, quia verbum Domini crescebat, Psalm.15. num.18. loquens de persona Domini; Prouidebam Dominum in conspectu meo semper, quia à dextris est mihi ne commouear; propter hoc lætatum est cor meum, adimplebis me iucunditate cum vultu tuo, Act. Apost. cap.2. nu.26. & sequen. Lætetur mons Sion, quia Verbum Domini crescebat, & multiplicabatur numerus Discipulorum in Ierusalem valdè, Act.6. num.7. Lætetur mons Sion, quia multus numerus credentium conuersus est ad Dominum: perueniat sermo ad aures Ecclesiæ, quæ est Ierosolymis, Act. Apostol. d.cap.11. num.22. Qui cum peruenisset, & vidisset gratiam Dei, gauisus est, & hortabatur omnes in proposito cordis permanere in Domino. Læteris anima iusti, quæ diceris Ciuitas Dei; Sion sancti Israel; quia non erit tibi amplius Sol ad lucendum per diem, nec splendor Lunæ illuminabit te; sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam, & Deus tuus in gloriam tuam. Non occidet vltrà Sol tuus, & Luna tua non minuetur, quia erit tibi Deus in lucem sempiternam, & complebuntur dies luctus tui, Isai.60. num.14. cum sequen.

Circundate Sion, & complectimini eam; narrate in turribus eius; vt veritas Euangelica diffundatur, per totum Orbem dilatetur, ad Roman. cap.15. nu.9. Gentes autem super misericordia glorificate Deum. Augustin. Psalm.88. litera H. Non impleretur dictum Apostoli, in dicto cap.15. nisi illa veritas expanderetur, & ab illo loco, vbi apparere voluisti, in circuitu diffundatur. Tu quidem in illo loco de nube propria intonuisti, Matth.3. nu.16. & 17. sed ad rigandum in circuitu gentium aliàs nubes misisti. Lætetur deserta, & inuia idest gentilitas, Isai.35. num.1. germinans enim germinabit, & exultabit lætabunda, & laudans, &c. quia redempti à Domino conuertentur, & venient in Sion cum laude, ibidem Isai. num.9. & 10. Matth. cap.24. nu.14. & prædicabit

hoc

hoc Euangelium regni in vniuerso orbe, in testimonium gentibus. Et veritas tua in circuitu tuo, dicto Psalm.88.num.9.

Circundate Sion, ò gentes, & complectimini eam; narrate vos Apostoli, & Prædicatores in turribus eius, vt omnibus nota fiat potentia eius, redemptio eius. Prædicate Euangelium publicè, & palàm, vt enarrent populi mirabilia eius in turribus eiusdem gentilitatis, nàm quando veritas prædicabitur in circuitu Sion, licet gentes fremuerint, & inania populi meditati sint, Regesq. terræ aduersus eam conuenerint; Dominus tamen potestati maris dominatur, & fluctus eius ipse mitigat: & qui habitat in Cælis, irridebit eos.

Vos autem Prædicatores Dei ponite corda vestra in virtute eius; nolite timere, sed loquimini, & ne taceatis: propter hoc enim Dominus est nobiscum: & Paul. Act.cap.14.num.9. Quid est enim ponere corda vestra in virtute eius: & distribuere domos eius, vt enarretis in progenie altera? Nihil aliud est, quàm quòd si spirituales facti eritis, & omnia secundum charitatem feceritis, dabitur vobis spiritus, vt distributionem domorum Ecclesiæ Dei ità iustè faciatis; vt in progenie altera laudetur nomen Domini. Distribuite, ò vos, ad quos pertinet domorum, & Episcopatuum distributio, in virtute Dei, non in coniunctionis, vel affectionis tentationibus, & diuitijs; distribuite personis, iuxtà dictum Pauli, non vinolentis, sed charitatem continuam habentibus, Doctoribus, vt enarrent laudes Domini populis, ad quos missi erunt in progenie altera, Paul. ad Tit.1.num.7.

Circundate Sion, vt & vos coædificemini in habitaculum Dei, in Spiritu sancto, ad Ephes.2.num.22. In Sion iàm positus est lapis summus, angularis, electus, pretiosus: & qui crediderit in eum, non confundetur. Circundemus & nos Sion istum sanctum, vt nos ipsi tamquam lapides viui superædificemur domus spiritualis, Sacerdotium sanctum, 1.Petr.cap.2.numer.5. Circundemus Sion, vt qui habitat in throno, sedeat super nos; quia agnus, qui in medio est Throni, reget nos, & deducet nos ad vitæ fontes aquarum, Apocalyps. c.7. num.17. Circundemus Sion, quia ibi est Tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis, Apocalyps.21. num.3.

Vt enarretis in progenie altera, quoniam hic est Deus, Deus noster in æternum, & in sæculum sæculi, ipse reget nos in sæcula. Vel, Vsque ad mortem nos ipse reget, vt D. Hieronym. hìc vertit; Ipse reget nos in morte. Vterque sensus verus est; quia si vsque ad mortem regit nos Deus, sufficit, quia finitum erit iter huius humanæ vitæ, huius militiæ terrenæ. Iustè ergo ambulemus, quia tunc post mortem non est luctus, nec dolor, neque ab eo exaudiri poterimus; quia præcipitabit mortem in sempiternum, & saluabit nos, Isai.cap.25. num.8. cum sequen. Vt enarretis, quòd Deus homo factus, sicut & nos, videbatur, & terræ Conditor non agnoscebatur. Hunc enarretis in progenie altera, quia est Deus Deus noster in æternum; vt saluet nos homo factus in sæcula, & ante sæcula Deus, Psalm.92.num.2. Psalm.89.numer.2. Tenebatur caro ab eis, ex quibus sumpta fuerat ipsa caro, ex semine Abrahæ; ò Virgo Maria ad carnem remanserunt, Diuinitatem non intellexerunt; errauerunt in ebrietate, nescierunt videntem, ignorauerunt iudicium, Isai.cap.28.num.8. ò Apostoli, ò Ciuitas magna, non muris circundata, sed fidelibus ornata animabus, in turribus tuis prædica hunc Deum, Deum nostrum esse, qui vt humiliaret corda

confitentium; factus lapis ante pedes offendentium hic in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est. Qui Cælos in intellectu fecit, qui est super omnes Deos, Psalm.99.num.3. qui fecit nos, non ipsi nos. Hic est, qui in conspectu gentium reuelauit iustitiam suam, & viderunt eum omnes fines terræ, salutare Dei, Psalm.97. num.3. ipse enim est, de quo Isai. cap.43.num.24. Ego sum, ego sum ipse, quem seruire fecisti in peccatis tuis: præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis. Ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me: & peccatorum tuorum non recordabor, Isai.50.nu.6. Corpus meum dedi percutientibus, &c. & iniquitates tuas ipse portaui, Isai. cap.53. num.11. & per totum cap. Hæc scripta sunt, vt enarretis in progenie altera, ò Apostoli, & verbum Dei annunciantes, & audientes, & fiduciam in Iesum habentes possideatis montem sanctum eius, Isai.57.num.13. vt spiritum humilium viuificet, & cor contritorum, ibidem num.15. Iungamus ergo fratres dilectissimi corda nostra æternitati Dei, & cum illo æterni erimus. Nàm omnis caro fœnum, & omnis claritas carnis, vt flos fœni; fœnum aruit, & flos decidit: omnia arescunt, & decidunt; Verbum autem Dei manet in æternum; transit fœnum, transit & gloria fœni; sed habemus quo nos teneamus; Verbum Domini manet in æternum, Augustin. in Psalm.91. litera K. fol.338. Exite qui vincti estis, qui in tenebris, reuelamini: in lucem prodite, aperite oculos, qui non videtis, quia filium suum in lucem gentium dedit nobis Dominus, vt sit salus nostra vsque ad extremum terræ, ad suscitandum ad vitam gratiæ; iste est Redemptor noster, Saluator noster, nuncupatus nomine Iesus ab Angelo antequam conciperetur in vtero Matris Mariæ.

SOLILOQVIVM.

MAGNVS Dominus, & laudabilis nimis, in Ciuitate Dei nostri; cuius membra sunt animæ redemptæ, animæ iustæ, quæ sunt in monte sancto eius redemptæ sanguine eius, in Ecclesia scilicet sua sancta: Quæ ideò cum exultatione vniuersæ terræ fundata est in monte Sion ex omni gente, Iudæa, & Gentili, qui credunt in illum. Ciuitas vnica facta Regis magni: hoc est, gens iusta, fideles populi Dei, qui ideò Ciuitas dicuntur, quia ex illis fit Ciuitas Dei. Iàm filius Dei Iesus suscepit Ecclesiam istam in suam, vt sit illius caput, cuius nos membra sumus: qui in omnibus Ecclesijs mundi, in domibus eius iàm cognitus est: Iàm Reges viderunt, & consurrexerunt Principes, & adorant illum. Laudate Cæli, exulta terra, iubilate montes laudem; quia consolatus est Dominus populum suum afflictum, gentem abominatam, & semen eius gentes hæreditabit.

Magnus Dominus, & laudabilis nimis, in Ciuitate Dei, in monte sancto eius; Compuncti Principes, quia Deum non cognouerunt, vt parturientis fœminæ, dolor est eorum de commissis, sed magnus Dominus, & laudabilis; quia post dolorem peccatorum pepererunt spiritum bonum; nec pressuræ amplius meminerunt. Hanc Deus Ecclesiam suam fundauit in æternum; sic audiuimus, sic vidimus: portæ inferi non præualebunt aduersus eam: Propterea ex toto corde, & ex tota anima suscipimus Domine misericordiam tuam, redemptio-

ptionem nostram in medio cordis nostri, quod est Templum tuum. Magnum est nomen tuum Domine Iesu, sit & laus tua in fines terræ magna; quia dextera tua iustitia plena est; quam reddis vnicuiquè iuxtà opera sua. Lætetur Ecclesia tua mons Sion, & filiæ Iudæ, quæ iàm perditæ, redemptæ sunt propter iudicia tua: Circundate Sion omnes animæ, & complectimini eam, ad quam confugientes saluabimini. Narrate redemptionem, & salutem in montibus, ac in turribus. Et ponentes corda vestra in virtute eius, in domorum eius destributione, in Episcoporum ad loca omnia transmissione, & Prædicatorum: enarrentur hæc in progenie altera, quoniam tu, qui ad redimendum nos venisti, es Deus, Deus noster in æternum; & in sæculum sæculi, & ipse reges nos in sæcula.

Mater Dei Genitrix, Tabernaculum facta Iesu Christi filij tui Saluatoris, impetra nobis salutem in sæcula ab illo, qui propter te nos redemit, & assumpsit te corporaliter in Cælum ad æterna gaudia. Assumpta es Mater Dei hodie in Cælum, gaudet exercitus Angelorum, exultat terra; quia, te intercedente, sperat peruenire ad gaudia sempiterna. Fiat Domina nostra, Virgo, & Mater, & Aduocata nostra. Intercede pro populo tuo, pro me misero peccatore, vt tecum sim, & tecum in viam rectam ambulem, vt ad te possim & ego peruenire; Audi, & exaudi me dulcissima Virgo Maria. Amen.

IN PSALMVM XLVIII.

Audite hæc omnes Gentes: auribus percipite omnes, qui habitatis orbem.

SVPRA moniti sumus de laudibus magni Dei in Ecclesia sua sancta, vt & enarrentur in progenie altera: nunc verò in hoc Psalmo 48. vt acceptabiles sint Deo laudes, inuitantur omnes Orbem habitantes, gentes scilicet, vt audiant, & auribus verba Dei percipiant. Audite omnes gentes, simul in vnum diues, & pauper.

Titulus Psalmi. In finem filijs Core Psalmus. In finem ergo, idest in Christum spes nostra, laus nostra sit à Prædicatoribus narranda peccatoribus, & iustis, quòd quæ mundi sunt, vana sunt, & transitoria. Hoc filijs Core, idest Prædicatoribus incumbit, & Episcopis iniunctum est.

Omnes gentes audite, auribus percipite, quia omnes gentes ante Deum congregabuntur, Matth. 25. num. 32. & ad omnes verba Christi peruenient, quia pro omnibus sanguis eius effusus est; vt, si velint, salui fiant, & in illo iudicio non erit illorum aliqua excusatio, Matth. dicto cap. 25. num. 44. ideò auribus percipite, vt retinentes verba mea ad dexteram vocemini in salutem: Et cum salus ex Christo, ideò Psalmus est ad omnes gentes, non ad Iudæos tantùm, quorum leges, & præcepta in illorum tantùm legebantur Synagoga.

Audite ergo hæc omnes gentes, quia venit hora, & nunc est; quando mortui audient vocem filij Dei, & qui audierint viuent, Ioan. cap. 5. num. 25. Non enim tantùm de secunda Resurrectione corporum, quæ in fine futura est; sed

& de prima, quæ nunc est; & ità etiam Psalmus noster de ista loquitur; quæ nunc est; de morte animarum, habent enim & animæ mortem suam in impietate, atque peccatis, secundum quam mortem mortui sunt, de qua Matth. cap. 8. num. 22. sequere me, inquit Iesus, & dimitte mortuos sepelire mortuos suos, vt scilicet in anima mortui in corpore mortuos sepelirent. Propter istos ergo impietate, & iniquitate in anima mortuos; inquit Psalmista: Audite gentes; quia scilicet in impietate positi estis, qui mundo adstricti estis, & illi viuitis; Vocem Domini filij Dei quia qui audierint, obedierint, crediderint, & vsque in finem perseuerauerint, viuent. Augustin. de Ciuit. Dei Tom. 5. lib. 20. cap. 6. litera K. Omnibus & bonis, & malis indistinctè prædicatur vox Dei, quæ omnibus bona est, vt omnibus bonum est audire vocem eius, & viuere, ad vitam pietatis ex impietatis morte transeundo. Audite ergo hæc omnes gentes, idest infideles, qui viuentes corpori, in anima mortui estis, ad Colossens. cap. 2. num. 13. Nunc est hora vestra, quia Euangelium prædicatur omni creaturæ; & qui vocem filij Dei audierint, viuent, idest qui crediderint, & obtemperauerint, ipsi viuent; Ergo antequam audirent, antequam crederent mortui erant; iacebant mortui, & qui illorum in corpore moriebantur, sepeliebantur in sepulchro, portabant mortui mortuos suos: Verbo ergo Dei suscitantur tales mortui, vt viuant in fide. Qui mortui erant in infidelitate, verbo Dei excitantur. Surgite ergo, qui infideles, qui peccantes Domino offensi estis, qui dormitis, Ad Ephes. cap. 5. vt illuminati à Christo viuatis. Mentes vestræ resurgant, quæ mortuæ sunt in impietate, & illuminentur, & animæ vestræ resurgentes, resurgant & corpora vestra: Non omnium est fides, Augustin. de Verb. Domini, Sermon. 64. litera E. Si ergo, inquit, non omnium est fides, non omnes resurgunt in anima; Cum venerit hora resurrectionis corporis, omnes resurgent; boni sint, mali sint, resurgent. Sed qui prius resurgit in anima, bono suo resurget in corpore; qui non resurgit in anima, malo suo resurget in corpore; qui resurgit in anima, resurgit in corpore ad vitam, qui non resurgit in anima, resurgit in corpore ad pœnam. hæc Augustin.

Audite ergo hæc, ò infideles, ò peccatores; percipite, quæ ego loquor vobis; nàm est Christus, qui loquitur in me, Deum auditis, nolite attendere per quem audiatis. Os meum loquitur sapientiam: auribus percipite, quia prædicare veritatem nihil est; si non auditionem fructus sequatur, Augustin. in Psalm. 66. litera B. propè finem. Immo dicere audeo mihimetipsi, audi tu teipse; nàm qui vis, te audiri, prior te audi, Psalm. 84. numer. 9. Audiam quid loquatur in me Dominus Deus; quoniam loquetur pacem in plebem suam. Qualis ergo ego, qui non audio quid in me loquitur Deus, & volo, vt alij audiant, quod per me loquitur ipse: Audiam prior, audiam maximè, 1. Corinth. cap. 9. numer. 27. Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne fortè cum alijs prædicarim, ipse reprobus efficiar. Augustin. in 1. Concione, Psalm. 103. litera C. Fructum autem vestrum in operibus vestris aduertite: Valdè enim malè digerit, qui benè audit; & non benè operatur, quia Dominus Deus noster non deest pascere. Super cathedram Moysi, aiebat Dominus, sederunt Scribæ, & Pharisæi, quæcumque dixerint, seruate, & facite, secundum verò opera eorum nolite facere. Audiui iàm & ego, propterea eadem, quæ vobis præcepi præcepta, mihi iniuncta sunt, & eadem, vt adimpleatis, vobis denuntio,

vt & vos in Domino salutem meam habeatis.

Audite gentes, iniqui, & peccatores, auribus percipite pœnitentes iusti: audite terrigenæ, quorum spes, & terrenum est desiderium, & possessio: audite filij hominum, & auribus percipite ad gloriam simul; Audite gentes, diues, & pauper, quia omnium est vnicus finis, & interitus; Sapien. cap. 7. numer. 7. Audite diues, & pauper; præbeatis aures vos, qui continetis multitudinem; & qui continentur, non enim repellit à se Deus personam cuiusquam, quoniam pusillum, & magnum ipse fecit, fortioribus verò fortior instat cruciatio, Sapien. cap. 6. numer. 6. cum sequen. Qui enim custodierint iusta, iustificabuntur. Cura, inquit, disciplinæ, dilectio est, & dilectio custodia legum illius est; custodia autem legum, consummatio incorruptionis est, incorruptio autem facit esse proximum Deo, Sap. dicto cap. 6. numer. 19. Audite mandata, & illius præcepta. Si volueritis mandata seruare, conseruabunt vos, Ecclesi. cap. 15. numer. 16. Auribus percipite, quia non auditores legis solum iusti sunt apud Deum: sed factores legis iustificabuntur, ad Roman. cap. 2. num. 15.

Quiquè terrigenæ, & filij hominum. Nulli enim subtrahitur sermo, nàm hærens terræ audiat propter iudicium, idest vndè iudicetur; vt sic timeat; & iustus audiat propter Regnum, idest vndè regnet; vt sic diligat. Quid enim terrigenæ, nisi qui terrena sapiunt; idest diuites, & superbi? Quid verò per filios hominum, nisi pauperes spiritu, idest humiles? simul in vnum diues, & pauper audite, non separati vsquè ad messem, vsque ad mortem: tunc ad comburendum zizania separabuntur à tritico, oues ab hædis.

Audiant simul ergo nunc Gentiles, & filij hominum, iusti, & iniusti; pascantur iunctim oues, & hædi, donec separentur in die mortis, in die iudicij: permixtè modò audiant omnes, dicit Augustin. Sed cum ventum fuerit ad reddendam rationem separabuntur, qui sine causa audierunt ab illis, qui auribus perceperunt. Audiant ergo terrigenæ, idest filij terræ, qui hæreditates terrenas requirunt, Audiant filij Adam, qui terreni sunt; audiant filij hominum, qui ad Christum pertinent, audiant Verbum Dei. Nunc enim tempus acceptabile, nunc tempus salutis, 2. Corinth. cap. 6. numer. 2. nunc æquitatem videt facies Dei, Psalm. 10. numer. 8. quod explicat Augustin. ibi litera B. ac si diceret; Æquitas visa est in facie eius, idest in eius notitia. Facies enim Dei est potentia, qua dignis innotescit, & non se præbet cognoscendum malis; quatenus in iniquitate velint permanere, non est verbum Domini procul à te hodie, sed iuxtà te est, vt facias illud, Deuteronom. cap. 30. numer. 14. & adimpleatis illud ad Roman. 10. nu. 8. Propè est, inquit Paul. verbum in ore tuo, & in corde tuo, hoc est Verbum fidei, quod prædicamus. Audite hæc, quæ loquor, auribus percipite, in corde illa retinete, hoc est enim auribus percipite, idest retinete vocem filij Dei: Qui, vt omnes saluarentur in suo nomine, venit, & specialiter pro peccatoribus. Vndè dixit: Non veni vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam, Luc. cap. 5. numer. 32. Propterea tu, qui audis, ne tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem, Ecclesi. cap. 5. numer. 8. Auribus percipe, quia verba sunt Domini, & non mea; non à me hæc audisti, sed ego tecum audio à Domino. Auditui nostro Domine dabis gau-

dium, & lætitiam. Si in humilitate positi disciplinam accipientes, confiteamur te Dominum nostrum Iesum Christum, & tunc exultabunt ossa humiliata, & si humiles effecti audierimus, feliciores erimus nos, qui audiuimus, quàm qui loquuntur. Augustin. in Psalm. 50. litera H. Qui discit, humilis est; qui autem docet, laborat, vt non sit superbus. Ne malè placendi affectus irrepat, ne Deo displiceat, qui vult placere hominibus, magnus tremor est in docente, hæc Augustin. Qui ergo auribus percipit, & benè audit, humilis obedit. Audi ergo verbum Dei, cum humilitateque illud suscipe, si vis exaudiri à Deo cum exultatione, Ioan. cap. 3. numer. 29. Qui habet sponsam, sponsus est, amicus autem sponsi, qui stat, & audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi; stantem se fecit, & audientem, non cadentem, & loquentem; stat, inquit, & audit eum, & gaudio gaudet propter vocem sponsi: Sponsam habet Christus Ecclesiam suam; cuius & ipse est sponsus: nos amici sponsi, sicut Ioannes. Sic verba eiusdem filij Dei, & sponsæ eius auribus percipiamus, non hæsitantes, sed in fide stantes, & non cadentes, gaudio cum sponso gaudebimus, quia vocem sponsi audiuimus; & cum gaudio suscepimus illam.

Qui habitatis Orbem; quiquè terrigenæ, & filij hominum, simul in vnum diues, & pauper. Sed nunquid qui habitant Orbem non sunt terrigenæ? filijquè hominum, inter quos sunt pauperes, & diuites, qui simul Orbem habitant? aut inter istos est distinctio, & differentia; vel Propheta idem repetit per eadem: sanè non sine ratione hæc inter se distincta posuit, vt infrà dicemus. Ad Dei verbum inuitat audiendum Orbem habitantes, & filios hominum, quia in campis syluarum positi sunt, in campis saltuum, Psalm. 131. ideò inculti, & syluestres, vbi adhùc vepres erant, sicut vepres, idololatriæ in Orbe erant in campo inculto. Audite ergo, inquit, quia & ibi inuenitur locus Domino, Tabernaculum Deo Iacob, quod prædicatum est in figura Iudæis, quod inuenimus in Ephrata, quod interpretatur speculum: manifestandum est in fide gentium, Intraturi estis, ò gentes in Tabernacula Dei Iacob. Intrate, vt inhabiteris, vt ipsi sitis, qui intrantur, & inhabitantur. In domum tuam intras, vt inhabites; in domum Dei intras, vt inhabiteris. Est enim melior Dominus, qui cum te cœperit inhabitare; beatum te facit; nàm si tu ab illo non inhabiteris, miser eris: passus famem erat ille, de quo Luc. dicto cap. 15. numer. 18. recordatus est Patrem, reuersus est, vt pane saturaretur. Intra & tu, ò Gentilitas, ò infidelis, qui porcos pascebas, in Tabernaculum Ecclesiæ Dei, vt inhabiteris, & non quasi tuus sis, sed illius. Augustin. dicto Psalm. 131. litera B. Posuit Deus Pater filium suum Iesum Christum in lucem gentium, vt sit in salutem vsque ad extremum terræ. Audite ergo hæc omnes, qui habitatis Orbem; nàm, vt dicit Augustin. ibidem, qui intrant in domum Dei, vt inhabitent, ipsi sunt, qui inhabitant, vt inhabitentur, habita ergo tu in Domino, vt ille inhabitet in te, possi de illum, vt possidearis ab illo, cole eum, & colet nos. Ille enim est vitis, nos palmites, Ioan. 15. & Pater agricola est; sta in vite, & non arefces. Audite gentes, quia Dominus possidere vult vos, vt vos possideatis eum, vide August. Psal. 32. lit. L. cum seqq. Tu autem, dicit Psal. 21. habitas in sancto, laus Israel, ergo qui habitat in Cælo;

ha-

habitat in sancto, in Templo scilicet suo: Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos, 1. Corinth. 3. sed omnes adhuc infirmi, & si secundum fidem ambulauerimus, secundum fidem erimus Templum Dei: erimus etiam aliquando & secundum speciem Templum Dei: Audite ergo hæc omnes gentes, credite in Deum, habete fidem, quam Ecclesia sancta prædicat, vt Christus per fidem habitet in vobis, ad Ephes. cap. 3. num. 17. Christum habitare per fidem in cordibus nostris in charitate radicati, & fundati. Et paulò superius, num. 5. Reuelatum est sanctis Prophetis, gentes esse cohæredes, & concorporales, & comparticipes promissionis eius, in Christo Iesu per Euangelium.

Quare ergo Dauid dixerit, Audite omnes gentes, auribus percipite omnes, qui habitatis Orbem, clara erit differentia, quia omnes audiunt, sed non omnes percipiunt. In Ecclesia sunt boni, sunt & mali, ad quos hic sermo directus est; Gentes iniquæ, & peccatores audiunt, sed quia terrena sapiunt, à terrenis possidentur, & in iniquitatibus suis permanent, excisi sunt à vite, non fructum faciunt, in ignem mittuntur, qui verò habitant, & habitantur, hi in vite remanent, & fructum afferunt. Omnibus autem bonis, & malis verbum mittitur, vt boni percipientes habitent in Cælis, mali verò vt mittantur in infernum. Vide Augustin. in Psalm. Ecce quàm bonum, & quàm iucundum, qui est num. 132.

Quique terrigenæ, & filij hominum, diues, & pauper, quia & diuites in honorum suorum distributione fideles optimè saluantur, & pauperes in paupertate sua patientes Regnum & ipsi Dei possident.

Audite filij hominum, filij Christi, filij Apostolorum per verbum Christi regenerati, filij iusti: audite gentes iniquæ, & infideles, audite peccatores pertinaces Verbum Dei; illi pro maiori eorum gloria, isti pro maiori, quia inexcusabiles, eorum pœna, & illorum confusione: Confundantur omnes iniqua agentes, in iniquitatibus permanentes, Psalm. 123. sed nemo considerat: Eunq homines, audiunt verbum Dei, & prouerbia Dei, & dormitant in eis: Audiunt illud prouerbium, malo quod teneo, quàm quod spero. O infelix, inquit Augustin. quod tenes? tene sic vt non amittas, & dic, malo quod teneo; si autem non tenes, quare non illud tenes, quod non possis ammittere? Quid ergo tenes? Aurum, tene ergo, si tenes, non tibi auferatur tuum. Si autem, & per aurum traheris quò non vis, & ideò te trahit maior raptor, quia inuenit minorem raptorē, & ideò te quærit maior Aquila, quia prior cœpisti leporem. Præda tibi fuit minor, præda eris maiori: hæc August. in d. Psalm. 123. lit. B. & C. illum persequeris, quia pinguis est; tu ne pinguescas, ne alter te quærat.

Audite hæc omnes gentes: Ad Dominum conuertimini, fidem Iesu Christi suscipite: nàm venantes adsunt persequentes, & posuerunt escam in muscipula. Audite filij hominum, esca posita est ante vos, hoc est mundi dulcedo, huius vitæ felicitas falsa: Caput in iniquitatem ne ponatis, ne muscipula vos comprimat: Dominum inuocate in tentationibus, & ipse, qui propè est omnibus eum inuocantibus, liberabit vos; Benedictus Dominus, qui non dat nos in captionem dentibus eorum, Psalm. 123. Anima nostra erepta est de laqueo venantium; laqueus contritus est, & nos liberati sumus, d. Psalm. 123. nu. 6. & 7.

Quiquè terrigenæ, & filij hominum, simul diues, & pauper: Quiq. terrigenæ ad superiora referuntur, ad omnes gentes; & filij hominum simul diues, & pauper

ad iustos, ad pœnitentes, quorum distinctio non est apud Deum; diuitis scilicet, & pauperis: Dulcis charitas, quæ cohęrere facit fratres in vnum, Psal.132. simul diues, & pauper in charitate habitant; quia in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Propterea diues, & pauper simul audiunt verbum Dei, & simul iuncti perceperunt illud; simul diues, & pauper, quia quamuis ex pluribus fidelibus, vnica tamen fit Ecclesia. Ideò vno descendente, alter non descendebat, nec sanabatur in Piscina, vnus solus sanabatur, Vnitatem Ecclesiæ figurans, August. d.Psalm.132. litera F. Simul diues, & pauper, quia iuncti portant onera, & sic implent legem Christi, ad Galat.6.n.2.

Vel dicamus, vt iunctim sint hæc verba ad iustos. Quique terrigenæ, qui habitatis terram, terram scilicet Domini, quæ Ecclesia eius est, cuius Pater agricola est. Verbum audite Domini, vt faciatis bonitatem in terra ista, quam Deus colat, quam ille regat, vt pascaris diuitijs eius, cuius diuitiæ ipsemet Deus est, Psalm.72.num.27. Et pars mea Deus in æternum, & Psalm.15.nu.5. Dominus pars hæreditatis meæ, etenim hæreditas mea præclara est mihi, nu.6. ibidem Augustin. Psalm.36. litera F. & G.

Simul, inquit, in vnum diues, & pauper, stant ergo simul, vt diues sit quis, & pauper. D. Hieronym. ad Saluin. 9. Nec diuiti obsunt opes, si eis benè vtatur, nec pauperem egestas commendabiliorem facit, si inter sordes, & inopiam peccato non careat, vtriusque rei nobis testimonium Abraham, & quotidiana exempla suppeditant, quorum alter in summis diuitijs amicus Dei fuit, alij quotidie in sceleribus deprehensi pœnas legibus soluunt; hæc Hieron. Vndè Paul. 1.Timoth.6.nu.17. Præcipe diuitibus huius sæculi, non quidem, ne diuites sint, verùm non superbè sapere, nec in incerto diuitiarum, sed in Deo viuo sperare; qui præstat nobis omnia abundè ad fruendum, & numer.6. Est enim quæstus magnus pietas cum sufficientia. Diues ergo in magnanimitate, & charitate, pauper non in superbia, sed humilitate cordis, & patientia simul stant. Vide August. de Ciuit. Dei ad Marcell.lib.1.c.10.Tom.5. & idem Tom.10.homil.48. cap.3. Audis, inquit ille, sursum corda, loquitur enim de diuite, & curas dicere, habemus ad Dominum; si aliquid illuc misisti, habes, quod ibi quæras; si nihil misisti sursum, non habes, quod ibi quæras; in terra vbi posuisti, ibi quære. Vis fœnerari, inquit Deus, mihi da, & ego accipio minus, & do plus.

Simul diues, & pauper; Nàm pauper expectat à te diuite, & tu expectas à Deo; expectat ille manum, quæ facta est secum, expectas tu manũ, quæ fecit te. Sed non solum te fecit, sed pauperẽ tecum; August. Tom.10. in Euang.Matth. Serm.5.c.11. in fine: Dedit vobis, pauperi scilicet, & diuiti vnam viam. Istam vitã: Inuenistis vos comites, vnam viam ambulatis, ille nihil portat, tu nimium oneratus es; ille nihil secum portat, tu interim plus portas, quàm opus est; oneratus es, da illi de eo, quod habes, & illum pascis, & onus minuis. Si ergo non extollitur pauper de mẽdicitate, tu quare extolleris de infirmitate? Diuitũ enim est infirmitas, vti cibis pretiosis; doleant tamen, se aliter non posse, melius enim possint, si aliter possint; hæc August. & in q.c.1. ibid. nihil diuites habent de diuitijs suis, nisi quòd ab illo postulat pauper, victũ, & tegumentũ. Saturatur pauper de vilibus cibis, saturatur diues de pretiosis cibis, saturitas æqualis est, possessio vna est, quò ambo volũt peruenire, sed ille per cõpendium, ille multũ circuit. Simul ergo diues, & pauper, qui sperãt in Deo viuo, qui nobis præstat abundãter

tem-

temporalia, & æterna: temporalia tamquam viatoribus, æterna tamquam habitatoribus: Temporalia vndè bona faciamus; æterna vndè boni efficiamur, 1. ad Timoth. 6. n. 18. Thesaurizent ergo diuites sibi fundamentum bonum in futurũ, vt apprehendant vitam æternam, Eccles. 1. nu. 2. nàm omnia vanitas vanitatum.

Simul diues, & pauper, quos simul creauit Deus; pauperem fecit, vt probet hominem, & fecit Deus diuitem, vt probet illum de paupere, omnia enim, quæ fecit Deus, recta fecit, August. Psalm. 124. lit. L. Idem Augustin. hìc; Quod dicit diuites, ad terrigenas pertinet, quod ait pauperes, ad filios hominum dixit. Diuites autem intelligit Augustin. superbos, pauperes verò humiles. Habeat enim quis multas facultates pecuniarum, si non extollitur in eis, pauper est; non habeat quis, & cupiat, & infletur, inter diuites, & reprobos eum deputat Deus. Et Diuites, & pauperes in corde interrogat Deus, non in arca, & domo; pauperes enim sunt, qui accipiunt mandatum Apostoli, 1. ad Timoth. c. 6. num. 17. Præcipe diuitibus non superbè sapere, &c. ideò æquales eos fecit non habentibus. Superbè enim sapit diues, si sperat in incerto diuitiarum, & non in Deo, qui nobis præstat omnia abundanter ad fruendum. Nobis dixit, non illis, vt benè considerat Augustin. quia diues est fidelis homo, cui totus mundus diuitiarum est, nihil habentes, & omnia possidentes, 2. Corinth. c. 6. nu. 10. sicut egentes, multos autem locupletantes. Edent pauperes, dicit Psalm. 21. num. 27. & saturabuntur. Quid edunt? Quod facient fideles, & saturabuntur imitando passionem Christi Domini sui: & laudabunt Dominum, qui requirunt eum. Edent & diuites, Manducauerunt, inquit, & adorauerunt omnes diuites terræ; Non dixit, & saturati sunt; adorant quidem Deum, sed humanitatem; nolunt exhibere fraternam charitatem: simul in vnum audiant docentem, ac segregati ad inuicem audiant iudicantem: hæc Augustin.

Quid loquatur iste docens, quid nos discamus ad salutem, audiamus, os meum, inquit, loquetur sapientiam, & meditatio cordis mei prudentiam. Sapientiam loquetur, idest Christum venturum: nàm nisi fidem habuisset in illum, non aperuisset os suum; apparet enim eis, qui fidem habent in illum, Sapien. cap. 1. num. 2. & ille, qui continet omnia, scientiam habet vocis, ibidem nu. 7. provt inferiora verba Psalmi demonstrant; Et meditatio cordis mei prudentiam. Quatenus enim spiritualium agnitionem desideramus, morum etiam prudentiam habere studeamus; hæc quippè duo in isto vers. demonstrantur, quatenus os sapientiam loquitur, & prudentiam habere docemur.

Siquidem non de sapientia carnis loquitur, quæ est inimica Deo, ad Rom. cap. 8. num. 7. Non in sapientia verbi, & si os suum loquatur, vt non euacuetur, dicit Apostolus 1. Corinth. cap. 1. num. 17. Crux Christi; Verbum enim Crucis pereuntibus est stultitia, ijs autem, qui salui fiunt, idest nobis, Dei virtus est; stultam enim facit Deus sapientiam huius mundi, Apost. vt suprà n. 20. & à sapientibus huius sæculi intellectus prudentiæ est à Deo absconditus, Isai. cap. 29. num. 14. Os meum loquetur Christum, qui est sapientia Patris; & ipse est, qui redimet animam meam de loco inferi, cum acceperit me. Hunc Redemptorem, qui redempturus veniet, os illius loquitur, qui operando bonum crediderit in eum, qui verò non crediderit, nec intellexerit, sicut oues in inferno mors depascet eos, infrà vers. 15.

Os meum loquitur: Sed si loquitur os tuum, ad quid inclinas aurem tuam

remissa erunt peccata, remittantur eis, & denuò ex aqua, & Spiritu sancto renati, fiant nouus homo, qui secundum Deum creatus sit in iustitia, sanctitate, & veritate. Omnes ergo filiæ Iudæ, idest omnes Gentiles, & Iudæi, qui Dominum confitemini, Iudas enim confessio interpretatur; exultate confitentes Dominum, quia iudicia Dei vera sunt. In area triticum, & palea; Paleam à tritico discernit Deus, in horreum triticum, in ignem palea mittitur. Non fallitur Deus, iusta sunt iudicia eius; sunt boni in Ecclesia Dei, sunt & mali. Lætamini in Domino iusti propter iudicia eius; quæ vera sunt, malos enim malè perdet, & bibent de vino iræ Dei, quod mixtum est mero in calice iræ ipsius, & cruciabuntur igne, & sulphure, Apocalypsi cap.4.numer.1. triticum verò in horreo conseruabit absque palea; Augustin. hic. O mons Sion, inquit ille, ò filiæ Iudæ; laboratis modò inter zizania, inter paleas, inter spinas laboratis: sed exultate propter iudicia Dei; non errat Deus in iudicando. Discretè viuite: & si concretè natæ estis, non frustrà vox de ore vestro de corde exijt. Ne perdas cum impijs Deus animam meam, Psalm.15.num.9. & cum viris sanguinum vitam meam. Ille ventilabit tantum istos, vt vnum granum tritici non cadat in aceruum paleæ comburendum; nec vna arista paleæ transeat ad massam, in horreo recondendam; hæc Augustin. ad vos pertinet colligere, ad illum separare.

Lætetur mons Sion, quia filiæ Iudæ, filiæ visionis Dei, ad quas peruenit verbum Dei, circundederunt eum, montem scilicet Sion, & illum amplectuntur, ità vt & enarretur in turribus eius, quia verbum Domini crescebat, Psalm.15. num.18. loquens de persona Domini; Prouidebam Dominum in conspectu meo semper, quia à dextris est mihi ne commouear; propter hoc lætatum est cor meum, adimplebis me iucunditate cum vultu tuo, Act.Apost.cap.2.nu.26. & sequen. Lætetur mons Sion, quia Verbum Domini crescebat, & multiplicabatur numerus Discipulorum in Ierusalem valdè, Act.6.num.7. Lætetur mons Sion, quia multus numerus credentium conuersus est ad Dominum: perueniat sermo ad aures Ecclesiæ, quæ est Ierosolymis, Act. Apostol. d.cap.11.num.22. Qui cum peruenisset, & vidisset gratiam Dei, gauisus est, & hortabatur omnes in proposito cordis permanere in Domino. Læteris anima iusti, quæ diceris Ciuitas Dei; Sion sancti Israel; quia non erit tibi amplius Sol ad lucendum per diem, nec splendor Lunæ illuminabit te; sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam, & Deus tuus in gloriam tuam. Non occidet vltrà Sol tuus, & Luna tua non minuetur, quia erit tibi Deus in lucem sempiternam, & complebuntur dies luctus tui, Isai.60.num.14. cum sequen.

Circundate Sion, & complectimini eam; narrate in turribus eius; vt veritas Euangelica diffundatur, per totum Orbem dilatetur, ad Roman.cap.15.nu.9. Gentes autem super misericordia glorificate Deum. Augustin. Psalm.88. litera H. Non impleretur dictum Apostoli, in dicto cap.15. nisi illa veritas expanderetur, & ab illo loco, vbi apparere voluisti, in circuitu diffundatur. Tu quidem in illo loco de nube propria intonuisti, Matth.3. nu.16. & 17. sed ad rigandum in circuitu gentium aliàs nubes misisti. Lætetur deserta, & inuia, idest gentilitas, Isai.35.num.1. germinans enim germinabit, & exultabit lætabunda, & laudans, &c. quia redempti à Domino conuertentur, & venient in Sion cum laude, ibidem Isai. num.9. & 10. Matth.cap.24.nu.14. & prædicabit

hoc

hoc Euangelium regni in vniuerso orbe, in testimonium gentibus. Et veritas tua in circuitu tuo, dicto Psalm.88.num.9.

Circundate Sion, ò gentes, & complectimini eam; narrate vos Apostoli, & Prædicatores in turribus eius, vt omnibus nota fiat potentia eius, redemptio eius. Prædicate Euangelium publicè, & palàm, vt enarrent populi mirabilia eius in turribus eiusdem gentilitatis, nàm quando veritas prædicabitur in circuitu Sion, licet gentes fremuerint,& inania populi meditati sint, Regesq. terræ aduersùs eam conuenerint; Dominus tamen potestati maris dominatur, & fluctus eius ipse mitigat: & qui habitat in Cælis, irridebit eos.

Vos autem Prædicatores Dei ponite corda vestra in virtute eius; nolite timere, sed loquimini, & ne taceatis: propter hoc enim Dominus est nobiscum: & Paul. Act.cap.14.num.9. Quid est enim ponere corda vestra in virtute eius: & distribuere domos eius,vt enarretis in progenie altera? Nihil aliud est, quàm quòd si spirituales facti eritis, & omnia secundum charitatem feceritis, dabitur vobis spiritus, vt distributionem domorum Ecclesiæ Dei ità iustè faciatis; vt in progenie altera laudetur nomen Domini. Distribuite, ò vos, ad quos pertinet domorum, & Episcopatuum distributio, in virtute Dei, non in coniunctionis, vel affectionis tentationibus, & diuitijs; distribuite personis, iuxtà dictum Pauli, non vinolentis, sed charitatem continuam habentibus, Doctoribus, vt enarrent laudes Domini populis, ad quos missi erunt in progenie altera, Paul. ad Tit.1.num.7.

Circundate Sion, vt & vos coædificemini in habitaculum Dei, in Spiritu sancto, ad Ephes.2.num.22. In Sion iàm positus est lapis summus, angularis, electus, pretiosus: & qui crediderit in eum, non confundetur. Circundemus & nos Sion istum sanctum, vt nos ipsi tamquam lapides viui superædificemur domus spiritualis, Sacerdotium sanctum, 1.Petr.cap.2.numer.5. Circundemus Sion, vt qui habitat in throno, sedeat super nos; quia agnus, qui in medio est Throni, reget nos, & deducet nos ad vitæ fontes aquarum, Apocalyps.c.7. num.17. Circundemus Sion, quia ibi est Tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis, Apocalyps.21.num.3.

Vt enarretis in progenie altera, quoniam hic est Deus, Deus noster in æternum, & in sæculum sæculi, ipse reget nos in sæcula. Vel, Vsque ad mortem nos ipse reget, vt D. Hieronym. hìc vertit; Ipse reget nos in morte. Vterque sensus verus est; quia si vsque ad mortem regit nos Deus, sufficit, quia finitum erit iter huius humanæ vitæ, huius militiæ terrenæ. Instè ergo ambulemus, quia tunc post mortem non est luctus, nec dolor, neque ab eo exaudiri poterimus; quia præcipitabit mortem in sempiternum, & saluabit nos, Isai.cap.25. num.8. cum sequen. Vt enarretis, quòd Deus homo factus, sicut & nos, videbatur, & terræ Conditor non agnoscebatur. Hunc enarretis in progenie altera, quia est Deus Deus noster in æternum; vt saluet nos homo factus in sæcula, & ante sæcula Deus, Psalm.92.num.2. Psalm.89.numer.2. Tenebatur caro ab eis, ex quibus sumpta fuerat ipsa caro, ex semine Abrahæ; ò Virgo Maria ad carnem remanserunt, Diuinitatem non intellexerunt; errauerunt in ebrietate, nescierunt videntem; ignorauerunt iudicium, Isai.cap.28.num.8. ò Apostoli, ò Ciuitas magna, non muris circundata, sed fidelibus ornata animabus, in turribus tuis prædica hunc Deum, Deum nostrum esse, qui vt humiliaret corda

con-

confitentium, factus lapis ante pedes offendentium hìc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est. Qui Cælos in intellectu fecit, qui est super omnes Deos, Psalm.99.num.3. qui fecit nos, non ipsi nos. Hic est, qui in conspectu gentium reuelauit iustitiam suam, & viderunt eum omnes fines terræ, salutare Dei, Psalm.97. num.3. ipse enim est, de quo Isai. cap.43.num.24. Ego sum, ego sum ipse, quem seruire fecisti in peccatis tuis: præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis. Ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me: & peccatorum tuorum non recordabor, Isai.50.nu.6. Corpus meum dedi percutientibus, &c. & iniquitates tuas ipse portaui, Isai. cap.53. num.11. & per totum cap. Hæc scripta sunt, vt enarretis in progenie altera, ò Apostoli, & verbum Dei annunciantes, & audientes, & fiduciam in Iesum habentes possideatis montem sanctum eius, Isai.57.num.13. vt spiritum humilium viuificet, & cor contritorum, ibidem num.15. Iungamus ergo fratres dilectissimi corda nostra æternitati Dei, & cum illo æterni erimus. Nàm omnis caro fœnum, & omnis claritas carnis, vt flos fœni; fœnum aruit, & flos decidit: omnia arescunt, & decidunt; Verbum autem Dei manet in æternum; transit fœnum, transit & gloria fœni; sed habemus quo nos teneamus; Verbum Domini manet in æternum, Augustin. in Psalm.91. litera K. fol.338. Exite qui vincti estis, qui in tenebris, reuelamini: in lucem prodite, aperite oculos, qui non videtis, quia filium suum in lucem gentium dedit nobis Dominus, vt sit salus nostra vsque ad extremum terræ, ad suscitandum ad vitam gratiæ; iste est Redemptor noster, Saluator noster, nuncupatus nomine Iesus ab Angelo antequam conciperetur in vtero Matris Mariæ.

SOLILOQVIVM.

MAGNVS Dominus, & laudabilis nimis; in Ciuitate Dei nostri; cuius membra sunt animæ redemptæ, animæ iustæ, quæ sunt in monte sancto eius redemptæ sanguine eius, in Ecclesia scilicet sua sancta: Quæ ideò cum exultatione vniuersæ terræ fundata est in monte Sion ex omni gente, Iudæa, & Gentili, qui credunt in illum: Ciuitas vnica facta Regis magni: hoc est, gens iusta, fideles populi Dei, qui ideò Ciuitas dicuntur, quia ex illis fit Ciuitas Dei. Iàm filius Dei Iesus suscepit Ecclesiam istam in suam, vt sit illius caput, cuius nos membra sumus: qui in omnibus Ecclesijs mundi, in domibus eius iàm cognitus est: Iàm Reges viderunt, & consurrexerunt Principes, & adorant illum. Laudate Cæli, exulta terra, iubilate montes laudem; quia consolatus est Dominus populum suum afflictum, gentem abominatam, & semen eius gentes hæreditabit.


Magnus Dominus, & laudabilis nimis, in Ciuitate Dei, in monte sancto eius; Compuncti Principes, quia Deum non cognouerunt, vt parturientis fœminæ, dolor est eorum de commissis, sed magnus Dominus, & laudabilis; quia post dolorem peccatorum pepererunt spiritum bonum; nec pressuræ amplius meminerunt. Hanc Deus Ecclesiam suam fundauit in æternum; sic audiuimus, sic vidimus: portæ inferi non præualebunt aduersus eam: Propterea ex toto corde, & ex tota anima suscipimus Domine misericordiam tuam, redem-

ptionem nostram in medio cordis nostri, quod est Templum tuum. Magnum est nomen tuum Domine Iesu, sit & laus tua in fines terræ magna; quia dextera tua iustitia plena est; quam reddis vnicuique iuxtà opera sua. Lætetur Ecclesia tua mons Sion, & filiæ Iudæ, quæ iàm perditæ, redemptæ sunt propter iudicia tua: Circundate Sion omnes animæ, & complectimini eam, ad quam confugientes saluabimini. Narrate redemptionem, & salutem in montibus, ac in turribus. Et ponentes corda vestra in virtute eius, in domorum eius destributione, in Episcoporum ad loca omnia transmissione, & Prædicatorum: enarrentur hæc in progenie altera, quoniam tu, qui ad redimendum nos venisti, es Deus, Deus noster in æternum; & in sæculum sæculi, & ipse reges nos in sæcula.

Mater Dei Genitrix, Tabernaculum facta Iesu Christi filij tui Saluatoris, impetra nobis salutem in sæcula ab illo, qui propter te nos redemit, & assumpsit te corporaliter in Cælum ad æterna gaudia. Assumpta es Mater Dei hodie in Cælum, gaudet exercitus Angelorum, exultat terra; quia, te intercedente, sperat peruenire ad gaudia sempiterna. Fiat Domina nostra, Virgo, & Mater, & Aduocata nostra. Intercede pro populo tuo, pro me misero peccatore, vt tecum sim, & tecum in viam rectam ambulem, vt ad te possim & ego peruenire; Audi, & exaudi me dulcissima Virgo Maria. Amen.

IN PSALMVM XLVIII.

Audite hæc omnes Gentes: auribus percipite omnes, qui habitatis orbem.



SVPRA moniti sumus de laudibus magni Dei in Ecclesia sua sancta, vt & enarrentur in progenie altera: nunc verò in hoc Psalmo 48. vt acceptabiles sint Deo laudes, inuitantur omnes Orbem habitantes, gentes scilicet, vt audiant, & auribus verba Dei percipiant. Audite omnes gentes, simul in vnum diues, & pauper.

Titulus Psalmi. In finem filijs Core Psalmus. In finem ergo, idest in Christum spes nostra, laus nostra sit à Prædicatoribus narranda peccatoribus, & iustis, quòd quæ mundi sunt, vana sunt, & transitoria. Hoc filijs Core, idest Prædicatoribus incumbit, & Episcopis iniunctum est.

Omnes gentes audite, auribus percipite, quia omnes gentes ante Deum congregabuntur, Matth. 25. num. 32. & ad omnes verba Christi peruenient, quia pro omnibus sanguis eius effusus est; vt, si velint, salui fiant, & in illo iudicio non erit illatorum aliqua excusatio, Matth. dicto cap. 25. num. 44. ideò auribus percipite, vt retinentes verba mea ad dexteram vocemini in salutem: Et cum salus ex Christo, ideò Psalmus est ad omnes gentes, non ad Iudæos tantùm, quorum leges, & præcepta in illorum tantùm legebantur Synagoga.

Audite ergo hæc omnes gentes, quia venit hora, & nunc est; quando mortui audient vocem filij Dei, & qui audierint viuent, Ioan. cap. 5. num. 25. Non enim tantùm de secunda Resurrectione corporum, quæ in fine futura est; sed

& de prima, quæ nunc est; & ità etiam Psalmus noster de ista loquitur; quæ nunc est; de morte animarum, habent enim & animæ mortem suam in impietate, atque peccatis, secundum quam mortem mortui sunt; de qua Matth. cap. 8. num. 22. sequere me, inquit Iesus, & dimitte mortuos sepelire mortuos suos, vt scilicet in anima mortui in corpore mortuos sepelirent. Propter istos ergo impietate, & iniquitate in anima mortuos; inquit Psalmista: Audite gentes; quia scilicet in impietate positi estis, qui mundo adstricti estis, & illi viuitis; Vocem Domini filij Dei quia qui audierint, obedierint, crediderint, & vsque in finem perseuerauerint, viuent. Augustin. de Ciuit. Dei Tom. 5. lib. 20. cap. 6. litera K. Omnibus & bonis, & malis indistinctè prædicatur vox Dei, quæ omnibus bona est, vt omnibus bonum est audire vocem eius, & viuere, ad vitam pietatis ex impietatis morte transeundo. Audite ergo hæc omnes gentes, idest infideles, qui viuentes corpori, in anima mortui estis, ad Colossens. cap. 2. num. 13. Nunc est hora vestra, quia Euangelium prædicatur omni creaturæ; & qui vocem filij Dei audierint, viuent, idest qui crediderint, & obtemperauerint, ipsi viuent; Ergo antequam audirent, antequam crederent mortui erant; iacebant mortui, & qui illorum in corpore moriebantur, sepeliebantur in sepulchro, portabant mortui mortuos suos: Verbo ergo Dei suscitantur tales mortui, vt viuant in fide. Qui mortui erant in infidelitate, verbo Dei excitantur. Surgite ergo, qui infideles, qui peccantes Domino offensi estis, qui dormitis, Ad Ephes. cap. 5. vt illuminati à Christo viuatis. Mentes vestræ resurgant, quæ mortuæ sunt in impietate, & illuminentur, & animæ vestræ resurgentes, resurgant & corpora vestra: Non omnium est fides, Augustin. de Verb. Domini, Sermon. 64. litera E. Si ergo, inquit, non omnium est fides, non omnes resurgunt in anima; Cum venerit hora resurrectionis corporis, omnes resurgent; boni sint, mali sint, resurgent. Sed qui prius resurgit in anima, bono suo resurget in corpore; qui non resurgit in anima, malo suo resurget in corpore; qui resurgit in anima, resurgit in corpore ad vitam, qui non resurgit in anima, resurgit in corpore ad pœnam. hæc Augustin.

Audite ergo hæc, ò infideles, ò peccatores; percipite, quæ ego loquor vobis; nàm est Christus, qui loquitur in me, Deum auditis, nolite attendere per quem audiatis. Os meum loquitur sapientiam: auribus percipite, quia prædicare veritatem nihil est, si non auditionem fructus sequatur, Augustin. in Psalm. 66. litera B. propè finem. Immo dicere audeo mihimetipsi, audi tu teipse; nàm qui vis, te audiri, prior te audi, Psalm. 84. numer. 9. Audiam quid loquatur in me Dominus Deus; quoniam loquetur pacem in plebem suam. Qualis ergo ego, qui non audio quid in me loquitur Deus, & volo, vt alij audiant, quod per me loquitur ipse: Audiam prior, audiam maximè, 2. Corinth. cap. 9. numer. 27. Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne fortè cum alijs prædicarim, ipse reprobus efficiar. Augustin. in 1. Concione, Psalm. 103. litera C. Fructum autem vestrum in operibus vestris aduertite. Valdè enim malè digerit, qui benè audit; & non benè operatur, quia Dominus Deus noster non deest pascere. Super cathedram Moysi, aiebat Dominus, sederunt Scribæ, & Pharisæi, quæcumque dixerint, seruate, & facite, secundum verò opera eorum nolite facere. Audiui iàm & ego, propterea eadem, quæ vobis præcepi præcepta, mihi iniuncta sunt, & eadem, vt adimpleatis, vobis denuntio,

vt & vos in Domino salutem meam habeatis.

Audite gentes, iniqui, & peccatores, auribus percipite pœnitentes iusti: audite terrigenæ, quorum spes, & terrenum est desiderium, & possessio: audite filij hominum, & auribus percipite ad gloriam simul; Audite gentes, diues, & pauper, quia omnium est vnicus finis, & interitus; Sapien. cap. 7. numer. 7. Audite diues, & pauper; præbeatis aures vos, qui continetis multitudinem; & qui continentur, non enim repellit à se Deus personam cuiusquam, quoniam pusillum, & magnum ipse fecit, fortioribus verò fortior instat cruciatio; Sapien. cap. 6. numer. 6. cum sequen. Qui enim custodierint iusta, iustificabuntur. Cura, inquit, disciplinæ, dilectio est, & dilectio custodia legum illius est; custodia autem legum, consummatio incorruptionis est, incorruptio autem facit esse proximum Deo, Sap. dicto cap. 6. numer. 19. Audite mandata, & illius præcepta. Si volueritis mandata seruare, conseruabunt vos, Eccles. cap. 15. numer. 16. Auribus percipite, quia non auditores legis solum iusti sunt apud Deum: sed factores legis iustificabuntur, ad Roman. cap. 2. num. 15.

Quiquè terrigenæ, & filij hominum. Nulli enim subtrahitur sermo, nàm hærens terræ audiat propter iudicium, idest vndè iudicetur; vt sic timeat; & iustus audiat propter Regnum, idest vndè regnet; vt sic diligat. Quid enim terrigenæ, nisi qui terrena sapiunt; idest diuites, & superbi? Quid verò per filios hominum, nisi pauperes spiritu, idest humiles? simul in vnum diues, & pauper audite, non separati vsque ad messem, vsque ad mortem: tunc ad comburendum zizania separabuntur à tritico, oues ab hædis.

Audiant simul ergo nunc Gentiles, & filij hominum, iusti, & iniusti; pascantur iunctim oues, & hædi, donec separentur in die mortis, in die iudicij: permixtè modò audiant omnes, dicit Augustin. Sed cum ventum fuerit ad reddendam rationem separabuntur, qui sine causa audierunt ab illis, qui auribus perceperunt. Audiant ergo terrigenæ, idest filij terræ, qui hæreditates terrenas requirunt, Audiant filij Adam, qui terreni sunt; audiant filij hominum, qui ad Christum pertinent, audiant Verbum Dei. Nunc enim tempus acceptabile, nunc tempus salutis, 2. Corinth. cap. 6. numer. 2. nunc æquitatem videt facies Dei, Psalm. 10. numer. 8. quod explicat Augustin. ibi litera B. ac si diceret; Æquitas visa est in facie eius, idest in eius notitia. Facies enim Dei est potentia, qua dignis innotescit, & non se præbet cognoscendum malis; quatenus in iniquitate velint permanere, non est verbum Domini procul à te hodie; sed iuxtà te est, vt facias illud, Deuteronom. cap. 30. numer. 14. & adimpleatis illud ad Roman. 10. nu. 8. Propè est, inquit Paul. verbum in ore tuo, & in corde tuo, hoc est Verbum fidei, quod prædicamus. Audite hæc, quæ loquor, auribus percipite, in corde illa retinete; hoc est enim auribus percipite, idest retinete vocem filij Dei: Qui, vt omnes saluarentur in suo nomine, venit, & specialiter pro peccatoribus. Vndè dixit: Non veni vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam, Luc. cap. 5. numer. 32. Propterea tu, qui audis, ne tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem, Eccles. cap. 5. numer. 8. Auribus percipe, quia verba sunt Domini, & non mea; non à me hæc audisti, sed ego tecum audio à Domino. Auditui nostro Domine dabis gau-

dium, & lætitiam. Si in humilitate positi disciplinam accipientes, confiteamur te Dominum nostrum Iesum Christum, & tunc exultabunt ossa humiliata, & si humiles effecti audierimus, feliciores erimus nos, qui audiuimus, quàm qui loquuntur. Augustin. in Psalm. 50. litera H. Qui discit, humilis est; qui autem docet, laborat, vt non sit superbus. Ne malè placendi affectus irrepat, ne Deo displiceat, qui vult placere hominibus, magnus tremor est in docente, hæc Augustin. Qui ergo auribus percipit, & benè audit, humilis obedit. Audi ergo verbum Dei, cum humilitatequè illud suscipe, si vis exaudiri à Deo cum exultatione, Ioan.cap.3.numer.29. Qui habet sponsam, sponsus est, amicus autem sponsi, qui stat, & audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi; stantem se fecit, & audientem, non cadentem, & loquentem; stat, inquit, & audit eum, & gaudio gaudet propter vocem sponsi: Sponsam habet Christus Ecclesiam suam; cuius & ipse est sponsus: nos amici sponsi, sicut Ioannes. Sic verba eiusdem filij Dei, & sponsæ eius auribus percipiamus, non hæsitantes, sed in fide stantes, & non cadentes, gaudio cum sponso gaudebimus, quia vocem sponsi audiuimus; & cum gaudio suscepimus illam.

Qui habitatis Orbem; quiquè terrigenæ, & filij hominum, simul in vnum diues, & pauper. Sed nunquid qui habitant Orbem non sunt terrigenæ? filijquè hominum, inter quos sunt pauperes, & diuites, qui simul Orbem habitant? aut inter istos est distinctio, & differentia; vel Propheta idem repetit per eadem: sanè non sine ratione hæc inter se distincta posuit, vt infrà dicemus. Ad Dei verbum inuitat audiendum Orbem habitantes, & filios hominum, quia in campis syluarum positi sunt, in campis saltuum, Psalm.131. ideò inculti, & syluestres, vbi adhùc vepres erant, sicut vepres, idololatriæ in Orbe erant in campo inculto. Audite ergo, inquit, quia & ibi inuenitur locus Domino, Tabernaculum Deo Iacob, quod prædicatum est in figura Iudæis, quod inuenimus in Ephrata, quod interpretatur speculum: manifestandum est in fide gentium. Intraturi estis, ò gentes in Tabernacula Dei Iacob. Intrate, vt inhabiteris, vt ipsi sitis, qui intrantur, & inhabitantur. In domum tuam intras, vt inhabites; in domum Dei intras, vt inhabiteris. Est enim melior Dominus, qui cum te cœperit inhabitare; beatum te facit; nàm si tu ab illo non inhabiteris, miser eris: passus famem erat ille, de quo Luc. dicto cap.15.numer.18. recordatus est Patrem, reuersus est, vt pane saturaretur. Intra & tu, ò Gentilitas, ò infidelis, qui porcos pascebas, in Tabernaculum Ecclesiæ Dei, vt inhabiteris, & non quasi tuus sis, sed illius. Augustin. dicto Psalm.131. litera B. Posuit Deus Pater filium suum Iesum Christum in lucem gentium, vt sit in salutem vsque ad extremum terræ. Audite ergo hæc omnes, qui habitatis Orbem; nàm, vt dicit Augustin. ibidem, qui intrant in domum Dei, vt inhabitent, ipsi sunt, qui inhabitant, vt inhabitentur, habita ergo tu in Domino, vt ille inhabitet in te, possìde illum, vt possidearis ab illo, cole eum, & colet nos. Ille enim est vitis, nos palmites, Ioan.15. & Pater agricola est; sta in vite, & non aresces. Audite gentes, quia Dominus possidere vult vos, vt vos possideatis eum, vide August. Psal.32. lit.L. cum seqq. Tu autem, dicit Psal.21. habitas in sancto, laus Israel, ergo qui habitat in Cælo;

 ha-

habitat in sancto, in Templo scilicet suo: Templum enim Dei sanctum est quod estis vos, 1. Corinth. 3. sed omnes adhuc infirmi, & si secundum fidem ambulauerimus, secundum fidem erimus Templum Dei; erimus etiam aliquando & secundum speciem Templum Dei: Audite ergo hæc omnes gentes, credite in Deum, habete fidem, quam Ecclesia sancta prædicat, vt Christus per fidem habitet in vobis, ad Ephes. cap. 3. num. 17. Christum habitare per fidem in cordibus nostris in charitate radicati, & fundati. Et paulò superius, num. 5. Reuelatum est sanctis Prophetis, gentes esse cohæredes, & concorporales, & comparticipes promissionis eius, in Christo Iesu per Euangelium.

Quare ergo Dauid dixerit, Audite omnes gentes, auribus percipite omnes, qui habitatis Orbem, clara erit differentia, quia omnes audiunt, sed non omnes percipiunt. In Ecclesia sunt boni, sunt & mali, ad quos hic sermo directus est; Gentes iniquæ, & peccatores audiunt, sed quia terrena sapiunt, à terrenis possidentur, & in iniquitatibus suis permanent, excisi sunt à vite, non fructum faciunt, in ignem mittuntur, qui verò habitant, & habitantur, hi in vite remanent, & fructum afferunt. Omnibus autem bonis, & malis verbum mittitur, vt boni percipientes habitent in Cælis, mali verò vt mittantur in infernum. Vide Augustin. in Psalm. Ecce quàm bonum, & quàm iucundum, qui est num. 132.

Quique terrigenæ, & filij hominum, diues, & pauper, quia & diuites in bonorum suorum distributione fideles optimè saluantur, & pauperes in paupertate sua patientes Regnum & ipsi Dei possident.

Audite filij hominum, filij Christi, filij Apostolorum per verbum Christi regenerati, filij iusti: audite gentes iniquæ, & infideles, audite peccatores pertinaces Verbum Dei; illi pro maiori eorum gloria, isti pro maiori, quia inexcusabiles, eorum pœna, & illorum confusione: Confundantur omnes iniqua agentes, in iniquitatibus permanentes, Psalm. 123. sed nemo considerat: Eunq; homines, audiunt verbum Dei, & prouerbia Dei, & dormitant in eis. Audiunt illud prouerbium; malo quod teneo, quàm quod spero. O infelix, inquit Augustin. quod tenes? tene sic vt non amittas, & dic, malo quod teneo; si autem non tenes, quare non illud tenes, quod non possis ammittere? Quid ergo tenes? Aurum; tene ergo, si tenes; non tibi auferatur tuum. Si autem, & per aurum traheris quò non vis, & ideò te trahit maior raptor, quia inuenit minorem raptorē, & ideò te quærit maior Aquila, quia prior cœpisti leporem. Præda tibi fuit minor, præda eris maiori: hæc August. in d. Psalm. 123. lit. B. & C. illum persequeris, quia pinguis est; tu ne pinguescas, ne alter te quærat.

Audite hæc omnes gentes: Ad Dominum conuertimini, fidem Iesu Christi suscipite: nàm venantes adsunt persequentes, & posuerunt escam in muscipula. Audite filij hominum, esca posita est ante vos, hoc est mundi dulcedo, huius vitæ felicitas falsa: Caput in iniquitatem ne ponatis, ne muscipula vos comprimat: Dominum inuocate in tentationibus, & ipse, qui propè est omnibus eum inuocantibus, liberabit vos; Benedictus Dominus, qui non dat nos in captionem dentibus eorum, Psalm. 123. Anima nostra erepta est de laqueo venantium; laqueus contritus est, & nos liberati sumus, d. Psalm. 123 nu. 6. & 7.

Quiquè terrigenæ, & filij hominum, simul diues, & pauper. Quiq. terrigenæ ad superiora referuntur, ad omnes gentes; & filij hominum simul diues, & pauper

dium, & lætitiam. Si in humilitate positi disciplinam accipientes, confiteamur te Dominum nostrum Iesum Christum, & tunc exultabunt ossa humiliata, & si humiles effecti audierimus, feliciores erimus nos, qui audiuimus, quàm qui loquuntur. Augustin. in Psalm. 50. litera H. Qui discit, humilis est; qui autem docet, laborat, vt non sit superbus. Ne malè placendi affectus irrepat, ne Deo displiceat, qui vult placere hominibus, magnus tremor est in docente, hæc Augustin. Qui ergo auribus percipit, & benè audit, humilis obedit. Audi ergo verbum Dei, cum humilitateque illud suscipe, si vis exaudiri à Deo cum exultatione, Ioan. cap. 3. numer. 29. Qui habet sponsam, sponsus est, amicus autem sponsi, qui stat, & audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi; stantem se fecit, & audientem, non cadentem, & loquentem; stat, inquit, & audit eum, & gaudio gaudet propter vocem sponsi: Sponsam habet Christus Ecclesiam suam; cuius & ipse est sponsus: nos amici sponsi, sicut Ioannes. Sic verba eiusdem filij Dei, & sponsæ eius auribus percipiamus, non hæsitantes, sed in fide stantes, & non cadentes, gaudio cum sponso gaudebimus, quia vocem sponsi audiuimus; & cum gaudio suscepimus illam.

Qui habitatis Orbem; quiquè terrigenæ, & filij hominum, simul in vnum diues, & pauper. Sed nunquid qui habitant Orbem non sunt terrigenæ? filijquè hominum, inter quos sunt pauperes, & diuites, qui simul Orbem habitant? aut inter istos est distinctio, & differentia; vel Propheta idem repetit per eadem: sanè non sine ratione hæc inter se distincta posuit, vt infrà dicemus. Ad Dei verbum inuitat audiendum Orbem habitantes, & filios hominum, quia in campis syluarum positi sunt, in campis saltuum, Psalm. 131. ideò inculti, & syluestres, vbi adhùc vepres erant, sicut vepres, idololatriæ in Orbe erant in campo inculto. Audite ergo, inquit, quia & ibi inuenitur locus Domino, Tabernaculum Deo Iacob, quod prædicatum est in figura Iudæis, quod inuenimus in Ephrata, quod interpretatur speculum: manifestandum est in fide gentium, Intraturi estis, ò gentes in Tabernacula Dei Iacob. Intrate, vt inhabiteris, vt ipsi sitis, qui intrantur, & inhabitantur. In domum tuam intras, vt inhabites; in domum Dei intras, vt inhabiteris. Est enim melior Dominus, qui cum te cœperit inhabitare; beatum te facit; nàm si tu ab illo non inhabiteris, miser eris: passus famem erat ille, de quo Luc. dicto cap. 15. numer. 18. recordatus est Patrem, reuersus est, vt pane saturaretur. Intra & tu, ò Gentilitas, ò infidelis, qui porcos pascebas, in Tabernaculum Ecclesiæ Dei, vt inhabiteris, & non quasi tuus sis, sed illius. Augustin. dicto Psalm. 131. litera B. Posuit Deus Pater filium suum Iesum Christum in lucem gentium, vt sit in salutem vsque ad extremum terræ. Audite ergo hæc omnes, qui habitatis Orbem; nàm, vt dicit Augustin. ibidem, qui intrant in domum Dei, vt inhabitent, ipsi sunt, qui inhabitant, vt inhabitentur, habita ergo tu in Domino, vt ille inhabitet in te, possidе illum, vt possidearis ab illo, cole eum, & colet nos. Ille enim est vitis, nos palmites, Ioan. 15. & Pater agricola est; sta in vite, & non arefces. Audite gentes, quia Dominus possidere vult vos, vt vos possideatis eum, vide August. Psal. 32. lit. L. cum seqq. Tu autem, dicit Psal. 21. habitas in sancto, laus Israel, ergo qui habitat in Cælo;

ha-

habitat in sancto, in Templo scilicet suo: Templum enim Dei sanctum est quod estis vos, 1. Corinth. 3. sed omnes adhuc infirmi, & si secundum fidem ambulauerimus, secundum fidem erimus Templum Dei; erimus etiam aliquando & secundum speciem Templum Dei: Audite ergo hæc omnes gentes, credite in Deum, habete fidem, quam Ecclesia sancta prædicat, vt Christus per fidem habitet in vobis, ad Ephes. cap. 3. num. 17. Christum habitare per fidem in cordibus nostris in charitate radicati, & fundati. Et paulò superius, num. 5. Reuelatum est sanctis Prophetis, gentes esse cohæredes, & concorporales, & comparticipes promissionis eius, in Christo Iesu per Euangelium.

Quare ergo Dauid dixerit, Audite omnes gentes, auribus percipite omnes, qui habitatis Orbem, clara erit differentia, quia omnes audiunt, sed non omnes percipiunt. In Ecclesia sunt boni, sunt & mali, ad quos hic sermo directus est; Gentes iniquæ, & peccatores audiunt, sed quia terrena sapiunt, à terrenis possidentur, & in iniquitatibus suis permanent, excisi sunt à vite, non fructum faciunt, in ignem mittuntur, qui verò habitant, & habitantur, hi in vite remanent, & fructum afferunt. Omnibus autem bonis, & malis verbum mittitur, vt boni percipientes habitent in Cælis, mali verò vt mittantur in infernum. Vide Augustin. in Psalm. Ecce quàm bonum, & quàm iucundum, qui est num. 132.

Quique terrigenæ, & filij hominum, diues, & pauper, quia & diuites in honorum suorum distributione fideles optimè saluantur, & pauperes in paupertate sua patientes Regnum & ipsi Dei possident:

Audite filij hominum, filij Christi, filij Apostolorum per verbum Christi regenerati, filij iusti: audite gentes iniquæ, & infideles, audite peccatores pertinaces Verbum Dei; illi pro maiori eorum gloria, isti pro maiori, quia inexcusabiles, eorum pœna; & illorum confusione: Confundantur omnes iniqua agentes, in iniquitatibus permanentes, Psalm. 123. sed nemo considerat: Eunt homines, audiunt verbum Dei, & prouerbia Dei, & dormitant in eis: Audiunt illud prouerbium, malo quod teneo, quàm quod spero. O infelix, inquit Augustin. quod tenes? tene sic vt non amittas, & dic, malo quod teneo; si autem non tenes, quare non illud tenes, quod non possis ammittere? Quid ergo tenes? Aurum; tene ergo, si tenes; non tibi auferatur tuum. Si autem, & per aurum traheris quò non vis, & ideò te trahit maior raptor, quia inuenit minorem raptorē, & ideò te quærit maior Aquila, quia prior cœpisti leporem. Præda tibi fuit minor, præda eris maiori: hæc Augu$t. in d. Psalm. 123. lit. B. & C. illum persequeris, quia pinguis est; tu ne pinguescas, ne alter te quærat.

Audite hæc omnes gentes: Ad Dominum conuertimini, fidem Iesu Christi suscipite: nàm venantes adsunt persequentes, & posuerunt escam in muscipula. Audite filij hominum, esca posita est ante vos, hoc est mundi dulcedo, huius vitæ felicitas falsa: Caput in iniquitatem ne ponatis, ne muscipula vos comprimat: Dominum inuocate in tentationibus, & ipse, qui propè est omnibus eum inuocantibus, liberabit vos; Benedictus Dominus, qui non dat nos in captionem dentibus eorum, Psalm. 123. Anima nostra erepta est de laqueo venantium; laqueus contritus est, & nos liberati sumus, d. Psalm. 123 nu. 6. & 7.

Quique terrigenæ, & filij hominum, simul diues, & pauper: Quiq. terrigenæ ad superiora referuntur, ad omnes gentes; & filij hominum simul diues, & pauper

ad iustos, ad pœnitentes, quorum distinctio non est apud Deum; diuitis scilicet, & pauperis: Dulcis charitas, quæ cohærere facit fratres in vnum, Psal. 132. simul diues, & pauper in charitate habitant; quia in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Propterea diues, & pauper simul audiunt verbum Dei, & simul iuncti perceperunt illud; simul diues, & pauper, quia quamuis ex pluribus fidelibus, vnica tamen fit Ecclesia. Ideò vno descendente, alter non descendebat, nec sanabatur in Piscina, vnus solus sanabatur, Vnitatem Ecclesiæ figurans, August. d. Psalm. 132. litera F. Simul diues, & pauper, quia iuncti portant onera, & sic implent legem Christi, ad Galat. 6. n. 2.

Vel dicamus, vt iunctim sint hæc verba ad iustos. Quique terrigenæ, qui habitatis terram, terram scilicet Domini, quæ Ecclesia eius est, cuius Pater agricola est. Verbum audite Domini, vt faciatis bonitatem in terra ista, quam Deus colat, quam ille regat, vt pascaris diuitijs eius, cuius diuitiæ ipsemet Deus est, Psalm. 72. num. 27. Et pars mea Deus in æternum, & Psalm. 15. nu. 5. Dominus pars hæreditatis meæ, etenim hæreditas mea præclara est mihi, nu. 6. ibidem Augustin. Psalm. 36. litera F. & G.

Simul, inquit, in vnum diues, & pauper; stant ergo simul, vt diues sit quis, & pauper. D. Hieronym. ad Saluin. 9. Nec diuiti obsunt opes, si eis benè vtatur, nec pauperem egestas commendabiliorem facit, si inter sordes, & inopiam peccato non careat, vtriusque rei nobis testimonium Abraham, & quotidiana exempla suppeditant, quorum alter in summis diuitijs amicus Dei fuit, alij quotidie in sceleribus deprehensi pœnas legibus soluunt; hæc Hieron. Vndè Paul. 1. Timoth. 6. nu. 17. Præcipe diuitibus huius sæculi, non quidem, ne diuites sint, verùm non superbè sapere, nec in incerto diuitiarum, sed in Deo viuo sperare, qui præstat nobis omnia abundè ad fruendum, & numer. 6. Est enim quæstus magnus pietas cum sufficientia. Diues ergo in magnanimitate, & charitate, pauper non in superbia, sed humilitate cordis, & patientia simul stant. Vide August. de Ciuit. Dei ad Marcell. lib. 1. c. 10. Tom. 5. & idem Tom. 10. homil. 48. cap. 3. Audis, inquit ille, sursum corda, loquitur enim de diuite, & curas dicere, habemus ad Dominum; si aliquid illuc misisti, habes, quod ibi quæras; si nihil misisti sursum, non habes, quod ibi quæras; in terra vbi posuisti, ibi quære. Vis fœnerari, inquit Deus, mihi da, & ego accipio minus, & do plus.

Simul diues, & pauper; Nàm pauper expectat à te diuite, & tu expectas à Deo; expectat ille manum, quæ facta est secum, expectas tu manũ, quæ fecit te. Sed non solum te fecit, sed pauperẽ tecum; August. Tom. 10. in Euang. Matth. Serm. 5. c. 11. in fine; Dedit vobis, pauperi scilicet, & diuiti vnam viam. Istam vitã: Inuenistis vos comites, vnam viam ambulatis, ille nihil portat, tu nimium oneratus es; ille nihil secum portat, tu interim plus portas, quàm opus est; oneratus es, da illi de eo, quod habes, & illum pascis, & onus minuis. Si ergo non extollitur pauper de mẽdicitate, tu quare extolleris de infirmitate? Diuitũ enim est infirmitas, vti cibis pretiosis; doleant tamen, se aliter non posse, melius enim possint, si aliter possint; hæc August. & in q. 11. ibid. nihil diuites habent de diuitijs suis, nisi quòd ab illo postulat pauper, victũ, & tegumentũ. Saturatur pauper de vilibus cibis, saturatur diues de pretiosis cibis, saturitas æqualis est, possessio vna est, quò ambo volũt peruenire, sed ille per cõpendium, ille multũ circuit. Simul ergo diues, & pauper, qui sperãt in Deo viuo, qui nobis præstat abundãter

tem-

temporalia, & æterna: temporalia tamquam viatoribus, æterna tamquam habitatoribus: Temporalia vndè bona faciamus; æterna vndè boni efficiamur, 1. ad Timoth. 6. n. 18. Thesaurizent ergo diuites sibi fundamentum bonum in futurũ, vt apprehendant vitam æternam, Eccles. 1. nu. 2. nàm omnia vanitas vanitatum.

Simul diues, & pauper, quos simul creauit Deus; pauperem fecit, vt probet hominem, & fecit Deus diuitem, vt probet illum de paupere, omnia enim, quæ fecit Deus, recta fecit, Augūst. Psalm. 124. lit. L. Idem Augustin. hic; Quod dicit diuites, ad terrigenas pertinet, quod ait pauperes, ad filios hominum dixit. Diuites autem intelligit Augustin. superbos, pauperes verò humiles. Habeat enim quis multas facultates pecuniarum, si non extollitur in eis, pauper est; non habeat quis, & cupiat, & infletur, inter diuites, & reprobos eum deputat Deus. Et Diuites, & pauperes in corde interrogat Deus, non in arca, & domo; pauperes enim sunt, qui accipiunt mandatum Apostoli, 1. ad Timoth. c. 6. num. 17. Præcipe diuitibus non superbè sapere, &c. ideò æquales eos fecit non habentibus. Superbè enim sapit diues, si sperat in incerto diuitiarum, & non in Deo, qui nobis præstat omnia abundanter ad fruendum. Nobis dixit, non illis, vt benè considerat Augustin. quia diues est fidelis homo, cui totus mundus diuitiarum est, nihil habentes, & omnia possidentes, 2. Corinth. c. 6. nu. 10. sicut egentes, multos autem locupletantes. Edent pauperes, dicit Psalm. 21. num. 27. & saturabuntur. Quid edunt? Quod facient fideles, & saturabuntur imitando passionem Christi Domini sui: & laudabunt Dominum, qui requirunt eum. Edent & diuites, Manducauerunt, inquit, & adorauerunt omnes diuites terræ; Non dixit, & saturati sunt; adorant quidem Deum, sed humanitatem; nolunt exhibere fraternam charitatem: simul in vnum audiant docentem, ac segregati ad inuicem audiant iudicantem: hæc Augustin.

Quid loquatur iste docens, quid nos discamus ad salutem, audiamus, os meum, inquit, loquetur sapientiam, & meditatio cordis mei prudentiam. Sapientiam loquetur, idest Christum venturum: nàm nisi fidem habuisset in illum, non aperuisset os suum; apparet enim eis, qui fidem habent in illum, Sapien. cap. 1. num. 2. & ille, qui continet omnia, scientiam habet vocis, ibidem nu. 7. provt inferiora verba Psalmi demonstrant; Et meditatio cordis mei prudentiam. Quatenus enim spiritualium agnitionem desideramus, morum etiam prudentiam habere studeamus; hæc quippè duo in isto vers. demonstrantur, quatenus os sapientiam loquitur, & prudentiam habere docemur.

Siquidem non de sapientia carnis loquitur, quæ est inimica Deo, ad Rom, cap. 8. num. 7. Non in sapientia verbi, & si os suum loquatur, vt non euacuetur, dicit Apostolus 1. Corinth. cap. 1. num. 17. Crux Christi; Verbum enim Crucis pereuntibus est stultitia, ijs autem, qui salui fiunt, idest nobis, Dei virtus est; stultam enim facit Deus sapientiam huius mundi, Apost. vt suprà n. 20. & à sapientibus huius sæculi intellectus prudentiæ est à Deo absconditus, Isai. cap. 29. num. 14. Os meum loquetur Christum, qui est sapientia Patris; & ipse est, qui redimet animam meam de loco inferi, cum acceperit me. Hunc Redemptorem, qui redempturus veniet, os illius loquitur, qui operando bonum crediderit in eum, qui verò non crediderit, nec intellexerit, sicut oues in inferno mors depascet eos, infrà vers. 15.

Os meum loquitur: Sed si loquitur os tuum, ad quid inclinas aurem tuam

in parabolam? Parum iuuat vox prædicanti, nisi præbeat aures sibi ipsi loquenti, non sicut Scribæ, & Pharisæi; loquebantur enim, & non audiebant, non faciebant, quas alijs docebant virtutes, & præcepta; Vndè Matth. cap. 23. numer. 3. secundum opera eorum nolite facere, sed quæcumque vobis dixerint, seruate, & facite.

Inclinabo aurem meam in parabolam, aperiam in Psalterio propositionem meam. Quis aperuit os tuum, vt sapientiam, vt Christum venturum prædicares, & de illo, per quem omnia facta sunt, prædiceres? Lege Amos cap. 3. num. 7. & videbis, quia Deus ipse reuelabit. Non facit, inquit Amos: non facit Deus verbum, nisi reuelauerit secretum suum ad seruos suos Prophetas. Ideò inclinabo aurem meam ad verbum, quod reuelauit mihi Dominus Deus. Id accidit quia legem, inquit David, & prophetias dedit vsque ad Ioannem, & Luc. cap. 16. num. 16. à diebus autem Ioannis Regnum Cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud; ex eo Regnum Dei euangelizatur. Propterea, & ego loquor, quod fuit etiam ab omnibus Prophetis prophetatum; & videri poterit Malach. cap. 4. num. 2. Et orietur vobis timentibus nomen meum Sol iustitiæ. Nunc in corde meo meditatus sum, inquit Psalmista, reprobationem in aduentu Dei Israel Iudæorum, ideò prudentiam loquar Iudæis, vt inclinent mecum aures suas in parabolas, quas à Saluatore audituri erant; quamquam secus factum sit, locutus est enim illis Iesus in parabolam, & non intellexerunt, sine vera prudentia enim fuerunt, & cum prudentia humana perditi sunt. Venient Romani, & tollent Regnum nostrum, & cum prouidentia venerunt Romani, & illos destruxerunt, & Ciuitates subuerterunt eorum. O stulta mundi prudentia, ò insensata Iudæorum nequitia, ad modicum pasti, vt in perpetuum fame perirent: ad modicum gaudentes, vt in æternum contristarentur. Inclinabo ego aurem meam in parabolam; ò Domine Iesu, Verbum tuũ, semen tuum in terram bonam seminasti, vt pro salute mea ingrediar viam tuam intelligens, vt & ego fructum centuplum recipiam, Matth. cap. 13. num. 23. Salus mea tu es Domine Iesu, & ego sequar te quocumque ieris: quia voluntas mea tu es, & ego aperiam propositionem meam in Psalterio: Hæc est enim propositio mea, quia sine te non est salus animæ meæ. Sed quare in Psalterio aperire vis? Vt & vos mecum intenti, audiatis verbum Dei in parabolis nunc; sed confirmati in fide simul videamus verbum Dei, Matth. dicto cap. 13. num. 16. Vestri autem oculi beati, dicit Deus, quia vident, & aures vestræ quia audiunt, multi enim Prophetæ, & iusti cupierunt videre, quæ vidistis, & audire, quæ vos audistis.

Inclinabo in parabolam aurem meam, ex qua manifestè eliciam propositionem, & vt illam meam expositionem, seù propositionem omnes audiant, omnes intelligant, in Psalterio aperiam illam. Solent enim omnes aures suas inclinare ad vocem Psalterij, ad vocem Citharizantium. Doctrina Psalmi est parabola, quoniam constat sententijs præclaris partim propriè, partim figuratè enunciatis. Cum Psalterio illam cantabo, vt omnes facilius illam audiant. Illud enigma, quod in 6. vers. continetur, cur timebo in die mala? habet multa obscura, & inuoluta, & ideò multorum sententiæ in illius expositione; inuoluit enim res arcanas, & mysticas, de vita alterius sæculi, de futura beatitudine piorum, & calamitate impiorum. Aperiam in Psalterio illa, idest propositionem meam,

meam, cum auditorum gustu, & suauitate, & delectatione; hoc enim videtur demonstrasse illa verba, in Psalterio aperiam propositionem scilicet cum cantu, & sono, vt iucundius ab auditoribus suscipiatur.

Nunc verò enigma declarat Dauid, dicens, si ego Christum Redemptorem confiteor, & filium esse Dei credo, & laudes eius ab alijs audiendas percipio, cur timebo, inquit, in die mala? in die miseriæ, & calamitatis, quando veniet Dominus iudicaturus orbem? Non in sola fide, inquit, consistit salus tua, bonis operibus debet esse associata; nàm si iustus fecerit iniquitatem, nunquid recordabor iustitiæ eius, Ezech.cap.18. & cap.32. Iniquitas calcanei mei absit à me semper, & præcipuè in die vltima vitæ meæ, quia ab iniquitate mea si recessero, non recordabitur Deus iniquitatis meæ, dicto cap.32. Quasi dicat Dauid; conuersio requiritur à vijs pessimis, & vt iniquitas non sit vsque ad finē, Ezech. dicto cap.33.num.11. Conuertimini, conuertimini à vijs vestris pessimis, & quare moriemini? quasi dicat nequaquam moriemini morte scilicet illa æterna. Declarat ergo enigma, quia fides sine operibus mortua sit. Iuncta ergo sint fides, & bona opera, vt inquit Iacob. in sua Epist. Canonic.cap.2. num.17. fides si non habet opera, mortua est in semetipsa. Vide Augustin. de Fide, & operibus cap.14. quàm fallantur, qui fide mortua, sibi vitam perpetuam pollicentur, & vide cap.21.

Cur timebo in die mala? os meum sapientiam loquitur: in corde meo meditor prudentiam. Hic videtur personam prædicantis repræsentare, quasi quia credat, & prædicet, salus illi secura sit, dicens, cur timebo? Habes Dauid quid timeas, si iniquitas calcanei tui circumdabit te. Hæc ad salutem satis minimè sunt. Nàm si in iniquitate perseueraueris, iniquitas calcanei tui circumdabit te, itàvt nec fides, nec cordis meditatio tibi adiutorium futuræ sint. Dæmones etiam credunt, & contremiscunt. Facias ergo, vt sic dicas, vt audias quod dicis. Contempserunt Iudæi in ligno pendentem, & tu peccando contemnis in Cælo sedentem, & audes dicere, cur timebo in die mala? Dum ergo viuimus, ne iniquitas circundet nos, monemur, vt in viam Domini ambulemus, & mala non erit nobis dies nouissima. Dies ideò dicitur, quia omnia nuda, & aperta erunt coram Deo; vnica est dies, quia semper durat lux. Ambulemus per illam viam, de qua ipse dixit, Ioan.cap.14. Ego sum Via, Veritas, & Vita, & non timeamus in die mala, quia dat nobis securitatem, qui factus est nobis via; Augustin. in calcaneo quisque labitur, Genes.3.num.15. Deus dixit serpenti, ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius, in singulis nostrum est hæc mulier, & virtus, Eua enim caro nostra est, quæ seducit virum, idest rationem, per quam carnem labitur homo. Insidiatur Diabolus, & obseruat quando labimur, vt deijciat nos, quid est, inquit Augustin. ipsi obseruamus caput illius, conteramus illud, idest, quia caput est initium malæ suggestionis illius; quando incipit mala suggerere, tunc repelle antequam surgat delectatio, & sequatur consensus, & tunc videbis caput eius, & non apprehendet ille calcaneum tuum, hæc Augustin.

Sequitur Augustin. dicens. Quia ergo, quomodò Adam per Euam Diabolus supplantauit, sic per carnem vult nos supplantare: præceptum est Euæ, vt obseruet caput Diaboli, quia Diabolus calcaneum eius obseruat. Si ergo iniquitas calcanei circumdabit nos, vt quid timemus in die mala, cum conuersi ad

Chri-

Christum habeamus in potestate nostra, vt non faciamus iniquitatem, & non erit quod nos circundet,& gaudemus in die nouissimo; non plangemus? Circundat enim iniquitas calcanei illos; qui confidunt in virtute sua; & in abundantia diuitiarum suarum gloriantur, hæc Augustin.

Non confidamus ergo in virtute nostra, nec in abundantia diuitiarum gloriemur; sed humiles gloriemur in Domino, qui superbis dat damnationem, humilibus verò dat gratiam; disperdit superbos, & exaltat humiles; vt quid in diuitijs; Cur in fratribus,& amicis erit confidentia nostra? Frater non redimit, redimet homo? nàm si frater non redimit, quomodò redimet homo? Christus est frater noster, qui ideò venit, vt te redimeret; redimit verò quos pœnitentes, & iustos reperit; sed si tua iniquitas circundat calcaneum tuum, Christus non redimit, & quis alius redimere poterit? non redimit Christus frater noster, Matth. cap. 28. num. 10. Ioan. cap. 20. num. 17. redimet homo? obserua præcepta, & eris securus in via.

Qui ergo confidunt in virtute sua, & in abundantia diuitiarum suarum gloriantur, nec saluantur. Non ergo virtutes propriæ, non diuitiarum multitudo ad salutem prosunt, ex diuitiarum enim multitudine oritur superbia, & ex virtute propria iactantia, quæ est soror superbiæ. Sed qui sint, qui in virtute sua glorientur, & in diuitijs, declarat Augustin. hic litera L. Illi namque sunt, qui non dant Deo de propitiatione sua, idest placationem, qua flectant Deum pro peccatis, vt infrà num. 7. nec dabit Deo placationem suam. Illi, qui Deo placationem non dant, tamquam generalis peccatorum iniquitas, comprehendit auaros nempè,quorum terrena est confidentia. Quid auaro scelestius? comprehendit etiam & alios iniquos,vt infrà: Auari enim,vt dicit Iacob. in sua Epistola Can. cap. 5. Thesaurizant sibi ipsis iram Dei in nouissimis diebus, hoc est abundanter punientur; vndè Paul. ad Rom. cap. 2. num. 5. volens grauitatem pœnæ ostendere delinquenti, inquit, An diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? secundum duritiam tuam, & impœnitens cor thesaurizas tibi iram in die iræ. Hinc Deut. 32. num. 23. Congregabo, inquit Deus, mala, &c. & num. 34. Nonnè hæc condita sunt apud me, & signata in thesauris meis, & Moyses Exod. 5. Misisti iram indignationis tuæ, Dydim. in Psalm. 6. inquit; Ira affectio est, non mittitur, est enim irascibilis animæ facultas, sed iram vocat miseriarum, ac dolorum in malos inductionem: amant enim vsurarij transitoria, vt perdant æterna, potius post mortem perire mauult animam suam, quàm vitam auro, vel vestibus emere, vt saluet illam. Chrysost. homil. 14. numer. 7. ad Corinth. Auarus ne suis quidem rebus fruitur, quod enim amat, nunquam vellet expendere; sed libentius sectionem pateretur, & carnem suam potius traderet, quàm aurum: Baruch cap. 3. nu. 16. Vbi sunt, inquit, Principes gentium, & qui dominantur super bestias, quæ sunt super terram? qui in auibus Cæli ludunt, qui argentum thesaurizant, & aurum, in quo confidunt homines,& non est finis acquisitionis eorum? exterminati sunt, & ad inferos descenderunt, viam disciplinæ non inuenerunt, & propterea perierunt,& qui non habuerunt sapientiam, interierunt propter insipientiam, ibid. num. 28. Si diues fueris non eris immunis à delicto, & Luc. cap. 12. num. 18. Congregabo, dicebat ille diues, omnia, quæ nata sunt mihi, & bona mea, & dicam animæ meæ: anima habes multa bona posita in annos

pluri-

plurimos, requiesce, comede, & bibe, epulare. Cui dixit Deus: stulte hac nocte animam tuam repetent à te; quæ autem parasti, cuius erunt? & Ecclesi. cap. 14. Qui aceruat ex animo suo iniustè, alijs congregat, & in bonis eius alius luxuriabitur, & Prouerb. cap. 6. num. 33. & 35. Turpitudinem, & ignominiam congregat sibi, & opprobrium eius non delebitur, nec acquiescet cuiusquam precibus, nec suscipiet pro redemptione bona plurima, vndè Psalmista noster num. 8. hìc; Et pretium redemptionis animæ suæ, & laborabit in æternum; & viuet adhuc in finem; sed cum diuite Epulone cruciabitur in æternum: ideò in Prouerb. cap. 11. num. 4. Non proderunt, inquit, diuitiæ in die vltionis; nàm mortuo homine nulla amplius erit spes, ibid. nu. 7. & expectatio solicitorum, idest anxius de rebus mundi peribit.

Qui confidunt in virtute sua, vel quia ex propria virtute credant facere bona, vel quia ex viribus, vel diuitijs in superbiam eleuati, præsentia tantùm considerantes confidunt in illis, in primo casu exemplum apud Luc. cap. 18. de illo, qui se iactabat, non esse sicut ille Publicanus: in superbiam enim eleuatus dicebat, se non esse sicut sunt illi, sicut cæteri hominum, Luc. cap. 18. num. 11. raptores, &c. confidebat de sua sanctitate, quòd bona, quæ fecerat, non Deo, sed suæ virtuti attribuebat. Superbia enim plusquam aliæ passiones vexant hominum mentes, vt dicit Theoph. in Luc. ibid. Superbia est contemptus Dei. Tribuens enim sibi bona, quæ facit, & non Deo, negare videtur Deum. Initium superbiæ hominis apostatare à Deo, Ecclesi. cap. 10. num. 14. Thom. 2. 2. quæst. 162. art. 7. in corpore, ideò dicitur initium omnis peccati, prout de primo homine Adam dicunt Theologi, quia ab illo, qui fecit illum, recessit cor suum. Quod verò sit initium omnis peccati, videtur probare Psalm. 35. Non veniat mihi pes superbiæ, Ambros. Epist. 84. Bernard. Serm. 2. de S. Andrea, vbi ait, Initium omnis peccati, & causa totius perditionis superbia, propterea quisquis es, qui salutem tuam operari studeas, aduersus hanc super caput tuum signum crucis habere memento, vt non eleueris in superbiā, vt non exaltetur cor tuum; Greg. lib. 31. Moral. c. 3. Ipsa, inquit, vitiorum regina superbia, cum deuictum planè cor cœperit, statim illud septem principalioribus vitijs, quasi quibusdam suis ducibus deuastandum tradit, quos duces vniuersus vitiorum exercitus sequitur, &c.

Non ergo in virtute vestra sit confidentia; nàm stultus est, qui confidit in corde suo, Prouerb. cap. 28. nu. 26. Non de amicis, quia si frater non redimit, redimet homo? vt hìc; non in diuitijs; sed in illo præsumas, qui propter te mortuus est, vt tu in sempiternum non moriaris; qui propter te humiliatus est, vt tu exalteris; qui quæsiuit impium, dicit Augustinus, vt à fideli quæreretur. Diues ergo es, & te talem fecit Deus, vt quod tibi superfuerit, pauperibus largiaris; facite, dicit Iesus, Luc. d. cap. 18. vobis amicos de mammona iniquitatis, vt & ipsi vos recipiant in tabernacula æterna: illi enim sunt, qui dant redemptionem animæ tuæ; in Domino ergo confide, & non commoueberis in æternum, Psalm. 124. num. 1.

Frater non redimit, redimet homo? non dabit Deo placationem suam, quis redimere peccatorem poterit? nullus certè, nisi Christi sanguis; bibas de illo sanguine, & pretium iustum dabis redemptionis tuæ. Sanguis eius super te in vltionem caue ne sit, sed ad peccatorum tuorum deletionem, ad emundationem

scelerum tuorum. Vt autem tibi sit talis, tibi prosit, habeas in *Iesu Christo* fidem, opera, & præcepta eius obserua; & saluus eris, & redimet homo Christus; Non frater; non amicus, non diuitiæ, non potentiæ cuiusq. magnitudo, non dabis iustum pretium, vt redemptionem merearis à Deo. Non dabis Deo placationem suam, è Cælo ille enim descendit factus homo, factus humilis in terra, & tu sic de terra vilis creatura vis placationem tuam dare Deo Redemptori in superbia? in diuitijs? Non eget diuitijs, qui dedit tibi illas, & alijs affluenter, & fieri voluit pauper, & humilis, vt tu humilis factus exalteris in Cælis; sequere Magistrum tuum, & cum eo exaltaberis in Cælum; & tunc dabis placationem tuam Deo, qui te redemit, humilis, & nudus in Cruce.

Et pretium redemptionis nō dabit,& laborabit in æternum; & viuet adhùc in finem. Coniungitur iste vers. cum superiori; Frater non redimit,&c.non dabit Deo placationem suam, idest non placabit illum, qui taliter confidit, nec pretiū redemptionis animæ suæ est; quia in alio, præterquàm in Deo confidit; & opera concomitantia non sunt ad redemptionem animæ suæ; Pretium redemptionis quale sit, docet Dominus, Luc. 12. num. 33. Facite vobis, dicens diuitibus; sacculos, qui non veterascunt, Thesaurum non deficientem in Cælis, vbi fures non furantur, Matth. cap. 6. num. 20. Luc. cap. 12. num. 33. & Luc. cap. 11. nu. 40. Stulti quod superest, date eleemosynam; & ecce omnia munda sunt vobis. Dat Deus de Cælo diuitias diuiti. Non potest enim homo accipere quidquam, nisi fuerit ei datum de Cælo, Ioan. cap. 3 nu. 27. Si ergo diuitias habes de Cælo, fructus diuitiarum reuertatur in Cælum, & pretium erit animæ tuæ, vt tu cum illis factus sis de Cælo, date ergo eleemosynam, Luc. vt supra, non sperantes in incerto diuitiarum, sed in Deo viuo, qui præstat nobis abundanter ad fruendum. Benè agite; studete diuites fieri in bonis operibus, facilè tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, vt apprehendatis vitam æternam, hæc Paul. ad Timoth. 1. cap. 6. num. 17. cum sequen.

Laborabit verò in æternum, cuius spes est in homine, in diuitijs, & adhùc viuet in finem: non enim iuuabitur illi, quia diuitiæ iàm in alium transierunt. De Epulone sit exemplum, qui in æternum cruciabitur, & adhuc viuet in finem, vbi non est vnquam finis pœnarum, in inferno, vbi nulla est redemptio. Non dabit Deo de propitiatione sua, & pretium redemptionis animæ suæ, laborabit in finem; ille mendicus Lazarus, qui de micis, quæ cadebant de mensa illius Epulonis, satiari desiderabat, totus vlceribus plenus erat, nunc verò viuit in æternum: diues verò vixit in finem, & laborabit in æternum. Augustin. Lazari labor fructus est, & illius vita finita est: labor verò diuitis istius in æternum. Vita illius in æternum; non hìc habemus vitam, qui fortè hìc laboramus in terra, & non sic erimus posteà; nàm vita nostra erit Christus in æternum; illi autem, qui hìc volunt habere vitam, laborabunt in æternum, & viuent in finem, hæc Augustin. Et quid prodest possessori, nisi quod cernat diuitias oculis suis, Eccles. cap. 5. num. 10.

Et ideò non videbit interitum, cum viderit sapientes morientes, simul insipiens & stultus peribunt, ratio est, quia non cogitat de morte is, cuius spes est in homine, in fortitudine sua, & pecunia. Sapientes morientes mori videt; neque considerat, differentem esse interitum. Stultus, & insipiens simul peribunt; & omnes diuitias suas relinquunt, quorum domus in æternum est

sepul-

sepulchrum, Eccles. 12. num. 5. quoniam, inquit, ibit homo in domum æternitatis suæ. Sepulchrum patens est domus eorum, in hoc eodem Psalm. nu. 12. & Psalm. 87. num. 6. Sicut vulnerati dormientes in sepulchris, quorum non es memor amplius: sapiens verò moritur, sed vt viuat in æternum.

Non videbit interitum cum viderit sapientes morientes, vnus est etiam introitus ad vitam, & similis exitus, Sap. 7. num. 7. Quid tum? ò stulte, qui diuitias ignoras, O insipiens; qui terrena non ità sapis, vt benè disponas, vt tibi bona in Cælo fiant æterna. Mortuum corpus, ergo mortua anima? & non sit reuersio finis nostri? Sap. 2. numer. 5. An ignoras Sacramenta Dei, nec iustitiæ speras mercedem: Vides, inquit Augustin. sapientem, & insipientem mori, & non vides, quæ sit vtriusque mors: si tu teipsum videres, & non sapientem morientem videres; moritur sapiens, vt reuiuiscat in æternum: morieris tu stulte, & inique, vt moriaris in perpetuum: vt tamen semper crucieris in inferno. Visus est Iudæis insipientibus Iesus Christus cruci affixus mori, sicut & Gentilibus Martyres occidendo: Christus resurrexit iudicaturus illos; & Martyres ecce quia sunt in pace, & ipsi etiam iudicabunt nationes, & dominabuntur populis, Sap. d. c. 3. n. 8. & inter filios Dei reputati sunt; ipsi verò iniqui nati continuò desierunt esse, & in malignitate sua consumpti, Sap. c. 5. n. 13. cum seq.

Tu intellige, qui insipiens es, in quo sis malo, si mortem insipientis imiteris. Audi imprudens, qui tibi non prospicis in futurum: & cum imprudenti non sepeliaris in inferno. Frumentum, quod in loco humido habes: diuitias, quas hic colligis, vt in terram conserues, ponas in altum, ne terræ humiditas illas corrumpat: da illas, quæ tibi supersunt, pauperibus, nàm in horreo Christi illas repones, illas seruabis, vt seruans terram, accipias Cælum: seruans mortalia, accipias æterna. Fænerare Christo, accipit in terra parua, vt reddat tibi in Cælo multa: sic dabis Deo placationem tuam, Matth. 19. nu. 21. da pauperibus, & habebis thesaurum in Cælo.

Et relinquent alienis diuitias suas, & sepulchra eorum domus illorum in perpetuum. Infert ergo, qui spem habet in vita præsenti, dicens sapientes, & omnes moriuntur, diuites etiam morientes alienis diuitias suas relinquunt. Sed cum iustorum idem sit exitus, & pauperum, atque peccatorum, in aliosq. facultates transeant, quare ergo bonis non fruamur, & delitijs non vtamur? dicto c. 2. Sap. Alieni enim dicuntur filij, & fratres, quorum auxilium nihil valet, & si diuitię ipsis relinquantur. Sed an ignoras, quia bona pręcedunt iustos, non subsequuntur tantum, pauperibus adiutrices porrexerunt manus in vita. Ideò de B. Laurentio legitur, dixisse ei, qui thesaurum petebat ab illo, facultates Ecclesiæ, quas requiris, in cælestes thesauros manus Pauperum deportauerunt, quorum pauperum Pater, & Frater est Christus, quod vni ex minimis fecistis, mihi fecistis, dixit Iesus, Matth. 25. num. 40. Alienis, quod supererat, reliquerunt, non tamen ab alimentis pauperum in vita illorum destiterunt; ex debito enim iuris naturæ etiam alienos filios scilicet, & fratres, & propinquos, quo regantur, bona, & alimenta relinquere tenemur: non tamen necessitatibus pauperum deesse possumus; præceptum enim Dei est. Augustin. hìc lit. C. Tu ergo intellige, in quo malo sis modò, & prospice, vt in bonis sis in posterum: intelligendo in quo malo sis, non eris insipiens prospiciendo tibi in futurum; non eris imprudens.

Quæ-

scelerum tuorum. Vt autem tibi sit talis, tibi prosit, habeas in Iesu Christo fidem, opera, & præcepta eius obserua; & saluus erit, & redimet homo Christus; Non frater, non amicus, non diuitiæ, non potentiæ cuiusq; magnitudo, non dabis iustum pretium, vt redemptionem merearis à Deo. Non dabis Deo placationem suam, è Cælo ille enim descendit factus homo, factus humilis in terra, & tu sic de terra vilis creatura vis placationem tuam dare Deo Redemptori in superbia? in diuitijs? Non eget diuitijs, qui dedit tibi illas, & alijs affluenter, & fieri voluit pauper, & humilis, vt tu humilis factus exalteris in Cælis; sequere Magistrum tuum, & cum eo exaltaberis in Cælum; & tunc dabis placationem tuam Deo, qui te redemit, humilis, & nudus in Cruce.

Et pretium redemptionis nõ dabit, & laborabit in æternum; & viuet adhuc in finem. Coniungitur iste vers. cum superiori; Frater non redimit, &c. non dabit Deo placationem suam, idest non placabit illum, qui taliter confidit, nec pretiũ redemptionis animæ suæ est; quia in alio, præterquàm in Deo confidit; & opera concomitantia non sunt ad redemptionem animæ suæ; Pretium redemptionis quale sit, docet Dominus, Luc. 12. num. 33. Facite vobis, dicens diuitibus; sacculos, qui non veterascunt, Thesaurum non deficientem in Cælis, vbi fures non furantur, Matth. cap. 6. num. 20. Luc. cap. 12. num. 33. & Luc. cap. 11. nu. 40. Stulti quod superest, date eleemosynam; & ecce omnia munda sunt vobis. Dat Deus de Cælo diuitias diuiti. Non potest enim homo accipere quidquam, nisi fuerit ei datum de Cælo, Ioan. cap. 3. nu. 27. Si ergo diuitias habes de Cælo, fructus diuitiarum reuertatur in Cælum, & pretium erit animæ tuæ, vt tu cum illis factus sis de Cælo, date ergo eleemosynam, Luc. vt supra, non sperantes in incerto diuitiarum, sed in Deo viuo, qui præstat nobis abundanter ad fruendum. Benè agite; studete diuites fieri in bonis operibus, facilè tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, vt apprehendatis vitam æternam, hæc Paul. ad Timoth. 1. cap. 6. num. 17. cum sequen.

Laborabit verò in æternum, cuius spes est in homine, in diuitijs, & adhùc viuet in finem: non enim iuuabitur illi, quia diuitiæ iàm in alium transierunt. De Epulone sit exemplum, qui in æternum cruciabitur, & adhuc viuet in finem, vbi non est vnquam finis pœnarum, in inferno, vbi nulla est redemptio. Non dabit Deo de propitiatione sua, & pretium redemptionis animæ suæ, laborabit in finem; ille mendicus Lazarus, qui de micis, quæ cadebant de mensa illius Epulonis, satiari desiderabat, totus vlceribus plenus erat, nunc verò viuit in æternum: diues verò vixit in finem, & laborabit in æternum. Augustin. Lazari labor fructus est, & illius vita finita est: labor verò diuitis istius in æternum; Vita illius in æternum; non hìc habemus vitam, qui fortè hìc laboramus in terra, & non sic erimus posteà, nàm vita nostra erit Christus in æternum; illi autem, qui hìc volunt habere vitam, laborabunt in æternum, & viuent in finem, hæc Augustin. Et quid prodest possessori, nisi quod cernat diuitias oculis suis, Eccles. cap. 5. num. 10.

Et ideò non videbit interitum, cum viderit sapientes morientes, simul insipiens & stultus peribunt, ratio est, quia non cogitat de morte is, cuius spes est in homine; in fortitudine sua, & pecunia. Sapientes morientes mori videt; neque considerat, differentiam esse interitum. Stultus, & insipiens simul peribunt; & omnes diuitias suas relinquunt; quorum domus in æternum est

sepul-

sepulchrum, Ecclesf.12.num.5. quoniam, inquit, ibit homo in domum æternitatis suæ... Sepulchrum patens est domus eorum, in hoc eodem Psalm.nu.12. & Psalm.87.num.6. Sicut vulnerati dormientes in sepulchris, quorum non es memor amplius: sapiens verò moritur, sed vt viuat in æternum.

Non videbit interitum cum viderit sapientes morientes, vnus est etiam introitus ad vitam, & similis exitus, Sap.7.num.7. Quid tum? ò stulte, qui diuitias ignoras, O insipiens, qui terrena non ità sapis, vt benè disponas, vt tibi bona in Cælo fiant æterna. Mortuum corpus, ergo mortua anima? & non sit reuersio finis nostri? Sap.2.numer.5. An ignoras Sacramenta Dei, nec iustitiæ speras mercedem: Vides, inquit Augustin. sapientem, & insipientem mori, & non vides, quæ sit vtriusque mors; si tu teipsum videres, & non sapientem morientem videres; moritur sapiens, vt reuiuiscat in æternum: morieris tu stulte, & inique, vt moriaris in perpetuum, vt tamen semper crucieris in inferno. Visus est Iudæis insipientibus Iesus Christus cruci affixus mori, sicut & Gentilibus Martyres occidendo: Christus resurrexit iudicaturus illos; & Martyres ecce quia sunt in pace, & ipsi etiam iudicabunt nationes, & dominabuntur populis, Sap.d.c.3.n.8. & inter filios Dei reputati sunt; ipsi verò iniqui nati continuò desierunt esse, & in malignitate sua consumpti, Sap.c.5.n.13. cum seq.

Tu intellige, qui insipiens es, in quo sis malo, si mortem insipientis imiteris. Audi imprudens, qui tibi non prospicis in futurum: & cum imprudenti non sepeliaris in inferno. Frumentum, quod in loco humido habes: diuitias, quas hic colligis, vt in terram conserues, ponas in altum, ne terræ humiditas illas corrumpat: da illas, quæ tibi supersunt, pauperibus, nàm in horreo Christi illas repones, illas seruabis, vt seruans terram, accipias Cælum: seruans mortalia, accipias æterna. Fænerare Christo, accipit in terra parua, vt reddat tibi in Cælo multa: sic dabis Deo placationem tuam, Matth.19.nu.21. da pauperibus, & habebis thesaurum in Cælo.

Et relinquent alienis diuitias suas, & sepulchra eorum domus illorum in perpetuum. Infert ergo, qui spem habet in vita præsenti, dicens sapientes, & omnes moriuntur, diuites etiam morientes alienis diuitias suas relinquunt. Sed cum iustorum idem sit exitus, & pauperum, atque peccatorum, in aliosq. facultates transeant, quare ergo bonis non fruamur, & delitijs non vtamur? dicto c.2.Sap. Alieni enim dicuntur filij, & fratres, quorum auxilium nihil valet, & si diuitię ipsis relinquantur. Sed an ignoras, quia bona pręcedunt iustos, non subsequuntur tantum, pauperibus adiutrices porrexerunt manus in vita. Ideò de B. Laurentio legitur, dixisse ei, qui thesaurum petebat ab illo, facultates Ecclesiæ, quas requiris, in cælestes thesauros manus Pauperum deportauerunt, quorum pauperum Pater, & Frater est Christus, quod vni ex minimis fecistis, mihi fecistis, dixit Iesus, Matth.25.num.40. Alienis, quod supererat, reliquerunt, non tamen ab alimentis pauperum in vita illorum destiterunt; ex debito enim iuris naturæ etiam alienos filios scilicet, & fratres, & propinquos, quo regantur, bona, & alimenta relinquere tenemur: non tamen necessitatibus pauperum deesse possumus: præceptum enim Dei est. Augustin. hìc lit. C. Tu ergo intellige, in quo malo sis modò, & prospice, vt in bonis sis in posterum: intelligendo in quo malo sis, non eris insipiens prospiciendo tibi in futurum: non eris imprudens.

Quæ-

Quærit Augustin. quis est ille, qui prospicit? Luc. 16. num. 2. seruus ille, cui Dominus dedit, quod erogaret, & posteà dixit ei, &c. Redde rationem villicationis tuæ. Scio quid faciam, inquit seruus, vt cum amotus fuero à villicatione, recipiant me in domos suas. Et conuocatis debitoribus Domini, dicebat primo quantum debes; centum cades olei, scribe, inquit, quinquaginta, &c. & laudauit Dominus villicum iniquitatis. Tu similiter, dicit Augustinus, noli timere, ne fraudem facias. Ipse Dominus hortatur, vt facias; fac tibi amicos de mammona iniquitatis, fortasse ea, quæ acquisisti, de iniquitate acquisisti; aut fortasse ea ipsa est iniquitas, quia tu habes, & alter non habet, tu abundas, & alter eget. De ista mammona iniquitatis, de diuitijs istis, quas iniqui vocant diuitias, fac tibi amicos, & prudens eris, compares tibi; non fraudaris; modò enim videris perdere: nunquid perdes in Thesauro Christi ponens? Esto ergo prudens; recondas in æstate, ne esurias in hyeme. Sit tibi exemplum de formica. Hyems dies est nouissimus, dies tribulationis, hyems est dies scandalorum, & tribulationis, & amaritudinis. Collige quod ibi tibi sit in posterum, si autem non facis, simul imprudens, & insipiens eris, & peribis, Gregor. in Moral. 18. cap. 9. super illo verbo Iob 27. Diues cum dormierit, nihil secum affert, cui concordat Psalm. 75. num. 6. Dormierunt somnum suum: & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis. Vt autem in sua manu diuites post mortem suam suas diuitias inueniant, eis ante mortem dicitur, in quorum manibus diuitias suas ponant. Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. Res enim suas cum morietur, secum tolleret, si ad petentis vocem, cum viueret, sibi tribuisset; nàm terrena omnia, quæ seruando amittimus, largiendo seruamus. Patrimonium retentum perditur, sed manet erogatum: diù enim cum rebus nostris durare non possumus, quia aut nos illas amittendo deserimus, aut illæ nos viuentes quasi deserunt pereundo. Vis scire auri virtutes, lege Augustin. de Verbo Apost. Serm. 28. per totum. Aurum quod ærumna perquirit, auaritia cupit, solicitudo custodit, aurum materia laborum, periculosa res possidentium, eneruatio virtutum, aurum malus Dominus, proditor seruus; Aurum nemo tutum habet, nisi qui semper abscondit, in perniciem Domini fulget, per tenebras quæritur, per tenebras custoditur. Aurum inquit, sitio, damnatos habet, cuius amor Iudam facit; & Eccles. cap. 8. num. 3. multos perdidit aurum & argentum, & vsque ad cor Regis extenditur, & conuertitur.

Et relinquunt alienis diuitias suas, ergo relinquendo suis bonum erit; relinquere filijs, & fratribus suis non est malum, si inter tuos etiam computes Christum. Sunt duo tibi filij: Tertius sit Christus filius Dei viui, idest pauper, cap. Si quis irascitur, 13. quæst. 2. Augustin. Serm. 2. de vita Cleric. Sed planè inquit, sic facias sæpè quod hortatus sum, qui vnum filium habet, putet Christum alterum, si duos habet, putet Christum tertium, si decem habet, vndecimum Christum faciat, & suscipio hoc idem hìc ex Psal. nostro 48. lit. E. Beatus ergo dicitur qui modo supradicto reliquit. Sed difficultas est, vt qui sint sui, & qui alieni sciamus.

Augustinus hìc litera F. Ego, inquit, discutio sensum iustum, quia inclino in parabolam aurem meam, & non video, sic frustrà loqui Scripturam; Video

enim multos iniquos mori, quibus successores sunt filij: nec potuit sic loqui scriptura, vt separet eos à miseria, quorum vitam improbat. Et quid putatis intelligi fratres, nisi quia omnes alienis relinquunt diuitias suas? iniquorum filij alieni sunt, propinquus est, qui prodest, vt de Samaritano legitur, Luc.d.c.10.n.33. Sacerdos, & Leuita transeuntes omiserunt vulneratum, Samaritanus vulnera curauit vulnerati, & quis illorum proximus illi, qui incidit in latrones, & vulneratus est? qui fecit misericordiam in illum, ille proximus est, sint ergo tibi filij, sint fratres, & amici, si tibi prodesse non possunt, tibi alieni sunt, non sunt tibi proximi; ergo alienis diuitias suas relinquunt, quamuis sint filij, quia illis prodesse non possunt. Sed quid alieni, si in aliquo testatoribus prodesse possent, quibus alienis diuitias relinquunt? In sepulchrorum ornamentis ipsis prodesse posse cogitant; eò quia sit domus illorum in perpetuum. Sed si ibi maneret, non arderet in inferno, quomodò superbus Epulo dicebat Abrahæ: Mitte Lazarum, qui intingat digitum in aquam, vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma, Luc. d.cap.16. num.24. vbi ponitur spiritus illius malè agentis, non vbi ponatur corpus mortuum cogitandum; domus enim illa sepulchrum eius in æternum. Dices quia tabernacula eorum remanent pro generationibus & generationibus, pro filijs scilicet & nepotibus, in æternum vocauerunt nomina sua in terris suis, remanent sepulchra pro filijs, si fuerint eiusdem, sicut iniquus pater, vel testator malæ cõditionis. Inebriantur descendentes in die commemorationis defuncti; nec gutta quidem cadit super lingua ipsius in igne ardentis; nõ enim secum portauit ipse mortuus; propterea, nec gutta aquę hæredum ad illius os peruenit, quę illis ex ebrietate supererat, aqua nec etiam quę ex manuum lotione superfuerat, possint linguam etiam cum gutta illius refrigerare, August. ventri suo seruiunt homines, non spiritibus suorum. Si ergo nec iuuat mortuos, quæ etiam pereunt bona, relicta alienis; quare dum viuimus, res, quæ aliàs peritur ę sunt, erogando in non pereuntem transire non faciemus mercedẽ?

Alienis enim Iusti diuitias non dimittunt; sicut peccatores, vt nomina eorum vocentur in terris suis; nàm Tabernacula vt construantur, vel constructa relinquunt, in progenie, & progenie, vt vocentur nomina sua in terris. Quis tale tabernaculum construxit, tale sepulchrum cuius est: lege quia nomina illorum, cuius sunt, scripta reperies; in terris suis nominantur illi, non in alienis. Simile habemus in Scriptura de Absalon. 2.Reg.18.nu.18. Porro Absalon erexerat sibi, cum adhuc viueret titulum, qui est in valle Regis: dixerat enim non habeo filium, & hoc erit monumentum nominis mei, vocauitq. titulum nomine suo, & appellatur Manus Absalon. Sed qui terrena cogitatione huic sæculo conformis erat proiectus in saltu in foueam grandem super eum comportauerunt aceruum lapidum nimis. Ità erit impijs, qui sicut puluis, quem proijcit ventus à facie terræ, rapiuntur, Eccles.c.10.n.12. cum enim morietur homo hęreditabit serpentes, & bestias, & vermes. Alij verò Ciuitatem Cælum tangentem, siuè turrim erexere, vt celebre nomen illorum, & fama duraret; at cecidit memoria cum sonitu; diuisæ enim sunt linguæ eorum, dispersi sunt, &c. Genes. nu.1.c.10. Vitæ suæ famam procurabant temporalem, & amiserunt vitam æternã. Contrà istos titulares (vt ità vocem illos) in terra, cum ipsa finem celerius vita percurrat, in ea fixa stabit, quando & ipsa celeriter, mobilis pertransit: Greg. libr.11. Moral. c.17. Quid enim tibi proderunt diuitiæ exteriores, si te interior præmit egestas,

August. in Psalm. 52. litera C. Iusti autem in perpetuum viuent, & apud Dominum est merces eorum, Sap. 5. n. 16. Psal. 11. nu. 7. in memoria æterna erit iustus, hic August. Quid faciunt parentes post mortem istius titularis in sepulchro? solum inquit, inuocabunt nomina eorũ in terris ipsorum, propterea sequitur Psal.

Et homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Quomodò, inquit, insultatum est hominibus, qui non intellexerunt, quid facerent de diuitijs, cum viuerent, & putarunt se beatos futuros, si haberent memoriam marmoratam, quasi æternam domum; & si sui, quibus reliquissent substantiam suam, inuocarent nomina eorum in terris ipsorum. Debuerunt enim sibi parare domum æternam in bonis operibus; præparare sibi vitam immortalem; mittere ante se sumptus; sequi opera sua, attendere comitem egentem, dare ei, cum quo ambulabant, non contemnere Christum ante ianuam leprosum: qui dixit, quod vni ex minimis fecistis, mihi fecistis, Matth. 25. Quia ergo non intellexit comparatus est iumentis insipientibus; Sed quærit, quomodò iumentis insipientibus comparatus sit? nàm Genes. 1. hominem Deus fecit ad imaginem, & similitudinem suam; non tamen sic Deus fecit hominem, quomodò fecit iumentum: sed fecit hominem, cui seruirent iumenta. Nunquid eius viribus, & non intellectui? si ergo homo ille non intellexit, qui tamen factus est ad imaginem, & similitudinem Dei; comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis, propterea Psalm. 31. Nolite, inquit, fieri, sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus, hæc Augustin. Intellectu enim præest homo iumentis, non viribus. Si ergo amissa ratione, lapides sibi credat in memoria æterna, substantiam suam non dat egentibus, sicut præcepit Deus, qui ideò inter pauperes connumerari voluit, vt centuplum accepturos in Cælo sciremus; nonnè sine ratione facit; nonnè in insipientia retinet, vt amittat æterna? Comparatur iumentis insipientibus, sapiens enim præcepta custodit, & suscipit; Prouerb. 10. num. 8. Rogemus ergo Deum, vt nobis donet scire quid agamus, & quod scimus agere: August. lib. 1. de Gratia Christi c. 13. Vt sua valeamus implere præcepta: vt dignitatem nostram cognoscamus in sapientia, cũ ad imaginem illius facti simus, & ad ęternam ordinati beatitudinem, quatenus tamen sensui præualeat ratio, nàm aliàs iumentis insipientibus comparabimur; eò quod superior est homo iumento in anima rationali, ac ratione, Greg. 24. Moral. ad huius Psalmi nostri intellectũ: Scriptura, inquit, sacra aliquando homines dicere solet humana sapientes, sicut 1. Corinth. 3. Cum enim sit inter vos zelus & contentio, nonnè carnales estis? nonnè homines estis? Nonnunquam verò homines dicit eos, quos à ratione distinguit, idest illos, quos non subijci passionis motibus demonstrat, de quibus Exech. 34. num. 31. Vos autem greges mei homines estis: quia illos nimirum Deus pascit, quos voluptas carnis iumentorum more non afficit. At contrà ij, qui carnali affectioni succumbunt, non iàm homines, sed iumenta nominantur, de quibus in peccato suo morientibus per Prophetam dicitur, Ioel. 1. n. 7. Computruerunt iumenta in stercore suo: Computrescere, est carnales homines in fœtore luxuriæ vitam finire; carnes enim Asinorum, carnes eorum, & fluxus equorum, fluxus eorum, Exech. 23. n. 20. Vndè & per Dauid dicitur: Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipiẽtibus, & similis factus est illis. Sic ergo meritò vocantur homines, qui iustitiæ ratione suffulti sunt, sic &

irrationabilia animalia vocantur ij, qui carnali delectationi deseruiũt, hæc Greg.

D. verò Bernard. istum textum sic deducit. Homo, cum in honore esset: Heu quomodò de grege factus est egregia creatura. Puto dicerent iumenta, si possent loqui; ecce Adam factus est, sicut vnus ex nobis. Cum in honore esset, inquit in honore? Certè quia habitans in Paradiso in loco voluptatis; conuersatio eius nihil molestiæ, nihil indigentiæ sentiebat, odoriferis stipatus malis, fultus floribus, gloria, & honore coronatus, & constitutus super opera manuum plasmatoris: magis tamen ob insigne diuinæ similitudinis, & imaginis præcellebat. Erat illi societas cum Angelis, & cum omni militia cælestis Exercitus. Sed mutauit istam gloriam in similitudinem vituli comedentis fœnum. Inde est, quòd panis Angelorum factus est fœnum peccatorum. Ergo cibum hominis mutauit, sed in cibum peccatorum. Heu tristis, & lacrymosa mutatio, vt homo Paradisi Accola, terræ Dominus, Cæli ciuis, domesticus Domini Sabaoth, ac spirituum Cælestium, & cohæres virtutum repentina se conuersione inuenerit propter infirmitatem iacentem in stabulo: propter pecorinam similitudinem indigentem fœno: & propter indomitam feritatē alligatum Præsepio. Agnosce tamen ò Bos possessorem tuum, & tu Asine præsepe Domini tui. Cognosce pecus, quem non cognouisti homo: adora in stabulo: quem fugiebas in Paradiso. Adora eius præsepe, cuius contempsisti imperium. Sed quæ est causa tantæ deiectionis? hæc est; quia cum homo in honore esset non intellexit, hæc Bernard.

Hæc via illorum, scandalum ipsis, & posteà in ore suo complacebunt. Via illorum, qui talia agebant, videbatur eis non placere. Sed aliud erat in ore; nàm & ipsis complacuerat etiam in via illa nequitiæ ambulare. Hìc quærendum videtur, cum quibus, & quos ipse Propheta alloqueretur, & quibus prædicabat: Audite hæc dicebat omnes Gentes; Populo ergo primò verba illius dirigebantur. Secundò verò cuique terrigenæ, simul diuiti, & pauperi. Erant ergo omnes in via mala ambulantes. Videamus nos quid Deus per Ierem. dicat c. 5. in prin. & n. 5. Circuite vias Ierusalem, & aspicite, & considerate, & quærite in platea eius, an inueniatis virum facientem iudicium, &c. Percussisti eos, & non doluerunt, attriuisti eos, & renuerunt accipere disciplinam; indurauerunt facies suas supra petram, &c. & n. 5. Ego autem dixi, forsan pauperes sunt, & stulti ignorantes viã Domini, iudicium Dei sui. Ibo igitur ad optimates, & loquar eis: ipsi enim cognouerunt viam Domini, iudicium Dei sui. Et ecce hi magis simul confregerũt iugum, ruperunt vincula, &c. Hæc via illorum scilicet pauperum, & stultorum scandalum ipsis magnatibus videbatur. Sed posteà in ore suo complacebant, Matth. 15. n. 5. Munus quodcunque est ex me, tibi proderit, & non honorabit Patrem suum, & matrem suam, &c. Irritum facientes mandatum Dei propter traditionem vestram, & similia his faciunt, Marc. 7. n. 10. & 13. Illi enim Regnum Cælorum non intrant, nec alios intrare sinunt, Matth. 23. nu. 13. Sepulchris dealbatis similes fiunt, quæ à foris hominibus parent speciosa, intus verò plena sunt ossibus mortuorum. Decimant enim mentham, & anethum, & cyminum, & relinquunt quæ grauiora sunt legis iudicium, & misericordiam, & fidem. Hæc via illorum scandalũ: & dolor non securitas, quia de suis actibus torquentur, ipsis ergo, non tibi dicit August. vt tales putes esse beatos. Vndè D. Hieron. in Comment. Abac. c. 3. pro iniquitate vidi tentoria Æthiopiæ, nu. 7. turbabuntur

pelles terræ Madian. Æthiopes nigri Dæmones sunt, animas seductorum nigredine peccatorum, & vitiorum caligine offuscantes, vndè Psal.73. Dedisti eum escam populis Æthiopum. Horum tentoria, & tabernacula sunt mali; qui de diuitijs, & de honoribus laborant. Sicut boni æterna quærentes, sunt Templum Spiritus sancti. Pelles terræ sunt, qui terrena amant; non dant terrena pro æternis. Iob 2. Pellem pro pelle, & omnia, quæ habet homo dabit pro anima sua; scilicet bona terrena, & mortalia, pellem deformem pro pelle gloriosa. Turbabuntur ergo pelles terræ pro iniquitate sua Madian: turbabuntur ex iudicio, cuius metu & nunc, & in futuro cruciabuntur.

Complacebunt ore suo, alios secum trahentes in infernum. Talis ergo est illorum vita, scilicet scandalum ipsis in ruinam scilicet eorum cedens, & alios vti Hypocritæ trahentes sibi complacent. Occultus malus, infidelis secretus. Nomen Christi in ore, in corde verò alienum est ab istis: labijs honorant, cor autem eorum longè à me, Matth. d.cap.15.

Hæc via illorum scandalum ipsis, ruina illorum simul, & stultitia. Et ideò tamquam insipientes, sicut oues positi sunt in inferno, mors depascet eos. Quia in sceleribus suis sibi ipsis placuerunt, & gloriabantur in infirmitatibus suis. Propterea mors erit pascua eorum, quia lassati sunt in via iniquitatis, & perditionis; quocircà in illorum malignitate consumpti sunt, Sap.d.cap.5.num.13. vt semper consumpti numquam cõsummantur: semper mortui, & ecce quia in tormentis mortis semper positi cruciantur. Infidelium enim mors est Diabolus, Sap.d.cap.2. in fine; Inuidia Diaboli mors introiuit in mundum, in Orbem terræ; imitantur autem illum, qui sunt ex parte eius.

Mors, inquit Augustin. hic Concione 2. quam timent homines, est separatio animæ à corpore. Mors autem verè, quam non timent, neque considerant homines, est separatio animæ à Deo. Hæc mors, quæ animam separat à Deo: separauit terrena sapientes, de quibus dicitur, & mors depascit illos. Quia cum vita sit Christus, & mors Diabolus, separati à Christo, pastorem habent Diabolum. Licet enim Diabolus non sit mors, dicitur tamen mors, quatenus per eum est mors. Nos autem pastorem alium non habeamus, nisi Christum, qui verè est vita fidelium, ex Augustin. hic in 2. Serm. litera C.

Si ergo in inferno sunt oues, quibus pastor est mors: in Cælo sint oues, quibus pastor vita: si in Cælo per fidem sumus: sursum corda. Nostra autem conuersatio in Cælis est, dicit Apost. ad Philipp.3. Corpore ambulamus in terra, corde habitamus in Cælo: habitamus autem ibi, si aliquid mittimus, quod ibi nos teneat. Nemo enim inhabitat corde, nisi vndè cogitat, vndè autem cogitat, vbi thesaurizat; thesaurizat in terra, cor eius à terra non recedit; thesaurizat in Cælo, cor ipsius de Cælo non descendit, hæc Augustin. Domino dicente; vbi est thesaurus tuus, ibi est cor tuum: Matth.6. Da ergo temporalia, accipies æterna; da terram, accipies Cælum: da modicum, & accipies multa: idoneum habes fideiussorem Deum, qui reddet tibi pro paupere, August. in Psal.36. lit. F.

Et dominabuntur eorum iusti in matutino, & auxilium eorum veterascet in inferno: Clarus satis versiculus iste apparet. Iustos iniqui in hac nocte huius vitæ in derisum habent, & in similitudinem improperij, & vitam illorum æstimant insaniam, & finem sine honore, & ecce venit mane; ipsi iniqui descedentes in tenebras, quos iàm insanos reputabant, vident eleuatos in Cælum inter filios

Dei,

Dei, & sortem illorum esse inter Sanctos in perpetuum viuere, & apud Dominum mercedem illorum, Sap. dicto cap. 5. per totum: & cap. 3. Transierunt citò illi tamquam vmbra, per quam illorum videbatur splendescere felicitas, & vita; venit æstas, & herba, quæ in hyeme apparebat vigere, sicca in æstate remansit, & arida: secus est in arbore, nàm quamuis in hyeme sicci videantur rami eius, radix tamen quia viridis in æstate, arbor eius fructus, & folia profert, herba verò sicca remansit, & arida. Radix iustorum charitas est: sursum iuxtà Apostolum posita est; quia in hac vita, in hac terra, vti mortui ambulamus, vt in vita æterna sit pastor noster Iesus. Vt suprà viuentes (dicit Augustin.) infrà mortui simus, non vt suprà mortui infrà viuamus. Quæ sursum sunt, quæramus: inquit Apostol. ad Colossens. cap. 3. in princ. non quæ super terram: Mortui enim estis, & vita vestra est abscondita cum Christo in Deo. In matutino, in æstate tunc iusti eorum dominabuntur, vt dicit Apost. dicto cap. 3. nu. 4. Cum Christus apparuerit vita vestra, & vos apparebitis cum ipso in gloria. Iudicantes duodecim tribus Israel, Matth. cap. 19. numer. 28. Tunc erit mane, cum Christus apparuerit gloria vestra. Dicant in hac nocte, in hac vita noctis quicquid velint, permaneant, si velint, in erroribus suis: nos verò, & si nox sit, operemur bonum; vt, mane facto, coram Deo illud luceat, quod fecimus bonum, vt centuplum accipiamus, Psalm. 76. numer. 2. In die tribulationis meæ Deum exquisiui, manibus meis nocte contrà eum, & non sum deceptus: S. Augustin. legit, coram eo, & non sum deceptus. Apparebit, inquit ipse, labor noster mane, & erit fructus mane, vt illi, qui modò laborant, dominentur, & illi qui se modò iactant, & superbiunt, posteà subijciantur.

Sicut oues in inferno positi sunt; mors depascet eos. Gregatim enim descendent, quia multi sunt vocati, pauci verò electi, Matth. cap. 20. numer. 16. Bernard. hunc locum sic exponit. Sicut oues in inferno positi sunt. Quàm benè sicut oues, quia detracto vellere Rei terrenarum diuitiarum, durè, præsseque detonsi sempiternis nudi damnantur incendijs. Ideò mors depascet eos, quia in inferno semper moriuntur ad vitam, & semper viuunt ad mortem. Vndè hìc ipsorum caro vermibus, illìc anima Dæmonibus deputatur, donec rursus infelici collegio tormentis pœnalibus socientur; qui socij in vitijs fuerunt. Diabolus ergo depascet eos: mors depascet eos: quia nunquam deficiunt genera pœnarum, itàvt cum vna finit, sequatur & alia, sicut oues positi sunt in inferno, sed quomodò positi? quia in ipsis non fuit Diabolo suggerenti voluntas resistendi: ideò sicut oues ductæ à suo pastore, qui istorum est Diabolus, cum & oues vbi ducantur, vbi pascantur, ignorent. Sed si illorum est mors, quomodò pascuntur à morte, cum mors sit vitæ priuatio? Vera dicitur vitæ priuatio, quia priuat Deo, qui est vita nostra: & hæc mors pessima; nàm vt dicit Augustin. de Ciuit. Dei Tom. 5. ad Marcellin. lib. 6. cap. 12. Nulla maior, & peior mors, quàm vbi non moritur mors. Sed quod animæ natura per id quod immortalis creata est, sine qualicunque vita esse non potest; summa mors eius est, alienatio à vita Dei in æternitate supplicij. Illa ergo dicitur vera mors, quia ruit in profundum peccati. Augustin. Psalm. 58. in 1. Conc. lit. C. Mors vera est ire in profundum peccati, illa enim magis horrenda, quia anima mortua est. Vide Augustin. Tom. 6. contrà aduersarium legis, & Prophet.

lib. 1. litera G. in fine, fol. 192. cap. 16. declarantem verba Luc. cap. 19. nu. 27. Veruntamen inimicos meos, qui noluerunt me regnare super se, adducite, hùc, & interficite coram me. Dicit ibi Augustin. Neque enim Dominus Iesus Christus non dixit: eos autem, qui noluerunt me regnare sibi, adducite, & interficite coram me: vbi profectò quia mortem significat animarum, magis est vtique fidelibus horrenda, & metuenda, quam corporum. Vndè idem Dominus dicit, Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam verò non possunt occidere: sed potius eum timete, qui potest animam, & corpus perdere in gehennam.

Mors ergo depascet eos, quia anima in pœnis viuit æternis, quibus & ipsi spiritus cruciabuntur immundi; Vndè dicitur quod mors depascet illos, quia potius mors illa æterna dicenda est, quam vita: Augustin. de Ciuit. Dei, lib. 6. cap. 12. Tom. 5. litera F. in fine. Et in pœnis illis viuentes cruciantur assiduè.

Et dominabuntur eorum iusti in matutino. In secunda resurrectione scilicet, quoniam omnes resurgemus in iudicio. Tunc stabunt Sancti aduersus eos, qui se angustiauerunt; & dominabuntur, & scilicet iudicabunt iniquos. Tunc enim matutina dies erit, quia lux Christus erit cum illis in gloria, sedentibus ad illius dexteram. Tunc terra illuminata est à gloria eius, quando descendit de Cælo, Apocalyps. 18. num. 1. Pro iniustis verò, & iniquis non lux matutina, sed tenebræ erunt, quia in infernum proijcientur. Quorum auxilium ibi veterascet à gloria eorum in inferno. Illorum enim diuitiæ, & potentia deficient; & ideò veterascent, quòd in hoc sæculo gloria illis videbatur, sed sicut pannus, qui à tinea propter illius vetustatem demolitur, ità veterascet gloria illorum, quia ibi nulla est redemptio, nulla gloria, nec aliqua potentia. Psalterium Romanum habet, A gloria sua expulsi sunt. In illa enim die peribunt omnes cogitationes eorum, Psalm. 145. numer. 4. Augustin. hìc, litera H. Quantum visus est habere gloriam inter homines, cum viueret; tantam vetustatem, & corruptionem suppliciorum habebit, cum apud inferos mortuus fuerit, & dominabuntur eorum iusti, & gloria eorum veterascet in inferno, Apocalyps. dicto cap. 18. in fine, num. 7. quantum glorificauit se, & in delicijs fuit, tantum date ei tormentum, & luctum; mors pessima istius, quia anima separatur à Deo. Augustin. de Ciuit. Dei lib. 13. cap. 2. Tom. 5. Corpus ideò est mortale, quia à vita, quam habet, deseri potest, nec per seipsum aliquatenus viuit. Mors animæ fit, cum eam deserit Deus, sicut corporis, cum id deserit anima; ergo vtriusque totius hominis est mors, cum anima à Deo deserta, deserit corpus. Ità nec ex Deo viuit ipsa, nec corpus ex ipsa. Huiusmodi autem totius hominis mortem illa sequitur, quam secundam mortem diuinorum eloquiorum appellat authoritas. Hanc Saluator significauit, vbi erit, Eum timete, qui habet potestatem, & corpus, & animam perdere in gehennam. Quod cum non anteà fiat, quàm cum anima corpori sic fuerit copulata, vt nulla direptione separentur, mirum videri potest, quomodò corpus, ea morte dicatur occidi, quia non ab anima deseritur, sed animatum sentiensquè cruciatur. Nàm illa pœna vltima, ac sempiterna, rectè mors animæ dicitur, quia non viuit ex Deo. Mors autem corporis quonam modo cum viuat ex anima? Non enim aliter possunt ipsa corporalia, quæ post resurrectionem futura sunt, sentire tormenta, &c. An quia vita qualiscunque aliquid bonum,

est, dolor autem malum: ideò nec viuere corpus dicendum est, in quo anima non viuendi causa est, sed dolendi? viuit itàq. anima ex Deo cum viuit benè; non enim potest benè viuere, nisi Deo operante in se, quod bonum est. Viuit autem corpus ex anima, cum anima viuit in corpore, seù viuat ipsa, seù non viuat ex Deo. Impiorum nàmq. in corporibus vita, non animorum, sed corporum vita est, quam dare possunt eis animæ etiam mortuæ, hoc est à Deo desertæ quantulacunque propria vita, ex qua etiam immortales sunt: non desistente conferre. Verùm in damnatione nouissima, quamuis homo sentire non desinat, tamen quia sensus ipse, nec voluptate suauis, nec quiete salubris, sed dolore pœnalis est, non immeritò mors appellata est potius, quam vita.

Veruntamen Deus redimet animam meam de manu inferi, cum acceperit me, quando Deus dicet; Venite benedicti Patris mei, percipite Regnum, &c. tunc etiam inquit Ioan.d.cap.18.num.4. & audiui, inquit, aliam vocem, de Cælo dicentem, exite de illa populus meus; vt ne participes sitis delictorum eius, & de plagis eius non accipiatis. Veruntamen Deus redimet animam meam de manu inferi, cum acceperit me, quando scilicet genuerit me verbo veritatis, idest Iesu Christi doctrina, qua Deo vitæ cælesti progignimur: Iacob. in sua Epistola capit. 1. vbi Thom. Lyran. Gloss. & alij ibi. De manu inferi redemit, quia cum prius filij iræ essemus, genuit nos in filios gratiæ, verbo Euangelij Christi, qui veritas est, Verbo inquam tamquam semine spirituali, quia semen est verbum Dei, Luc.cap.8. ideòq. inquit Paul. in Christo Iesu ego per Euangelium vos genui, & D. Chrysost. homil. in Psalm.9. Vos germen Ecclesiæ, qui estis vno verbi semine concepti, &c. quia ecce oculi Domini super metuentes eum: & in eis, qui sperant super misericordia eius, vt eruat à morte animas eorum, & alat eos in fame, Psalm.32.num.18. & 19. Et ad illam intelligentiam facit Psalm.55.nu.13. Quoniam eripuisti animam meam de morte, & pedes meos de lapsu, vt placeam coram Deo in lumine viuentium.

Veruntamen Deus redimet animam meam. Non dixit, de huius vitæ periculis, de huius mundi perturbationibus, de manu inferi dixit. Sed quomodò de manu inferi? Nisi quia non redimit frater, redimit homo Deus factus, ante cuius aduentum nemo ascendit in Cælum; nisi ipse, qui vt carnem nostram acciperet, descendit de Cælo filius hominis, vt in illum credentes non pereant, sed in Cælo habeant vitam æternam, Ioan.cap.3.nu.13. & 16. Psalm.64.nu.19. Ascendens in altum, captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus, & ad Ephes.cap.4.num.9. Quod autem ascendit, quid est, nisi quia & descendit primùm in inferiores partes terræ, qui descendit, ipse est, qui ascendit super omnes Cælos, vt impleret omnia. Vt eruat à morte animam meam, inquit, de manu inferi: Augustin.hìc lit. K. Hic verò quid? quasi tristes, semper autem gaudentes, additur quasi in tristitia, in afflictione huius vitæ, huius mundi, quia sicut somnium transeunt huiuscemodi tribulationes, & tristitia; & dominabuntur recti corde, 2.Corinth. cap.6.num.6. Quasi morientes, & ecce viuimus: vt castigati, & non mortificati: quasi tristes, semper autem gaudentes; quasi somnium iudicat. Addit quasi, dicebam quasi, loquebar quasi, disputabam totum quasi, quia cum euigilauerit, nihil inuenit, quod videbat. Quasi thesaurum inueneram, dicit mendicus; si quasi non esset, mendicus non esset; sed quia quasi erat, mendicus est. Itàq. qui ad diuitias, ad lætitias sæculares

oculos

oculos aperiunt, claudunt cor, transit quasi, quasi eorum; & venit verum ipsorum, quasi ipsorum felicitas sæculi, cum ipsorum pœna est. Idem Augustin. Nostrum autem quasi, tristitia est; gaudium non est quasi; dicit enim Apost. Quasi tristes, semper autem gaudentes, tamquam egentes, multos autem locupletantes. Et tamen Apostolus nihil habebat; cum his, quæ sibi opus erant, ministrauerint manus suæ, Act.cap.20.num.34. ad Thessal.cap 2.num.9. sed in mane, & in fatigatione, nocte, & die operantes, & 1.Corinth. cap.4.num.12. tamen quasi nihil habentes, omnia tamen possidentes; quasi egebat, & tamen multos non quasi, sed verè ditabat. Sed quæri potest, vndè omnia possidebat verè: quia, inquit Augustin. omnium creatori adhærebat.

Veruntamen Deus redimet animam meam de manu inferi, Gregor. lib.17. Moral.cap.11. Inferi nomine Diabolus intelligitur, sic Iob 16. Nudus est infernus coram eo, quod dicitur de Diabolo, quia omnis eius malitia, & cogitatio Deo nuda est, & aperta. Et tunc est sensus Greg. Veruntamen Deus redimet animam meam de manu inferi, idest de potestate Diaboli. Quod facit etiam in præsenti peccata dimittendo. Significatur etiam inferi nomine locus inferior, ad quem ante Christum omnes quantumcunque iusti descendebant, licet diuersimodè, de quo inferno sanctos Patres redemit, cum illos secum extraxit, dimittendo reprobos. Et ad illud, quod dici posset, quia in inferno nulla est redemptio, respondit Gregor. lib.12. Moral. cap.7. quod ante aduentum mediatoris Dei, & hominum, omnis homo, quamuis mundæ, probatæq. fuerit vitæ, ad inferi claustra descendit, dubium non est, quin homo, qui per se cecidit, ad Paradisi requiem per se redire non potuit; nisi veniret ille, qui suæ incarnationis mysterio eiusdem nobis Paradisi iter aperiret. Nec tamen ità iustorum animas ad infernum dicemus descendisse, vt in locis pœnalibus tenerentur, sed esse alia inferiora inferni loca, alia superiora credenda sunt; vt in superioribus iusti requiescerent, & in inferioribus iniusti cruciarentur, & ità intelligenda sunt supradicta, Psal.85. vbi Dauid propter præuenientem se Dei gratiam dicit; Eripuit animam meam de inferno inferiori, iniustos ergo Deus reliquit, iustos verò secum traxit, Ose.13. Deus dicit; Ero mors tua ò mors, ero morsus tuus ò inferne: moritur, qui non remanet, & mordetur, quùm partem abstrahimus, partem verò reliquimus; Sic morsus dicitur inferni, quia Christus, iniustis relictis, iustos ex illo traxit, & secum duxit in Cælum. Quod verò infernus, vbi iusti conseruarentur, inueniretur, patet ex dictis per Luc.16. num.22. & 23. Lazarus per Angelos in sinum Abrahæ portatur: diues in infernum: hæc ante Iesus aduentum, ergo non in Paradiso, erat Abraham, sed in alio loco, valde tamen ab inferno pœnarum distanti.

Ex hoc ergo quasi tibi sit luctus iuste, & quasi egens pauper Christi, ne timueris, cum diues factus fuerit homo, & cum multiplicata fuerit gloria domus eius: morte enim illius, gloria eius, diuitiæ eius terminantur, & quid hìc amplius retinetur prȩter solam verborum cōmendationem? solā fletus exhalationem? transitoria statim? Anima, inquit, eius in vita ipsius benedicetur, in pœnis verò laus eius terminetur. Introibit in progenies Patrum suorum, & vsque in æternum non videbit lumen; quia comparatus est iumentis; cum in honore esset, non intellexit, similis factus est illis: vides viuentem, cogita nunc morientem: Augustin. Quid secum tollit? multum auri habet, multum argenti,

& prædiorum: remanent illa, nescio quibus, & si dimittit, quibus vult, non seruat quibus vult; multi enim & non sibi dimissa acquisierunt, & multi sibi dimissa perdiderunt; remanent illa omnia, & secum nihil tollit.

Forsan dices, illud, quo inuoluitur secum tollit, & quod illi erogatur ad pretiosum, & marmoratum sepulchrum: ad instruendam memoriam. Ego, dicit Augustin. nec hoc dico; exhibentur enim ista non sentienti: non enim quod tollit sepultura, tollit secum mortuus. Vbi sensus, ibi homo; vbi nullus sensus, ibi nullus homo. Si spiritus torquetur apud inferos, quid illi prodest, quia corpus iacet in cynnamomis, & aromatibus conditum: inuolutum pretiosis linteis? Ornas corpus, & torquetur spiritus: da aliquid spiritui, & dedisti illud mortuo, sed quid illi dabis, quando vnicam guttam desiderauit, & non accepit? Hic enim contempsit mittere ante se aliquid, quia vita illorum scandalum ipsis, ideò contempsit; non putauit vitam nisi præsentem; ideò amisit æternam. Non proderunt diuitiæ in die vltionis, Prouerb. cap. 11. num. 4. & 7. dicit mortuo homini impio nulla erit vltrà spes: expectatio sollicitorum peribit.

Quia anima eius in vita ipsius benedicetur: confitebitur tibi cum benefeceris ei, Gregor. 8. Moral. cap. 23. per Psalm. istum contrà confessionem peccatoris dicitur. Confitebitur tibi, cum benefeceris ei: Despecta quidem vox confessionis est; quam format iucunditas prosperitatis: sola enim illa confessio habet magni meritum ponderis, quam à veritate rectitudinis nequaquam separat vis doloris, quam vsque ad iudicium vocis exacuit aduersitas testis cordis.

Vide Augustin. Psalm. 69. litera F. Plus persequitur lingua adulatoris, quàm manus interfectoris: & paulò inferius. Rursus si lauderis ab adulantibus, & assentantibus, & annueris eis, veluti emens oleum non tecum portans, sicut quinque Virgines insipientes, Matth. cap. 25. erit caminus fracturæ tuæ, etiam os laudantium te: & prius dixerat. Nàm manum Interfectoris caminum ignis dicit Scriptura, Sap. cap. 3. Tamquam aurum in fornace probauit illos Dominus, loquens de persequentibus Martyres, & sicut holocausti hostiam accepit illos. Audi, quia & lingua adulantium talis est; Probatio, inquit, argenti, & auri ignis est. Vir autem probatur per os laudantium eum. Fregit te reprehensor, factus es in fornace tamquam vas fictile. Formauit te verbum, & venit tentatio tribulationis. Illud, quod formatum est, oportet vt coquatur. Adulatores laudem suam tamquam oleum vendunt stultis, vndè in Psalm. 140. num. 5. oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.

Confitebitur tibi cum benefeceris ei; Hieronym. ex Hebr. Laudabunt te, cum benefeceris sibi; vt sensus sit, Impios laudare eos, qui ad sui satisfactionem animæ suæ benefaciunt, idest voluptatibus vitæ vacant, ità hic Magister Sententiarum in Addition. Moderniores verò exponunt Confitebitur tibi, idest & ipse vicissim confitebitur tibi, hoc est laudabit te, tibiq. gratias aget cum benefeceris ei, sin autem aliquid mali illi euenire permiseris, continuò blasphemabit te. Non enim ex illis est qui dicunt, benedicam Dominum omni tempore, vel, Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum; illud ergo verbum benedicet, vel benedicetur ad Deum referri dicunt, eumdemque esse sensum, siuè legas, anima eius benedicetur à Deo in vita

ipsius,

ipsius, siuè anima eius benedicet in vita ipsius. Magis tamen Greg. in d. lib.8. Moral. cap.22. & Augustin. & Sentent. Magist. cohærere simul literæ videntur, propterea illam amplectendam censeo. Ratio prompta videtur, quia si diues iniquè agit, & sentientes commodum ab illo eumdem laudant de iniquitate sua: quomodò Deus illum diuitem iniqua agentem benedicit in terra, qui propterea, quia malè agit, condemnatur in Cælo. Non enim laudatur peccator in desiderijs animæ suæ, nec iniquus benedicitur. Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem, inquit, proptereà vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ, Psalm.44. num.8. Et qui diligit iniquitatem, odit animam suam, Psalm.10.num.6. & cum iniqua agentibus non introibo, dicit Dominus; Psalm.25.num.4. immo iniquos odio habui, Psalm.118.nu.123. & in perditione impiorum erit laudatio, Prouerb.cap.11.num.10. Tantum ergo in vita ipsius benedicetur, idest ab insipientibus beatus dicetur, & confitebitur tibi, dum benefeceris ei, idest diuiti benefacienti. Nàm dixit insipiens in corde suo, non est Deus, Psalm. 13. in princ. quomodò benedicet in quem non credit?

Hanc verò supradictorum Doctorum intelligentiam veram esse versiculus sequens demonstrat; Introibit vsque in progenies Patrum suorum, & vsque in æternum non videbit lumen. Sequitur enim, diuitum, & peccatorum damnationem insinuans; maiorum enim suorum mores sequendo, cum illis & ipse damnabitur, Ioan.cap.8.num.44. Vos ex Patre Diabolo estis, & desideria Patris vestri vultis facere. Introibit in progenies Patrum suorum; nàm quis fecit ab initio peccatum, nisi Diabolus? ergo Diaboli ex progenie est, qui facit peccatum; talis est ille, de quo in Psalmo, qui ideò iumentis insipientibus comparatur, quia sine ratione discedit à via recta, à Deo, qui est vera via nostra: longè enim à salute sunt delicta, 1.Ioan.3.num.8. Augustin. hic in fine, Confitebitur tibi, cum benefeceris ei, Nolite, ait, esse tales fratres. Videte, quia proptereà dicimus hæc, proptereà cantatur, proptereà tractatur, proptereà sudatur, nolite facere ista. Negocia ista vos probant, aliquando in negocio vestro auditis verum, & blasphematis, Ecclesiam blasphematis. Momordisti panem, & dolent dentes; quando videbas ipsum panem laudabas: cœpisti manducare, dolent dentes; idest quando audiebas sermonem Dei collaudabas; cum ibi tibi dicitur fac hoc, blasphemas. Noli sic velle, sic dic, bonus est panis, sed ego non possum illum manducare. Nunc autem, si oculis vides, laudas, cum cœperis dentes premere, dicis malus est panis iste: & qualis est ille, qui eum fecit? Ità fit, vt confitearis Deum, quando tibi benè fecit Deus, & mentiaris. Quando cantas, Benedicam Dominum in omni tempore; semper laus eius in ore meo: exigitur de corde tuo cantatio labiorum tuorum. Cantasti in Ecclesia, benedicam Dominum omni tempore, quomodo omni tempore? Si omni tempore lucrum, omni tempore benedicetur, si aliquando est damnum, non benedicis in omni tempore. Certè quia non semper laus in ore tuo est, eris talis, qualiter modo descripsi. Confitebitur tibi, cum benefeceris ei: in hoc enim sensu virum probum locutum fuisse credendum: sic Augustinus exemplo eorum quæ in hoc Psalmo narrantur, vt discamus nos, siuè pro bono collato à Deo, siuè pro malo semper benedicere Dominum non sicut iste adulator.

Introibit ergo in progenies Patrum suorum, & vsque in æternum non videbit

lu-

lumen. Ex tenebris ad tenebras transit, nec vltrà est lumen ei; hic enim in tenebris ambulat, cum ipsius spes in falsis posita sit bonis, & illùc translatus flens in veris tormentis positus sit. Sed notat Augustin. Quare in progenies Patrum? quia iniquitas ab Adam. Ostendens, inquit, Spiritus sanctus, quia non est mala æquitas, quando ad illam murmuratur, sed hi ab origine vsque ad progeniem Patrum suorum, Patrem suum habent. Nempè iniqui patres, sunt patres iniquorum præsentium: & modò qui iniqui sunt, patres erunt posteriorum iniquorum: idem dicitur de iustis, nàm iusti patres, sunt iustorum patres, & qui modò sunt iusti, patres futurorum iustorum erunt.

Sed quare iterum, quod in medio dixit Spiritus sanctus per Prophetam, nunc, & in fine Psalmi repetit; Homo, dicens, cum in honore esset non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis? Arbitror, quia non ex eò quòd fidem habeas, quòd in gremio Ecclesiæ annumeratus sis, quòdq. in illa dignitatibus sis decoratus Ecclesiasticis, te ex hac sola fide saluum esse credas. Hæc à Deo proueniunt, dignitates, & diuitiæ: Istud audias, istud intelligas, non te extollant illa, quia virtute tua peruenerint ad te: noli in illis cor apponere, iumentis insipientibus compareris, si illas inter egentes, & pauperes non distribuas, si eleuatus in superbiam exalteris. Nàm diuitum huius miseria deploranda est, quibus misericordiæ indumentum deficit, de qua spoliati sunt, immo nec spoliati, quia illi forsan nunquam induti fuerint illa. Væ vobis diuitibus, dicit Iesus, Luc. cap. 6. nu. 24. Pessima enim indumenta maledictionis sunt non induere viscera misericordiæ, Hieronym. in cap. 1. Sophoniæ ad ea verba, Visitabo super Principes, & super omnes, qui induti sunt veste peregrina. Vestis, inquit, filiorum Regis, & Principum indumentum Christus est. Cum ergo debeamus talibus indui vestimentis, pro misericordia, induimur crudelitate, pro patientia, impatientia, pro iustitia iniquitate, ideò, inquit Psalmista, cum in honore esset non intellexit, nàm diuitiæ malitiæ sunt Christi scholæ, vt dicit Chrysost. homil. 7. de Pœnit. & Ioan. Apocalyps. cap. 3. numer. 1. scio opera tua, quia nomen habes, quòd scilicet Christianus sis, quòd viuas, & mortuus es: quia dicis, quòd diues sum, & locupletatus, & nullius egeo; & nescis, quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & nudus, & cæcus, ibidem num. 17. suadeo tibi emere à me aurum ignitum, probatum, vt locuples fias, & vestimentis albis vestiaris, vt non appareat confusio nuditatis tuæ, & collyrio inunge oculos tuos, vt videas. Ego quos amo arguo, & castigo; æmulare ergo, & pœnitentiam age, ecce sto ad ostium, & pulso, si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum, & cænabo cum illo, & ipse mecum: Auribus percipite terrigenæ, simul diues, & pauper; audi diues, cuius est spes in diuitijs: non putes, inquit Augustin. te magnum facere, credendo vnum esse Deum, idquè nobis probatam ostendere fidem tuam: nanque actus credendi, qui procedit à fide informi, licet non sit meritorius, bonus tamen est ex genere, proindèq. benè facis. Cæterùm idcircò non sufficit nuda fides, actusvè illius, quia Dæmones non solum credunt, sed insuper timent, Luc. cap. 4. Quid nobis, & tibi dicunt Dæmones, Iesu Nazarene? scio enim quod es filius Dei. Insuper clamabant exeuntes, & dicentes, quia tu es filius Dei. Et tamen talis cognitio, & professio nihil prodest eis. Sic & tibi non proderit nuda fides,

Iacob.

Iacob. cap. 2. num. 20. Quid proderit fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat?

Iterum ergo in medio, & in fine Psalmi dicitur, & in honore positorum damnatur ignorantia, quæ ex illis procedit; quia non intelligant, quòd vana sunt quæ possident; quæ & illos non adiuuant, nec concomitantur, nisi vt in infernum proijciantur, quatenus non benè distribuantur. Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis: sed nunquid aurum, & argentum non est Domini? sicut dixit Aggæ. cap. 2. numer. 9. & vniuersorum est Dominus, Sapien. cap. 12. numer. 16. si homo in honore est, nonnè talem fecit illum ad sui similitudinem, Genes. cap. 1. num. 16. Quomodò in honore positus à Deo, condemnatur à Dauide: Diuitiæ, & aurum, atque argentum spernuntur ab illo? Non creaturam Dei condemnat Dauid; sed quoniam obcæcata prudentia talium honoré in superbiam, aurum, & argentum in magnum recepit, vt iàm in infamiam rei redundet, quidquid de mala cupiditate suscipitur, talis honor, qui inducit superbiam, tale aurum vituperantur, & superbia, & auaritia condemnantur; ideòquè si præstas alijs in honore, in gubernio, memento, quia vt regas subditos, vt pascas oues, non pellem ex illis deducas, non vt tu tamquam Deus illos idolatrare facias. Aurum est tibi, & argentum, ideò habes, vt sint, & præbeant tibi materiam misericordiæ apud bonos animos, Psalm. 111. Dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in sæculum sæculi. Tunc, inquit August. Tom. 10. de Verb. Apostol. Sermon. 28. magis prodest, quando contemnitur, vt ipsa sua conditione testetur, quia est rei huius possessio, cuius abdicatio fructuosa est, iustum Dei iudicium, vt auarus indè torqueatur, indè misericors adiuuetur.

Exerceatur bonorum terrenorum, auriq. & argenti contemptus, per contemptum vtilis. Homo cum in honore sit, cum sit in tenebris, gaudens falsis bonis, & non amans vera bona, veros honores, similis insipientibus iumentis comparatur, quia ex distributione illorum, quæ erant terrena, & non sunt sua, Regnum Cæli comparare poterat, partem hæreditatis Christi facere suam, & non fecit: Augustin. verò in secunda enarratione huius Psalmi ad quæsitum suprâdictum respondet, quare scilicet iste vers. in medio, & in Psalmi fine sit positus, reddit rationem in litera L. propè finem, dicens: Vos homines considerate factos ad imaginem, & similitudinem Dei; imago Dei intus est, non est in corpore, non est in auribus istis, & oculis, & naribus, &c. sed est facta tantum, vbi est intellectus, vbi est mens, vbi ratio inuestigandæ veritatis. Vbi est fides, vbi est spes vestra, vbi charitas vestra, ibi Deus habet imaginem suam: hæc Augustin. Si ergo hæc omnia transitoria sunt, Psalm. 38. Veruntamen in imagine pertransit homo, cur superbis in honore positus? Cur thesaurizas, qui thesaurum illum tecum ferre non potes? Quare non intelligis, quòd cinis es, vt humilis factus, seruus illius efficiaris, qui de Cælo descendit homo factus, vt humilitatem te docens, magnus cum illo in Regno Cælorum efficiaris.

Et tu diues, qui ideò diues factus es, vt pauperi sis in opportunitatibus adiutor, in necessitatibus consolator, vt vnum hìc pauperi distribuens, centuplum in alio Regno recipias: nonnè iumentis insipientibus similis factus es, si illas possidendo amittas moriendo: si nudus efficiaris in ignis tormento; cum illas iuxtà præceptum Domini dispensando hæres fias in Cælo. O homo

iu-

iumentis similis factus, cui talia perscrutanti non aperitur intellectus.

Audite hæc omnes gentes, quia extrà Ecclesiam non est salus; sine fide impossibile est placere Deo: Percipite auribus Orbem habitantes; Vos etiam, qui filij hominis estis, qui baptismo Christi milites eius facti estis, diues, & pauper, cum apud Dominum non sit distinctio personarum, Os enim meum, quæ Dei est sapientia, loquitur, hanc in corde meo meditatus sum prudentiam.

Audite quæ loquor, in parabolis est sapientia Dei, ad quæ etiam aurē meam inclinabo, & vobis in Psalterio aperiam propositionem meam; Cur faciam mala, vt timeam in die illa tremenda: iniquitas enim calcanei mei circumdabit me. E si præcepta Dei, quæ & ego auribus percepi, non seruauero: nunquid confisus in virtute mea, in diuitiarum mearum multitudine gloriatus liber ero ab iniquitate mea, à pœna perpetua? quis eripiet me, & liberabit? An frater? frater non redimit. An amicus? si frater non redimit, redimet homo? à te rationem requirit Deus villicationis tuæ, neque alius dat placationem suam Deo, nec pretium redemptionis animæ suæ. Liberabit illum, qui laborabit in æternum, & in ærumnis inferni viuet adhùc in finem: idest in sæcula sæculorum? Hæc non consideras, qui in terrenis cupiditatibus totus positus es: eò quia sapientes morientes, simulq. stultus, & insipiens moriantur. Relinquunt enim alienis diuitias, quas suas cogitabant, & sepulchra eorum domus illorum sunt in æternum: tabernacula eorum in progenie, & progenie transeunt scilicet, vtq. nomina illorum vocentur in terris suis. Non cogitant, quòd eorum sepulchra erunt in infernis. Hæc viuens non intellexit homo, quia in honore positus, non audiuit, ideò iumentis insipientibus comparatus est, similis factus est illis, & in sterquilinio simul cum eis sepelietur, vt anima tamen sua crucietur in flammis. Hanc viam elegit, qui in honore positus, viam Dei non accepit, sed in delictis, & in iniquitatibus suis sibi complacuit: Tales iniqui tamquā ouium greges in inferno positi sunt; vt mors, quæ nunquam moritur, depascat illos: vbi nox, & tenebræ erunt in æternum. Tunc iustos in matutino, in luce existentes, iniqui videbunt, qui illos iudicantes, illis etiam dominabuntur, quorum non erit auxilium aliquod, gloriaq. eorum terrena cum illis marcescet, veterascet, nulla erit, nisi ad maiorem illorum pœnam. Hæc narrans Dauid, & vt auribus percipiantur quæ iniquis ventura sunt: de se modò, & de alijs iustis dicit. Veruntamen Deus redimet animam meam de manu inferi, cum acceperit me, in die scilicet iudicij, quia legem suam, & præcepta sua nota feci: illaq. ego audiui, & seruaui. Non ergo terrena curemus, nec cum diues factus fuerit homo, timeamus; & si multiplicata fuerit gloria domus eius. Quoniam si illa vsque ad interitum seruet, nec pauperibus distribuat, cum interierit non sumet omnia: neque cum eo descendet gloria eius. Gloria eius vapor erit à flatu illius, cum interierit, vnà cum progenie patrum suorum iniquorum pertransiet, vt vsque in æternum cum illis nunquam videat lumen: Quoniam viuentes ambulauerunt in tenebris, & magis amauerunt tenebras, quàm lucem: Cum in honore essent, non audierunt legem Domini, iumentis insipientibus similes facti sunt, intellectus expertes sicut & illa, sed in pœna dissimiles: istorum enim perpetua est; illorum verò morte finitur laboriosa vita.

SOLILOQVIVM.

O DOMINE Iesu tu me ex nihilo magnum fecisti, non confundar ego in æternum, quia quæ mea sunt, tua sunt; tu mihi illa dedisti. Non quod ego volo, facias Domine, sed quod tu vis, adimpleam ego. Meam excita rebellem voluntatem, adiuua, vrge, vt quæ tibi placita sunt ego faciam, illa exequar, dum viuo, vt tibi reddam placationem tuam. Verba Dauid serui tui audiui, auribus percepi; & cum in honore homo sim positus, illa intellexi: Ne reuoces me in dimidio dierum meorum; ne patiaris me è vita hac discedere, absque speciali ope tua. Quæ mihi bona dedisti, pauperibus, & egentibus communicare obnixus pro viribus sum. Non sim insipiens inter bruta reputatus Domine; quia ecce intellexi. Animam, quam mihi dedisti, fac vt reddam tibi Creatori, & Redemptori meo, per intercessionem Beatæ Virginis Mariæ Matris tuæ, & Dominæ meæ, Sancti Michaelis Archangeli, Sanctorum Apostolorum tuorum Simonis, & Iudæ, quorum festiuitatis diem præuenimus; vt per quos ad agnitionem tui sancti nominis me venire fecisti, per eorumdem intercessionem ad gaudia æterna peruenire merear. Amen.

IN PSALMVM XLIX.

Deus Deorum Dominus locutus est: & vocauit terram.



ONTINVATVR ad præcedentem, in quo de prædicatione, & de vocatione gentium ad fidem Dei in humilitate, & paupertate. Et quia multi sunt vocati, pauci verò electi: in isto Psalm. 49. ad iudicium Dei in maiestate omnes vocantur, in quo iudex malos malè perdet, bonos verò ad dexteram suam in Regnum Cælorum admittet; In præcedenti ergo sunt vocati; in hoc verò iudicati.

Titulus Psalmi. Psalmus Asaph; quod interpretatur congregans. Quos in alio præcedenti Psalmo filijs Core cantandos, & prædicandos proposuerat; hic congregatos iudicat.

Summa hæc; Congregati ad audiendum iussu Dei congregantur ad iudicium.

Deus Deorum Dominus locutus est: non ergo ex se Dauid locutus est; quãdo omnes gentes, omnes hominum filios, vt audirent, conuocauit, Psal.48. in princ. sed est Deus Deorum Dominus, qui per Prophetas olim locutus est. Nunc verò per semetipsum Deus ipse, & Deorum Dominus locutus est, & vocauit terram: Vndè Paul. ad Hebr. cap.1. in princ. Multifariam, multisq. modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, nouissimè diebus istis locutus est nobis in filio, quem constituit hæredem vniuersorum, per quem fecit & sæcula.

Sed quis iste sit, qui locutus est Deus Deorum Dominus; declarat Dauid, dicens, ex Sion species decòris eius, Ibi enim erant Discipuli congregati, qui acce-

acceperunt Spiritum ſanctum quinquageſimo die poſt Reſurrectionem Ieſu Chriſti : miſſum de Cælo . Inde Euangelium, inde prædicatio, inde impletur Orbis terrarum, Act. Apoſtol. cap. 1. & per totum : Sed quomodò ex Sion ſpecies decoris eius, cum in eodem loco non erat ei aſpectus, ſed quaſi abſconditus vultus eius, & deſpectus, vndè nec reputauimus eum, Iſai. cap. 53. numer. 1. & 3. Ex Sion conſummatio pulchritudinis; Deus manifeſtè ſplenduit, dixerunt quidam Maſoretæ . Fulgebit enim in illo loco gloria Maieſtatis eius; Et ibi iudicium faciet; vbi cum occultè venit, non eſt cognitus; nàm ſi illum cognouiſſent; nunquam Regem gloriæ crucifixiſſent, Act. Apoſt. c. 3. num. 17. Conueniens autem erat, vt vbi deſpectus iniuſtè eſt iudicatus, ibi, vt iudicaret, eſſet eius aſpectus glorioſus.

Deus Deorum Dominus. Ergo alij reperiuntur Dij? & quomodò dicitur in cap. 6. numer. 4. in Deuteronom. Audi Iſrael, Dominus Deus noſter, Dominus vnus eſt, audi Auguſtin. Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus ſanctus, vnus eſt Deus naturaliter, & ſubſtantiuè : Cæteri autem Dij, aut per adoptionem ex gratia; aut per falſam denominationem à Diabolo inuentam, & ſunt falſi Dij, de Dijs ex gratia, Pſalm. 81. numer. 1. Deus ſtetit in Synagoga Deorum, in medio autem Deos dijudicat; hi iuſti ſunt, vt declarat idem Pſalm. 81. numer. 6. Ego dixi, Dij eſtis, & filij excelſi omnes; vos autem ſicut homines moriemini, & ſicut vnus de Principibus cadetis. Iſti homines, quos ex gratia iuſtificat Deus, non de ſubſtantia ſua natos deificat. Ille enim, dicit Auguſtin. iuſtificat, qui per ſeipſum non ex alio iuſtus eſt; & ille deificat, qui per ſeipſum, non alterius participatione Deus eſt; qui autem iuſtificat, ipſe deificat, quia iuſtificando filios Dei facit Ioan. cap. 1. Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri. Si ergo filij Dei, ergo Dij ſumus; ex gratia tamen adoptantis, non naturæ generantis. Vnicus enim Dei filius Deus, & cum Patre vnus Deus, Dominus, & Saluator noſter Ieſus Chriſtus; In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum. Verbum Deus; Cæteri, qui fiunt Dij, gratia ipſius fiunt, non de ſubſtantia naſcuntur, vt hoc ſint, quod ille, ſed vt per beneficium perueniant ad illum : & ſint cohæredes Chriſti : non tamen hæc hæreditas, in qua hæredes ſumus, copia poſſeſſorum minuitur, nec fit anguſtior numeroſitate cohæredum; ſed tanta eſt multis, quanta paucis : tanta ſingulis, quanta omnibus, 1. Ioan. 3. Videte, inquit, qualem dilectionem nobis dedit Deus, vt filij Dei vocemur, & ſimus.

Alij verò ſunt Gentium Dij, & hi ſunt Dæmonia, & non Dij, Pſalm. 95. numer. 5. Pſalm. 105. numer. 37. Immolauerunt filios ſuos, & filias ſuas Dæmonijs. Terribilis eſt Dominus Deus noſter ſuper iſtos Deos falſos, & iniquos, dicto Pſalm. 95. numer. 4. Vndè & illis, qui in vita ſua inſenſatè, & iniuſtè vixerunt, per hæc, quæ coluerunt, dediſti ſumma tormenta, etenim in erroris via diutius errauerunt, Deos æſtimantes hæc, quæ in animalibus ſunt ſuperuacua, Sapien. cap. 12. numer. 14. Dijs iſtis Dæmonijs terribilis Deus noſter, & illa colentibus, contrà Deos falſos, Sapien. cap. 13. per totum, & numer. 10. Infelices enim ſunt, & inter mortuos ſpes illorum, qui appellauerunt Deos, opera manuum hominum, aurum ſcilicet, & argentum, &c. Cecidit, cecidit Babylon, & omnia ſculptilia Deorum eius contrita ſunt in terram,

Isai. cap.21.num.9. Quis formauit Deum, & sculptile conflauit ad nihil vtile? Faber ferrarius lima operatus est, &c. Isai.44.num.10.& 16. fecit sculptile sibi, & adorat illud. Nescierunt, neque intellexerunt, infantium insensatorum more viuentes, Sap. d. cap.12.num.25.

Deus ergo Deorum Dominus locutus est. Quomodò autem locutus sit, audistis supra in præcedenti Psalmo per Prophetas suos, per Angelos, per Apostolos, per suos fideles. Per humilitatem nostram, dicit Augustin. cum aliquid verum dicimus, nouissimè per semetipsum, vt testatur Paul. ad Hebr. cap.1. numer.2. Locutus est, & vocauit terram, quæ ab eius sterilitate iàm consumpta erat; iàm in illa Deus omnipotens non cognoscebatur, Ierem. 5. numer.1. Circuite vias Ierusalem, & aspicite, & considerate, & quærite in plateis, an inueniatis virum facientem iudicium, & quærentem fidem, &c. Indurauerunt facies suas supra petram, & noluerunt conuerti. Forsan pauperes sunt, dicebat, & stulti ignorantes viam Domini, iudicium Dei sui. Ibo ad Optimates, & loquar eis, &c. sed ecce magis hi confregerunt iugum, ruperunt vincula, &c. Terram ergo, eos scilicet, qui terreni sunt, qui viam Domini non cognoscunt, qui venerat, vt peccatores saluaret vocauit. Totam vocauit terram. Venit Iesus, vt saluaret omnes, à Solis Ortu vsque ad Occasum, Psalm.18.numer.7. nec est qui se abscondat à calore eius, non excusaberis, si propter tuam obstinatam voluntatem non saluaberis: si quia ignoraueris, si quia magnus, & Rex fueris; ad omnes enim sermo eius fuit, ad diuites, & ad pauperes, ad filios hominum, & ad gentes exiuit sonus eorum.

Deus Deorum locutus est, qui fecit Cælum, & terram, cuius Verbum innotescit omnibus; Deus Deorum totum ostendit; non est qui dicat, ecce hìc est Christus, ecce illìc? in omnibus partibus est Deus: totum redemit, calumniantes autem condemnauit; Lætare ergo sterilis, quia parturis, si vocationem Dei auribus perceperis, Isai.cap.54. numer. 1. si mandata eius custodieris.

Vocauit terram, quia longè erat facta à Creatore; vocauit terram, quia longè stans per peccatum à salute, non audiebat præcepta; festinabat ad mortem; vocauit terram, quæ per peccatum properabat ad interitum per dissimilitudinem. In creatione enim similis facta erat Deo: propter peccatum facta est soror, & filia Diaboli: amisit Dei similitudinem, & formam Diaboli recepit, Venit Iesus, quia peccator non erat appropinquans ipsi. Assumpsit de terra carnem nostram mortalem, vt morte sua redimens illam, secum ductam in Cælum, faceret eam æternam, & immortalem.

Ex Sion species decoris eius; quia de Sion exiuit lex, & Verbum Domini de Ierusalem, Isai.cap. 2. numer. 3. quia speciosus forma præ filijs hominum, Psalm.44. numer.2. ideò, specie tua, & pulchritudine tua, intende prosperè procede, & regna, ibidem numer. 5. Ex Sion species decoris eius, quia de præparato monte in vertice montium super omnes colles eleuato descendens de domo Domini; ad eum omnes fluunt gentes, vt ambulent in vijs eius, Isai. dicto cap.2. in princip. omnes gentes, à Solis ortu vsque ad Occasum; quia in omnem terram exiuit Apostolorum prædicantium Iesum vox, & sonus.

Ex

Ex Sion species decoris eius, quia ibi magnificatus est Dominus; qui habitat in excelso, & impleuit Sion iudicio, & iustitia. Conterriti sunt in Sion peccatores, possedit tremor hypocritas: quia cum ardoribus non poterat quis habitare, cum igne deuorante; solummodò ibi magnificatus est Dominus Deus noster, Dominus Iudex noster, Dominus legifer noster, Dominus Rex noster ipse saluabit nos.

Et vocauit terram. Quam terram? Nunquid vnam tantum terram, vel regionem; vnam tantum Prouinciam, vnam Iudæam, & Ierusalem. Vocauit omnes Orbem habitantes, à Solis Ortu vsque ad Occasum: ex Sion fuit principium vocationis, signum redemptionis, Luc.cap.24.numer.46. quoniam sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertia die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam, & remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus à Ierosolyma, Mich. dicto cap.5. in princ. numer.2. Et tu Bethlehem Ephrata, &c. ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israel, & egressus eius ab initio, à diebus æternitatis, &c. & num.4. & conuertentur, quia nunc magnificabitur vsque ad terminos terræ.

Deus manifestè veniet, Deus noster, & non silebit. Deus ipse, qui iàm in primo venit aduentu, Diuinitatem suam in carne velando, quasi absconditè, quia in forma hominis, quamuis ex signis, & miraculis quæ faciebat, satis filius Dei demonstrabatur, Ioan.15.num.22. & 24. Si non venissem, & locutus non fuissem eis, peccatum non haberent; nunc autem excusationem non habent de peccato. Et si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent; nunc autem, & viderunt, & oderunt me, & Patrem meum. Absconditus ideò dicitur vultus eius, vt & nos quando facimus eleemosynam, quando oramus, exemplum ab illo capiamus, vt non tuba ante nos canamus; sed nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua; vt sit eleemosyna tua in abscondito; vt oratio tua non sit in platearum angulis, vt ab hominibus videaris. Sed intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora Patrem tuum in abscondito, & Pater tuus, qui videt in abscondito reddet tibi. Matth.cap.6.nu.3. cum seq. Et ex Sion erit species decoris eius, quando dicet tibi: Veni benedicte Patris mei, nudus enim eram, & operuisti me, &c.

Deus noster, & non silebit; Deus Dominus, Deus Christianorum super omnes Deos: Deus noster, quia gentium Dij sunt Diabolus, & Dæmonia, quorum Dominus est Deus noster, cuius aspectu, cuius nomine illi contremiscunt: qui vnus est Dominus, vnus Altissimus Iesus Christus Dei filius, vnus in Trinitate cum Patre, & Spiritu sancto Deus: qui diligit nos: qui lux nostra, & vita nostra est. Ipse manifestè veniet, & non silebit, quia in ictu oculi, in instanti proferens sententiam, iniustos iudicabit, iustos verò suos saluos faciet in regno suo. Non amplius coram Præside tacebit, ipsum iniustè condemnante: ipsum verberibus affectum Iudæis perfidis ad crucifigendum tradente, tamquam spectaculum corona spinea coronatum, veste alba circumamictum populo ad illudendum producente, tamquam reum, illum condemnante: ipso verò Domino Iesu tacente, & non contradicente, nec appellante. Iudex tunc viuorum, & mortuorum in sede suæ Maiestatis sedens, non silebit, quia omnium scelera, atque delicta, omnium cogitationes, & opera erunt coram eo aperta, & nuda. Titulus cuiuslibet in fronte inscriptus apparebit, & titulus in sua Cruce positus,

Iesus Nazarenus, illius redemptioni nõ erit; nec erit, qui illi contradicere possit. O bone Iesu miserere mei, ne reminiscaris delicta mea, ignorantias meas ne memineris in illa hora. Titulus sanctissimæ Crucis tuæ affixus sit mea salus, quia tu Iesus Saluator es meus; & sis Iesus Nazarenus Redemptor, & Rex gentium, quæ in te crediderunt, & à te redemptæ sunt. Tacuit ergo Iesus coram iniquo iudice vsque ad tempus, quando non silebit.

Et non silebit, qui prius occultus venit. Augustin. Nunquid semper occultus? non certè, quia tunc manifestè veniet; tunc venit occultus, vt manifestus veniret. Venit occultus iudicandus, veniet manifestus iudicaturus, &c. veniet, & non silebit. Quid? nunc modò silet? Et quæ dicimus, Vndè sunt? Vndè præcepta? Vndè monitiones, & præcepta? Vndè ista tuba terroris, Matth. 24. 1. ad Thessalonicens. cap. 4. 1. Corinth. 13. Non silet, dicit Augustin. & silet: non silet admonendo, silet iudicando: non silet à præcepto, silet à iudicio; patitur enim peccatores quotidie malè facientes, Deum non curantes, non in conscientia sua, non in Cælo, non in terra, non certè latent hæc omnia. Et vniuersaliter omnes admonet; & quando aliquos flagellat in terra, admonitio est, nondum damnatio. Silet ergo à iudicio, occultus in Cælo est, adhuc interpellat pro nobis, patiens est super peccatores, & non exercens iram, sed expectans pœnitentiam, hæc Augustin. Sed quando veniet, non silebit; quia sicut fortis egredietur; sicut vir prœliator suscitabit zelum, vociferabitur, & clamabit. Tacuit iàm, & tacet, semper siluit, & silet, & patiens est: sicut parturiens, nunc loquar, Isai. cap. 42. numer. 13. dissipabo, & absorbebo simul, non tacet modò, monendo, vt quos redemit inducat in Cælum: vt cæcos in viam suam, quam nesciebant, & in semitas, quas ignorauerant, ambulare faciat; tenebras coram nobis positas splendescere faciens sicut lucem, Isai. dicto cap. 42. num. 16. Sileat Dominus Iesus; nobis ignoscens, & peccata nostra dimittens; vt cum manifestus venerit, eum bonum nobis loqui audiamus. Eiusq. damnationis iudicium longè fiat à nobis. Nunc benè faciamus quod est in nostra potestate; Si minimè correcti illud, quod nolentibus nobis venturum est, experiri noluerimus, quia ignis ante illum præcedet, & inflammabit inimicos eius, Psalm. 96. numer. 3. & Psalm. 67. numer. 3. Sicut siluit terra à facie ignis, sic pereant peccatores à facie Dei. Et quis non metuet ante faciem eius iræ? Ignis enim in conspectu exardescet. Ad quid? nisi vt in illum mittat peccatores? ergo dum silet Deus, vitam mutemus in melius; & non timebimus; quia ad ignoscendum patiens est Dominus. Si ergo quod promittit tibi vile videtur; contemnisce quod minatur; timeas perpetuum ignem: Si quod perdis, faciem scilicet Dei, quæ longè facta erit à te, non consideras; supplicia terreant, quem præmia non inuitant, dicit Augustin. nec tamen minor est pœna, priuari facie Dei; nàm sine Deo quid valet vita tua? Ad nihilum, inquit, deductus est in conspectu eius malignus, Psal. 14. nu. 4. Minus malum enim dicunt esse, & mala pati, quàm non esse: Magna est ergo pœna, à facie Dei separari; qui verò mali sunt, hanc non considerant pœnam, quæ perpetua est, & omni dolore plena. Metuant ignẽ circumeuntem, & stantem, vt illos in perpetuum vrat, non tamen consummentur, vt in perpetuum vrantur: Malum facis quatenus minæ hominum te compellunt, vt malum facias, vt pœnas euadas ad tempus; & minatur Christus perpetuas pœnas, si malũ facis, & non facis bonũ?

ò cæcitas magna, ò stultæ hominū delitiæ, vt perpetuò crementur igne. Exardescet, inquit, ignis in conspectu eius, idest vltrà suum naturalē calorem, & ardorē exardescet. Succensa fuerat fornax illa iussu hominis septuplum, quam succendi consueuerat, Daniel. 3. n. 19. ardebat ignis ille, & tres iustos flamma non tetigit. Fornacis autem, quia succensa erat nimis, viros illos flamma interfecit, qui tres pueros ligatis pedibus, & manibus proiecerant in medio eius. Iustos pueros non tetigit flamma, peccatores interfecit; illa ardens erat facto hominis, ista exardescens iussu Dei. Considera, qualis erit ignium maior potentia; ille statim consumpsit, iste semper vris, & nunquam deficit, semper interficit, & nunquam morieris. Non te inuitant præmia, ò peccator, terreat te pœna. Vrget Domini iussio, ignis exardescit in conspectu suo, non paucos illos consummes? sed quotquot in circuitu Domini mali erunt, omnes enim vocati sunt, & coram illo omnes stabunt, interficiet, vt nunquam deficiant, in ictu oculi in momento; ardens enim erit ille ignis, & exardescens. Ideò tempestas valida flammæ illius, quæ nec vllum malum, & peccatorem prætermittet. Tempestas valida, quia à forti venit iussio, quis enim fortis, sicut Deus noster, palea igni, triticum deliciarum horreo traditur, illa comburitur, hoc seruatur. Tempestas valida, quæ paleam separauit in area: tempestas valida, quia iussu Domini statim à palea separantur, vt seruentur grana, si ergo Christianus es, quare in operando bonum piger es? an ignoras, quòd, qui operatur terram suam, saturabitur panibus, qui autem sectatur otium, stultissimus est, Prouerb. cap. 12. num. 11. & Eccles. 20. num. 30. Quid ergo piger es, vt bonum facias, nisi quia non credis, nisi quia futura damna tu spernis? Augustin. Excutiat vnusquisque cor suum, & videat, quid ibi finis teneat. Si credimus futurum iudicium fratres, benè viuemus: nunc enim tempus misericordiæ est; tunc tempus iudicij erit; in quo & si pœnitentia sit, frustrà tamen, quia non datur alia ad pœnitendum temporis dilatio. Tempestas erit valida, nulla erit excusatio, omnia nuda erunt, ideò instans pœna in instanti, in momento oculi. O Domine Iesu infunde nūnc in nos spiritum gratiæ tuæ, spiritum sapientiæ, & intellectus, vt in hoc tempore misericordiæ tuæ, quæ recta sunt faciamus, quæ mala sunt intellectu percipientes, illa fugiamus, illa euitemus, & iam commissam culpam fletu magno, & lacrymis validis deletam per tuam misericordiam speremus, & firmetur in nobis lumen tuum, vt illo illuminati rectam viam ambulantes à vento valido contrario non transferamur ad inuium, non recedamus à recto tuo iudicio. Non flos Moab detur nobis, ne florentes egrediamur; sed dolentes, & de peccatis nostris pœnitentiam agamus, Ierem. c. 48. num. 9. Vt quando aduocabit Cælum, & terram, vt discernat bonum à malo ex populo suo, & nos inter bonos, inter tritici grana inueniamur à palea separati. Quando aduocabis Cælum, & terram, vt discernas populum tuum; non sim ille ex ijs duobus, qui in illa nocte reperientur in vno lecto; qui relinquitur, sed assumptus ad dexteram tuam inueniar, Matth. 24. num. 40. Luc. 17. num. 34.

Aduocabit Cælum de sursum, & terram discernere populum suum, Matth. cap. 24. num. 31. Et mittet Angelos cum tuba, & voce magna, & congregabunt electos eius à quatuor ventis, à summis Cælorum vsque ad terminos illorum, & virtutes, quæ in Cælis sunt, dicit Marc. cap. 13. num. 25. Et tunc videbunt filium hominis venientem in nubibus cum virtute multa, & gloria, & tunc

mittet

ipsius, siuè anima eius benedicet in vita ipsius. Magis tamen Greg. in d. lib. 8. Moral. cap. 2. & Augustin. & Sentent. Magist. cohærere simul literæ videntur, propterea illam amplectendam censeo. Ratio prompta videtur, quia si diues iniquè agit, & sentientes commodum ab illo eumdem laudant de iniquitate sua; quomodò Deus illum diuitem iniqua agentem benedicit in terra, qui propterea, quia malè agit, condemnatur in Cælo. Non enim laudatur peccator in desiderijs animæ suæ, nec iniquus benedicitur. Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem, inquit, propterea vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ, Psalm. 44. num. 8. Et qui diligit iniquitatem, odit animam suam; Psalm. 10. num. 6. & cum iniqua agentibus non introibo, dicit Dominus, Psalm. 25. num. 4. immo iniquos odio habui, Psalm. 118. nu. 123. & in perditione impiorum erit laudatio, Prouerb. cap. 11. num. 10. Tantum ergo in vita ipsius benedicetur, idest ab insipientibus beatus dicetur, & confitebitur tibi, dum benefeceris ei, idest diuiti benefacienti. Nàm dixit insipiens in corde suo, non est Deus, Psalm. 13. in princ. quomodò benedicet in quem non credit?

Hanc verò supradictorum Doctorum intelligentiam veram esse versiculus sequens demonstrat; Introibit vsque in progenies Patrum suorum, & vsque in æternum non videbit lumen. Sequitur enim, diuitum, & peccatorum damnationem insinuans; maiorum enim suorum mores sequendo, cum illis & ipse damnabitur, Ioan. cap. 8. num. 44. Vos ex Patre Diabolo estis, & desideria Patris vestri vultis facere. Introibit in progenies Patrum suorum; nàm quis fecit ab initio peccatum, nisi Diabolus? ergo Diaboli ex progenie est, qui facit peccatum; talis est ille, de quo in Psalmo, qui ideò iumentis insipientibus comparatur, quia sine ratione discedit à via recta, à Deo, qui est vera via nostra: longè enim à salute sunt delicta, 1. Ioan. 3. num. 8. Augustin. hic in fine, Confitebitur tibi, cum benefeceris ei, Nolite, ait, esse tales fratres. Videte, quia propterea dicimus hæc, propterea cantatur, propterea tractatur, propterea sudatur, nolite facere ista. Negocia ista vos probant, aliquando in negocio vestro auditis verum, & blasphematis, Ecclesiam blasphematis. Momordisti panem, & dolent dentes; quando videbas ipsum panem laudabas: cœpisti manducare, dolent dentes; idest quando audiebas sermonem Dei collaudabas; cum ibi tibi dicitur fac hoc, blasphemas; Noli sic velle; sic dic, bonus est panis, sed ego non possum illum manducare. Nunc autem, si oculis vides, laudas, cum cœperis dentes premere, dicis, malus est panis iste: & qualis est ille, qui eum fecit? Ideò fit, vt confitearis Deum, quando tibi benè fecit Deus, & mentiaris. Quando cantas, Benedicam Dominum in omni tempore; semper laus eius in ore meo; exigitur de corde tuo cantatio labiorum tuorum. Cantasti in Ecclesia, benedicam Dominum omni tempore, quomodò omni tempore? Si omni tempore lucrum, omni tempore benedicetur, si aliquando est damnum, non benedicis in omni tempore. Certè quia non semper laus in ore tuo est, eris talis, qualiter modo descripsi. Confitebitur tibi, cum benefeceris ei; in hoc omnino sensu virum probum locutum fuisse credendum: sic Augustin. exemplo eorum quæ in hoc Psalmo narrantur, vt discamus nos, siuè pro bono collato à Deo, siuè pro malo semper benedicere Dominum non sicut iste adulator.

Introibit ergo in progenies Patrum suorum, & vsque in æternum non videbit

lu-

lumen. Ex tenebris ad tenebras transit, nec vltrà est lumen ei; hic enim in tenebris ambulat, cum ipsius spes in falsis posita sit bonis, & illùc translatus flens in veris tormentis positus sit. Sed notat Augustin. Quare in progenies Patrum? quia iniquitas ab Adam. Ostendens, inquit, Spiritus sanctus, quia non est mala æquitas, quando ad illam murmuratur, sed hi ab origine vsque ad progeniem Patrum suorum, Patrem suum habent. Nempè iniqui patres, sunt patres iniquorum præsentium: & modò qui iniqui sunt, patres erunt posteriorum iniquorum: idem dicitur de iustis, nàm iusti patres, sunt iustorum patres, & qui modò sunt iusti, patres futurorum iustorum erunt.

Sed quare iterum, quod in medio dixit Spiritus sanctus per Prophetam, nunc, & in fine Psalmi repetit; Homo, dicens, cum in honore esset non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis? Arbitror, quia non ex eò quòd fidem habeas, quòd in gremio Ecclesiæ annumeratus sis, quòdq. in illa dignitatibus sis decoratus Ecclesiasticis, te ex hac sola fide saluum esse credas. Hæc à Deo proueniunt, dignitates, & diuitiæ: Istud audias, istud intelligas, non te extollant illa, quia virtute tua peruenerint ad te: noli in illis cor apponere, iumentis insipientibus compareris, si illas inter egentes, & pauperes non distribuas, si eleuatus in superbiam exalteris. Nàm diuitum huius miseria deploranda est, quibus misericordiæ indumentum deficit, de qua spoliati sunt, immo nec spoliati, quia illi forsan nunquam induti fuerint illa. Væ vobis diuitibus, dicit Iesus, Luc. cap. 6. nu. 24. Pessima enim indumenta maledictionis sunt non induere viscera misericordiæ, Hieronym. in cap. 1. Sophoniæ ad ea verba, Visitabo super Principes, & super omnes, qui induti sunt veste peregrina. Vestis, inquit, filiorum Regis, & Principum indumentum Christus est. Cum ergo debeamus talibus indui vestimentis, pro misericordia, induimur crudelitate, pro patientia, impatientia, pro iustitia iniquitate, ideò, inquit Psalmista, cum in honore esset non intellexit, nàm diuitiæ malitiæ sunt Christi scholæ, vt dicit Chrysost. homil. 7. de Pœnit. & Ioan. Apocalyps. cap. 3. numer. 1. scio opera tua, quia nomen habes, quòd scilicet Christianus sis, quòd viuas, & mortuus es: quia dicis, quòd diues sum, & locupletatus, & nullius egeo; & nescis, quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & nudus, & cæcus, ibidem num. 17. suadeo tibi emere à me aurum ignitum, probatum, vt locuples fias, & vestimentis albis vestiaris, vt non appareat confusio nuditatis tuæ, & collyrio inunge oculos tuos, vt videas. Ego quos amo arguo, & castigo; æmulare ergo, & pœnitentiam age, ecce sto ad ostium, & pulso, si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum, & cænabo cum illo, & ipse mecum: Auribus percipite terrigenæ, simul diues, & pauper; audi diues, cuius est spes in diuitijs: non putes, inquit Augustin. te magnum facere, credendo vnum esse Deum, idquè nobis probatam ostendere fidem tuam: nanque actus credendi, qui procedit à fide informi, licet non sit meritorius, bonus tamen est ex genere, proindèq. benè facis. Cæterùm idcircò non sufficit nuda fides, actusvè illius, quia Dæmones non solum credunt, sed insuper timent, Luc. cap. 4. Quid nobis, & tibi dicunt Dæmones, Iesu Nazarene? scio enim quod es filius Dei. Insuper clamabant exeuntes, & dicentes, quia tu es filius Dei. Et tamen talis cognitio, & professio nihil prodest eis. Sic & tibi non proderit nuda fides,

Iacob.

Iacob. cap. 2. num. 20. Quid proderit fratres mei, si fidem quis *dicat se habere*, opera autem non habeat?

Iterum ergo in medio, & in fine Psalmi dicitur, & in honore positorum damnatur ignorantia, quæ ex illis procedit; quia non intelligant, quòd vana sunt quæ possident; quæ & illos non adiuuant, nec concomitantur, nisi vt in infernum proijciantur, quatenus non benè distribuantur. Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis: sed nunquid aurum, & argentum non est Domini? sicut dixit Aggæ. cap. 2. numer. 9. & vniuersorum est Dominus, Sapien. cap. 12. numer. 16. si homo in honore est, nonnè talem fecit illum ad sui similitudinem, Genes. cap. 1. num. 16. Quomodò in honore positus à Deo, condemnatur à Dauide: Diuitiæ, & aurum, atque argentum spernuntur ab illo? Non creaturam Dei condemnat Dauid; sed quoniam obcæcata prudentia talium honorē in superbiam, aurum, & argentum in magnum recepit, vt iàm in infamiam rei redundet, quidquid de mala cupiditate suscipitur, talis honor, qui inducit superbiam, tale aurum vituperantur, & superbia, & auaritia condemnantur; ideòquè si præstas alijs in honore, in gubernio, memento, quia vt regas subditos, vt pascas oues, non pellem ex illis deducas, non vt tu tamquam Deus illos idolatrare facias. Aurum est tibi, & argentum, ideò habes, vt sint, & præbeant tibi materiam misericordiæ apud bonos animos, Psalm. 111. Dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in sæculum sæculi. Tunc, inquit August. Tom. 10. de Verb. Apostol. Sermon. 28. magis prodest, quando contemnitur, vt ipsa sua conditione testetur, quia est rei huius possessio, cuius abdicatio fructuosa est, iustum Dei iudicium, vt auarus indè torqueatur, indè misericors adiuuetur.

Exerceatur bonorum terrenorum, auriq. & argenti contemptus, per contemptum vtilis. Homo cum in honore sit, cum sit in tenebris, gaudens falsis bonis, & non amans vera bona, veros honores, similis insipientibus iumentis comparatur, quia ex distributione illorum, quæ erant terrena, & non sunt sua, Regnum Cæli comparare poterat, partem hæreditatis Christi facere suam, & non fecit: Augustin. verò in secunda enarratione huius Psalmi ad quæsitum suprâdictum respondet, quare scilicet iste vers. in medio, & in Psalmi fine sit positus, reddit rationem in litera L. propè finem, dicens: Vos homines considerate factos ad imaginem, & similitudinem Dei; imago Dei intus est, non est in corpore, non est in auribus istis, & oculis, & naribus, &c. sed est facta tantum, vbi est intellectus, vbi est mens, vbi ratio inuestigandæ veritatis. Vbi est fides, vbi est spes vestra, vbi charitas vestra, ibi Deus habet imaginem suam: hæc Augustin. Si ergo hæc omnia transitoria sunt, Psalm. 38. Veruntamen in imagine pertransit homo, cur superbis in honore positus? Cur thesaurizas, qui thesaurum illum tecum ferre non potes? Quare non intelligis, quòd cinis es, vt humilis factus, seruus illius efficiaris, qui de Cælo descendit homo factus, vt humilitatem te docens, magnus cum illo in Regno Cælorum efficiaris.

Et tu diues, qui ideò diues factus es, vt pauperi sis in opportunitatibus adiutor, in necessitatibus consolator, vt vnum hìc pauperi distribuens, centuplum in alio Regno recipias: nonnè iumentis insipientibus similis factus es, si illas possidendo amittas moriendo: si nudus efficiaris in ignis tormento; cum illas iuxtà præceptum Domini dispensando hæres fias in Cælo. O homo

iu-

iumentis similis factus, cui talia perscrutanti non aperitur intellectus.

Audite hæc omnes gentes, quia extrà Ecclesiam non est salus; sine fide impossibile est placere Deo: Percipite auribus Orbem habitantes; Vos etiam, qui filij hominis estis, qui baptismo Christi milites eius facti estis, diues, & pauper, cum apud Dominum non sit distinctio personarum, Os enim meúm, quæ Dei est sapientia, loquitur, hanc in corde meo meditatus sum prudentiam.

Audite quæ loquor, in parabolis est sapientia Dei, ad quæ etiam aurē meam inclinabo, & vobis in Psalterio aperiam propositionem meam; Cur faciam mala, vt timeam in die illa tremenda: iniquitas enim calcanei mei circumdabit me. E si præcepta Dei, quæ & ego auribus percepi, non seruauero: nunquid confisus in virtute mea, in diuitiarum mearum multitudine gloriatus liber ero ab iniquitate mea, à pœna perpetua? quis eripiet me, & liberabit? An frater? frater non redimit. An amicus? si frater non redimit, redimet homo? à te rationem requirit Deus villicationis tuæ, neque alius dat placationem suam Deo, nec pretium redemptionis animæ suæ. Liberabit illum, qui laborabit in æternum, & in ærumnis inferni viuet adhùc in finem: idest in sæcula sæculorum? Hæc non consideras, qui in terrenis cupiditatibus totus positus es: eò quia sapientes morientes, simulq. stultus, & insipiens moriantur. Relinquunt enim alienis diuitias, quas suas cogitabant, & sepulchra eorum domus illorum sunt in æternum: tabernacula eorum in progenie, & progenie transeunt scilicet, vtq. nomina illorum vocentur in terris suis. Non cogitant, quòd eorum sepulchra erunt in infernis. Hæc viuens non intellexit homo, quia in honore positus, non audiuit, ideò iumentis insipientibus comparatus est, similis factus est illis, & in sterquilinio simul cum eis sepelietur, vt anima tamen sua crucietur in flammis. Hanc viam elegit, qui in honore positus, viam Dei non accepit, sed in delictis, & in iniquitatibus suis sibi complacuit: Tales iniqui tamquā ouium greges in inferno positi sunt; vt mors, quæ nunquam moritur, depascat illos: vbi nox, & tenebræ erunt in æternum. Tunc iustos in matutino, in luce existentes, iniqui videbunt, qui illos iudicantes, illis etiam dominabuntur, quorum non erit auxilium aliquod, gloriaq. eorum terrena cum illis marcescet, veterascet, nulla erit, nisi ad maiorem illorum pœnam. Hæc narrans Dauid, & vt auribus percipiantur quæ iniquis ventura sunt: de se modò, & de alijs iustis dicit. Veruntamen Deus redimet animam meam de manu inferi, cum acceperit me, in die scilicet iudicij, quia legem suam, & præcepta sua nota feci: illaq. ego audiui, & seruaui. Non ergo terrena curemus, nec cum diues factus fuerit homo, timeamus; & si multiplicata fuerit gloria domus eius. Quoniam si illa vsque ad interitum seruet, nec pauperibus distribuat, cum interierit non sumet omnia: neque cum eo descendet gloria eius. Gloria eius vapor erit à flatu illius, cum interierit, vnà cum progenie patrum suorum iniquorum pertransiet, vt vsque in æternum cum illis nunquam videat lumen: Quoniam viuentes ambulauerunt in tenebris, & magis amauerunt tenebras, quàm lucem: Cum in honore essent, non audierunt legem Domini, iumentis insipientibus similes facti sunt, intellectus expertes sicut & illa, sed in pœna dissimiles: istorum enim perpetua est; illorum verò morte finitur laboriosa vita.

SOLILOQVIVM.

O DOMINE Iesu tu me ex nihilo magnum fecisti, non confundar ego in æternum, quia quæ mea sunt, tua sunt; tu mihi illa dedisti. Non quod ego volo, facias Domine, sed quod tu vis, adimpleam ego. Meam excita rebellem voluntatem, adiuua, vrge, vt quæ tibi placita sunt ego faciam, illa exequar, dum viuo, vt tibi reddam placationem tuam. Verba Dauid serui tui audiui, auribus percepi; & cum in honore homo sim positus, illa intellexi: Ne reuoces me in dimidio dierum meorum; ne patiaris me è vita hac discedere, absque speciali ope tua. Quæ mihi bona dedisti, pauperibus, & egentibus communicare obnixus pro viribus sum. Non sim insipiens inter bruta reputatus Domine; quia ecce intellexi. Animam, quam mihi dedisti, fac vt reddam tibi Creatori, & Redemptori meo, per intercessionem Beatæ Virginis Mariæ Matris tuæ, & Dominæ meæ, Sancti Michaelis Archangeli, Sanctorum Apostolorum tuorum Simonis, & Iudæ, quorum festiuitatis diem præuenimus; vt per quos ad agnitionem tui sancti nominis me venire fecisti, per eorumdem intercessionem ad gaudia æterna peruenire merear. Amen.

IN PSALMVM XLIX.

Deus Deorum Dominus locutus est: & vocauit terram.



CONTINVATVR ad præcedentem, in quo de prædicatione, & de vocatione gentium ad fidem Dei in humilitate, & paupertate. Et quia multi sunt vocati, pauci verò electi: in isto Psalm. 49. ad iudicium Dei in maiestate omnes vocantur, in quo iudex malos malè perdet, bonos verò ad dexteram suam in Regnum Cælorum admittet; In præcedenti ergo sunt vocati; in hoc verò iudicati.

Titulus Psalmi. Psalmus Asaph; quod interpretatur congregans. Quos in alio præcedenti Psalmo filijs Core cantandos, & prædicandos proposuerat; hic congregatos iudicat.

Summa hæc: Congregati ad audiendum iussu Dei congregantur ad iudicium.

Deus Deorum Dominus locutus est: non ergo ex se Dauid locutus est; quādo omnes gentes, omnes hominum filios, vt audirent, conuocauit, Psal.48. in princ. sed est Deus Deorum Dominus, qui per Prophetas olim locutus est. Nunc verò per semetipsum Deus ipse, & Deorum Dominus locutus est, & vocauit terram: Vndè Paul. ad Hebr. cap. 1. in princ. Multifariam, multisq. modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, nouissimè diebus istis locutus est nobis in filio, quem constituit hæredem vniuersorum, per quem fecit & sæcula.

Sed quis iste sit, qui locutus est Deus Deorum Dominus; declarat Dauid, dicens, ex Sion species decòris eius, Ibi enim erant Discipuli congregati, qui acce-

acceperunt Spiritum sanctum quinquagesimo die post Resurrectionem Iesu Christi: missum de Cælo. Inde Euangelium, inde prædicatio, inde impletur Orbis terrarum, Act. Apostol. cap. 1. & per totum: Sed quomodò ex Sion species decoris eius, cum in eodem loco non erat ei aspectus, sed quasi absconditus vultus eius, & despectus, vndè nec reputauimus eum, Isai. cap. 53. numer. 1. & 3. Ex Sion consummatio pulchritudinis; Deus manifestè splenduit, dixerunt quidam Masoretæ. Fulgebit enim in illo loco gloria Maiestatis eius; Et ibi iudicium faciet; vbi cum occultè venit, non est cognitus; nàm si illum cognouissent; nunquam Regem gloriæ crucifixissent, Act. Apost. c. 3. num. 17. Conueniens autem erat, vt vbi despectus iniustè est iudicatus, ibi, vt iudicaret, esset eius aspectus gloriosus.

Deus Deorum Dominus. Ergo alij reperiuntur Dij? & quomodò dicitur in cap. 6. numer. 4. in Deuteronom. Audi Israel, Dominus Deus noster, Dominus vnus est, audi Augustin. Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus, vnus est Deus naturaliter, & substantiuè: Cæteri autem Dij, aut per adoptionem ex gratia; aut per falsam denominationem à Diabolo inuentam, & sunt falsi Dij, de Dijs ex gratia, Psalm. 81. numer. 1. Deus stetit in Synagoga Deorum, in medio autem Deos dijudicat; hi iusti sunt, vt declarat idem Psalm. 81. numer. 6. Ego dixi, Dij estis, & filij excelsi omnes; vos autem sicut homines moriemini, & sicut vnus de Principibus cadetis. Isti homines, quos ex gratia iustificat Deus, non de substantia sua natos deificat. Ille enim, dicit Augustin. iustificat, qui per seipsum non ex alio iustus est; & ille deificat, qui per seipsum, non alterius participatione Deus est; qui autem iustificat, ipse deificat, quia iustificando filios Dei facit Ioan. cap. 1. Dedit eis potestatem filios Dei fieri. Si ergo filij Dei, ergo Dij sumus; ex gratia tamen adoptantis, non naturæ generantis. Vnicus enim Dei filius Deus, & cum Patre vnus Deus, Dominus, & Saluator noster Iesus Christus; In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum. Verbum Deus; Cæteri, qui fiunt Dij, gratia ipsius fiunt, non de substantia nascuntur, vt hoc sint, quod ille, sed vt per beneficium perueniant ad illum: & sint cohæredes Christi: non tamen hæc hæreditas, in qua hæredes sumus, copia possessorum minuitur, nec fit angustior numerositate cohæredum; sed tanta est multis, quanta paucis: tanta singulis, quanta omnibus, 1. Ioan. 3. Videte, inquit, qualem dilectionem nobis dedit Deus, vt filij Dei vocemur, & simus.

Alij verò sunt Gentium Dij, & hi sunt Dæmonia, & non Dij, Psalm. 95. numer. 5. Psalm. 105. numer. 37. Immolauerunt filios suos, & filias suas Dæmonijs. Terribilis est Dominus Deus noster super istos Deos falsos, & iniquos, dicto Psalm. 95. numer. 4. Vndè & illis, qui in vita sua insensatè, & iniustè vixerunt, per hæc, quæ coluerunt, dedisti summa tormenta, etenim in erroris via diutius errauerunt, Deos æstimantes hæc, quæ in animalibus sunt superuacua, Sapien. cap. 12. numer. 14. Dijs istis Dæmonijs terribilis Deus noster, & illa colentibus, contrà Deos falsos, Sapien. cap. 13. per totum, & numer. 10. Infelices enim sunt, & inter mortuos spes illorum, qui appellauerunt Deos, opera manuum hominum, aurum scilicet, & argentum, &c. Cecidit, cecidit Babylon, & omnia sculptilia Deorum eius contrita sunt in terram,

Isai. cap.21.num.9. Quis formauit Deum, & sculptile conflauit ad nihil vtile? Faber ferrarius lima operatus est, &c. Isai.44.num.10.& 16. fecit sculptile sibi, & adorat illud. Nescierunt, neque intellexerunt, infantium insensatorum more viuentes, Sap. d. cap.12.num.25.

Deus ergo Deorum Dominus locutus est. Quomodò autem locutus sit, audistis supra in præcedenti Psalmo per Prophetas suos, per Angelos, per Apostolos, per suos fideles. Per humilitatem nostram, dicit Augustin. cum aliquid verum dicimus, nouissimè per semetipsum, vt testatur Paul. ad Hebr. cap.1. numer.2. Locutus est, & vocauit terram, quæ ab eius sterilitate iàm consumpta erat; iàm in illa Deus omnipotens non cognoscebatur, Ierem. 5. numer.1. Circuite vias Ierusalem, & aspicite, & considerate, & quærite in plateis, an inueniatis virum facientem iudicium, & quærentem fidem, &c. Indurauerunt facies suas supra petram, & noluerunt conuerti. Forsan pauperes sunt, dicebat, & stulti ignorantes viam Domini, iudicium Dei sui. Ibo ad Optimates, & loquar eis, &c. sed ecce magis hi confregerunt iugum, ruperunt vincula, &c. Terram ergo, eos scilicet, qui terreni sunt, qui viam Domini non cognoscunt, qui venerat, vt peccatores saluaret vocauit. Totam vocauit terram. Venit Iesus, vt saluaret omnes, à Solis Ortu vsque ad Occasum, Psalm.18.numer.7. nec est qui se abscondat à calore eius, non excusaberis, si propter tuam obstinatam voluntatem non saluaberis: si quia ignoraueris, si quia magnus, & Rex fueris; ad omnes enim sermo eius fuit, ad diuites, & ad pauperes, ad filios hominum, & ad gentes exiuit sonus eorum.

Deus Deorum locutus est, qui fecit Cælum, & terram, cuius Verbum innotescit omnibus; Deus Deorum totum ostendit; non est qui dicat, ecce hìc est Christus, ecce illìc? in omnibus partibus est Deus: totum redemit, calumniantes autem condemnauit; Lætare ergo sterilis, quia parturis, si vocationem Dei auribus perceperis, Isai.cap.54. numer.1. si mandata eius custodieris.

Vocauit terram, quia longè erat facta à Creatore; vocauit terram, quia longè stans per peccatum à salute, non audiebat præcepta; festinabat ad mortem; vocauit terram, quæ per peccatum properabat ad interitum per dissimilitudinem. In creatione enim similis facta erat Deo: propter peccatum facta est soror, & filia Diaboli: amisit Dei similitudinem, & formam Diaboli recepit, Venit Iesus, quia peccator non erat appropinquans ipsi. Assumpsit de terra carnem nostram mortalem, vt morte sua redimens illam, secum ductam in Cælum, faceret eam æternam, & immortalem.

Ex Sion species decoris eius; quia de Sion exiuit lex, & Verbum Domini de Ierusalem, Isai.cap.2. numer. 3. quia speciosus forma præ filijs hominum, Psalm.44. numer.2. ideò, specie tua, & pulchritudine tua, intende prosperè procede, & regna, ibidem numer. 5. Ex Sion species decoris eius, quia de præparato monte in vertice montium super omnes colles eleuato descendens de domo Domini; ad eum omnes fluunt gentes, vt ambulent in vijs eius, Isai. dicto cap.2. in princip. omnes gentes, à Solis ortu vsque ad Occasum; quia in omnem terram exiuit Apostolorum prædicantium Iesum vox, & sonus.

Ex

Ex Sion species decoris eius, quia ibi magnificatus est Dominus; qui habitat in excelso, & impleuit Sion iudicio, & iustitia. Conterriti sunt in Sion peccatores, possedit tremor hypocritas: quia cum ardoribus non poterat quis habitare, cum igne deuorante; solummodò ibi magnificatus est Dominus Deus noster, Dominus Iudex noster, Dominus legifer noster, Dominus Rex noster ipse saluabit nos.

Et vocauit terram. Quam terram? Nunquid vnam tantum terram, vel regionem; vnam tantum Prouinciam, vnam Iudæam, & Ierusalem. Vocauit omnes Orbem habitantes, à Solis Ortu vsque ad Occasum: ex Sion fuit principium vocationis, signum redemptionis, Luc.cap.24.numer.46. quoniam sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertia die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam, & remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus à Ierosolyma, Mich. dicto cap.5. in princ. numer.2. Et tu Bethlehem Ephrata, &c. ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israel, & egressus eius ab initio, à diebus æternitatis, &c. & num.4. & conuertentur, quia nunc magnificabitur vsque ad terminos terræ.

Deus manifestè veniet, Deus noster, & non silebit. Deus ipse, qui iàm in primo venit aduentu, Diuinitatem suam in carne velando; quasi absconditè, quia in forma hominis, quamuis ex signis, & miraculis quæ faciebat, satis filius Dei demonstrabatur, Ioan.15.num.22. & 24. Si non venissem, & locutus non fuissem eis, peccatum non haberent; nunc autem excusationem non habent de peccato. Et si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent; nunc autem, & viderunt, & oderunt me, & Patrem meum. Absconditus ideò dicitur vultus eius, vt & nos quando facimus eleemosynam, quando oramus, exemplum ab illo capiamus, vt non tuba ante nos canamus; sed nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua; vt sit eleemosyna tua in abscondito; vt oratio tua non sit in platearum angulis, vt ab hominibus videaris. Sed intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora Patrem tuum in abscondito, & Pater tuus, qui videt in abscondito reddet tibi, Matth.cap.6.nu.3. cum seq. Et ex Sion erit species decoris eius, quando dicet tibi: Veni benedicte Patris mei, nudus enim eram, & operuisti me, &c.

Deus noster; & non silebit; Deus Dominus, Deus Christianorum super omnes Deos: Deus noster, quia gentium Dij sunt Diabolus, & Dæmonia, quorum Dominus est Deus noster, cuius aspectu, cuius nomine illi contremiscunt: qui vnus est Dominus, vnus Altissimus Iesus Christus Dei filius, vnus in Trinitate cum Patre, & Spiritu sancto Deus: qui diligit nos: qui lux nostra, & vita nostra est. Ipse manifestè veniet, & non silebit, quia in ictu oculi, in instanti proferens sententiam, iniustos iudicabit; iustos verò suos saluos faciet in regno suo. Non amplius coram Præside tacebit, ipsum iniustè condemnante: ipsum verberibus affectum Iudæis perfidis ad crucifigendum tradente, tamquam spectaculum corona spinea coronatum, veste alba circumamictum populo ad illudendum producente, tamquam reum, illum condemnante: ipso verò Domino Iesu tacente, & non contradicente, nec appellante. Iudex tunc viuorum, & mortuorum in sede suæ Maiestatis sedens, non silebit, quia omnium scelera, atque delicta, omnium cogitationes, & opera erunt coram eo aperta, & nuda. Titulus cuiuslibet in fronte inscriptus apparebit, & titulus in sua Cruce positus,

Iesus Nazarenus, illius redemptioni non erit; nec erit, qui illi contradicere possit. O bone Iesu miserere mei, ne reminiscaris delicta mea, ignorantias meas ne memineris in illa hora. Titulus sanctissimæ Cruci tuæ affixus sit mea salus, quia tu Iesus Saluator es meus; & sis Iesus Nazarenus Redemptor, & Rex gentium, quæ in te crediderunt, & à te redemptæ sunt. Tacuit ergo Iesus coram iniquo iudice vsque ad tempus, quando non silebit.

Et non silebit, qui prius occultus venit. Augustin. Nunquid semper occultus? non certè, quia tunc manifestè veniet; tunc venit occultus, vt manifestus veniret. Venit occultus iudicandus, veniet manifestus iudicaturus, &c. veniet, & non silebit. Quid? nunc modò silet? Et quæ dicimus, Vndè sunt? Vndè præcepta? Vndè monitiones, & præcepta? Vndè ista tuba terroris; Matth. 24. 1. ad Thessalonicens. cap. 4. 1. Corinth. 15. Non silet, dicit Augustin. & silet: non silet admonendo, silet iudicando: non silet à præcepto, silet à iudicio; patitur enim peccatores quotidie malè facientes, Deum non curantes, non in conscientia sua, non in Cælo, non in terra, non certè latent hæc omnia. Et vniuersaliter omnes admonet; & quando aliquos flagellat in terra, admonitio est, nondum damnatio. Silet ergo à iudicio, occultus in Cælo est, adhuc interpellat pro nobis, patiens est super peccatores, & non exercens iram, sed expectans pœnitentiam, hæc Augustin. Sed quando veniet, non silebit; quia sicut fortis egredietur; sicut vir prœliator suscitabit zelum, vociferabitur, & clamabit. Tacuit iam, & tacet, semper siluit, & silet, & patiens est: sicut parturiens, nunc loquar, Isai. cap. 42. numer. 13. dissipabo, & absorbebo simul, non tacet modò, monendo, vt quos redemit inducat in Cælum: vt cæcos in viam suam, quam nesciebant, & in semitas, quas ignorauerant, ambulare faciat; tenebras coram nobis positas splendescere faciens sicut lucem, Isai. dicto cap. 42. num. 16. Sileat Dominus Iesus; nobis ignoscens, & peccata nostra dimittens; vt cum manifestus venerit, cum bonum nobis loqui audiamus: Eiusq. damnationis iudicium longè fiat à nobis. Nunc benè faciamus quod est in nostra potestate; Si minimè correcti illud, quod dolentibus nobis venturum est, experiri noluerimus, quia ignis ante illum præcedet, & inflammabit inimicos eius, Psalm. 96. numer. 3. & Psalm. 67. numer. 3. Sicut siluit terra à facie ignis, sic pereant peccatores à facie Dei. Et quis non metuet ante faciem eius ire? Ignis enim in conspectu exardescet. Ad quid? nisi vt in illum mittat peccatores? ergo dum silet Deus, vitam mutemus in melius; & non timebimus; quia ad ignoscendum patiens est Dominus. Si ergo quod promittit tibi vile videtur; contemnasse quod minatur; timeas perpetuum ignem: Si quod perdis, faciem scilicet Dei, quæ longè facta erit à te, non consideras; supplicia terreant, quem præmia non inuitant, dicit Augustin. nec tamen minor est pœna, priuari facie Dei; nàm sine Deo quid valet vita tua? Ad nihilum, inquit, deductus est in conspectu eius malignus, Psal. 14. nu. 4. Minus malum enim dicunt esse, & mala pati, quàm non esse: Magna est ergo pœna, à facie Dei separari; qui verò mali sunt, hanc non considerant pœnam, quæ perpetua est, & omni dolore plena. Metuant ignē circumeuntem, & stantem, vt illos in perpetuum vrat, non tamen consummentur, vt in perpetuum vrantur: Malum facis quatenus minæ hominum te compellunt, vt malum facias, vt pœnas euadas ad tempus; & minatur Christus perpetuas pœnas, si malū facias, & non facis bonū?

ò cæcitas magna, ò stultæ hominũ delitiæ, vt perpetuò crementur igne. Exardescet, inquit, ignis in conspectu eius, idest vltrà suum naturalẽ calorem, & ardorẽ exardescet. Succensa fuerat fornax illa iussu hominis septuplum, quam succendi consueuerat, Daniel. 3. n. 19. ardebat ignis ille, & tres iustos flamma non tetigit. Fornacis autem, quia succensa erat nimis, viros illos flamma interfecit, qui tres pueros ligatis pedibus, & manibus proieçerant in medio eius. Iustos pueros non tetigit flamma, peccatores interfecit; illa ardens erat facto hominis, ista exardescens iussu Dei. Considera, qualis erit ignium maior potentia; ille statim consumpsit, iste semper vris, & nunquam deficit, semper interficit, & nunquam morieris. Non te inuitant præmia, ò peccator, terreat te pœna. Vrget Domini iussio, ignis exardescit in conspectu suo, non paucos illos consummes? sed quotquot in circuitu Domini mali erunt, omnes enim vocati sunt, & coram illo omnes stabunt, interficiet, vt nunquam deficiant, in ictu oculi in momento; ardens enim erit ille ignis, & exardescens. Ideò tempestas valida flammæ illius, quæ nec vllum malum, & peccatorem prætermittet. Tempestas valida, quia à forti venit iussio, quis enim fortis, sicut Deus noster, palea igni, triticum deliciarum horreo traditur, illa comburitur, hoc seruatur. Tempestas valida, quæ paleam separauit in area; tempestas valida, quia iussu Domini statim à palea separantur, vt seruentur grana, si ergo Christianus es, quare in operando bonum piger es? an ignoras, quòd, qui operatur terram suam, saturabitur panibus, qui autem sectatur otium, stultissimus est, Prouerb. cap. 12. num. 11. & Eccles. 20. num. 30. Quid ergo piger es, vt bonum facias, nisi quia non credis, nisi quia futura damna tu spernis? Augustin. Excutiat vnusquisque cor suum, & videat, quid ibi finis teneat. Si credimus futurum iudicium fratres, benè viuemus: nunc enim tempus misericordiæ est; tunc tempus iudicij erit; in quo & si pœnitentia sit, frustrà tamen, quia non datur alia ad pœnitendum temporis dilatio. Tempestas erit valida, nulla erit excusatio, omnia nuda erunt, ideò instans pœna in instanti, in momento oculi. O Domine Iesu infunde nunc in nos spiritum gratiæ tuæ, spiritum sapientiæ, & intellectus, vt in hoc tempore misericordiæ tuæ, quæ recta sunt faciamus; quæ mala sunt intellectu percipientes, illa fugiamus, illa euitemus, & iàm commissam culpam fletu magno, & lacrymis validis deletam per tuam misericordiam speremus, & firmetur in nobis lumen tuum, vt illo illuminati rectam viam ambulantes à vento valido contrario non transferamur ad inuium, non recedamus à recto tuo iudicio. Non flos Moab detur nobis, ne florentes egrediamur; sed dolentes, & de peccatis nostris pœnitentiam agamus, Ierem. c. 48. num. 9. Vt quando aduocabit Cælum, & terram, vt discernat bonum à malo ex populo suo, & nos inter bonos, inter tritici grana inueniamur à palea separati. Quando aduocabis Cælum, & terram, vt discernas populum tuum; non sim ille ex ijs duobus, qui in illa nocte reperientur in vno lecto; qui relinquitur, sed assumptus ad dexteram tuam inueniar, Matth. 24. num. 40. Luc. 17. num. 34.

Aduocabit Cælum de sursum, & terram discernere populum suum, Matth. cap. 24. num. 31. Et mittet Angelos cum tuba, & voce magna, & congregabunt electos eius à quatuor ventis, à summis Cælorum vsque ad terminos illorum, & virtutes, quæ in Cælis sunt, dicit Marc. cap. 13. num. 25. Et tunc videbunt filium hominis venientem in nubibus cum virtute multa, & gloria, & tunc

mittet

mittet Angelos suos, & congregabit electos suos, &c. Isai.cap.3.num.14. Dominus ad iudicandum veniet cum senibus Populi sui, & Principibus eius, Cælum ergo, quod aduocabit, erunt Apostoli Domini, & omnes, qui gloriam eius enarrant, Psal.18. Cæli enarrant gloriam Dei, illi enim sunt, quorum sonitus exiuit in omnem terram, & in fines Orbis terræ verba eorum, vt in d. Psalm.18. ideò Cælum dicuntur, quia portauerunt imaginem cælestis hominis Iesu Christi, 1.Corinth.15.num.45. cum sequen. Factus est primus homo Adam in animam viuentem, nouissimus Adam in spiritum viuificantem, &c. primus homo de terra terrenus, secundus homo de Cælo Cælestis; qualis terrenus, tales & terreni, & qualis Cælestis, tales & Cælestes, hæc Paul. Portauerunt ergo Apostoli, & fideles imaginem Christi, imaginem Cælestis, qui prius portauerant imaginem terreni: hos de sursum aduocabit Iesus ad iudicandum; terram verò discernere populum suum, vt qui in imagine terreni permanserunt, terreni sint; hoc est, vt segregati à cælestibus sciant, quod idem Apostolus in eodem nu.50. quia caro, & sanguis regnum Dei possidere non possunt; neque corruptio incorruptelam possidebit; sed perpetuò comburetur in igne.

Augustinus litera F. Cum ergo inquit, manifestum sit, multos cum Deo iudicaturos, alios verò non tàm ex æquo, sed pro meritis iudicandos, cum Angelis suis veniet, quando ante eum congregabuntur omnes gentes, & inter omnes Angelos deputandi erunt, qui tàm perfecti fuerint, vt sedentes super duodecim sedes iudicent duodecim tribus Israel; Etenim, inquit, homines dicti sunt Angeli, Matth.5. filij enim Dei vocantur, & illorum est regnum Cælorum, & cap.19. num.28. Vos, qui secuti estis me, in regeneratione cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel, &c. Angelum enim se vocat Apostolus, ad Galat.cap.4.num.14. sicut Angelum Dei excepistis me; immò inquit, sicut Christum Iesum, & benè, cum ipsa veritas dicat, Ioan.cap.17.num.20. & ipsi, inquit, in nobis vnum sunt, ego in eis, & tu in me, &c. & Matth.11.num.10. de Ioanne dixit Iesus, n.8. & 9. Et quid existis videre Prophetam? & dico vobis, & plusquàm Prophetam, hic est enim, de quo scriptum est Malach.3.num.1. Ecce mitto Angelum meum ante faciem tuam, &c. Marc.cap.1.num.2. Isai.40. num.3. & Matth.cap.22.num.30. Erunt sicut Angeli Dei in Cælo.

Aduocabit Cælum de sursum, hoc est Apostolos suos cum corporibus resurrecturos vocabit, vt in duodecim sedes sedentes discernant terram, idest electos à reprobis, vt simul Cælum cum illo discernant populum suum: in iudicio enim alij iudicabunt, quos hìc dicit Cælum, alij verò iudicabuntur, quos hìc dicit terram: sed de his alij saluabuntur, quos hìc dicit terram populum suum: de damnandis tacet, nàm cum erunt discreti, dicetur: Venite benedicti Patris mei, cæteri ipso iure damnati intelligentur, Ioan.3.num.12. iàm enim iudicatus est, Augustin. litera H. cum autem Deus Deorum manifestè veniet, & non silebit, sic aduocabit Cælum sursum, vt iudicet cum ipso: quod enim Cælum, ipsi Cæli sunt, quæ terra, ipsæ & terræ, sicut quæ Ecclesia, ipsæ Ecclesiæ. Aduocabit Cælum sursum, & terram discernere populum suum, Cælum cum illo terram discernet, vt alios ponat ad dexteram, alios ad sinistram, terræ autem discretis dicitur: Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi, esuriui, &c. Matth.d.cap.25.num.34. de humilitate enim

Cælum vocat ad exaltationem; quia dicent, Domine quando te vidimus esurientem? & respondebit, quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis: dabant enim pauperi esurienti amore Dei, & quia non tuba cecinerunt ante se, quando eleemosynam faciebant, quando dicent te vidimus esurientem Domine, quia ignorabat sinistra, quid faceret dextera; quando te vidimus, quia secretò eleemosynam fecimus, & nullus aderat; non vidimus te Domine: & quia humiles, ideò in Cælum exaltati, vocabit & illos sursum, vt sedentes iudicent auaros, & hypocritas facies suas exterminantes, vt viderentur ab hominibus ieiunantes.

Aduocabit Cælos, idest iustos omnes de sursum, & terram idest peccatores discernere populum suum, idest vt diuidat malos à bonis. Nec mirum, nàm vsque ad messem permisit stare zizania, ne simul & triticum eradicarentur, Matth.13.num.39. & 41. sic, inquit, erit in consummatione sæculi; mittet filius hominis Angelos suos, & colliget de regno eius omnia scandala, & mittet eos in caminum ignis. Similiter & Petrus missis in Mari retibus, pisces magnos, & paruos conclusit, & vsque ad litus traxit, dum penè frangerentur retia, Luc. cap.5.num.6.Ioan.cap.21.num.6.

Congregate illi sanctos eius, qui ordinant testamentum eius super sacrificia, vox Patris per Prophetas, quibus futura nota fuere, sicut præsentia. Ordinē enim dat Angelis ad iudicium vocantibus, quos prius ad iudiciũ sint vocaturi. Ordinem hunc docet nos Iesus, Luc.18.n.17. Sinite pueros venire ad me; talium est enim Regnum Cælorum; Quicumqe non acceperit regnum Dei sicut puer, non intrabit in illud, ecce humilitas præcedens; de qua etiam Luc.12.n.32. nolite timere pusillus grex; Secundò præponitur peccator pœnitens, & peccata sua confitens, Luc.15.n.7. Ità gaudium erit in Cælo super vno peccatore pœnitentiam agente, & n 10. Dico vobis, gaudium erit coram Angelis Dei super vno peccatore penitentiam agente; & de peccatorum confessione, idem Luc.d.15.nu.21. Peccaui in Cælum, & coram te, & non sum dignus vocari filius tuus: omnium tamen istorum bonorum operum fundamentum est fides, sine qua impossibile est placere Deo, iustus enim ex fide viuit, ad Roman.1.num.17. Sed quia sine operibus mortua est, Iacob.cap.2.num.26. vbi non ex fide, sed ex operibus iustificatur homo: Iacob.d.cap.2.num.24. proptereà dicit Propheta congregate illi sanctos eius, qui ordinant testamentum eius super sacrificia.

Quales sunt, qui ordinant testamentum eius, nisi illi, qui obseruant, quæ idemmet Iesus fecit, & ordinauit in suo Euangelio? vndè Ioan.1.c.2.nu.6. qui dicit, se in ipso manere, debet sicut ille ambulauit, & ipse ambulare: Congregate illi sanctos eius, qui ordinant testamentum eius, idest qui obseruant mandatũ eius, & in hoc sumus, quia in ipso sumus. Congregate illi sanctos eius, quia tenebræ transierunt, & verum lumen iàm lucet, Ioan. ibid.nu.7. quia mandatum obseruauerunt illius; sed quod mandatum? Ioan.13.nu.34. vt sicut ille dilexit nos, ità & ipsi ad inuicem se dilexerunt. Charitas erat inter illos; libenter fecerunt, quod ipse Iesus pro nobis fecit; qui pro salute nostra animam suam posuit pro nobis. Vndè dicit Prosper Secundo de Vita contemplatiua, cap.21. Quid est ambulare, sicut ipse ambulauit, nisi libenter facere, quæ fecit, sequi, quò ipse præcessit. Nàm sicut supra fundamentum fabrica, sic super fidem opera construuntur, Gregor.25. Moral.cap.10. ideò Matth.cap.7.num.24. omnis, qui

audit verba hæc, & fecerit ea, similis est viro sapienti, &c. Non ergo dicit Ambros. in Psalm. 118. qui audit tantummodò similis erit, sed qui faciet, quæ audierit. Fidem ergo habeas, & opera tua opereris, & congregaberis illi cum Sanctis eius; Egregiè August. & supradicta verba more solito diuino interpretatur, dicens; Congregate illi Sanctos eius, &c. Vox diuina, & prophetica, videns futura tamquam præsentia, exhortatur Angelos congregantes; mittet enim Angelos suos, Matth. 25. & congregabuntur omnes gentes; congregate illi iustos eius. Quos iustos? nisi viuentes ex fide, facientes opera misericordiæ. Etenim opera illa iustitiæ opera sunt; habes Euangelium Matth. cap. 6. num. 1. Cauete iustitiam vestram facere coram hominibus, vt videamini ab eis, & quasi quæreret, quam iustitiam? cum facis, inquit, eleemosynam, &c. ergo eleemosynas opera esse iustitiæ significauit. Congregate iustos, idest qui compassi sunt inopi, qui intellexerunt super egenum, & pauperem. Congregate illos, conseruet illos Dominus, & viuificet eos, qui ordinant testamentum eius super sacrificia, idest qui disponunt sicut ordinatum est, vt egenis subueniant, & de perpetratis doleant, & confiteantur, vt fidem Christi firmiter teneant, & de promissis cogitent, qui talia bona erga proximum operati sunt; hæc enim, vt dixi, iustitiæ sacrificium sunt, quæ placent Deo, Psalm. 50. vers. vltimo, tunc inquit, acceptabis sacrificium iustitiæ, oblationes, & holocausta, hanc enim Deus vult, & iubet misereri, Matth. cap. 9. num. 13. Misericordiam, inquit, volo, & non sacrificium. Istorum annunciabunt Cæli iustitiam, quando in iudicij discretione dicetur illis: Venite Patris mei benedicti, percipite regnum, &c. Matth. d. c. 25. regnum, dicit, percipite. O magnum pietatis opus, vt pro minimo exhibito, regnum quis percipiat, Regnum dico Cælorum: dedistis mihi, inquit, manducare, quando esuriebam. Et quis esuriebat? Pauper, ergo cibando pauperem acquiritur regnum. Quid tàm vile, quid tàm terrenum, quàm frangere panem tuum esurienti? quis non franget panes esurienti? quis illum non induet nudum existentem, quis carnem despexerit pauperis, cum illa sit, & Christi caro? quod enim vni ex minimis feceritis, mihi fecistis, inquit Iesus, Matth. 25.

Congregate illi Sanctos eius, qui ordinant testamentum eius. Et postquam fuerint congregati, quid de illis erit? Audi, annunciabunt Cæli iustitiam eius, quoniam Deus iudex est. Qui Cæli, nisi Apostoli Domini? illi enim annunciauerunt nobis iustitiam eius: cuius iustitiam, nisi Dei? Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum, Psalm. 10. num. 8. bonos, & iustos ad dexteram suam ponet, malos verò ad sinistram. Annunciauerunt hæc Apostoli Dei, quòd malos malè perdet, iustos verò in gloriam cælestem collocabit: Venite dicens benedicti Patris mei, percipite regnum, &c. Quoniam Deus Iudex est, non conscernens, sed discernens: nouit enim Dominus, qui sint sui, quia inter malos sis, non turberis, latent enim grana inter paleas, & Agricolæ nota sunt, scit enim discernere, qui zizania reliquit ad comburendum. In fine non falluntur oculi ventilatoris nostri, vt discernat paleam à granis, & si valida erit in circuitu tempestas, remanet tamen granum, & disperduntur paleæ: non enim rusticus illa colligit cum Tridente, sed Deus Trinitas, cui omnia sunt nota, est qui granum separat à palea: qui aliàs dixit, quod omnes capilli capitis nostri numerati sunt; & nec capillus de capite nostro peribit, Matth. 10. num. 30. Luc. cap. 12. num. 7 & cap. 21. num. 18.

Audi

Audi populus meus, & loquar Israel; & testificabor tibi Deus, Deus, Deus tuus ego sum. Alloquitur Deus populum suum, sed quis populus eius, nisi omnes iusti, germen plantationis suæ, opus manuum suarum? Isai. c.60.nu.21. & cap.43.num.7. & omnem, qui inuocat nomen meum, in gloriam meam creaui eum, & feci eum: Audi ergo populus meus, qui signo Crucis signatus es, qui aqua Baptismi lotus, qui Christi nomen retines, non amplius Iacob, sed Israel vocatus, quia omnia, quæ audiui à Patre meo, nota feci tibi, Ioan. cap.15.num.15. quia videns Deum es, ità enim interpretatur Israel, seù præualens Deo: si Christianus es, audi me: quia ex me ipso non loquor, sed qui misit me Pater, ipse mandatum mihi dedit, quid dicam, & quid loquar: Audi, & verba mea custodi, si populus vis esse Dei, parum est quòd audias, si non custodis, quia est qui te iudicet, qui te condemnet, & iàm iudicatus es. Deus tuus ego sum, qui testificor tibi. Sed quid testificatur? quod est mandatum eius? Congregate ei Sanctos eius, qui ordinant testamentum super sacrificia;& ipsi annunciabunt tibi popule Christiane,quia mandatum eius est vita æterna, Ioan.d.cap.12.nu.50. si illud obseruabis supra sacrificia. Hæc tibi ille dicit, qui Deus tuus est. Hæc testificatur in omnes populos, vt obseruent quæ dicta sunt in mandatis eius super sacrificia. Audi Israel, & testificabor tibi, & prius dixit, audi populus meus, & loquar, quid est hoc? Nunquid aliud est populus meus, aliud per Israel, intelligat Psalmista verbum Dei loquens? Crederem, quòd sicut non omnes, qui ex Israel sunt, hi sunt Israelitæ, neque omnes, qui semen Abrahæ, hi filij, sed qui filij sunt promissionis æstimantur in semine, ibid.num.8. sic in hoc vers. intelligendum putamus: vt qui nunc sunt populus Dei, sint omnes Christiani, quibus verbum Dei prædicatur, quorum adoptio est filiorum, & gloria, & testamentum, &c. dicit Paul. vt supra ad Roman.cap.9.num.3. sed non omnes Christiani salui fiunt, non omnes iusti, non omnes obediunt Euangelio, non omnes Israel, idest videntes, & illuminati: Propterea dicit, audi populus meus, & loquar tibi; nàm si non audierit, non loquetur illis; ergo tunc non erit populus Dei, licet Christianus vocetur. Tibi ergo, qui populus Israel es, qui videns Deum es, verba eius audis; testificor, quia Deus tuus sum ego, & loquar tibi Israel, quia audiens verbum Dei ab ipso Deo missum intelliges, & eris videns Deum per fidem. Non ergo tibi sufficit ò Christiane, aures vt habeas, nisi audias, & operando adimpleas; non tibi sufficit, quòd sis Christianus nomine, nisi audias, & opere perficias quod intelligis; noli confidere in verbis mendacij, dicens, Christianus sum: Templum Domini, Templum Domini est, Ierem.cap.7. num.6. & 9. Non est spelunca latronum Templum Domini. Proijciam vos à facie mea, dicit Dominus, ibid.num.14. & Malach.21.num.13.Luc.19.num.46.

Non in sacrificijs tuis arguam te. Non damnat sacrificia, sed quærit à te præcedentia illis; & quæ præcedentia sint, dixit supra, & declarauit num.5. dicens; congregate illi Sanctos eius, qui ordinant testamentum eius super sacrificia; testamenti,ordo,quem obseruandum iubet,in duobus consistit;diliges nempè Dominum Deum tuum ex toto corde tuo,ex tota anima tua,& ex omnibus viribus tuis, & proximum tuum sicut te ipsum: hæc sint præcedentia, & subsequantur sacrificia: & hoc est, quod dicit, audi Israel, idest audi sicut Israel: videns Deum: Vndè Hieron. & Gloss. hìc, si es Israel, si es me videns, audire me-

me non negligas, & testificabor tibi, idest per scripturas, & per miracula ostendam tibi, quòd ego sum Deus omnium, qui omnia creaui, quem omnes contremiscunt, & sum Deus tuus particulariter, propriè, & familiarius, quia te habeo seruum, & tibi in Prophetis promissus sum, & qui sanguine meo te perditum redemi. Augustin. hic litera H. Audi popule meus, & loquar tibi; nàm si non audis, & si loquar, non tibi; quando ergo tibi loquar? si audis; quando audis? si populus meus es, audi ergo populus meus, non populus alienus: audi populus meus Israel, & testificabor tibi: Israel audi, populus meus audi: Israel nomen electionis est, non vocaberis, inquit, Iacob, Genes. cap. 32 sed vocaberis Israel, sicut videns Deum; & si nondum specie, sed in fide: hoc enim interpretatur Israel, videns Deum, hæc Augustin. qui sequitur, dicens, Vt audiamus quid loquatur Deus populo suo, Israeli suo: Deus Deus tuus ego sum, Deus tuus ego sum: quomodò Deus tuus ego sum? ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob, Ezod. 8. ego sum, qui sum, dixit Moysi. Sum Deus, & tuus sum Deus, & si non sum Deus tuus, sum Deus; bono meo sum Deus, malo tuo non sum Deus tuus. Etenim Deus tuus est propriè, quem familiarius habet Deus, tamquam in mancipio suo, tamquam in peculio suo: inquit ergo, Deus Deus tuus sum ego; si ergo Deum habes, & est tuus, quid preciosius desiderare poteris, quid eo dulcius? dona quærebas? ipsum donatorem habes: si ergo audieris loquar, & populus meus eris; si non audieris, nec ego loquar, nec populus meus eris, nec tunc etiam proderunt sacrificia tua, Osee cap. 4. nu. 19. ligauit eum spiritus in alis suis, & confundentur à sacrificijs suis, & idem cap. 5. num. 6. in gregibus suis, & in armentis suis vadent ad quærendum Dominum, & non inuenient, ablatus est ab eis.

Audi ergo popule meus; melior est enim obedientia, quam victimæ; & auscultare magis, quàm offerre adipem, 1. Reg. 15. num. 22. Custodi pedem tuum ingrediens domum Dei, & appropinqua, vt audias; melior est enim obedientia, quàm stultorum victimæ, qui nesciunt, quid faciunt, Eccles. c. 4. nu. 17. in fine.

Si audieris, loquar Israel, & testificabor tibi, quia Deus Deus tuus ego sum; & non in sacrificijs tuis arguam te; holocausta autem tua in conspectu meo sunt semper. Sed quomodò in sacrificijs, si non fiant, non argues? Nonnè tu sacrificia Domine instituisti, & sacrificium, Genes. cap. 4. & Leuit. cap. 1. & toto titulo, Exod. cap. 27. & 29. eodem titulo, quare ergo non arguuntur si à sacrificijs cessauerint? & si semper in conspectu tuo sunt, quomodò cessant? & si sacrificia illorum in conspectu tuo sunt semper, cur illis non delectaberis, sicut in illo Abel, Genes. c. 4. quid dicis Dauid sancte; nunquid in paucis contrarius es tibi? Non, inquit, in sacrificijs scilicet, quæ non facis arguam te, holocausta autem tua in conspectu meo sunt semper: si in conspectu tuo sunt semper, quomodò si sacrificia non fiunt, non arguuntur? Recedant vetera, inquit Dauid ex ore Dei, quæ in figura sunt ordinata, donec veniat, qui mittendus est, qui iàm venit; nàm propter quid ordinata credis à Deo sacrificia pinguium, Leuit. cap. 3. num. 4. ibi & retiaculum iecoris cum renunculis adolebis ea super altare in holocaustum, &c. hæc enim in figura facta sunt nàm anima inflammatur charitate, & membra in suum vsum rapit ignis charitatis, ne seruiant cupiditati: propterea adipem cum renunculis offerebant iussu Domini, vt interna Charitas, quæ Deo chara est significaretur. Ideò animalium sacrificia

ibidem

ibidem sublata intellexit Dauid, quia qui spontè tamquam Agnus occidi voluit, venit, qui seipsum Deo Patri in sacrificium obtulit, ideò illorum sacrificia Deo amplius non acceptabilia. Si voluisses sacrificium dedissem, vtique holocaustis non delectaberis. Quod verò sacrificium sit illi acceptum, inquit, sacrificiũ Deo spiritus contribulatus, in quo sit vera Fides, Spes, & Charitas; tunc acceptabile sacrificium: Cor contritum, & humiliatum Deus non despicies: d.Psal.50.n.19. Vt in illo legimus, qui humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem Crucis, ad Philip.2. Et si ergo sacrificia tua non offeras, non arguam te, quia misericordiam volo, & non sacrificium, Osee 6. num.6. Holocaustis non amplius delectabor, sed cor contritum, & humiliatum non despicio. Tunc acceptabis sacrificium, oblationes, & holocausta. Holocaustum acceptabile Deo, vt totum igne consumptum sit, requirit, igneq. charitatis flagrantissimæ absumptum; quo igne pro te occidi voluit, Augustin. lit. B. Animus inflammatur charitate, arripiat eadem charitas membra in vsum suum, nec ea permittat mihi militare cupiditati, vt totus exardescat, igne amoris diuini, qui vult offerre holocaustũ Deo; talia holocausta tua in conspectu meo sunt semper.

Quæ verò in testamento veteri pinguium animalium holocausta ordinata erant, in figura tantùm erant noui Testamenti; per quod Deo placitum cognouimus holocaustum totum amore flagrans erga nos, quia seipsum filius Dei obtulit sacrificium Patri, vt culpam deleret, aliàs indelebilem, & nos filios suos in charitate sua coniungeret. Ità enim dilexit nos Deus, vt filium suum vnigenitum traderet, suumq. corpus, & sanguinem nobis pro sacrificio Patri acceptabile relinqueret offerendum. Non ergo in sacrificijs arguam te; quòd ea non facias, nec si multitudinem eorum offeras, ego respiciam, Eccles. c.34. numer.23. nec in multitudine sacrificiorum eorum propitiabitur peccatis; & Isai.cap.1. Quò mihi multitudo victimarum vestrarum, dicit Dominus? plenus sum: Holocausta arietum, & agnorum, & hyrcorum nolui; quis quæsiuit hæc de manibus vestris, vt ambuletis in atrijs meis? num.12.& 13. Ne offeratis vltra sacrificium frustrà, incensum abominatio est mihi, & num.16. Lauamini, & mundi estote, &c. idem Ose. dicit num.22. cap.5. Quòd si obtuleritis mihi holocaustomata, non suscipiam; & vota pinguium vestrorum non respiciam, ità etiam dicit Deus 1.Reg. cap.15. num.22. Nunquid vult Dominus holocausta, & victimas & non magis, vt obediatur voci Domini; melior est enim obedientia, quàm victimæ. Duplici ergo ex causa non sunt accepta holocausta pinguiũ, quia ab iniquis, & peccatoribus illius temporis ministris erant oblata. Secundò, quia iàm per aduentum Christi, illa lex euacuata erat, quæ futurorum bonorum vmbram habebat, non ipsam imaginem rerum, ad Hebr. cap.1. Audiamus Paulum: Impossibile enim est sanguine taurorum, & hyrcorum auferri peccata. Ingrediens ergo mundum dicit, hostiam, & oblationem noluisti, vt in hoc Psalm. nostro, corpus autem aptasti mihi, holocaustomata pro peccato non tibi placuerunt, tunc dixi, ecce venio. In capite libri scriptum est de me, vt faciam Deus voluntatem tuam. Superius dicens, quia hostias, & oblationes, & holocaustomata pro peccato noluisti; nec placita sunt tibi, quæ secundum legem offeruntur, tunc dixi, ecce venio, vt faciam Deus voluntatem. Aufert ergo primum, vt sequens statuat, in qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Iesu Christi semel. Et omnis quidẽ Sacerdos præstò est quotidie ministrans

in templo, & easdem sæpè offerens hostias, quæ nunquam possunt auferre peccata; hìc autem vnam pro peccatis offerens hostiam in sempiternum sedet in dextera Dei; hæc Paul.

Non ergo, ò Israel, dicit Deus, quia holocausta tua sint in conspectu meo semper existimes, illa mihi grata esse. Non accipiam, expresse dixit, de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hyrcos: sed holocausta tua, quæ sunt tui iuris, quæro, illa in conspectu meo sunt semper; tui iuris enim est anima tua: quia illam reliquit tibi Deus in potestate tua, Ecclesi.c.15. n.14. Deus, inquit, ab initio constituit hominem, & reliquit eum in manu consilij sui, adiecit mandata, & præcepta sua, si volueris mandata seruare, conseruabunt te, &c. holocausta ergo tua, quæ sunt tui iuris, hoc est animam tuam igne amoris Dei inflammatam quæro, illa acceptabilis est apud me, dicit; inflammetur anima nostra, vt membra in suum vsum rapiat, dicit August. ne quando seruiant cupiditati, hæc holocausta Deo grata, & accepta; quia ex corde igne amoris diuini consumpto quotidie coram Deo fiunt, hæc sunt renuncula, quæ in Leuit. d.cap.3. igne vt comburerentur, mandata sunt.

Eia ergo fratres, qui templum sumus Dei viui, 2.Corinth.cap.6. numer.16. & nostra membra templum sunt Spiritus sancti, 1.Corinth.cap.3.nu.16. & c.6. nu.19. Eijciamus ab illo ementes, & vendentes, nec patiamur illud esse latronum speluncam, Matth.cap.21.num.13. Marc.13.num.7. Luc.c.19.num.46. Et si Christi membra sunt corpora nostra, nunquid meretricis membra vt sint, patiamur? absit, 1.Corinth.cap.6.num.19. adhæreat anima nostra Deo, vt vnus spiritus cum illo simus: Vndè Apostolus ibid.nu.19. An nescitis, quoniam mẽbra vestra, Templum sunt Spiritus sancti: qui in vobis est, quem habetis à Deo, & non estis vestri? empti enim estis pretio magno. Glorificate, & portate Deum in corpore vestro, hæc Paul. & 2.Corinth.c.6.n.16. Qui autem consensus templo Dei cum Idolis? Vos enim estis Templum Dei viui, sicut dicit Deus, Deut.26.num.12. Quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo inter eos, & ero illorum Deus, & ipsi erunt mihi populus. Abijciamus ergo opera tenebrarũ, & de medio earum exeamus, separemurq. ab illis, vt Deus nos recipiat in æterna sua tabernacula; in fletu eamus, vt in misericordia nos reducat Deus, Ierem.31.nu.9.

Etsi templum Spiritus sancti sunt membra nostra, comburentur igne Spiritus sancti; vt anima nostra igne amoris Iesu Christi inflammata abominabiles reijciens cupiditates, fiat continuum holocaustum Deo omnipotenti acceptabile, & gratum. Ad hoc enim templum corporis nostri institutum est, vt in eo offeratur Deo sacrificium sanctum, purum, & acceptabile. Sacrificium, inquit, Psalm. Deo spiritus contribulatus, cor contritum, & humiliatum, &c. Eccles. cap.35. in princ. Qui conseruat legem, multiplicat oblationem, sacrificium salutare est attendere mandatis, & discedere ab omni iniquitate, & numer. 5. Qui facit misericordiam, offert sacrificium, & Isai. cap.1. numer.16. Lauamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis, quiescite peruersè agere, Istud est holocaustum, de quo hìc; Holocausta tua in conspectu meo semper; quia tales semper esse debent pœnitentes, & fideles, igne charitatis, & amoris Dei accensi, & ista semper requiruntur, vt sint in conspectu Dei semper. Holocaustum ideò dicitur, quia totum debet esse incensum, & sibi nihil reseruandum est; sicut in illo veteris legis sacrificio;

quod offerebatur pro iustitia conseruanda: quod totum incendebatur, totum per ignem resoluebatur, & isti, qui totam vitam suam offerunt, & nihil sibi de propria voluntate relinquunt, sunt holocaustum Deo placitum, & in conspectu eius semper manens, offerunt enim quod in Baptismo promiserunt, promissionis suæ obseruantiam: vel & quando pro peccatis perpetratis afflictiones in pœnitentia iniunctas sacrificium offerunt, quod etiam apud Deum est delectabile, & acceptabile; cum contritum cor ille non despiciat. Et ideò magis dicitur ad iustitiam pertinere istud sacrificium: quia qui peccauit immolatur, dum homo membra sua mortificat per pœnitentiam, quibus fuerat vsus ad culpam: & anima, quæ carni consenserat, cum carne affligitur. Hæc quæro, dicit, sacrificia, quæ veniunt ex voluntate tua, non animalium sacrificia, sed animæ holocaustum igne charitatis inflammatæ.

Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hyrcos. Nàm tametsi animalium illorum sacrificia à Deo instituta, prius fuerint sibi gratissima, immo & propitiatoria, vt in Leuit. cap. 1. num. 3. & 4. ex hoc quod hìc dicitur, manifestè colligitur, per aduentum filij Dei illa sublata; cessasse. Non ergo accipiam de domo tua vitulos; hæc enim sacrificia non requirit Deus à populo, qui in iniquitate sua corruerat, sed illorum iniquitates tollere volens ea requirit, quæ spontaneè ab ijs offeruntur cordis contritione, quos diligit.

Audi, inquit, popule meus, & loquar Israel, Deus tuus sum ego. Conuertere ad me, quia iniquitates tuæ supergressæ sunt caput tuum; congregate mihi Sanctos meos, qui ordinant testamentum meum super sacrificia; quia ipsi reddent mihi, non vitulos, & hyrcos de domo illorum, sed vitulos labiorum suorum, Osee 14. n. 3. Confitentes me filium Dei Iesum Christum, illorum redemptorem, & creatorem: Et ideò infrà nu. 15. inquit, Immola Deo sacrificium laudis, quia immisit Deus in os tuum canticum nouum tuæ redemptionis, Psalm. 39. n. 4. & ideò laudis exultatione laudemus Deum nostrum, Psalm. 62. nu. 6. Os nostrum dilatemus fratres, vt illud Deus impleat, Psalm. 80. num. 11. audiamus vocem eius omnia facientes, quæ nobis præcipit, vt illi nos simus in populum, & ille nobis sit in Deum, Ierem. 11. nu. 4. Demus Domino Deo nostro gloriam antequam contenebrescat, & offendant pedes nostri ad montes caliginosos.

Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hyrcos: Quomodò in domo dicit esse vitulos; in gregibus hyrcos? Nisi quia per vitulũ intelligit auaritiam, seù auarũ, per hyrcos verò in gregibus, luxuriosum? In domo vitulus, quia auarus aurum non retinet in plateis: Vitulo enim ex historia Aaron Exod. c. 32. n. 24. & 25. ideò auaritia designatur, quia tulerunt Iudæi aurum, quod iusserat Aaron, eoq. proiecto in ignem egressus est vitulus: Aurum tulit Aaron, sed illud alterius erat; non suum: in igne positum ardoris scilicet possidendi alienum; oritur in domo vitulus, cuius caro gustui aptior; retinetur vitulus in domo, quia auarus gustat de auro; nec partẽ facit proximo, ideò illud retinet in domo. Vndè 3. Reg. c. 6. n. 20. Operuit illud, idest oraculum auro purissimo; Regia Biblia habet, conclusum aurum; August. aurum inclusum: alij verò aurũ conclusum dicunt, quod diligenter custoditur ab auaris in thesauris, vt in publicũ prodire minime sinatur, vndè Iuuenal. inquit, flagellantur opes, ne scilicet è carcere, & custodia exeant ad miserorum subsidium, vt posteà sint testes eorum damnationis ęternę.

Neque de gregibus hyrcos, Nàm luxuriosum animal est hyrcus; qui ideò in

gregibus permanet; cum homo luxuriosus inter bestias reputetur, qui intellectum non habet. Nolite fieri sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus, dicit Psalm. 31. nu. 10. Eccles. 3. n. 18. Homines similes bestijs. Nec mirum, si bestijs luxuriosus comparetur; nàm ex Aristotile Ethic. cap. 1. impetus libidinis mentem humanam à suo statu, & sede deturbat, & August. 4. contrà Iulian. ex Cicerone, qui in suo Hortensio ex Platone dixit, luxuriæ motus sicut maximus est, ità inimicissimus philosophiæ, & sapientiæ, proinde non potest stare voluptas corporis cum cognitione, & sapientia, quæ mentibus pudicis maxime sese accommodat. Facit c. 47. n. 22. in Eccles. quod ibi dicitur de Salomone, Et impletus est sapientia sicut flumen erat, collegit quasi auricalchum aurum, & vt plumbum compleuit argentum. Et inclinasti, inquit, fœmora tua mulieribus, potestatem habuisti in corpore tuo, dedisti maculam in gloria tua, & prosanasti semen tuum, inducere iracundiam ad liberos tuos: & incitari stultitiam tuam. Hinc notat Rupert. lib. 1. in Num. c. 10. Scripturam dixisse, Num. c. 5. n. 12. Vir, cuius vxor errauerat, maritumq. contemnens dormierit cum alio viro; adducet eam ad Sacerdotem, & offeret oblationem pro ea decimam partem satis farinę hordaceæ. Non similam frumenti, sed ordeum dicit, quod est iumentorum pabulum, quia fluxum est sequuta iumentorum adultera mulier.

Hunc non accipit de domo tua Vitulum, hunc, qui Idolum est tuum, Ose. dicto cap. 12. num. 8. Verumtamen, inquit, diues effectus sum, inueni Idolum mihi; Vbi D. Hieronym. exponit, & est communis expositio, quòd sibi ipsi diues inuenerit Idolum, quando diuitias velut Idolum colit. Ideò dicitur in Euangel. Matth. cap. 6. num. 24. Nos non posse seruire Deo, & mammonæ, cor enim esset diuisum; totum autem cor requirit Deus, Psalm. 118. Beati, inquit, qui in toto corde scrutantur testimonia eius, & Matth. cap. 12. num. 30. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua: hinc Iacob. in sua Epist. Canonic. cap. 5. Diuitiæ vestræ putrefactæ sunt, & vestimenta vestra à tinea comesta sunt: Aurum, & argentum vestrum eruginauit, & erugo eorum in testimonium vobis erit, & manducabit carnes vestras sicut ignis: thesaurizastis vobis iram in nouissimis diebus.

Non ergo accipiam de domo tua Vitulos; non dixit Vitulos tuos, neque hyrcos tuos; sed de gregibus tuis, quos tibi custodiendos commisit, omnia enim sunt Dei; sed vt pauperibus, & egenis distribueres mandauit. Tu verò in terram fodisti, in domo conclusisti ea, vt tuæ auaritiæ essent ad condemnandum testimonia sufficientia. Quoniam, inquit Deus, meæ sunt omnes feræ syluarum, iumenta in montibus, & boues; quæ indomita tu non possides, & etiam iumenta, quæ pascis in montibus, & boues, quos pascis tu, & enutris, omnia mea sunt, propterea quia mea sunt, non amplius acceptabilia, quia ex aduentu filij mei Iesus cessat figura: lex enim & Prophetæ vsque ad Ioannem, Matth. 11. n. 13. Luc. 16. n. 16. Cum ergo Ioannis tempore venerit prophetatus, & legis finis, qui est Christus; non amplius de domo tua Vitulum pro sacrificio accipiam; eo quòd hæc omnia mea sunt, nihil de tuo offers; filius meus Iesus pro tui redemptione mihi obtulit semetipsum, obtulit, quia voluit; Isai. d. c. 52. ità præbuit tibi exemplum, vt tu quod tuum est, offerres mihi, scilicet cor tuum, voluntatem tuam cum eadem humilitate, qua humiliauit semetipsum Iesus, qui etsi Deus, homo tamen pro te factus est, & passibilis; & ad rem nostrã,

Holo-

Holocaustum est erga Deum voluntas nostra, fide, & charitate habituata, cum spiritu nostro contribulato, & corde contrito, vt illam Deo offeramus in humilitate, Eccles. 3. num. 20. In mansuetudine opera tua perfice: & quanto magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam.

Non accipiam de domo tua vitulos, quia cessauerunt in populo Hebræo, illa fides, pietas, animiq. motus, propter quæ talia sacrificia erant vitulorum, & arietum, & aliorum Deo grata; Cæterum quæ offerebantur bruta, & insipida erant, Deoq. indigna. Venit nunc filius Dei, cuius typus erant illa, & imago, qui non animalium sacrificium, sed suum corpus, & sanguinem in sanctissimæ Eucharistiæ Sacramento propitiatorium, Deo gratum, & iucundum, agnum immaculatum seipsum Deo offerendum, & seipsum manducandum nobis præbuit in remissionem omnium nostrorum peccatorum. Suscipiatur ergo agnus ille mansuetus à nobis in mansuetudine, in corde contrito, in humili, & bona voluntate, ne quando illum non suscipientibus, irascatur Dominus, & pereamus de via iusta, Chrysol. Serm. 6. ad illa verba Psalmi 99. Scitote quia Dominus ipse est Deus, Dominus, inquit, Deus est, qui fuit in carne nostra pusillus, qui fuit in cunabulis nostris capax, dulcis in gremio, mitis in habitu, in nostro Contubernio blandus, & ideò introite in conspectu eius in exultatione, quia totum pauorem diuinitatis, totum metum Iudicis in habitum nostrum dedit; prouidenti locauit aspectu, vt ingressus non pœnas Iudicis, sed parentis præsumat aduentum; & Bernard. de Diligendo Deo, humanitas, & benignitas: nàm potentia quidem occulta est, quando in infirmitate venit, & in Serm. 1. de Natiuit. Domini, potentia in Creatione apparebat, sapientia in rerum gubernatione, sed benignitas misericordiæ nunc maxime apparuit in humanitate.

Cur accipiam de domo tua vitulos? Vt mihi sint filio meo gratiora? ò insipientia stultorum maxima: audi Bernard. Serm. 45. in Cantic. Quàm pulcher Angelis tuis Domine Iesu in formam Dei, in die æternitatis, in splendoribus Sanctorum? quàm mihi decorus in ipsa tui huius depositione decoris? Etenim vbi te exinanisti, vbi naturalibus radijs lumen indeficiens exuisti, ibi pietas magis, ibi charitas plus effulsit, ibi amplius gratia radiauit. Quam clara mihi oriris stella ex Iacob? Quam lucidus flos de radice Iesse? & cogitas quia holocaustum de domo tua, accipiat vitulum, & hyrcum, relicto sacrificio, & holocausto filij sui vnigeniti præ forma hominum speciosissimi, qui seipsum agnum immaculatum obtulit Deo Patri? Non accipiam de domo tua vitulum, & hyrcum, cum tu similis illis factus sis per peccatum: & sicut terrestria animalia.

Omnia mea sunt, ità & volatilia omnia, antequam fierent ego cognoui; proptereà nec illa mihi in sacificium oblata grata sunt, quia mea sunt similiter. Et pulchitudo agri mecum est, hoc est illum arbitrio meo pulchrum facio, & vberem, mecum enim sunt hæc, quia Cælum, & terram ego impleo, Ierem. 23. n. 24. Cognitio Dei duplex; alia simplex, per quam scit omnia, & cognoscit etiã occulta, bona, & mala, vt Ierem. in d. c. 23. n. 24. Daniel. 13. n. 42. Deus æterne, qui absconditorum es cognitor, qui nosti omnia, antequam fiant, altera verò est cognitio approbationis, & complacentiæ, & sic bonos solum, & bona cognoscit; sed non malos, vt mala quia non approbat illa; Vndè Psal. 17. de populo Gentili loquens: Populus, quem non cognoui, obediuit mihi. Non ergo post institutionẽ Sacramenti Eucharistiæ cognouit bouum, vel volatilium sacrificia approbando

Cognosco ergo omnia volatilia Cæli, & pulchritudo agri mecum est; propterea si esuriero non dicam tibi; nam etiam meus est Orbis terræ, & plenitudo eius. Sed nunquid Deus esurit, Isai. 49. num. 10. Apocal. 7. num. 16. Non esuriet, neque sitiet, qui custodit Israel; & in alio loco. Dixi Domino, Deus meus es tu; quia bonorum meorum non eges, Psalm. 15. & 23. Domini est terra, & plenitudo eius; Orbis terrarum, & vniuersi qui habitant in eo: & Ioan. 6. nu. 35. Ego sum panis vitæ, qui venit ad me non esuriet, & qui credit in me, non sitiet vnquam. Quomodò autem Deus cognoscat volatilia Cæli, August. hìc lit. D. dicit, Non audeamus dicere, quomodò nouit Deus: hoc scire non possum, hoc solum dico, non sic cognoscit vt homo, non sic cognoscit, vt Angelus: hoc scire non possum: vnum tamen scio, quia, & antequam essent omnia volatilia Cæli, nouerat Deus quod fuerat creaturus; quæ est illa notitia? ò homo, videre cœpisti volatilia postquam plasmatus es, postquam sensum videndi accepisti: hæc volatilia ex aqua nata sunt ad verbum Dei dicentis, Producant aquæ volatilia, Genes. 1. Vbi nouerat Deus, quæ imperabat, vt aqua proferret? iàm certè nouerat quod crearat, & antequam crearet, nouerat. Tanta ergo notitia Dei, vt apud ipsum essent quodam ineffabili modo, antequam creata essent: & à te expectat, quod vt accipiat, quod antequam haberet, crearat? Cognoui omnia volatilia Cæli, quæ mihi tu dare non potes; quæ tu mihi mactaturus es, ego cognoui omnia, non quia feci cognoui, sed vt facerem cognoui, hæc August.

Si esuriero non dicam tibi. Sed nunquid quia vitulos sacrificabant, & arietes, auesq. de Cælo cogitabant, quòd illa cibum Dei esse possent? præcesserat enim quod de vitulo dixerat, quia non esset ei acceptabilis; nunc verò dicit, si esuriero, ergo illa pro cibo erant Dei: stulta esset illorum cogitatio, quia Deus spiritus est, & illorum non eget; & si aliquando audistis, quia dixerit Deus, Esuriui, & dedistis mihi manducare; sitiui, & dedistis mihi bibere, Matth. 25. n. 35. Ioan. 4. n. 8. in assumpta humanitate esuriuit, & in pauperibus membris suis, insuper & salutem animarum sitiuit, quando pendens in Cruce dixit. Sitio: ità etiam mulieri Samaritanæ, & quando esuriuit post quadraginta dies Ieiunij, Matth. 4. numer. 2. vt humanitatem suam ostenderet, ità dixit. Qui enim de quinque panibus quinque millia hominum satiauit; poterat ex se iubere Angelis suis, vt cibum ei afferent, Matth. d. cap. 4. num. 11. Non ergo ratione necessitatis sibi erant accepta vitulorum sacrificia, quia nullius boni creati Deus habet indigentiam. August. Cum illo ager, cum illo species terræ, cum illo species Cæli, cum illo omnia volatilia: quia ipse vbique, & ideò apud ipsum omnia, quia, antequam essent omnia, aut crearentur omnia, ei nota erant omnia; Propter nos venit esurire & saginare, venit sitire & potum dare, venit vestiri mortalitate, & vestire immortalitatem, venit pauper, vt esses diues.

Nunquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hyrcorum potabo? si esurit, à nobis non quærit, & carnes taurorum manducabit? non certè, sed nobis magis indicit, vt talia cogitantes, ineptias, & mala esse sciamus: si tamen velimus, vt taurorum carnes Deo acceptæ sint; illas pauperibus incisas, & comedendas porrigamus; tunc enim dicet nobis. Quod vni ex minimis meis feceritis, mihi fecistis: esuriui, & dedistis manducare, ergo manducat Deus, quod nos manducandum pauperibus distribuimus: demus ergo pauperi manducare, vt Iesum Christum dicamur cibasse.

Magister Sententiarum hic ex Augustin. & Cassiod. quia in superioribus versiculis, & in hoc 14. fit diuersorum animalium mentio: mysticè his similitudinibus figurat Ecclesiam: feræ, inquit, sunt gentes, iumenta in montibus sunt simplices in culmine fidei, boues sunt Apostoli, & Prophetæ, volatilia sunt supernæ Angelorum virtutes; pulchritudo agri gentes diuersæ, quæ sunt decus terræ, idest Ecclesiæ: omnium hominum Deus esurit salutem: & de omnibus satiatur. Carnes verò taurorum non vult in sacrificia, sed in pauperibus, non quòd tu ex substantia pauperum sacrificium offeras, Eccles. 34. num. 24. Qui enim offert sacrificium ex substantia pauperum, quasi victimat filium suum in conspectu Patris sui.

Audi ergo popule meus, quid tibi indicat Deus; quid à te petat; Immola, inquit Deus, sacrificium laudis, & redde Altissimo vota tua. Quid ergo Deus indixit nobis? forsan quæ extrà nos sunt impossibilia? an quæ nobis sint aliena, vt nec illa sint in nostra potestate? Non impossibilia, non aliena indicit; sed quæ nobis donauit, vt de acceptis gratias agas. Quid in Baptismi susceptione promisimus? quid vouimus ibi? Hæc in primis Deo reddas, quia ex quo promisisti, & vouisti, Domini iàm sunt, illa reddas Altissimo, quæ tu promisisti, fidem, obedientiam, promissum cultum, quæ vota sunt vniuersorum fidelium communia. Votum enim est promissio Deo facta: Gratias ergo Domino agamus, quia nos fecit; quia nos in gremium Ecclesiæ suæ sanctæ, per Baptismum reparauit; quia fidei cognitionem nobis dedit. Immola, inquit, Deo sacrificium laudis, nàm ex sacrificio laudis honorificatur Deus, infrà nu. 23. Gratia enim datum est sacrificium laudis istius: non enim illud emimus; immo Deus ipse emit, vt donaret nobis; pretio quippè magno nos emit. Quare non glorificemus Deum in corde, & corpore nostro? dono nobis illud dedit, quod aliàs non haberemus: quid enim est immolare sacrificium laudis, nisi gratias agere Deo, à quo habes? Augustin. Hoc sacrificium laudis est gratias agere illi, à quo habes, quidquid boni habes, & cuius misericordia tibi dimittitur quidquid tuum mali habes. Quid verò melius in hoc mundo habere possumus, quàm quod nobis à Deo donatur sanguis, & corpus suum sacratissimum? Immola Deo sacrificium laudis Eucharistiæ sanctissimæ, nàm ex pane, & vino per consecrationem Sacerdotis, fit verè Corpus, & Sanguis Domini. Immola sacrificium, ò Sacerdos Domini, vt plena in te, & in ore sumentium sit laus, & iucunda iubilatio. Et quando inuocaueris Dominum, eruet te in die tribulationis ab omni malo, Eccles. cap. 45. num. 26. panem, inquit, ipsis in primis parauit in satietatem, nàm & sacrificia Domini edent, quæ dedit illi, & semini eius.

Immola Deo sacrificium laudis, de quo sacrificio loquatur, declarat Paul. ad Hebr. cap. 13. numer. 15. Per ipsum dicit, offeramus hostiam laudis semper Deo, idest fructum labiorum confitentium nomini eius: & numer. 16. Beneficentiæ autem, & communionis nolite obliuisci, talibus enim hostijs promeretur Deus; hæc Paul. Nàm sacrificium laudis, & iustitiæ non propriè sumitur, Psalm. 4. numer. 6. Sacrificate sacrificium iustitiæ, vt ibi diximus, sed translatè pro laudibus, pro gratiarum actione, prece, Dei celebratione, iustitia, opere charitatis, & pietatis, non pro oblatione publica per Sacerdotem solemniter facta, vt intelligamus ad sacrificiorum solemnium participationem offerendam

esse

esse charitatem erga proximum, & pietatem erga Deum, propterea supra dixit, num. 5. 6. & 7. Ignis in conspectu eius, &c. Congregate illi Sanctos eius, qui ordinant testamentum eius super sacrificia: & annunciabunt Cæli iustitiam eius? & Paul. ad Roman. cap. 12. num. 1. Obsecro vos, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem, rationale obsequium vestrum; & Psalm. 50. Tunc acceptabis sacrificium iustitiæ, oblationes, & holocausta, tunc imponent super altare tuum vitulos. Alludit ergo interim ad sacrificium laudis illud Psalm. Immola Deo sacrificium laudis: genus sacrificij pro vniuersis iniquitatibus, quo profitebantur Dei potestatem, & magnitudinem: propriam autem miseriam, & infirmitatem. Sacrificium laudis; Hebr. habet confessio confessionis, & ideò duplicem asserunt confessionem, aliam scilicet laudis, aliam peccatorum; & propterea asserunt, dicit hìc, Rabinos dicere, & interpretari verba hæc. Agnosce, & confitere Deo peccata tua: tibi Deus remittet. Alij, Lauda Deum, gratias ei age, ipsum cole.

Et tunc inuoca me dicit, in die tribulationis, & eruam te, & glorificabis me; superius verò dixit, immola Deo sacrificium, ergo qui ex corde laudat Deum, tribulationem habebit, tentationes patietur? Nonnè dictum est illi, custodi: Crede in Dominum Iesum, & saluus eris tu, & domus tua? Act. Apost. cap. 16. num. 31. credidit etiam Paulus, & vas electionis à Domino vocatus est, Act. cap. 9. numer. 16. nàm dixit Dominus Ananiæ: Vade numer. 15. quoniam vas electionis est mihi iste: vt portet nomen meum coram gentibus, & Regibus, & filijs Israel: & simul adiecit, ego enim ostendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati; Crede ergo tu in Iesum Christum ex corde, immola sacrificium laudis, quia vt probet te Dominus, tribulationes patieris; sed de omnibus eruet te Dominus.

Inuoca ergo Dominum in die tribulationis, quia non ex te, nec in virtute tua ab illis liberaberis, sed à Deo, à quo omne auxilium inuocantibus eum in veritate, Psalm. 120. numer. 2. & Psalm. 21. numer. 20. auxilium tuum à me; & Psalm. 59. num. 13. dabis auxilium de tribulatione, & Psalm. 61. numer. 8. Deus auxilij mei: beatus enim, cuius est auxilium à Domino, Psalm. 83. num. 6. Vndè Augustin. lib. Soliloq. cap. 13. Quod cecidi, fuit ex me; quod surrexi, ex te, quoniam si quid boni est parui, vel magni, donum tuum est, & nostrum non nisi malum est. Nec te credente terreat tribulatio futura, Sap. 2. num. 4. nàm etsi coram hominibus tormenta, inquit, passi sint, spes illorum immortalitate plena est; in paucis vexati, in multis benè disponentur. Quoniam Deus tentauit eos, & inuenit illos dignos se. Tamquam aurum in fornace probauit illos: & quasi holocausti hostiam accepit illos, & in tempore erit respectus illorum, & cap. 5. numer. 5. Ecce quomodò computati sunt inter filios Dei, &c. Quocircà dicebat Iacob. in sua Canonic. Epistol. cap. 1. num. 2. Omne gaudium existimate fratres, cum in varias tentationes incideritis: omne gaudium, dicit D. Thom. perfectum gaudium: nàm omne, perfectum significat in sacra Scriptura, in Psalm. 116. numer. 18. Omnem escam abominata est anima eorum, erat enim ille cibus perfectus. Iniungit itaquè Deus iusto tribulato talem confidentiam: vt propterea illi sit gaudium. Facit Eccles. 24. num. 37. Qui mittit disciplinam, sicut lucem, & assistens, quasi Gehon in die vindemiæ. Quòd autem pro confidentia gaudium intelligatur, ità Hieron. in Ezech. 24. nu. 25. ibi:

Et tu fili hominis ecce in die, qua tollam ab eis fortitudinem eorum, & gaudium dignitatis, & desiderium oculorum eorum, super quo requiescunt animæ eorum, filios, & filias eorum; gaudium enim illi interpretantur confidentiam, & benè, quia subsequentia verba demonstrant.

Et inuoca me in die tribulationis, postquam Deo immolaueris sacrificium laudis, & quod promisisti, opere adimpleueris, & eruet te: hæc enim iuncta simul esse debent, ex corde Deo laus, & opus, firma spes in tribulationibus, propterea libenter eas patiaris, vt cælestia percipias, Psal.89.nu.15. Lætati sumus pro diebus, quibus nos humiliasti: annis, quibus vidimus mala. Et eò magis Deum honorabis, Iacob. in d. cap. num.2. cum sequen. Omne gaudium existimate fratres mei, cum in tentationes varias incideritis; quarum appellatione veniunt omnes calamitates, quæ ab iniquis inferri possunt hominibus, vel ab alijs iussu, & permissione Dei, vt patet in plagis Ægypti, Deuter.cap.29.nu.3. Vos vidistis vniuersa, quæ fecit Dominus coram vobis in terra Pharaonis, in terra Ægypti, & omnibus seruis eius, vniuersæq. terræ illius, tentationes, &c. Fatigatus etiam erat Tobias seruus Dei à sepulturis, iactatus iuxtà domus parietem, ex stercore Hirundinis calido, quod in oculis eius incidit, cæcus factus est; & hanc, inquit, Text. cap.2. numer.11. Tobiæ tentationem permisit Dominus euenire illi, vt posteris daret exemplum patientiæ. Persequutiones etiam vocantur tentationes, Dauid Psalm.17.num.30. Quoniam in te eripiar à tentatione, &c. ità etiam Iesus Dominus noster tentationes vocat omnes, quas passus est persequutiones, & tribulationes, Luc.22. num.28. Vos autem estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis: Vndè 1.Petr.cap.2.nu.3. Benedictus Pater Domini nostri Iesu Christi, qui secundum misericordiam suam magnam regenerauit nos in spem viuam per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis, in hæreditatem incorruptibilem, conseruatam in vobis in Cælis, qui in virtute Dei custodimini per fidem, in salutem, paratam reuelari in tempore nouissimo. In quo exultabitis modicum nunc, si oportet contristari in varijs tentationibus, vt probatio vestræ fidei multò pretiosior auro, quod per ignem probatur, inueniatur in laudem, & gloriam, & honorem in reuelatione Iesu Christi, &c.

Augustin. Ad hoc, inquit, Deus permisit tribulationem tibi fieri, quia fortè, si non tribulareris, non inuocares me: cum tribularis inuocas me, cum inuocas me, eximam te: cum eximam te, glorificabis me; vt non iàm discedas à me. A feruore orationis obtorpuerat quidam, & friguerat, & dixit; Tribulationem, & dolorem inueni, & nomen Domini inuocaui; inuenit tribulationem tamquam aliquid vtile. Putruerat tabe peccatorum suorum, iàm sine sensu remanserat, inuenit tribulationem tamquam sectionem, & vstionem. Inueni tribulationem, & dolorem, & nomen Domini inuocaui, Psalm. 114. numer.3. hæc Augustin. Inuocare ergo nomen Domini bonum est, quia potens est, vel docere tolerandum, vel sanare toleratum; tribularis enim, docet te Dominus, quomodò patiens sis: & te tribulatum potest etiam sanare: non sinit enim vltrà id nos tentari, quod possumus, 1.Corinth.10.

Et notandum est, quòd aliquando inuenimus nos tribulationes, aliquando verò & tribulationes nos inueniunt: primo casu, Psalm.114. tribulationem, & dolorem inueni, vt scilicet, quãdo obtorpesco, & frigesco à feruore orationis

tam-

tamquam enim aliquid vtile, tunc inuenitur tribulatio, quia tabe peccatorum putruerat, & sine sensu remanserat, tunc inuenitur tribulatio tamquam vstio, & sectio: Sunt etiam aliæ tribulationes omnibus notæ, quæ in genere abundant humano, quando scilicet damno quis affectus plangit, vel quia orbatus lugeat, à patria exulatus mæret, & his similes: in his enim omnibus Domini auxilium petunt, & rectè faciunt. Sunt verò tribulationes, quæ nos inueniunt, vt in Psalm. 35. Adiutor in tribulationibus, quæ inuenerunt nos: Augustin. Est quædam tribulatio, quam nos debemus quærere, & inuenire: felicitas nempè in hoc mundo, affluentia rerum temporalium, non quidem ipsa est tribulatio, solatio tamen sunt nostræ tribulationis; peregrinationis scilicet nostræ: hoc enim ipsum, quòd cum Deo nondum sumus, hoc ipsum quod inter tentationes, molestiasq. versamur, quòd sine timore esse non possumus, tribulatio est: non enim est illa securitas, quæ nobis promissa est. Hanc tribulationem peregrinationis suæ, qui non inuenerit, ad patriam redire non cogitat; ista est tribulatio, inquit, &c. si cogitemus, & attendamus vbi simus, & vbi nos futuros esse promisit, qui mentiri nescit, ex ipsa eius promissione inueniemus, in qua sumus tribulatione; hanc tribulationem nemo inuenit, nisi qui quæsierit: sanus es vide si miser es, nàm facile est, vt qui ægrotat, sentiat se miserum: sanus es, vide si miser es, quia cum Deo nondum es: tribulationem, & dolorem, dicit, inueni, & nomen Domini inuocaui, &c. hæc Augustin.

Et tunc intrat, quod dixit Cyprian. lib. 3. contrà Demetrian. Nullus dolor, inquit, de incursatione malorum præsentium, quibus fiducia est futurorum bonorum: & Augustin. lib. 83. quæst. 82. Mirandum dictum: Iusti etiam sequestrata spe futuræ vitæ iucundius, & lætius pro amore veritatis torquentur, quàm luxuriosi præ cupiditate ebrietatis epulentur, & Iob cap. 10. numer. 15. Si iustus fuero, non leuabo caput, saturatus afflictione, & miseria, pro quibus Ambros. lib. 2. de Bono mortis, cap. 3. legit, Non potero reclinare caput; Simile illi, quod Iesus, Matth. cap. 8. Vulpes foueas habent, &c. & filius hominis non habet, vbi reclinet caput suum. Taliter tribulemur, vt beatius in Cælo epulemur: non sunt enim condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis, Paul. ad Roman. cap. 8.

Immola ergo Deo sacrificium laudis. Lauda permittentem, lauda vocantem, lauda exhortantem, lauda adiuuantem, & intellige, in qua tribulatione positus es. Inuoca, erueris, glorificaberis, permanebis, hæc August. Immola Deo sacrificium, quia si dignè feceris, si dignè sacrificium obtuleris, à tribulationibus erueris, & Deum honorabis, Deum glorificabis.

Peccatori autem dixit Deus: quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Nolite benè cantantes, mala operari; non tamen terreantur auditores audientes prædicatorem peccantem, verba Dei docentem, Matth. cap. 23. numer. 2. Super cathedram, inquit Iesus, Moysi sederunt Scribæ, & Pharisæi; omnia quæcumque dixerint vobis, seruate, & facite, secundum opera eorum nolite facere, per quemlibet ergo bonũ audiatis, Deum auditis: non tamen qui dicunt, & non faciunt, si in peccato permanserint, sine correptione transibunt.

Te prius audias, ò Prædicator, si ab alijs quæris audiri; audias, quid in te loquatur Dominus, vt tu peccati pœnas euadas, Psalm. 8. Augustin. Qualis, ergo

ergo ego, qui non audio, quid in me loquitur Dominus, & volo, vt alij audiant, quod in me loquitur, si Dominum audiero, prius in me loqnetur pacem, 1.Corinth.9. seruituti subijciam corpus meum, & castigo, ne fortè alijs prædicans ipse reprobus inueniar.

Non dicit peccatori Sacerdoti, vt ab illa desistat, sed monet, vt prius seipsum peccantem cognoscentem pœniteat, quare, inquit Dominus, enarras iustitias meas. Si tu iniustus, iustè veniet iudicaturus, cur non tibi consulis, qui alienæ saluti præes. Et assumis testamentum meum per os tuum: cum cor tuum ab illo, quod prædicas, sit alienum? cum longè à salute tua operatio delictorum tuorum; resipisce ergo, ò Prædicator, labia tua sint sicut vitta coccinea, Cantic.cap.4.num.3. vbi Gregor. Nyssen. Orat.7. per hanc similitudinem nos tacitè doceri, atque admoneri censet, vt & sanguinem, quo redempti sumus, respiciamus, ac semper in ore nostro, labijsq. afferamus, verbisq. nostris applicemus, hoc imitemur, & hunc loquamur, quo Deo gratæ sint præcationes nostræ, ipsumq. vincant, ac deuinciant, vt postulata concedat. Non ergo obdormiscas in mala vita, ò Prædicator, si quæris, vt verba, quæ ex labijs tuis procedunt euangelica, sint tibi proferenti, & alio audienti proficua: ignitum eloquium tuum sit semper, & Deus diliget te, Psalm.118. vbi Ambrós.Serm.18. In Cocco species ignis, & Crucis Dominicæ sanguis rutilat, sanguine Christi, rubricata sit anima tua, qui verba Dei profers, & hæc diuino sponso placebunt.

Quæ verò prædicationis officium magis impediunt, declarant subsequentes quinque inserti Versiculi, numer.18. incipit dicens.

Tu verò scilicet peccator, odisti disciplinam. Si Dei disciplinam odisti, ergo illum contempsisti; si contempsisti, ergo ex te salus præsumpta. O superbe, noli superbe sapere, ad Roman.11.num.15. & 16. non sis tibi sapiens, quid superbis cinis, & terra? Ecclesi.10.num.9. Quid fecisti superbe, odisti disciplinam? & ecce fœtor tuus ascendet, & ascendet putredo tua, qui superbè egisti, Ioel 2.num.20. odiuit superbiam Deus, & ideò est diuersum vtriusque hospitium, nec in eodem habitant anima, quibus non licet cohabitare in Cælo. Bernard. in lib. de Anima, cap.11. In Cælo nata est, sed velut immemor, qua via inde cecidit, inde redire non potuit. Odisti disciplinam peccator; nunquid maior es Deo? qui fecit te ad imaginem, & similitudinem suam? Bernard. in Serm.4. Vigil. Natiuit. Horret humanus auditus Verbum, sed vtinam horreat similiter animus cogitatum indignum, pariter & affectum. Magis cogitare deberes, ò superbe, quid tibi desit, quàm quod tibi adsit; si enim cogitas, quoniam præcessisti, time tumorem, si quantum tibi deest, adhùc ingemiscis, curaris, humilis eris, tutior ambulabis, ità Augustin. Serm.53. de Verb. Domini. Tu superbe odis disciplinam, ergo gloriaris, te esse peccatorem, quod superbiæ peccatum facilè dicendum erit, illud esse, de quo Matth.12.num.31. est peccatum, quod non remittitur, neque in hoc sæculo, neque in futuro. Tu odisti disciplinam, quia ceruicosus es, an ignoras, quia Dominus concidit ceruices peccatorum, Psalm.128. numer.4. Dominus inquit, iustus concidit ceruices peccatorum, confundantur, & conuertantur retrorsum omnes, qui oderunt Sion; & fiant sicut fœnum tectorum, quod priusquam euellatur exaruit. Si odisti disciplinam, odisti & illum, qui illam suscepit, vt humilis ipse factus, te illam suscipientem exaltaret. Quare disciplinam odisti, ò peccator, nisi

quia

quia subiectionem fugis, humilitatem despicis? an ignoras, quod elatio, quæ in viro est, eò ipso, quòd despicit subiectionem, cadit ab illo, quo non est quidquam superius, & ex hoc eris inferius: Augustin. de Ciuit. Dei, lib. 14. cap. 13. Et sic fiet quod scriptum est, Psalm. 72. Deiecisti eos, dum alleuarentur, dum extollerentur, non enim, inquit, cum elati fuissent, vt prius extollerentur, & posteà deijcerentur, sed cum extollerentur; tunc deiecti sunt, ipsum quippè extolli, iàm deijci est: hæc Augustin.

Odisti disciplinam, quia eruditioni legis, quæ erant ad salutem consequendam, tu te auersasti; tu illam spreuisti; ex quo contemptu alia in sequentibus Versiculis delicta oris, & operis subsecuta sunt; dato enim vno inconuenienti, multa sequuntur. Dixi disciplinam esse eruditionem, Psalm. 17. numer. 36. Et disciplina tua correxit me in finem, & disciplina tua ipsa me docebit; & Prouerb. cap. 19. num. 25. Suscipe disciplinam, vt sis sapiens: quia tunc fortis factus, mortem perpetuam effugies; stultitia enim colligata est in corde pueri, & virga disciplinæ fugabit eam, Prouerb. cap. 21. Paul. Castigo corpus meum, & illud in seruitutem redigo, 1. Corinth. cap. 9. num. 27. si ergo tu odisti disciplinam, non es filius Dei, ergo adulter es; nàm Deus flagellat omnem filium, quem recipit, ad Hebr. 12. num. 6. Tu ergo quomodò filius Dei, si eruditionem illius fugis, si disciplinam odisti: si de peccato commisso non doles: disciplinam, & pœnitentiam odisti, & sermones Dei rursus proijcis? August. Proiecisti sermones meos post te, vt non videantur à te, vt magis onerent te: Infelix Prædicator, & peccator, qui disciplinam despicis, Sapien. cap. 3. num. 11. Et vacua est spes illorum, & labores sine fructu, & inutilia opera eorum, dicit Sapientia: Gloss. hìc: Posuit sermones meos retrorsum, idest quæ dicis, post te ponis, ne videas, vt dicas non fecisse: & sermonem Dei quasi velis ignorare, Gregor. lib. 19. Moral. cap. 6. Sermones enim Dei post se Prædicator proijcit, cum hoc, quod dicit, facere contemnit, quæ omnia procedunt ex peccato præsumptionis, & superbiæ.

Nàm si videbas furem, currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas. Forsan vt dicere possis, ego non feci furtum, ego non feci adulterium? ò infelix, quid dicunt Legistæ, agentes, & consentientes pari pœna puniuntur; immo dico tibi, quia tu assentiens magis apud Deum eris punibilis. Non dicit Propheta furabaris, & fornicabaris, sed cum adulteris portionem tuam ponebas: forsan quia minus esset furari, vel mœchari, quod occultè, & libidine stimulante, fieri solet: quàm cum furibus currere, vel cum adulteris portionem ponere: hæc enim ex animi peruersitate, & promptè palamq. fiunt, non ex libidine, vel inopia. Quid te iactas inique, qui de alieno peccato gloriaris, Psalm. 51. & cum adulteris portionem tuam ponebas. Quid est cum adulteris portionem suam ponere? nisi cum Diabolo, & filijs eius hæreticis se partem habere velle, verba Dei, & sacrum Euangelium adulterando, & gloriam, quæ Deo debetur, sibi appropriando, vt sic Diaboli filius efficiaris, 2. Corinth. cap. 4. num. 2. & 4. Non ambulantes in astutia, neque adulterantes verbum Dei, sed in manifestatione veritatis commendantes nosmetipsos ad omnem conscientiam coram Deo. Quod si opertum est Euangelium vestrum, in ijs, qui pereunt, est opertum: in quibus Deus huius sæculi excæcauit mentes infidelium, vt non fulgeat illis illuminatio Euangelij, gloriæ Christi, qui

est

est imago Dei. Quem enim libido gloriæ ad loquendum trahit, voluptati magis, quam generationi operam impendit: Augustin. hìc. Ne fortè dicas tu, qui furto consentis; non feci furtum, non feci adulterium: nonnè quia tibi placuit, tuo placito concurristi? nonnè portionem tuam cum illo, qui fecit; laudando posuisti? hoc est cum fure concurrere, & cum adultero ponere portionem tuam: astipulator enim es facti, quia laudas, & si non fecisti, Psalm. 9. Laudatur peccator in desiderijs animæ suæ, & iniquus benedicitur.

Os tuum abundauit malitia, & lingua tua concinnabat dolos. Ad aliud oris peccatum transit; quod ex odio disciplinæ procedit. Hìc adulatores malè consentientes intelligit; nàm lingua eorum peruersa est contrà Deum, Psalm. 72. Posuerunt in Cælum os suum, quod Augustin. & alij de blasphemis explicant, & de iniuriosis in Deum hominibus. Gregor. Nazianzen. de Humana natura, O sancta Trinitas: nec tu stultorum linguas prorsus effugisti, vt videre est in Hæreticis Ario, & Sabellio, & in te Iesu Christe nonnè acuerunt linguas suas sicut serpentes, & venenum aspidum sub labijs eorum, Psalm. 139. numer. 4. blasphemat, dicebant, quoniam se filium Dei viui asserentem negabant, Matth. cap. 26. num. 62. Et vestimenta tua sciderunt, & in faciem tuam spuere cœperunt, num. 67. & Luc. cap. 23. numer. 60. lingua enim illorum gladius acutus, Psalm. 56. & lingua eorum mentiti sunt ei, Psalm. 77. nu. 36. Nonnè & Cælum infamare conati sunt. Hieronym. in Amos cap. 5. reddens rationem, quare homines lucidissimis Planetis nomina turpissimorum Iouis scilicet, & Martis, immo & inhonestæ Veneris imposuerint; Cælum, inquit, infamare conati sunt, & mercedem stupri inter sydera collocare: quasi ex eò quod pulchrum, & lucidum vident Cælum; illud reproborum hominum vitijs deturpare voluerint.

Et lingua tua locuta est dolum etiam in sanctos Cælorum, Dauid Psal. 72. num. 7. Prodijt quasi ex adipe iniquitas eorum, &c. & num. 8. Cogitauerunt, & locuti sunt nequitiam in excelso: posuerunt in Cælum os suum: & lingua eorum transiuit in terra; vel, vt habetur in Chaldæo, lingua eorum vssit Sanctos terræ: Et vt dixit idem Nazianz. Carmine de Silent. Quadrag. Ieiun. Protinus vt mens tela linguæ emiserit, statim prouolant omnia, quæ feriunt, cælestes, terrestres, posteros, non minus, qui ab huiusmodi sagittis sibi cauent, easq. sedulò obseruant, quàm qui nihil mali suspicantur, non minus bonos, quàm malos, non minus amicos, quàm hostes, non minus exteros, longèq. dissitos, quàm propinquos; denique nihil est, quod à linguæ sagitta tutum, atque immune sit. Et vt dixit Dauid d. Psal. 52. n. 5. Deuorant plebem meam, vt cibum panis, & ibi Augustin. lit. L. Tamquam panem manducant populum meum: Tu verò odisti disciplinam, & proiecisti sermones meos retrorsum: hinc enim, vt diximus, omnia oriuntur mala; hinc corruptiones, & abominationes; hinc Deum esse negant; August. d. Psal. 52. nu. 1. lit. H. Audi illos quomodò corruptos, ex Sap. d. cap. 2. dixerunt enim apud se non rectè cogitãtes. Cœpit corruptio à mala fide, inde itur in turpes mores, inde in acerrimas iniquitates, gradus isti sunt: quid enim dixerunt, apud se cogitantes non recte? Exiguum & cum tædio est vita nostra, ab hac mala fide sequitur illud, quod etiam Apostolus dixit, 1. Corinth. 15. Manducemus, & bibamus, cras enim moriemur, ibi enim latius luxuria ipsa describitur. Coronemus nos rosis, antequam marcescant, vbique relinquamus signa lætitiæ nostræ. Post istam descriptam latius luxuriam, quid sequitur? Occidamus

pauperem iustum: hoc est dicere, non est Deus. Lenia videbantur iàm dudum loqui; coronemus nos rosis antequam marcescant, quid delicatius? quid lenius? non sperandum de hac lenitate Cruces, & clauos, & gladios. Lenes enim sunt, radices spinarum: non pungitur, qui illa contrectat, sed quo pungeris inde nascitur, hæc Augustin.

Os tuum abundauit malitia, & lingua tua concinnabat dolos: machinabatur, componebat, & palliabat dolos, & colorabat fraudes, sub specie boni, facientes mala huiusmodi contrà Deum, & homines. Et tu portionem pones cum illis? & tu assentiendo, laudabis eos? Lingua tua concinnat dolos: abundat os tuum malitia, & lingua tua amplexa est dolositatem: lingua tua mentitus es ei.

An ignoras, quòd præcipitas hominem incautum, vitia sua proferentem? & an sint vitia nescientem: & cum scias id vitium esse, non dicis ipsum corruisse? an forsan hæc transeundo, vel stando laudasti? Sedens, inquit, aduersus fratrem tuum hæc loquebaris, detrahebas, otium procurasti, quia sedens mala consuluisti, & fratrem tuum perdidisti, diligenter acuisti linguam, quia sedens, hæc mala loquebaris. Sedens, non ergo casu hæc loquebaris, sed studio; si enim transiens esses, non cum voluntate forsan tua hæc consuluisses, quando fratrem tuum mala facientem irridebas: Fratris nomine hìc omnis homo accipitur; in quo talis mentis suæ corruptela transmittitur. Sed nec his contentus, ò stulte Prædicator, vel Rector, aduersus filium Matris tuæ ponebas scandalum: hæc fecisti, & tacui; filius Matris, idest Ecclesiæ sanctæ, scandalum, idest hæreses, & alia, quibus innocens capiatur. Augustin. Frater aduersus fratrem detrahit, vt puta quasi firmus, & alicuius iàm momenti Doctor, & doctus detrahit fratri suo fortè benè docenti, & benè ambulanti: est autem alius infirmus, aduersus illum ponit scandalum, huic detrahendo. Idem etenim cum detrahitur bonis ab his, qui videntur alicuius momenti esse, & docti esse: in scandalum infirmi cadunt, qui adhùc nesciunt iudicare: ideò infirmus ille filius Matris dictus est, nondum Patris, sed adhùc lacte indigens, & vberibus adhærens, portatur adhùc sinu Matris Ecclesiæ, non valet accedere ad solidum cibum mensæ Patris sui; sed de vbere Matris victum trahit, ignarus iudicandi, quoniã adhùc animalis, & carnalis est. Spiritualis omnia dijudicat, animalis autem homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei, 1. Corinth. 2. n. 14. quoniam stultitia est illi, talibus dicit Apostolus, non potui loqui vobis quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus. Tamquam paruulis in Christo lac vobis dedi, non escam, non enim poteratis, sed neque adhùc potestis; Mater vobis fui, 1. Cor. 3. n. 2. & 1. ad Thess. 2. n. 7.

Sedens ergo aduersus fratrem tuum non solum loquebaris, & murmurabas, sed etiam aduersus filios Matris tuæ Ecclesiæ ponebas scandalum, & aduersus electos Dei sedens ex proposito tuo, & ex malitia tua doctrinam sanctam corrumpendo, hæreses, & scandala seminabas. Hæc fecisti, & tacui; si tibi nequam es, cui alteri bonus eris? Eccles. cap. 14. numer. 5. Ne extollaris, quia tacuit Dominus, mors tamen non tardat, & testamentum inferorum, quia demonstratum est tibi: testamentum enim huius mundi morte morietur, Eccles. dicto cap. 14. numer. 12. & tunc tarditas pœnæ tuæ grauitate recompensabitur, Paul. ad Hebr. cap. 10. numer. 28. inquit, Irritam quis faciens legem Moysi, sine vlla miseratione duobus, aut tribus testibus moritur: quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui filium Dei conculcauerit, & sanguinem testa-

testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & spiritui gratiæ contumeliam fecerit. Mihi enim dixit, vindicta, & ego retribuam, Isai.cap.12.numer.4. Et impijs, & peccatoribus reddet vindictam: custodiens eos in die vindictæ. Tacet enim Deus, quia dat tibi tempus, vt te pœniteat, & de perpetratis pœnitentiam agas, Sap.12.num.10.

Sed dicito mihi, qui aliena super humerum tuum peccata transtulisti: nunquid non tibi onus tuum sufficiens erat, qui alienum peccatum, absque quod in aliquo sit tibi proficuum, immo sit nociuum portare vis? Vnusquisque enim ne à peccatis suis præmatur attendere debet, & tu cum suscipias aliena simul iuncta cum tuis sine dubio in profundum cades. Nàm si fratris tui infirmitatem portas, nonnè peccata ipsius te onerabunt? Si furto consentis, si adulteros laudas, cum illis portionem habeas, tua illius erunt peccata, tua erunt, quæ te præmunt, & non alterius: nàm dicit August. Psal.128. lit. H. Quisquis consenserit peccatori, non alienis, sed suis grauatur, consensio enim ad peccatum alterius tuum fit peccatum, nec est quare quæraris, quia aliena peccata te præmant; præmunt te, dicitur ibi, sed tua, nàm vidisti furem cucurristi cum eo. Quid est hoc? Pedibus ambulasti ad furtum, immo mente coniunxisti te furto, quod ipsius solum erat, factum est & tuum, quia placuit tibi, hæc August.

Sedens aduersus fratrem tuum loquebaris, & aduersus filium Matris tuæ scandalum ponebas: tu sedens, sed vbi sedes? In vmbra mortis, Psalm.106. numer.10. vt post sessionem detraharis in inferos: sedebat Iesus, vt doceret, iuxtà puteum, vt sanaret, Ioan.cap.4.num.6. tu verò sedes, vt sanum interficias, vt tu cum illo morte perpetua moriaris, in otio tu sedes, in insidijs, Psalm.10. num.8. vt cum Diabolo sedeas in inferno.

Quia hæc fecisti, & Dominus tacuit: quid inique existimasti? quod Deus erit similis tibi? arguam, inquit Dominus, & statuam contrà faciem tuam. Non consentit Deus iniquitatibus tuis, quamuis nondum illum vltorem videris; sed arguam te, & statuam contrà faciem tuam. Sed quando statues illum contrà faciem tuam? Quando scilicet ostendam te tibi, & displicebis tibi; quod & modò faceres, si te videres. Sed quid ostendet Dominus peccatori? Quos posuisti sermones retrorsum, vt non seruando præceptum excusationem haberes, ne in præcipitium caderes: illos ante te ponet, vt cognoscas, quia cecidisti in gehennam: August. hìc litera F. Arguam te, scilicet modò tu non vides, faciam, vt videas te, quia si videres te, & displiceres tibi, placeres mihi; quia verò te non vides, placuisti tibi, displicebis & mihi, & tibi: mihi, cum iudicaberis; tibi, cum ardebis. Quid enim tibi faciam, inquit? Constituam te ante faciem tuam: quid enim vis latere teipsum in dorso tuo? ibi es, non te vides, facio, vt videas, quod post dorsum posuisti, ante faciem ponam: videbis fœditatem tuam, non vt corrigas, sed vt erubescas. Dum hæc audis, non desperes, quia adhuc miserendi est tempus: nonnè Niniue audiuit post triduum se subuertendam, & tamen per pœnitentiam illa pœna est ei sublata, quia intrà triduum idonea fuit conuerti? Augustin. hæc.

Tacentem nunc Dominum audiant peccatores, vt à vijs malis conuertantur, Ezech.cap.18. & cap.23. caueant differre, quia tunc non silebit, quando veniet; & iniustos iustè iudicabit, & correctionis nullus locus erit. Augustin. Modò, inquit, tu fac quisquis talis es. Quod tibi minatur facere Deus, tolle

te à tergo tuo, vbi tu videre non vis, dissimulans à factis tuis, & constitue te ante te; ascende Tribunal mentis tuæ, esto tibi Iudex, torqueat te timor, erumpat à te confessio, & dic Deo; Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & delictum meum ante me est semper: quod erat post te, fiat ante te, ne tu ipse posteà à Deo Iudice fias ante te, & non sit, quò fugias à te.

Intelligite, qui obliuiscimini Dominum, ne quando rapiat, & non sit qui eripiat. Audite vos, quibus non est cor clausum ad intelligendum: quos populum suum, & plebem suam Deus non repulit, quos præsciuit, ad Roman. cap. 11. num. 2. Isai. cap. 6. nu. 9. Matth. cap. 13. num. 14. sed peccando obliti estis Deum: intelligite peccatores, qui peccando obliti estis Dei præceptum, legemq. eius. Tempus est miserendi, dum silet Deus: vos verò correptionem accipientes loquimini ad Dominum clamantes, quia pœnitentes exaudiet vos, illũ laudantes, & benedicentes; Sacrificium illi cordis vestri compuncti sacrificantes; cor humiliatum, & contritum Deus non despicit, tamquam fulgur enim veniet dies illa, & tamquam fur, dicit Petr. 2. cap. 3. num. 10. in quo Cæli magno impetu transient. Tunc Dominus silebit, quando malos malè perdet, nec erit qui eripiat, postquam per sententiam Iesu Christi illos, qui malè egerunt, & quos non pœniteat, rapiet.

Ascende ergo prius Tribunal mentis tuæ, esto tibi Iudex, sed præcedat causæ cognitio tuæ, & iudicium, dic animæ tuæ, vbi es? Genes. 3. nu. 10. & cap. 11. num. 5. Tunc torqueat te timor: erumpat a te confessio, & dic Deo: Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum est ante me semper, Psalm. 50. & quod erat post te, peccatum scilicet fiat ante te, ne tu posteà à Deo Iudice fias ante te, & non sit quò fugias à te. Intelligite ergo, qui obliuiscimini Deum, clamat enim, ne tu te perdas, sed si non intellexeris, erit qui te rapiat, neque erit, qui te eruat. Augustin. inquit, Videte, quia clamat, & non tacet, non parcit, quod verò documentum, & præceptum sit illis, ne rapiantur ab Angelis malis, docet illos Deus, dicens.

Sacrificium laudis honorificabit me, & illic iter, quò ostendã illi salutare Dei. Ergo in sacrificio laudis est via, quæ ostendit tibi salutare Dei. Christus Iesus est salutare Dei, qui est Via, Veritas, & Vita. Sed si in peccato moreris, quomodò illũ honorificabis in sacrificio laudis? audistis enim supra, quæ peccatori impœnitẽti dixerit. Quare assumis, ò peccator testamentum meum per os tuũ. A malo homine non quærit gloriã. August. Nolo, te esse latronem insultantẽ Cruci Domini, nec volo te esse Pharisæum in Templo iactantẽ merita sua, & vulnera tua occultantẽ. Si fueris iniquus, & in illa iniquitate perseuerans, non dico tibi, non proderit laus; sed non me laudas; laudẽ istam esse non deputo. Rursus, si fueris quasi iustus, nàm nemo iustus, nisi humilis, & pius, & de iustitia tua inflatus incesseris, & alios in tua comparatione contempseris, & superexalteris tamquã glorians de meritis tuis; non me laudas. Nec ille me laudat, qui malè viuit: nec ille me laudat, qui quasi de suo benè viuit. Sed nunquid ille Pharisæus quasi de suo, talis erat, cum diceret, Gratias tibi ago, quia non sum, sicut cæteri homines. Gratias Deo agebat ex eo, quod bonum in se habebat; sequitur August. Quamuis ergo aliquid bonum in te sit, quamuis intelligas non ex te esse, quod bonum est, cum à Deo te accepisse, tamen si in Templo te extuleris super alium non habentem, inuidus teneris, nondum laudator mei eris: hæc Augustin.

Vt ergo intellgamus, à via mala, & pessima primò nos corrigamus: & benè viuere incipiamus: vt autem hæc nobis eueniant, Deum supplices rogemus, donum enim est Dei correctio à malo: gressus enim hominis à Domino diriguntur, Psalm.36. numer.23. gressus nostros vt Deus dirigat suppliciter exoremus, secundum eloquium suum, Psalm.118. numer.33. In omnibus vijs nostris rogitemus eum, & ipse diriget gressus nostros, Prouerb.3. num.6. nec apud nosmetipsos sapientes simus: sed recedentes à malo timeamus Dominum, ibidem num.7.

Et tunc laudis sacrificio honorificabimus Dominum Iesum Christum: quia illìc iter, quo ostendet nobis Deus salutare Dei in Saluatore nostro Iesu Christo, filio Deï vnigenito. Immola sacrificium, in quo honoratur Deus, itá in vers.16. Immola sacrificium laudis, inquit; non ergo de sacrificio Mosayco amplius loquitur. Immola sacrificium laudis confitendo, quod ipse est Saluator: illum publicè laudando, & celebrando.

Sacrificium laudis honorificabit me; & illìc iter, quo ostendam illi salutare Dei. In illo ergo laudis sacrificio, est via, modus, ratio, iter, per quod ostendam, & præstabo illi diuinam salutem; quæ in Christo Iesu est. Vt ergo in illam Ciuitatem ingredi mereamur, & in illam gloriam, & honorem afferamus, omne sordidum, omnis peccati macula discedat à nobis, vt sonora, decoraq. laudatio sit; quia in illam Ciuitatem aliquod coinquinatum, aut abominationem faciens, & mendacium non intrabit, Apocalyps. cap.21. num.26. & 27. ostendam illi salutare Dei. Augustin. Et quomodò in sacrificio laudis bonis ostenditur Christus? quia cum gratia is venit ad nos; Apostolus hoc dicit ad Galat. 2. Viuo autem iàm non ego, viuit verò in me Christus, quòd autem in carne viuo, in fide viuo filij Dei, qui me dilexit, & tradidit semetipsum pro me. Agnoscant ergo peccatores, quia non opus eis esset Medicus, si sani essent: etenim Christus pro impijs mortuus est; hæc Augustin.

Cognoscentes ergo vulnera nostra cum Publicano, & cum fiducia adeamus Medicum Iesum Christum, confitentes, & dicentes, Domine propitius esto nobis peccatoribus, tu enim Domine ad hoc venisti, vt nos saluos faceres peccatores: tuum confitemur aduentum, & agnoscimus illum, ideò tu venisti in mundum: quia ego perditus eram: ideò venisti, vt gratis gratia tua me redimeres; non enim mihi præmium, sed supplicium debebatur, quia peccator erá.

SOLILOQVIVM.

AGNOSCO te Deum Saluatorem meum, quia tu Deus Deorum loquens per Prophetas, & Apostolos tuos, vocasti terram à Solis Ortu vsque ad Occasum, & me peccatorem etiam ad salutem accersisti: Ex Sion lex tua exiuit, & Verbum de Ierusalem, quòd tu es filius Dei viui speciosus præ filijs hominum, atque decorus. Tu enim Iesu dulcissime venisti, quum Cælum, & terra exultauit in aduentu tuo: tu Domine venisti, vt saluares mundum, præcepta, & legem tradidisti. Et vt omnes te verum filium Dei, Redemptorem agnoscerent, cæcos illuminasti, leprosos mundasti, mortuos suscitasti, pauperes euangelizati sunt, hæc enim, quæ nullus alius fecit, tu fecisti. Agnosco te

Dominum, & gratias tibi ago pariter, quia vt laudem te, mihi intellectum dedisti; etiam te viam, & vitam esse demonstrasti. Charitas enim tua magna est valde: ignisq. charitatis tuæ in conspectu tuo, ità exarsit, vt pretio sanguinis tui debitum Patri tuo pro me persolueris, qui Redemptorem populo tuo mitti volueras. In circuitu tuo tempestas valida erat: quia vndique mala hominum ad mortem erant; Aduocabis Cælum de sursum, & terram discernere populum tuum: vt terrena zizania in inferni ignem deijcerentur ad comburendum, cæleste verò triticum cum Angelis mitteretur in Cælum. Vtinam vniuersi, ad quos sermo Dei peruenit, populc Dei, qui intelligentes Deum agnoscitis; Congregetis vobis Sanctos eius, Verbum euangelizantes, qui super veterum Patrum sacrificia ordinant Testamentum eius nouum. Nàm vobiscum Cæli, Angeli scilicet Dei, annunciarent iustitiam eius. Illius sunt omnes quotquot redemit, & Deus Iudex iustus est, & reddit vnicuique quod suum est. O quàm bonus es Domine Iesu, cum iterum, iterumq. quos elegisti excitans, dixeris, Audi popule meus: qui à Deo Patre mihi datus es, audi, inquam, quia ego sum, qui loquor, & tibi testificor, quia Deus Deus tuus ego sum: sum quidem omnium Deus, sed tui præsertim, qui populus meus es. Nunquid quia à sacrificijs tuis cessasti, arguam te? illa iam recesserunt à me: holocausta enim hæc tua in conspectu meo semper. Propterea veni, vt meo aduentu figurata cessarent.

Noui Domine, quod haud amplius vitulos nostros de domo nostra accipias, neque de gregibus nostris hyrcos: hæc enim tua sunt, sicut & omnes feræ syluarum, iumenta in montibus, & boues. Cognoscis omnia volatilia Cæli, & tecum est pulchritudo agri; Vitulos nostros minime comedis, neque sanguinem hyrcorum potas, nec nostri eges, etiamsi esurires; cum omnis plenitudo terræ, & orbis tua sint. Holocaustum cordis mei quæris, quia vt saluares me ignis charitatis accendit te. Da quæso bone Iesu, vt immolem Deo sacrificium laudis, & Altissimo reddam vota mea, quæ in Baptismo voui: Non in labijs dolosis, non vt ore laudes dicam, & vita mea infernum procurem malè viuendo. Sat noui; laudem peccatoris haud esse acceptam, cum ipsi peccatori dixeris, Quare assumis testamentum meum per os tuum? & enarras iustitias meas? Concede Domine deponam veterem hominem, nouus sim, qui renatus sum tibi ex aqua, & Spiritu sancto, & tunc in die tribulationis inuocabo te, qui eruas me, & ego tunc honorificabo te. Ne permittas, vt retrorsum vadens, disciplinam tuam odio habeam: & sermones tuos retrorsum proijciam: ne videns furem cum eo curram, & cum adulteris portionem meam ponam; vt primum namquè illis contingerit me assentiri, & consilium præbere, in illorum incidam & pœnas. Increpans, & ad pœnitentiam excitans quædam dixisti, Abundabat os tuum malitia, & dolos lingua tua concinnabat: sedensq. aduersus fratrem innocentem loquebaris, & aduersus filium matris tuæ Ecclesiæ sanctæ ponebas scandalum. Quia tacui, nunquid pœnas euasisti? tacui, quia vt tu resipisceres, & te pœniteret, expectaui. Nunquid quia silui, tui similem me existimasti? arguam te, & statuam contrà faciem tuam: quando iudicabo quæ tibi pœna ignis infligenda erit; non erit tunc, qui raptum eripiat; quia oblitus fuisti Deum. Quid gratiarum rependere tibi possumus Domine Deus noster, qui doces nos, vt innocentes, seù peccatores pœnitentes, à

supradictis omnibus peccatis enarratis abstinentes, sacrificio laudis sacrificemus, & honorem tibi debitum reddamus: Feruescat in te anima nostra, vel ob hoc ipsum potissimũ, quòd in sacrificio Eucharistiæ iter exhibueris, quo participes simus nobis à te ostensi salutaris tui Iesus Christi Domini, ac Redemptoris nostri; qui vocatione sua vocauit nos in sortem suam, vt illi seruientes, gratiasquè debitas agentes, honorificemus te Deum Patrem, qui nobis talem, & tantum dedisti Redemptorem. Sileas adhuc Domine, & nostra peccata dissimulans in cordibus nostris gratiam tuæ benedictionis infunde: tuæ charitatis ignis tempestatem validam nos circumdantem vi lacrymarum nostrarum sedans, sicq. emundentur, & deleantur nostra delicta. Ecce Domine inuocamus te, quia perimus sine te. Est enim propè qui rapiat, nisi tu nos eripias. Succurrite nobis Sancti Dei, qui super sacrificia testamentum Dei ordinastis: qui iustitiam Dei annunciastis nobis: quoniam Deus Iudex est. Ecce expectamus Dominum, cuius aduentum hodie celebramus: Cui sacrificium laudis persoluimus: Veniat super nos, vobis intercedentibus, salutare Dei Iesus Christus, qui nos à peccatis omnibus, & à tribulationibus eruat. Et tu Virgo Lucia Dei Martyr, & sponsa, cuius hodie festum celebramus, qui Paschasio dixisti, castè, & piè viuentes Templum esse Spiritus sancti: Intercede, vt nos piè, & castè viuentes digni efficiamur promissionibus Christi. Amen.

IN PSALMVM L.

Miserere mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam.



CONTINVATVR ad præcedentem Psalmum, in quo dicitur, omnes homines ad iudicium vocandos: hac tamen distinctione, & differentia, vt qui mala fecerunt, iudicati condemnentur in ignem sempiternum, qui verò benè egerunt, cohæredes cum Christo in Cælum gloriosi ascendant; & quia dies illa iudicij tamquam fur veniet, ne peccatis immersi rapiamur: & non sit qui eripiat; tunc enim pœnitentiæ locus non est, ibi monemur, vt dum tempus habemus, operemur emendationem, intelligentes, quòd peccatores sumus, quòd Deum obliti sumus, & mundi cupiditatibus immersi, ne quando rapiat, & non sit qui eripiat, quando dies illa venerit.

Verùm quia iàm Moysis sacrificia Deo non erant acceptabilia, nec erat expressum, quòd Deo sacrificium acceptum esset, vt pro delicto Deum placabilem faceret. Propterea hic de peccatore pœnitente tractans, quid facto opus ei esset, docet nos exemplo suo Dauid; nempè vt Deo cor contritum, & humiliatum pro sacrificio offerentes, nos miseri misericordiam Dei imploremus pro delictorum nostrorum remissione: & tunc sacrificium iustitiæ, oblationes, & holocausta erunt Deo accepta, quæ in aduentu Iesu Christi fuerunt instituta.

Continuatur ergo iste Psalm. ad præcedentem, ibi quippè de Iudicio, hic verò quomodò iudicium effugiendum; ibi de peccato, hic de medicina peccati, quæ est pœnitentia & confessio; ibi quid ab hominibus cauendum instructio, hic verò si lapsi fuerint, vt absoluantur, quid faciendum eruditio. Quàm magna

Dei

Dei misericordia, & propitiatio illius conuertentibus ad se, Eccles. 17. numer. 28.

Miserere mei Deus; & quia semper peccamus vsque in finem, Psalmus iste dicatur; Miserere mei Deus; nàm dum viuo, in miseriæ positus sum.

Ad cuius Psalmi maiorem intelligentiam, & documentum nostrum; eam, quam omnes hìc præmittunt Dauid historiam, & ego breuiter iterum referam, quæ ex 2. Reg. c. 11. & 12. colligitur. Antequam tamen incipiam illam enarrare, sciendum, quòd Dauid erat Pastor gregis Patris sui, & Deus de post fœtantes accepit eum, & 1. Reg. cap. 16. num. 11. & 12. & directus est spiritus Domini à die vnctionis illius per Samuelem; itàvt Vrsum, & Leonem interfecerit, 1. Reg. cap. 17. num. 36. Goliam Gigantem, & si puer, in nomine Domini exercituum in fronte lapide percussum interfecerit, ibid. nu. 49. & quamuis pauper, & humilis, 1. Reg. cap. 18. num. 23. Generum esse Regis meruerit, contrà omnes hostes semper victor euaserit, Rex tandem, & diues effectus: Vicit tamen hunc pax prosperitatis, quem bella non vicerunt, dicit Augustin. Nàm qui diues fuerit, non est immunis à peccato, Eccles. cap. 11. num. 10. Enimuerò taliter exaltatus, cui nec concubinæ, nec vxores in magno numero deerant; oblitus sui, immo oblitus Dei nostri, tantorum beneficiorum immemor, qui de stercore erectus erat in Regem: dum alij bella gerunt, ipse in Ierusalem remanens post meridiem, cum de stratu suo surgens, in solario Regiæ domus suæ deambularet, mulierem vidit pulchram valdè se lauantem ex aduerso super solarium suũ: longè erat ab illa, sed propè erat libido sua: erat post meridiem, qui incidit in damnatam libidinem: commisit adulterium, qui tot beneficijs repletus, etiam addidit homicidium: vidit mulierem nomine Bethsabee se lauantem, cuius maritum occidi mandauit; vt peccatum occultum teneret, quod patrauit. Benè verum est, quòd scriptum habemus, omnis panis fornicatori dulcis, Eccles. 23. num. 24. & num. 25. omnis homo, qui transgreditur lectum suum, contemnit animam suam. Nemo te videbat, ò Dauid, circumdabant te tenebræ, & parietes cooperiebant te: nullus te conspexit. An non intelligis, quoniam omnia videt oculus Dei, & oculi Domini lucidiores sunt super Solem, circunspicientes omnes vias hominum: & profundum abyssi, & hominum corda intuentes in absconditas partes num. 28.

Et quomodò deficit tibi intellectus, ò Dauid? occultum credis Deo, cui omnia nota sunt? præterita, præsentia, & futura: Ab omnipotente non sunt abscondita tempora, Iob cap. 24. num. 1. nec hominum corda, & abscondita tenebrarum, Psalm. 43. num. 22. sed si non ignoras, quia omnia nota sunt Deo, quare intelligens Deum obliuisceris; cum qui Deum obliuiscitur intelligens, rapiatur, & post raptum non est, qui eripiat. Tu hæc dixisti ore tuo; & quomodò horum immemor celando peccatum Domino, cecidisti? Eccles. 23. numer. 22. anima calida quasi ignis ardens, non extinguetur, donec aliquid glutiat: & homo nequam in ore carnis suæ, non desinet, donec incendat ignem. Hæc propter nos facta sunt, vt cadentes non obliuiscamur, & pœnitentem sequamur, ad nostram doctrinam hæc scripta sunt, ne in diuitijs, quas nobis dedit Deus, spem ponamus, ne in dignitatibus confidamus; nec talem fiduciam in illis habeamus, quin semper vigilantes, & trementes in Domino confidentes stemus, cuius nomen est Turris fortissima, Prouerb. 18. num. 10. Sapien. 7. num. 21. cum sequen. Sapien. 9. num. 9.

In

In finem, est Titulus, quia vsque ad finem vitæ durat periculum perditionis, durat & spes salutis, si tu ab iniquitate tua recesseris, & cum Dauid clamans dixeris; Miserere mei Deus. Ad hoc faciunt etiam, quæ Deus per Prophetam suum Ezechielem dixit in cap.18.& cap.33.nu.11. Non vult enim Deus mortem peccatoris, sed vt magis conuertatur impius à via sua, & viuat. Quare si non conuerteris, morieris.. Tu itaq. inquit Deus ibi, num.12. Fili hominis, dic ad filios populi mei. Iustitia iusti non liberabit eum; in quacumque die peccauerit: & impietas impij non nocebit ei, in quacumque die conuersus fuerit ab impietate sua.

Quæri hìc potest, an qui exemplo Dauid cecidit, sit Dauide excusabilior. Immo iniquior est Dauide, dicit August. nàm Dauid nullum sibi ità ad exemplum proposuerat vt tu. Ceciderat lapsu cupiditatis, non patrocinio sanctitatis, tu tibi tamquam sanctum proponis, vt pecces; non imitaris eius sanctitatem, sed imitaris ruinam. Hoc amas in Dauid, quod in se odit Dauid. Legis, vt pecces; & non odis, quod in lectura odit Deus: non ibi peccatum approbat, sed vt id euites, quod turpe, & odibile non ibi narratur, vt grauitate illius, qui ceciderit, de benignitate, & misericordia desperet, sed vt tu sequendo peccantem, imiteris pœnitentem, sequaris dolentem, & confitentem. Tu ergo qui exemplo illius peccasti: Dauide iniquior, qui eundem Auctorem assumis. Nec Dauid lapsus est in Propheta, sed correptus est à Propheta. Dauid correptus ab inferiore: tu correptus à Domino: ille Rex Propheta, & magis sapiens corripiente: tu vilis, & inferior à Domino, te ab ignorantia excitante: ille conuersus, & pœnitens, & tu stulte in delicto tuo, in scelere tuo persistens eris? ò peior Diabolo, qui non credis in Deum, neque Deo: nàm si re vera crederes, à peste peccati, & ab illius occasione peccandi desisteres.

Post meridiem deambulabat Dauid in solario, & ideò regnauit in illo libido, ad Rom.6.n.7. Non ergo regnet, inquit Paul. peccatum in vestro mortali corpore, vt obediatis concupiscentijs eius, sed neque exhibeatis membra vestra, arma iniquitatis peccato: non dixit Apostolus, non sit, sed non regnet; inest enim peccatum, cum delectaris; regnat verò, cum tu consenseris. Quare non apprehédit te tremor, & timor, tàm facilem inspicientem casum amici Dei Dauid? Quis cum Rege Dauid, non defleat die ac nocte, vt conuersus Deo reconcilietur, qui cum Dęmonio meridiano ductus est ad perpetranda iniqua? Ante mortem etiam tu confitearis, Eccles.4. nu.31. nec demoreris in errore impiorum, confiteberis viuens, & sanus confiteberis, & laudabis Dominum, & gloriaberis in miserationibus illius, Eccles.cap.17.num.27.

Agitur ergo in isto Psalmo, de pœnitentia, & humilitate, quam Dauid habuit, cum venit Nathan Propheta missus à Deo: oculi enim Domini erant in illum diligentem Deum, Eccles.34.nu.15. Et ideò misit ad arguendum eum de peccato, quod fecit, quando intrauit ad Bethsàbee; celauerat enim Dauid adulterij culpam, & homicidij. Vndè missus est Nathan ad eum, qui similitudinem de oue pauperis à diuite occisa proponens: illum ità conuicit, vt in præclaram eam proruperit confessionem. Peccaui Domino.

Rex à Nathan redargutus non erubuit confiteri peccatum suum publicè, nec se, vt homo solet, excusauit, sed à se pœnas exegit, quas vel minimus quis vix coactus, vix ferre posset. In conspectu omnium se reum abiecit, cuius iudiciũ

ab

ab omnibus timebatur, correptus est per Prophetam, & humiliatus illi dixit; peccaui Domino; non occultauit delictum, non dissimulauit factum; sed dixit, Peccaui Domino; & ideò audiuit, Dominus quoque transtulit peccatum tuum: non morieris. Reuersus est Nathan in domum suam, nec lapsus est Dauid in Propheta; omnia enim ad magnatorum, & regum doctrinam scripta sunt de Dauide: vt sint in reprehensionibus audiendis humiles, non luxuriosi, vnde Eccles.5.num.12. & 13. Esto firmus in via Domini, esto mansuetus ad audiendum verbum, vt intelligas, & Eccles.cap.10.num.17. Beata terra, cuius Rex nobilis est, & cuius Principes vescuntur in tempore suo ad reficiendum, & non ad luxuriam.

Titulus ergo. In finem Psalmus Dauid, cum venit ad eum Nathan Propheta, quando intrauit ad Bethsabee: In finem nostra humiliatio, idest in Christum, nostra confessio, in finem vsque vitæ. Psalmus Dauid, quia in Tympano, & Organo illud cantabat; hoc est oratio, & confessio, atque humilitas cum pœnitentia, cum operibus Christi laudatio. Et notandum, quòd dixit. Cum intrauit: Quòd non statim post ingressum ad Bethsabee, fuit Nathan exhortatio, immo longo tempore post ingressum; nàm cum exhortaretur, natus erat filius, quem de illa habuerat Dauid, & pro vt ei dixit Propheta, mortuus est, vt est in dicto cap.12.2.Reg. Nec mirandum, si Dauid tanto tempore occultauit delictum, nec illud confessus est; error enim, & tenebræ peccatoribus connexæ sunt, Eccles.11.num.16. Non tamen à pœna immunis, nàm tarditatem in confitendo, grauitate pœnæ Deus compensauit. Fortioribus enim fortior instat cruciatio: Sapien.6.num.9. Pœna autem à Deo data, mors filij, gladius nunquam de domo eius exiens, & illius vxores proximo suo datæ, & dormiet, inquit, cum vxoribus tuis in oculis solis huius, d.2.Reg.cap.12.num.12.

Miserere ergo, inquit, mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam. Considera hìc, quantum placeat Deo humilitas peccatorum, nàm his paucis verbis redditus est placatus, & pœnitens in gratiam remissus. Non immeritò ergo ab Ecclesia præ omnibus alijs Psalmis cantatur, & frequentius legitur, quia sit in exemplum omnibus peccatoribus. In alijs enim Pœnitentialibus Psalmis maiora proponuntur, & difficiliora, in hoc verò facilius pœnitens exauditur, & à quocumque peccatore etiam debili, & infirmo facilè cantatur, & recitatur; secus verò est in alijs, vt dixi, Psalmis Pœnitentialibus, vt ibi. Lauabo per singulas noctes lectum meum; in alio verò, Grauata est super me manus tua: in alio: Putruerunt, & corruptæ sunt cicatrices meæ; & cinerem tamquam panem manducabam; & De profundis clamaui; & in alio, Persequutus est inimicus animam meam; in hoc verò quinquagesimo: Misericordiam à Deo implorat, dicens.

Miserere mei Deus, districtiora enim in alijs fortioribus, hìc autem leuia infirmis prouidet; per quæ docet omnes agere pœnitentiam: Vt Deus cuiuscunque misereatur, qui ab ipsius gratia per peccatum factus alienus, miser factus est. Secundum magnam misericordiam tuam miserearis, quia magna sunt delicta mea: maxima infirmitas mei peccatoris, ideòq. maxime mihi compatiaris misero. Bernard. Sicut sunt peccata minima, sunt & magna, sunt & mediocria; ità misericordia Dei quædam parua, quædam mediocris, & quædam magna. Magnus peccator magna opus habet misericordia; vt vbi superabundauit peccatum

catum superabundet & gratia, ad Rom.cap.5.num.20. Misericordia Dei parua, dicitur expectatio peccatoris, qui non statim, cum peccat, punitur; sed ad pœnitentiam expectatur, non quia sit in se talis misericordia; sed in comparatione aliarum, parua videtur. Nàm & illa magna est valdè, expectare peccatorem, vt pœniteat, Sapien.cap.12.nu.19. Nonnè grauissima vidètur, cum Angelum peccantem statim è Cælo præcipitauit, sic de primo homine legimus, de Paradiso statim expulso, Genes.c.3. Magna ergo misericordia Domini, quia seipsum morti obtulit, vt copiosa esset sui populi redemptio. Et aduerte, quòd etsi istud expectare sit misericordiæ Dei, & respectu aliarum dicatur parua, quia nisi te in tempore illo pœniteat, ad salutem tuam non sufficit; immo augebit pœnam; quia tu obstinatus in peccato repulisti illam: non illam considerasti, non illam acceptasti, Vndè ad Roman.cap.2.num.4. An diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? Ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit; secundum autem duritiam tuam, & impœnitens cor thesaurizas tibi iram in die iræ. Patientia ergo Dei est prima misericordia, vt peccator audiat, hæc fecisti, & tacui, Psalm. præcedenti; secunda verò misericordia maior est priore, quæ facit, ne prima sit perniciosa, & infructuosa: & hæc quidem leuibus sufficit in peccatis; à quibus scilicet, dum gestamus corpus mortis, non possumus penitus abstinere, vt in peccatis ignorantiæ dat exemplum Augustin. At in grauioribus, & quæ ad mortem sunt, non solum patientia opus est, sed etiam pœnitentia: res planè difficilis, & possibilis ex gratia dumtaxat Dei, cuius solius est susceptum peccati iugum à ceruicibus nostris excutere. Et hæc est magna misericordia, magnis necessaria peccatoribus, de qua nunc ait Psalm. Miserere mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam. Noli ergo, qui grauiter peccasti, de grauitate desperare delicti: non addas peccata peccatis. Nàm Psalmus iste, dicit Augustin. sicut cautos facit eos, qui non ceciderunt, sic desperatos esse non vult, qui ceciderunt. Si ergo grauiter peccasti, audi Dauidem, & sequere illum gementem, sicut & Dauid audiuit & Nathan corripientem: audi Dauidem humiliter confitentem, & clamantem, & tu simul cum illo grauitatem delicti tui considerans, Domino confitere, & congemisce: audi flentem, & lacrymas coniunge: audi correctum, & condolectare. Si tibi non potuit intercludi peccatum, spes veniæ non intercludatur. Ad illum missus Propheta Nathan, ad te Dauid, & Rex, & Propheta; hìc humilis accepit correctionem, nec respuit minoris se reprehensionem; audiat & populus Iesum illius miserentem, & ad se vocantem, & dicat cum Dauide.

Miserere mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam. Quia magna est miseria, in qua positus sum propter delictum meum, non paruam quæro misericordiam tuam; nàm non ignoranter ego peccaui. Ideò ad te omnipotentem confugio, quia graue est peccatum, quod habeo; magna ergo misericordia miserere mei. Qui secundum eandem misericordiam tuam Domine Iesu me regenerasti, 1.Petri cap.1.num.3. Solo enim verbo tuo me creasti; sed quia iàm mortuus eram, vt reuiuiscerem, morte tua me viuificasti, me regenerasti; secundum istam magnam misericordiam tuam iterum miserere mei, quia iterum per graue peccatum meum perditus iui: nisi mortis tuæ merito eripiens me de manu Diaboli miserearis mei; si enim tua non esset misericordia magna, quid esset de miseria mea: qui nimis peccaui in vita mea? desperandum

mihi

mihi esset, si non esset tuum auxilium, nisi esset magna tua misericordia, qui totus misericors es. Magna misericordia, quæ potens fuit, te Deum de Cælo deponere, corpore induere, vt pro me patereris, & morereris. August. De magna misericordia tua, multæ sunt miserationes tuæ. Attendis enim contemptores, vt corrigas; attendis nescientes, vt doceas; attendis confitentes, vt ignoscas. Blasphemus ille fuit, persecutor, & contumeliosus, misericordiam autem tuam consecutus est, quia in incredulitate ignorans fecit, 1. Timoth. 1. nu. 13. Non ignorabat Dauid, quantum mali esset contrectatio coniugis alienæ, & quantum malum esset interfectio mariti, nescientis, nec saltem irascentis. Consequutus est Paulus misericordiam tuam Domine, qui ignoranter fecit, magnam verò misericordiam consequuntur, qui scientes malum fecerunt.

Quid ergo tibi infers ò Dauid? qui misereri à Deo desideras? quid est illud, miserere? declarat ipsemet, quòd sit peccata delere; vnde dicit dele iniquitatem, vnde August. quod ait Psalmista; dele iniquitatem meam, hoc est miserere mei Deus: & quod ait, secundum multitudinem miserationum tuarum Deus, hoc est secundum magnam misericordiam tuam: quia magna est misericordia, multæ sunt misericordiæ, & de magna misericordia tua, multæ sunt miserationes tuæ, &c.

Et secundum multitudinem miserationum tuarum, dele iniquitatem meam; plura ergo, & grauia erant Dauid peccata, & ex vno fonte omnia prouenerunt, ex Bethsabee scilicet adulterio, & concubitu: Adulterium primum. Secundum peccatum fallacia fuit, occultare tentatum delictum, partum enim supponere tentauit. Nàm si maritus ab illo vocatus, cum vxore accubuisset, filium nasciturum mariti dixisset, qui conceptus erat ex ipso Dauide. Fuit etiam homicidium mariti, quod ipse commisit; & etiam aliorum qui occisi fuerunt occasione supradicta, vt d. 2. Reg. c. 11. Secundum ergo multitudinem peccatorum meorum, inquit Dauid, sit & multitudo tuarum miserationum: sed si sunt plura peccata, quomodò erit vna iniquitas? inquit enim dele, iniquitatem meam: non dicit iniquitates meas. Nisi dicamus, quòd tamquam genus iniquitas comprehendit sub se omnes delictorum species, omnes peccatorum diuersitates, & differentias, hinc multorum delictorum conscius iniquus dicitur. Dele ergo iniquitatem meam, quæ ex multitudine peccatorum meorum habuit ortum, habuit nomen. Sicut etiam in iudicio dicimus; quia erit vna punitio, vna sententia, quamuis delinquentium sint varia, & plura delicta. Vtrunque ergo petit hìc Dauid, & rogat interiorem scilicet miserentis bonum animum; vt compatiatur scilicet illi Deus, & compatiendo, & miserando: tùm & actum etiam exteriorem petit, vt scilicet peccata sua deleat; propterea dicit. Et secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam: cum in primo versiculo dixerit, miserere secundum magnam misericordiam tuam.

Amplius laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me semper. Quid amplius lauari desideras, si per peccatorum tuorum deletionem factus es mundus? Qui lotus est, mundus est totus, Ioan. cap. 13. num. 10. quomodò ergo, amplius laua, dicis, si dimissa sunt peccata tua? Præuidens, laua, amplius inquit. Quando veniet Baptismus: ablutionem enim Baptismi in spiritu videbat Dauid, vbi plena ablutio, & remissio: laua me à peccatorum voluptatibus, quæ sunt in carne mea: laua amplius quàm à simplici actu peccati, quia

plus

plus peccaui, quàm simplici actu, cum scienter, & cum voluntate eum fecerim; amplius laua, & copiosius scilicet purga me; vt cum Apostolis tuis docendo iniquos vias tuas, & impij ad te conuersi lauentur, vt quemadmodum tu Domine mihi feceris, & ego seruus alios doceam faciendum in virtute tua.

Amplius laua me. Quia & ipse amplius peccaui peccatis grauissimis, adeòq. vsque in finem laborabo in gemitu meo: lauabo lectum meum lacrymis stratum meum pœnitens irrigabo per singulas noctes. Ideò tu amplius etiam laua me; quia inter inimicos meos inueterasco, & Psalm.6. nu.6. & 7. Amplius laua me, quia quæ ordinauit Moyses sacrificia, vt ingrediar tecum in Paradisum, vmbra tuæ passionis, non sunt sufficientia. Ideò veni Domine, & noli tardare, vt deleas etiam originale peccatum: ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea: & ideò à peccato meo me munda. Amplius laua me à multiplici pœna mihi à Nathan comminata, 2.Reg.c.12. Amplius laua me, vt perpetua macula, in quam ex homicidio, & adulterio incidi, ità deleatur, vt quod occultum feci non sit toti mundo manifestum: & gladius cesset in domo mea: ideò dicit, & à peccato meo munda me, idest à pœna, etiam ergo à pœna inquit, libera me; sic etiam pro pœna accipit peccatum, 1.Petri cap.2.nu.24. Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo, super lignum, idest pœnam pertulit pro nobis. Laua amplius, quàm ab actu peccati, qui in me fuit carnis voluptate. Amplius laua me, quia tota die verecundia mea contrà me est; confusio faciei meæ cooperuit me, Psalm.43. num.16. donec transeat iniquitas, in vmbra alarum tuarum sperabo, Psalm.50.num.2.

August. Quo merito? Medicus est, offer mercedẽ; Deus est, offer sacrificium. Quid dabis, vt munderis? iustum inuocas, odit peccata; si iustus est vindicat in peccata, neque ab eo iustitiam auferre potes: eius ergo implora misericordiam, sed attende iustitiam. Misericordia est, vt ignoscat peccanti, iustitia est, vt puniat peccatum. Quid ergo? Quæris misericordiam, peccatum impunitum remanebit? Cum Dauide respondeas. Non Domine, non erit impunitum peccatum meum: noui iustitiam eius, cuius quæro misericordiam. Non impunitum erit, sed ideò nolo, vt tu me punias, quia ego peccatum meum punio; ideò peto vt ignoscas, quia ego agnosco, & ideò sequitur, hæc Augustin.

Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & delictum meum contrà me est semper. Quid dicis, ò Dauid sancte? Contrarius es tibi; nonnè dignum morte iudicasti, qui ouiculam vnicam pauperi mactandam abstulit? tu es ille, inquit ille Propheta missus ad te, qui vnicam vxorem à marito abstulisti, quem occidisti; tu secundum Moysis legem pronunciasti. Ità etiam mulierem in adulterio deprehensam duxerunt Iudæi ante Iesum, vt illam morte dignam iudicaret, & interrogauerunt Iesum, quid diceret, quia in lege Moysis occidenda erat; Trabem sicut tu ò Dauid in oculis habebant: Peccatum post dorsum, sicut tu, & illi posuerant; tunc enim post dorsum peccatum Vriæ habebas: peccatum tuum non agnoscebas; sicut & Pharisæi, & ideò in pronunciando sententiam alijs non ignoscebas. Iàm ante oculos tuos peccatum tuum positum est per Prophetam, quod supra dorsum posueras. Audisti legem contrà delinquentem, audi nunc misericordiam Dei in te confitentem, & pœnitentem: sciebas Deum vltionum, sed non ignorabas Deum misericordiarũ venturum: propterea transtulit peccatum tuũ Dominus. Iudæi deprehensam adduxerunt, lex iusta erat, sed ministri isti culpabiles; lex iusta ministros habere debebat innocentes. Discesserunt illi

Iudæi, audito Iesu Christi responso; ostenderunt vulnera, medicinam à Medico non quæsierunt. Ità sunt multi, quos non pudet facere peccata, tamen agere pœnitentiam pudet; de vulnere ipso non erubescis, & de ligatura vulneris erubescis.

Augustin. Remansit adultera & Dominus: remansit vulnerata & medicus: remansit magna miseria & magna misericordia; adducentes erubuerunt, nec veniam petierunt, adducta confusa est, & sanata; Moyses lapidat, Christus indulget, Moyses vt Iudex, Christus vt Rex; qui ideò venit, vt peccatores ad pœnitentiam vocatos sanaret. Plangas ergo tu, & punias pœnitendo teipsum, si vis euadere Dei iudicium, iusti Iudicis seueritatem. Quare in peccato dormis ò peccator, vt in perpetua nocte rapiaris? An ignoras, quòd qui caret Dei gratia, caret & animæ vita? Apocal. 3. Nomen habes quod viuas, & mortuus es. Cognosce ergo tuum peccatum, & plange, si vis vitam habere in æternum: & coram te peccatum ponendo, dicas cum Dauide: Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contrà me est semper: non enim, dicit Seneca Epistola 78. dicenda est vita quandiù vixeris, sed solum quandiù benè vixeris.

Vt autem quid faciendum tibi non ignores; lege c. 4. in Leuit. nu. 29. vbi dicitur, cum homo peccatum suum cognouerit, offerat Capram immaculatam, hoc est seipsum ad modum Capræ se Deo debet offerre. Capra secundum Naturales, carnes habet siccas, & digestionis difficillimæ, pilos habet asperos, & grossiori vtitur cibo, arborum virgultis. Sic verè tales peccatum suum agnoscentes, vt Deo satisfaciant, carnem siccam habere debent per abstinentiam, & ieiunium; quæ difficilis esse debet digestionis; illud enim quod digeritur, in alimentum, vel substantiam digerentis conuertitur, talis autem carnem non debet digerere, quia affectiones carnales non debent à nobis sic recipi, vt per approbationem in nobis cõuertantur; pilos etiam asperos debet habere, quia carnem suam non mollibus vestibus, sed magis cilicio operire debet: cibo grosso vti debet, idest solido verbo Dei, quod manet in æternum, propterea solidum. Et sicut Capra per vias asperas ascendit ad alta, sic & talis per asperam viam pœnitentiæ, ad alta, Cælestem scilicet contemplationem perueniat, quia tunc cognoscet Deum, quem per peccatum offenderat; & dicet cum Psalmista, Psalm. 118. num. 75.

Cognoui Domine, quia æquitas iudicia tua: & in veritate tua humiliasti me, &, Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & pœnam, illam concomitantẽ sine te non euado. Et hoc est peccatum meum quod contrà me est semper: quia in peccato concepit me mater: Vnde Augustin. Quid est, quòd se dicit in iniquitate conceptum? nisi quia trahitur iniquitas ex Adam: etiam ipsum vinculum mortis cum ipsa iniquitate concretum est; nemo nascitur, nisi trahens pœnam, trahens meritũ pœnæ: vnde nemo mundus in conspectu tuo, nec infans, cuius est vnius diei vita super terram: nouimus enim ex Baptismo Christi solui peccata, & Baptismum valere ad remissionem peccatorum. Si Infantes omnimodò innocentes sunt, cur matres ad ecclesiam cum languentibus currunt? Quid illo Baptismo, quid illa remissione dimittitur? Innocentem magis video flentem, quàm irascentem. Quid diluit Baptismus? quid soluit illa gratia? soluitur propago peccati; quia si loqui tibi posset ille infans diceret, etsi iàm intellectum haberet, quem habebat Dauid, responderet tibi. Quid me attendis infantem? Nunquid vides facinora mea? sed ego in iniquitate conceptus sum, & in peccatis mater mea me in vtero aluit, hæc Augustinus.

Idcir-

Idcircò dicit Dauid, peccatum meum contrà me est semper: quia iniquitas, in qua natus erat, produxit mortem, produxit pœnam, Non quia peccatum sit commisceri vxoribus; sed quia illud quod fit, vtique fit de carne peccati, atque pœnali; pœna enim peccati, & carnis mors est, & vtique inest ipsa mortalitas; vnde Apostolus ad Rom.c.8. Non moriturum corpus dixit, sed mortuum propter peccatum: spiritus autem vita est propter iustitiam: Augustin. Quomodò ergo sine vinculo peccati nascitur, quod concipitur, & seminatur de corpore mortuo propter peccatum? opus hoc castum in coniuge non habet culpam, sed origo peccati trahit secum & culpam, & debitam pœnam.

Tibi ergo soli peccaui, & malum coram te feci, dicit Dauid repræsentans Adam causam peccati; quia causa fui, vt tu carnem nostram assumeres mortalem, & nascereris, absque tamen peccato, & pro me moreretis; quia malum coram te feci. Vt iustificeris in sermonibus tuis, quibus dixisti, te in mundum venturum, vt esses salus omni credenti, Isai.53.num.11.& 12.& cap.54. num.1. & cap.61. num.9. & 10. sic Dominus germinabit iustitiam, & laudem coram omnibus gentibus, & Mich.1.num.3. Quia Dominus egredietur de loco suo, & descendet, & calcabit super excelsa terræ, vt latius diximus in Tractatu contrà Iudæos cap.2. & 3. Et vincas cum iudicaris, idest postquam veneris, vincas post iniustum Iudæorum iudicium contrà te, ità vt omnis sit tibi danda potestas in Cælo, & in terra, Matth.28.n.18. Et ideò vt iustificeris in sermonibus; quia oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertia die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam, & remissionem in omnes gentes, Luc.24.n.46.

Tibi soli peccaui. Hic Psalmista humanum genus repræsentat, cuius primus parens Adam peccando coram Domino, fuit causa peccati, & malum coram Domino fecit. Sequitur Psalmista dicens, Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea, ad Rom.7.nu.10. Ego autem mortuus sum, & inuentum est mihi mandatum, quod erat ad vitã hoc esse ad mortem, & n.4. ego autem carnalis sum, venundatus sub peccato, quod ideò dicit secundum Gloss. ibid. quia ex primo peccato concupiscentia contrà spiritum nata est in carne. Quidquid autem peccati est in dictis, factis, & cogitationibs, totum est ex illa concupiscentia, quæ ex primo peccato processit, August. Suscepit personam humani generis Dauid, & attendit omnium vincula, propaginem mortis considerauit, originem iniquitatis aduertit, & ait: ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, eò quia iniquitatem traxit ex Adam, etiam vinculum mortis cum ipsa iniquitate concretum est, nemo nascitur, nisi trahens pœnam, trahens meritum pœnæ. Et in alio loco, Nemo mundus in conspectu tuo, nec infans, cuius est vnius diei vita super terram, Iob.15.num.14. & 15. & c.25.n.4. Psalm.13.n.8. Tibi ergo soli peccaui, & malum coram te feci; quia tu solus legem mihi dedisti, ne occidam, ne alterius nuptam desiderem, vt Exod.20.n.7. & Deut.5. Et ideò tibi soli peccaui, quia & tibi soli competit punitio delicti; quia ipse in legem tuam peccaui, & ideò gladius de domo mea, & pœnæ comminatæ per Nathan iustæ sunt, quia tu iustus Domine, & in sermonibus tuis iustificaris, quia iustus, & pœnas minatas mihi deberi iudicasti.

Quid ergo dicis tu, qui in Cælum os tuũ ponere præsumis. Nunquid Dauid, quia aliàs Dei amicus non luet pœnas pro eo, quod posteà iniustus duplex peccatum admisit, tametsi per pœnitentiam translatum? Si pœnam iudicij considerabis,

mbis, Deum vltorem in illum esse iudicabis, & ideò dicit. Et vincas cũ iudicaris; quia pœnam delicti non euasit, cui pœnitenti peccatũ translatum. Sic enim misericordiam dat Deus, vt seruet veritatem; vt nec peccata eius sint impunita, cui ignoscit, Misericordia ergo est, quòd homo liberatur, veritas, quòd peccatum punitur, & ideò sequitur, dicens: Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, nàm sicut Adam causa peccati, sic & ego conceptus in peccato, malum coram te feci.

Ecce enim veritatem, quam tu diligis, & ego profiteor, quam ego pœnitens agnosco, propterea confiteor, quia tibi soli peccaui, & me ideò contritum, scio qui pro veritate tua non me despicis: ideò subuenias mihi, quia pœnitens cõfiteor tibi.

Ecce enim veritatem dilexisti. Vt & si peccatum meum transtuleris, quia me pœnituit, pœnam tamen quia peccaui, non euasi, ecce veritatem dilexisti: Vnde Aug. Veritatem dilexisti: idest impunita peccata eorum, etiam quibus ignoscis, nõ reliquisti: Veritatem dilexisti; sic misericordiam prorogasti, vt seruares & veritatem; ignoscis confitenti; ignoscis, sed seipsum punienti. Ità seruatur misericordia, & veritas; misericordia, quia homo liberatur; veritas, quia peccatum punitur.

Ecce enim veritatem dilexisti; incerta, & occulta nobis sapientiæ tuę manifestasti mihi. sed quid occultum, quid incertum manifestauit? nemo scit, an dignus sit amore, vel odio: & tu Domine incerta, & occulta sapientiæ tuæ reseruata manifestasti mihi, quòd scilicet peccatum meũ delesti; & forsan melius dicamus.

Ecce enim veritatem dilexisti: Præsupponit illud aduerbium, ecce, præcedentium verborum annexionem, & illorum coniunctionem; admirantis est illud aduerbium; in proximo enim vers. dixit, se soli Deo peccasse, & coram illo malũ fecisse: vt iustificeris, inquit, quia tu vt peccatum deleres venturus esses. Vt iustificeris in sermonibus tuis; nàm visitasti in verberibus peccatum meum, & in virga iniquitatem meam: & asseruisti; misericordiam autem meam, non dispergam ab eo, neque nocebo in veritate mea: Psalm. 88. n. 32. cum sequen. Et ideò venisti vocare peccatores ad pœnitentiam. Nec venisse sufficiebat, nisi & pro satisfactione sufficiẽter pro offensa à nobis facta Patri integraliter satisfecisses, morte tua mortem morti traderes; & moriendo vinceres; Et vincas, inquit, cum iudicaberis. Porrò occulta Dei Patris sibi manifestata, dicit Dauid, ecce enim veritatem dilexisti. Quid enim est veritas, nisi filius Dei? ego, inquit, sum Via, Veritas, & Vita, Ioan. 14. n. 6. ecce enim veritatem dilexisti: & genus humanum, quod per peccatum iàm perditum erat, cũ longè factum erat à te; per ipsam veritatem tuam filium tuum factum tibi est prope, Ioan. 1. Ità veritatem, ità filium tuum, qui tibi complacuit misisti ad saluandos nos; & vt morte sua peccatũ deleret voluisti. Hæc mysteria, hæc arcana, hæc nobis incerta, & occulta, soli tuæ sapientiæ reseruata, Dauidi nota fecisti: & manifestasti. Ecce enim veritatem filium tuum dilexisti: vt quos ipse diligebat, sanguine suo redimeret, & cohæredes suos in Regno suo faceret, quia sicut filius in te Patre, ità vocati, & redempti in te, & in filio, vnum vt essent voluisti, ad Galat. 4. n. 5. Misit filium suum, vt eos, qui sub lege erant, redimeret, vt adoptionem filiorum reciperemus, quoniam autem estis filij; misit Deus spiritum filij sui in corde vestro clamantem, Abba Pater.

Ecce enim veritatem dilexisti, Quia iure iurando promisserat illi Deus, de fructu lumbi eius sedere super sedem eius, Psalm. 131. nu. 10. ibi: Iurauit Dominus Dauid veritatem, & non frustrabitur eum, de fructu ventris tui ponam super sedem tuam, & num. 7. Illuc producam cornu Dauid: paraui lucernam Christo,

meo; & priùs idem dixerat Deus, 2. Reg. cap.7. num. 12. Cumq. completi fuerint dies tui, &c. suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de vtero tuo, & firmabo regnum eius. Ecce enim veritatem dilexisti, quia propter peccatum, & iniquitatem meam misericordiam tuam à me non abstulisti: sed promissum seruasti: & d.Psalm 88.n.36.Semel iuraui in sancto meo, si Dauid mentiar: semen eius in æternum manebit, Act.Apost.c.2.n.3. Ideòq. quia ex lumbis eius nasceretur, qui ipsum saluum facturus, cui humilitas erat accepta, nàm ipse Deus descendit, & humilis factus carnem nostram assumpturus erat, ideò.

Asperges, inquit Dauid, me hyssopo, & mundabor. Hoc est superbiæ flatum auferas à me, vt humilis, & ab illa emundatus humilis ipse efficiar, & à peccatis meis ablutus super niuem dealbatus efficiar, Isai.c.1.nu.18. Asperges me Domine hyssopo, & mundabor, lauabis me, & super niuem dealbabor. August. Hyssopum herbam humilem nouimus, sed medicinalem saxo hærere radicibus dicitur; ideò in mysterio mundandi cordis similitudo assumpta est. Apprehende, inquit, & tu radicem dilectionem, petram tuam; esto humilis in humili Deo tuo, vt sis excelsus in glorificato Deo tuo; aspergeris hyssopo, humilitas Christi te mundabit. Noli herbam contemnere; vim medicamenti attende, quia in purgandis pulmonibus aptum dicunt; purga pulmonem, in quo superbia notatur propter flatum, qui ab illo mouetur, quia vbi anhelitus; ibi inflammatio; purga pulmonem, tolle à te superbiam, & humilis factus imitaberis Christum. Vide Paulum iàm cædem spirantem, anhelantem cædem, & sanguinem: purgatus hyssopo, factus humilis, & secundum cor Dei inuentus est. Et mundabor, inquit, & super niuem dealbabor; nàm Christi veste vestieris, quæ facta est in monte alba sicut nix, idest in Ecclesia, quæ pro tali veste accipitur, & quia illa sine ruga, eris & tu mundus, si in illa verbum Dei audies, & contrà illam non eris; propterea sequitur Psalmista. Auditui meo dabis gaudium, & lætitiam, & exultabunt ossa humiliata.

Asperges me Domine hyssopo, & mundabor, quando scilicet aqua Baptismi lotus fuero, hoc enim mihi reuelasti secretum, quod prius etiam in Numer 19. erat præfiguratum: Incertum tamen mihi erat, & occultum sapientiæ tuæ demonstrasti, nunc mihi; in illo enim cap.19. ad expiationem, seù ad emundationem tria erant necessaria: puluis vaccæ rufæ, seù cinis eius, quæ mortem Domini præfigurabat, ad Hebræos cap.9. ibi Magister in Gloss. Vacca enim rufa est caro Christi infirma, sexus enim fæmineus positus propter infirmitatem carnalem; rufa, quia caro Christi in passione sanguine fuit cruentata; ætatis, inquit, tex. integræ, quia Christus trigintatriũ annorum erat ætatis; absque macula, quia in illo nullum fuit peccatum. Item aqua, & hyssopus, quo aspergebatur. Miscebantur in aqua cineres, quia sine Christi fide, non est in remissionem peccatorum Baptismus: Baptizabat in aqua Ioannes, in pœnitentiã, Matth.3.n.11. Christus verò in Spiritu sancto, Ioan.1.n.27. &, Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto non potest introire in regnum Dei, Isai.cap.3. nu.5. hoc cupiebat Baptismo Dauid lauari, quia appetebat, & desiderabat introire in Regnum Dei.

Tunc ego mundabor, quando asperges me hyssopo, & lauabis me, & super niuem dealbabor, quando scilicet tu veneris. Quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus, & consepulti sumus cum illo per baptismum in mortem, vt quomodò Christus surrexit à mortuis per

gloriam Patris, ità & nos in nouitate vitæ ambulemus. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus, ad Rom. 6. nu. 5. hunc appetebat Dauid Baptismum, vt cum Christo resurgeret in Cælum.

Asperges me Domine hyssopo, vt tunc humilis merear aspergi sanguine tuo, vt mundentur crimina mea. Paul. ad Hebr. 9. n. 13. si enim sanguis hyrcorum, & taurorum, & cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, quantò magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientias nostras ab operibus mortuis ad seruiendum Deo viuenti? Disciplinam ergo Domini non negligamus, nec dum ab eo arguimur fatigemur, quia quem diligit, castigat, & omnem filium, quem recipit flagellat, in disciplina perseueremus. Remissas manus, & soluta genua erigamus, & gressus rectos pedibus nostris faciamus, vt accedentes ad Ciuitatem Dei viuentis Ierusalem cælestem, per sanguinis aspersionem melius loquentem, quàm Abel, ad Hebr. cap. 12. num. 24. vitam habeamus ab illo æternam; vbi Glossa, aspersio, inquit, Christi melius loquitur quàm sanguis Abel, Iste enim veniam petit, ille vindictam; iste salutem, ille clamat damnationem: iste pro persequutoribus indulgentiam clamat, ille vindictam. Aspergamur ergo isto sanguine, si volumus à peccato mundari: ex disciplinæ patientia, & perseuerantia conficiemus vnum ex tribus partibus, ex quibus conficitur aspersorium: ex ligno scilicet Cedrino, Leuit. cap. 14. numer. 6. ibi. Alium autem passerem viuum cum ligno cedrino, hyssopo, & cocco tinget in sanguine passeris immolati, quo asperges illum, qui mundandus est septies, &c. fortis ergo sit prima pars, idest Cedri, qui altus, & fortis in tribulationibus, & serpentes fugat, hoc est Diaboli tentationes, conficitur aspersorium. Ex cocco fit secunda pars, quod est tincturæ rubeæ genus; & charitatem significat, ad Hebr. cap. 9. ibi Magister Sentent. de tertio, Iàm diximus de hyssopo, de humilitate, scilicet in Christo, qui est petra, in qua vera nascitur humilitas: ex his tribus aspersorium cum Dauide conficiamus; & cum ipso clamemus, Domine asperge nos hyssopo, vt sanguine tuo aspersi, charitate pleni, fortitudine accincti, & humilitate induti mundemur ab iniquitate nostra, & tua lotæ misericordia candidiores niue efficiantur nostræ conscientiæ; Tunc hoc erit, si passionem Domini, & illius sanguinis effusionem in domibus nostris, in cordibus scilicet nostris perpetuò retinuerimus. Vndè Exod. cap. 12. num. 13. Erit, inquit Deus, sanguis in signum, in domibus, in quibus eritis, & videbo sanguinem, & transibo vos, nec erit vobis plaga disperdens, quando percussero terram Ægypti, cultu sempiterno celebrantes, &c.

Quomodò autem sit ista sanguinis Christi super nos effusio, & aspersio, declarat Magister lib. 3. dist. 19. dicens, quòd per sanguinem mundamur, idest per charitatem, & deuotionem, quæ per considerationem Christi sanguinis, & passionis excitantur in nobis: sit ergo in nobis passionis Christi memoria æterna, vt illius aspersione, & commemoratione abstinentes à delictis, & præterita mundentur, & præsentia tollantur, & virtus illius sit in nobis ad effuganda futura.

Auditui meo dabis gaudium, & lætitiam, & exultabunt ossa humiliata. Audiuit Dauid Nathan Prophetam monentem; gaudens lætatus est, neque enim negauit, confessus est: aperuit vulnera, & sanatus est, gauisus est audiendo, & non contrà illum loquendo; sed confitens misericordiam Dei petit,

diui-

diuinis vocibus cessit; Venit in confessionem, & non in defensionem, & meruit transferri peccatum suum.

Videamus catenam indissolubilem, peccat Dauid; Nathan monet: conscientia dormientem excitat, & mordet: peccatum sponte confitetur Prophetæ; impositam pœnitentiam acceptat: remittitur peccatum, subsequitur Dei misericordia: amplius lauari cupit, & ex peccatore fit prædicator verbi eximius: Docebo, inquit, iniquos vias tuas, & impij ad te conuertentur, ò ineffabilem Dei misericordiam, humilianti se, seipsum humiliat, confitenti parcit, pœnitenti dat veniam; perseueranti in bono dat gratiam sempiternam. Auditui, inquit, meo dabis gaudium, & lætitiam: & exultabunt ossa humiliata; quæ per superbiam prius arida, & sicca facta fuerant; Auditui meo dabis gaudium, & lætitiam, Augustin. Gaudebo audiendo te, non loquendo contrà te; peccasti, qui loquendo defendisti te. Loqui vis, patere, audi, cede diuinis vocibus, ne turberis, & amplius vulnereris. Commissum est, non defendatur, in confessionem veniat, & non in defensionem. Adhibuisti defensionem peccati tui, vinceris; non innocentem Patronum adhibuisti, non est tibi vtilis defensio tua. Quis enim es, vt te defendas? idoneus esto ad accusandum te. Noli dicere, aut nihil feci, aut quid magnum feci, aut fecerunt & alij. Si faciendo peccatum, te dicis nihil deliquisse, nihil eris, nihil accipies. Paratus est Deus dare indulgentiam, claudis contrà te; ille paratus est, noli apponere obicem defensionis; sed aperi sinum confessionis, hæc Augustin. Auditui meo, quia humilis factus sum, dabis gaudium, & lætitiam; quia lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi, ex quo peccata mea esse dimissa, dixisti; Stantes erunt pedes mei, Psalm. 121. numer. 1. vt humilis audiam, vt benè audiam, stantes erunt pedes mei, vt audiam te, non vt cadam, & loquar, & excusationem inueniam; Sed vt humilis de veritate gaudeam. Stetit amicus Dei Ioannes, quando illi dixerunt, Quis es tu? quem te facis? Ioan. cap. 1. numer. 28. Non sum Christus, neque dignus sum soluere corrigiam calceamenti eius. Augustin. qui habet sponsam, sponsus est, amicus autem sponsi stat, & audit eum: stantem se fecit, & audientem, non cadentem, & loquentem. Stat, inquit, & audit eum, suggerentem, & docentem: securus gauisus est; quia sub magistro erat, cuius gloriam quærebat, illum docentem laudabat, Ecce, inquiens, Agnus Dei, ecce, qui tollit peccata mundi; non sibi laudem tribuit, sed Magistro Iesu, cuius erat seruus.

Auditui meo dabis gaudium, & lætitiam. Quid audis, quia lætaris? quis fuit auditus, vt tu gaudeas? Auditui meo iuncta est lætitia, etenim Christus verbum Dei, homo ex carne mea faciendus, eius natiuitas gaudium mihi erit, & vniuerso mundo, ex quo sohuerit maledictionem, dederitq. benedictionem, & confundens mortem donauerit nobis vitam sempiternam. Et exultabunt ossa humiliata: nam Matth. 27. n. 53. post mortem Christi monumenta aperta sunt, & multa corpora Sanctorum qui dormierant, surrexerunt, & exeuntes de monumentis venerunt in sanctam Ciuitatem, & apparuerunt multis. Humiliata erant ossa eorum, quorum animæ adhùc retinebantur in inferno: quorum animæ adhùc non viderant Cælum apertum. Vixit qui mortuus fuerat homo, qui tetigit ossa Elisæi in monumento, & stetit super pedes suos, 4. Reg. 13. nu. 21. & resurrexerunt plurium corpora Sanctorum Patrum, quorũ animas liberauit ani-

anima Christi, ad inferos descendens, Apocalypſ.cap.15.numer.2. & vidi tamquam mare vitreum mixtum igne, & eos, qui vicerunt beſtiam, &c. habentes citharas Dei, & cantantes Canticum Moyſi ſerui Dei; & Canticum Agni, dicentes: Magna, & mirabilia ſunt opera tua Domine Deus omnipotens; iuſtæ, & rectæ ſunt viæ tuæ, per ſæcula ſæculorum, &c. Ecce Tabernaculum Dei cum hominibus, Apocalypſ.cap.21.num.3. & 4. Et abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, & mors vltra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit vltrà, quia prima abierunt.

Auditui meo dabis gaudium. Humilis iàm Dauid factus eſt; ideò, inquit, audiam te humilis; non defendo culpam. Propterea dediſti mihi lætitiam, quia peccatum meum tranſlatum eſſe audire merui: & de æternis, quæ promittis mihi, lætus euado, & interiora mea, oſſa mea exultabunt; non enim habent tumorem, ſine faſtu ſunt, ideò humiliata, nàm tumor infuſa repellit; idcircò quia de præteritis peccatis humiliatus, inquit.

Auerte faciem tuam à peccatis meis. Non à me, Pſalm.26. num.11. vbi latius diximus: auertas, ſed à peccatis meis, nec illorum memineris. Vbi enim tu Domine non auertis, aduertis; vt, ſi non me pœniteat, animaduertas: ecce ego aduertens peccatum ad te conuerſus, vt tu faciem tuam auertas rogo, quia ab iniquitate mea conuerſus ſum, Ezechiel. cap. 33. numer. 12. Auguſtin. Auertendo Deus faciem peccata delet; aduertendo ſcribit. Audiſti auertendo delentem; aduertendo, audi quid facientem: vultus enim Domini ſuper facientes mala, Pſalm.33. vt perdat de terra memoriam eorum, non delendo peccata eorum, hæc Auguſtin. Hic autem quid rogat? Auerte faciem tuam à peccatis meis; quia ipſe non auertit faciem à peccatis ſuis, dicens; quoniam iniquitatem meam ego cognoſco; meritò rogat, & benè rogat, vt Deus auertat faciem ſuam à peccato ſuo, quia ipſe non auertit faciem à peccato. Non ergo tu ponas peccatum in dorſo tuo; ne Deus aduertens faciem ponat in illud, vt te puniat; peccatum tuum ante faciem tuam conuerte, ſi vis, vt inde Deus faciem ſuam auertat.

Auerte igitur, inquit, faciem tuam à peccatis meis; ideſt remoue à me peccata. Auerte, inquit Pſalm. auerte oculos meos, ne videant vanitatem: auerte faciem tuam, ideſt tergum tuum illis verte, vt non illa videas; hinc Pſalmiſta; Conuerte nos Deus ſalutaris noſter, & auerte iram tuam à nobis, ne ſcilicet ira tua nos videat, vt puniat; Quomodocunque illud accipiat Dauid, vt illa Deus non aſpiciat, vt illa deleat petit. Tu verò de peccatis tuis pœnitentiam agas: & ab iniquitatibus, & peccatis auertaris, & præcepta etiam obſeruabis; & Deus etiam ab illis faciem ſuam auertet, Ezech. dicto cap. 18.num.21. ſi autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, quæ operatus eſt, & cuſtodierit omnia præcepta mea, &c. vita viuet, & non morietur: omnium iniquitatum eius, quas operatus eſt, non recordabor; in iuſtitia ſua, quam operatus eſt, viuet.

Sed nunquid quia auertit faciem ſuam, propterea peccatorum, quæ fecerat, immemor erit Deus? Immemor certè erit, ſi peccator à peccato ſe auerterit; ſicut nec bonorum operum memor erit, ſi iuſtus à iuſtitia ſua receſſerit; diuerſimodè tamen, nàm in primo caſu, ſi ab iniquitate receſſerit iniuſtus, immemor ipſe Deus iniquitatis illius quoad culpam, & quoad pœnam æternam,

quia

quia ob contritionis, saltem cum voto confessionis, ac satisfactionis bonum, quod post iniquitatem ipsam ille exhibuit, eam Deus remittit, ac delet, in secundo casu, si iustus à iustitia recesserit, nec eum pœnituerit præcedentium, & subsequentium bonorum operum eius, immemor Deus est: itàvt ea non valeant ad pœnam tollendam æternam, quam is incurrit, Ezech. dicto cap. 18. num. 24. Si enim, inquit, auerterit se iustus à iustitia sua, & fecerit iniquitatem, secundum omnes abominationes, quas operari solet iniquus, &c. omnes iustitiæ eius, quas fecerat, non recordabuntur: in præuaricatione, qua præuaricatus est, & in peccato suo, quod peccauit, in ipsis morietur, idem in cap. 33. num. 12. Iustitia iusti non liberabit eum, in quacumque die peccauerit; Memoria ergo est bonorum operum, quatenus in illis sit perseuerantia, nec iniquitatum erit recordatio, quatenus subsequantur bona opera, & ab iniquitatibus alienatio.

Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innoua in visceribus meis. Si dimissum est tibi peccatum, iàm Dei gratia est in te: si gratia est in te, ergo mundum est cor tuum: quia haud simul esse queunt gratia gratum faciens, & peccatum: cap. Non potest de Pœniten. dist. 1. vbi ex Ioanne Chrysostomo dicitur: Non potest quis gratiam Dei cælestis accipere, nisi prius purgatus fuerit ab omni sorde peccati per pœnitentiæ confessionem, per donum Baptismi salutaris, ibidem in cap. Non potest, de Consecrat. dist. 4. Nisi dicamus, primò Dauidem à peccatis commissis homicidij, & adulterij, benè liberatum, & absolutum: Verùm quia iniquitatis semper remanet fomes per concupiscentiam, animam perturbantem, ideò ob istam pugnam dixisse, cor mundum crea in me Deus. §. Sed pensandum, dist. 6. In suggestione enim peccati semen est, in delectatione fit nutrimentum, in consensu fit perfectio. Malignus enim spiritus seminat in cogitatione, caro in delectationem trahit: non tamen animus eidem delectationi consentiat: caro quippè delectari sine anima nequit; & quamuis animus carnis voluptatibus reluctans in delectatione carnali aliquo modo ligetur inuitus, eidem tamen ex ratione potest contradicere, nec consentire: sed ob istud ipsum, quòd ligatum se sentit, vehementer ingemiscit, Vndè Paul. ad Roman. 7. Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuum me ducentem in lege peccati, quæ est in membris meis. Captiuus erat, & repugnabat, si autem repugnabat, captiuus non erat; itaque ibi dicitur legi mentis eius lex, quæ in membris est, repugnabat. Ecce ergo est homo, vt ità dixerim, captiuus, & liber, liber ex iustitia, captiuus ex delectatione, quam portat inuitus. Hac eadem captiuitate tenebatur Dauid, sicut Paul. propterea cum Paulo exclamans dixit: Cor mundum crea in me Deus, quia lumbi mei impleti sunt illusionibus: & non est sanitas in carne mea, Psalm. 37. numer. 4. erue me à circundantibus me; quia ex corde exeunt cogitationes malæ, & in alio loco, Quis liberabit me de corpore mortis huius; Audi consonantes Dauidis voces: nimis rugiebam à gemitu cordis mei, afflictus sum, & humiliatus sum, Psalm. 37. num. 9.

Et spiritum rectum, quem ante peccatum habebam, innoua in visceribus meis, in membris meis, quæ plena sunt illusionibus à spiritu maligno suggestis. Ad terrena curua erat spiritus mei rectitudo; ideò spiritum rectum innoua in visceribus meis. Cor mundum crea in me Deus, Augustin. Non quasi

nouum

nouum aliquid institue, dicere voluit; sed quia pœnitens orabat, qui aliquid commiserat, quod priusquam committeret, innocentior erat; ostendit quemadmodum dixerit, crea, & spiritum rectum innoua in visceribus meis. Perfectum, inquit, in me spiritum fac esse, quia rectitudo eiusdem spiritus inueterata, atque curuata erat, Psalm. 56. num. 7. Laqueum, inquit, parauerunt pedibus meis, & incuruauerunt animam meam; Et quando homo se pronum facit ad terrenas concupiscentias incuruatur cor quodammodò: Cum autem erigitur in superna, rectum fit cor eius: vt bonus illi sit Deus, Psalm. 72. nu. 1. Quam bonus Deus Israel rectis corde, cor ergo mundum crea in me Deus, vt mihi recto corde sis bonus Deus.

Vel vt iterum ad obiectum ex mente Valentiæ, & Incogniti hic respondeam; Quamuis simul, & in eodem instanti, fiat peccati remissio, & gratiæ iustificantis infusio, quia gratia simul cum peccato stare non potest; Vndè cum gratia infunditur, remittitur culpa, & cum culpa remittitur, infunditur gratia: tamen secundum nostrum modum intelligendi, ordine naturæ, prius intelligimus mundationem à peccatis, quàm Dei gratiam infusam in corde; & hunc ordinem dicunt notare Psalmistam, præmittendo munditiam, cum dicit: Cor mundum crea in me Deus, &c. & consequenter addendo gratiam dicit, & spiritum rectum, &c. per diuinam namque gratiam cor nostrum mundatur: cum ex se sit immundum, & maculatum. Ab ipso nostro corde omnia procedunt peccata, Christo dicente, Matth. cap. 15. Quæ autem de ore procedunt, de corde exeunt, Cogitationes malæ, homicidia, adulteria, &c. quæ hominem coinquinant; Ex quo infert Incognitus, quòd à corde exeunt vitia, & non à Diabolo, qui non est malarum nostrarum cogitationum auctor, sed cum illas prospicit ex corde natas, tunc eas suis fouet tentationibus, & nutrit. Vndè Hieronym. super Matth. exponens dicta verba dicit, Arguendi sunt ex hac sententia, qui malas cogitationes à Diabolo immitti putant, & non ex corde nasci, & propria voluntate: Diabolus autem malarum cogitationum incentator esse potest, auctor autem esse non potest.

Si autem Diabolus semper in insidijs positus leuem cogitationum nostrarum scintillam suis fomitibus inflammauerit, non debemus opinari, eum occulta quæquè cordis nostri rimari, sed ex corporis habitu, gestisq. exterioribus æstimare, quid in nostro corde versetur interius: Verbi gratia; si pulchram mulierem nos crebro viderit inspicere, intelligit, ab oculis cor vulneratum esse luxuria. Vndè si quandoq. reperiatur in Scriptura, quod Diabolus cogitationes malas, & peccata immittit in cor nostrum, non est intelligendum, quòd Diabolus illas malas cogitationes faciat; sed suis suasionibus ad illas ex corde generandas inducit nos, & prouocat, sicut in Ioan. cap. 13. cum Diabolus misisset in cor Iudæ, vt traderet eum Iudas, &c. illa immissio, quædam persuasio fuit. Vndè Augustin. ibi, Missio ista, suggestio spiritualis est, & non fit per aurem, sed per cogitationem; Diabolicæ enim suggestiones immittuntur humanis cogitationibus. Vndè cordis munditiam petit, quia tamquam immundum ab illo nostra mala procedunt; Cor ergo meum in me munda.

Quot verò modis mundetur cor, ibi numerantur, per fidem scilicet, Act. 15. vbi quis nouit corda? Deus dat Spiritum sanctum, fide purificans corda eorum; hac fide viua manente non violat Diabolus, Gregor. 29. Moral. cap. 2.

qui

qui immortalitate perdita, ad Deum reuertitur, per fidei signaculum munitur, Cant.8. Pone me vt signaculum super cor tuum: ne diripientium præsumptione violetur.

Deus, Exod. cap.38.num.8. iussit fieri labrum æneum, siuè concham cum basi, de speculis mulierum, quæ excubabant in ostio Tabernaculi, in quod Sacerdotes intuentes vultus detegerent, & aqua in labro contenta lauarentur, vt sic puriores, & mundiores Deo sisterent, Gregor. in homil.17. in Euangel. Specula sunt præcepta Dei, in quibus sic sanctæ animæ semper aspiciunt, & si quæ in eis sunt fœditatis maculæ deprehendunt, cogitationum vitia corrigunt, & quasi retinentes vultus, velut ex reddita imagine componunt, quia dum præceptis Diuinis solerter intendunt, in eis procul dubio, vel quid in se cælesti viro placeat, vel quid displiceat, agnoscunt. Habeas ergo fidem firmam, quia præcepta Dei seruabis, & à peccatis immunis eris, quia cum Dauide dices, In corde meo abscondi eloquia tua, vt non peccem, Psalm.118.numer.11. fides enim firma lucerna est pedibus nostris, & lumen semitis nostris: propter quam odio habebimus omnem viam iniquitatis, dicto Psalm.118.numer.123. cum sequen.

Si fidem habeamus, præcepta eius obseruabimus: Verbum enim Dei scriptum, mentis nostræ speculum est, in quo interna facies nostra, si attendamus, conspicitur. Vtamur ergo vice speculi, diuina lectione fæda corrigendo, pulchra corrigendo, & pulcherrima faciendo, Hieron. Epist. ad Demetr.

Mundatur etiam cor per contritionem, vt hìc, cor contritum Deus non despicit, Psalm.50. Sacrificium Deo spiritus contribulatus; Cor prius contritum dicit, & posteà humiliatum: quia vt dicit Gloss. humilitas non cadit in aliquo, nisi præcedat contritio, dolor de perpetrato delicto, Isai.57.nu.15. Deus cum contrito, & humili spiritu habitat, viuificat spiritum humilium, & viuificat cor contritorum, hoc est emundat à peccatis, quibus moritur spiritualiter.

Effundas etiam per confessionem vitia à te, & ex illa peccata etiam extinguuntur, & cor mundatur, hinc Thren. cap.2.numer.19. Effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini. Per aquam dicit, quæ nullius est saporis, & ideò post se nihil retinet; quia confessio sincera, pura, & vera esse debet, & integra: effundite, inquit Dauid Psalm.61. num.9. Corda vestra coram Deo, Deus ipse adiutor noster in æternum.

Lacrymis etiam mundatur cor, Psalm.6. num.7. & 9. Laboraui in gemitu meo. Et exaudiuit Dominus fletus mei vocem: Vndè Chrysost. in Psalm.30. Lacrymas sanguini pro fide effuso videtur conferre, cum lacrymæ etiam cordis cruor sint; & Hieronym. Epistol.83. Qui ab aquis primum signum cœperat, finiuit in aquis: in Cana aquam in vinum conuertit, in morte effluxit è latere, vt virtus, quæ in sanguine, & Baptismo concessa est, eadem & lacrymarum aquæ concessa videretur. Vndè Nazianzen. in Orat.1. contrà Iulianum, vocat lacrymas peccatorum diluuium; & Augustin. Serm.11. ad Fratres in Eremo: Paradisum simul lacryma aperit, Infernum claudit: ò felix tabula, ò vitalis Nauicula; de Ægypto enim exierunt Iudæi, Exod.12. & hostes submersi sunt; ò virtutem lacrymarum, quæ medicinalis officina est peccatorum; Per te peccatores efficiuntur Beati: Beati, inquit, qui nunc fletis, Matth.3. Ephrem de Compunct. & salute, & Sermon.3. de Compunct. & Bernard. de Diuersis

Affe-

Affectionibus Animæ. Lacrymarum abundantia radix peccati suffocatur, vt aliàs suo loco fusius diximus.

Oratione etiam cor mundum redditur, vt hìc in Psalm. Cor mundum crea in me Deus. Fit etiam cor mundum auertendo nos à peccatis, & ad Deum nos conuertendo; Isai. cap.1. & Ioel. cap.2.num.12. Hæc quamuis à materia nostra satis diuersa videantur, non tamen ità diuersa, quinimmo, & connexa sunt cum his, quæ Dauid mundum cor desiderans petit à Deo, vt cor suum mundum faciat, atque creet.

Reuertentes nunc ad propositas prius obiectorum responsiones, vltrà præallata addimus; quòd etsi Dauid peccatum fuisse dimissum sciret, quantò tamen maior in Deum amor in ipso crescebat, tantò maior de præteritis offensionibus, & in Deum peccatis augebatur contritio, & dolor: iuxtà illud Ezechiæ Regis; Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ, Isai.38.num.15. Ardebat amore, & cruciabatur dolore.

Cor mundum quando Dauid petijt à Deo, vt sibi daretur, & de nouo crearetur, pœnitens erat Dauid de præteritis: quæ iàm deleta erant; verùm dubitabat in futurum: nàm septies cadere iustum sciebat, Prouerb. cap. 24. nu.16. Deum amplius peccando offendere minimè volebat; Munda cor meum, dicebat, ne ampliùs in cogitationes iniquas trascendam, nec in te, vel in proximum aliquid mali moliar.

Sed spiritum rectum innoua in visceribus meis, spiritum scilicet, quem rectum mihi ante peccatum immisisti, innoua, vt non se vertat ad extranea, ad diuersa, sed ad tuam faciendam iustitiam; dirigantur cogitationes, & opera. Pulcher enim erat aspectu Dauid intus, & extra, erat autem rufus, & pulcher aspectu, decoraq. facie, 1. Reg.cap.16.nu. 13. Pascebat, inquit ille, seruus tuus Patris sui gregem: & veniebat Leo, vel Vrsus, & tollebat arietem de medio gregis, & persequebar eos, & percutiebam, eruebamq. de ore eorum, & illi consurgebant aduersum me, & apprehendebam mentum eorum, & suffocabam, & interficiebam eos, 1.Reg. cap.17. numer.34. Et occidit Goliath lapide in fronte eius infixa. Tunc cor mundum, & spiritum rectum habebat, ideò Leones, & Vrsos vincebat, & suffocabat, de ore eorum arietes tollens, & eripiens; amabilis enim Deo erat, 1.Reg.16.num.19. directus erat à die illa spiritus Domini in illum, d.cap.16.num.13. Innoua spiritum eundem, quem olim in me direxisti; vt dæmones à me effugando, mundo corde, & sincero tibi soli seruire valeam.

Cor ergo mundum ab illusionibus alienum crea in me Deus, & spiritus tuus Domine dirigatur in me, sicut quando in Regem me à Samuele vngere fecisti: illum innoua, quem aliàs habui in visceribus meis, stabilem, & fortem. Iàm enim à cupiditatibus terrenis mens facta curua fuerat, & caro adulterium committendo: Vtriusque igitur carnis, & animæ spiritus recti virtutem desiderat; vt tentationibus vtriusque resistere valeat, & cupiditatibus.

Sequentes autem versiculi hanc videntur declarationem approbare, dũ enim dicit Dauid. Ne proijcias me à facie tua, & Spiritum sanctum tuum ne auferas à me: non amplius profectò erat à facie Domini proiectus: quia iàm restitutus erat, nec sine Spiritu sancto erat, qui in gratiam iàm erat Dei repositus. Ergo de futuris cogitans periculis, ne peccaret, cor mundum petit; & in visceribus rectum postulans spiritum ad resistendum; ideò dicit, Ne proijcias me à facie

tua,

tuâ, sed da mihi fragili homini in bonis operibus perseuerantiam, nec tu à me auertas faciem tuam: ne proijcias me à facie tua, ne contingat vt amplius non reuertar ad te; sed à peccatis meis faciem tuam auertas.

Et Spiritum sanctum tuum ne auferas à me: Augustin. Est enim Spiritus sanctus in confitente; iàm ad donum Spiritus sancti pertines, quia tibi displicet, quod fecisti. Immundo spiritui peccata placent, sancto displicent; displiceat ergo tibi malum, quod fecisti: & veniam petas, quia benè operando Deo coniungeris: inquit enim, & Spiritum sanctum tuum ne auferas à me. Ergo, quia sibi displicuit, Spiritus sanctus ab illo non recessit; quod clarius patet, cum sine dono Dei non sit, quod tibi displiceat malum quod fecisti. Quis enim à facie Dei proijcitur, nisi qui dimittitur, ac ità deseritur, vt non amplius in gratiam recipiatur, 1.Reg.16. Dixit Dominus ad Samuel, Vsquequò tu luges Saul, cum ego proiecerim eum? & 2.Reg.7.num.15. Misericordiam non amouebo ab eo, sicut abstuli à Saul, quem amoui à facie mea: & 4.Reg.24.num.20. Irascebatur Dominus contrà Ierusalem, & contrà Iudæam, donec proijceret eos à facie sua.

Non ergo peccabis, si desideras, vt Spiritus sanctus non auferatur à te: Vndè August. Tract.2. in Ioan. & S. Prosper responsione 7. ad obiectiones Vincentian. Nemo à Deo deseritur, nisi prius ipse deserat Deum, quod idem approbat Concil. Trident. sess.3. cap.13.

Fugiebat Adam à facie Dei, quia peccauerat, Genes.3.nu.8. ità etiam omnis peccator; Dauid verò, cuius faciem amittere timebat, eiusdem etiam faciem inuocat, faciem Dei requirit; humanitatem Christi expostulat, quem propterea venturum sciebat, vt peccatorem à peccato liberaret. Et Spiritum sanctum ne auferas à me; qui de Spiritu sancto nasciturus es ex me, idest ex Virgine Maria, quæ processura est ex me.

Sed vt promisisti mihi, Redde mihi lætitiam, quod Saluator noster nasciturus sit ex progenie mea; hanc enim per peccatum meum amisisse merebar: sed gratia tua me præueniente, meque pœnitente, & peccatum confitente, audire merui peccatum meum te transtulisse à me. Si peccatum transtulisti, redde etiam illud totum, quod per peccatum amittere merebar, gratiam scilicet sancti Spiritus, & lætitiam salutaris tui. August. hìc. Redde, quam habebam, quam peccando amiseram: redde mihi exultationem salutaris tui, vtique Christi tui: quis enim sine illo sanari potuit? Quia antequam de Maria nasceretur, In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, Ioan. dicto cap.1. & ità à Sanctis Patribus dispensatio susceptæ carnis futura credebatur, sicut à nobis facta creditur, tempora variata sunt, non fides; in hac fide Patres nostri saluati sunt, & nos per factæ rei fidem saluamur.

Et spiritu principali confirma me: Augustin. Aliqui Trinitatem intelligunt, in spiritu recto filium scilicet, in Spiritu sancto Spiritum sanctum: in spiritu principali, Patrem: Et spiritu principali confirma me: nàm per Prophetam translatum fuisse mihi peccatum ex parte tua dictum est; per temet promissum de fructu ventris tui ponam super sedem tuam, adeòq. spiritu principali, idest filij tui Vnigeniti Incarnatione confirma me; Cum ipse sit qui sessurus est super sedē meam, ac viuos, & mortuos iudicaturus sit, quomodò non dicetur spiritus principalis, cùm ipsemet dixerit, Ego sum principium, qui loquor vobis, Ioan.8. qui etiam à principio erat cum Deo Patre, Isai.48. ego primus, ego nouissimus.

Et spiritu principali confirma me. Rorent scilicet Cæli desuper, & nubes pluant iustum, aperiatur terra, & germinet Saluatorem, Isai.45.num.8. Spiritu principali confirma me. Quia tunc non ingratus, docebo iniquos vias tuas, & impij ad te conuertentur, sed quid docebis? Audi, quem rorabunt Cæli desuper, esse illum, per quem omnia facta sunt, & sine ipso factum est nihil, Ioan. d.cap.1. qui cum cælesti Patre principium in die virtutis suæ, in splendoribus Sanctorum ex vtero ante Luciferum ab eodem Patre genitus est; qui Agnus est Dei, qui tollit peccata mundi, Ioan.1.nu.19. ad quem accedentes non minuentur omni bono, & impij ad illum conuertentur. Augustin. Quid enim faciam? Doceam iniquos vias tuas; doceam iniquos ex iniquo, idest qui fueram ego iniquus, iàm non iniquus, non ablato Spiritu sancto à me, & spiritu principali confirmatus, doceam iniquos vias tuas. Quas vias iniquos, inquit, docebis, & impij ad te conuertentur? Si peccatum Dauid impietati deputatur, non de se desperent impij, quia pepercit Deus impio; sed si ad Deum conuertantur; si vias ipsius discant. Si autem impietati non deputatur factum Dauid; sed illa propriè impietas dicitur apostatare à Deo: Vnum Deum non colere, aut nunquam coluisse, aut quem colebat dimisisse, ad cumulum valet, quod ait, & impij ad te conuertentur. Ità plenus es adipe misericordiæ, vt ad te conuersis, non solum quibuslibet peccatoribus, sed etiam impijs non sit desperandum. Et impij ad te conuertentur, vt quid? vt credentes in eum, qui iustificat impium, deputetur fides eorum ad iustitiam; hæc Augustin.

Docebo iniquos vias tuas. Sed quomodò ouium Pastor factus est Doctor, quòd, inquit, docebo iniquos vias tuas? Factus est Doctor, quia pœnitēs est illius cor: quia quod impiè gessit, amarè dolens fleuit; & ideò Dominus illum Spiritu sancto repleuit. Docebo iniquos exēplo meo, quia iniquus & ego, fletu, & pœna, dimissus sum à peccato. Et impij, inquit, ad te conuertentur. Quomodò impij ad Deum conuertentur? exemplo meo? quia ego iniquus, qui iniquè egi; & impius, quia crudeliter homicida fui; & nihilominus conuersus ad Dominum receptus sum in misericordiam; si illi etiam impij conuertantur ad Dominum, iniquitatum, & impietatum eorum non recordabitur Deus, quia misericors est, & benignus Deus, qui non vult mortem peccatoris, sed vt conuertatur, & viuat. Iniquos docebo, hoc est ipsi ad te conuertentur exemplo meo; ex tua autem prouidentia id erit, non ex mea doctrina.

Libera me de sanguinibus Deus Deus salutis meæ; & exultabit lingua mea iustitiā tuam. De sanguinibus dicit, quamuis mala sit latinitas, quia sanguis dicitur, & nō sanguines; habet autem hoc mysterium, quia in multis sanguinibus origo multorum peccatorum; ideò dixit libera me de sanguinibus. Hìc verò considerabā, quòd Propheta peccata deleri desiderabat, quæ ex carnis corruptione oriebantur, de his autē, quæ ex infidelitate in Deum oriri poterant, nullam fecerit mentionē. Et ratio poterat esse, quia si esset sine fide, nec veniam forsan petijsset, nec illā sperasset habere; qui enim Deum negat, nec peccatū agnoscit, qui incredulus est, infideliter agit, Isai.21. Nescit enim iniquus confusionē, Sophon.3. nec legē ipsius intelligunt, ad Rom.7. peccatū, inquit, non cognoui, nisi per legē.

Libera ergo, inquit, me de sanguinibus. Augustin. in multis sanguinibus, tamquam in origine carnis peccati, multa peccata intelligi voluit; ad quæ peccata, quæ ex corruptione carnis, & sanguinis veniunt, dicit Apostolus, caro, & san-

ſanguis regnum Dei non poſſidebunt, 1.Corinth.15.num.50. neque corruptio incorruptelam poſſidebit; & tamen ſecũdum Apoſtolum,& fidem Catholicam, caro iſta reſurget,& merebitur incorruptioné: oportet corruptibile hoc induere incorruptionem,& mortale hoc induere immortalitatem. Quia ergo, dicit Auguſtin. Corruptio iſta de peccato eſt,ipſius nomine appellantur peccata; quemadmodum dicitur lingua, & illud fruſtum carnis, quod in ore mouetur, cum verba diſtinguimus: & lingua, quod per linguam fit; ſic dicimus aliam linguam Græcam, aliam Latinam; non enim caro diuerſa eſt, ſed ſonus; quomodò ergo dicitur lingua locutio, quæ fit per linguam, ſic dicitur etiam ſanguis iniquitas, quæ fit per ſanguinem.

Libera ergo me de ſanguinibus, hoc eſt libera me ab iniquitatibus, munda me ab omni corruptione: Incorruptionem enim deſiderat, qui dicit, libera me de ſanguinibus, quia caro, & ſanguis regnum Dei non poſſidebunt; neque corruptio incorruptionem: corruptio igitur in corpore iſto non erit, cum fuerit in illo ſalus perfecta.

Pro tribus ergo ſceleribus, quæ Dauid commiſit,inquit, libera me de ſanguinibus,de adulterio ſcilicet,raptu,& homicidio liberari deſiderat Dauid,vt laudes Dei dignè annunciare valeat: Vndè dicit, Et exultabit lingua mea iuſtitiam tuam: nàm peccatori dixit Dominus, Quare tu enarras iuſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum? Pſalm.44. Cum exultatione ergo mundatus annunciabit iuſtitiam Dei, iuſtitiam dixit, quia illi annexa eſt etiam Dei miſericordia, vt patet in ipſo Dauide, cuius iuſta pœna mors erat, quam iuſtè paſſus eſt, quia filius ſuus mortuus eſt, quem ex adulterio ſuſceperat; Miſericordia Dei fuit illi annexa, quia ipſe ſaluus factus eſt, non tamen ità, quin gladius in domo ſua perpetuò non fuerit.

Et exultabit, ſiuè & exaltabit lingua mea iuſtitiam tuam. Quia iuſtus es tu Domine,& miſericors; qui prius labia mea aperis; & ego annuncio laudẽ tuam: nàm etſi creaſti me, perditum tamen culpa mea, ſanguine tuo me redimere voluiſti: laus tibi Domine, quia vt confiterer me monuiſti. Laudo te Domine, quia nec peccantẽ me dereliquiſti,quia me mundaſti: Domine labia mea aperies, quæ ante per peccatum meum clauſa erant, & quia illud tranſtuliſti: aperiantur nunc labia ſerui tui: vt annunciem iuſtitiam tuam, pro qua vt illi ſatiſfaceres,pro me tu mori decreuiſti, ſic enim me dilexiſti,vt decreueris pro ſalute etiam populi venire in mundum: & iuſtitiæ tuæ ſatisfaciendo per paſſionem tuam miſericorditer à pœnis inferni nos eruiſti. Hæc autem, quamuis futura, Dauidi tamen per Spiritum ſanctum reuelata fuerant, & ipſi per fidem erant, tamquã præſentia: quod etiam manifeſtè ex ſequenti verſ. patet. Nàm tempore Dauid erant ſacrificia animalium, vt patet in libris Regum; Verùm quia norat illa eſſe figura noui ſacrificij, quòd ad ſalutẽ ordinatum erat; ſine quo non erat Patrum ſalus,niſi in ſpe, nos autem modò in ipſa ſalute ſumus, ad Rom.8.n.24. Spe, inquit,ſalui facti ſumus, & In nobiſmetipſis ingemiſcimus, adoptionem expectantes,redemptionem corporis noſtri. Spe autem,dicit Auguſt. ſalui facti ſumus,ſpes autem,quæ videtur,non eſt ſpes,quod enim videt quis,quid ſperat? ſi autẽ,quod non videmus,ſperamus,per patientiam expectamus,& qui perſeuerauerit vſque in finem,ipſa eſt illa patientia; hìc ſaluus erit,ipſa eſt ſalus; quã nondum habemus,ſed habituri ſumus: nondum eſt res,ſed certa ſpes, hæc Auguſt.

Animalium ergo sacrificia erant tempore Dauid à Deo prius instituta, vt in Leuit. Et tamen, inquit, Domine labia mea aperies, aperies, idest nunc pro tunc; & os meum annunciabit laudem tuam. Sed nunquid in illis sacrificijs non erat Deo laus? si sacrificium, quomodò non laus non amplius figuram, quærit veri sacrificij, quæ Deo non est placita.

Quoniam, inquit, si voluisses sacrificium, dedissem vtique; holocaustis non delectaberis, non delectaberis illis, inquit, quando scilicet veneris; nàm tunc juxtà Malach. 1. quia sacrificia munda offerentur, cessabunt vetera. Sed nunquid modò non habebitur sacrificium? itá sanè erit verum sacrificium figuratum. Sacrificium nempè filij Dei, in ara Crucis cruentum, & pro nobis mortuum. Quare pro nobis? quia ipse pro peccatis nostris mortuus est, Isai. 51. per totum. Etsi pro peccatis nostris mortuus est, quare & de peccatis nostris nos dolentes cum ipso filio Dei non erimus? quare passionis illius memoria propter nostra delicta, non erit semper in cordibus nostris; vt dolentes cum ipso iustum sacrificium offeramus Deo?

Sacrificium ideò, dicit Propheta, Deo spiritus contribulatus. Contribulatus cum ipso filio Dei, & hoc est verum, & Deo placitum sacrificium: cor enim contritum, quod fit per passionis Iesu Christi memoriam, contribulatum, & humiliatum nõ despicit Deus: filius Dei pro nobis tribulatur, cor nostrum sit cum illo contribulatum; August. Noli extrinsecus thura comparare, sed dic, In me sunt Deus vota tua, Psalm. 55. quæ reddam laudes tibi: noli extrinsecus pecus, quod mactes inquirere, habes in te, quod occidas: Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum, & humiliatum Deus non spernit. Tauri, hyrci, & arietes non offeruntur, quia quando offerebantur, aliquid promittebant, vt indicarent. Venientibus repromissis, promissiones ablatæ sunt: hæc Augustin.

Benigne fac Domine in bona voluntate tua Sion; vt ædificentur muri Ierusalem: Sed quomodò dicis benigne fac Domine. Nonnè benigne egit, qui os suum, percutientibus illis iniquis, nunquam aperuit, Isai. 53. qui tot tormenta ei illata sustinuit; vt Ecclesiam suam sanctam ædificaret, vt populum sibi Deo acceptabilem faceret: nomine suo vocauit eum, quem & redemit, qui & Aquiloni, vt daret, & Austro ne prohiberet; vt filios suos de longinquo, & filias suas ab extremis terræ congregaret; & dicit omné, qui inuocat nomen suum, creasse, fecisse, & formasse, Isai. 43. in princ. & nu. 6. Quare ergo dicis, Benigne fac cum bona voluntate tua Sion: nàm si seruorum suorum inimicis dat locum pœnitentiæ, non ignorans, quoniam nequam est natio eorum, & naturalis malitia ipsorum, semen enim erat maledictum ab initio, nec timens aliquem veniam dabat peccatis illorum, quantò magis benignus erit cum populo suo, quem sibi elegit acceptabilem, Sap. cap. 12. num. 8. cum sequen.

Benigne, inquit Dauid, fac Domine, cum bona voluntate, quando errantibus filijs in Ecclesia dabis disciplinam, vt bonitatem tuam cogitemus iudicantes, & cum de nobis iudicatur speremus misericordiam tuam, ibidem nu. 22.

Benigne fac Domine in bona voluntate tua Sion. Nàm inimici illam destruere conantur, nugaces cogitant seruos tuos illis prædicantes; Sap. c. 2. Benignus, & misericors in illam tuam Sion sis Domine: vt ædificentur, idest donec ædificẽtur muri tui Ierusalem; absque muro enim habitabatur Ierusalé, Zach. 2. sed quomodò sine muris stabat Sion Ciuitas, immosine habitatoribus, declarat

Ierem,

Ierem.53. Domine, inquit, oculi tui respiciunt fidē, percussisti eos, & non doluerunt, attriuisti eos, & renuerunt accipere disciplinam, indurauerunt facies suas supra petram; & noluerunt reuerti; ego autem dixi, forsitan pauperes sunt, & stulti ignorantes viam Domini, iudicium Dei sui. Ecce quomodò sine habitatoribus Ciuitas, & sine muris etiam, sequitur Ierem. num.5. Ibo igitur ad Optimates, & loquar illis; ipsi autem cognouerunt viam Domini, iudicium Dei sui: & ecce magis hi simul confregerunt iugum, ruperunt vincula: idcircò percussit eos leo de sylua, lupus ad vesperam vastauit.

Ecce quomodò Ciuitas sine muris, qui custodire debebant Ciuitatem; nàm non est in ea, qui faciat bonum, non est vsque ad vnum: multiplicatæ enim erant præuaricationes, &c. Iustè ergo Dauid Synagogæ destructionem, & Ciuitatem Sion quasi sterilem, & sine muris prænunciat: omnes enim declinauerunt, & quia opera Diaboli faciebant eorum Patris, Ioan.cap.8.num.44. Non poterant enim benè facere, quia erant mali, Matth.cap.12.num.35. Væ autem vobis Scribæ, & Pharisæi, & Hypocritæ, qui clauditis Regnum Cælorum ante homines; vos enim non intratis, nec introeuntes sinitis intrare; quia comeditis domos Viduarum, &c. Iàm muri in Ierusalem non aderant, iàm Synagoga defecerat, quia ex Scribis, & Pharisæis, & Principibus maior pars à Domino recesserat.

Benigne fac Domine in bona voluntate, quam habes in Sion, quia sterilis est, & non habet muros: & Ciuitas Sancti tui facta est deserta, Sion deserta, Ierusalem desolata, &c. Isai.64. num.10. cum sequen.

Benigne fac cum Sion, vt ædificentur muri Ierusalem. Qui eorum prædicatione sterilem faciunt multos filios parientem: vt locum Tentorij dilatent, & pelles tabernaculorum suorum extendant, Isai.cap.54. in princ. Hanc enim Ciuitatem, hanc Ecclesiam, tibi in peculiarem elegisti: benignè fac cum illa: in ea murus, & antemurale tu es Saluator, ponas te in illa, Isai.cap.26.num.2. sis tu Domine illi in murum æneum, Ierem.cap.15.numer.20. In Hebræo dicunt legi, Ædifica muros Ierusalem; Qui per lapsum meum ceciderunt; restitue mihi spiritum copiosum, & gratiam abundantem, vt populum instar murorum defendere, & custodire valeam: vide Genebrardum hìc. Faciunt, quæ Ierem. dixit cap.1.num.10. Constitui te hodie super gentes, & super regna, vt euellas, & destruas, dissipes, ædifices, & plantes, &c.

Mitte Domine Deus in fundamento Sion lapidem probatum, angularem, pretiosum, in fundamento fundatum, Isai.cap.28.num.16. lapidem Christum Iesum, vt super istum lapidem muri fundentur Ierusalem; muri Sion. Super istud fundamentum, quod est solus Iesus, quod iàm positum fuit, superædificauerunt Apostoli, sancti Doctores, vt muri Ierusalem, vt muri Sion, idest Ecclesiæ construerentur, Paul. 1.Corinth. cap.3.num.11. Fundamentum enim aliud nemo potest ponere præter id, quod positum est, quod est Christus Iesus; supra istud ædificauerunt Apostoli; nàm Dei adiutores, dicit Apostolus, sumus: Dei agricultura estis: Dei ædificatio estis: ibidem Paul. num.9.

Benigne fac Domine in bona voluntate tua Sion, vt supra istud Sion fundamentum Iesus Christus, qui illud fundauit, quia per ipsum omnia facta sunt, Ioan.cap.1. quorum muri iàm corruerunt, iàm destructi sunt, iterum ædificentur noui muri ab Euangelio prouenientes, atque geniti: Apostoli scilicet,

Doctores, & iusti: vt ex vtraque vnum; fiat Ecclesia, Templum Dei, qui sunt Sancti tui, Paul. 1. Corinth. d. cap. 3. nu. 16. inquit, Templum Dei estis vos, &c.

20 Benigne fac Domine ex tua voluntate. Quia nihil boni prouenit ex nostra infirmitate, misericordia enim tua Domine, quia non sumus consumpti, Thren. cap. 3. num. 22. Vt ædificentur muri Ierusalem; munimenta construantur immortalitatis nostræ, in fide, spe, & charitate.

21 Tunc, quando muri ædificati fuerint Ierusalem, acceptabis sacrificium iustitiæ, quod est cor nostrum contritum, & humiliatum. Beati enim qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te, Psalm. 83. numer. 5. hoc est enim sacrificium iustitiæ; oblationes, & holocausta, vsta scilicet in tui amorem Domine corda nostra: quorum figura erant holocaustomata agnorum, & ouium: quæ tota igne combusta, & consumpta Deo offerebantur. Augustin. Quæ sunt holocaustomata? totum igne consumptum: quoniam totum pecus imponebatur Aræ Dei igne consummendum, holocaustum dicebatur; totus nos diuinus ignis absumat, & seruor ille totus arripiat. Quis seruor? nec est qui se abscondat à calore eius; & Apostolus ad Rom. 12. n. 10. spiritu seruentes. Non tantum anima nostra absumatur ab illo igne diuino sapientiæ; sed & corpus nostrum; vt mereatur ibi immortalitatem; sic leuetur holocaustum, vt absorbeatur mors in victoriam; hæc Augustin.

Tunc, quando vt ædificentur muri Ierusalem, benignè egeris; acceptabis sacrificium laudis à populo tuo Christiano, quem tu fecisti Domine, quem sine legis iugo creasti, oblationes, & holocausta: tunc impones super altare tuum vitulos, idest nouos populos innocentia, scilicet nouæ ætatis colla habentes libera à iugo legis, & peccati super Altare tuum Ierusalem.

Vt ædificentur muri Ierusalem. Si ædificatio murorum Ierusalem, sumus & nos lapides, ergo & Dei ædificatio erimus: ergo vnusquisque secundum laborem suum recipiet, & istud iustitiæ sacrificium apud Deum est acceptabile: talium iustorum oblationes ex corde factæ sunt acceptabiles: hos, qui sunt sine peccato Vitulos Deus super Altare suum ponit: in Ecclesia scilicet triumphanti collocat. In hac sede Deus stat, & cum eo erunt, & serui eius seruient illi: & videbunt faciem eius, Ioan. Apocal. 22. num. 3. Augustin. super Altare tuum Vitulos, vndè Vitulos? Qui tibi elegit innocentiam nouæ ætatis, liberat colla à iugo legis, & quia nec dum finiti sunt muri tuæ Ciuitatis Sion; benignè fac Domine in tua voluntate, vt lapides in illis muris ponantur, donec perfecti in cælestem Ierusalem collocentur: tunc in illa Patria scilicet, acceptabis sacrificium iustitiæ, quia omnes iusti erimus; oblationes, & holocausta tuo amore ignita, & innocentia.

SOLILOQVIVM.

DVM in hac lacrymarum valle peregrinamur; miserere mei Deus: qui tamquam Vitulus sine iugo, & ego cum alijs à te Domino vocatis ambulabam.

Miserere mei Deus, cuius magna misericordia etiam plena est omnis terra: & quia iniquitates meæ multiplicatæ sunt, & super caput meum supergressæ;

om-

omnium enim te inuocantium semper tu Domine misertus es, mei etiam pœnitentis, & clamantis miserearis, iniquitatem meam delens. Audiui translatum fuisse meum peccatum à te, non tamen cessat timor meus, & dolor, nisi amplius lauaueris me ab iniquitate mea, & à peccato mundaueris. Quoniam in peccato conceptus, iniquitatem meam ego cognosco; semper enim caro pugnat aduersus spiritum: & ideò peccatum meum contrà me est semper.

Et quia tibi soli peccaui, & malum coram te feci, qui secreta cordium nosti, confitens & ipse me tibi peccasse, & culpam meam lacrymis rigans, ad te confugio, qui dixisti, Quoties ingemuerit peccator, non recordabor iniquitatis eius. Cum iustus sis Domine, attende quod promisisti: vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas, cum iudicaris; quia misericorditer fecisti, quod promisisti: & cum contradicentem viceris. Quis verò contradicere audebit? sanè ego sicut illi in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea. Quòd si peccatum à meo conceptu, & natiuitate adhæret mihi; profectò congruum misericordiæ tuæ erit, vt tu Deus meus mihi dolenti peccasse, & pœnitenti ignoscas, vt iustè, & piè promisisti.

Amplius lauari desidero, licet peccatum meum transtuleris: Sanctus aiebat Propheta Dauid, quia hæc peccati translatio me nondum sanguine tuo lotum trahit in Paradisum. Venias Domine curare totum populum, & me. Ecce ità veritatem dilexisti, vt hoc incertum, & alijs occultum manifestaueris mihi; Veni Domine, & hyssopo aspergas me; tunc mundabor. Lauabis me in fide aquæ Baptismatis, in qua fide sum sicut & Patres mei, & tunc super niuem dealbabor. Auditui meo, & si in Limbo fuero, dabis gaudium, & lætitiam; & exultabunt ossa humiliata. Ideò auerte faciem tuam à peccatis meis, non à me; & omnes iniquitates meas dele; quia & ego auertens faciem ab illis, faciem tuam requiro, vt gratia tua inuenta, omnes iniquitates meas deleas.

Cor meum in peccato conceptum est; crea nouum illud per Baptismi lauacrum; & spiritum, quem dedisti mihi purum ante peccatum meum, spiritum rectum innoua in visceribus meis; vt ab illusionibus carnis liberatus in conspectu tuo purus euadam.

Ne me indignum facias humanitate tua, incarnatione tua; & spiritum, quem mittes in nomine tuo, non auferas à me, & ab Ecclesia tua. Redde mihi Pater sancte lætitiam salutaris tui, quòd citò venturus sit filius tuus, & in hac spe, & fide spiritus tui principalis, qui est filius ipse tuus dilectus, qui principium est tecum, aduentu confirma me. Docebo enim iniquos vias tuas, & impij ad te conuertentur; quòd tu sis Via, Veritas, & Vita, qui positus es, vt sis in salutem Gentium vsque ad extremum terræ.

Libera me, ò bone Iesu deprecor & ego peccator, libera me de sanguinibus, & de reatibus, qui pœnam sanguinis merentur: libera me à reatu, & à pœna, quam merentur peccata mea, Deus Deus salutis meæ, qui vt obtemperares Patri, hùc in mundum venisti ad saluandum me. Lingua mea, iustitiam tuam exaltando, in omnem terram misericordiam tuam loquetur. Domine, Spiritus sanctus tuus labia mea aperiat, vt os meum iustitiam tuam annunciet laudem tuam, & gratiarum actionem pro sacrificijs dabo: Non enim ijs delectaris nunc sacrificijs, & holocaustomatibus, quæ in lege fiebant.

Sacrificium tibi acceptabile cor pœnitens, & contritum, & contribulatum;

con-

contribulatum cor dixi, paſſionis tuæ memoriam recolens, quia pro me occidi voluiſti, vt me reum, & culpabilem lauando ſanguine tuo mundares, & redimeres.

Benigne ergo fac Domine in bona voluntate tua Sion: vt ædificentur muri Ieruſalem: vt fauore tuo benigno, ſponſam tuam Eccleſiam, quam tua voluntate diligis, proſequaris. Vt ædificentur muri eius, & per exemplum tuorum Sanctorum reſtaures, reædifices, & plantes. Tunc enim acceptabis ſacrificium, quod tibi offeretur, corporis ſcilicet, & ſanguinis tui, in pane, & vino conſecratum, nec non oblationes Sanctorum Apoſtolorum, Martyrum, & Confeſſorum, atque Virginum; & holocauſtomata in tuo amore, igneq. conſumpta: Tunc impones ſuper altare tuum Vitulos, gentes, quæ ſine lege, ſine iugo perditæ ambulabant, ſuper Altare tuum, in communionem Sanctorum, & Eccleſiæ ſanctæ Vnitatem. Hæc tibi hodie Martyrum tuorum Fabiani, & Sebaſtiani: hæc Agnetis Virginis, & Martyris tuæ holocauſtomata, offert Sancta Mater Eccleſia, tua Sponſa. Offero & ego indignus, & minimus in illa: vt eorum interceſſionibus amplius laues me ab iniquitate mea, & à peccato meo mundes me: vt corde nouo creato in me, & Spiritu ſancto tuo confirmatus annunciare poſſim mirabilia tua. Domine Ieſu ne faciem tuam à me auertas: vt nunquam declinem à te; à via tua, à mandatis tuis. Virgo benedicta Maria Mater Ieſu, Mater miſericordiarum, dicito filio tuo, quia deficit in me vinum charitatis; vt merear & ego audire, impleas aqua hydrias: vt aqua lacrymarum vinum effecta charitatis, inueniam gratiam in oculis diuinæ Maieſtatis. Amen.

IN PSALMVM LI.

Quid gloriaris in malitia: qui potens es in iniquitate?



ITVLVS. In finem intellectus Dauid, cum venit Doeg Indumæus, & annunciauit Saul, & dixit, venit Dauid in domum Abimelech, ſeù Achimelech.

Continuatur ad præcedentem Pſalmum 50. Miſerere mei Deus: in quo de pœnitentia, ex qua bona Cæleſtia iuſtis proueniunt, verùm quia ex vocatis pauci ſunt electi, hìc ponitur, quæ pœna iniquis, & impœnitentibus præparetur, quia in finem Deus deſtruet illos, & euellet, & emigrabit illos de Tabernaculo ſuo, & radicem eorum de terra viuentium.

Summa hæc eſt; Perditio iniquorum; iuſtorum verò timor, & irriſio contrà iniquos.

Titulus myſterijs diuinis, & documentis eſt plenus, ex libro 1. Reg. cap. 21. Hiſtoria colligitur; Dauid enim quando à Saulis ira fugit in ciuitatem Nobe, vbi Achimelech ſtabat Sacerdos; ab illo Dauid accepit panes Propoſitionis, & Goliæ gladium, quem ipſe in valle Terrebinthi ab eodem occiſo à ſe Goliath abſtulerat; tunc ibi Doeg Idumæus intrà Tabernaculum Domini ſtabat, typus Diaboli intrà cor Iudæ ſe immittentis, hìc verò Doeg erat Paſtorum Saulis potentiſſimus.

Vidimus hiſtoriam, non tamen illius prætereamus myſterium. In finem

in

in Christum sit intellectus Dauid, intellectus noster, quando Iesus venit,& carnem nostram assumpsit, in domum Achimelech, in domum regni Patris eius; in domum Iudæorum, ex illis enim, & inter illos natus est Iesus.

Verùm prius ad interpretationem nominum veniamus, antequam mysteria declaremus.

Abimelech, vt diximus, Patris mei Regnum interpretatur,& significat Iudæos, cuius domus Abimelech est regnum Iudæorum, quod Pater instituit.

Doeg motus dicitur, Idumæus verò terrenus ab Edon, quo nomine vocatus est Esau. Saul verò petitio, seù appetitio, quod significat mortem, quam homo peccans verbis, & manibus appetijt, vt dicitur de populo, qui à Domino Saul Regem extorsit, 1.Reg.cap.18.num.7. Dauid verò manu fortis dicitur, vel aspectu desiderabilis; Doeg occidit Sacerdotes, non tamen Dauid, ità etiam Aries pro Isaac immolatus est, non Isaac, Genes.22.num.13.

Domus ergo Dei erat Iudæorum Synagoga, in quam Doeg Idumæus iàm erat ingressus, motus scilicet terrenus; auaritia enim obcæcauerat illos, propter quam retrahebantur homines à sacrificio; & etiam per quam Dominum vitæ Iesum Christum illi impij occiderunt, dicentes. Si dimittimus eum sic, venient Romani,& tollent nostrum Regnum; & Non videtis, quia totus mundus post illum vadit?

Doeg Idumæus erat potentissimus Pastorum Saul: Quid enim auaritia potentius ad perditionem? Iacob.cap.5.num.3. Aurum,& argentum vestrum eruginauit, & ærugo eorum in testimonium vobis erit, & manducabit carnes vestras, sicut ignis. Ideò à Paulo Idolorum seruitus appellatur. Chrysost. super 1. ad Timoth. sicut enim, inquit, Idololatria vni Deo auferre nititur gloriam, ne, quod eius peculiare est, solus habebat nomen diuinitatis, sibi soli condignum. Ità & auaritia in Dei res se extendit, vt, si posset fieri, vnus, & solus creaturarum eius sibi vsurpet possessionem, quam Deus omnibus fecit communem. Et Caietanus explicans verba Pauli, Auarus Idolorum cultor, eo quòd conuenit vterque in colendo vnam, & candem rem; Idolorum siquidem cultor, argentum, & aurum colit, iuxtà illud: Simulachra gentium argentum, & aurum, Psalm.113.num.14. auarus itidem argentum, & aurum veneratur.

Potentissimus ergo Pastorum Saul Doeg Idumæus, Matth.23.num.14 Væ vobis Scribæ, & Pharisæi, & Hypocritæ, qui comeditis domos viduarum, &c. & numer.16. Duces cæci, qui dicitis, Quicumque iurauerit per Templum, nihil est, qui autem iurauerit in auro Templi, debet, &c. Potentissimus Doeg, qui ex Pastoribus erat Saul, idest mortis. Potentissimi Scribæ, & Pharisæi, nàm & cæci Duces erant & terreni, vt Idumæus iste Pastor Saul appetitores mortis, quæ propterea illis data est in æternum, terrena enim appetierunt, & cælestia amiserunt.

Prodidit Doeg Sacerdotem Abimelech, quem occidit, cuius & aliorum Sacerdotum, non tamen Dauidis effudit sanguinem; at verò melius est, dicebat ille iniquus, vt vnus moriatur pro populo; quid fecisti impie? sanguinem effudisti, nunquid diuinitatem Christi, & animam perdere potuisti? sanguis arietis effusus est, non Isaac: Genes.22.nu.13. sacrificatus est aries, Isaac verò remansit, non sacrificatus est; ecce nobis aperta Dei mysteria, ecce quomodò omnia in figura contingebant illis.

Si

Si tibi ergo ò fidelis, ò Episcope, & Sacerdos fuerit aliquando Doeg Idumæus in tabernaculo tuo, in mente tua, motus scilicet terrenus, ità vt ad terrena respiciens, prouoceris ad cælestia, & diuina relinquenda sit manus tua fortis, imiteris Dauid, vt in finem in Christum sit intellectus, considerans, quia illa temporalia, hæc æterna: illa caduca, ista firma, quæ tibi à Deo promissa sunt, & quòd ideò venit Doeg Idumæus, vt tu cum illo effectus terrenus, amittas cælestia.

Doeg etiam Idumæus Pastorum Saul potentissimus, typus Iudæ traditoris, qui fur erat, & latro, & loculos habebat, adeòq. & potentissimus inter Discipulos Christi. Ille prodidit Achimelech, & alios Sacerdotes; Traditor Iudas tradidit Christum Iudæis, quem occiderunt, & qui Apostolos, aliosq. fideles ad necem sunt persequuti. Doeg Idumæi, & Saulis memoria perijt cum sonitu; & in inferno consepulti iacent in æternum; Iudas crepuit medius, & viscera eius dispersa, pariter in inferno inferiori iacet in perpetuum cum sequacibus Iudæis. Saul occisus vnà cum progenie sua extincta, & occisa, manet in interitum, vt nunquam moriatur in flammis; illorum verò Sacerdotum quos Doeg Idumæus occidit, animæ in manu Dei sunt, & exultantes, atque exaltati, in sæcula sæculorum fruuntur æternis, Sapien. 3. num. 45. ò Saul mortis appetitor, ò Doeg motus à terrenis: Christos Domini occidistis, vt vos impios ipsi iusti in iudicio condemnarent. In finem Dauid intellectus, in Christum sit spes nostra, qui promittit, & dat nobis regna Cælestia.

Quid ergo gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate? non enim vincis, nisi volentem, debilis ergo est tua potentia, & si potens sis in iniquitate, & si potens sis in malitia, quæ nàm inde est gloria tua? nunquid gloria est in destructione domus? Idolum in mente tua malorum præteritorum fabricasti; gaudens, & in illorum contemplatione lætando, Ierem. 2. nu. 11. Populus meus, inquit Deus, mutauit gloriam meam in Idolum; gloriaris & ignominiosus factus es, & infamis, Osee 4. num. 7. committendo peccasti, sed in illo glorians peccato, magis deliquisti. Sed quid gloriaris? quasi iniquitas tua sit maior Dei misericordia, & potentia: arcuum enim potentias, scutumq. atque bellum ille confringit, Psalm. 75. nu. 4. Quis enim loquetur potentias Domini, Psalm. 105. num. 2. solius Dei est magna potentia, Ecclesi. 3. num. 21. Quid inique fecisti? Sacerdotes occidisti? An ignoras, quia filius sensatus surget, & post illum deijciet omnem potentiam inimicorum Dei, Ecclesi. 47. num. 14.

Quid gloriaris, quia iniquitatem feceris? non tibi iniquitas, occidendo Sacerdotes sufficiens fuit, quia etiam ità deliquisse gloriaris? Augustin. Occidisti Sacerdotes, multum te iactas, quia occidisti homines, hoc & scorpius, & vna febris, hoc & fungus malus; huccinè redacta est potentia tua omnis, vt vno fungo coæquetur? Facit Prouerb. 2. num. 14. Lætaris, quia malè feceris, & exultas in rebus pessimis, & infames gressus tui.

Quid gloriaris? quod esse potens in iniquitatibus tibi videaris? si peccatum & iniquitas nihil est, Ioan. 1. In nihilo gloria tua erit; & potentia tua, quin ex istiusmodi nihilo magna præparatur tibi pœna æterna; & magna tibi tormentorum genera sunt reseruata. Quid ergo miser gloriaris? quia neminem nisi te ipsum grauas.

Quid gloriaris in infirmitate, qui potens fuisti in iniquitate? veruntamen in infer-

infernum detraheris in profundum laci, ità Dominus Exercituum decreuit; & quis poterit infirmare? & manus eius extenta, & quis auertet eam? Isai.cap.14. n.16.& 27. Sanctos persecutus es, ipsi eleuabuntur à Domino, & tu cades, & infirmus eris; & vehementer confunderis, quia non intellexisti opprobrium sempiternum, quod nunquam delebitur, Ierem.20.num.11.

Quis es tu, nisi vilis vermis, qui in minimo gloriaris; cum in Domino gloriando, magnus effici posses; si ea, quæ ad ædificationem feceris, studiosè feceris, vt ad permanendum valeant; & si ad destructionem, sint ad proficientium disciplinam, non ad innocentium destructionem.

Tota die iniustitiam cogitauit lingua tua, & sicut nouacula acuta fecisti dolũ. Tota die, & quare non tota etiam nocte? Quia dies naturalis est 24. horarum, & sic comprehendit etiam noctem; vel quia quærebat tenebras, qui tota die cogitabat iniustitias; hoc est in die cogitabat, quomodò traheret secum in nocte tenebrarum iustos ambulantes in luce, quæ est Christus; oderat enim lucem diei, qui in illa tota die peccando, Diabolo inseruiebat. Sed tenebræ malignantium iustos non potuerunt attingere. Illorum lingua perfida, sicut nouacula radebat pilos, terrena poterat rapere, idest superflua, carnem lacerare, & occidere, animam verò non poterant attingere, Matth.10.numer.28. Sed quare inique consummeris in dolo? Quid tibi, & iusto? Si tu perfidus quid tibi nocet homo iustus? non est alia ratio præter eam, quam dixit Iesus, Ioan.8.num.44. quia ex Patre Diabolo es, & desideria Patris tui vis perficere. Inuidia enim Diaboli mors introiuit in Orbem terrarum: imitantur illum, qui sunt ex parte illius, Sap.2.num.25.

Vel iterum dicamus; Tota die iniustitiam cogitauit lingua tua. Iacula in nocte non iaciuntur, sed in die: ad scopum enim sagittas collimant, in album, & candidum signum iacula diriguntur, vt lucidum apparens signum, illud sagittæ petant; sic inuidiæ iacula fratres Ioseph inuidentes in ipsum pulchrum collimarunt, occidere eum volentes, Genes.cap.49.nu.23. sed Exasperauerunt, inquit textus, eum, & iurgati sunt, inuideruntq. illi habentes iacula; sedit in forti arcus eius, & dissoluta sunt vincula brachiorum, & manuum illius per manus potentis Iacob, Genes.49.nu.23. Iniustitiæ iacula tota die cogitabas, vt iaceres lingua tua in innocentem: at arcus fortium superatus est, quia innocens exaltatus est à Domino, & tu proiectus in infernum.

Ad vtrunque sicut nouacula, paratus erat iniquus, ad capillos radendos, & ad carnes secandas. Quando minus innocens cogitabat, & expectabat; impie in vtroque malo gloriabaris, quia innocẽtium carnes secasti, illorumq. facultates abstulisti, superflua, capillos scilicet radens fecisti caluum, vacuum nempè, hoc est spoliasti, & innocentem nudasti, & occidisti. Præparata ad vtrunque stabat nouacula tua, quia tota die cogitabat iniustitiam mens tua, cor tuum.

In iniquitate tota die erat lingua tua, vt excogitares mala; tota die, sine interuallo, sine pausatione; & ecce quia tota nocte tu iniustus positus es in tormentis, vbi semper nox, & nunquam dies est; tota verò die iustus in Paradiso, vbi non est nox, sed semper dies, & vnica semper durans dies, exultans exaltatus est à Deo. Non tibi innocens, & iustus minatur malum, quia iniustitiam feceris in lingua tua; sed dimittit teipsum in te. Vt multum sæuias, dicit Augustin. subiecturus es bestijs, in seipsum peior est bestijs. Bestia enim lace-

lacerare corpus eius potest, ipse cor suum sanum relinquere non potest, Interius in seipsum sæuit, & tu exterius plagas inquiris; ora Deum pro illo, vt liberetur à se. Hæc Augustin. Et in hoc Psalmo non damnum imprecatur impio, sed vt ab iniquitate desistat, mala prophetizat in futuro, ideò dixit, proptereà Deus destruet te, &c. vt infrà dicam.

Sicut ergo nouacula acuta fecisti dolum: Nouacula acuta pilos radit, nàm quod natura concedit, leuiter ipsa tollit, & radit. Sicut ergo nouacula acuta fecisti dolum, sed si nouacula facit caluum, quomodò ex illa Dauid inducit dolum? Acuta erat nouacula, quia bona auferebat ab innocente, & ità certo modo dolum inferebat, sine tamen patientis dolore, sine aliqua pœna; quia tamquam superflua reputabantur ab illo, vt facilius ad caluarium caluus & ipse duceretur, ad Christum scilicet, qui in Caluario pro salute nostra passus est, & crucifixus. Cogitabat iniquus, se facere innocenti ex dolo suo malum, qui dolo, & fallacia decepit pauperem: & ecce quòd nouacula fecit caluarium; quia expeditus innocens de temporalibus, facilius nudus luctando vicit Diabolum; & accepit brauium.

O felix nouacula, quæ terrena radens perducis ad Cælestia, ò felix ferrum, quod quasi cum dolo aperuisti Domini pectus, vt aperta per te porta facilis esset credentium ingressus in Regnum Cælorum.

Quid ergo mali Sanctis fecisti, quia capillos rasisti, quia lingua tua, quod diù malignè cogitaueras, illos occidisti. Lingua tua gladius acutus fuit, ex quo prouocasti appetitorem mali facilem ad iram, vt sancti Dei occiderentur: Ad hoc facit cap. 5. in Prouerb. num. 3. & 4. Fauus distilans labia meretricis; nitidius oleo guttur eius, nouissima autem illius amara quasi absynthium, & acuta quasi gladius biceps. Facit quod dicit Gregor. 3. Moral. c. 11. & c. 17. num. 14. Qui dimittit aquam, caput est iurgiorum, &c. Aqua enim, dicit Gregor. dimittitur cum linguæ fluxus non refrænatur, sed dimissor aquæ caput iurgiorum efficitur, quia per linguæ incontinentiam discordiæ origo proponitur.

Quid lucraris inique, si tantum animæ tuæ detrimentum fecisti? quid homini Regnum Cælorum meditanti nocere potuit Doeg nouacula? Homo iustus Deum secum habet, cum quo & est permansurus. Quis tu Doeg, si Deus est cum illo? Non curat terrena, qui meditatur Cælestia. Vt stercora, dixit Paulus, omnia arbitratus sum, quid amputare poterat nouacula tua? superflua tantùm; hoc iustis nutrimentum, & lætitia, quia, sanguine ex nouacula tua profuso, plantata est fidelium Ecclesia. Tu abstulisti superflua, & animam iusti purgasti, ò diù malè excogitata iniustitia, sed tamen præceps tuæ linguæ dictio.

Sed cur tota die iniustitiam cogitasti, nisi quia dilexisti malitiam super benignitatem, iniquitatem magis, quàm loqui æquitatem. Opertus es iniquitate, & impietate tua, ideò tenuit te superbia tua; prodijt quasi ex adipe iniquitas tua, & transiuit in affectum cordis tui, Psalm. 62. num. 6. & 7.

Dilexisti malitiam super benignitatem. Refugit benignitas à te, quia malitiam elegisti, Deut. 30. num. 19. Proposuit nobis vitam, & mortem: benedictionem, & maledictionem, elegisti mortem, vt morte æterna moreris, mors, & vita in manu linguæ tuæ fuit, Prouerb. 18. num. 21. Iniustitiam cogitauit lingua tua, de fructu eius comedes, ignem scilicet sempiternum. Facit Eccles. cap. 15. num. 14. Deus reliquit hominem in manu consilij sui, & num. 17. & sequen.

sequen. Apposuit tibi aquam, & ignem, ad quod volueris, porrige manum tuam; ante hominem vita,& mors,bonum,& malum; quod placuerit ei, dabitur illi,Ierem.21.n.8. Ecce do coram vobis viam vitæ,& viam mortis. Tibi benignitas proposita erat, illam reliquisti, vt diligeres malitiam. Propterea non te deseruit malitia, donec cum illa cadas inferius. Noluisti intelligere, vt benè ageres, Psalm.35.num.4. Noluisti, inquit, quia tu velle poteras, & noluisti. Quid? Nunquid terram super Cælum, & aquam super oleum leuare credis: Et ecce, quia ad similitudinem horum cades inferius; quia sicut ista suo pondere deorsum feruntur, sic tu benignitati præferens malitiam ruis in profundum.

Dilexisti omnia verba præcipitationis lingua dolosa. Doeg Idumæus quid mirum cum sis dolosus; Si mala capias in interitu, Psal.139.numer.12. vt præcipitarentur Sacerdotes. Iussio Saulis placuit tibi, propterea nec præcipitationem tuam effugere poteris, & nomen tuum putrefactum erit, Prouerb.10. num.7.

Dilexisti verba præcipitationis. Et ecce labia tua, ò insipiens præcipitauerunt te, Ecclesi.cap.10.num.12. & in diem perditionis seruaris, vt ad diem furoris ducaris, Iob cap.21.num.30.

Dilexisti omnia verba præcipitationis impie, quia ex dolo linguæ tuæ hæc exercuisti contrà Achimelech, & alios Domini Sacerdotes; ore enim tuo impio subuersa est illa Sacerdotum Ciuitas, Prouerb.cap.11.num.11. Vide, quid Sauli dixisti lingua dolosa, Achimelech vidi consulentem Deum pro Dauide, 1.Reg.cap.22.num.10. Fodisti malum, & in labijs tuis ignis exarsit, Prouerb. cap.16.num.27.

Audisti verba præcipitationis ab emissarijs,vt interficerent Achimelech,& Sacerdotes, sed quare seruos illos emittere manus in Sacerdotes Domini recusantes, imitari noluisti?

Dilexisti verba præcipitationis, quia illis recusantibus, præceptum tibi exequendum cogitasti; vt tu in illos irruens occideres, & trucidares; octoginta enim, & quinque Sacerdotes tu impie in illa die trucidasti, & in ore gladij percussisti.

Dilexisti iniquitatem, quia & innocentes alios, mulieres, paruulos, & lactentes interfecisti, contrà quos non vrgebat præceptum Regis, immo oues & boues, &c. vt in d.cap.22.1.Reg.nu.19. contrà istos non legitur iussio Regis, nec quod tu Ciuitatem Nobe destrueres.

5 Dilexisti omnia verba præcipitationis, ò lingua dolosa: Qui totius illius Ciuitatis ruinæ causa fuisti, & tu cum illa submergeris. Euasit Abiathar pater scilicet sapiens, à te, quia tu delinquendo factus es alienus ab illo, vt facilius sine illo demergaris in profundum. Vnam fratres linguam habemus, bonum, & malum ante nos positum est, cur potius malum eligimus, vt quæ sunt bona amittamus? Augustin. Vnam linguam habes, quò vis eam vertis, quare ergo potius ad iniquitatem, & non ad æquitatem. Cibum amaritudinis non das ventri tuo, cibos iniquitatis linguæ tuæ iniquæ, & malignæ dare procuras? sicut Eligis, quo vescaris, sic elige, quod loquaris: Præponis enim iniquitatem æquitati, & præponis malitiam benignitati, hæc August. Dilexisti verba præcipitationis, vt submergens pauperes, facias eos Iudices tuæ condemnationis. Delectaris, vt submergas, ò lingua dolo plena, & fallaciæ ministra.

Propterea Deus destruet te in finem, euellet te, & emigrabit te de tabernaculo tuo, & radicem tuam de terra viuentium. In verbis tuis, in lingua tua fallaciæ plena, subuersio, atque submersio fuit; propterea Deus destruet te in finem. Forsan floruisti, quia subuertisti, & submersisti? & ecce flos tuus sicut fœnum aruit, & teipsum submersisti in finem in perpetuum. Aruit fœnum, & flos decidit, & Deus te destruet in finem, quem tu tibi modo florentem videbaris, euellet te, quia Doeg Idumæus, quia cum motu terræ radicem charitatis à te abdicasti; extraxisti, denudasti. Virere illam credebas, sed citò exsiccata est ab æstu Solis; & cum radix ex motu terræ denudata remansisset, aruit, quia humorem non habebat, Matth. cap. 13. nu. 5. Non enim amplius habebat altitudinem terræ; Sole enim orto continuò exaruit, Psalm. 128. nu. 6. Fiant sicut fœnum tectorum, quod priusquam euellatur exaruit, & Ierem. 12. num. 17. Euellam illam euulsione, & perditione, hinc Paul. Ephes. 3. num. 14, Huius, inquit, rei gratia flecto genua mea ad Deum Patrem Domini nostri Iesu Christi, ex quo omnis paternitas in cælis, & in terra nominatur, vt det nobis secundum diuitias gloriæ suæ, virtute corroborari per spiritum eius in interiorem hominem, Christum habitare per fidem in cordibus nostris, in charitate radicati, & fundati, vt possitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ sit latitudo, & longitudo, & sublimitas, & profundum; scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi, vt impleamini in omnem plenitudinem Dei.

Si radix est radicata, fructum supradictum capiemus ex ea, sed si sicca, quem fructum colligemus ex illa? Iob cap. 19. num. 10. Destruxit me vndique, & pereo, & quasi euulsæ arbori abstulit spem meam. Facit Ezech. cap. 17. nu. 9. Radices eius euellet, & fructus eius distringet, & siccabit omnes palmites germinis huius, & arescet, & euellet radicitus; opera igitur vestra de charitate procedant, & tunc radix vestra erit in terra viuentium August.

Propterea te Deus destruet in finem, quia tu longè per peccatum factus es ab illo, & Deus te de longè relinquit. Hinc dicitur in Psalmo, & Deus alta à longè cognoscit, Psalm. 27. nu. 5. & In opera manuum suarum destrues illos; & non ædificabis eos, quoniam non intellexerunt opera Domini; destruere enim hominem, quid aliud est, nisi Deum ipsum relinquere hominem.

Vnde Greg. 1. Moral. cap. 5. Omnipotens Deus humanum cor destruit, cum relinquit; ædificat, cum gratia replet, neque humanam mentem debellando destruit, sed recedendo, quia ad perditionem animæ sufficit, vt sit sibi dimissa. Si ergo radix euulsa radicitus erit, quid de arbore fiet, nisi igni vt tradatur? neque amplius germinabit.

Quid ergo gloriaris in tua malitia, qui ideò in finem euulsus de tabernaculo, sepelieris in inferno? 2. Reg. cap. 23. nu. 6. Præuaricatores autem quasi spinæ euellentur vniuersi, quæ non tolluntur manibus, &c. igneq. succensæ comburentur vsque ad nihilum.

Sequitur versiculus Psalmi, Et emigrabit te de terra viuentium. Nàm si Doeg Idumæus es, idest terrenus, terrenaq. despiciens, quid aliud erit tabernaculum tuum, nisi corpus tuum, caro tua? Greg. 4. Moral. Iniqui enim tabernaculum caro est, quia ipsam lætus inhabitat, & si sit possibile, optat, vt eam nunquam derelinquat. Emigrat de tabernaculo, quia illo in morte relicto, sua anima descendit in infernum, ibique manet, donec & corporis fiat resurrectio, vt

vtriusque sit æqualis pœna in caliginoso loco. Et à terra viuentium separabuntur, sicut palea à grano, illa vt comburatur, hæc vt in horreo conseruetur, Psalm.41.numer.5. Transibo, inquit iustus, in locum tabernaculi admirabilis vsque ad domum Dei; & in alio loco; Iusti autem in perpetuum viuent,& apud Dominum est merces eorum, Psalm.41.num.5. Et quamuis in hac vita permanent, quia spes illorum semper est apud Dominum, nunquam de tabernaculo emigrare dicuntur, Psalm. 61. num.1. & 2. Nonnè, inquit, Deo subiecta erit anima mea? ab ipso enim salutare meum; nàm ipse Deus est salutaris meus, susceptor meus, non mouebor amplius, & ideò ibid. num.7. quia ipse est Deus meus, & Saluator meus, adiutor meus non emigrabo.

Sed Domine Iesu Saluator noster, quamuis peccatores, nonnè tui sumus? tu enim ideò venisti, vt saluares nos; sed sine te, quomodò salui erimus? Et si nos peccatores ad pœnitentiam non excitabis, quomodò à somno peccati resurgemus? Sunt iusti in tua Ecclesia, quos scimus apud te esse computatos: sunt & in illa peccatores, tui tamen sunt, & magnitudinem misericordiæ tuæ non ignorant; da eis fontes lacrymarum, vt dolentes de commissis, tui etiam fiant, & propter misericordiam tuam, cum iustis in tuo habitent tabernaculo, Sap. cap.11. illorumq. radix sit immortalitatis, num.3. Facit Ezech.cap.33.num.12. In illos, qui iusti sunt, bonitatem tuam videmus; in illos verò, qui ceciderunt, tuam consideramus iustitiam; rami enim illorum & si ex bona oliua, fracti, sunt ad comburendum apti, ad Rom.c.11.nu.18. cum seq. Parce Domine, parce populo tuo, & ne des hæreditatem tuam in opprobrium, vt non dominentur nobis nationes; etenim vniuersi,qui sustinent te,nõ confundentur.

Quando videbunt iusti iniquos euulsos, & in ignem condemnatos, timebunt, & super eos ridebunt, & dicent, ecce homo, qui non posuit Deum adiutorem suum. Sed si timebunt iusti, quomodò ridebunt? Vbi est timor, non est lætitia; timor enim,& tremor venerunt super nos, & contexerunt nos tenebræ; ergo vbi timor, ibi pœna: si pœna, quomodò lætitia; timore prostrati sunt omnes habitatores eius, dicit Iosue 2.n.24. Benè autem in iustis iuncta hæc asseruntur timor, & gaudium. Siquidem ambulant etiam iusti in hac vita, timentq. ne cadant, 1.Corinth.10.n.12.nàm quod hodie fit,sciunt: quid cras eueniet, ignorant; interim considerant iniustos ambulãtes in iniquitatibus,in eisquè perseuerantes, expertes timoris Dei, de quibus Psal.13.n.7. Contritio enim,& infelicitas in vijs eorum,& viam pacis non cognoscunt, non est enim timor Domini ante oculos eorum,cum Apostolus,Philip.2.n.13. dicat. In timore,& tremore vestram operamini salutem. Timent ergò iusti,non quod eis timor sit pœna,cum potius sit delectatio, gloria,& gloriatio, Vndè Eccles.1.n.11. Timor Domini gloria,& gloriatio,& lætitia,& corona exultationis; quia timor Domini delectat cor. Et dabit lætitiam, & gaudium,& longitudinem dierum; & benè est illi in extremis, & in die defunctionis suæ benedicetur, quomodò autem pœna erit timor,si in illo sit Dei sapientia,quam Deus diligẽtibus se prębuit,d.c.1.n.11. si spiritus Dei in timente illo effusus est: Vndè Psal.14.n.4. Timentes autẽ Dominum glorificat, timor ergo ideò in iusto, ne malè operando alienus sit à sapientia Dei, adeòq. in timore, & tremore, & nos operemur nostram salutem, quia dictum est, Psal.2. Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore in timore ne cadas; in timore, Ait namq. Paulus, Fratres si præoccupatus fuerit

homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, instruite huiusmodi in spiritu lenitatis, intendens teipsum, ne & tu tenteris, ad Galat. 6. num. 1.

Augustin. hic. Modò ergo, inquit, iusti videbunt, & timebunt, tunc verò ridebunt, quando transierit iniquitas, quando transuolauerit, quando fugatæ fuerint tenebræ huius sæculi, in quibus nos ambulamus ad lucernam scripturarum, & ideò timemus tamquam in nocte. Ambulamus enim ad prophetiam, de qua dicit Petr. Apostol. 2. cap. 1. Habemus certiorem propheticum sermonem, cui benefacitis intendentes, sicut lucernæ lucenti in obscuro loco, donec dies lucescat, & lucifer oriatur in cordibus nostris.

Quandiù ergo ad lucernam ambulamus, necesse est, vt cum timore viuamus. Cum autem venerit dies vester, idest manifestatio Christi, de qua idem Apostolus ad Coloss. 3. Cum Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria; tunc iusti videbunt, & ridebunt super istum Doeg. Iàm enim non est subueniendi locus, quomodò nunc; quando vides hominem iniustè viuentem, vis cum illo laborare, vt corrigas, quia iniustus est, conuersus poterit iustus esse; quomodò & iustus auersus poterit iniustus esse. Itàq. nec de te præsumas, nec de illo desperes; & da operam quantum potes, si benignus es, si non diligis malitiam super benignitatem, vt ambulantem hominem in via mala, & errantem, corrigas ad viam bonam.

Tunc verò cum venerit iudicij tempus, correctionis locus non erit; sed tantùm damnationis, & ibi erit pœnitentia, sed infructuosa, quia sera; non sit sera; si vis, quod sit fructuosa: Augustin. considera, hodie te corrige, reus es, ille Iudex est, corrige reatum tuũ, & gaudebis ad Iudicem; hodie hortatur te, ne iudicet te, & qui Iudex futurus est tuus, hodie ipse est Aduocatus tuus; hæc August.

Et super eum ridebunt, Gregor. 33. Moral. cap. 19. Damnatorum cruciatus iusti videndo non compatiuntur, sed in laudibus Dei crescunt; quia & in se cernunt, bonum, quo remunerati sunt, & in illis inspiciunt malum, quod euaserunt, & supplicium. Ità enim tunc pulchra erit vniuersitas, dum & gehenna iustè cruciat impios, & æterna felicitas iustè remunerat pios. Sicut enim niger color in pictura sternitur, vt superiectus albus, vel rubeus pulchrior ostendatur, ità & tunc malos benè ordinans Deus, feliciora exhibet gaudia Beatorum, ostensis ante eorum oculos supplicijs reproborum. Et quamuis illud ex visione diuina eorum gaudium non sit, quo crescat, magis autem Auctori suo se sentiunt esse debitores, quando bonum cernunt, quod iustè remunerati perceperunt, & malum, quod misericorditer adiuti vicerunt, lætabitur, inquit Psalm. 59. iustus, cum viderit vindictam.

Et super eum ridebunt, & dicent; Ecce homo qui non posuit Deum adiutorem suum. Et super populum Iudaicum, & peccatorem ridebunt iusti in die illa, quando ad dextram ipsi vocati, iniqui verò ad sinistram. Enimuerò iusti præ gaudio quia salui facti sunt, illis condemnatis, dicent, ò Domine, quando vidimus te nudum, & cooperuimus te, &c. Matth. cap. 25. n. 38. quam enim in pauperes charitatem fecimus, nos ipsi, cum quæ nobis bona dedisti, tua erant, tua dedimus pauperibus, vt iussisti: & intuentes iniustos, atque auaros in infernum damnatos, quia pluris bona æstimauerunt præsentia, & caduca, quàm sempiterna; dicent alios iustos excitantes, vt illos condemnatos inspiciant: Ecce homo, ecce populus iniquus, & Iudaicus, qui non posuit Deum adiu-

torem suum, sed præualuit in vanitate sua. Ecce homo, ecce populus Iudaicus, qui Christo superior videbatur, & illum ad portam stantem, & non erubescentem illudebat: ecce quomodò sanguis illius super illos, & super filios suos: ecce qui Deum recusarunt Saluatorem, & præualuerunt in vanitate sua, ipsi ceciderunt, & in inferno positi sunt.

Ecce dicent iusti, ò vos, qui illuminati estis, videte, quæ iàm præparata sunt vobis, & cognoscetis, quàm vilia terrena, & contemptibilia, nàm vobis gloria sempiterna, homini verò Iudaico, & peccatori mors æterna, Isai.41. num.12. Quæres eos, & non inuenies viros rebelles tuos: erunt, quasi non sint, & peribunt viri, qui contradicunt tibi, ecce homo, qui nudus natus est, & & mendicus, qui iàm diues, & terrenus, & superbus effectus, ità operatus est, vt iterum cinis, & vmbra, & nudus reuersus sit.

Ego autem, inquit, quæ deserta eram, Isai.54.num.1. & 2. Ecclesia scilicet Dei, sicut oliua fructifera in domo Dei, speraui in misericordia Dei in æternum; & ideò fructificaui sicut oliua, quæ quasi oleaster facta eram, & rami mei fracti, ad Roman.d.cap.11. Et ecce, quia quæsierunt me, qui ante non interrogabant; inuenerunt, qui non quæsierunt me. Ecce ego, ecce ego ad gentem, quæ non inuocabat nomen meum, fructificaui, quia dilataui locum Tentorij mei, & pelles tabernaculorum extendi, Isai.d.cap.54. Sicut oliua, Ierem.cap.11. num.16. Oliuam vberem, pulchram, fructiferam, speciosam, nàm tali nomine vocauit me Dominus; Sicut oliua, inquit, per quam demonstratur tranquillitas, & pax in Ecclesia Dei, Genes. cap.8. num. 11. Virentibus folijs oliuæ ramum portauit columba dimissa. Virentia sunt in hyeme, & æstate folia illius, quia semper constans in tribulationibus, & prosperitatibus fui, Psal.91. num.13. ideò iustus, vt palma florebit.

Tunica Domini nostri Iesu Christi non fuit diuisa, sed integra remansit, Matth. cap.27. num. 35. iuxtà dicta in Psalm. 21. num.39. & super vestem meam miserunt sortem, Ioan.cap.19.nu.24. In qua fraterna Ecclesiæ vnitas declaratur, Cyprian. in Tract. de Simplicit. Prælat. Hoc vnitatis Sacramentum, hoc vinculum concordiæ inseperabiliter cohærentis ostenditur. Quis ergo sic est scelestus, vt credat scindi posse vnitatem Ecclesiæ, indumentum Christi? Idem dicit Augustin. in Ioan. Tract.65. Charitas, inquit, symbolum peculiare, & proprium fidelium est, sicut enim omnes scientiæ propria habent principia, sic dilectio inimicorum est proprium principium Christianæ disciplinæ. Vndè Christus fratribus reliquit, vt ad inuicem diligerentur, Ioan.cap.13.num.35. Idemq. August. Epist.203. Tom.2.fol.281.lit.C. Illi milites Christum resurrecturum non credebant, sed morientem videbant, si à persecutoribus vestis non est conscisa pendentis in Cruce: Cur à Christianis destruitur Sacramentum sedentis in Cælo? Vide eundem Augustinum in Expositione Euangelij Ioan. Tract.118. Tom.9. fol.197. in cap.19. Auelle, inquit Cyprianus, lib. de Vnitate Ecclesiæ ante medium, Auelle radium Solis à corpore, diuisionem lucis vnitas non capit; frange ramum ab arbore, fractus germinare non poterit, à fonte præcide riuum, præcisus arescet; ex quibus Cypriani verbis percipimus, lucē non capere diuisionem in Sanctis ad regnum Dei prædestinatis, qui non diuidentur ab Ecclesia; & non germinare ramum fractum germen salutis æternæ, ariditatē verò riui à fonte præcisi, in eo, quod Spiritu sancto vacuatur, qui ab vnitate separantur agnoscimus.

Ego autem non vt ille Doeg Idumæus, qui destruens eradicauit Sacerdotes, & illorum Ciuitatem, sed vt oliua fructifera in domo Dei, quia filios ex omnibus mundi partibus genui, enutriui; in domo Dei dixit, quia extrà ipsam, quæ domus est Dei, non est lux; extrà ipsam non est Christianus catholicus; extrà ipsam non est salus. Minister Diaboli Doeg Idumæus Synagogam, & Ciuitatem Sacerdotum destruere intendebat, multos, immo ferè omnes occidit. Figura futurorum, quæ Ierosolymis à filijs matris suæ impugnata fuit, in prima sua plantatione. Cæterum vinea Domini Sabaoth, vbique terrarum dilatata est, terminos suos ab illa Ierosolymis impugnatione per vniuersum Orbem extendit, vndè Bernard. in Serm. 1. in Cantic, & Tertul. in Apolog. cap. vltimo. Puto, inquit Bernard. quidem, quòd non parua insuper, & in hoc ipso apparebit prærogatiua, si quis diligenti cura aduerteret, quantum vbique per Orbem vinea Domini Sabaoth dilatauerit terminos suos à die illa, qua Ierosolymæ à filijs matris suæ expugnata est, & exturbata, vnà cum prima illa sua plantatione, multitudinem dico credentium; nec tamen inde euulsa in persecutione fuit, vt non alibi plantaretur, atque alijs locaretur agricolis; sed migrauit, creuit, dilatata est, tamquam cui benedixit Deus, pulsa de Ciuitate ab vniuersitate excipieris.

Putasti tu Doeg Idumæus, occidendo Sacerdotes, & ex tua putatione creuit ad vbertatem, & ideò dicit Dauid nomine Ecclesiæ; Ego autem sicut oliua fructifera in domo Dei. Quamuis ab iniquis, & persecutoribus deturbata, quia in misericordia Dei spero, in æternum, & in sæculum sæculi, fructifera facta sum, & non in vna Ciuitate, sed in toto terrarum Orbe diffusa. Filios enutrio, & in domum Dei mei illos enutrio. Vos ò Iudæi, Ecclesiam Dei supplantare tentastis, & dispersos Apostolos persecuti estis; & ecce eorum dispersio pœna fuit, estq. vobis dissipatis, atque dispersis. Nàm, vt dicit Nazianz. Orat. 12. Vna vtique illis calamitatis columna totus terrarum Orbis est, quod ab Elia Cretense hisce exponitur; Quemadmodum columnæ ex ære, vel lapide excitatæ, vt vituperationes, aut ærumnas aliquorum continentes prætereuntibus illas spectandas exhibent, sic totus terrarum Orbis, per quem Iudæi dispersi sunt, instar Columnæ eorum miseram conditionem prædicat, Origen. homil. 9. ponderat, quando dictum est Abrahæ, Multiplicabo semen tuum, sicut stellas Cæli, & sicut arenam, quæ est in littore maris, Genes. cap. 22. nu. 27. Ego puto, ait, quòd vtrunque exemplum possit vtrique populo aptari, Iudæo scilicet, & Christiano; aptabitur verò, si dicamus, Christianos stellis comparari, quia à Sole mutuatam lucem accipiunt, & cum Cælis, quibus affixæ sunt, regulatissimo motu cientur, Iudæos verò arenæ assimilari, quæ ab vndis, immo & à leui aura agitatur, quod contingit Iudæis per totum Orbem dispersis.

Confitebor propterea dixit Dauid, & Ecclesia, idest nunc ex tunc confitebor tibi Domine, quia fecisti, & ità terminasti, quæ futura erant in Ecclesia tua, statuisti, nàm hæc, quæ sunt, futuri signa sunt, & futurorum figura; quando scilicet filius tuus veniet, cuius nomen, quod est salus, expectabo, hoc enim nomen in conspectu Sanctorum tuorum bonum, quia tunc illos in regnum tuum filius tuus introducet, ideò bonum est in conspectu Sanctorum tuorum, quia tecum regnabunt in æternum.

Confitebor tibi in sæculum, quoniam tu fecisti. Augustin. Quid fecisti?

Doeg damnasti, Dauid coronasti. Confitebor, quia à te Domine omnia bona procedunt; Confitebor in sæculum sæculi, quia in radice, quæ nunquam eradicabitur, me seruum radicasti; qui me tibi credentem iustificasti. Non in me sit gloria mea, sed in te, in quem speraui. Hæc enim tu fecisti Domine, non ex meis meritis, sed ex misericordia tua, quia peccator fui, & delicta remisisti mihi. Tu enim Domine fecisti, vt filius tuus veniret, & ego expectabo nomen tuum, quoniam iucundum est; quoniam bonum est in conspectu Sanctorum tuorum. Iesus est nomen tuum, quid iucundius? illos, qui morte damnandi fuissent in infernum, saluare venit, vt deducat nos in Cælum. Dulcia Doeg videbantur scelera, quæ ipse commiserat, & ideò gloriabatur in illis; sed sic cum amaritudine digesta, vt nunquam digerantur, idcircò permanens semper in pœna, miser gustauit, amaritudine superueniente. Ea verò, quæ in hoc sæculo amaritudo videntur in ijs, qui iusti sunt, nempè seruire Deo, & pro illo contumelias pati, hæc Sanctis dulcedo visa sunt, qui expectant, quod bonum est, hoc est nomen sanctum tuum. Videntur iniquis Sancti insipientes mori; sed iucunda illis passio, quia ecce ipsi sunt in pace, neque tangit illos tormentum mortis, & illorum animæ in manu Dei sunt, Sapien. dicto cap. 3. & cap. 5.

SOLILOQVIVM.

QVID se in scelere iactat, & in malitia gloriatur iniquus Doeg similis, qui nec quolibet scelere contentus, lingua sua acuta concinnat dolos, & iniustitias: lingua dolosa, quæ verba præcipitationis diligebat. In malignitate sua consumptus; Spes eius tamquam lanugo, quæ à vento sublata est, & tamquam spuma gracilis, quæ à procella dispergitur.

Hæc videbunt iusti; timebunt, & super eum ridebunt, dicentes: Ecce homo, ecce terrenus iste, qui non posuit Deum adiutorem suum, sed sperauit in multitudine diuitiarum suarum: in diuitijs, & in sua vanitate erat spes eius. Spes verò mea spes iusti, spes in te Domino Deo meo; quia, cum essem sterilis, sicut oliua fructificabo in sæculum sæculi.

Confitebor tibi Domine, quia iniquos iustè puniuisti, & in seruos tuos misericordiam fecisti. Confitebor tibi in sæculum, & expectabo nomen tuum, quod est bonum in conspectu Sanctorum tuorum, & in misericordia tua sperabo. Quia quando ad me venies saluum me facies. Et ideò expectabo nomen tuum, quia bonum est, atque iucundum, illud gustanti, & te amanti.

Veni ergo Domine, & noli tardare, relaxa facinora mei serui tui, qui in Cruce, ideò hodie positus, vt pro me peccatore satisfaceres Patri, mori voluisti. Audiam Domine Iesu dulcissime, & ego cum latrone, quod dimissa sint peccata mea, & tecum sim in Paradiso, quia redemisti me.

Confiteor Domine, quia peccaui coram te, & ideò non sum dignus videre te. Maior tamen est misericordia tua, quàm iniquitas mea. Et tu Mater Domini Maria Virgo, Aduocata mea, ecce quia clamo post te, exaudi preces meas, vt amoris lacrymæ meæ, quas effundo, iubeas, vt conuertantur à filio tuo in vinum. Vt vino compunctionis potatus merear ab illo exaudiri, nàm sine

illo, quid sum ego? sine illo, quid proderit mihi mea conuersio.

Impletæ sunt hydriæ aqua; oculi mei stratum meum rigauerunt, ponam in conspectu eius, te Domine intercedente, in sæculo lacrymas ponam meas, in languncula eius, in rationario eius, velut solutionem, & satisfactionem meam, vt seminans in lacrymis, in exultatione metam.

Nàm ecce coram te, sicut populus ille coram Samuele constituta es à Deo in specula, vt sis aduocata nostra in Paradiso Virgo Maria, ecce enim, inquam, sicut ille populus aquas; de puteo cordis mei lacrymas compunctionis mei pœnitentis abundè eductus effundo: suscipiat illas Dominus meus in holocaustum, & pro peccato meo; vt, te intercedente, merear absolui, & ab iniquitatibus meis liberari. Ac sicut effusæ lacrymæ non redeunt, ideò impetra, vt nec ego ad peccandum reuertar. Ideò non Vitulorum mugitus, non Agnorum balatus, sed lacrymas, atque suspiria, quibus diuina solet conciliari clementia, in sacrificium, in holocaustum offero tibi Domine Iesu lacrymas, quæ ex porta interioris cordis mei proueniunt, adeòq. igneas, & calidas.

Tu Domine dixisti, in Cælo gaudium esse super vno peccatore pœnitentiam agente, ecce ego pœnitens, & contristatus sic ad te ingressus, dicens, Domine salua me, Domine libera me, Domine redime me. Qui & Mariam lacrymis pedes tuos rigantem exaudisti; mihi quoque spem dedisti; ecce Virgo, & Mater tua ante Crucem, & ipsa lacrymosa stans orat pro me dolente, & pœnitente; Domine Iesu per Matris tuæ intercessionem à peccatis meis absolue, fiat, fiat, fiat. Amen.

IN PSALMVM LII.

Dixit insipiens in corde suo: non est Deus.


N superiori Psalmo actum est de peccatoribus: nunc verò de obstinatis in peccato, qui similes bestijs dicuntur, quia Deum esse negant. Vel aliter continuatur hoc modo.

Supra visum est de Doeg Idumæo, de his, qui in iniquitatibus suis gloriantur; nunc quis illorum sit exitus, qui bestijs similes fiunt, Propheta declarat, dicens, quòd insipientes fiunt, quia spes illorum in luto posita, inferiora petunt, & Deum esse negant in cordibus suis. Intelligentia verò in Dei Ecclesia, finis sit Christus iustorum, in quo salus nostra, & vita nostra, sunt enim insipientes sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus, Psalm. 31. de quibus habetur in cap. 2. Sapien. in princ. & numer. 5. Vmbræ enim transitus est tempus nostrum. Venite fruamur, inquiunt, bonis; circumueniamus iustum, quia est contrarius operibus nostris, &c. excæcauit enim illos malitia eorum, & nescierunt sacramenta Dei, ibidem num. 22.

Incipit ergo Psalm. Dixit insipiens in corde suo: non est Deus. Dixit in corde suo; nàm ex facto cognoscitur intentio, opera enim eorum mala sunt; & sequuntur eos. Non audet verbis, quod in corde tenet exprimere, ne contrà illum insurgerent homines, animalia, & elementa.

Sum-

Summa hæc est; Stultorum infinitus est numerus, ideò desideratur Dei aduentus: quibus consonant, quæ dicuntur in Euangelio. Quando venerit filius hominis putas, quia inueniet fidem?

Titulus, In finem, pro Maeleth, intelligentia Dauid. Vt scilicet in Choro cantetur Psalmus, pro intelligentia iustorum, in Ecclesia existentium: vt & ipsi cum Dauide, idest cum Ecclesia dolentes sint de filijs eiusdem perditis, qui vana attendentes, amittunt cælestia: Maeleth enim interpretatur dolens, vel parturiens, & significat Ecclesiam, quæ dolet, refrigescente charitate multorum, & parturit donec Christus formetur in eis. Augustin. Neque enim non parturiens, nec dolens esset, nisi quando dixisset; Saule, Saule, quid me persequeris? quo persequente parturiebat, & conuersum parturire fecit. Namque & ipse posteà illuminatus est, & illis, quos persequebatur membris insertus, eadem charitate prægnans dicebat; Filioli mei, quos iterum parturio donec Christus formetur in vobis, ad Galat. 4. numer. 19.

Iustè plorat iste homo, & dolet iste Maeleth, ista Ecclesia, audiuit enim à capite suo Iesu Christo, quia abundabit iniquitas, & refrigescet charitas multorum, Matth. cap. 24. numer. 12. nàm si multorum refrigescet charitas, quis parturiens inuenietur? quis remanebit, qui pariat? Qui vsque ad finem perseuerauerit, hic saluus erit, dicit Iesus.

Nemo bona tolerare iubetur, dicit Augustin. sed inter molestias, inter turbationes, & tentationes, & scandala, commendatur constantia: Vt vsque in finem perseuerantes salui simus. Gemit enim Ecclesia de his, qui intrà illam sunt, & terrena tantùm sapiunt; de talibus dolet, gemit corpus Christi: Ecclesia scilicet, ad Colossensi cap. 1. num. 24. Qui nunc, inquit, gaudeo in passionibus pro vobis, & adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi, in carne mea, pro corpore eius, quod est Ecclesia, &c. Dolet corpus Christi, quia pauci sunt electi, quamuis multi vocati, pauci sunt parturientes, cum malitia abortiuos fecerit plures: intrà Ecclesiam omnes sunt, sed non omnes ambulant per Christi capitis viam, vt in Ciuitatis ingrediantur portam.

Istud hominum genus, in iniquitatibus, & luxurijs inuolutum in corde suo negans Deum. Dicit enim insipiens in corde suo, non est Deus. Opera enim illorum mala sunt, oculus eius tenebrosus est, quamuis in Ecclesia sit annumeratus; & si lumen, quod in tali est, quia est in Ecclesia, tenebræ illi sunt, ipsæ tenebræ quantæ erunt in illo, Matth. 6. num. 23. Cinis est enim cor eius, & terra superuacua spes illius; & luto vilior vita eius, Sap. 15. num. 11. quoniam ignorat, qui se finxit, & qui insufflauit ei spiritum vitalem.

Vel aliter dicamus, Ecclesiam, Dauidem à Spiritu sancto intelligentiam habuisse in spiritu, quia populus suus, Iudæorum scilicet, insipiens, & brutus inter animalia computandus, vt etiam negaturus esset Deum. Non est enim, dicebat, hic à Deo, qui Sabbata non custodit; & Nunc nescimus; Maeleth interpretatur gens bruta, sine ratione viuentes, qualis fuit Antiochus Græcus, qui cultum Dei auferre conabatur, vt in libro Machab. sicut ea peruersa Iudæorum progenies, qui occiderunt Dei filium, vt ipsi soli dominarentur in populo, & hoc totum propter illorum auaritiam. Propterea confirmatur hic Ecclesia, & exhibetur consolatio. Quòd hæretici quidem erunt, de hoc hominum genere, illorum tamen exitus mors erit. Quod autem sit inter bruta animalia,

com-

computandus iste negans Deum, probat S. Petr. 2. cap. 2. num. 12. Hi velut, inquit, irrationabilia pecora naturaliter in captionem, & in perniciem in his, quæ ignorant, blasphemantes, in corruptione sua peribunt, percipientes mercedem iniustitiæ, &c. & num. 16. corruptionem verò suæ vesaniæ subiugale mutum animal, hominis voce loquens.

De hoc tamen hominum terrenorum genere dolet Ecclesia, quantò magis magnatorum deplorat inscitiam, quia claudunt regnum Cælorum ante homines, ante pusillos, falsa, & peruersa docentes, vt pœnarum socios habeant? Vndè dicebat Iesus, Matth. cap. 23. num. 13. Væ vobis, &c. quia clauditis regnum Cælorum ante homines; vos enim non intratis, nec introeuntes sinitis intrare. Omnes inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum, Psalm. 13. num. 3. Vndè Ierem. cap. 5. num. 4. Ego autem dixi, forsitan pauperes sunt, & stulti ignorantes viam Domini, iudicium Dei sui; Ibo igitur ad Optimates, & loquar eis, ipsi enim cognouerunt viam Domini, iudicium Dei sui, & ecce magis hi simul confregerunt iugum, ruperunt vincula, idcircò percussit eos Leo de sylua.

Dixit ergo insipiens in corde suo, non est Deus. Sed, si insipiens tale dixit, cæteri hominum contrarium verius dicent, ergo pauci erunt, qui Deum esse negare audeant; nàm vnus tantum insipiens dixit, non est Deus, etiamsi plures insipientes in numero plurali dixisset Dauid, idipsum verum esset; quia vt dixit August. Difficile est, vt incurramus in hominem, qui dicat, non est Deus, nàm & illum esse Dæmones confitentur, & contremiscunt. Innumeri nihilominus, qui factis id asserunt, vndè si sequentia Psalmi verba consideremus, non Deum negantem, sed opera mala facientem intelligit Dauid; propterea sequitur.

Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in studijs suis, non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum. Augustin. hìc. Inuenitur esse in pluribus, quod in paucis, & raris, & penè in nullis esse putabamus. Prodeant in medium, qui malè viuunt, inspiciamus facta flagitiosorum, facinorosorum, sceleratorumq; hominum, quorum magna est turba: qui fouent quotidie peccata: qui factis in consuetudinem versis etiam verecundiam perdiderunt: hæc tanta hominum multitudo est; vt inter eos positum corpus Christi vix audeat reprehendere, quod non cogitur admittere; & pro magno sibi putet seruari integritatem innocentiæ, ne faciat quod culpare iàm per consuetudinem, aut non audeat, aut si ausus fuerit, facilius erumpat reprehensio, & reclamatio eorum, qui malè viuunt, quàm vox libera eorum, qui benè viuunt, & isti tales sunt, qui dicunt in corde suo, non est Deus.

Docet nos Petr. in 2. sua Epistol. cap. 2. qui dicantur negare Deum, num. 1. dicens. Fuerunt verò & Pseudoprophetæ in populo, sicut & in vobis erunt magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis, & eum, qui emit eos, Dominum negant, superinducentes sibi celerem perditionem; & multi eorum sequentur eorum luxurias, per quos via veritatis blasphemabitur.

Benè dicit Titulus huius Psalmi, Intelligentia pro Dauid, pro Ecclesia aduersus Maeleth, pro sectis, & impietatibus Hæreticorum Deum blasphemando negantibus, vt illos tamquam bestias, & pecora in captiuitatem posita segregatos ab Ecclesia significet, ore Deum isti confitentur, corde verò negant, vt

Petr.

Petr. supra dicto cap. 2. in princ. de publicis verò hæreticis, quos mendaces vocat, Ioan. 1. cap. 2. num. 22. Quis, inquit, est mendax, nisi is, qui negat, quoniam Iesus est Christus? hic est Antichristus, qui negat Patrem, & Filium. Omnis, qui negat filium; nec Patrem habet; qui confitetur filium, & Patrem habet. Nec partem habere debemus cum illis; nec aue dixeritis, inquit Ioan. 2. cap. vnico, Deum non habet, qui non permanet in doctrina Christi, & doctrinam Christi non afferentem, nolite, inquit, recipere eum in domum, nec aue ei dixeritis. Tales Deum esse negant in corde suo: facta enim sua Deo placere arbitrantur, nàm vsque adeò credunt esse Deum, vt eidem Deo arbitrentur placere, quod iniquè faciunt; non enim putant, eum esse Deum, qui putant Deo placere mala. Quia si Deus est, ergo iustus; si iustus, iniustitia sibi displicet, & iniquitas; si ergo putas, Deo placere iniquitatem, negas Deum, cui iniquitas displicet, & ità tu negas Deum.

Corrupti enim, & abominabiles erant; ideò dixerunt, non est Deus, Sap. dicto cap. 2. Apud se enim dixerunt, non rectè cogitantes. Cœpit enim corruptio à mala fide, inde in turpes mores itur, inde in acerrimas iniquitates, gradus enim sunt, dixit Augustin.

Vndè Apost. 1. Corinth. cap. 15. num. 32. Si secundum hominem ad bestias pugnaui Ephesi, quid mihi prodest, si mortui non resurgunt. Manducemus, & bibamus, cras enim moriemur. Vana est ergo fides istorum, quia non credunt resurrectionem mortuorum, nec Christum à mortuis resurrexisse, qui ideò mori voluit, vt hominum peccata deleret; sed si gloriaris in iniquitate, non credis, Dominum Iesum ideò passum fuisse, aut resurrexisse; ergo Deum negas, qui ideò venit, vt non esset in nobis iniquitas, & vt peccata nostra tolleret, 1. Ioan. cap. 3. num. 4. Isai. 53. num. 5. Ipse enim vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra, disciplina pacis nostræ super eum, & liuore eius sanati sumus. Omnes nos errauimus; Vnusquisque in viam suam declinauit, & posuit in eo iniquitatem omnium nostrum, &c.

Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in iniquitatibus, non est qui faciat bonum. Corrupti enim sunt, quia errantes à fide infidelss facti, & iniqui, 1. Ioan. cap. 3. num. 4. Omnis, qui facit peccatum, & iniquitatem facit, & peccatum est iniquitas: ideò in magno viuentes inscientiæ bello, tot, & tàm magna mala perpetrantes pacem appellant. Nemo enim, dicunt, nostrum exors sit luxoriæ nostræ; quoniam hæc est pars nostra: & hæc est sors, Sapien. dicto cap. 2. num. 9. & num. 6. Venite ergo, & fruamur bonis, quæ sunt. Malum, bonum appellantes, & bonum, malum, Isai. cap. 5. num. 20. Ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras; ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum, &c. Et hos Petrus vocat fontes sine aqua: & nebulas turbinibus exagitatas; quibus caligo tenebrarum reseruatur; libertatem alijs permittunt, cum ipsi sint serui corruptionis, 2. Petr. dicto cap. 2. num. 17. cum seqq. Quæ autem sint mala, quæ faciant, & talibus eueniant, enumerat Sap. cap. 14. numer. 22. cum seqq.

Corrupti ergo sunt, quia Deum non esse in corde suo dixerunt; nàm relinquentes Deum, fornicantur post Deos populorum terræ, &c. 2. Paralip. 5. n. 25. & in omnes alias bonorum corruptiones inciderunt; corrupti sunt, quoniam ignorant, qui ipsos finxit, & inspirauit illi animam, quæ operatur, & qui

insufflauit ei spiritum vitalem. Sed æstimarunt, lutum esse vitam nostram, & conuersationem vitæ compositam ad lucrum, & oportere etiam ex malo acquirere, Sap. 15. num. 12.

Corrupti sunt, quia à fide recesserunt, 1. Corinth. cap. 11. num. 3. Timeo, inquit, ne, sicut serpens Euam seduxit astutia sua, ità corrumpantur sensus vestri, & excidant à simplicitate, quæ est in Christo; hoc est, vt dicit Gloss. ibi; Timeo, ne corrumpantur sensus vestri à simplicitate, idest à Paradiso simplicis fidei, quæ nihil alienum recipit. Quorum fides corrumpitur, à Paradiso eijciuntur, expellitur enim Christus per mendacium, cum ipse sit ipsa veritas, Ioan. 1. cap. 3. num. 18. & cap. 5. num. 6.

Intelligentia ergo opus est, atque vigilantia, ne per Hæreticos corrumpatur Ecclesia à virginitate fidei, quam gestat in corde, 1. Ioan. cap. 4. num. 4. Omnis spiritus, qui soluit Iesum, ex Deo non est, & hic est Antichristus, de quo audistis, quoniam venit, & nunc iàm in mundo est, qui enim resistunt veritati, homines corrupti mente, reprobi circà fidem, 2. Timoth. cap. 3. numer. 8. Hi etiam fuerunt Iudæi reprobi, qui propter eorum superbiam, Christum humilem iacentem negauerunt esse Messiam, & ideò corrupti sunt, Tertullian. 3. contrà Marcion. Iudæi negant Christum venisse, quia non in sublimitate venerit: & Chrysostom. in homil. 2. in Act. Apostol. Messiam quærebant, qui ditare, non qui sanare posset, immo quia mitis, & humilis, ad erigendos electos homines venit, in ipsum, veluti humi iacentem, immo lapidem humilem offenderunt, attamen lapis iste ab eis reprobatus, factus est in caput anguli; & super eos cadens, eosdem contriuit, & comminuit; vt non nisi dilacerati, ac discussi in toto terrarum Orbe valeant consistere, Augustin. in Tract. 4. in Ioan.

Vndè Dominus in Deuteron. 28. num. 45. Dispergat te Dominus in omnes populos, à summitate terræ, vsque ad terminos eius, &c. In gentibus quoque non quiesces, neque erit requies vestigio pedis tui, dabit enim tibi Dominus cor pauidum; & deficientes oculos, & animam consumptam mœrore, &c.

Dixit insipiens in corde suo, non est Deus. Cui hæc dixit? quia nec Deum habere volebat superiorem propter superbiam suam. O insipiens, & superbe: Lucifer, qui mane oriebatur; similem Deo esse volebat, tu illo magis elatus Deum socium habere recusas? peior Diabolo es, & ideò cum illo ad inferos deducta est superbia tua, Isai. cap. 14. num. 11. cum seqq. Et si ille, qui lucifer Deum confitebatur, ad inferos detractus in profundum laci: quid de te erit, qui in corde tuo Deum esse negas? De sepulchro tuo proijcieris, quasi stirps pollutus, & obuolutus cum his, qui interfecti sunt gladio, & descenderunt ad fundamenta laci, Isai. dicto cap. 14. num. 19. Quid superbiæ iniquitas, cum sit via, & dux, quam cætera vitia sequuntur? vt latius in Psalm. 33. diximus: & initium esse omnis peccati, dixit D. Bernard. in Serm. 2. de Sancto Andrea, & causa totius perditionis. Propterea, inquit, quisquis es, qui salutem tuam operari studeas, aduersus eam super caput tuum, signum Crucis habere memento, & non eleueris in superbiam, vt non exaltetur cor tuum. Et in libro de Interiori domo, cap. 41. Superbia sicut origo est omnium criminum, ità est ruina omnium virtutum: & Ambros. in Serm. 7. in Psalm. 118. & Gregor. lib. 31. Moral. cap. 31. vbi ait, Ipsa vitiorum regina superbia,

cum

cum deuictum planè cor cœperit, ſtatim illud ſeptem principalioribus vitijs quaſi quibuſdam ſuis ducibus deuaſtandum tradit, quos duces vniuerſus vitiorum exercitus ſequitur. Et Auguſtin. in dicto Pſalm.35. ſuper illud Geneſ.3. numer.15. Ipſa conteret caput tuum, & tu inſidiaberis calcaneo eius; inquit, Eccleſia obſeruabit caput tuum, & tu calcaneum eius ſerpens obſeruabis, quando veniet tibi pes ſuperbiæ, quando laberis, vt deijciat. Tu autem caput eius obſerua, quia initium omnis peccati ſuperbia; ibi ceciderunt, qui operantur iniquitatem.

Intelligentia ergo Dauid pro Maeleth; pro Chriſtianis dolentibus cæteros, qui ad peccandum ſunt perſeuerantes, eorum lugentibus caſum, ne & ipſi, quia ſibi iuſti videantur, in ſuperbiam elati perdantur. Dicebat enim ille Phariſæus, Gratias tibi ago Domine, quia non ſum ſicut cæteri hominum, &c. & ſicut iſte Publicanus. Ieiuno bis in Sabbato, &c. Publicanus tamen iuſtificatus, ille damnatus inuentus eſt, Luc. cap.18. num.11. Omnis enim qui ſe exaltat, humiliabitur, & qui ſe humiliat, exaltabitur, & propterea dicebat Apoſt. Paul. 1.Corinth. cap.12.nu.7. Ne magnitudo reuelationum extolleret me, datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ, Angelus Satanæ, qui me colaphizet. Propter quod ter Deum rogaui, &c. & dixit mihi, ſufficit tibi gratia mea; nàm virtus in infirmitate perficitur. Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis.

O venenum, exclamat Auguſtin. in Sermon.4. de Verb. Apoſtol. litera E. fol.85. ò venenum, inquit, quod non curatur niſi meritò, datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ, Angelus Satanæ; qui me colaphizet, caput cædebatur, ne caput extolleretur, ò antidotum quod de ſerpente conficitur, & propterea Theriaca nuncupatur. Serpens enim ille ſuperbiam perſuaſit, Geneſ. dicto cap.3. Guſtate, & eritis ſicut Dij, ſuperbiæ perſuaſio eſt, vndè cecidit, inde deiecit, meritò ergo ſic venenum ſerpentis ſanatur, quod ait Apoſtolus, Ter Dominum rogaui, vt auferret à me; Vbi eſt, Adhùc te loquente, dicam, ecce adſum: Propter quod non ſemel, ſed iterum, & tertiò rogaui Dominum. Nonnè tunc & ipſe dicebat, & tu Domine vſquequò? ſed nunquid quia differebat, inde non aderat, & falſum erat, adhùc te loquente, dicam, ecce adſum? Quid ne Medicus quando dat, quod deſideras adeſt, quando ſecat non adeſt? nonnè ſub Medici ferramento clamas, vt parcat? & quia magis adeſt, magis ſecat. Denique vt ſcias, quia aderat, vide, quòd ter roganti reſpondit; Dixit, inquit. mihi, ſufficit tibi gratia mea, nàm virtus in infirmitate perficitur, ego, inquit, nonnè Medicus optimus, ego, inquit, in quem tumor pergit, cum volo ſanare: quieſce adhibeam, quod ſcio: ſufficit tibi gratia mea, non tibi ſufficit voluntas tua: hæc enim erant vtique verba certantis, & in certamine periclitantis, & diuinum auxilium poſtulantis: Triumphantis verò verba quæ erunt? Verba certantis dum domus ædificatur, ſequuntur verba triumphantis, cum domus in Altare dedicatur, hæc ſunt Auguſtini verba: ad intelligentiam Dauid, Eccleſiaſticarum ſcilicet animarum prolata. Ne deplorantes perſequentium turbas hæreticorum, quia non conuertantur, de gratia Dei deſperemus. Ipſe enim Dominus Ieſus nobiſcum eſt, vſque ad conſummationem ſæculi omnibus diebus, Matth.cap.28.nu.20. oportet enim hæreſes

esse, dicebat Paulus, 1. Corinth. 11. num. 19. vt virtus nostra in infirmitate perficiatur.

Vel aliter dicamus. Intelligentia pro Maeleth, & tu clamas, quia in corde tuo non negas Deum. Cæteri in profundum iniquitatis, idest in superbiam, quæ est omnium iniquitatum caput, ne inter eos, qui non faciunt bonum, & tu reperiaris.

Deus de Cælo prospexit super filios hominum, vt videat si est intelligens, aut requirens Deum; Versiculus iste declarationem recipit ab illo, quod habemus in Eccles. cap. 15. num. 14. Deus ab initio constituit hominem, & reliquit eum in manu consilij sui. Corrupta erat omnis terra, Genes. cap. 6. num. 5. & 11. Iàm omnis caro viam suam corruperat coram Deo, & repleta erat terra iniquitate, Genes. cap. 6. num. 11. Benedixit Dominus Noe, & semini eius, aliqua eis dans documenta, ex quo Abraham, Isaac, Iacob, & alij à Deo benedicti procreati sunt.

Verùm quia malitia creuit hominum: & ex populo Iudæorum etiam infiniti, legem Dei abiecerunt, & vinea Domini facta est deserta, Isai. cap. 5. adiecit Dominus præcepta, & mandata sua, Eccles. dicto cap. 15. num. 16. mittens filium suum Vnigenitum, qui omnium, vt diximus supra, morte sua peccata deleret, cuius sermo viuus est, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti; & pertingens vsque ad diuisionem animæ, & spiritus, compagum quoque, & medullarum, & discretor cogitationum, & intentionum cordis, ad Hebr. cap. 4. numer. 13. Hunc reliquit sermonem Deus, & per Apostolos suos prædicari iussit.

Ipse verò à mortuis resurgens ascendit in Cælum, & apud Patrem stat, vt interpellet pro nobis, stat ergo respiciens: vt tu sermonem eius retinens, teipsum cognoscas à Deo illuminatum, quia te aspicit, & de Cælo in te speciali fauore respexit Deus. Nàm aliàs Dominus, cuius sapientia multa est, & qui fortis est in potentia videt omnes sine intermissione; oculi enim Domini ad timentes eum: & ipse cognoscit omnem operam hominis, Sap. d. cap. 15. n. 20. & Psalm. 33. nu. 16. & non est vlla creatura inuisibilis in conspectu eius: omnia enim nuda, & aperta sunt oculis eius, ad Hebr. d. cap. 4. num. 13.

Deus ergo de Cælo respexit te, vt tu gratia sua in illum respiciens, teipsum sanatum confitearis.

Et notandum est, quòd intelligentiam in Ecclesia Dei tantùm esse demonstrat Dauid: nàm cum in titulo sit, Intelligentia Dauid super Maeleth, & in hoc vers. 3. super filios hominum respexisse Dominum, si inter illos intelligens, aut requirens Deum esset, & in vers. 4. dicat, Non esse facientem bonum, neque vsque ad vnum, ergo extrà Dauid, extrà Ecclesiam, non est intelligentia, neque diuinarum Scripturarum vera scientia aliqua.

De Cælo igitur, idest de Ecclesia Dominus respexit, & non inuenit intelligentiam, neque ex filijs hominum, qui sunt extrà illam.

Inutiles enim facti sunt, quia omnes declinauerunt ab Ecclesia Hæretici facti, & Gentiles, & non est vsque ad vnum, qui extrà Ecclesiam sit requirens Deum: nàm qui per ostium non intrat, fur est, & latro, Ioan. 10. num. 7. Et quomodò potest dari intelligentia, vbi non est intellectus? & lumen, vbi sunt

tenebræ? Isai.7.num.9. si non credideritis, non permanebitis, non intelligetis, legunt Septuaginta Interpretes, & Augustin. in lib.1. de Libero Arbitrio, cap.7.num.8. Deus facit credentes intelligere: in lumine enim tuo, inquit, videbimus lumen, Psalm.35.num.10. Si negant Christum, qui est lumen, quomodò sine lumine habere possunt intellectum? Ioan.cap.1. & c.3.nu.19. Lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem: quia opera eorum mala erant; August. lib.10. de Ciuit. Dei, cap.32. lit. C. fol.114. Qui non credunt, non intelligunt, oppugnare possunt, sed expugnare nõ possunt.

Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt. De malis Christianis, qui in malo perseuerant, & ab illo, quod est bonum recesserunt; non enim declinat, nisi, qui prius stabat, sic anima recedens à luce iustitiæ, quantò magis quod inuenitur contrà iustitiam, tantò plus repellitur à lumine veritatis, & in tenebrosa demergitur, ex August. in d. lib.19. de Ciuit. Dei, cap.32. & Psal.62. litera F. Stultus, inquit, est qui non vult credere pauca, quæ restant; hoc enim totum, quod videtis, scriptum est per immensa volumina annorum, per istos, quos modò legimus, quando iàm scripta sunt, & alia, quæ non venerunt; quia Dominus noster Iesus Christus venturus est, vt iudicet, qui primò venit, vt iudicaretur.

De scientia autem, intelligentia, & prudentia, vide latiùs quæ ab Augustino scribuntur in lib.9. in Speculo Peccatoris, Tract.18. fol.378. cap.2. & c.3. super illa verba: Vtinam saperent, & intelligerent, & nouissima prouiderent, Deuter.32.num.29. ibi.

Non est ergo homo intelligens, nisi sit in iustorum Ecclesia persistens: & non est in iustorum Ecclesia persistens, qui peccatis inuolutus, & in luto totus positus, non resipiscit pœnitens: propterea Deus respexit super filios hominum, vt illius aspectu, & illius passionis recordati declinantes à peccatis ad ipsum redirent: vel renitentes, magis in iudicio punirentur. Extrà ergo illam Ecclesiam non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum, Ierem.5. in princ. Circuite vias Ierusalem, & aspicite, & considerate, & quærite in plateis eius, an inueniatis virum facientem iudicium, & quærentẽ fidem, & propitius ero ei, &c.

Nonnè scient omnes, qui operantur iniquitatem, qui deuorant plebem meam, vt cibum panis? Mich.c.3. Audite Principes Iacob, &c. qui violenter tollitis pelles eorum, & carnem eorum desuper ossibus eorum, qui comederunt carnem populi mei, & pellem eorum desuper excoriauerunt: quia scilicet corrupti sunt, & abominabiles facti sunt; scientia illis deficit, sapientia in illis, nec prudentia reperitur.

Nàm si scirent, nonnè vitam præsentem fugitiuam, periculosam, atque breuem, miserijs plenam, vanitatibus subiectam, peccatorum sordibus pollutam, in breui perituram considerarent? nonnè quia mortales sunt, & ex genere terræ, de qua prius facti sunt, cognoscerent, Sap.cap.7. in princ. & per totum: si nudus es natus, & nudus, & cum labore hinc exiturus in terram reuerteris, Quare quantum ingressus tuus sit flebilis, & horribilis egressus tuus non intelligis? si talis te consideras, & talem te esse cernis, cur cum Propheta supplex Deum non oras; dicens.

Notum fac mihi Domine finem meum, & numerum dierum meorum, vt sciam, quid desit mihi. Vtinam saperes, profectò de præteritis amara esset recor-

datio peccatorum. Nonnè amarum est propter peccata tuà Deum dereliquisse tuum, & longè factum esse ab illo, qui tibi vitam dare paratus est? Ierem. cap. 2. num. 19. si præterita sunt amara, quare præsentia non fugies, non euitabis: ne culpa grauiori pœnas grauiores incurras? cur culpam non fugies, & amaritudinem propter illam amplius non senties? Cur nouissima tua non memoraberis, vt à culpa euadas immunis, Eccles. cap. 7. num. 41. quia ità in æternum non peccabis; Cur de supplicio ante supplicium non cogitas, vt supplicij effugias periculum? si intelligeres, quæ sint nouissima tuæ carnis, nonnè luxuriæ inquinamenta deuitares? sed si de carne tua in puluerem reuersura intelligentiam habeas, vt euites peccata, quid erit, si considerabis qualiter permansura sit anima tua post egressum de corpore tuo; nàm si malè in vita egeris, in profundum miseriæ anima tua demergetur, & corpus. Vtinam saperes, & futura præuideres, quia soli Deo seruire, hoc optimum esse intelligeres. Frater non redimit, redimet homo? non dabit Deo placationem suam, Psalm. 48. num. 8. vbi latius diximus, non est qui consoletur illam. In malignitate tua consummeris, vt nunquam in consummatione deficias, Sap. 5. num. 13.

Nonnè scient omnes, qui operantur iniquitatem, quia ego filius Dei eram ex signis, & miraculis. Excusationem habuissent, si signa, & alia miranda coram eis non fecisset Iesus; Cæci enim vident, claudi ambulant, mortui resurgunt, pauperes euangelizantur, &c. Matth. cap. 11. num. 5. & vox de Cælo descendit, Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui, ipsum audite, Matth. 17. num. 4.

Propterea erat ille docens in templo, sicut potestatem habens, & non sicut Scribæ, & Pharisæi, Matth. 7. num. 29. Non sicut Pharisæi dixit, quia illi plebem Domini deuorabant, vt cibum panis, vt hìc. Fecerant enim illi domum Dei, latronum speluncam, Matth. cap. 21. quos eiecit de Templo, num. 12. cum seqq. comedunt enim domus Viduarum, Matth. 23. num. 14. Marc. 12. nu. 40. sub obtentu prolixæ orationis. Nonnè scient? nonnè venit Iesus, & cum eis locutus est? Ioan. 15. nu. 22. & cum operentur iniquitatem, excusationem non habent de peccato, Ioan. vt supra, nàm contrà illorum auaritiam prædicabat Iesus, Matth. vt supra.

Tales enim hominum filij sunt, & propterea Deum non inuocauerunt, quia opera illorum mala erant; trepidare enim simulabant Romanos, si Iesum admisissent, ne regnum illorum, & auaritia tolleretur; nàm dicebant, Venient Romani, & tollent regnum nostrum, Ioan. cap. 11. nu. 48. Trepidauerunt vbi non erat timor; non enim venerat eripere mortalia, qui ideò venit vt regna daret cælestia. Effectus est enim filius Dei particeps nostræ mortalitatis, vt mortalis homo fieret particeps immortalitatis eius, inquit Augustin. Ideò communicauit nobis mala nostra, quando nobis bonum suum prius se daturum communicauit; qui vbi promisit diuinitatem, ostendit nobis charitatem. Quare ergo quæ sunt filij hominis non tollemus, vt filij Dei efficiamur? Quare populum Dei deuorare cupiunt infideles Hæretici? nisi, vt illi de Dei populo, qui prius erant filij hominum, filij Dei effecti, in patientia, sicut aurum in igne probentur? Sustinete ergo, ò filij Dei, hominum filiorum iniurias, tribulationes vobis illatas, vt sicut filij Dei, in regnum cum Deo iubiletis, & regnetis.

Vos verò hominum filij, qui plebem Dei deuoratis. Quid vobis proderunt exteriores diuitiæ. Si vos interior præmit egestas? Dominum confitemini, vt diuitias det vobis: seù, ne diuitias amittatis, vel ne terrena perdatis. Non est inuocare Deum, qui talia petitis; non est timore corripi, si talia amittatis. Timete Deum, ne longè sit à vobis; timete Deum, ne sapientiam amittatis: si filios Dei esse cupitis, timorem Domini discatis, eleuamini à terrenis, quia terra estis, ne oppressi ab alia terra, opprimamini, vt amplius, ad cælestia considerãda prohibeamini.

Deum non inuocauerunt, dicit Psalm. quia vt dicit Augustin. Deus se vult gratis coli, gratis se vult diligi, hoc est castè amari; non propterea se amari, quia dat aliquid præter se, sed quia dat se. Si ergo vt diues fias, Deum inuocas; quod ad te vis venire inuocas, non Deum, sed diuitias; hoc enim dicitur inuocare, quod vocat in se.

Quoniam Deus dissipauit ossa eorum, qui hominibus placent, confusi sunt, quoniam Deus spreuit eos. Nos filij Abrahæ sumus, dicebant Iudæi; non ex fornicatione nos nati sumus; Vnum Patrem habemus Deum, Ioan.8.num.41. Quomodò Deum Patrem habetis, si opera hominum facitis? si neci innocentis filij Dei consensistis? si metu terrenorum amissionis, Cælorum bonorum exules facti estis? si sermonem Dei audire recusastis? nec loquelam eius adhùc cognoscitis?

Propterea Deus dissipauit ossa vestra. Fortitudinem vestram, idest audaciam, & temeritatem vestram, quia opera Diaboli perficere voluistis, occidendo Iesum, Ioan.d.cap.8.num.43. Qui enim facit peccatum, ex Diabolo est, vt ibi, & 1.Ioan.cap.3.num.8. & In hoc apparuit gloria Dei, vt dissoluat opera Diaboli, num.9. ibidem Ioan. & num.10. In hoc manifesti sunt filij Dei, & filij Diaboli, omnis enim qui non est iustus, ex Diabolo est, non est ex Deo.

Herodes, Principes Sacerdotum, & tu Pilate inique hominibus placere procurastis, propter quod iustam sententiam proferre renuistis? non propter Deum timorem habuistis, quia Deum Redemptorem occidistis, ergo propter homines. Sed quare propter homines? nisi quia temporalia amittere dubitastis: quia propter inuidiam petijssent vt Christus crucifigeretur; & tu iniuste Iudex culpam in Iudæos instantes referens te à pœna liberatum putabas.

O iniqui, ò scelestes, sanguinem eiusdem Iesu Christi, super petram limpidissimam, ne operiretur dedistis, non super terram, vt posset operiri puluere, vt Domini indignationem superinduceretis, quæ acriori vindicta vlcisceretur in vobis. Immunditia vestra execrabilis, quia à sordibus vestris nunquam estis mundati. Populus clamauit, vt Barabbam dimitteret, & Iesum crucifigeret; quia Principes, & Sacerdotes ità illum instruxerant. Et ecce posita est olla, congesta sunt frusta tua in eam, omnem partem bonam, fœmur, & armum, electa, & ossibus plena, pinguissimum pecus assumptum, & strues ossium composita sub ea: efferbuit coctio eius. & discocta sunt ossa illius in medio eius, Ezech.cap.24.num.4. cum seqq. & Deus ossa illa dissipari mandauit; ideò dicit Psalm.

Quoniam Deus dissipauit ossa eorum, qui hominibus placent, confusi sunt, quoniam Deus spreuit eos. Immunditia enim illorum execrabilis fuit, à qua Dominus illos mundare voluit, & noluerunt, Ezech. vt supra numer.13. sed

quid per ollam? quid in ea frusta, & pinguissimum pecus, &c. quid per ossa discocta? nisi quia & populus, & nobiles, potentesq. & principes vestri omnes à Romanis quasi in ollam congesti igne combusti, & occisi, bonaq. vestra, per quæ metus erat in vobis, consumpta, dilapidata: tandem in inferni olla, aqua lacrymarum plena positi quotidie cruciantur, ossa verò potentes scilicet, & principes discocti, dissipati, potenter afflicti, & cruciati, continuò puniuntur.

Vndè Sap. 6. num. 6. Quoniam, inquit, cum essetis ministri regni illius, non rectè iudicastis, nec custodistis legem iustitiæ: neque secundum voluntatem Dei ambulastis; horrendè, & citò apparebit vobis, quoniam iudicium durissimum his, qui præsunt, fiet; exiguò enim conceditur misericordia, potentes autem potenter tormenta patientur. Non enim subtrahet personam cuiusquam Deus, nec verebitur magnitudinem cuiusquam, quoniam pusillum, & magnum ipse fecit, &c. & æqualiter cura ei est de omnibus, fortioribus autem fortior instat cruciatio; hæc ibi, & Mich. cap. 3. num. 1. Audite Principes domus Israel, Nunquid non vestrum est scire iudicium, qui odio habetis bonum, & diligitis malum, &c. qui comedunt carnem populi mei, & pellem eorum desuper excoriauerunt, &c.

Quoniam Deus dissipauit ossa eorum, qui hominibus placent, qui carnalibus affectibus immerguntur, qui voluptatibus, & vanitatibus huius mundi incumbunt. Quid est enim homo, nisi vanitas? & sine spiritu Dei, caro, & sanguis, ideò bestijs similis: Vndè ad Galat. cap. 1. numer. 10. si adhùc hominibus placerem, Christi seruus non essem: Caro enim, & sanguis regnum Dei possidere non possunt, 1. Corinth. 15. num. 50.

Quis dabit ex Sion salutare Israel? cum conuerterit Dominus captiuitatem plebis suæ, exultabit Iacob, & lætabitur Israel. Scriptum est Mich. 5. nu. 2. Christum in Sion nasci, Et tu Bethlehem Ephrata terra Iuda, Matth. 2. n. 6. Ioan. 7. nu. 41. De Bethlehem Castello, vndè erat Dauid, venit Christus; si ergo ex Sion salus ex Iudæis, quomodò in corde dicitis, non est Deus? Hunc nescimus, Vndè sit; quomodò nescis, vndè sit, si iste salutem Mundo attulit solus, cum in Bethlehem natus sit? ergo ipse est Deus, quem Iudæi nunc colaphis meritò cæsum, captiuum, & in Cruce positum, atque illusum asseritis, qui adhùc increduli estis, negantes illum esse Deum: Ipse captiuitatem gentis, & plebis suæ auertit, sed quis populus Dei? quæ gens illius? nisi, qui verbum Dei suscipientes crediderunt in illum, Isai. 43. num. 7. & cap. 60. nu. 21. Populus meus omnes iusti: posuit illum Dominus in lucem gentium, Isai. 49. num. 4. Act. Apost. 13. nu. 47. Exultabit ergo Iacob, quia maior seruiuit illi, quia domus eius ambulauit in lumine Domini, Isai. 2. nu. 5. & lætabitur Israel, Ecclesia Dei, quia lumen Israel erit in igne, & sanctus eius in flamma, Isai. 10. nu. 17. Et reliquiæ conuertentur, reliquiæ inquam, Iacob ad Deum fortem. Lætabitur Israel, quia tunc repleta erit scientia Domini, quando radix Iesse illa, quæ stat in signum populorum, ipsum Gentes deprecabuntur; & erit sepulchrum eius gloriosum, Isai. 11. n. 10. Lætabitur Israel, quando, quibus non est annunciatum de eo, videbunt, & qui non audierant, intelligerent, Isai. 52. in fine, ad Roman. 15. num. 21. Leuabit enim signum in nationes, & congregabit profugos Israel, Isai. d. cap. 11. nu. 16.

SOLILOQVIVM.

ECCE Domine Iesu, populus tuus, qui insipiens te Deum non cognoscebat, & in corde suo passionem tuam stultitiam fuisse credebat, & propterea item in corde dicebat, iste non est Deus, neque filius Dei, cum tamquam malefactorem eum mori in Cruce voluisti: Nos quoque in iniquitatibus abominabiles, & corrupti, quatenus filij hominum ignorabamus te venisse, nosq. respexisse, vt tuos Deiq. filios faceres. Neque enim inuenisti qui ex nobis faceret bonum: Tanta namq. tum extitit bonitas, vt de Cælo super nos hominum filios prospexeris: quum non esset qui te requireret, & Deum te esse intelligeret, nec vel vnus reperiretur; qui faceret bonum; omnes enim declinantes, & inutiles facti eramus: haud populus tuus errantes. Nunc ergo quia ipse peccata nostra tulisti; populus tuus facti sumus, filij tui creati, & redempti. Sanè quod operabamur malum extitisse fatemur. At Iudæi malum facere prosequentes, vel ab initio Ecclesiæ, plebem tuam, vt cibum panis deuorabant; quia nec te Deum inuocauerunt, te negantes, & crucifigentes, propterea quod opera eorum mala reprehendebas: & viam Cælorum, qualis esset, illos docebas; cum magis temporalia quærerent, quàm cælestia: & ne amitterent terrena, trepidabant, vbi non erat timor; quando tu Domine veneras; non vt illos perderes, sed vt redimendo saluares. Et ecce (proh dolor) qui talia trepidabant, qui hominibus placere studuerunt confusi remansere; quia tu Domine illos spreuisti. Et ossa eorum dissipata sunt, hoc est Synagoga illorum, & Sacerdotium, templum, & alia sublata, igne consumpta, atque dispersa; & mensa eorum facta est in laqueum, & in captionem, & in scandalum. Et obscurati sunt oculi eorum, ne videant; & dorsum eorum semper incuruatum. O vos iniquos, ignorare satagentes, quis daturus erat ex Sion salutare Israel? Nonnè is datus à Deo fuit quem vos ipsi in manibus tenuistis, & Cruci affixistis? nonnè oportebat ità pati Christum, & ità intrare in gloriam suam: O Domine Iesu, qui à nobis credentibus, & te Deum confitentibus captiuitatem auertisti nostram, fac semper nos in fide existentes permanere, & benè operari; vt populus maior iam seruiat minori populo tuo, vt scilicet exultet verus Iacob, & lætetur verus Israel; Ecclesia tua sancta, quando populi Hæreticorum, & Iudæorum extra illam per Euangelij prædicationem illuminati credent te Dominum Deum, & te Vnicum cognoscent Pastorem, & Redemptorem. Et quò hilarior sit exultatio Iacob, & lætitia Israel, fac Domine, vt reliquiæ Israel saluæ sint: & fiat vnum ouile, & vnus Pastor: per merita Sancti Marci Euangelistæ, cuius hodie festum colimus. Succurrite nobis Sancti Petre, & Paule, & omnes Apostoli, & Euangelistæ, vt Ecclesia toto Orbe terrarum diffusa lætetur, vt in mundo vna tantùm sit fides Domini, vna fidelium Ecclesia. Fiat Domine Iesu per merita Passionis tuæ, per Beatissimæ Virginis Matris Mariæ intercessionem. Amen.

IN PSALMVM LIII.

Deus in nomine tuo saluum me fac: & in virtute tua iudica me.



ITVLVS. In finem, in Carminibus intellectus Dauid, cum venissent Ziphæi, & dixissent ad Saul, nonnè Dauid abscóditus est apud nos? Historia, ex 1. Reg. cap. 23. num. 19. & cap. 26. nu. 1. Iram Saulis fugiens Dauid ad Ziphæos se vertit; Erant enim isti de eadem tribu Dauid, scilicet de tribu Iuda, Iosue cap. 15. fugit ad homines, & incidit in vitæ periculum, voluerunt enim illi Ziphæi tradere illum Sauli Regi inimico, tradere eum Diabolo, pro quo hìc sumitur Saul. In homine spes sua erat, & quia in homine confidebat, maledictioni ei subiectus erat, de qua Ierem. cap. 17. num. 5.

In finem in Christum intellectum habuit Dauid, vt in Psalmis, in Carminibus Deo laudes offerret, & in illo adiutorium suum poneret, & ecce quia periculum euitat, immo inimicum Saulem ità in manibus habuit, vt si vellet, occidere eum posset, in sua potestate erat, præcederat enim oram Chlamydis Saul, ostendens, se nolle eum occidere, cum posset, vt in d. cap. 26. num. 1. Documentum, vt in tribulationibus, non in hominibus, sed in Deo sit spes nostra, & ad illum sit refugium nostrum, maledictus enim qui confidit in homine, Ierem. d. c. 17. nu. 5. Propterea in finem sit intellectus noster, dicit titulus huius Psalmi, in carminibus sit gloria nostra, quæ in Deo est, in quo est salus, & vita nostra.

Continuatur iste Psalmus ad præcedentem. Supra visum est de peccatoribus, & impœnitentibus, & in rebus terrenis, & transitorijs immersis; Verùm quia boni, & iusti, inter hos permanent, ne iniquorum illorum capiantur exemplo, vt in Deum sit spes illorum, in quo omne auxilium, docet in præsenti Psalmo Dauid, vt clamemus ad eum in Orationibus, & Psalmis, qui saluos facit.

Summa Psalmi. In persecutionibus Oratio, quæ saluat sperantes in Domino.

Breuis est Psalmus, Titulus verò longus, breuis est iusti Oratio, longa videtur florentis exultatio: illa penetrat Cælum, & ad gaudia æterna perducit, hæc citò arescit, & gaudium vertit in luctum.

Duos hìc Reges habemus, ex Dei Domini iussu ambo in Reges vnctos, sed vnus oleo lenticulæ, 1. Reg. 10. num. 1. Act. Apost. cap. 21. alter verò Dauid ab eodem Samuele oleo cornu vnctus, 1. Reg. cap. 17. num. 12.

Saul floribus concomitatus, Dauid oratione fultus, hic à Deo exauditus fuit liberatus, illi militibus stipato ora vestimentorum inciditur, hic longè à Spiritu sancto factus, Dauid spiritu sancto plenus; seruus secundum cor Dei effectus; hic Rex, & Dei dilectus; ille à Regno expulsus, occisus, & mortuus. Omnia in figura contingebant illis; nàm quid per vnctionem olei à Samuele de lenticula educti; quid vnctus Dauid de eodem oleo, sed in cornu penes Prophetam existente? Quid per lenticulam, vas enim paruum de terra: quid per cornu? nisi quia cornu cum excedat carnem, necesse est sit firmum ad perdurandum, & capax vocis. Superauit enim Dauid carnem, quia Propheta magnus

Cæle-

Cælestia contemplatus est; futura de Messia cecinit, & cantauit, trascendit carnales affectus, carnales vicit libidines, Eccles.47. num.9. In omni opere dedit confessionem Sancto, & excelso in verbo gloriæ, & de omni corde suo laudauit Dominum, & dilexit Deum, qui fecit illum, & num.13. Dominus purgauit peccata ipsius, & exaltauit in æternum cornu eius. Vndè ad Colos.cap.3. Si consurrexistis, inquit, cum Christo: quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est in dextera Dei sedens: quæ sursum sapite, non quæ super terram, August. in Psalm.97. litera L. Quid est, inquit, quæ sursum sunt quærite? idest carnem excedite, nolite carnalia cogitare, &c. cornu carni hæret, & carnem excedit, & quanquam de carne oriatur, superat carnem, ex carnali spiritalis factus erat Dauid, carne calcauit terram, & spiritu erumpit in Cælum, 1.Reg.capit.19. num.31. & Isai.cap.47.num.31. habuit radicem deorsum, & fecit fructum sursum, Augustin.de Verbis Domini Serm.39. in lenticula terrea erat oleum, quo Saul vnctus fuit, quia de terrenis nunquam exiuit immixtionibus, 1.Reg.15. num.15. Et quæ est hæc vox Gregum, quæ resonat in auribus meis, & armentorum, quam ego audio? præceperat enim eidem Sauli Dominus, vt Amalech percuteret, & vniuersa eius demoliretur. ipse meliora sibi reseruauerat, & Agag regem Amalech. Melior, dixit Sauli Samuel, obedientia quàm victimæ, & auscultare magis, quàm offerre adipem arietum. Vt offeret enim Domino dixerat Saul, Samueli se ea reseruasse: propterea, inquit, quia abiecisti sermones Domini, abiecit Dominus ne sis Rex.

Quid ergo per lenticulam olei in Saul aspersam, nisi Iudæorum Synagoga demonstratur, à qua regnum scidit Dominus, & tradidit illud Ecclesiæ, cuius fortitudo excedit terrena, & cælestia petit, atque contemplatur? Translatum est de Synagoga regnum in Ecclesiam, in Dauidem, in Christum, qui ex illius semine venit de Cælo ad terram, vt nos suo verbo fortes effecti, terrena despicientes, cælestia desideremus, cælestia appetamus: figura ad figuratum, vnde August. de Ciuit. Dei, ad Marcellin. lib.17. cap.6. in princ. Cum igitur hæc tanta tunc altitudine prænunciata sint, quanta nunc manifestatione clarescunt, non frustra tamen moueri quispiam potest, ac dicere. Quomodò confidimus euenire omnia, quæ in libris illis ventura prædicta sunt, si hoc ipsum, quod ibi diuinitus dictum est: Domus tua, & domus Patris tui transibunt coram me in æternum, 2.Reg.cap.7.num.13. Paralip.1. cap.22.num.9. effectum habere non potuit? quoniam videmus, illud Sacerdotium fuisse mutatum, & quod illi domui promissum est, nec sperari aliquando complendum, quia illud, quod illi reprobato, mutatoq. succedit, hoc potius prædicatur æternum? Hoc qui dicit, Nondũ intelligit, aut non recolit, etiam ipsum secundum ordinẽ Aaron Sacerdotium, tamquam vmbram futuri æterni Sacerdotij constitutum, ac per hoc, quando ei æternitas promissa est, non ipsi vmbræ, ac figuræ, sed ei, quod per ipsum adumbrabatur, figurabaturq. promissum est. Sed ne putaretur, ipsa vmbra esse mansura, ideò etiam mutatio eius debuit prophetari: Regnum quoque isto modo etiam Saulis ipsius, qui certè reprobatus, atque reiectus est futuri regni erat vmbra in æternitate mansuri, oleum quippè illud quo vnctus est, & ab eo Chrismate, Christus est dictus, misticè accipiendum, & magnum Sacramentum intelligendum est, quod in eo tantùm veneratus est ipse Dauid, vt percusso corde deuitauerit, quando etiam in tenebroso occultatus

antro,

antro, quo etiam Saul vrgente intrauerat neceſſitate naturæ, exiguam particulam veſtis eius retrorſum latenter abſcidit, vt haberet, vnde monſtraret, quomodò ei pepercerit, cum poſſet occidere, atque ità ſuſpicionem de animo eius, qua ſanctum Dauid putans inimicum ſuum, vehementer perſequebatur, auferret. Ne itaq. reus eſſet tanti Sacramenti in Saule violati, quia vel indumentum eius ſic attrectauit, extimuit; ità enim ſcriptum eſt vt ſupra, Et percuſſit cor Dauid ſuper eum, quia abſtulit pinnulam chlamydis eius. Viris autem, qui cum illo erant, & vt Saulem in manus ſuas traditum interficeret, ſuadebant; non mihi, inquit, contingat à Domino, ſi fecero hoc verbum Domino meo Chriſto Domini, inferre manum meam ſuper eum, quia Chriſtus Domini eſt hic. Huic ergo vmbræ futuri non propter ipſam, ſed propter illud, quod præfigurabatur, tanta veneratio exhibebatur. Vnde & illud, quod ait Sauli Samuel: quoniam non ſeruaſti mandatum meum, quod mandauit tibi Dominus, quemadmodum nunc parauerat Dominus regnum tuum in æternum ſuper Iſrael: & nunc regnum tuum non ſtabit tibi. Et quæret ſibi Dominus hominem ſecundum cor ſuum, & mandabit ei Dominus eſſe in Principem ſuper populum ſuum, quia non cuſtodiſti, quæ mandauit tibi Dominus; non ſic accipiendum eſt, ac ſi ipſum Saulem Deus in æternum præparauerit regnaturum, & hoc poſtea noluerit ſeruare peccanti; neque enim eum peccaturum eſſe neſciebat, ſed præparauerat regnum eius, in quo figura eſſet regni æterni, ideò addit, & nunc regnum tuum non ſtabit tibi. Stetit ergo, & ſtabit, quod in illo ſignificatum eſt, ſed non huic ſtabit, quia non in æternum ipſe fuerat regnaturus, nec progenies eius, vt ſaltem per poſteros, alterum alteri ſuccedentes, videretur impleri, quod dictum eſt in æternum.

Et quæret, inquit, Dominus ſibi hominem, ſiuè Dauid, ſiuè ipſum mediatorem, ſignificans Teſtamenti noui, qui figurabatur in Chriſmate, etiam quo vnctus eſt ipſe Dauid, & progenies eius. Non autem quaſi neſciat, vbi ſit, ità Deus ſibi hominem quærit, ſed per hominem, more hominum loquitur, quia ſic loquendo non quærit, non ſolum enim Deo Patri, verùm etiam ipſi quoque vnigenito eius, qui venit quærere, quod perierat, vſque adeò iàm eramus noti, vt in ipſo eſſemus electi ante conſtitutionem mundi, hæc Auguſtin.

Latet ergo Dauid in ſpelunca, florent Ziphæi exploratores, vt tradant Dauid. Sed quomodò florent? florent vt areſcant. Sunt enim iſti Ziphæi, huius ſæculi filij, de quibus ſupra diximus Pſalm.51. Doeg Idumæi, qui præualent in vanitatibus ſuis, qui non ponunt Deum adiutorem eorum, ſed in multitudine diuitiarum ſuarum gloriantur, quos Luc. cap.16. prudentiores huius ſæculi vocat. Iſti Ziphæi florent in hoc ſæculo, vt areſcant in iudicio: & poſt ariditatem, in ignem mittentur æternum. Latet Dauid, Chriſti perſonam repræſentans, qui maluit inter Ziphæos magis latere, vt dixit Auguſtin. & dicere Pilato interroganti, tamquam & ipſi flori Ziphæorum, & ſuſpecto de regno eius, Ioan.cap.18. Regnum meum non eſt de hoc mundo. Dauid petiuit apud Ziphæos Eccleſiam, quaſi latens inter florentes huius ſæculi homines, quia bonum Eccleſiæ intus eſt. Intus etiam ſint tibi opera tua bona, ne ea facias, vt ab hominibus videaris. Intra in cubiculum tuum, & ora; ſcit enim Pater noſter cæleſtis, qui videt in abſcondito, Matth.6. Bona latent, latet & merces, vt in Cælo ſint clara, non ſit tibi quæſtio in corde, quia impium

videris exaltatum, dealbatum; vt in Psal.72.num.3. Mei, inquit, commoti sunt pedes, quia zelaui in peccatoribus, pacem peccatorum videns. Hoc labor est ante me. hæc est magna quæstio in me; cur homines in sæculo florent malè facientes; multi autem in hac terra benè agentes laborant tamen. Labor est ista quæstio, & non dissoluetur, donec introeam in Sanctuarium Dei, & intelligam in nouissimo, quando filius hominis iudicaturus venerit, & Agnos ab hædis separaturus. Tunc in sæculo florente ad sinistram positos, & flammis associatos videndo, quæ tibi obscura videbantur, clara tibi erit illius solutio: quæ etiam ex Euangelio colligitur illius Epulonis, qui bona in vita sua recepit, Lazarus verò mala.

Florentes Ziphæos associabit flamma, iusti verò exultabunt. Facit Sap.c.5. Latebat Dauid in deserto, sed protectio illius erat à Deo, fulgebat Saul cum florentibus in campo, in hoc sæculo, & via eius erat appropinquans inferno. Dauid latuit in spelunca, fulgebat aliquando in terra, non tamen eleuatus est vnquam in superbiam; sed humilis magis factus, Domine clamabat, miserere mei, quia infirmus sum. Regalem dignitatem dicebat, infirmitatem esse: conturbabat enim illa animam suam. Sic & tibi, ò Christiane, si affluant diuitiæ, noli cor apponere, Psalm.61.num.11. Qui enim confidunt in diuitijs suis corruunt, Prouerb.11.nu.28. qui amat diuitias fructum non capiet ex eis, Eccles. cap.5.num.9. Tu ergo fidelis non vt stultus, qui non intelligit, sed vt prudens intra in nouissima, & quia flos fœni decidet, videbis, vt proijciatur in flammam perpetuò duraturam.

In finem sit tibi intellectus, in Christum scilicet, qui eruet te de tribulationibus. Ad tempus folia ceciderunt, radix viret, vt fructum plus afferat suo tempore; tribulationes apprehendunt te, laus sit in ore tuo, vt semper gratias agens dicas: sit nomen Domini benedictum, & cum Iob cap.2. dicas, Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum, & inuocans Dominum cum Dauide dicas.

Deus in nomine tuo saluum me fac, & in virtute tua iudica me. Non dicit Dauid tollas me de hoc mundo: sed inquit: Domine, me in hoc sæculo existente, nomen tuum sit semper in me, in corde meo; in te enim est salus, & spes mea, libera me in nomine tuo, vt humilis factus similis tibi, inter mundanas has varietates, inter Ziphæos hos florentes existens non incidam eleuatus, & ignorans in vanitates eorum; sed bonum operando, & in spelunca humilitatis iacens merear in virtute tua iudicari.

Deus in nomine tuo saluum me fac. Quoniam nomen tuum, verbum tuum filius tuus venerit, vt saluetur mundus per ipsum, saluum me etiam fac propter eundem filium tuum: Et in virtute tua iudica me; quia cum in ipso sit vita, quam diligentibus se daturum affirmauit & aliàs in ipsum credentibus; iudica me in futuro iudicio, in quo viuos, & mortuos es iudicaturus in virtute passionis tuæ, & ipse iudices me, vt saluus fiam. Ab istis Ziphæis iàm segregatus sum, iàm in speluncam me collegi, ab illis me penitus separaui: tradere enim me volebant internicioni. Tu etiam Domine sancte Pater auribus percipe orationem, vt in die Iudicij ab hædis me filius tuus separans ponat à dextris suis.

Vel aliter dicamus, Deus in nomine tuo saluum me fac. Deus scilicet filius, cuius nomen est Iesus, in hoc tuo nomine salua me, nàm saluator diceris, &

cum sit tibi à Patre data omnis potestas in Cælo, & in terra, in virtute tua, in potentia tua iudica me, idest libera me. Nullus enim potest ascendere ad Patrem, nisi per te, qui porta es Cæli. Non enim iudicium tuum quæro, nisi præcedat tua saluatio, nam quis iudicium tuum petere ausus fuerit, nisi nomen tuum præcedat Saluatoris. Tu enim ideò venisti, ideò Cruci affigi voluisti, mori voluisti, vt de iustitia tua Patri satisfaceres, pro redemptione mundi. Sis ergo tu salus mea, Iesus meus, & tunc in virtute tua, idest ex fructu passionis tuæ iudicer à te. Quem potius ità in mundo infirmum, contemptumq. te elegi, te solum noui crucifixum, & scio, iuxtà illud Paul. 1. Corinth. 2. nu. 1. Non iudicaui, me scire aliquid inter vos, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum, &c. Potius opprobrium tuum eligere volui, quàm Ziphæos habere socios, gloriam scilicet mundi effugere volui, & te solum crucifixum Iesum Christum Saluatorem, filium Dei viui sequi, amplecti, & confiteri. Nunc ergo Domine iudica me in virtute tua, vt fructum capiam ex passione tua, vt fructum afferat confessio mea: Quamuis enim infirmus sim Domine, fac tamen vt tecum in virtute tua viuam.

Venisti Domine Iesu, vt ex infirmitate morereris, venturus es etiam, vt iudices in virtute Dei, nomen enim tuum per infirmitatem Crucis clarificatum est, salua ergo me Domine, & iudica me in virtute tua, vt non discedam à te. Iudica ergo me Domine, & discerne causam meam de gente non sancta, Psal. 42. ecce inter Ziphęos ego lateo, iudica me, idest discerne me: floreat flos meus in domo tua Domine, in qua plantatus est iustus, Psal. 91. plantati in domo Domini in atrijs domus Dei nostri floreant; nàm flos Ziphæorum exsiccatus est.

Deus exaudi orationem meam, auribus percipe verba oris mei. Quid est, quia petit Dauid, orationem suam exaudiri: deindè idem dicens, auribus percipe verba oris mei. Qui exaudit, etiam auribus percipit, & petenti consentire videtur. Vnde Psalm. 17. num. 45. Populus, quem non cognoui, seruiuit mihi, & in auditu auris obediuit mihi? Exaudi, ait, Deus orationem, vt à culpa me liberes, & absoluas; auribus percipe verba oris mei, vt pœnam etiã in die iudicij euadam, vocem tuam audiam; Veni benedicte Patris mei, & hoc est quod dicit; In virtute tua iudica me; nàm primo salutem petit, ne ad inferos descendat: deindè in virtute iudicari, vt etiam à pœna quaque sit immunis: tunc enim quando erit iudicium, non erit medium: quia à pœna, qui purgati fuerint, liberabuntur, tunc percipient regnum iusti, quod paratum est à Patre. Hæc confirmari videntur ex illis verbis, auribus percipe; nàm vna dici solet auris Dei, quia tamen multos habet affectus: hìc dicitur pluraliter auribus percipe, vt vna sit auris ad dimittendum culpam, & alia ad dimittendum pœnam; vndè in Psalm. 7. Pœnitentiali, aliàs 129. Fiant aures tuæ intendentes in vocem deprecationis meæ: & in Psal. 7. Pœnitentiali: auribus percipe obsecrationem meam, aliàs Psalm. 142.

Et aliter dicamus. Quòd idem est exaudire, quod auribus percipere; vt Augustin. in d. Psalm. 142. perfectè, & attento corde intellige: per aures enim intelligit perfecta cordis intelligentia audiens.

Sed quid Dauid petat, pro quibus exaudire desideret, videamus. An forsan temporalia appetit? Regna huius mundi desiderat? & alia caduca, & terrena, aut florentibus Ziphæis inuidet? Non inuidet Ziphæis Dauid, non caduca, non flo-

florentes, desiderat, vt tamen Deus orationem suscipiat deprecatur, quia Ziphæi non audiunt. Illi enim bona æterna desiderare non nouerunt. Æterna, inquit, ego desidero, pro his est oratio mea; non sæcularia peto, ac ne tribulationes temporales transeant, & iterum flos fœni reuertatur. Orauit Christus prout habemus in Psalm. 21. Deus Deus meus vt quid dereliquisti me? Pro membris Christi est illa vox Christi: Augustin. verba mea, inquit, delictorum meorum clamaui ad te per diem, nec exaudies, & nocte & non ad insipientiam mihi, idest & nocte clamaui, & non exaudisti; & tamen hoc ipsum, quòd non exaudisti, non ad insipientiam mihi non exaudisti; sed magis ad sapientiam non exaudisti: vt intelligerem, quid à te petere deberem: ea enim petebam, quæ malo meo fortassis acciperem. Petis diuitias, ò homo, quanti euersi sunt per diuitias suas? Vndè scis, vtrum tibi sint profuturæ diuitiæ? Nonnè multi pauperes tutius latebant, diuites facti mox vt lucere cœperunt, præda fortioribus fuerunt; hæc Augustin. Non ergo ità temporalia petenda sunt, vt infixa in illis sit intentio nostra; nàm obest aliquando, quod putamus prodesse; & quod putamus obesse prodest: Vndè Apost. ad Roman. cap. 8. num. 16. Quid oremus, sicut oportet, nescimus.

Quoniam alieni insurrexerunt aduersum me, & fortes quæsierunt animam meam, & non proposuerunt Deum ante conspectum suum. Sed ò Dauid sanctè quomodò dicis Ziphæos alienos, cum & ipsi de cognatione tua sint Iudæ; de Vico Iudæorum? non alieni, ex eo quòd sint de cognatione eadem: sed quia non proposuerunt Deum ante conspectum suum, quia flores sunt, quia exemplo eorum, aliorum animæ perduntur, vt dicitur, Matth. 23. nu. 13. Væ autem vobis Scribæ, & Pharisæi hypocritæ, qui clauditis regnum Cælorum ante homines; vos enim non intratis; nec introeuntes sinitis intrare, &c. Filij alieni, quia os eorum locutum est vanitatem, Psalm. 143. nu. 8. Filij alieni, qui mentiti sunt mihi, filij alieni, quia inueterati sunt, & claudicauerunt à semitis suis, Psalm. 17. n. 46. & Greg. 12. Moral. c. 18. Quis alienus, nisi Apostata Angelus vocatur, alieni ergo sunt Dæmones, alieni sunt homines hæretici, à fide distantes, & iniqui, iustos persequentes; alieni sunt, peruersi Iudæi, qui Christum per carnem propinquum negauerunt, crucifixerunt; filij alieni, quia propter peccata illorū foras educti sunt; & facti sunt cæci, licet oculos habeant; & surdi, tametsi aures habeant, Isai. 43. n. 8.

Filij alieni insurrexerunt aduersum me. Aduersus Christum insurrexerunt, prætereuntes legem. Et fortes quæsierunt animam: nàm qui fortes, Nisi Hebræorum Synagoga, quæ ideò dicitur congregatio superborum? August. Psal. 85. lit. L. insurrexerunt enim contrà Iesum, clamantes, & vno ore dicentes, Crucifige, crucifige, de quibus Psal. 56. Filij hominum dentes eorum arma, & sagittæ, & linguæ eorum gladius acutus. Non percusserunt, sed clamauerunt, clamando ferierunt, clamando crucifixerunt, & eorum voluntas est impleta, quando Dominus est crucifixus.

Et fortes quæsierunt animam meam, & non proposuerunt Deum ante conspectum suum; August. Quomodò non proposuerunt? non intellexerunt Deum, vt homini parcerent; quem videbant adhùc ambulantem, putarunt, quòd Deus non erat; homo erat, ideò occidendus erat, quia homo erat? parce homini, & agnosce Deum, Augustin.

Ecce enim Deus adiuuat me, & Dominus susceptor est animæ meæ, cui, seù

quibus dicis? si cum Ziphæis loqueris, vt ipsi adiutorium percipiant, quod tibi à Deo præstatur, an ignoras, quia oculos luteos habent, & non vident? si tibi ipsi loqueris, cur, ecce, dicis, nonnè te adiutum esse à Deo scire sufficit? ecce, inquit, ò popule Christi dilecte: ecce ò fideles, & iusti; ecce, inquit Ecclesia, quia Deus adiuuat me sterilem. Nàm verbum suum mittet, vt Tentorij mei dilatet locum, Isai.54.nu.2. Ecce quia exultabit anima mea in Deo meo, quia induit me vestimentis salutis, Isai.61.n.10. & indumentis iustitiæ circundedit me. Ecce Ziphæi, quia serui Dei laudabunt præ exultatione cordis, & vos clamabitis præ dolore cordis, & præ contritione spiritus vlulabitis, & dimittetis nomen vestrum in iuramentis electis meis, & interficiet te Dominus Deus, &c. & seruos suos vocabit nomine suo, Christianos scilicet, Isai.65.num.14. & 15. Ecce Deus adiuuat me. Nàm Saul cum armatis Ziphæis, & militibus, ego in Carminibus, & Psalmis, à Domino adiutus, victor effectus, quia Dominus est susceptor animæ meæ: intus, inter quos lateo lætus, nec vos me videtis, quia spes vestra non est in Deo, quia Deum ante conspectum vestrum non habetis; nunc florere, nunc virere videmini, & ecce quia igni seruabimini; in felicitate sæculi floretis, sed in virtute Dei peribitis; floretis ad tempus, peribitis in perpetuum; August. Florent falsis bonis, pereunt veris tormentis.

Ecce ergo quomodò iustum adiuuet Dominus, susceptor est animæ eius, nàm & secum eris in Paradiso, nàm prius Verbum caro factum est, vt iusto illi adiutor esset, adiutor in opportunitatibus, vt duceret, & susciperet eum in delicijs, & diuinis voluptatibus, Ima enim Deus summis adiunxit, quando ipse caro factus nos Deo Patri coniunxit; longè enim eramus à Cælis, nisi ipse coniunxisset ima summis: Vndè Greg.22. Moral.c.18. Iob c.31.n.35. Quis mihi, inquit Iob, tribuat adiutorem, Vulgata habet Auditorem, vt desiderium meũ audiat, inquit Greg. vbi supra, sciens sanctus Iob, quòd suis meritis redimi non poterat, adiutorem quærit, & quem, nisi vnigenitum filium Dei contemplatur, qui humanam naturam in hac mortalitate laborantem, dum suscepit, adiuuit. Ipse enim adiutor, factus homo adiuuit hominem, vt quia puro homini via non patebat redeundi ad Deum, via fieret per verbum Dei. Longè quippè distabamus à iusto, & immortali nos mortales, & iniusti, sed inter immortalem, & iustum, & nos mortales, & iniustos apparuit mediator Dei, & hominum, mortalis, & iustus; qui & mortem haberet cum hominibus & cum Deo iustitiam; vt quia per ima nostra longè distabamus à summis, in se ipso vno adiutor noster factus iungeret ima cum summis, atque ex eo via redeundi nobis fieret, quò summis suis ima nostra copularentur, &c.

Auerte mala inimicis meis, & in veritate tua disperde illos; Ecclesia sancta cantandum proponit in ipsa, quoniam scilicet inter Ziphæos posita cum reperiatur, admonet omnes iustos, & Ziphæos, bonos scilicet, & malos, vt in finem respicientes, in Christumq. oculos habentes, eiusdem Christi actiones imitentur, quæ debent esse nostræ institutiones, nostra præcepta, & documenta. Christus pro iniquis, & illum crucifigentibus Patrem orauit, vt illis ignosceret; quia, dicebat, nesciunt, quid faciunt. Orat ergo Dauid Ecclesia scilicet, pro iniustis, pro peccatoribus, quibus error, & tenebræ concreatæ sunt, qui exultantes in malis consenescunt in malum, Eccles.11.n.16. Vt cum bona, & mala, vita, & mors, paupertas, & honestas à Deo sint; mala auertat ab illis; qui intellectum etiam dat

paruu-

paruulis; atque in bono Deus oculis respiciat, vt discant mandata eius; superbiamq. & terrenorum languorem, diuitias scilicet, & elationes, quæ animam cruciant, & corpus relinquentes, humiles fiant, honorantes, & laudantes Deum. Hoc autem esse poterit, si veritatem agnoscentes, disperdat Deus, quæ sunt mala. Illumina eos, qui oculos suos adhùc luteos tenent, illumina quasi dicat oculos, vt cognoscantur eorum vanitates, & in iustitia tua libera eos, vt prudentes effecti, fugientesq. mala, non intereant in sæculum sæculi.

Vel aliter dicamus, Prophetam mala iniquorum futura pronunciasse, atque prophetasse, quæ posteà euenerunt illis. Nam Saul in Monte Gelboè occisus est. Propterea dicebat dolens Dauid: Montes Gelboè, nec pluuia, nec ros descendant super vos, vbi ceciderunt fortes Israel; mortuus enim erat Saul, & tres filij eius, & vniuersi viri eius, 1.Reg.31.num.6. Sicut & peccatores impœnitentes moriuntur, vt semper crucientur in inferis.

Iterum aliter & dicamus. Auerte mala inimicis meis, & in veritate tua disperde illos: Vt veritas tua in toto orbe prædicata, in omnem enim terram exiuit, inquit, sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum, Psalm.18.nu.5. Iesus Christus lumine veritatis illis illucescat. Vt relictis iniquitatibus, auertas mala inimicis tuis, vt & ipsi fideles tui efficiantur, & vnus sit Pastor, & vnum ouile. Auerte, idest remoue ab illis tenebras, scilicet ab oculis eorum, vt cognoscant veritatem tuam, Psalm.118. Auerte oculos eorum ne videant vanitatem. Remoueantur ab inimicis oculorum velamenta, vt veritatem tuam agnoscentes, fidemq. amplectentes, bona operentur, & mala ab illis tollantur.

Vel aliter dicamus; nos tui fideles multa passi sumus, tribulationes, & mala, quæ nobis iniqui iniustè fecerunt, atque intulerunt; sacrificium iustitiæ sacrificabimus tibi, in te sperantes. Lætitia in corde nostro permansit, quia tu illam dedisti; signatum enim super nos erat lumen vultus Domini, Psalm.4.num.6. & 7. intra nos gaudentes, & lætantes nostrorum corporum sacrificium obtulimus tibi; Ziphæi verò, & iniqui de passione nostra gloriosi foris exultantes ad tempus iubilant; veniat super illos æstus, exsiccentur eorum flores, experiantur & ipsi de malis, quæ & nobis in corpore intulerunt, mala inimicis nostris auertas tu Domine, etsi ipsi intus sint gaudentes, videamus; si exsiccati, iterum flores emittant. Nos, qui digni reputati sumus à Concilij conspectu condemnari, & contumeliam pati, gaudentes ibimus, quia pro nomine tuo patimur; illi, quia flos exsiccatus, quia eos diuitiæ illorum reliquerunt, quorum in temporalibus tantùm spes erat, experiantur mala, & exterius, postquam & bona receperunt in vita. Quia cum à veritate tua recesserint, & tu Domine, qui iustus es, in veritate tua disperges illos, vt à veritate semper alieni, & exules perpetuò pœnas sentiant intus, & extrà, in corpore scilicet, & anima. Reddes tu Domine vicem iuxtà opera manuum suarum, Thren.3.nu.64.& 66. Persequeris eos in furore, & conteres eos sub Cælis Domine.

Voluntariè sacrificabo tibi. Quoniam voluntate labiorum tuorum non me fraudasti: & quia benefacientibus tu Domine benefecisti; quia & tu voluntariè pro me, vt saluum me faceres descendisti, passus fuisti; atque redemisti me. Voluntariè sacrificabo tibi, quia bonum suscepi, quod ante me posuisti; & malum abieci, & refutaui, & confitebor, quia nomen tuum bonum est, in quo nomine tu saluasti, & suscepisti me.

Gratis venundatus sum, & sine argento redemptus, Isai.52.num.5. & ideò gratis dò, & voluntariè sacrificabo, Matth.10.num.8. Gratis enim accepistis, gratis date, & ad Roman.3.num.14. Gratis iustificatus sum per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Iesu.

Voluntariè sacrificabo, vt aquam vitæ gratis & ego accipiam, Apocal.22. num.17. Vt sim initium aliquod creaturæ eius, voluntariè me verbo veritatis genuit, voluntariè & ego creatura eius sacrificabo illi hostiam laudis, Iacob. cap.1.nu.18. Voluntariè sacrificabo tibi, quia te bonum esse cognoui, tu enim solus bonus es, Matth.19.num.17. Augustin. Quid est, voluntariè sacrificabo tibi? &c. Sacrificium laudis honorificabit me, dicit Psalm.49. Voluntariè enim, quia gratis amo, quod laudo, laudo Deum, & in ipsa laude gaudeo, ipsius laude gaudeo, quo laudare non erubesco, &c. Laudetur Deus charitate, ametur voluntate, gratuitum sit, & quod amatur, & quod laudatur.

Sed quomodò voluntariè ò Dauid, si prius Dominus suscepit te; exaltabo te Domine, dixisti, quia suscepisti me, Psalm.29. in princ. & hic inquis, Dominus susceptor est animæ meæ; non ergo dicas voluntariè, sed quia me redemisti, ex obligatione antidorali sacrificabo. Si quod habes accepisti, quomodò voluntariè, si quod debes persoluere teneris?

Voluntariè accedit, qui vocationi liberè consentit, vocationi autem consentit, qui sacrificium gaudens laudis Deo reddit. Laudatur verò Deus, quandocunque confitebor, quia in nomine Iesu filij Dei data est nobis salus, & propterea bonum est, dicit, nomen eius. Bonum dixit nomen eius, propter quod bonum æternum hæreditabimus; bonum est, quia inhabitabo in tabernaculo tuo in sæcula, protegar in velamento alarum tuarum, Psalm.60.num.5. Et me suscepit dextera tua, Psalm.68.numer.8. Non ergo quia diuitias quæram, illi sacrificabo, vel quia aliud temporale cupiam, sed gratis, & non propter aliud sacrificabo; Verùm solum, quia ipsi dumtaxat debetur gloria, honor, & in ipsum iubilatio. Iubilate ergo Deo omnis terra, seruite Domino in lætitia, introite portas eius in exultatione Psalm.65.num.1. Lætabor, & exultabo in te, & psallam nomini tuo Altisime, Psalm.9. num.2. Quia magna est super Cælos misericordia tua, Psalm.107.numer.5. Diligit misericordiam, & iudicium, misericordia Dei plena est omnis terra, in eo lætabitur cor nostrum, Psalm.23.num.5. & 21.

Quoniam ex omni tribulatione eripuisti me, & super inimicos meos despexit oculus meus. Tu Domine postquam suscepisti me, & ego cohæsi tibi, & tuæ vocationi consensi, adeò vt non timeam, quid faciat mihi homo. Quoniam abscondisti me in tabernaculo tuo, in die malorum proteges me in abscondito tabernaculi tui. Dominus illuminatio mea, & spes mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo: si consistant aduersum me castra non timebo: Psalm.26. vbi latius diximus. Si exurgat aduersum me prælium, in hoc ego sperabo, d.Psalm.26.num.6.

Super inimicos meos despexit oculus meus, quia Dominus mecum est in tribulationibus, à quibus eripiet me: Regnum enim Dei est intrà timentes eum, Ioan.17.num.22. Tu Domine ex omni tribulatione eripuisti me, quia omnia vt stercus existimaui, postquam tu me suscepisti; Turris fortisima nomen tuum Domine, propterea qui ad te recurrit, exaltabitur. Prouerb. 18. numer. 10. contem-

contemnit pauorem, nec cedit gladio, Iob cap.39. num.22. Si ergo Deum habeo spectatorem, cur timebo tribulantem? Vndè Tertul. de Patientia cap.14. de Beato Iob, operarius ille victor Deus, &c. videbat Deus, dissecabatur malus, & clarius in lib. ad Martyres, cap.3.

Quoniam ex omni tribulatione eripuisti me. Sed nunquid de huius sæculi tribulationibus intelligit Dauid? Non certè; non enim ignorat, quia sustentationes Dei sustinere debet, qui coniungitur Deo, Sap.cap.2. num.3. De futuris ergo tribulationibus intelligit Propheta. Hic enim tribulationes patimur, vt purgati in futuro consolationes inueniamus; Deus enim in hoc sæculo tentari non patitur, vt nos se dignos inueniat. Tamquam aurum probat in fornace, & in tempore erit respectus illorum, Sap.cap.3. num.6. cum sequen. Vndè Iob cap.5. num.19. In sex, inquit, tribulationibus liberabit te, & in septima non tanget te malum, quod exponit Gregor.lib.6. Moral.cap.17. Quid enim senario numero, quem septimus sequitur, nisi præsentis vitæ operatio, discursusq. significat; sexto quippe die omnia perficiens hominem condidit, & septima die Deus requieuit. Perfectis ergo omnibus requies sequitur, quia post bona vitæ præsentis opera retributio æternæ quietis inuenitur. In sex ergo tribulationibus Dominus nos liberat, ne nos in septima malum tangat; quia per paternæ pietatis eruditionem præsentis vitæ laboribus nos atterit; sed in aduentu Iudicis à verbere abscondit, vt tantò tunc ad salutem certiores exhibeat, quantò nunc flagella durius secant. Vndè beatus dicitur, qui suffert tantationem, quoniam cum probatus fuerit accipiet coronam gloriæ, quam repromisit diligentibus se, Iob cap.1. & Dauid in Psalm.136. Domine probasti me, & cognouisti me; in secundis, & difficilibus probauit illum Dominus, vndè Zach.13. num.9. Et ducam tertiam partem per ignem, & vram eos, sicut vritur argentum, & probabo eos; sicut probatur aurum, ipse vocabit nomen meum, & ego exaudiam eum. Dicam, populus meus es tu, & ipse dicet, Dominus Deus meus es tu, & Eccles.27.numer.6. Vasa figuli probat fornax, & homines iustos tentatio tribulationis.

Vndè Gregor. lib.6. Moral.cap.7. Quasi per amæna prata ad carcerem peruenit, qui per præsentis vitæ prospera ad interitum tendit. Reproborum enim vita tantò sine flagello dimittitur, quantò ad nulla præmia seruatur, Idem Greg. cap.12. Moral.cap.5. Quid mirum, si dicat, ereptum se esse ex omni tribulatione, cum Deum habeat spectatorem, & defensorem sui? Vndè Cyprian.lib.3. contra Demetrian. Nullus dolor est de incursione malorum præsentium, quibus fiducia est futurorum bonorum, in appendicibus, Augustin.lib. Soliloquiorum cap.22. Tom.9. Qui hìc consolantur Domine Iesu, indigni tua consolatione habentur; sed qui hìc cruciantur, à te consolantur, nemo enim potest in vtroque sæculo consolari, nec potest quis hìc, & in futuro gaudere; sed necesse est vt perdat, qui alterum voluerit possidere, &c. Deinde subiungit hæc. Vbi considero Domine consolator meus, in hac vita renuit consolari anima mea, vt digna habeatur tuis consolationibus æternis, quia iustum est, vt amittat te quicumque in aliquo alio magis consolari eligit, quàm in te; Hæc ibi, in Soliloquio, quod Augustino tribuitur.

Et super inimicos meos despexit oculus meus, florebant Ziphæi, exaltabantur facientes iniquitatem; quæsiui eos, & ecce non erant, quemadmodū fumus

defecerunt, Psal. 36. num. 20. ideò despexit illos oculus meus, Eccles. 28. num. 9. memorare testamentum Altissimi, & despice ignorantiam proximi, nàm ideò oculus illos despexit, quia dies eorum defecerunt sicut fumus diei, Psalm. 101, num. 4. Despexit ergo oculus meus inimicos meos, Psalm. 91. num. 12. Quare oculus inimicos suos despexit? quia altiora cor eius quæsiuit; quia Dominus eum suscepit, & ideò minora, & caduca despexit.

SOLILOQVIVM.

VTINAM Domine in die Iudicij, in virtute tua, in nomine Iesus saluum me facias. Da, vt aciem cordis mei expoliem, quò oratio, & operatio mea solum in te Deum directa exaudiatur, & ipse reconcilieris nobis. Erigantur corda nostra in te Deum meum, vt inimicos circumstantes, & animas nostras circumuenire tentantes, in fugam deuictos vertamus; tunc enim Domine eris nobiscum, ac de tribulationibus eripiens nos in Paradisum animas nostras suscipies, & exultabimus. Gratis voluntariè Deum diligam, laudis, & gloriæ sacrificium offerens corde contrito, & humiliato, vt non ab ipso despiciar. Ne sim instar transeuntium fœni exsiccati florum, radices humilitatis deorsum figam, vt desursum fructum in tempore suo capiam, sicq. operans oculis meis inimicos nostros despiciam, illo pro nobis intercedente in Cælis, qui Patri suo se nobis obtulit in ligno Crucis. Amen.

IN PSALMVM LIV.

Exaudi Deus orationem meam, & ne despexeris deprecationem meam: intende mihi, & exaudi me.



TITVLVS, In finem, in Carminibus intellectus Dauid.

Summa: Aduentus Domini præstolatio, vt Ecclesia sua sancta ab hominibus iniquis libera laudes Domini, in Carminibus, & Organis congrua deuotione lætetur.

Continuatur. Ecclesiam in medio peccatorum positam esse, & circundatam ab illis supra visum est: & quia caput eius Iesus Christus charitas est, & corpus eius, & membra in eadem charitate posita sunt, ideò hic Ecclesia ipsa plorat, cum multorum agnoscat perditionem, hacq. tribulatione, & exercitatione circundata, & multorum perditionem præuidens, preces ad Deum mittens, inquit, Exaudi Deus orationem meam, ne despexeris deprecationem meam, intende mihi, & exaudi me.

Quocircà Psalmus inscribitur, In finem, in Carminibus intellectus Dauid in Christum scilicet orationes nostræ, & laudes in Carminibus sint nobis credentibus, in illumq. intentio dirigatur nostra, quia vltrà illum non est nobis salus, nec vita. Ab ipso enim fine, idest à Christo, eruditio nostra, consolatio nostra proueniet; siuè ergo tribulemur, siuè lætemur in omni tempore Dominum benedicamus, in hymnis, & carminibus laudemus, vt diximus supra Psalm. 33. Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo.

meo: Cui enim parat Dominus hæreditatem, hunc emendat, & corrigit, huic blanditur, & eum allicit; Augustin. Quia tribulatur Ecclesia Dei ab Hæreticis, & à peccatoribus, ideò ab his circundata clamat, lacrymas fundit, vt vel conuertantur inimici, vel ipsi spes augeatur in Christum, vt magis probata, auro comparetur, vt digna omni laude comprobetur à Patre, illam tribulante, & emendante.

Castigat enim Deus, & corrigit, quos amat, & diligit, Prouerb.3.num.12. Quasi Pater in filio complacet sibi. Intellectus Dauid, & Ecclesiæ, vt ipsa timens Dominum custodiat mandata illius, & patientiam habeat vsque ad inspectionem illius; Eccles.2.num.21. Virtus enim in infirmitate perficitur, 2.Corinth.12.num.9. Non ergo propter te tribuletur Ecclesia Dei, ipsa enim cum scientiam Dei diligat, & disciplinam eius diligit, Prouerb.12.num.1. Sed peccatorum in illa existentium obstinationem, & insipientiam deplorat, quia salutem eorumdem diligit, Ierem.cap.1.num.5. in Thren. Paruuli eius ducti sunt in captiuitatem ante faciem tribulantis, & num.15. Abstulit omnes magnificos meos Dominus de medio mei, & vocauit aduersum me tempus, vt contereret electos meos.

Torcular calcauit Dominus Virgini filiæ Iudæ; idcircò ego plorans, & oculus meus deducens aquas, quia longè factus est à me consolator, conuertens animam meam. Facti sunt filij mei perditi, quia inualuit inimicus. Formido, & laqueus, facta est mihi vaticinatio, & contritio: oculus meus afflictus est, nec tacet; eo quòd non sit requies; donec respiciat, & videat Dominus de Cœlis. Vocem meam audi, & ne auertas faciem tuam à singultu meo, & clamoribus, Thren.cap.3.num.56.

Intellectus ergo Dauid in Carminibus, vt gaudens Deo gratias agas, & laudes, quia tribularis, quia circundata sis ab infirmis, & peccatoribus; nàm virtus in infirmitate perficitur, Sara mulier illa sancta in oratione, vt à suo liberaretur improperio, cum tribus diebus, & noctibus in oratione persistens, nec manducasset, nec bibisset: benedictum, inquit, nomen tuum Deus Patrum nostrorum, qui cum iratus fueris misericordiam facies, &c. Ad te Domine faciem meam conuerto; ad te oculos meos dirigo: peto Domine, vt de vinculo improperij huius absoluas me, aut certè desuper terram eripias me. Tu scis Domine, quia animam meam ab omni concupiscentia reseruaui, &c. Hoc autem pro certo habet omnis, qui te colit, quòd vita eius si in probatione fuerit, coronabitur, si autem in tribulatione fuerit, liberabitur, & si in correptione fuerit, ad misericordiam tuam venire licebit: non enim delectaris in perditionibus, quia post tempestatem tranquillum facis, post fletum, & lacrymationem, exultationem infundis, sit nomen tuum benedictum in sæcula, & exauditæ sunt preces illius, Tob.cap.3.numer.20. Sit tibi, & Dauid, idest Ecclesiæ pro his intellectus: sit tua deprecatio pro iniquis illis assidua, ad Thessalon. cap.1.num.1. Sit importuna oratio tua cum Cananæa dicendo, Veni Domine, nàm & canes edunt de micis, quæ cadunt de mensa Domini sui, Matth.cap.15. numer.27. immo potius importuni dicimur, quia non opportunè petamus, Chrysost. homil.23. in Matth. & Gregor. in Psalm.6. Clamauit Ionas tertiò ad Deum de ventre Ceti, de altitudine Maris, de profundo inobedientiæ, vult Deus rogari, vult Deus cogi, vult quadam importunitate vinci, ideò tibi

dixit

dixit; Regnum Cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud, Matth c.11. num.12. Esto sedulus in oratione, esto in precibus importunus; si dissimulat andire, quem rogas, esto raptor, vt regnum Cælorum accipias; esto violentus, vt vim inferas Cælis, inferunt ipsis Cælis violentiam, & regnum Cælorum quadam oratione, vi rapiunt, ideò Cananæi à Domino exaudiri meruit, quia prima Domini responsione repulsa, clamare nequaquam cessauit. Multum enim valet deprecatio iusti assidua, Iacob.cap.5.num.16. misericordia enim Domini, vt matutina nubes, & vt ros diluculo cadens, Ose.6.num.4.

Intellectus Dauid. Sed si in Carminibus, ò Dauid, quomodò in finem dicis? si tribularis; quomodò in Carminibus? Si ploras, exultemus in Carminibus? 1.Paralip.cap.16.num.35. & 2.Paralip.cap.6. num.7. Stabant Leuitæ in organis Carminum Domini. Non ergo in Carminibus, cuius intellectus est in tribulationibus. Ad quæ respondendo dicimus, quòd in Carminibus, quia per tribulationes temporalium ad æterna peruenimus, cum enim flagellat nos Deus in istis laboribus, dolor est medicinalis, non sententia pœnalis, Augustin. Psalm.140. & Psalm.91.

An non ea, quæ Iacobi cap.5.num.11.scripta sunt legisti? inquit enim ibi. Ecce beatificamus eos, qui sustinuerunt, sufferentiam Iob audistis, & finem Domini vidistis, quoniam misericors Dominus est, & miserator. Patientia Iob imitanda proponitur, vt finem, Christum scilicet expectemus. Non in rebus corporalibus retributionem venturam speremus, sed in cælestibus donis sit spes nostra, & gloria nostra, Vndè Augustin. Tom.2. Epistol.120. cap.9. propè finem, litera G. Mortuus est Iesus in conspectu hominum, resurrexit autem in conspectu filiorum hominum, quia mors ad homines pertinebat, resurrectio ad filium hominis, 1.Corinth.15.num.22. sicut in Adam omnes moriuntur, sic & in Christo omnes viuificabuntur. Vt igitur exemplo suæ carnis exhortaretur fideles suos; temporalem pro æterna felicitate contemnere vsque ad mortem pertulit persequentes, atque sæuientes, & quasi victo, & oppresso superbè illudentes, &c. & in cap. seq.10.

Quapropter etiam Iacobus vnus ex Apostolis eius in Epistola sua, cum hortaretur fideles, qui post passionem & resurrectionem Christi adhùc in ista vita tenebantur, dispensationem veteris testamenti, nouiq. distinguens; Sustinentiam, inquit, Iob audistis, & finem Domini vidistis; Ne ergo sustinerent temporalia mala, vt sibi hoc restitueretur, quod recepisse legimus Iob. Nàm & ab illo vulnere, atque putredine saluus factus est, & ei cuncta, quæ amiserat, duplicata sunt restituta. Vbi etiam commendata est resurrectionis fides. Nàm filij non dupli, sed totidem redditi, & illos, quos amiserat, resurrecturos significauerunt; sic ipsi quoque illis prioribus iuncti, à restitutione dupli non inueniuntur alieni. Vt ergo non talem remunerationem speraremus, quando temporalia mala pateremur, non ait; Sustinentiam, & finem Iob audistis: sed ait, Sustinentiam Iob audistis, finem Domini vidistis, tamquam diceret, Mala temporalia sicut Iob sustinete, sed pro hac sustinentia, non temporalia bona sperate, quæ illi aucta exhibita fuerunt, sed in Domino potius spem omnem collocate, intuentes, quæ in Christo præcesserunt.

In finem ergo, in dispensatore noui testamenti Apostolus præcepit diuitibus huius sæculi, non superbè sapere, nec sperare in incerto diuitiarum, sed in Deo

viuo,

viuo, qui præstat nobis omnia abundanter ad fruendum, vt benè faciant, diuites sint in operibus bonis, facilè tribuant, communicent, thesaurizent sibi fundamentum bonum in futurum, vt apprehendant veram vitam, qualis in Christi non tantum Spiritu, verùm etiam carne manifestata est, cum resurrexit à mortuis, non qualem Iudæi in illo quem peremerunt, quando eum de manibus eorum Deus non eruit, eumq. dereliquisse visus est exclamantem; Deus meus, Deus meus, vt quid me dereliquisti? Ioan.cap.21.num.18. Vt eo modo in se transfiguraret Martyres suos, qui etsi mori nollent, quod etiam Petro dixit, alter te cinget, & ducet, quò tu non vis; significans, qua morte clarificaturus erat Deum; & ob hoc à Deo suo derelicti viderentur ad tempus, cum illis præstare nollet, quod vellent, illam cordis vocem emitterent, illumq. adhiberent pietatis affectum, quem passione impendente, ore proprio Dominus expressit, eos in te identidem transfigurans. Verùm non quod ego volo, sed quod tu vis Pater, &c. hæc Augustin. In tribulationibus ergo Carmina nostra, vt cum Christo sit resurrectio nostra: gaudentes ibant à conspectu Concilij, quia digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati.

In finem ergo vt audiuimus, quando tribulamur, seù lætamur, sit nostra oratio, sit spes, sit consolatio nostra. Exemplum operis Crux, præmium operis resurrectio; in Cruce quid tolerandum ostendit nobis, & in resurrectione, quid sperare debemus. Prorsus tamquam agonothetæ sumus, dixit, Fac, & tolle, fac opus, & accipe præmium, certa in agone, & coronaberis. Obedientia ergo opus est, vt præmium assequamur, Sine morte; sine morte dixi, quia Lazarus resurrexit, & mortuus est, resurrexit Christus, iàm non moritur, mors ei vltra non dominatur.

Patientiam ergo Iob audiuimus, & finem Domini vidimus; multa, horrendaq. damna passus est Iob: dupla quàm perdiderat, quia patiens fuit recepit, non tu propter temporalia præmia patientiam habeas, vt dupla tibi reddantur præmia, sicut Iob, qui sine querela fuit, verus Dei cultor; ecce omnia ei sublata, & filios: nihil aliud in ore suo, nisi, Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum. Ecce in finem in Carminibus semper Deum laudandum docemur: quæ Deus dedit; abstulerat idem Deus, non tamen Deum ille dereliquit, semper in illo spes fuit, quem habens, omnia habere se præsumebat, sciebat, intelligebat; Intellectus Dauid, vt scias, quia quem Deus non derelinquit, omnia se habere confidere: humiliatum Iob exaltauit, superbum Diabolum humiliauit. In Carminibus ergo sit consolatio nostra, quando tribulamur, & affligimur pro Dei Ecclesia, pro nomine Iesus.

In finem ergo quando tribularis, patiens esto non propter temporalia adipiscenda, sed propter finem, Christum scilicet adipiscendum libenter glorieris. Patientia Deum laudat, non auaritia: de charitate Deum lauda, non de cupiditate, & auaritia, Augustin. Tom.9. de Symbol. ad Cathecum. cap.3. litera E. & F. Quando Iob omnia tolerabat, duplum non sperabat; non dixit, Dominus dedit, Dominus alia maiora dare poterit, sed Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum.

In Carminibus, in finem, sic placuit Domino: ità placeat & mihi, seruo suo. Et mulieri illum increpanti dixit, Si mala de manu Domini suscepimus, quare & mala non sustineamus? Non cogitauit de perdita re, sed de laudibus

Deo agendis. In finem ergo, qui & si quoad præsentem felicitatem illum reliquisse videretur, vndè in Cruce dixit Iesus, Deus meus, vt quid dereliquisti me? non tamen eum dereliquit ad æternam immortalitatem.

In finem, ò Dauid, ò Ecclesia Dei, qui tanta pro nobis passus est à Iudæis, quasi illis insultantibus relictus: resurrexit Christus à mortuis, ità & tu patientiam habeas, vt nunquam & tu moriaris, sed cum Christo semper viuas.

In finem in Carminibus intellectus: tria hæc Dauid sibi anteponit, vt in finem sit omnis nostra actio; in Carminibus, vt laudes Deo debitas canamus, exhibeamus: intellectus Dauid, vt scilicet non quia nobis tribuat terrena laudemus, sed quia ipse est bonus, vt & nos passione sua redemptos ad æternam felicitatem secum conducat.

In libro sibi ostenso dicit Ezechiel.cap.2.num.9. Scriptæ erant Lamentationes, & Carmen, & væ; quæ tria tribus respondere videntur hisce, In finem, in Carminibus, intellectus Dauid. Væ posito pro impœnitentibus, vt intellectus sit Dauid, impœnitentibus mortem annunciare. Lamentationes pœnitentibus, quia peccando Deum offenderunt, & propterea côtritionis dolore lamententur: Carmina verò iustis in Ecclesia existentibus, Deumq. laudantibus, & pro Ecclesiæ Dei dilatatione orantibus, seù Carmina canentibus, quæ super impœnitentes fiunt lugubria, & perditos plangentia iuxtà illud Ezechiel. cap. 27. numer. 32. Assument super te Carmen lugubre, & plangent te: Carmen, inquit, idem in cap. 32. numer. 15. lugubre super multitudine Ægypti, idest peccatorum.

O miles Christi in finem sit finis tuus, vt finis sine fine sit etiam tuus in lætitia. Tribularis? respice finem, qui pro te gratis taliter passus est: bonis terrenis es locuples, sit tibi intellectus, vt tu illis, non illa tibi sint proposita, sisq. illorum dispensator, non Dominus: & tunc in Carminibus laudes offerendo, dicas Domino.

Exaudi Deus orationem meam, & ne despicias deprecationem meam, intende mihi, & exaudi me; Quoniam alieni insurrexerunt aduersum me, & ego fugiens elongaui, & à turba desideriorum terrenorum in altam Dei contemplationem veni, mequè subleuaui; & manens in solitudine, in Deo mansi, vbi est quies mea, & in remota mentis intentione mea perseueraui.

Intellectus sit mihi, qui ad differentiam aliorum animalium, ad imaginem Dei factum me esse intellexi: infelix ego homo, quis me liberabit à corpore mortis huius? gratia Dei per Christum Dominum nostrum, quia tempus est gemendi, donec ad illam regionem Creatoris in Cælo perueniam, sicut ille promisit. Intellectus mihi sit, vt permanens in corpore Christi dignum inueniar membrum illius, merearq. ab illo saluari, nàm deliramenta huius vitæ vana esse intellexi: Et nunc gemens ad te suspirans dico, Exaudi Domine orationem meam, &c. orat multa patiens, de malo liberari desiderans, in quo autem malo sit contristatus, sequitur Psalmus.

Contristatus sum in exercitatione mea. Conturbatus sum à voce inimici, & à tribulatione peccatoris. Verba omnia consideremus; In exercitatione, inquit, contristatus sum. Sed quomodò in exercitatione? quia inter peccatores existens, atque patiens in innocentia mea permansi. Conturbant illi, patiens, & dolens est iste: mala operantur iniqui, & peccatores, in bono se

exer-

exercet iustus, & Ecclesia, vt in bono persistentes superent malum.

Contristatur, quia compatiendo de tristitia futura iniusti, simul de illius tristatur perditione; sed si lætus iniustus in delictis, quomodò tristitiæ suæ commouet compassionem? epulemur, inquit peccator, Venite, & fruamur bonis, & pretioso vino, & vnguentis impleamur, Sap.cap.2.nu.6. ideò si cognosceret peccator, quæ nunc videntur sibi ad lætitiam, & pacem, Luc. cap.19.nu.44. Quia venient dies in te, & circundabunt te inimici tui vallo, & circundabunt, & coangustabunt te, &c. & ille turbatus esset de sua perditione, & propterea Prophetico spiritu conturbatus, idest ex nunc prout ex tunc, conturbatur & Propheta.

Iterum ab exercitatione mea, nàm Gregor. 24. Moral. cap. 12. Dispensante, inquit, Deo, permittitur, vt conuersus quilibet post conuersionem suam tentationum stimulis fatigetur, ne ipsa securitas sternat. Iàm quidem per conuersionem Mare rubrum transitum est, sed adhùc in Eremo vitæ præsentis ante faciem hostes occurrunt. Iàm per peccata extinctos Ægyptios post terga relinquimus, sed adhùc nocentia vitia, quasi alij hostes obuiant, vt ad terram promissionis pergentibus cœptum iter intercludant. Iàm priores culpæ prostratæ sunt, sed tentationum stimuli quasi hostes alij contrà faciem veniunt, qui & cum nostro labore superentur. Hoc ideò, quia conuersio securitatem parit, mater autem negligentiæ solet esse securitas, ne ergo securitas negligentiam generet, scriptum est Eccles.cap.2. Fili accedens ad seruitutem Dei, sta in iustitia, & timore, & præpara animam tuam ad tentationem. Non, ait, ad requiem, sed ad tentationem, quia hostis noster adhùc in hac vita nos sibi rebellare conspicit, tantò amplius expugnare contendit; eos enim pulsare negligit, quos quieto iure possidere se sentit: Contrà nos verò vehementius incitatur, quò ex corde nostro, quasi ex iure nostro propriæ habitationis expellitur.

Ab exercitatione mea. Malorum scilicet hominum mores patiendo; sed cur Deus malos permittit esse in mundo? Augustin. hìc. Omnis malus, inquit, aut ideò viuit, vt corrigatur, aut ideò viuit, vt per illum bonus exerceatur. Si ergo exercitij nostri causa sunt inimici, sunt mali, ergo illos amare obligati sumus, eò magis quia sic nos amare illos præcepit Dominus, Matth. cap.5.num.44. Per illos enim tentat nos Deus, vt palam fiat, quia diligimus Dominum, Deuter.cap.13.num.4. In toto corde nostro, in tota anima nostra, & eò magis inimicos, & iniquos diligere iubemur, quia vtrum vsque in finem, in malo sint perseueraturi ignoramus, Ezech. cap.33.num.12. Impietas impij non nocebit ei, in quacumque die conuersus fuerit ab impietate sua; & ad Ephes.cap.5. Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. De iniustis, & peccatoribus hominibus intelligimus; nàm etsi Diabolus sit noster principalis inimicus, quia tamen illius est desperata salus, haud à nobis diligendus, nec Angeli eius; sunt enim ad ignem æternum destinati, contrà quos luctam occultam habemus, ad quam armat Apostolus ad Ephes.cap.6. dicens: Non est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem, idest non aduersus homines, quos videtis, sed aduersus Principes, & Potestates, & Rectores mundi tenebrarum harum, ne fortè cum dixisset mundi, intelligeres, Dæmones esse Rectores Cæli, & terræ, mundi dixit, ait Augustin. tenebrarum harum, mundi dixit,

dixit, amatorum mundi, mundi dixit, impiorum, & iniquorum, mundi dixit, de quo Ioan.cap.1. & mundus eum non cognouit. Si mundus non cognouit lucem, quia lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt, & quæ erunt tenebræ, quæ sine luce fuerint, Matth.6.num.23. si lumen, quod in te est, tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ erunt? & ipsæ tenebræ, quæ non comprehenderunt lucem præsentem, mundi nomine appellantur. Harum tenebrarum sunt illi Rectores, de illis ergo Rectoribus non est sperandus reditus; at verò de tenebris, quarum illi Rectores sunt, non sumus certi, ne fortè qui erant tenebræ, fiant lux.

Quare ergo contristaris in exercitatione tua; si tibi diligere inimicum mandatum est? Ideò exercitaris, ne in superbiam eleueris, vt in charitate persistas, vt fratrem tuum lucreris. Quomodò exercitareris, inquit Augustin. si nullum inimicum patereris? non enim cum transieris, intercludenda est via pietatis, Augustin. Si bonus es, non habebis inimicum, nisi malum, porrò tibi ea regula bonitatis præfixa est, vt imiteris bonitatem Patris tui, qui facit Solem oriri super bonos, & malos, & pluit super iustos, & iniustos, Matth.5.nu.45. Ego autem, dicit Iesus, dico vobis, diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos, vt sitis filij Patris vestri, qui in Cælis est: qui facit Solem suum oriri super bonos, & malos, & pluit super iustos, & iniustos. Nunquid enim tu habes inimicum, & Deus non habet? parcit Deus inimico, quem creauit, quia & Sol super illum oritur, & pluuia pluit, & tu odio habebis illum, qui tecum concreatus est? & etiam tu ex malo bonus factus es, quia misericors tecum fuit Deus, quomodò præcepta Domini seruaros, qui inimicos tibi diligere præcepit? quomodò exercereris, si nullum inimicum patereris?

In exercitatione mea contristatus; Cur contristaris? quia in patientia tua tentaris? quia in proximi pietate, & misericordia exercenda probaris? Vt iustificatus ab illo discedas: vt ascendas ad Patrem, qui & tecum misericors fuit, ideò exercitaris, non vt tædio affectus odio habeas inimicos, vel mala persuasione diabolica turbetur oculus tuus, vt in Psalm.6.numer.8. Turbatus est præ ira oculus meus, inueteraui inter omnes inimicos meos: mergi cœperat in tempestate sicut Petrus, Matth. cap.14. Qui diligit inimicos, huius sæculi fluctus calcat. In mari Christus ambulabat intrepidus, in cuius corde erat inimici dilectio, nàm & in Cruce dicebat, Pater ignosce illis, Luc.cap.23.nu.34. Petrus verò iussu Christi in eodem mari ambulans, ventum validum videns timuit, quia mergi iàm cœperat, conturbatus in sua exercitatione. Augustin. A quo vento valido conturbatus? à voce inimici, à tribulatione peccatoris. Clamauit Petrus, & exauditus est à Domino, clamat iste, dicens, Domine exaudi deprecationem meam, tranquilla, inquit, me perturbatum, quia formido mortis cecidit super me, & timor, & tremor venerunt super me: contristatus erat in exercitatione, & conturbatus à voce inimici, à tribulatione peccatoris. Insultabant superbi, orabat humilis; sæuiebant inimici in illum insultationis strepitu, iste verò intus inuocabat, quem non videbat, exemplum nobis, quando ab inimicis perturbamur, quando omnia, quæ possunt, contrà nos moliuntur, vt ad orationem conuertamur, ne dilectionem amittamus. Tunc gaudendum, & exultandum, quoniam magnum in Cælis erit præmium nostrum, Matth.cap.5.numer.11. Beati enim, inquit, cum maledixerint vobis

homi-

homines, & persecuti vos fuerint, gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in Cælis. Sæuiant inimici contrà te in terra, quia tu exultabis in Cælo, germinant illi in terra conuicia, tu in Cælo lucra colligis.

Quoniam declinauerunt in me iniquitates, & in ira molesti erant mihi. Declinauerunt in me iniquitates, inquit, sed quomodò iniquitates in te declinauerunt? Nunquid iniquitas ex se in iustum declinat? Nunquid iustum malum aggreditur sine aliquo malum supponente?

Noli considerare, qualis sit, qui immediatè inferat malum, sed à quo iussus, aut permissus sit. Vndè Iob cap. 1. Dominus dedit, Dominus abstulit, non dixit Dominus dedit, Diabolus abstulit, non gaudeat inimicus, agnosce eius voluntatem, potestatem tamen non nisi à Deo habet, Ioan.cap.19.nu.11. Inquit Dominus Iesus Pilato, non haberes in me potestatem, nisi datum tibi esset desuper, & 2.Reg.16.num.10. Cum malediceretur Dauid à Semei, & iniurijs impeteretur maximis, & vt is occideretur instassent eiusdem milites. Sinite, inquit Dauid, Deus enim præcepit ei, vt malediceret Dauid. Grande donũ à Deo, condemnanda contumelia, & ad Dei magnam prouidentiam exaltanda, hinc Isai.45.nu.7. Ego Dominus, non est alter, formans lucem, & creans tenebras, faciens pacem, & creans malum: ego Dominus faciens hæc omnia, creans tenebras, idest commutationé aduersitatis cũ prosperitate, & è contrà faciens pacem, idest bonorũ abundantiam, & creans malũ, inopiam scilicet, & egestatem. Vndè Nazianzen. Epistol.63. in suo morbo, & dolore, Gratias, inquit, dabo, vt in lætis rebus, ità & in morbis, quandoquidem illud exploratum habeo, nihil rerum nostrarum apud summam rationem expers rationis; & Genes.cap.45.numer.8. Non vestro consilio, sed voluntate Dei hùc missus sum.

Chrysost. in Epistol. ad Roman. in homil.15. Cur ergo molestos tibi dicis inimicos, cum ex ipsis tibi sit via facta salutis? Gregor. Moral.14. Sanctis viris quot occasiones perditionis intulit inimicus, tot causas victoriæ ministrauit. Plantatur enim lignum secus decursus aquarum, hoc est inter afflictiones, & labores stat iustus, non in ipsis fluminum decursibus, Psal.1.n.3. & ibi Ambros. Vt finitimum, non demersum intelligas, nàm neque mens iusti laboribus, & ærumnis obruitur, sed irrigatur, quo pulchriores flores proferat, & vberiores fructus producat. Vt contingit in arboribus, quæ plantatæ sunt secus decursus aquarum. Patientes igitur estote & vos, & confirmate corda vestra, dicit Iacob. in c.5.nu.8. & 9. quoniam aduentus Domini appropinquauit. Nolite ingemiscere fratres in alterutrum, vt non iudicemini, hoc est, nolite frangi animis in aduersis, immo confirmate corda vestra in sancto pietatis Christianæ proposito.

Quoniam in me declinauerunt mala; Hæc & de Christo Iesu dicta sunt, contrà quem illi Iudæi dicebant, scimus, quia hic homo peccator est, Ioan.c.9. & hic dæmonium habet: Greg. in 13 Moral. c.1. Peruersorum solet esse proprium, quòd mala sua per conuicium bonis ingerant, priusquam de eis veraciter accusentur, & dum metuunt de his increpari, quæ faciunt, aduersantibus suis prauitatibus iustos hæc facere testantur; Sancti autem viri patienter audiunt, & quæ nunquam fecisse meminerunt, quamuis ea mala, quæ sibi ingeri conspiciunt, ab ipsis suis criminatoribus nouerint perpetrata, etiam cum eos prædicando corrigere non possunt, patiendo tolerant, quatenus si fructum conuersionis eorum consequi non valeant, ex ipsis tamen præmium longanimitatis

acquirant. Vndè & sancta Ecclesia, David Prophetæ vocibus dicit: Supra dorsum meum fabricauerunt peccatores, quia videlicet dum reprobos, quos non valet corrigere tolerat, facta peccantium supra dorsum portat, hæc Gregor.

Et in ira molesti erant mihi. Hieronym. Persequentes me in inuidia sua, & in ira molesti: molestus, idest sæuus; in ira, festuca, trabs, odium; ira conturbat, trabs excæcat, vt illud Psalm.6. Turbatus est præ ira oculus meus. In ira molesti erant mihi; nimirum si molesti, si sæui erant. Homo enim ira percitus, & inflammatus nullum iustitiæ diuinæ locum relinquit, quandoquidem in eo nulla residet humanitas, nulla commiseratio, nulla æquitas, nulla charitas; Cassian. lib.8. de Instit. Monach. cap. 1. qui exponit illud Iacob.cap.1. vers.19. in fine, Sitis autem fratres mei dilectissimi, &c. tardus ad iram, ira viri iustitiam Dei non operatur, idest ira præter & contrà rationis iudicium, iustitiã veram impedit, atque conturbat, Greg.5.Moral.cap.30. Per iram, inquit, iustitia Dei relinquitur, quia dum perturbata mens sibi rationis iudicium exasperat, omne, quod furor suggerit, rectum putat.

In ira molesti erant mihi, quia quod falsum, & iniquum erat, tamquam verum vt ostenderent persistebant, Augustin. Epist.149. Tom.2. ait; Nulli irascenti ira sua videtur iniusta: ità enim inueterascens ira fit odium, dum quasi iusti doloris admixta dulcedo, eam intrà se detinenti, donec totum acescat, vasq. corrumpat.

Declinauerunt in me iniquitates, & vt illorum iniquitas iusta videretur, falso Dei Ecclesiæ zelo irati dicebant, Non est hic à Deo, qui Sabbata non custodit. In ira molesti erant mihi, qui totum hominem sanum feceram in die Sabbati, Ioan.7.num.23.

Cor meum conturbatum est in me, & formido mortis cecidit super me. Hæc de Christo dicta fuisse clarè apparet, Luc.22.num.42. Pater, inquit, si vis transfer calicem hunc à me; veruntamen non mea voluntas, sed tua fiat. Ecce timor mortis, qui conturbat eum, qui moriturus pro nobis venerat. Cor meum conturbatum est; & factus in agonia prolixius orabat, & factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram, num.45. ibidem Luc.

Timor, & tremor venerunt super me, & contexerunt me tenebræ. Quid per tenebras, nisi iniqui describuntur, qui in horto Iesum orantem aggressi cum fustibus, & lanternis apprehenderunt eum, Matth. cap.26.num.47. Ioan. cap.18.num.4. contexerunt illum tenebræ. Verùm quia lux ipse erat, tenebræ eum non comprehenderunt, Ioan.cap.1.

Audi miles Christi, qui cum iniquis in agone contendis: cor tuum intrà te turbatur, quia caro aduersus spiritum; sustine modicum, quia Angelus Domini accedens ad te, confortabit te, tremor est in corpore tuo, timor sit in anima tua, quia nihil tibi deerit timenti eum, &c. Psalm.33.num.10. Ad nihilum in conspectu eius deducetur malignus, timentes autem Dominum glorificat, Psal.14.n.4. tremor in corpore eius, qui terrena sapit, timor in anima eius, qui Deum glorificat, timete, inquit Dominus, omnes sancti eius, Sed quomodò hæc adaptentur, audi. Nàm vita dilectio est, mors odiũ; turbatur præ ira oculus tuus, d.Psal.6. non turbetur oculus, vt odio habeas inimicum tuum, qui diligendus à Deo proponitur. Hunc habet iustus timorem, ne dum est in agone, ne odio habeat inimicum, qui dat illi corporis mortem; nàm tunc acrior illi mors

esset

esset animæ, hocque illud est quod timet iustus, nempè interiorem mortem, qua occiditur anima, non corpus. Augustin. hìc, litera H. Attendebas hominem sæuientem in te, quid eras facturus, contrà quem tibi securitatem Dominus tuus dederat, dicens, Matth. cap. 10. num. 28. Nolite timere eos, qui occidunt corpus; ille sæuiendo corpus occidit, odium tu habendo animam occidisti, & ille corpus alienum, tu animam tuam, metus ergo cecidit super me, hæc Augustin.

Timor ergo, & tremor venerunt super me, & contexerunt me tenebræ. In illa exercitatione positus dicit iste iustus intrà se, si fratrem me lacerantem odero, tenebrosus ero; si dilexero eum, in me lumen Christi erit, Ioan. 1. Cor meum conturbatur, quia timor amissionis vitæ æternæ mihi instat; si fratrem odero, corporis mortem non euadam, ecce corporis tumor venit, & timor animæ meæ.

Quis, inquit, dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam? loquitur Dauid salutem animæ suæ desiderans, aduentumq. Domini interpellans dicit: Quis mihi dabit pennas sicut columbæ, vt meritorum Christi virtute audiam & ego aqua baptizatus in nomine suo, hic est filius meus dilectus; nàm ego, inquit, volabo, si pennas columbæ quis mihi dederit. Quò volabis, ò Dauid, ò fidelis Ecclesiæ Dei? In quo loco stabis? Luc. 24. nu. 49. Volabo, inquit, in eum locum, in quem filius Dei mittet promissum Patris in me; sed in quo stabis loco? in Ciuitate, inquit, in Ecclesia à Iesu fundata, in Ciuitate, vbi ille idem inquit, Sedete in Ciuitate, quoadusquè virtute ex alto induamini: & quæ est ista Ciuitas, nisi cælestis Ierusalem? Quomodò ad illam adducamur Dominus Iesus ostendit, Luc. vt supra num. 50. Eduxit eos foras in Bethaniam, & eleuatis manibus suis benedixit eis, & factum est dum benediceret illis, recessit ab eis, & ferebatur in Cælum.

Sed videamus, quid est hoc? pennas columbæ desiderat iste, vt volans requiescat, Deus illos in Ciuitate sedere iubet, quoadusque virtute ex alto induantur, & postmodum eos foras eduxit in Bethaniam, & dum benediceret illos, recessit ab eis.

Quid sibi vult, quòd illos in Ciuitate sedere iussit, nisi vt in Ecclesia baptizati persisterent, vbi Spiritus sanctus in specie columbæ visus est? quod præsignificatum est in Christi Baptismo, de quo Matth. 3. num. 16. postquam enim est baptizatus Christus, descendit in specie columbæ Spiritus sanctus, & Cæli aperti sunt ei, Marc. 1. nu. 9. Luc. 3. nu. 23. Ioan. 1. nu. 32. At si sedere in Ciuitate iussit, quare eduxit illos foras in Bethaniam? & postquam foras illos eduxit, cur illos benedicens recessit ab eis? Nullus extrà Ecclesiam Christi miles dici dignus est, non enim colligit, qui extrà terram fructiferam serit, vt aliàs diximus. In Ciuitate sedere primò iubet eum, qui Christo seruire desiderat, & tunc foras educitur in Bethaniam, qui sub vexillo Crucis miles esse cupit; Quid enim per Bethaniã intelligitur nisi domus afflictionũ; domus obedientiæ? Quid inquit Christus? Qui vult venire post me, tollat Crucem suam, & sequatur me.

Sed cur ab illis recessit, postquam foras in Bethaniam illos eduxit, non recedit, qui benedicens illos in Cælum ascendit: Vt quid dereliquisti me? idem Iesus clamabat, & tamen Diuinitas nunquam recessit ab illo, sed itá clamauit, vt doceret nos seruos suos in Ecclesia existentes, quod si tribulamur pro Christi

nomine, ad modicum affligimur, vt pennis columbæ accincti requiescamus, volantes in Cælum: eduxit eos foras, vt quasi aurum in fornace probati auro lucidiores inueniantur in Ciuitate Dei, Sap. 3. num. 5. In paucis enim vexati, in multis benè disponentur, quoniam Deus tentauit eos, & inuenit dignos se.

Quis ergo mihi dabit pennas columbæ, vt mihi in Ecclesia Christi aquæ Baptismatis abluto tenebræ, quæ contexerunt me, lux fiant, & sancti Spiritus vocem audire merear. Adhùc sustine modicum, quia & tu in requiem meam cum cæteris iustis ingredieris: tunc volabis, quia post Baptismi lauacrum, quo sicut columba candidus effectus es Spiritu sancto indutus, & corroboratus, instar columbæ eò tuta volabis spe, vbi perpetuò requiesces.

Quòd si propter turbam scandalorum turbatus euolare cupis. Quid ad te, si mali malè viuant? quid tu turbaris, si iniqui, & Christi inimici iniqua gerentes perdantur, & in infernum sine spe finis proijciantur? Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam dolosam? Psalm. 119. num. 3. Nonnè scriptum est, Pax multa diligentibus legem tuam? & non est illis scandalum? Psal. 118. num. 165. quare ergo turbaris, si iniquus sit proximus tuus?

Hoc mare magnum, & spatiosum; illic reptilia, quorum non est numerus, Psalm. 103. num. 25. illic naues pertransibunt. Draco iste, quem formasti ad illudendum ei: Hieronym. Draco, Leuiathan, idest Diabolus ludit in eo; vel, vt dicit Augustin. illuditur Diabolo, dum eius tentationes prosunt ijs, quibus ipse obesse desiderat. Et ideò mare magnum, ideò illud tribulationum turba plenum. Non tamen, dicit Gregor. cogites, quia aduersitas, quæ bonis votis, idest propositis obijcitur, sit reprobationis indicium, sed virtutis est probatio. Quis enim nesciat, quàm prosperum fuit, quòd beatus Paulus Apostolus prædicaturus ad Italiam veniebat, & tamen veniens naufragium pertulit; sed tamen nauis cordis in maris fluctibus integra stetit: hæc referuntur in cap. Aduersitas, ordine 48. 7. q. 1.

Quare ergo cor tuum conturbatur in te, & quare timor, & tremor venerunt super te, & tenebræ contexerunt te? an ignoras, quia charitas foras mittit timorem, Luc. cap. 4. numer. 18. Timor non est in charitate, & vniuersa delicta operit charitas, Prouerb. cap. 10. num. 12. 1. Petr. 4. num. 9. Serò dicis; Quis mihi dabit pennas sicut columbæ? si manes in charitate? & si charitas est in te, quomodò pennas sicut columbæ petis? ecce elongasti fugiens, quia timor erat in te, in solitudine mansisti; nunc pennas petis, qui in Ecclesia Dei iussus es permanere? Sed quas pennas petis, ò Dauid? Illas duas, in quibus tota lex pendet, & Prophetæ, de quibus Matth. 22. num. 37. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & in toto corde tuo. Hæc est prima pẽna, qua ad Cælũ volatur. Secunda est similis illi; diliges proximum tuũ, sicut teipsũ.

Expectabam, inquit, eum, qui saluum me fecit à pusillanimitate spiritus, & tempestate. Iàm venit, quem tu expectabas, & tu illum venturum certò sciebas, quia Propheta Dei es, cur pusillanimitas fuit in te? tolerasti quidem malos pro parte tua, nec corporaliter ab eis recessisti, vel existi: sed spiritualiter, quare non existi spiritualiter? hoc est quare quod ad malorum morum pertinet correctionem non existi, non es locutus: malè facientes non correxisti? non enim corrigendo illos tangebas, etsi illis displiceres. Augustin. in lib. de Verbis Domini, de quo in cap. Tolerandi 23. quæst. 4. quod est primum

in

in ordine. Hoc exire est, ore non parcere, hoc est immundum non tangere, voluntati malæ non consentire.

Quis ergo, inquit, dabit mihi pennas; nunquid te vides sine pennis, an tibi ligatæ sunt pennæ? Augustin. Si desunt, dentur, si ligatæ sunt, soluantur, quia etiam qui soluit pennas aui, aut dat, aut reddit illi pennas suas; non habet enim eas tamquam suas, quibus volare non poterat: ligatæ pennæ onus faciunt, hæc Augustin. Si ergo non habeat pennas, quia ipsi vires deficiunt humanæ, distortos enim corrigere conatur homo, prauosq. pertinentes ad curam suam, sed in quibus deficiat omnis humana industria, & vigilantia, corrigere non potest. Pati necesse est, vbi requiesces? vbi volabis? inquit August. quis tibi dabit pennas sicut columbæ?

Vndè Paul. in exercitatione inuictissimus, & robustissimus, ad Galat.cap.6. num.17. De cætero, inquit, nemo mihi molestus sit, Augustin. inquit, Quasi diceret, de illo Psalm.118.num.53. Tædium, seù (vt Vulgata habet) Defectio tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam. Pennæ non sunt tibi, nisi ligatæ; adesto tamen, etsi patiaris: loquere, exhortare, blandire, minare, corripe, inquit Augustin. Feci omnia, quidquid virium habui impendi, & expressi: nihil me video profecisse, omnis opera consummata est; dolor remansit, contristatus sum in exercitatione mea, & conturbatus: cor meum conturbatum est.

Quis ergo mihi dabit pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam? nàm defectio tenuit me, quia pacem peccatorum vidi. Non tamen est illis pax, Isai.cap.48.num.12. & cap.57.num.21. Non est pax impijs; Pax, pax, inquiunt, & non erat pax, Ierem.cap.6.numer.14. & cap.8.num.11. Proficiunt in malis iniqui, & officiunt iusto de illorum perditione dolenti. Quis, inquit, dabit mihi columbæ pennas, vt volans requiescam; In volatu columbæ est requies, non enim tunc plorat, provt gemit semper quando stat, dum enim in valle hac stat, tempus gemendi considerat, dum in contemplatione diuinorum eleuatur, & volat, requiescit, quia ibi est quies, Hìc permanens est fletus, pennas columbæ desiderat, quia etsi volat, dum turbatur, & recedit, non tamen cessat amare, quod reliquit. Ideò reuertitur columba in arcam, Genes. cap. 8. Non corui pennas desiderat, qui emissus, nunquam est in arcam reuersus, reuertitur columba, quia in illa charitas est ordinata, Cant.2.num.4.

Sed si, ò Dauid, ò Ecclesia Dei columba es, Cant. dicto cap.2. numer.10. cum seqq. quomodò pennas sicut columbæ desideras; cum tu sis columba Dei, dilecta Dei? nunquid sine pennis columba? Columba est Ecclesia Dei, pennas habet, sed ligatas, quia iniquorum crescit malitia, & hæreticorum fallacia: Sicut lilium inter spinas. Recedat hyems, & transeat imber, abeat, & recedat; soluantur pennæ columbæ tuæ Domine, vt per totum terrarum Orbem euolando crescat meæ petitionis effectus, impleantur omnes virtutibus; charitate scilicet in te Dominum, in totis illorum cordibus diligendo, & in proximi amore, & dilectione, fiat Domine vnum ouile, & vnus Pastor, vt ego læta in Cælum requiescam in pace: Pennæ ligatæ sunt meæ, spatia tamen charitatis dilatata sunt, propterea cum Apostolo dicam; Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non vror? 2. Corinth. cap. 11. numer. 29.

Ecce elongaui fugiens iniquorum, & hæreticorum fallacias, sed quasi sterilis facta remansi in solitudine; Fugiens elongaui, quia tu Domine Iesu, me in aliam Ciuitatem persequentes me fugere docuisti. Non tamen corpore auolaui; & fugi, sed morum dissimilitudine, vt illis exemplo proficerem, ab illis discessi; non ergo loco me elongaui, sed à malis, ne charitas bonorum rumpatur, & ne malorum exercitium perdatur, quos tu Domine, vt admiscerentur, ideò permisisti, sicut inter Apostolos Iudam, ne iustorum exercitatio deficeret.

Gregor. lib.4. Moral. cap.35. Fugiens se elongat, qui à turba desideriorum terrenorum in altam Dei contemplationem se subleuat. Augustin. hìc litera M. Conuicia hominum ferre non possum; strident, rabie feruntur, accenduntur iracundia, in ira adumbrant me, prodesse illis non possum. Vtinam requiescam alicubi, ab eis separatus corpore, non amore, ne in me conturbetur ipsa dilectio. Verbis meis, & collocutione mea prodesse non possum, orando pro eis forsitan prodero. Dicunt illa homines, sed plerumq. ità ligantur, vt volare non possint; fortè enim non ligantur visco, sed ligantur officio, & tunc dicunt, cupio dissolui, & esse cum Christo, ad Philippens. 1. hæc Augustin.

Quis dabit mihi pennas columbæ, & volabo? Quorsum vis tendere? vbi quæris te abscondere, vbi fugere? Si omnes fugiunt iusti, vbi remanebit charitas serui Dei? vbi emendabuntur mali, si exemplo bonorum non reducantur? quomodò id implebitur Euangelij, lucratus eris fratrem tuum, si is non inueniat aliquem illum corripientem, illum monentem, illum docentem? Melius habes à Deo, quòd confirmatus inter malos versaris, & in bonitate tua manens auro clarior, & pretiosior inueniris. In solitudine quidem, & rerum diuinarum contemplatione permanens fugis malum, elongatus ab illo, at & in congregatione hominum proficiendi habes occasiones, cum ideò sunt ibi mali, vt per illos exerceantur & boni.

Elongaui fugiens, & mansi in solitudine, in deserto. Sed in quo deserto? Cum gentibus incredulis, quas in aduentu meo florere feci, Isai.cap.35.num.1. lætabitur deserta, & exultabit solitudo. Hieronym. Vbicunque fugeris, congregabuntur & cæteri, desertum tecum petent, affectabunt vitam tuam, tu repellere non poteris societatem fratrum. In omni congregatione multitudinis, necesse est, vt inueniantur mali, & illi miscentur tibi; & nihilominus adhùc debetur tibi exercitatio. Et si in deserto conscientiæ tuæ, vbi Deus solus, & tu es, quid facies de adiungentibus se tibi? Non enim à genere humano separatus esse poteris, quandiù inter homines viuis. Attende igitur Creatorem, & Redemptorem nostrum inter nos natum, & quia duodecim suis miscuit vnũ, quem pateretur; Non ergo sis solus in deserto conscientiæ, vt conturbetur cor tuum, quia sis solus, & non in charitate, vt fugias vitam dilectionis; non odio habebis inimicum tuum, non iracundia turbet cor tuum; nàm, qui præcepit nobis, malos deuitare, 2. ad Timoth. 3. num. 6. iussit etiam corripere fratres, vt erubescant.

Vndè Augustin. A quo indixit separationem, non præcidit dilectionem, 2. ad Timoth. cap. 2. ommissa enim dilectio mors tua est. Erat ergo Dauid in se quietus, sed ab alijs turbabatur, intus consolabatur conscientia, sed forinsecus tribulationes eum non relinquebant; sed ista dilectio conturbat eum, solus

ſolus erat in conſcientia, ſed non ſolus in charitate, ideò conturbatur, & ait.

Expectabam eum, qui ſaluum me fecit à puſillanimitate ſpiritus, & tempeſtate: ſi te iàm ſaluum fecit à puſillanimitate, ergo iàm venerat, quem tu dicis expectare; Quid dicis Dauid? Si expectas, ergo nondum venerat; Si ſaluum te fecit, ergo venerat: Quid eſt hoc? nondum venerat, quem expectabat, loquitur tamen ac ſi iàm veniſſet, qui in humilitate mundum ſaluaret, ſpiritu prophetico eum videns; ſaluum faciet à puſillanimitate, vt exaltaret hominem in excelſo habitare.

Præſtolatur Domini aduentum, qui per eum à puſillanimitate ſe aſſerit fuiſſe ſaluatum, & à tempeſtate. Saluum fecit à puſillanimitate, qui ideò de Cælo deſcendens factus eſt humilis, & puſillus, vt ſaluaret te; qui ambulans per mare, fecit illud ceſſare à tempeſtate. Ideò manſit in ſolitudine, vt meditaretur quæ paſſurus eſſet Chriſtus. In mari dormit Chriſtus, mergeris, ſi non fueris memor illius; clama & tu, qui es in naui, cum tempeſtas ſit in mari, clama, dicens cum Petro. Adiuua nos Domine, quia perimus. Et ille expergefactus imperabit ventis, & mari, animusq. tuus erit tranquillus; & tolerabis æquo animo, quia dignus pro nomine Ieſu contumelias pati inuentus eris. Tunc vigilabit in te Chriſtus, ſi ſpernens terreſtria in tribulationibus memor eris paſſionis eius. Expectabam eum, qui ſaluum me faciet à puſillanimitate, Iſai. d. cap. 35. num. 3. Dicite puſillanimes: Confortamini, & nolite timere: ecce Deus veſter vltionem adducet retributionis: Deus ipſe veniet, & ſaluabit vos, & redempti ad Dominum conuertentur, & venient in Sion cum laude, &c.

Præcipita Domine, Diuide linguas eorum, quoniam vidi iniquitatem, & contradictionem in Ciuitate. Aduentum Domini in ſuperiori verſ. expectabat, deſiderabat; Nunc in Ciuitate videns futuram iniquitatem, & totius populi vocem audiens, clamantem, vt Chriſtus Cruci traderetur, præcipita, inquit, iſtos iniquos, dum ſimul clamant, vt Ieſus crucifigatur, & occidatur. Submerge illos, dicit Auguſtin. qui ſe malè extulerunt; expedit eis, vt ſubmergantur; qui autem conſpirauerunt malè, expedit eis, vt diuidantur linguæ eorum, hæc Auguſtin. Præcipita, ità iſti demergantur, ſicut in diluuio. Hieronym. Diuidantur linguis diuiſis, ſicut factum eſt in ædificatione turris, Geneſ. cap. 7. Quoniam vidi iniquitatem in Ciuitate, quia non crediderunt, contradictionem eum exprobrabant; hæc Hieronym. Nunquid & vos ſeducti eſtis, Ioan. cap. 7. num. 46. nunquid & tu Galilęus? Contradicentes Nicodemo exprobrabant, & diſſenſio facta eſt inter illos propter eum, num. 47. ibid. Ioan.

Turrim fecerant Iudæi ſuperbiæ, æqualem recuſabant, ſuperiorem infringebant, dilatata phylacteria ſunt, magnificabant fimbrias, & in cænis primos accubitus amarunt, & primas Cathedras in Synagogis, & vocari ab hominibus Rabbi, Matth. 23. num. 6. Propterea dicebant hic Ieſus non eſt filius Dei, ſed filius fabri. Quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit, poſt ipſum omnes vadunt, Ioan. 12. n. 19. Hic eſt hæres, venite, occidamus eum, & habebimus hæreditatem eius: & apprehenſum eum eiecerunt extrà vineam, & occiderunt, Matth. 21. nu. 39. Ioan. cap. 21. num. 48. Occidamus eum; expedit enim vt vnus homo moriatur pro populo: vt turris noſtræ ſuperbiæ eleuetur vſque ad Cælum, vt non à diluuio aquarum Baptiſmi ſcilicet tollatur, & demergatur noſtra Synagoga, noſtra ſuperbia diſperdatur. Hæc dicebant iniqui illi, ideò in ſpiri-

ſpiritu illam Dauid præuidens iniquitatem, præcipita ait, ſubmerge, linguas eorum diuide Domine, quia contradictionem vidi in Ciuitate.

Præcipita Domine, & diuide linguas eorum. Si præcipitatur, ſi demergitur, ſi in profundum inferi deijcitur, ad quid inſtas, vt linguæ eorum diuidantur; cum ſit illorum in inferno proiectorum finita ſuperbia, extincta contradictio, ſublata per mortis pœnam iniquitas in terra? Quid præcipitandum, niſi Ciuitas illa Ieruſalem, niſi illorum Synagoga, quæ adeò ſancta erat, cum in illa iàm Deo cultus exhiberetur; In ea quippè nunc, dicent; Non eſt Rex nobis, non enim timemus Dominum, & Rex quid faciet nobis? Oſee 10. num. 3. Non habemus Regem, niſi Cæſarem, Ioan. 19. num. 15. hunc neſcimus.

Præcipita Domine hanc Ciuitatem, ex quò Deus amplius non eſt in eam; non relinquatur in te lapis ſuper lapidem, qui non deſtruatur, Matth. 24. num. 2. Quia Dei dilectionem non habent, Ioan. 5. num. 37. neque vocem Patris audierunt, & num. 42. Noli ſcribere Rex Iudæorum aiebant, Ioan. cap. 19. num. 21. Et propterea in hac Synagoga clamantes, non amplius exaudiuntur, Mich. 3. num. 4. Quia non cognouerunt Dominum, ideò iacent in iniquitate ſua, ablatus eſt enim Dominus ab eis, Oſee cap. 5. nu. 4. cum ſeq. Ideò præcipita Domine Ciuitatem illam, quia in illa eſt contradictio, & iniquitas.

Præcipita Domine Ciuitatem, quia in illa concluſerunt contrà Chriſtum iniquitatem, vt illum ſcilicet occiderent; diuide linguas eorum, vt cæci, & ignari non intelligant, neque videant, Iſai. cap. 6. num. 10. & 11. Donec deſolentur Ciuitates abſque habitatore, & terra relinquatur deſerta; Quoniam vidi iniquitatem vt ſupra, & contradictionem, nàm Domino rebelles, & inobedientes fuerunt, Iuda in Epiſt. ſua, numer. 11. Væ illis, qui in viam Cain abierunt, Geneſ. 4. nu. 8. & errore Balaam mercede effuſi ſunt, Num. c. 22. nu. 23. & in contradictione Core perierunt, Num. c. 15. num. 2. contradixerunt Chriſto, qui eos congregare voluit, ſicut gallina pullos ſuos congregat, & noluerunt, Matth. 23. num. 37. & in Act. Apoſt. cap. 13. num. 45. Videntes autem turbas Iudæi repleti ſunt zelo, & contradicebant his, quæ à Paulo dicebantur, blaſphemantes, &c. Factis etiam Chriſto Ieſu contradicebant, nàm illum blaſphemantes & negantes occiderunt; ità etiam prædictum fuerat Mariæ Matri Domini, Luc. 2. Ecce poſitus eſt hic in ruinam, & in reſurrectionem multorum in Iſrael, & in ſignum, cui contradicetur, ſignum ſcilicet crucis † Dominicæ, in qua Chriſtus poſitus ab omnibus ei contradicebatur, omnes enim illudebant ei, & contradicebatur, ſed ab iſta contradictione per reſurrectionem fuit liberatus, & caput gentium per fidem effectus; Vndè Pſalm. 17. Ipſe dicebat, Eripies me à contradictionibus populi, conſtitues me in caput gentium.

Contradictio, & iniquitas erat in Ciuitate, quia contrà præcepta Domini luxurioſè viuentes, & mala facientes incedebant; benè enim loquebantur, dicebant enim Magiſter bone, ſcimus, quia à Deo veniſti, Matth. 22. num. 16. Quid me tentatis Hypocritæ, dixit illis Ieſus, cor longè ab illo, quem labijs tantùm honorabant, Iſai. cap. 45. num. 9. Væ qui contradicit factori ſuo. Diſperge ergo Domine hos infideles Iudæos, tuæ Maieſtati contradicentes, vt dum putant ſe latere in obſcuris peccatis, tenebroſo obliuionis velamento diſperdantur horrendè pauentes, Prouerb. 17. Sap. 17. num. 3. & ſint in opprobrium omnibus gentibus terræ, Ierem. 44. num. 8. & in cap. 9. nu. 16. Diſpergam eos in gentibus, quas

non

non nouerunt ipsi, & Patres eorum, & mittam post eos gladium, donec consummentur. Facit idem cap.28.num.64. & 65. disperget te in omnes populos à summitate terræ vsque ad terminos eius, &c. In gentibus quoque illis non quiesces, neque erit requies vestigio pedis tui. Dabit enim tibi Dominus cor pauidum, & deficientes oculos, & animam consumptam mærore, &c. & erit vita tua pendens ante te: timebis die, ac nocte, & non credes vitæ tuæ.

Præcipita illos, quia per industriam, & simulationem occiderunt iustum. Facit quod dicitur Exod.21.numer.14. Si quis per industriam occiderit proximum suum, per insidias ab altari meo euelles eum, vt moriatur: Ei enim nihil debet sauere fides altaris, qui per dolum occidendo proximum omnem fidem perdidit, itá Rupert. occiderunt Christum per insidias proijciantur extrà Ecclesiam, extrà Ciuitatem, & Templum, euellantur, vt moriantur.

Super muros enim eius die, ac nocte circumdabit eam, & labor eius, & iniustitia. Ità Ciuitas ab iniquitate obsessa est, vt etiam super muros eius die, ac nocte circumdata sit, & violentia, ac iniquitate, murorum loco sit cincta, & repleta; vt etiam in Vrbis medio sit labor, quo iusti vexantur; in foro verò dolor litigantium, & iniustè oppressorum; in commercijs etiam fraus, vsura, & dolus.

Die, ac nocte, vt non darent locum pœnitentiæ, ideòq. in illis nunquam moreretur mors. Augustin. de Ciuitate Dei cap.vltimo. Si anima, inquit, in pœnis viuit æternis, mors illa potius dicenda est, quàm vita. Nulla quippè maior, & peior est mors, quàm vbi non moritur mors: Mortui enim dicuntur, cum in supradictis iniquitatibus & delictis, & si viuant, Diabolo tamen viuunt, & morientes cum ipso semper viuant in pœna; Mors enim animæ fit, inquit idem August. de Ciuit. Dei lib.13.c.2. cum Deus eam deserit: sicut corporis, cum id deserit anima; ergo totius mors hominis est, cũ anima à Deo deserta deserit corpus, ità neque ex Deo viuit anima, neque corpus ex anima. Impiorum autem in corporibus vita non animarum, sed corporum vita est; quam possunt eis animæ etiam mortuæ, hoc est à Deo desertæ quantulocunque propria vita, ex qua etiam immortales sunt, non desistente conferre. Idem Augustin. Psalm.9. ibi, Qui exaltas me de portis mortis, & in Ioan. Tract.47. vbi dicit, Vita carnis tuæ anima tua, vita animæ tuæ Deus tuus est, quomodò moritur caro, amissa anima, quæ est vita eius; sic anima amisso Deo, qui vita est eius.

Hinc Chrysost. homil.28. in Matth. Multi, inquit, viuere creduntur, qui nihil à mortuis differunt, immo maxime differunt, cum sint illis multò deteriores. Non deuorant sceleratum hominem vermes, sed perturbationes animi omni feroci bestia truculentiores exagitant, atque lacerant. Quòd si aperti sunt oculi, id multò deterius est, quàm si clausi essent; clausi enim mortuorum oculi nihil mali vident; hic verò mille sibi morbos oculis cernentibus quotidie contrahit. Ille iacet in monumento ad peccandum iàm immobilis; hic in sepulchro malo à se ipso intrusus, ingenti peccatorum mole obruitur. Sed corpus, dicet quisquam, huius pingue, ac floridum, non tabe corruptum videmus; magna verò res, si corpore integro, iàm pridem anima corrupta, atquè deperdita est, ac multa putredine oppleta. Et ille post mortem decem dies malè olet, hic verò per totam vitam os habens, vel ipsis cloacis sporcatus intolerabilem expirat fœtorem. Certè si posses animam hominis delicijs ac sceleribus dediti

oculis

ſpiritu illam Dauid præuidens iniquitatem, præcipita ait, ſubmerge, linguas eorum diuide Domine, quia contradictionem vidi in Ciuitate.

Præcipita Domine, & diuide linguas eorum. Si præcipitatur, ſi demergitur, ſi in profundum inferi deijcitur, ad quid inſtas, vt linguæ eorum diuidantur; cum ſit illorum in inferno proiectorum finita ſuperbia, extincta contradictio, ſublata per mortis pœnam iniquitas in terra? Quid præcipitandum, niſi Ciuitas illa Ieruſalem, niſi illorum Synagoga, quæ adeò ſancta erat, cum in illa iàm Deo cultus exhiberetur; In ea quippè nunc, dicent; Non eſt Rex nobis, non enim timemus Dominum, & Rex quid faciet nobis? Oſee 10.num.3. Non habemus Regem, niſi Cæſarem, Ioan.19.num.15. hunc neſcimus.

Præcipita Domine hanc Ciuitatem, ex quò Deus amplius non eſt in eam; non relinquatur in te lapis ſuper lapidem, qui non deſtruatur, Matth.24.num.2. Quia Dei dilectionem non habent, Ioan.5.num.37. neque vocem Patris audierunt, & num.42. Noli ſcribere Rex Iudæorum aiebant, Ioan.cap.19.num.21. Et propterea in hac Synagoga clamantes, non amplius exaudiuntur, Mich.3. num.4. Quia non cognouerunt Dominum, ideò iacent in iniquitate ſua, ablatus eſt enim Dominus ab eis, Oſee cap.5.nu.4. cum ſeq. Ideò præcipita Domine Ciuitatem illam, quia in illa eſt contradictio, & iniquitas.

Præcipita Domine Ciuitatem, quia in illa concluſerunt contrà Chriſtum iniquitatem, vt illum ſcilicet occiderent; diuide linguas eorum, vt cæci, & ignari non intelligant, neque videant, Iſai.cap.6.num.10. & 11. Donec deſolentur Ciuitates abſque habitatore, & terra relinquatur deſerta; Quoniam vidi iniquitatem vt ſupra, & contradictionem, nàm Domino rebelles, & inobedientes fuerunt, Iuda in Epiſt. ſua, numer.11. Væ illis, qui in viam Cain abierunt, Geneſ.4.nu.8. & errore Balaam mercede effuſi ſunt, Num.c.22.nu.23.& in contradictione Core perierunt, Num.c.15.num.2.contradixèrunt Chriſto, qui eos congregare voluit, ſicut gallina pullos ſuos congregat, & noluerunt, Matth.23. num.37. & in Act.Apoſt.cap.13.num.45. Videntes autem turbas Iudæi repleti ſunt zelo, & contradicebant his, quæ à Paulo dicebantur, blaſphemantes, &c. Factis etiam Chriſto Ieſu contradicebant, nàm illum blaſphemantes & negantes occiderunt; ità etiam prædictum fuerat Mariæ Matri Domini, Luc.2. Ecce poſitus eſt hic in ruinam, & in reſurrectionem multorum in Iſrael, & in ſignum, cui contradicetur, ſignum ſcilicet crucis † Dominicæ, in qua Chriſtus poſitus ab omnibus ei contradicebatur, omnes enim illudebant ei, & contradicebatur, ſed ab iſta contradictione per reſurrectionem fuit liberatus, & caput gentium per fidem effectus; Vndè Pſalm.17. Ipſe dicebat, Eripies me à contradictionibus populi, conſtitues me in caput gentium.

Contradictio, & iniquitas erat in Ciuitate, quia contrà præcepta Domini luxurioſè viuentes, & mala facientes incedebant; benè enim loquebantur, dicebant enim Magiſter bone, ſcimus, quia à Deo veniſti, Matth.22.num.16. Quid me tentatis Hypocritæ, dixit illis Ieſus, cor longè ab illo, quem labijs tantùm honorabant, Iſai.cap.45.num.9. Væ qui contradicit factori ſuo. Diſperge ergo Domine hos infideles Iudæos, tuæ Maieſtati contradicentes, vt dum putant ſe latere in obſcuris peccatis, tenebroſo obliuionis velamento diſperdantur horrendè pauentes, Prouerb.17.Sap.17.num.3. & ſint in opprobrium omnibus gentibus terræ, Ierem.44.num.8. & in cap.9.nu.16. Diſpergam eos in gentibus, quas

non

non nouerunt ipsi, & Patres eorum, & mittam post eos gladium; donec consummentur. Facit idem cap.28.num.64. & 65. disperget te in omnes populos à summitate terræ vsque ad terminos eius, &c. In gentibus quoque illis non quiesces, nequè erit requies vestigio pedis tui. Dabit enim tibi Dominus cor pauidum, & deficientes oculos, & animam consumptam mærore, &c. & erit vita tua pendens ante te: timebis die, ac nocte, & non credes vitæ tuæ.

Præcipita illos, quia per industriam, & simulationem occiderunt iustum. Facit quod dicitur Exod.21.numer.14. Si quis per industriam occiderit proximum suum, per insidias ab altari meo euelles eum, vt moriatur: Ei enim nihil debet fauere fides altaris, qui per dolum occidendo proximum omnem fidem perdidit, ità Rupert. occiderunt Christum per insidias proijciantur extrà Ecclesiam, extrà Ciuitatem, & Templum, euellantur, vt moriantur.

Super muros enim eius die, ac nocte circumdabit eam, & labor eius, & iniustitia. Ità Ciuitas ab iniquitate obsessa est, vt etiam super muros eius die, ac nocte circumdata sit, & violentia, ac iniquitate, murorum loco sit cincta, & repleta; vt etiam in Vrbis medio sit labor, quo iusti vexantur; in foro verò dolor litigantium, & iniustè oppressorum; in commercijs etiam fraus, vsura, & dolus.

Die, ac nocte, vt non darent locum pœnitentiæ, ideòq. in illis nunquam moreretur mors. Augustin. de Ciuitate Dei cap.vltimo. Si anima, inquit, in pœnis viuit æternis, mors illa potius dicenda est, quàm vita. Nulla quippè maior, & peior est mors, quàm vbi non moritur mors: Mortui enim dicuntur, cum in supradictis iniquitatibus & delictis, & si viuant, Diabolo tamen viuunt, & morientes cum ipso semper viuant in pœna; Mors enim animæ fit, inquit idem August. de Ciuit. Dei lib.13.c.2. cum Deus eam deserit: sicut corporis, cum id deserit anima; ergo totius mors hominis est, cũ anima à Deo deserta deserit corpus, ità neque ex Deo viuit anima, neque corpus ex anima. Impiorum autem in corporibus vita non animarum, sed corporum vita est; quam possunt eis animæ etiam mortuæ, hoc est à Deo desertæ quantulocunque propria vita, ex qua etiam immortales sunt, non desistente conferre. Idem Augustin. Psalm.9. ibi, Qui exaltas me de portis mortis, & in Ioan. Tract.47. vbi dicit, Vita carnis tuæ anima tua, vita animæ tuæ Deus tuus est, quomodò moritur caro, amissa anima, quæ est vita eius; sic anima amisso Deo, qui vita est eius.

Hinc Chrysost. homil.28. in Matth. Multi, inquit, viuere creduntur, qui nihil à mortuis differunt, immo maxime differunt, cum sint illis multò deteriores. Non deuorant sceleratum hominem vermes, sed perturbationes animi omni feroci bestia truculentiores exagitant, atque lacerant. Quòd si aperti sunt oculi, id multò deterius est, quàm si clausi essent; clausi enim mortuorum oculi nihil mali vident; hic verò mille sibi morbos oculis cernentibus quotidie contrahit. Ille iacet in monumento ad peccandum iàm immobilis; hic in sepulchro malo à se ipso intrusus, ingenti peccatorum mole obruitur. Sed corpus, dicet quisquam, huius pingue, ac floridum, non tabe corruptum videmus; magna verò res, si corpore integro, iàm pridem anima corrupta, atquè deperdita est, ac multa putredine oppleta. Et ille post mortem decem dies malè olet, hic verò per totam vitam os habens, vel ipsis cloacis sporcatus intolerabilem expirat fœtorem. Certè si posses animam hominis delicijs ac sceleribus dediti

oculis

oculis cernere, non dubitares, multò melius esse in sepulchro iacere, quàm delicijs irretitum detineri, hæc Chrysost.

Die, ac nocte circundabit super eam iniquitas. Vt ostendat, illam nulla morte deleri iuxtà illud poeticum, de quo Philo Hebr. lib. de Migratione Abrahæ. Immortale malum nulla delebitur morte; Propterea quærit ipse ibi, Cur Dominus Cain apposuerit signum, ne quis eum inuentum interimeret, Genes.4. opinor, inquit Philo, quia impietas malum est infinitum, quod semel accensum nunquam extingui potest. Non ergo mors Cain legitur, & proponitur, ne quis peccato aliqualem vitam inesse existimaret, cum semper mortem sortiatur. Vndè hìc num.17 veniat mors super illos, & descendant in infernum viuentes, vt latius infra dicemus. Super muros eius, idest superabundabit murorum altitudinem iniquitas, tanta erat in illa Ciuitate, à qua oppressi, nec labore aliquo liberi erunt. Ab iniustitia, quæ abundabit in ea: patientur iusti, non tamen derelinquentur, deijcientur, sed non peribunt, 2.Corinth.4. Semper mortificationem Iesu Christi in corpore nostro circumferentes, vt & vita Iesu manifestetur in corporibus nostris, vita Iesu idest patientiæ appareat.

Nocte dixit, ac die, nàm tenebræ iàm erant super illam Ciuitatem, Genes.c.1. in princ. Venit lux in mundum, & tenebræ eum non comprehenderunt, Ioan. cap.1. in circuitu enim illius Ciuitatis tempestas erat valida, Psalm.49.num.4. nàm super muros eiusdem Ciuitatis, hoc est in Potentatibus, qui illam regebant, erat iniquitas, & in medio eius labor & iniustitia, vndè Matth.cap.23. num.13. Væ vobis Scribæ, & Pharisæi, quia clauditis regnum Cælorum ante homines, vos autem non intratis, nec introeuntes sinitis intrare. Super muros erat iniquitas, ideò & in medio eius labor, & iniustitia.

Propterea extrà Ciuitatem proiecerunt iustitiam, & veritatem Iesum scilicet Christum, extrà portam occiderunt, vt intus abundaret omnis iniustitia: Trahamur & nos extrà huius mundi iniustitias, & cum sponsa etiam nos dicamus: Trahe me post te, cap.1.num.3. in Cantic. vt sequentes te in Cruce ad montes gaudiorum per viam ærumnarum, & persecutionum perueniamus. Sanctus Bernard. Serm.21. in Cantic. Labor, quo probos vexant in media Vrbe, dolor in foro, & fraus in commercijs, & sic repleta erat tota Ciuitas, Ierem.cap.6.n.13. A minore vsque ad maiorem omnes auaritiæ student, & à Propheta vsque ad sapientes cuncti faciunt dolum, idem Ierem.cap.8. nu.10. Cuncti faciunt mendacium.

Die, ac nocte. Diuus Hieronym. idest omni tempore, die, cum turbas doceret, & illi non crediderunt, nocte: cum pateretur, & illi blasphemarent, Ciuitas iniquis hominibus circundata est. Tu solus Domine Iesu extrà illam ductus es; sed vt Cruci affigaris, vt occidaris: omnes te sequi volunt; sed de Ciuitate exire non desiderant, te in laboribus, & mortibus sequi pauci cupiunt, vndè S. Bernard. vt supra d. Sermon.21. in Cantic. Quàm pauci post te, ò Domine Iesu ire volunt; Cum tamen ad te peruenire nemo sit, qui velit, hoc scientibus cunctis, quia delectationes in dextera tua vsque in finem, Psalm.15. num.11. Propterea volunt omnes te frui, sed non ità imitari, conregnare cupiunt, sed non compati.

Exi tu etiam cum Christo de Ciuitate, si tu ex missis ab illo esse concupiscis, Luc.10. Sicut, inquit, misit me Pater, & ego mitto vos, ad eandem nempè malorum

lorum tolerandorum patientiam. Chrysolog.Serm.84. Exi de Ciuitate illa,vbi dolor est, & iniustitia, atque perfidia. Audi te vocantem, vt non amplius tantum sentias laborem. Venite, inquit, post me qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos,Matth.11.n.28. tunc etiá cum Dauide dicemus,si post Iesum abierimus; Lætati sumus pro diebus,quibus humiliasti nos: annis, quibus vidimus mala, vt Psal 39. latè diximus: Vndè Greg. Nyssen. ad ea verba Christi, Beati,qui persequutionem patiuntur propter iustitiam, Matth.5. Fructuum, inquit, qui sperantur, flos afflictio est, iàm verò anima sancta visis floribus, qui æternitatis fructum immarcessibilem promittunt, gaudio perfusa annunciat. Flores apparuerunt in terra nostra, tempus putationis aduenit, Cantic. cap.2. Dum enim capita amputantur, & membra præscinduntur, flores Martyrum apparent, & voces gaudij in Ecclesia resonant, in paucis enim vexati, in multis benè disponentur, ad Roman.cap.8. Sap.cap.3.num.5. Tu ergo labores pro Deo sustineas, si vis, vt ipse te reficiat; non enim dicit, Beati, qui laboratis, quia labores tollam à vobis, sed ego reficiam, vt in simili ex Psalm.9. Qui exaltas me de portis mortis, non dixit liberas, sed exaltas, vndè Chrysost. ad supradicta verba; Non enim, inquit, in eorum malis soluendis subsistit Dei beneficium, sed facit eos etiam admirabiles.

Non ergo ità vt non laboretis, de hac mundana Ciuitate exire desideretis, sed vt inter istas mundi infirmitates, & tribulationes illas permanentes, inter illas transeuntes, post Iesum Christum abeuntes auro splendidiores, qui in igne purgatur, efficiamini.

Venite ergo, inquit, qui laboratis in superbia vestra, & requiescetis in humilitate mea. Labor enim in Ciuitate illa, quia iniquitas ibi, iniustitia ibi, ideò & labor ibi. In cuius plateis non deficit vsura, & dolus. In plateis, idest publicè, & palam dolus erat, & vsura, & quia publicè dolosi erant, & vsurarij, ergo non erat, qui faceret iudiciũm, & iustitiam. In plateis dolus, & vsura, quia in illis non erat, nec inuentus est, qui faceret iudicium, & iustitiam. An forsan optimates, qui viam Domini cognouerunt, hæc agnouisse præsumamus? Ierem.cap.5.num.4. cum seq. Qui in plateis deliquerunt forsan pauperes, & stulti, ibo ad optimates; & ecce, inquit, magis hi simul confregerunt iugum, ruperunt vincula, ideò de sylua percussit eos leo, lupus ad vesperam eos vastauit, &c. quia gloriati sunt in eorum malitia, Psalm.51. vbi diximus. In multitudine negotiationis tuæ repleta sunt interiora tua iniquitate, Ezech. cap.28.n.16. Et scient gentes,quoniam in iniquitate sua capta sit domus Israel, eo quòd derelinquerunt me, Ezech.39.num.23.

Contradictio erat in Ciuitate, quæ omnium scelerum,& iniquitatum genere plena erat: dolor erat in foro, & dolor, quo probi vexabântur, non propterea in plateis defecit vsura, & dolus: Sed quomodò vsura non defecit? ergo erat etiam ibi vsura: nàm si non defecit, ergo erat ante. Nonnè vsuram ibi prius esse apparebat, quam Iudæi illi, & eorum Principes Diabolo eorum Patri dabant? cum non solum & illos perditos, sed & alios ipsi condemnandos,& cruciandos obtulerant? Isai.8. num.41. Vos facitis opera Patris vestri, & num. 44. & desideria Patris vestri vultis perficere; quia ex patre Diabolo estis, qui ab initio homicida fuit, & in veritate non stetit: non defecit vsura, nàm Iudæ Iesum tradenti pecunias se daturos promiserunt, triginta argenteos, Matth.26.num.15.

Intus etiam rapina, & immunditia, Matth.23.num.25. & quæ erant grauiora legis, iudicium, & misericordiam, & fidem reliquerunt, ibid.Matth.num.23.

Neque defecit vsura in plateis eorum, & dolus, nàm etiam Iesu mortuo, & sepulto, custodibus ne eum resurrexisse nunciarent; Principes, & Seniores congregato Concilio copiosam pecuniam dederunt militibus dicentes: dicite quia Discipuli eius venerunt nocte, & furati sunt eum vobis dormientibus. O stultus dolus, & malitia: Testes dormientes adhibitis? Num pecunia vestra potentiam Resurrectionis Iesu Christi auferre potuistis? alios filios Diabolo parere voluistis. Vsura non defecit, nec adhùc deficit, quæ à vobis Diabolo patri vestro debetur, cum etiam vobis sic dispersis, quotidie vsuram præstare non desistitis: Exhibuistis pecuniam, & vestram, illorumq. perdidistis vitam; negatis Christum Redemptorem, & confitemini Diabolum patrem vestrum, homicidam, & proditorem, Luc.cap.11.num.52. Væ vobis legisperitis, quia tulistis clauem scientiæ, ipsi non introistis, & eos, qui introibant, prohibuistis, Matth.cap.23.num.13. Milites enim venerunt in Ciuitatem, & nunciauerunt Principibus Sacerdotum omnia, quæ facta sunt; at illi pecunias dantes, dicite, inquiunt, quia non eum resurrexisse vidistis, sed quòd Discipuli corpus Iesu furati sunt. ò Diaboli fœneratores, ò animarum proditores, parua intulistis, & magna damna collegistis; Fœnum aruit, & ignis deuorat animas vestras, vt semper illas incendat, illas cremet, & nunquam ignis deficiat. Minora Diabolo obtulistis; nàm illos milites, quia Gentiles, & Infideles patri vestro Diabolo tradidistis, & vos simul perditi remansistis, & ecce vestra damnatio Christianorum saluatio facta est.

Immo maiora Diabolo fœnerastis, quia fidem Christi, & eius Resurrectionem negastis, cum etsi minora Christo dedissetis, maxima præmia recipissetis. Quare & tu modica non dedisti, vt accipias magna? da gloriam Deo, & te enutriet: da terram, accipe Cælum: fœneraris Domino, si pauperis miserearis, illi porrigas, & Deus accipit, & si redditor ille non est, quia pauper, illius est tamen Deus fideiussor, qui & tui erit largus redditor, & largitor. Fœneratur enim Domino, qui miseretur pauperis, per vicissitudinem suam reddet ei, Prouerb.19. num.17. Matth.25.num.40. Amen dico vobis, quemadmodum fecistis vni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis. Augustin. in Psalm.36. litera F. Eia, inquit, auare fœnerator, audi, quid dedisti, audi quid accepturus sis: paucam dedisti pecuniam, magnam tibi retribuet villam; sed quæ villa? inquit; Venite benedicti Patris mei, percipite Regnum, quod vobis paratum est ab initio mundi.

Et non defecit de plateis eius vsura, & dolus. Quid accepistis ò Iudæi, ò infideles à Christo, quia, vsuram vt soluat Iesus cum dolo instituistis? Correcti ab illo fuistis, quia mala coram Domino fecistis; Ecclesiam domum latronum fecistis, Matth.21.num.13. quia Hypocritæ estis, mundantes, quod de foris est calicis, & paropsidis, intus autem pleni estis rapina, & immunditia, quod intus est, mundandum prius docebat ille, vt fiat id, quod de foris est mundum, Matth. cap.23.num.25.&c. Hæc, & alia, quæ ad salutem vestram dicta erant, pro iniuria accepistis, & propterea pro vindicta mortem Domino in plateis, & cum dolo procurastis. Pro prætensa iniuria vobis illata, mors danda erat? pro verbis legis dolus in illum, vt morti traderetur, palam in plateis cogitastis. Principes verò Sacerdotum, & Seniores persuaserunt populis, vt peterent Barabbam, Iesum

verò perderent, Matth.27.n.20. quid, quia vitia reprehendit, mors inferenda erat? Vsura magna, quia plus dedistis, quàm accepistis: venit, vt vitam vobis daret, & vos mortem illi dedistis, vt vos mortui perpetuò essetis, ingrati, atque dolosi, nàm dixistis; Hic si non esset malefactor, non tibi tradidissemus illum; in quo malefactorem illum apprehendistis? qui omnium nostrum iniquitates in corpore suo tulit, Isai.53. in fine, & propter scelus nostrum Dominus Deus Pater percussit illum, ibid.Isai.nu.9. Non amat pestilens eum, qui se corrigit, Prouerb.15.nu.22. ideò illum odio habuistis. Obtulit tamen se Iesus Christus pro illis etiam in Cruce, pro quibus orauit, vt solueret vsuram pro illis, vt de vsuris satisfaceret Patri pro illis, Psalm.71.num.14. Ex vsuris, & iniquitate redimet animas eorum, & noluistis.

Quoniam si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem vtique. Facilè enim contemnit omnia, qui se cognoscit esse mortalem, vt dicit Hieron. in Prologo Bibliæ, qui cognoscit se moriturum. Quis enim inimicus filij Dei, nisi ille, qui per superbiam eiectus est de Paradiso, Diabolus, cuius superbia ad inferos detracta est, Isai.14.n.11. Abscondit diuinitatem suam ab illo, omnia Regna mundi offerente, si adoraret ipsum daturo, Matth.4.n.1. cum seq. Abscõdit se ab illo, vt partus eius illi celaretur; propterea de Virgine sponsa nasci voluit: Iterùm Satanas intrauit in Iudam, Luc.22.n.3. vt traderet Iesum. Sciebat Iesus, quia illum traditurus erat, non prohibuit, sed permisit, donec id impleretur, pro quo venerat; tunc enim eiectus est foras Diabolus, quando Iesus resurrexit à mortuis; sustinuit, vt vinceret; abscondit se, vt palam fieret, quia ipse est Iesus filius Dei; abscondit etiam se Iesus à Iudæis, Diaboli ministris, Ioan.8.nu.59. & exiuit de Templo, & sustinuit illos, quos perdere poterat, vt saluaret.

Si inimicus meus maledixisset mihi, abscondissem me forsitan ab eo: Nonnè se abscondisse tibi videtur, quia cum esset diues, factus est pauper, vt illius inopia nos diuites essemus, 2.Corinth.8.n.9. Esuriuit enim qui omnibus animantibus victum præbet in abundantia, Matth.4.n.2. Inimici illius erant Gentiles, & illum, eiusdemq. Ecclesiam malefacientes persequebantur; absconsus venit in similitudinem hominum factus, & ità pauper effectus, vt nec vbi caput reclinet haberet, Matth.8.num.20. & ideò ait si is, qui oderat me, magna locutus fuisset abscondissem me forsitan ab eo; irrationabilis enim ratione placari non potest, ideò melius esse censuit dare locum iræ.

Sed cur abscondisses te? cur inimicum maledicentem; nonnè & illos simul in bello subijcere potens eras iustis, aut bestijs sæuis, aut verbo duro simul exterminare? Positus erat Dominus in lucem gentium, vt illis esset in salutem vsque ad extremum terræ, Isai.49.nu.6. ideò partibus iudicans dabat locum pœnitentiæ in peccatis, Sap.cap.12.nu.11.& 19. Gentes enim ad ipsum conuertendas sciebat, Psal.85.nu 8. Omnes gentes quascumque fecisti, venient, & adorabunt coram te Domine, & glorificabunt nomen tuum, quoniam magnus es tu.

Tu verò homo vnanimis, dux meus, & notus meus. Quem de terra Ægypti in manu forti eduxi, quem pane Cæli cibaui, Psal.77. per totum, 2.Reg.7.nu.9. & fui tecum in omnibus vbicumque ambulasti, Exod.14.nu.19. Angelus enim Dei præcedebat Castra Israel, Exod.24.nu.20. & in medio tui Dominus Deus erat, Deut.7.num.21. & c.8.nu.15. Inimicos illos sustinuissem, quia me illorum Deum esse non adhuc cognouerant. Magis ergo peccabant Iudæi Christianos offendentes, quàm Pagani; sicut & modò Christiani mali magis peccarent,

quàm Iudæi, & Pagani, nàm cum tales irrationabiles sint,& tamquam bestiæ, non est cum illis contendere verbis, nec sperandum, vt ratione illi conuertantur, cæci enim sunt, & aures obtusas habent, vt non audiant, Isai. cap.6. malus enim homo non docetur sermonibus, sed magis irritatur.

Tu verò homo vnanimis, & dux meus, & notus meus, magis me afflixisti, eo quòd te amicum habebam, Augustin. de Ciuitate Dei, lib.19.Tom.5. Mille sunt occultiores insidiæ, quàm hæ, quæ latent in simulatione officij, aut in aliquo necessitudinis nomine. Nàm eum, qui palam est aduersarius facilè cauendo vitare posis; hoc verò occultum intestinum, ac domesticum malum non solum existit,verùm etiam opprimit, propter quod etiam diuina illa vox, Matth. cap.36. & inimici hominis domestici eius cum magno dolore cordis auditur. Quia etsi quisque tàm fortis sit, vt æquo animo perferat, vel tàm vigilans, vt prouido consilio caueat, quæ aduersus eum molitur amicitia simulata: eorum tamen perfidorum hominum malo, cum eos esse pesimos experitur, si ipse bonus est,grauiter excrucietur necesse est: facit Mich.7. in princ. Omnes insidiantur in sanguine, vir fratrem suum ad mortem venatur: malum manuum suarum dicunt bonum; Princeps postulat, & Iudex in reddendo est.

Tu verò homo vnanimis Dux meus, & notus meus. Hìc de Iuda traditore loquitur, quem hominem vocat, & vnanimem: cum Iudæis; nàm & ipse fur erat, & latro sicut & cæteri Pharisæi: homo erat,qui terrena tantùm sapiebat,Dux etiam erat; nàm alijs maior quodammodò in temporalibus videbatur, Discipulis: cæteros enim regere, & ducere videbatur, quia loculos habebat, & illorum minister erat: sed notus Deo tamen, qui sciebat, illum esse traditurum, vndè & dixit de eo: melius erat,si natus non fuisset homo ille. Non dicit,Discipulus ille, sed homo ille; quia humana tantùm erant in corde eius. Quod verò de vnanimitate malorum loquatur,patet ex præcedentibus versiculis,in quibus sermo est de Iudæis,de inimicis Christi. Et aliorum iniquorum mores connectendo,inquit; & tu etiam Iudas,qui vnanimis cum illis fuisti; vt traderes me Dominum; nàm is dixerat: Quid vultis mihi dare,& ego eum vobis tradam? Vt verò intelligeremus, quia de Iuda traditore loqueretur, subiungit: Iste est,qui dux meus est,qui me,& discipulos regit,& gubernat,qui loculos tenet,& gubernium domus meæ, qui simul mecum dulces capiebat cibos. Et intellectus comprobatur ex sequen.

Veniat mors super illos, & descendant in infernum viuentes, &c. Vnanimes ergo cum iniquis, & simul descendant etiam viuentes in infernum.

Qui simul mecũ dulces capiebat cibos,figura enim,& figuratũ in illa cęna fuit, Agnum enim Paschalem comederunt,& verum Agnum figuratum comederũt, propterea cibos, quia etiam sanguinem biberunt, & corpus Domini sumpserunt. Propterea dulces cibos capiebat: dulces, quia mortem Domini annunciabant, vndè Ecclesia canit, Dulce lignum,dulces clauos, dulcia ferens pondera. Nec mirum si & traditori corpus Domini traditur; quia (vt dicunt hìc Doctores) peccatum Iudæ erat alijs occultum, quamuis Christo notum; ideòq. noluit illum infamare. Sed & mihi videtur hoc potius esse nobis in exemplum, ne illud indignè sumamus; crepuit enim iste medius, quia indignè sumpsit illud: propterea canit etiam Ecclesia, Sumunt boni, sumunt mali sorte tamen inæquali, vitæ, vel interitus.

In domo Domini, sequitur, ambulauimus cum consensu. Nàm quamuis Ecclesiæ caput sit innocens Christus, corpus verò Ecclesia, & membra Ecclesiæ

Chri-

Christiani: & cum consensu in Ecclesia Dei ambulant, non tamen omnes sunt Discipuli, non omnes membra sunt Christi. Sunt inter nos & Iudæi, & mali Christiani, ambulant cum consensu, sed non omnes cum eodem sensu; ambulant incedentes, sed non in vijs Domini permanentes; ambulant in exteriori cum consensu; distant tamen in interiori ab effectu; ambulant, vt ab hominibus videantur, sed moriuntur, vt à Dęmonibus in inferno crucientur: Ambulabat cum consensu, quia & ipse Iudas cum cæteris Apostolis Euangelium prædicabat, Augustin. Tom.7.cap.50. contrà Pitilianum Donatistam.

Veniat, inquit Dauid, mors super illos, & descendant in infernum viuentes, vt scilicet mortui mundo, & Deo, semper tamen sint viuentes in inferno, in pœnis in æternum permanentes; in cruciatibus illis semper cruciandi, & in perpetuum igne cremandi; Augustin. Quid est viuentes? scientes, quia pereunt, & tamen pereuntes: audi viuentes perire, & absorberi hiatu terræ, idest deuoratione terrenarum cupiditatum absorberi, si malum, quòd facis, scis malum esse, & tamen facis, nonnè viuus descendis ad inferos?

Moriantur, inquit, inimici manifesti, simulq. occulti, quia nequitia in habitaculis eorum. Vtrorumque sit locus in inferno, viuentes tamen Duces eorum descendant in ignem; moriantur qui à Domino apostatarunt, & Duces eorum eundem in locū viui descendant; non excusabitur tamen populus à peccato, qui Duces malos sequutus fuerit in errore, in Deum blasphemias irrogando. Num. cap.16. per totum: de Core, Dathan, & Abiron legitur, quòd Moyses dixit ad turbas, vt recederent à tabernaculis illorum hominum impiorum; erant etiā ducenti quinquaginta viri, Proceres Synagogæ, & qui tempore Concilij per nomina vocabantur, totq. eorum erant thuribula. Aaron verò vnum tantùm thuribulum erat, confestimq. vt loqui cessauit Moyses, dirupta est terra sub pedibus illorum, Core, Dathan, & Abiron, & aperiens os suum deuorauit illos cum tabernaculis suis, & vniuersa substantia eorum, descenderuntq. viui in infernum operti humo, & perierunt de medio multitudinis; sed & ignis egressus à Domino interfecit ducentos illos quinquaginta viros, qui offerebant incensum. Et quia contrà Moysen, & Aaron omnis multitudo filiorum Israel murmurauerat, dicens vos interfecistis populum Domini, & ignis Domini ex illis quatuordecim millia hominum, & septingentos deuorauit absque his, qui perierunt in seditione Core. Ibi Core, Dathan, & Abiron Duces, terra deglutiuit, & primi fuerunt, qui viuentes in inferno positi sunt; cæteros eos sequentes, vt suprà, ignis consumpsit, hos illos tres Duces primò viuos deglutiuit terra, & infernus retinet, reliquos subsequutus est ignis, illos deuorans.

Hic verò dicitur, vt veniat mors super illos, & descendant in infernum viuentes; si enim mortui iàm sunt, non amplius viui descendere potuerunt in infernum, quid est hoc? nisi quia Ducum, & Principum, qui scientiam Dei scire tenebantur, & populi, errores illorum sequentes diuersa sit pœna; nàm qui de populo moriuntur, quamuis in inferno sepeliantur, cæteros verò docentes, & Duces, nec terra sustinere valuit, quia auctorem vitæ, & Creatorem Cæli, & terræ blasphemauerunt, propterea eos terra deglutiuit viuos: terra ergo illos deglutiuit, & ad inferos transmisit, ne Cælum illi aspicerent: in aerem non sunt transmissi, ne aerem attraherent, neque anhelarent, nec terra illos retinuit, ne sepulchra eorum dictam terram deturparent ei inhærentes, & macularent.

Veniat mors super illos, idest minores, qui maioribus consentire voluerunt, idem scilicet veniat ignis consumptionis, qui populum, vt supra deuorauit; auctores verò mali, maiores, & Duces descendant viui in infernum terrenæ cupiditatis, hos etiam absorbeat terra viuentes, sicut Abiron, & socios absorbuit. Veniat ardor consumptionis, vbi est ardor dissensionis; eadem sit pœna illorum, qui Moysi inobedientes, & eorum, qui à Iesu apostatarunt iniqui. Immo maior sit pœna illius, qui Iesu notus, cum illo dulces capiebat cibos. Illi separationem, ac diuisionem propter auaritiam, & inuidiam procurabant in populo, hic verò ingratus, & perfidus mortem populo, & sibi accelerare præsumebat, filium hominis Iudæis occidendum tradendo; maior sit illius pœna, propterea contrà illum facta specialis exclamatio; & ideò suppliciorum grauitate maiori dignus erat.

Quoniam nequitiæ in habitaculis eorum, in medio eorum. Et in corpore, & in anima, iniquitas eis inhæsit & nequitia, adeòq. & Dæmon illos in corpore obsedit, curauitq. mediatorem se exhibens, vt in nequitia permanerent, vt sepelirentur in inferno. Augustin. Tom. 5. de Ciuit. Dei ad Marcellin. lib. 9. cap. 25. lit. E. Alius est medius malus, qui separat amicos, alius bonus, qui reconciliat inimicos, & ideò multi sunt medij separantes, quia multitudo, quæ beata est, vnius Dei participatione fit beata, cuius participationis priuatione misera multitudo malorum Angelorum, quæ se opponit potius ad impedimentum, quàm interponit ad beatitudinis adiutorium, etiam ipsa multitudo obstrepit quodammodò, ne possit ad illud vnum beatificum bonum perueniri, ad quod vt perduceremur non multis, sed vno mediatore opus erat, &c. & c. 18. Falsi autem illi, fallacesq. mediatores Dæmones, qui cum spiritus immunditia miseri, ac maligni multis effectibus clareant, per temporalium tamen locorum interualla, & aëreorum corporum leuitatem à prouectu animorum nos auocare, atque auertere molliuntur. Et non viam præbent ad Deum, sed, ne via teneatur impediunt; quandoquidem & in ipsa via corporali, quæ falsissima est, & plenissima erroris, qua non iter agit iustitia, &c. iàm ergo in habitaculis eorum erat peccatum, idest Diabolus, qui propterea mediator ad illos perdendos erat in medio eorũ.

Ego verò ad Dominum clamaui; & Dominus saluabit me; Hæc est tertia pars, in qua loquitur Ecclesia, quæ quod illis factum sit iniquis iàm dixit. Quid verò factura sit, cũ ipsa sit in omnibus iustis in tribulatione positis, docet, dicens, ego autem à Dominum clamaui: Augustin. corpus Christi, & vnitas Christi in angore, tædio, in molestia, in conturbatione exercitationis suæ; ille vnus homo, in vno corpore posita vnitas; cum tæderet animam eius, exclamans, à finibus terræ; à finibus terræ ad te clamaui, Psalm. 6. cum angeretur cor meum: ipse vnus, sed vnitas vnus; & ipse vnus, non in vno loco vnus, sed à finibus terræ clamat vnus. Quomodò à finibus terræ clamaret vnus, nisi in multis esset vnus? Ego ad Deum clamaui; rectè: tu exclama ad Dominũ, noli ad Donatum, nemo tibi sit pro Domino Dominus, qui sub Domino noluit esse conseruus, hæc Augustin.

Et Dominus saluabit me. Qui ideò passus est, resurrexit, & ad dexteram Patris residet, vt interpellet pro me. Et saluabit me, quem Pater illi dedit, Ioan. c. 17. nu. 12. Ego autem, quæ nunc tristitiam habeo, dicit Ecclesia, quia videbo Dominum in Maiestate sua, gaudebo, quia Dominus saluam me faciet, Ioan. 16. nu. 22. Ad Dominum enim cũ tribularer, clamaui, & exaudiuit me, Psal. 119. Tu

ergo etiam in tribulatione positus; cum iniquis deputatus, Ecclesiæ orantis modũ disce, vt à Domino salueris, & ab illo exaudiaris; clama igitur & tu ad Dominum, idest mentis desiderio in ipsum orando tendas; qui enim aliquidà Deo petit orando, non clamat ad Deum, sed infirmus iacens loquitur lingua corporis, sed corde permanet mutus, oratio autem deuota quidam clamor cordis est, aures pulsans diuinas, vndè Exod. cap. 14. Moysi lingua corporis tacenti, sed corde oranti, dicit Dominus; Quid clamas ad me, ità Ecclesia in tot malis posita, clamauit ad Dominum, & saluauit eam.

Vide quanti sit valoris iusti oratio, illa enim quodammodò refrænatur ira Dei, nàm in Psalm. 146. vbi nos habemus præcinite Domino in confessione, septuaginta habent, excantate Dominum, quasi nostris deprecationibus Deus excantetur, & sopiatur, vndè Isai. 48. n. 10. & laude, inquit, mea infrænabo te, ne intereas, quæ verba ex Hebræo transtulit Vatab. propter laudem meam frœnum inijciam mihi tui causà, ne te omnino exscindam, Vndè Chrysost. Tom. 1. Sermone de Moyse. Stabat Moyses in monte, non armis, sed precibus pugnaturus; pugnabat cum hostibus absens, cum externis sine bello decertabat: Fit Moyse orante occulta pugna, sed manifesta victoria; latenter dimicat, vt euidenter deuincat, sit ergo assidua oratio, vt exaudiaris à Deo.

Propterea sequitur vers. pro Ecclesia dicens, vespere, mane, & meridie narrabo, & annunciabo, & exaudiet vocem meam.

A vespere ergo incipit, quia per peccatum iàm humana natura erat inferno propinqua; propterea Iesus vespere hora nona mori voluit, vt genus humanum à morte liberaret, vt mors morte corrueret, Mane etiam orauit, quia per resurrectionẽ Christi ab inferno ad Cælum, vbi ipse sedet, nos & aduocare voluit, orauit & in meridie, vt sciamus, quia post resurrectionem nostram, si in vijs eius ambulauerimus, nos cum Christo in luce clariori permanere debere. Orat ergo in meridie, quia tali hora nos Christus liberauit à morte, vt perduceret nos in lucem, quæ est Christus, ipse Augustin. hic in litera D.

Ego ad Dominum clamaui, & Dominus exaudiet me; vespere, & mane, & meridie narrabo, & annunciabo, & exaudiet vocem meam. Euangeliza tu, noli tacere tu, dic quod accepisti, vespere de præteritis, mane de futuris, meridie de sempiternis, ideò ad id quod ait vespere, pertinet, quod enarrat: ad id, quod ait mane; pertinet, quod annunciat; ad id, quod ait in meridie; pertinet, quod exauditur vox eius. Finis enim in meridie est, sed inde; non declinatur in occasum, in meridie enim lux excelsa est, splendor sapientiæ, feruor dilectionis. Vespere Dominus in Cruce; mane in resurrectione, meridie in ascensione. Et narrabo vespere patientiam morientis; annunciabo mane vitam resurrectionis; orabo, vt exaudias meridie sedens ad dextram Patris; narrabo de prçteritis, quoniam tu Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt Cæli, Psal. 101. n. 16. mane de futuris, mane, inquit, astabo tibi, & videbo: quoniam Deus non volens iniquitatem tu es, Psalm. 5. nu. 5. Augustin. in Euangel. Ioannis Tract. 34. Serm. 9. lit. G. & H. Quid, inquit, est mane; transacta nocte sæculi huius, transactis terroribus tentationum, superato illo leone, qui nocte rugiens circuit, quærens quem deuoret. Mane astabo tibi, & contemplabor, quod promisit. Futuri temporis verba posuit, non enim, inquit, ipse habet, sed habebit lumen vitæ; non ait, qui sequetur me, sed qui sequitur me; in eo quod facere debemus, præsens tem-

Veniat mors super illos, idest minores, qui maioribus consentire voluerunt, idem scilicet veniat ignis consumptionis, qui populum, vt supra deuorauit; auctores verò mali, maiores, & Duces descendant viui in infernum terrenæ cupiditatis, hos etiam absorbeat terra viuentes, sicut Abiron, & socios absorbuit. Veniat ardor consumptionis, vbi est ardor dissensionis; eadem sit pœna illorum, qui Moysi inobedientes, & eorum, qui à Iesu apostatarunt iniqui. Immo maior sit pœna illius, qui Iesu notus, cum illo dulces capiebat cibos. Illi separationem, ac diuisionem propter auaritiam, & inuidiam procurabant in populo, hic verò ingratus, & perfidus mortem populo, & sibi accelerare præsumebat, filium hominis Iudæis occidendum tradendo; maior sit illius pœna, propterea contrà illum facta specialis exclamatio; & ideò suppliciorum grauitate maiori dignus erat.

Quoniam nequitiæ in habitaculis eorum, in medio eorum. Et in corpore, & in anima, iniquitas eis inhæsit & nequitia, adeòq. & Dæmon illos in corpore obsedit, curauitq. mediatorem se exhibens, vt in nequitia permanerent, vt sepelirentur in inferno. Augustin. Tom. 5. de Ciuit. Dei ad Marcellin. lib. 9. cap. 25. lit. E. Alius est medius malus, qui separat amicos, alius bonus, qui reconciliat inimicos, & ideò multi sunt medij separantes, quia multitudo, quæ beata est, vnius Dei participatione fit beata, cuius participationis priuatione misera multitudo malorum Angelorum, quæ se opponit potius ad impedimentum, quàm interponit ad beatitudinis adiutorium, etiam ipsa multitudo obstrepit quodammodò, ne possit ad illud vnum beatificum bonum perueniri, ad quod vt perduceremur non multis, sed vno mediatore opus erat, &c. & c. 18. Falsi autem illi, fallacesq. mediatores Dæmones, qui cum spiritus immunditia miseri, ac maligni multis effectibus clareant, per temporalium tamen locorum interualla, & aëreorum corporum leuitatem à prouectu animorum nos auocare, atque auertere molliuntur. Et non viam præbent ad Deum, sed, ne via teneatur impediunt; quandoquidem & in ipsa via corporali, quæ falsissima est, & plenissima erroris, qua non iter agit iustitia, &c. iàm ergo in habitaculis eorum erat peccatum, idest Diabolus, qui propterea mediator ad illos perdendos erat in medio eorũ.

Ego verò ad Dominum clamaui; & Dominus saluabit me; Hæc est tertia pars, in qua loquitur Ecclesia, quæ quod illis factum sit iniquis iàm dixit. Quid verò factura sit, cũ ipsa sit in omnibus iustis in tribulatione positis, docet, dicens, ego autem à Dominum clamaui: Augustin. corpus Christi, & vnitas Christi in angore, tædio, in molestia, in conturbatione exercitationis suæ; ille vnus homo, in vno corpore posita vnitas; cum tæderet animam eius, exclamans, à finibus terræ; à finibus terræ ad te clamaui, Psalm. 6. cum angeretur cor meum: ipse vnus, sed vnitas vnus; & ipse vnus, non in vno loco vnus, sed à finibus terræ clamat vnus. Quomodò à finibus terræ clamaret vnus, nisi in multis esset vnus? Ego ad Deum clamaui; rectè: tu exclama ad Dominũ, noli ad Donatum, nemo tibi sit pro Domino Dominus, qui sub Domino noluit esse conseruus, hæc Augustin.

Et Dominus saluabit me. Qui ideò passus est, resurrexit, & ad dexteram Patris residet, vt interpellet pro me. Et saluabit me, quem Pater illi dedit, Ioan. c. 17. nu. 12. Ego autem, quæ nunc tristitiam habeo, dicit Ecclesia, quia videbo Dominum in Maiestate sua, gaudebo, quia Dominus saluam me faciet, Ioan. 16. nu. 22. Ad Dominum enim cũ tribularer, clamaui, & exaudiuit me, Psal. 119. Tu

ergo etiam in tribulatione positus; cum iniquis deputatus, Ecclesiæ orantis modũ disce, vt à Domino salueris, & ab illo exaudiaris; clama igitur & tu ad Dominum, idest mentis desiderio in ipsum orando tendas; qui enim aliquid à Deo petit orando, non clamat ad Deum, sed infirmus iacens loquitur lingua corporis, sed corde permanet mutus, oratio autem deuota quidam clamor cordis est, aures pulsans diuinas, vndè Exod. cap. 14. Moysi lingua corporis tacenti, sed corde oranti, dicit Dominus; Quid clamas ad me, ità Ecclesia in tot malis posita, clamauit ad Dominum, & saluauit eam.

Vide quanti sit valoris iusti oratio, illa enim quodammodò refrænatur ira Dei, nàm in Psalm. 146. vbi nos habemus præcinite Domino in confessione, septuaginta habent, excantate Dominum, quasi nostris deprecationibus Deus excantetur, & sopiatur, vndè Isai. 48. n. 10. & laude, inquit, mea infrænabo te, ne interfeas, quæ verba ex Hebræo transtulit Vatab. propter laudem meam frœnum inijciam mihi tui causa, ne te omnino exscindam, Vndè Chrysost. Tom. 1. Sermone de Moyse. Stabat Moyses in monte, non armis, sed precibus pugnaturus; pugnabat cum hostibus absens, cum externis sine bello decertabat: Fit Moyse orante occulta pugna, sed manifesta victoria; latenter dimicat, vt euidenter deuincat, sit ergo assidua oratio, vt exaudiaris à Deo.

Propterea sequitur vers. pro Ecclesia dicens, vespere, mane, & meridie narrabo, & annunciabo, & exaudiet vocem meam.

A vespere ergo incipit, quia per peccatum iàm humana natura erat inferno propinqua; propterea Iesus vespere hora nona mori voluit, vt genus humanum à morte liberatet, vt mors morte corrueret, Mane etiam orauit, quia per resurrectionẽ Christi ab inferno ad Cælum, vbi ipse sedet, nos & aduocare voluit, orauit & in meridie, vt sciamus, quia post resurrectionem nostram, si in vijs eius ambulauerimus, nos cum Christo in luce clariori permanere debere. Orat ergo in meridie, quia tali hora nos Christus liberauit à morte, vt perduceret nos in lucem, quæ est Christus, ipse Augustin. hìc in litera D.

Ego ad Dominum clamaui, & Dominus exaudiet me; vespere, & mane, & meridie narrabo, & annunciabo, & exaudiet vocem meam. Euangeliza tu, noli tacere tu, dic quod accepisti, vespere de præteritis, mane de futuris, meridie de sempiternis, ideò ad id quod ait vespere, pertinet, quod enarrat: ad id, quod ait mane; pertinet, quod annunciat; ad id, quod ait in meridie; pertinet, quod exauditur vox eius. Finis enim in meridie est, sed inde; non declinatur in occasum, in meridie enim lux excelsa est, splendor sapientiæ, feruor dilectionis. Vespere Dominus in Cruce; mane in resurrectione, meridie in ascensione. Et narrabo vespere patientiam morientis; annunciabo mane vitam resurrectionis; orabo, vt exaudias meridie sedens ad dextram Patris; narrabo de prȩteritis, quoniam tu Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt Cæli, Psal. 101. n. 16. mane de futuris, mane, inquit, astabo tibi, & videbo: quoniam Deus non volens iniquitatem tu es, Psalm. 5. nu. 5. Augustin. in Euangel. Ioannis Tract. 34. Serm. 9. lit. G. & H. Quid, inquit, est mane; transacta nocte sæculi huius, transactis terroribus tentationum, superato illo leone, qui nocte rugiens circuit, quærens quem deuoret. Mane astabo tibi, & contemplabor, quod promisit. Futuri temporis verba posuit, non enim, inquit, ipse habet, sed habebit lumen vitæ; non ait, qui sequetur me, sed qui sequitur me; in eo quod facere debemus, præsens tem-

pus posuit, quód autem promisit facientibus, futuri temporis verbo significauit, qui sequitur habebit, modò sequitur, post habebit, modò per fidem, post habebi, per speciem Apostolus, 2. Corinth. 5. n. 6. quandiù enim sumus in corpore peret grinamur à Domino, per fidem ambulamus, non per speciem; cum habuerimus scilicet lumen vitæ, quando nox ista transierit, de illo quippè die, qui exortus est, dictum est, mane astabo tibi, & contemplabor. Mane ergo de futuris, nàm si ab illo non facies casum, nunquam à te ipse faciet occasum.

Et si vespere in hoc sæculo sim tenebroso; narrabo tamen mirabilia tua. Ecce in nocte sum, sed in te speraui, donec nocturna transeat iniquitas, vndè 2. Petr. cap. 1. Habemus enim certiorem propheticum sermonem, cui benefacitis intendentes tamquam lucernæ lucenti in obscuro loco, donec dies illucescat, & lucifer oriatur in cordibus vestris.

Vel aliter dicamus, Vespere, quia cum tunc iratus esses, misericordiæ tuæ recordatus es, vt saluares nos, Habac. 3. num. 2. Crucifigi enim voluisti, & pro populo tuo mori. Vespere quæ de tua passione videbantur obscura, lucida facta sunt, propterea mane narrabo, nàm dixit Habac. cap. 3. nu. 4. Splendor eius, vt lux erit, quia fama tua credentes illuminauit, & sequitur Habac. Cornua in manibus eius, trophæum scilicet Crucis: ecce quæ narrantur in vespere: quomodò intelligens inueni, & narrabo de mane, Augustin. de Ciuit. Dei Tom. 5. lib. 18. c. 32. & meridie etiam narrabo Charitatē tuam, nàm dicit Habac. Deus ab austro venient: & Sanctus de monte Pharan. Ab austro enim venisti per quod significatur meridies, idest feruor charitatis, & splendor veritatis tuæ: in vespere ergo quæ de te dicta sunt, obscura gentibus, intelligenti tamen, & fidem habenti lucida facta sunt de mane, & in meridie, idest in charitate tua facta esse, à te enarrabunt Christiani.

Aliter dicamus, vespere, mane, & meridie narrabo, & annunciabo, sed quid narrabis ò Ecclesia Dei? quæ vespere dicta sunt de Christo, in testamento veteri per Prophetas, & Psalmos; de eius passione, & sicut mane lucida apparuerunt, perquirentibus ab illa, quia surrexit in illa; & meridie, idest cum magna per Euangelium charitate illuminata, & lucida docebo gentes à solis ortu, vsquè ad occasum; quia ascendit in Cælum, & annunciabo redemptionem factam à Christo. Vide Augustin. de Vnitate Ecclesiæ lib. vnico, Tom. 7. litera E, & D. & lib. 10. de Verbis Domini Serm. 1. in Euangel. secundum Ioannem Serm. 1. litera E. cap. 7. Magnus enim seruor, & magnus splendor est in illo, scilicet in meridie, annunciat, quem diligit anima iusti, Cant. 1. nu. 16. Et exaudiet vocem meam, vt aspiciens Deus sit, & dissoluat gentes, & contriti fiant montes sæculi, incuruenturq. montes mundi ab itineribus æternitatis eius, Habac. cap. 3. nu. 6.

Annunciabo ergo in meridie misericordiam magnam Domini, qui in pace redimet animam meam ab his, qui appropinquant mihi, quoniam inter multos erant mecum. Hìc quæri potest, qui sint illi, qui appropinquauerunt Domino. Ex Psalm. 37. nu. 11. Amici, inquit, mei, & proximi mei; Iudæi ergo, ex quorum semine natus est Iesus, sunt, à quorum manibus liberauit eū Dominus.

Quoniam inter multos erant mecum, hoc est, contrà me multi fuerunt, cum illis Principibus. Et hanc interpretationem ex præcitato eodem Psal. 37. numer. 20. colligimus; inimici enim, inquit, mei viuunt, & confirmati sunt super me, & multiplicati sunt, qui oderunt me iniquè, quoniam sequebar bo-

nita-

nitatem; Inter multos ergo, idest omnes contrà me erant illi Scribæ. Nàm à principio, non omnes, nec populus; posteà verò concitauerunt Principes populum contrà me, vt Baràbbam Pilatus dimitteret, me autem morti traderet. Inter multos erant & illi iniqui Pharisæi; quia totam plebem contrà Iesum concitauerunt, inter quos & illi erant seducentes populum. Augustin. autem hìc, litera F. Quare inquit qui appropinquant mihi? quia in multis erant mecum; in hoc versu duæ sententiæ occurrunt. In multis erant mecum. Baptismum habebamus vtrique, in eo erant mecum; Euangelium vtrique legebamus, erant in eo mecum; festa Martyrum legebamus, erant ibi mecum: Paschæ solemnitatem frequentabamus, erant ibi mecum; sed non omnino mecum; in schismate non mecum, in hæresi non mecum; in multis mecum, in paucis non mecum. Sed in his paucis, in quibus non mecum, non eis prosunt multa, in quibus mecum. Etenim fratres videte, quàm multa narrauit d. Paul. Apostolus 1. Corinth. cap. 15. Vnum dixit, si illud defuerit, frustrà sunt alia, Si linguis hominum loquar, & Angelorum ait, si habeam omnem prophetiam, & omnem fidem, & omnem scientiam, si montes transferam, si distribuam omnia mea pauperibus, si tradam corpus meum, ità vt ardeat, quàm multa enumerauit, his omnibus multis si desit vna charitas, illa numero plura sunt, hæc pondere maior est. Ergo in omnibus Sacramentis mecum, in vna charitate non mecum: hæc Augustin. verba per Gratian. translata sunt in cap. Non in vobis, de Consecrat. dist. 4. Item alio modo, Non in multis erant mecum, declarat idem Augustin. hìc. Qui scilicet se separauerunt à me, mecum erant, non in paucis, sed in multis: etenim per totum Orbem terrarum pauca sunt grana, multæ sunt paleæ, in palea mecum erant, in tritico non mecum erant; propinquat palea tritico, quia de vno semine exit, in vno agro radicatur, &c. non in eundem horreum intrat.

In pace redimet animam meam ab his, qui iàm quasi in carcere positam retinebant illam, idest Ecclesiam meam: ab illis illam redimet, & dabit genti facienti fructum suum in tempore suo; Vineam meam alijs agricolis locabo, qui reddent fructum, Matth. 21. num. 33. vsque ad finem. Ab his, qui appropinquant mihi, à Iudæis, qui illius erant propinqui, redimet illam. Quia non inuenit tantam fidem in Israel, sicut in Gentilitate, in illo Centurione, ideò Iesus sequentibus se dixit, Quia multi ab Oriente, & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, Isaac, & Iacob in regno Cælorum, filij autem regni eijcientur in tenebras exteriores, &c. hi sunt multi, qui secum erant, relictis Iudæis, Matth. 8. num. 10. qui inter multos secum erant, cantemus ergo Domino, laudemus Dominum, quia liberauit animam pauperis de manu malorum, Ierem. 20. num. 13.

Deus exaudiet me, inquit Dauid, & humiliabit illos, qui est ante sæcula. Iesus Christus scilicet, quia ille est, qui nos redemit, & qui cum Patre, & Spiritu sancto est ante sæcula, & de quo Isai. cap. 48. numer. 12. ego ipse, ego primus, & ego nouissimus; manus quoque mea fundauit terram, & dextera mea mensa est Cælos. Ego vocabo eos, & stabunt simul, Ecce multi, qui erant secum, quos ille congregauit. Et quod de Iesu loquatur, declarat ibid. nu. 16. dicens. Non in abscondito locutus sum, & nunc Dominus Deus misit me, & spiritus eius; Hæc dicit Dominus Redemptor: iste est Agnus de quo Ecclesia

clesia canit, E sursum mittitur Agnus laxare gratis debitum; &c. vt carne carnem liberans, ne perderet, quos condidit. Humiliauit ergo idem Deus, qui est ante sæcula superbos illos Pharisæos, & Iudæos, exaltauitq. humiles, Isai. cap.66. numer.2. omnia hæc manus mea fecit, &c. ad quem autem respiciam, nisi ad pauperculum, & contritum spiritu, & trementem sermones meos? pauor enim operantium iniquitatem, Prouerb. cap.21. num.17. abominabitur eos anima mea, Leuit. cap.26. num.31. & per Ierem. Deus contrà istos in cap.9. num.15. cum seq. Ego cibabo populum istum absynthio, & potum dabo eis aquam fellis, & dispergam eum in gentibus, & mittam post eos gladium, donec consummentur. Faciunt quæ comminata sunt huic populo pessimo de ore Dei per Moysen in Deuter. cap.28. Disperget te Dominus in omnes populos à summitate terræ, vsque ad terminos eius, numer.44. & seruies, &c. & numer.45. In gentibus quoque illis non quiesces, neque erit requies vestigio pedis tui. Dabit enim tibi Dominus cor pauidum, & deficientes oculos, & animam consumptam mœrore; & erit vita tua quasi pendens ante te. Timebis nocte, & die, & non credes vitæ tuæ. Et in fine: Venderis inimicis tuis in seruos, & ancillas, & non erit qui emat, propterea sequitur Psalmi versiculus.

Non est enim illis commutatio, & non timuerunt Deum, extendit manum suam in retribuendo. Nolunt enim resipiscere, & se emendare: nec mutant huiusmodi peruersitatis genus, & in peccatis, & in infidelitate obstinatiores quotidie fiunt. Augustin. Humiliabit illos Deus in damnatione, quia erecti sunt in dissensione. Non est illis commutatio, quia non mutantur in melius, sed in peius, nec cum hic sunt, nec in resurrectione, 1. Corinth. cap.15. Omnes enim resurgemus, sed non omnes immutabimur, num.52. Non est illis commutatio peruersi sensus, sed permanent in peruersitate, in schismate moriuntur; quia non mutantur in melius, sed in peius: non ergo mutabuntur hic, nec in resurrectione, quia illorum perfidorum sensus incommutabilis est, quia non timent Deum. A mortuo quasi nihil perit confessio, idest mortuus non potest Deum laudare, Eccles. 17. num.27. Confiteberis viuens, inquit, & sanus. Contemnit enim cum in profundum peccatorum impius venit, Prouerb. c.18. num.3 & ideò ad nihilum deductus est in conspectu eius malignus, timentes autem Dominum glorificat: & S. Hieronym. sic transtulit, Despicitur in conspectu eius malignus, Psalm.14. peccata enim illius separauerunt illum à Deo, Sap. cap.1. num.3. Sed si Deus palmo Cælum tenet, & terram pugillo, vbi erit iste iniquus, qui propter peccatum separatus est à Deo? Isai. cap.40. num.12. Eijce, inquit, illos à facie mea, & egrediantur. Quòd si dixerint ad te, quò egrediamur? dices ad eos. Qui ad mortem ad mortem, & qui ad gladium ad gladium, & qui ad famem ad famem, & qui ad captiuitatem ad captiuitatem, &c. Ierem.15. D. Hieronym. ad Damas. Papam in Expositione Parabolæ filij Prodigi, de qua Luc.15. Adolescentior filius profectus est in regionem longinquam, si Deus Cælum tenet palmo, & terram pugillo, & Deus de longinquo non est, Psalm.38. numer.8. Amos 9. num.2. fugient, & non saluabitur qui fugerit, quia si descenderint vsque in infernum, inde manus mea educet eos. Et si absconditi, & recedunt, inquit Hieronym. affectu, non locorum spatijs. Elongant se à Deo peccatores voluntate, & animo, non loco, dicit

Chry-

Chrysostom. homil. 11. in Epistol. ad Philippens. vehementer Deum fugimus, quò fugis miser? quò fugis vitam, & salutem tuam? Si Deum fugies, ad quem confugies? si lucem fugis, quò respicies? si vitam? Vndè posteà viues? Cum peccamus fugimus à Deo, fugitiui in alienam terram descendimus: Hæc, & alia mala, & damna ipsis euenerunt, quia non timuerunt Deum; propterea à malo ad bonum conuerti non potuerunt. Ideò non est illis commutatio, idest vitæ à malo; non enim tunc quando morientur, vllus pœnitendi locus remanebit; quia eò tempore, quo fructuosa posset esse pœnitentia, cor obdurauerunt aduersus monentem Dominum.

Et non timuerunt Deum, dicit Psalm. Augustin. Psalm. 55. litera B. Aliud, inquit, est sanitas corporis, aliud stupor corporis, aliud immortalitas corporis. Tres affectiones quasdā corporis aduertite, & inspicite, sanitatē, stuporem, & immortalitatem; sanitas ægritudinem non habet, sed tamen quando tangitur, & molestatur dolet; stupor autem non dolet, amisit sensum doloris, tantò insensibilior, quantò peior; rursus immortalitas non dolet, absumpta est enim omnis corruptio, & corruptibile hoc induet incorruptionem, & mortale hoc induet immortalitatem, 1. Corinth. cap. 15. Nullus ergo dolor in corpore immortali; nullus dolor in corpore stupido, non se putet stupidus immortalem; vicinior est immortalitati sanitas dolentis, quam stupor non sentientis. Non enim in non sentiente fortitudo est, quamuis se fortior esse dicat capite nostro, Deo nostro, qui tristem animam suam esse dixit? non iste fortior, stupor eius non immortalitate indutus, sed sensu exutus est, hìc August. in Psalm. supradicto 55. litera C.

Propterea non timuerunt Deum, quia insensati, & stupidi facti sunt, ex iniquitatibus suis. Tales enim qui non timent, nec homines sunt; bestiæ potius immanes, & pecora, & truces nominandi sunt, Augustin. Psalm. 63. litera E, Timeas ergo Dominum in præsenti vita, vt in futura non timeas; non enim tunc minuentur omni bono, Psalm. 33. num. 11. & Psalm. 118. nu. 24. Qui timent te videbunt me, & lætabuntur, vbi Augustin. Concion. 19. litera A. & B. In præsenti tempore timor est, quandiù tentatio est vita humana super terram; iucunditas autem tunc erit, quando iusti fulgebūnt in regno Patris sicut Sol, Matth. c. 13. Vndè Psalm. 30. num. 20. Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te.

Timor enim huius vitæ, & securitas in alia vita sine fine, Augustin. in Tom. 10. Serm. 3. in Euangel. secundum Matth. litera C. Timeat ergo, qui ducit modò vitam cum fine, quo possit in illa vita habere securitatem sine fine. Idem Augustin. de Verbis Domini, Sermon. 39. litera C. & D. Sis expeditus, & paratus sis ad expectanda nouissima, vt post nouissima, quæ sunt in hoc sæculo metuenda, succedat requies, quæ non habet finem, erunt enim tunc securi, qui modò non sunt securi; & iterum timebunt, qui modò timere nolunt. Quocirca Deus extendit manum suam in retribuendo; ipse enim bona illis retribuit, mala autem ingrati Deo dederunt. Propterea extendet manum suam in retribuendo illis mala, & damna, in iniuria retribuendo ad vlciscendum, Isai. cap. 3. num. 11. Væ impio in malum, retributio enim manuum eius fiet ei. D. Hieronym. Non est illis commutatio, de malo in bonum non commutantur, non transferuntur secundum Euangelium de morte ad vitam.

Et

Et non timuerunt Deum: ideò ad vltionem descendit, dicens. Expandit manum suam in retribuendo. Quia cum eis ad auxilium porrecta fuisset, non eam receperunt. Non timuerunt Deum; propterea non declinauerunt de malo in bonum, quia non cognouerunt, & extendit manum suam in retribuendo eis. Extendit manum suam, vt ait Isai. cap. 65. numer. 2. Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, contradicentem mihi. Ideò quia non credit opera, & potentiam; in retribuendo illis, hoc est in vindicta, in die iudicij. Extendi manus meas. Quid per manuum extensionem, nisi quòd vulneris inferendi maiorem grauitatem demonstrat; eleuat enim, vt grauius impendat; tarditatem enim pœnæ, grauitate recompensat.

Contaminauerunt testamentum eius; diuisi sunt ab ira vultus eius; & appropinquauit cor illius. In via eorum mala non solum permanserunt; Deum non timentes; sed & testamentum Domini, legem scilicet, quam dedit eis, contaminauerunt, falsis interpretationibus, & impietatibus iniquis illud interpretantes, & peruertentes. Et quia iuxtà illorum prauum intellectum, quilibet illud ad sensum inducebat suum, propterea diuisi sunt, alius ab alio sentiens diuersa; & à vero sensu aliena. Et ità diuisi etiam à Deo contrà illos irato, qui reliquit eos, atque dimisit secundum desiderium cordis eorum, Psal. 80. num. 13. Diuisi sint à luce, propterea in tenebris remanserunt, Sap. 6. num. 23. Cum mandatum lucerna sit, & lex lux, illa contaminauerunt, & tenebræ eis factæ sunt: mandata, & præcepta Dei noluerunt seruare, & nec ipsa conseruabunt illos, Eccles. 15. num. 15.

Non piget tamen hìc verba Augustini describere, nàm verba obscura satis videntur; Diuisi sunt, inquit, præ ira vultus eius, quid expectatis, qua maiori nota ostendantur hæretici? Diuisi sunt præ ira vultus eius: & appropinquauit cor illius, cuius intelligimus, nisi cuius ira diuisi sunt. Quomodò appropinquauit cor illius, vt intelligamus voluntatem illius? etenim hæreticis exerta est Catholica Ecclesia, & ex his, qui malè sentiunt, probati sunt, qui benè sentiunt; multa enim latebant in scripturis, & cùm præcisi essent hæretici, quæstionibus agitauerunt Ecclesiam Dei: aperta sunt quæ latebant, & intellecta est voluntas Dei. Vndè dicitur in alio Psalm. 67. Congregatio taurorum inter vaccas populorum, vt excludantur hi, qui probati sunt argento. Excludantur enim dixit, emineant, eant, appareant: Vndè dicuntur in arte argentaria exclusores, idest ex quadam confusione massæ ad suæ formæ expressores. Ergo multi, qui optimè poterant Scripturas dignoscere, & pertractare, latebant in populo Dei, nec asserebant solutionem quæstionum difficilium; Cum calumniator nullus instaret. Nunquid enim perfectè de Trinitate tractatum est, antequam oblatrarent Ariani? nunquid perfectè de Pœnitentia tractatum est, antequam obsisterent Nouatiani? sic non perfectè de Baptismate tractatum est, antequam contradicerent foris positi rebaptizatores; nec de ipsa Vnitate Christi enucleatè dicta erant, quæ dicta sunt, nisi posteaquam separatio illa vrgere cœpit fratres infirmos, vt iàm illi, qui nouerant hæc tractare, atque dissoluere, ne perirent infirmi solecitati quæstionibus impiorum, sermonibus, & disputationibus suis obscura legis in publicum deducerent; ergo illi diuisi sunt præ ira vultus eius, & nobis ad intelligendum appropinquauit cor eius.

Ita

Itaquè intelligite illud, quod in alio Psalmo commemorauit, congregatio taurorum, idest superborum, cornupetarum, inter vaccas populorum. Quas dicit vaccas? Animas seductibiles. Vt quid hoc? vt excludantur hi, idest appareant, qui probati sunt argento. Quid est argento? Eloquia Domini, eloquia casta, argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septies tantùm. Hunc sensum obscurum videte, quemadmodum excludat in lucem Apostolus 1.Corinth.cap.11. Oportet, inquit, & hæreses esse, vt probati manifesti fiant inter vos. Quid est probati? Probati argento, probati eloquio; quid est manifesti fiant? Excluduntur. Quare hoc? propter Hæreticos. Quid est propter Hæreticos? Propter congregationem taurorum inter vaccas populorum. Sic ergo & hi diuisi sunt præ ira vultus eius; & appropinquauit cor illius, hæc Augustin.

Vel aliter dicamus: Contaminauerunt testamentum eius; nàm Iesum Christum, quem scriptum erat venturum, non solum non audierunt, sed & morti tradiderunt, & occiderunt; & nihilominus diuisi sunt ab ira vultus eius; quia non solum à manibus illorum euadere poterat; sed in ictu oculi, in verbo solo illos perdere, & vt terra illos viuos deglutiret, sicut Abiron, iubere poterat; diuisi sunt ab ira vultus eius, qui est super facientes mala: quia nec perdidit, sed pro illis rogauit Patrem, vt illis parceret. Et appropinquauit cor illius illis. Nàm etsi nequissimi essent; amicos suos Apostolos misit, vt prædicarent, ipsum esse Redemptorem, quem per ignorantiam tradiderunt, Act.Apost.cap.3. numer. 17.

Molliti sunt sermones eius super oleum, & ipsi sunt iacula. Blandi, & suaues videbantur traditoris sermones, & charitate pleni: poterat enim vnguentum istud, dicebat ille, venundari, &c. & dari pauperibus, non quia de egenis pertinebat ad eum, hoc dixit, sed quia fur erat, & latro, Isai.cap.12.numer.4. cum seq. Et ipsi eius sermones sunt iacula; Christum enim hanc vnguenti effusionem non prohibentem tacitus reprehendere voluit; Prætereà Aue, dixit, Rabbi, & osculatus est eum, Marc.14.num.46. & osculo tradidit illum, Luc. cap.22.num.48. & de proditore hæc intelligenda, dixit S. Hilarius.

Vel aliter dicamus: Quid dicitis, ò Iudæi, ò praua generatio? sermonem meum super mel, & fauum dulciorem, durum esse, quia dixi, qui credit in me habet vitam æternam; panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita; Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo, & qui hunc panem manducat, viuit in æternum. Quid dicis Pharisæę? quid dicis Synagoga, durus est hic sermo, & quis potest eum audire? Ioan. cap.6. num.61. Iàm molliti sunt sermones Iesu, iàm quasi puluis triturati, vt facilè etiam bibant sicut oleum, & pueri, & debiles, & ipsi sint iacula: cum ex illorum Iesu Christi confessione vicerint regna; vt neque aduersarij possent sapientiæ illorum resistere, & ori, quæ loquebantur, ad Hebr. cap.11.num.34. Obedire enim magis Deo oportet, quàm hominibus, dicebat Petrus Principi Sacerdotum, Act. Apostol. cap.5.num.27. cum seq. De ore enim illorum gladius ex vtraque parte acutus exibat, quo corda audientium feriebantur, & credebant in Iesum, vt in Act. Apostol. cap.2.num.41. gladio enim feriebantur credentes, hoc est gladio spiritus verbi Dei, Isai. cap.11.numer.4. & percutiet

terram virga oris sui,& spiritu labiorum suorum interficiet impium: & ad Hebr. cap.4.num.12. Viuus est, inquit, sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vsque ad diuisionem animæ, & spiritus, compagum quoque, ac medullarum,& discretor cogitationum,& intentionum cordis.

Propterea ipse Iesus dixit, Non veni mittere pacem, sed gladium, Matth. cap.10.num.34.. & in alio loco, Luc.cap.12.num.49. ignem veni mittere, de quibus gladio, & igne vide latius per August. Psalm.96. litera H. nàm hìc non est materia nostra.

Molliti sunt sermones eius: & ipsi sunt iacula, verbis mollibus, & blandis alloquebantur Iudæi, & Pharisæi Dominum, Magister bone, Matth. cap. 19. num.16. & mittunt Discipulos suos cum Herodianis; Magister scimus, quia verax es, & viam Dei in veritate doces (volebant enim eum capere in sermone) & non est tibi cura de aliquo, non enim respicis personam hominum. Aue Rex Iudæorum. Et ipsi sunt iacula; nàm expuentes in eum acceperunt arundinem, & percusserunt caput eius, Matth.27.num.19. Psalterium Romanum habet, mollierunt sermones suos super oleum,& ipsi sunt iacula,Psalm.58. num.9. ecce loquentur in ore suo, & gladius in labijs eorum.

Molliti sunt sermones eius super oleum, & ipsi sunt iacula, molliti voce: Augustin. Appropinquabit, quia super oleum molliti sunt sermones eius. Super oleum, quia obscura, quæ in scripturis sunt dura, exposita molliuntur, & vsque ad ossa penetrant; Et ipsi sermones sunt iacula, quia molliti non perdunt virtutes. Sed Euangelistæ eis armantur, & feriunt corda hominum. Ad amorem pacis,& à perplexis hæreticorum quæstionibus liberant infirmos: molliti, dico, sunt sermones; sed si tibi puero, qui lacte minoris doctrinæ nutriris adhùc dura sunt, ne irascaris vberibus Ecclesiæ: sed

Iacta super Dominum curam tuam, & ipse te enutriet, & non dabit in æternum fluctuationem iusto. Iacta super Dominum curam. Nemo ergo se supponat pro Domino. In hoc sæculo stas, in hoc mari tempestoso, non saxum quæras, sed portum: vide vt portus te excipiat. Facit, quod Propheta Ezechiel per metaphoram de pulchra Naui assumptam describit, Ezech.27.num.5. inquit enim, malum enim volebat facere Deus Ciuitati celeberrimæ Tyri, & per metaphoram Cedri, inquit; Cedrum de libano tulerunt, vt facerent tibi malum. Quercus de Basan dolauerunt in remos tuos, & transtra tua fecerunt tibi ex Ebore Indico, & prætoriola de insulis Italiæ. Bissus varia de Ægypto texta est tibi in velum: aliaq. omnia ad nauigationem narrantur. Solius anchoræ non meminit, rei vtique necessariæ, qua posset teneri pulcherrima Nauis: ne tandem collisa ad rupes, & litus naufragium faceret. Sed meritò anchoram omisit, vt modò innotesceret, eam felicitatem sic descriptam, instabilem omnino, fluctuantem, & quamcitissimè perituram esse. Sic enim transit gloria mundi, quæ fluxa est, & instar somnij. Propterea in somnijs Nabuchodonosori apparent, quæ ventura erant supremis terræ potestatibus, Daniel cap.2. motibus enim hæc mundana subiecta sunt; propterea Ioseph Solem, Lunam, & Stellas vndecim ipsum adorare in somnijs vidit, Genes. 37.num.9. vt intelligeret, à Deo datam potestatem, quæ in mundo est, motibus subiectam, nàm Luna, & Sol perpetuò motu cum Cælis cientur. Assumas ergo tibi vaccam triennem, Genes.c.15. vt possessio tua firma sit, ità enim Abraham à

Deo instructum legimus: in dicto cap.15.num.7. vbi habetur, ego Dominus, qui eduxi te de Vr Chaldæorum, vt darem tibi terram istam, & possideres eam: & Abraham, inquit, Domine Deus vndè scire possum, quòd possessurus sim eam: & respondens Dominus dixit: Sume tibi vaccam triennem, & ità pro stabilitate possessionis docuit sacrificium. Cultus ergo diuinus docetur ad conseruationem possessionis, ità etiam in Leuit. cap.25.numer.18. ibi, Facite præcepta mea, & custodite, & implete ea, vt habitare possitis in terra absque vllo pauore, & gignat vobis humus fructus suos, &c.

Iacta ergo super Dominum curam tuam; si cum Verbo stare desideras: nàm sine illo factum est nihil, Ioan.1. & sine ipso nihil facere possumus, Ioan.15. & ideò illud Psalm.15. Deus meus es tu, quia bonorum meorum non eges: Paraphrasis Chaldaica sic habet, Bonum nisi à te, quidquid enim à Deo nobis non prouenit, bonum nostrum minimè est; Vide Augustin. lib.3. Confess. suarum, cap.8. Omnis, inquit, mihi copia, quæ ex Deo non est, egestas est. Quid ergo, ò auare quæris? aut si aliud quæris, quid tibi sufficit, cui Deus non sufficit? Augustin. de Verbis Domini, Serm.29. Iacta in Deum cogitatum tuum, ità habet Psalterium Romanum: & ipse te enutriet, D. Hieronym. vt ab eo educatus fortis inimicis resistas.

Non dabit in æternum fluctuationem iusto; In æternum dixit, vt intelligas, quia cum Petro in fluctibus huius maris, huius sæculi ambulabis, sed non demergeris: afflictiones patieris, sed sustinebis, 1.Corinth.cap.4.num.10. Non in æternum dabit tibi fluctuationem: sed ad tempus modicum patieris: vt dum probatus in patientia persistes, in Cælum cum gaudio eleueris cum cæteris iustis: Iustorum enim armatura patientia est, vt benè probat Cyprian. lib. de Lapsis, & Ambros. lib.1. de Pœnitentia, cap.13. vbi de Diabolo sanctum Iob persequente: sic inquit. Et sanctum Iob magis armauit, postquam vulnerauit, qui Diaboli morsum pertulit; sed venena non sensit. In perferendo enim consistit fortitudo Christiana, non in offendendo: Vndè ex Dauidica illa Turri, Ecclesiæ scilicet, multi pendebant Clypei, non gladij, non aliud simile, Cantic. cap.4. numer.4. Vndè Gregor. lib.7. Moral. cap.8. in illud Isai. 40. numer. 31. Iusti mutabunt fortitudinem: Alia, inquit, reproborum fortitudo, alia verò iustorum, horum enim est in tolerandis malis, illorum verò in inferendis.

Et ipse te enutriet; vt ergo te Dominus enutriat, necesse est vt super illum curam tuam iactes; sed vt iactare possis, scientiam eius disce; Sapientiam ab illo postules, & dabit tibi affluenter.. Audi Isai. in cap.28. num.8. Quem, inquit, docebit scientiam, & quem intelligere faciet auditum. Audi, ablactatos à lacte, auulsos ab vberibus. Quia manda remanda, manda remanda, expecta reexpecta, expecta reexpecta, modicum ibi, modicum ibi; in loquela enim labij, & lingua altera loquetur ad populum istum. Cui dixit, hæc est requies mea, reficite lassum. Ablactatus ergo à lacte sis, vt ad pericula subeunda firmus sis: Chrysostom. Tom.1. Sermon. in Iob, & Abraham: Postquam dixit ablactatos à lacte; subdit, manda remanda, seù, vt legit Chrysostom. afflictionem super afflictionem: suscipe; & sequitur Chrysost. Quandiù imperfecti sumus, nobis parcitur, & quandiù lactamur, paternè fouemur: Vbi autem perfectiores facti fuerimus: perfectorum certamina subibimus.

Ablactando ergo te enutriet, inquit, non vt dum hic permanes, liber sis in omnibus fluctibus maris; sed in æternum non dabit fluctuationem iusto. Ergo Christianus est, & in tribulationibus positus. Iacta curam tuam in Domino, qui in ablactamento illorum iustos enutrire dicitur. Si ergo tribularis, à Domino ablactaris: & si in Domino tribulationes illas iactabis, in illis te enutriet, vt in æternum læteris, Ioan. cap.16. numer.33. In mundo pressuram habebitis, &c. sed tristitia vestra vertetur in gaudium. ibidem Ioan. numer.20. Væ, dicit Dominus, prægnantibus, & nutrientibus in illis diebus, Matth. cap.24. numer.19. Noli tu esse prægnans solum; vt in spe intumescas tantùm: sicut prægnantes, qui nondum filium natum viderunt: sed nutriens sis, idest in fide Christi instructus, iàm ablactatus, qui iàm per Baptismum effectus es Christianus: qui iàm adeptus es, quod concuperas: Christum scilicet, & eius fidem. Omnes enim concipiunt, alij iniustè, & iniquè, & de his loquitur Euangelium; Væ prægnantibus, & nutrientibus in malitia Diaboli scilicet: Vndè Psalm.7. numer.15. Concepit dolorem, & peperit iniquitatem; tu verò Christiane, qui de Christo concepisti, qui à Spiritu sancto concepisti; de quibus per Isai. cap.26. num.17. & 18. A timore tuo in vtero concepimus: & peperimus spiritum salutis tuæ. Iacta curam tuam in Domino, & in lacte fidei Christi enutrieris, & non dabit tibi in æternum fluctuationem; si iustus permanebis.

Hæreticos, & iniquos, quia contaminauerunt testamentum, deduces in puteum interitus, cùm è contrà de fidelibus apud Isai. dicto cap.26. Indulsisti Domine genti, indulsisti genti: nunquid glorificatus es? elongasti omnes terminos terræ, quia scilicet iàm in omnem terram exiuit sonus eorum, in angustia tamen Domine requisierunt te; in tribulatione murmuris doctrina tua eis. Sicut quæ concepit, cum appropinquat ad partum in doloribus suis, sic facti sumus Domine à facie tua: Concepimus, & quasi parturiuimus, & peperimus spiritum: Confirma, quod operatus es in nobis, vt in tuo lacte nutriti, & ablactati, firmi, & validi simus, donec ad cælestia regna perueniamus.

Lacta ergo nos Domine, vt nutriamur: nutrias, vt crescamus; sic crescamus, vt panem manducemus, panem scilicet corpus tuum, vt tu maneas in nobis; & nos in te, Ioan.17. num.21. Psalm.130. num.2. Sicut ablactatus est super matre sua, ità retributio in anima mea, Augustin. ibi lit. B. Ablactatur, inquit, non infans, sed iàm grandiusculus. Qui autem infirmus est prima infantia, quæ verò infantia est, super matrem suam est. Si fortè fuerit à lacte ablactatus, extinguitur; ablactari enim omnes possunt crescendo, qui crescit, & sic ablactatur: bonum est illi; qui autem adhùc super matrem suam est, perniciosum. Vndè 1. Corinth.3. nu.1. Tamquam paruulis in Christo, lac vobis potum dedi, non escam: nondum enim poteratis: sed nec nunc quidem potestis; adhùc enim carnales estis.

Ne ergo ante tempus ablactemur cauendum est, & timendum: nàm omnis grandis puer separatur à lacte: sed ne quis tunc à lacte separetur, quando adhùc super matrem suam est; sed tu anima mea cum adhùc super matrem sis, noli exaltare te: cum fortè minus idoneus sis ad capiendum cibum: sed impleas præcepta humilitatis. Habes interim, vbi te exerceas, credas in Christum; vt

possis

poſſis intelligere Chriſtum: quia tunc te Dominus enutriet, quia iàm grandiuſculus factus eris, in fide edoctus, iàm ablactátus eris.

Nec dabit in æternum tibi fluctuationem Dominus, ceſſabit tunc iniquorum, & perfidorum perſecutio, quos Deus deducet in puteum interitus: in interitum vbi puteus altus eſt, nec dabitur ab illo deductio.

Sed dici, & quæri poteſt à Dauide, Num in hoc ſæculo viri ſanguinum, & doloſi ſemper duraturi ſint, vt ſeneſcentes pacificè ſemper his fruantur tēporalibus bonis; quamuis poſt mortem damnandi ſint: vtranq. pœnam illorum prophetauit hìc Dauid, nempè quia in vita non dimidiabunt dies ſuos, hoc eſt propter illorum iniquitatem non prolongabitur vita illorum, ſed in medio dierum reuocabuntur, Iob 21.nu.21. Quid enim pertinet de domo ſua poſt ſe? & ſi numerus menſium dimidietur, ideſt, cum numerus menſium diminuatur. Et poſt mortem deducet illos Dominus in puteum interitus, vt tamen nunquam morientes, ſemper in perpetuis pœnis permanentes affligantur; tormēta patiantur, & quæ in ſpe in vita habuerunt, tamquam lanugo erit, quæ à vento tollitur, & in malignitate eorum conſumpti permanebunt, Sap. c.5. Hæc dixerunt, qui in inferno poſiti ſunt, Sap.5.nu.14. mors enim depaſcet eos, Pſal.48.nu.15. Reddet illis Deus iniquitatem ipſorum, & in malitia eorum diſperdet eos; diſperdet illos Dominus Deus noſter, Pſal.43.nu.23. In malitia enim ſua expelletur impius, ſperat autem iuſtus in morte ſua, Prouerb.14.nu.33. Hæc, & maiora euenerunt perfidis illis viris ſanguinum, qui Chriſti ſanguinem fuderunt, in vltione enim Dominica ab hoſtibus trucidati ſunt, conſumpti ſunt.

Ego autem, dicit Pſalmiſta, ſperabo in te Domine, quia ablactatus ſum à matre mea, enutries me, vt creſcens in fide tua dignè comedam panem vitæ, Te Ieſum Chriſtum Redemptorem meum.

SOLILOQVIVM.

EXAVDI Domine orationem, quam coràm te pro inimicis meis effundo, & ne deſpexeris deprecationem meam, quia ideò tu Deus homo factus veniſti, vt perditi, quos tibi dedit Pater, ſaluarentur per te. Intende mihi, & exaudi me, quia in exercitatione mea contriſtatus ſum, & à voce inimici turbatus. Ipſi nanque inimici tui ſpreuerunt te, & mala locuti ſunt contrà te attrahenti mihi ſpiritum, & hæc meditanti. In exercitatione mea contriſtatus ſum, & conturbatus, quia falſa tibi impigerunt inimici tui, & in ira moleſti tibi erant. Ideò cor meum conturbatum eſt in me, quia ſi in viridi, quid in arido? Et formido mortis cecidit ſuper me, propterea quod in agonia poſitus etiam rogaſti Patrem, vt ſi poſſibile eſſet, tranſiret à te Calix ille: cum tenebræ, ideſt iniqui Iudæi contexerint te; ſpiritus enim promptus, ſed caro infirma. Idcircò ego dixi, Vtinam quis daret mihi pennas ſicut columbæ, vt vel etiam à peccatorum conuerſione corporaliter euolarem, & aliquando requieſcerem; nàm & tu ecce elongatus es à Diſcipulis tuis, & in hortum orans ſtetiſti in ſolitudine, expectans eum, qui te ſaluum faceret à puſillanimitate ſpiritus, & tempeſtate, quamuis à te ipſo ſalus ſit, ſicut à Patre. Diuide linguas eorum Domine, quia contradictio, & iniquitas eſt in Ciuitate. Non enim crediderunt in te, &

veritati contradicunt, filium enim fabri te fecerunt. Et modò quid faciunt Hæretici, quid Iudæi? quid inimici tui? Ecclesiam tuam diuidere conantur, & perdere. Ideò præcipita Domine, accelera, diuide linguas eorum, qui negant te Christum; ab eis tollatur Christus. Diuide linguas eorum, vt te confitentes cum Gentilitate dilatetur Ecclesia tua; qui aliquando à te Christo longè, nunc propè fiant in sanguine tuo, qui fecisti vtramque vnam. Negantes autem in diluuium aquarum multarum proijciantur. Nàm die, ac nocte iniquitas habitacula eorum circumdat, nec in illis aliud est, præterquam labor; & iniustitia in medio eius: nec in plateis cessat vsura, & dolus. Hæc delicta, & facinora contrà legem tuam perpetrarunt. Quod si tantùm inimici mei maledixissent mihi, sustinuissem vtique, & abscondissem me forsitan ab eis, qui magna contrà me locuti fuissent: nàm & tu Domine, Iudam proditorem sustinuisti eum, qui tecum dulces capiebat cibos, ità tibi notum, vt illi familiæ, domusq. tuæ commiseris gubernationem oculos habenti: ac docuisti, vt & ego inimicos meos diligerem, eosq. pro te sustinerem: Quanquam & super Iudam venit mors, venietq. super eos pariter, quos sustineo, simulq. & viuentes descendent in infernum: quoniam pleni sunt nequitia, & iniustitia.

Tu Domine in Cruce positus ad Deum Patrem clamasti, & exaudiuit te, & ego in sæculi huius angustijs positus, in solitudine permanens, ad te Domine Iesù Christe Redemptor meus clamo, vt tu salues me per Passionem tuam, quæ fuit in vespere; per Resurrectionem tuam, quæ fuit in mane; & per sanctam Ascensionem tuam in meridie. Hæc narrans confitebor, quia salus est ex te, ideò exaudies vocem meam, & in pace animam redimes ab his, qui appropinquant mihi, qui inter multos etiam iniustos mecum in hoc sæculo commorantur. Tu Domine, qui es ante sæcula, exaudi me, & humilia illos, qui superbire conantur contrà te. Siquidem tu Domine cognoscis, quòd non timent te, & non commutantur à malo ad bonum: extende manum tuam in retribuendo mala malis. Testamentum tuum, Euangelium tuum contaminauerunt; & tu Domine adhùc illos sustines: & non extendis iram tuam super illos; Quin potius cor tuum illis appropinquas, quotidie ad ostium pulsans; super oleum sermones tuos mollitus es; quos instar lactentium facilè percipiant; & qui tamquam iacula corda hominum feriant.

Sicut tu docuisti, ità Domine ego percepi: ecce super te curam meam iacto, vt tu me enutrias, quia scio, quòd in æternum non dabis fluctuationem iusto. Inimicos tuos in puteum interitus deduces; nec in hoc sæculo isti sanguinum viri dimidiabunt dies suos, quin & mala capient in interitu. Ego verò sperabo in te Domine. Nàm ista est dies tua, in qua ideò te resurrexisse confiteor, & credo, vt tua prouidentia redimeres me. Sint boni fructus arboris meæ, cum Hebræorum iniquorum amissio facta sit reconciliatio mea, & ideò, quæ assumptio mea, nisi vitæ ex mortuis? Oleaster eram in radice tamen sancta, & ramis eius fractis insertus per resurrectionem tuam socius eiusdem radicis, & pinguedinis oliuæ factus sum. Te ergo Domine, cuius prouidentia, in tui dispositione non fallitur, suppliciter rogo, vt cuncta aduersa submoueas, & omnia mihi ad salutem profutura concedas per hanc huius mane laudis narrationem meam; per Virginis tuæ Mariæ Matris intercessionem, & Sancti Michaelis Archangeli, & omnium Sanctorum; Amen; Fiat Domine Iesu.

IN PSALMVM LV.

Miserere mei Deus, quoniam conculcauit me homo: tota die impugnans tribulauit me.



CONTINVATVR ad præcedentem Psalm. in quo de Ecclesia in medio peccatorum posita dictum est: Verùm quia inimici illius tota die impugnantes tribulant eam, propterea ad Dominum confugiens, inquit; Miserere mei Deus, quoniam conculcauit me homo, &c.

Titulus Psalmi. In finem pro populo, qui à Sanctis longè factus est, Dauid in Tituli inscriptione cum tenuerunt eum Allophyli in Geth.

In Psalm.33. aliàs diximus de istis Allophylis, & quomodò Rex Geth tamquam fatuum Dauidem dimisit; Propterea gratias Deo agens Dauid incepit dicens, Benedicam Dominum in omni tempore. Hic verò quando Allophyli persuadebant Regi, vt Dauidem occideret; ideò diuinum auxilium petit, Dei misericordiam implorans, vt liberet illum ab angustijs, & periculis. Historia est in 1.Reg. cap.21. quando ab ira Saulis ad Achis Regem fugit Dauid, ab vtriusque manibus liberari desiderans.

In tali angustia, pro qua factus est Psalm. repetitur Dei Ecclesia, ab Hæreticis, & illius inimicis circumdata, qui vestem inconsutilem quotidie lacerare conantur. Benè dicuntur Allophyli, & illi ab Ecclesia sancta facti alieni, & nouarum amatores opinionum: tales creduntur Allophyli, vt dicit S. Gregor. in Homil. Dominicæ iij. Aduentus. Vocabulum est Græcum; tales sunt Hæretici, & Schismatici, qui filij alieni facti claudicauerunt à semitis Ecclesiæ. Philisthæi enim erant isti Allophyli, qui erant in ipsa Ciuitate Geth, à populo Iudæorum alienigenæ.

In finem Titulus incipit, pro populo, qui à Sanctis longè factus est, in Tituli inscriptione, cum tenuerunt eum Allophyli in Geth.

Tituli ergo inscriptio est, In finem in Christum, vt suprà aliàs diximus. Immutabilis enim est iste Titulus; nàm Christus manet in æternum, & qui sub eius vexillo cupiunt inscribi, quocircà Psalm. seq. 56. habetur, Ne disperdas Tituli inscriptionem, & Psal.124. In finem ne corrumpas Titulum; Pilatus etiam de Titulo, quem supra Iesus Crucem posuit; Iesus Nazarenus Rex Iudæorum, dixit, quod scripsi, scripsi; quia instabant Iudæi, vt Titulum mutaret. Qui ergo sub hoc Titulo non sunt, longè facti sunt à Sanctis: Hæc est historia Dauidis, quando ab Allophylis retentus est. De Christo tamen intelligendus est Psalmus, quando à populo retentus, & crucifixus est. Tunc populus ille à Sanctis eiusdem populi longè factus, à Prophetis scilicet, à iustis; & ideò Titulum isti iniqui mutare tentauerunt; postquam Gloriæ Regem crucifixerunt; non tamen mutare potuerunt, nec ab illis potuit is retineri, nàm etsi custodes ad monumentum posuerint, surrexit tamen Iesus à mortuis.

Et quòd de populo Iudaico intelligatur, patet ex Verbis Tituli: nàm si populus ille factus est longè à Sanctis, ergo propè prius erat Sanctis, quòd de Allophylis

phylis dici non potest, qui semper à Sanctis longè erant; Philistæi enim erant, & in Ciuitate Geth permanebant. Quid est hoc? ad quid alium, & loci descriptio singularis ponitur? Ciuitas Geth interpretatur Torcular: quare verò hos Allophylos Deus in terra permiserit; exindè intelligemus, quod in libro Iudicum legimus in cap. 3. in princ. Hæ sunt gentes, quas Dominus reliquit, vt erudiret in eis Israelem, idest Ecclesiam, & omnes, qui non nouerant bella Chananæorum, vt posteà discerent filij eorum certare cum hostibus, & habere consuetudinem præliandi. Hinc Augustin. in Psal. 136. litera L. Multum interest, vtrùm inuenias tribulationes, an inueniaris à tribulatione, vt infrà dicemus: & in eodem Psalm. litera D. Miscentur amaritudines vitæ temporali, vt æterna desiderentur, quia in flagellis erudiuntur homines, paternam accipientes disciplinam, ne iudiciariam inueniant sententiam. In Torculari ponitur Christianus, sicut Magister eius Christus, qui ideò in torculari positus est, & calcauit solus, Isai. cap. 63. num. 3. & cap. 50. & cap. 53. per totum: Caput Iesus ibi positus est, & corpus etiam suum, idest fideles sui, vt ponantur necesse est; si fructu, qui ex illo colligitur; frui desiderant: Vua enim in vite pressuram non sentit, integra videtur, sed nihil inde manat, mittitur in torculari, calcatur, premitur, iniuria videtur fieri vuæ, sed ista iniuria sterilis non est, immo si nulla iniuria accederet, sterilis remaneret, Augustin. Quicumque ergo Sancti pressuram patiuntur ab eis, qui longè facti sunt à Sanctis, attendant Psalmum istum: agnoscant hìc se, dicant, quod hìc dicitur, qui hìc patiuntur, quod hìc dicitur, certè qui non patitur non dicit. Non adstringo ad vocem, quem video extrà passionem, sed videat, ne cum vult esse longe à passione, longe fiat à Sanctis. hæc August. Propter vos ergo, potentes facti sunt inimici Ecclesiæ propter iustos. Lapsi sunt in hæreses iniqui homines, vt eorum exercitatione sufferentias nostras, & bella sustinentes, Dei milites validi exercitati, confundamus illos, & nos meliores serui Dei efficiamur.

Summa Psalmi. Pressuram inimicorum non timet Ecclesia, sed ex illa inimicorum conuersionem sperat, vt tunc libera laudet tota die Dominum.

Incipit ergo, dicens; Miserere mei Deus, quoniam conculcauit me homo, &c. tota die impugnans tribulauit me: & Christo, & Ecclesiæ tribui hæc possunt: cœperunt enim Pharisæi, & Iurisperiti grauiter insistere, & os eius opprimere in multis, insidiantes, & quærentes aliquid capere de ore eius, vt accusarent Iesum, Luc. cap. 11. num. 53. Ecclesia pariter, quæ à multis tàm lacerata fuit, Miserere mei Deus, ait, quoniam conculcauit me homo, perfidæ Synagogæ Principes, qui ante homines regnum Cælorum claudebant, illi autem non intrabant, nec introeuntes introire permittebant, Matth. 24. num. 13. & domus viduarum comedebant: Miserere mei, inquit Ecclesia, sed quid vis ò Dei Ecclesia, in quo vt tui Deus misereatur desideras? Finiatur, inquit, istorum puluis, consummentur isti miseri, qui non sua quærunt, sed quæ mundi rapiunt: deficiant, ne terram amplius conculcent. Sed quid desideras? quid cupis? Emitte, inquit, Domine dominatorem terræ, de petra deserti ad montem filiæ Sion. Ini consilium, coge concilium, pone quasi noctem vmbram tuam in meridie: absconde fugientes, & vagos ne perdas, & tunc profugi mei habitabunt apud te, Isai. cap. 16. num. 3. cum sequen.

Vel si de homine iniquo, & Diabolo intelligere velimus, qui Ecclesiam Dei

& iustos conculcare tota die tentant,& conculcant; nàm homo ideò dicitur, qui secundum hominem viuit, qui enim secundum Deum viuunt, Dij dicuntur, Psalm.81.num.6. Ego dixi Dij estis, & filij excelsi omnes, Ioan.cap.10.nu.34. Illis enim, qui vocati sunt homines, & noluerunt Deo seruire, sicut homines, dixit, moriemini, & sicut vnus ex Principibus cadetis: ibi num.7. Si ergo iustum hominem de iniquo homine conquærentem, intelligamus; & tunc dicamus: si homo Dei tu es, quare hominem secundum hominem viuentem,& ambulantem times? Audi Augustin. de Verb. Domini in Serm.21. in cap.4. Mundum non amemus, præmit amatores suos, non eos ad bonum adducit, laborandum in eo potius, ne capiat, quam timendum, ne cadat: ecce cadit mundus, stat Christianus, quia non cadit Christus: nàm quare dicit Dominus, gaudete, quia ego vici mundum? respondeamus ei, si placet, gaude sed tu; si tu vicisti, tu gaude: quare nos? quare nobis dicit gaudete, nisi quia nobis vicit, nobis pugnauit? vbi enim pugnauit, quia hominem suscepit: tolle quod de Virgine natus,tolle quod semetipsum exinaniuit,formam serui accipiens,in similitudinem hominum factus,& habitu inuentus vt homo;tolle hoc,vbi luctamen? vbi certamen? vbi tentatio? vbi victoria, quam non præcessit pugna? &c. ideò Verbum caro factum est,& ista passus resurgendo vicit; ergo nobis vicit,quibus securitatem Resurrectionis ostendit, dicis ergo Deo, miserere mei Domine, quoniam conculcauit me homo; tu te noli conculcare,& non te vincit homo; ecce enim homo potens terret te; vndè te terret? Spolio, damno, torqueo, occido, & clamas tu, miserere mei Domine, quoniam conculcauit me homo: si verum dicis, te ipsum attendis; quia times minas hominis; mortuus te conculcat, & quia non timeres, nisi esses homo, conculcat te homo; quod est ergo remedium ò homo? hære Deo, à quo factus es homo, illi adhære, in ipso præsume, ipsum inuoca, virtus tua ipse sit: dic illi; In te Domine sperabo, & à communionibus hominum cantabis; & quod posteà cantes, ipse Dominus dicit; in Deo sperabo, non timebo quid faciat mihi homo.

Sed si spes mea est in Domino, cur quæ extrà illum sunt, pauens ego timebo? si Ecclesiæ ciuem me profiteor, cur in flumine Babylonis existens, in confusione huius mundi permanens non sedeo,dùm Sion recordatus fuero? Psal.136. in princ.

In Sion decet hymnus cantandus: in Babylone existens, mentem tuam in Sion extolle, vt hìc flendo merearis peruenire in excelsum, Augustin. in dicto Psalm.136. in princ. lit. D. Illa Sion, vbi decet hymnus Deum. Quæ sunt ergo flumina Babylonis, & quid, inquit ille, est nostrum sedere, & flere in recordatione Sion? si sumus ciues Sion in ista vita, & in ista confusione huius sæculi, & in ista Babylonia non ciues habitamus: sed captiui detinemur. Oportet, vt non tantùm ista decantemus, sed & faciamus affectu cordis pio, religioso desiderio æternæ Ciuitatis: Habet & Ciuitas, quæ Babylonis dicitur, amatores suos, consulentes paci temporali, & nihil vltra sperantes, totumq. gaudium suum ibi figentes, & ibi fruentes, & videbatis eos pro Republica terrena plurimum laborare. Sed in ea quicunque fideliter versantur, si non ibi appetant superbiam, & perituram elationem, ociosamq. iactantiam, sed veram fidem exibeant, quam possunt quamdiù possunt, quibus possunt, ad quantum vident terrena, & ad quantum intelligunt speciem Ciuitatis. Non eos sinit Deus perire

in

in Babylone; prædestinauit enim eos ciues Ierusalem. Intelligit captiuitatem eorum Deus, & ostendit illi aliam Ciuitatem, cui verè debeant suspirare; pro qua debeant cuncta conari: ad quam capessendam debeant Ciues suos secum peregrinos, quantum valuerint adhortari: vndè dicitur Luc.16. qui in modico fidelis est, & in magno fidelis est; & in alio locu; Si in alieno fideles non fuistis, quod vestrum est, quis dabit vobis? attende ergo hìc, quod amasti, quia est fluxum, debile, non subsistens, & sine fundamento.

Non ergo patiaris conculcari ab homine, qui ciuis es, & domesticus Sanctorum Dei, ab homine dico etiam Diabolo, vel illius iniquo homine ministro, cuius ipse Pater est, Ioan.cap.8.num.44. Nàm hominem Diabolum etiam Iesus dixit Matth.13.nu.28. Inimicus homo, inquit Iesus, hoc fecit, ità & ministri illius, qui Spiritu Dei carent, homines dicuntur, in quibus aliud non est nisi homo, ideò inimicus homo est talis, quia spem posuit in Babylone in terrenis: Vndè Paul.1.Corinth. cap.3.num.3. Cum enim sit inter vos zelus, & contentio, nonnè carnales estis? & secundum hominem ambulatis?

Si ergo duo sunt hostes, ad vtrunque attendamus, ad hominem inimicum, quem videmus, & ad Diabolum; quem minime videmus; primum diligamus, Diabolum caueamus, pro primo oremus: contrà Diabolum oremus, dicentes: Miserere mei Domine, quoniam conculcauit me homo, si vua non esses non conculcareris, vinum habebis, si fortis in præssura manebis, & vterque inimicus longè fiet à Sanctis, tu ingressus es torcular, præpara te ad præssuras, quia caput tuum Christus botrus primus, de quo Calix inebrians, quàm præclarus, exiuit, Psalm.22.nu.5.Isai.63. in princ. qui propugnator est ad saluandum. Nàm si omnes; qui in Christo piè viuere volunt, persecutiones patiuntur, ad Timoth.2. cap.3.num.11. Cur tu, qui ideò conculcatus, vt misereatur tui Dominus, passiones non sustinebis? non enim piè in Christo viueres, si à te abessent tribulationes, 2.Corinth.4.num.8. In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur; aporiamur, sed non destituimur; persecutionem patimur, sed non derelinquimur; deijcimur, sed non perimus; semper mortificationem Iesu in corpore nostro circumferentes, vt & vita Iesu manifestetur in corporibus nostris: semper nos, qui viuimus, in mortem tradimur propter Iesum, vt & vita Iesu manifestetur in carne nostra mortali, ergo mors in nobis operatur.

Audi tu Christiane, qui tribulationes pro Christi nomine sustines, Greg.12. Moral.cap.5. Reproborum, inquit, vita tantò sine flagello dimittitur, quantò ad nulla præmia seruatur, & 6.Moral. cap.7. quasi per amena prata ad carcerem peruenit, qui per præsentis vitæ prospera ad interitum tendit; nouit enim Dominus pios de tentatione eripere, iniquos verò in diem Iudicij conseruare cruciandos, 2.Petr.2.num.9.& Iacob.cap.1.nu.2. Omne gaudium, inquit, existimate fratres, cum in tentationes varias incideritis, Bernard.Serm. ad illa verba, Iustum deduxit Dominus. Est temporaliter cruciari, & delectari, ille enim mœret, & deflet, si sibi malè sit in sæculo, cui benè non potest esse post sæculum, cuius viuendi fructus omnis hìc capitur. Ille pœnam de aduersis mundi sentit, cui & lætitia, & gloria omnis in mundo est. Cyprian. in lib. contrà Demetrianum; secus verò de Sanctis dicitur in Psal.39. Lætati sumus pro diebus, quibus nos humiliasti: annis quibus vidimus mala. Hoc lætitiæ genus

Cæli nescierunt, nisi per Ecclesiæ filios, dixit Bernard.Serm.87.in Cantic. Dum enim capita amputantur, & membra præscinduntur, flores Martyrum apparent, & voces gaudij in Ecclesia resonant, Gregor. Nyssen. ad ea verba Christi, Matth.5. Beati, qui persecutionem patiuntur, & ideò Cantic.2. flores apparuerunt in terra nostra, tempus putationis aduenit.

Non ergo hìc conquæritur, quòd ab inimicis iustus conculcetur, sed nouit non esse proficuum, quòd sine Dei auxilio sit nobis aduersus tentationes colluctatio, propterea dicit. Miserere mei Domine, hoc est, qui mecum es in tribulatione Domine, da mihi robur, vt ità sustineam te, vt nunquam discedas à me, & tunc etsi multi sint contrà me, quid faciet mihi homo, si auxilium meum veniet à Domino? Psalm.90. Quoniam, inquit, in me sperauit, liberabo eum, protegam eum, quoniam cognouit nomen meum, nu.14. Et ego igitur ab altitudine diei timebo? si spes mea est in Deo? Cur illorum potentiam timebo, etsi in altitudine diei, hoc est in hoc sæculo aliquantisper sint illi duraturi? Mille enim anni tamquam dies externa, quæ præterijt, simulq. & illorum altitudo, illorum potentia præterit.

Vel aliter dicamus; Ab altitudine diei timebo, ego autem in te sperabo. Quid per illa verba intelligat Psalmista, declarat Isai.cap.2.nu.17. Et incuruabitur sublimitas hominum, & humiliabitur altitudo virorum, & eleuabitur Dominus solus in die illa, & Idola penitus conterentur, & introibunt in speluncas petrarum, & in voragines terræ à facie formidinis Domini, & à gloria maiestatis eius, cum surrexerit percutere terram, &c. à facie formidinis Domini ingredietur scissuras petrarum, &c. & à gloria maiestatis eius, &c. Quiescite ergo, inquit Isai. ab homine; idest desinite timere homines, quia etsi per iram se efferunt, & magni videantur, tamen nihil sunt.

Dies ergo illa, & amara valdè, ab illa timebo, Ierem.cap.30.nu.8. Væ quia magna dies illa, nec est similis eius, Ioel.cap.2.nu.11. Magnus enim dies Domini, & terribilis valdè, & quis sustinebit eum? Ab hac altitudine diei timebo, non ab homine; sperabo ego tamen in te Domine, & Amos cap.5.num.17. Væ desiderantibus diem Domini. Ad quid eam vobis? dies Domini ista tenebræ, & non lux, propterea ego in te sperabo, & armaturam Dei accipiam, vt possim resistere in die malo, ad Ephes.cap.6.num.13. & ad Thessal.cap.5.num.5. Dies Domini, sicut fur in nocte, ità veniet. Cum enim dixerint, pax, & securitas; tunc repentinus eis superueniet interitus, & non effugient. Hunc timebo diem: nec mirandum, si altitudinem, diem hunc appellet, nàm sic in Sapien.cap.10. num.19. Ab altitudine inferorum deduxit illos, idest à magna profunditate maris; sic etiam altitudo diei illius, quia magna erit, & terribilis, ità & Eccles.51. num.7. De altitudine ventris inferi, idest de profunditate inferni scilicet, timebunt tunc illi, sed & ego etiam timebo, quia timorem tuum docuisti me, propterea in te sperabo Domine.

Ab illa ergo die futura Iudicij, die magna ego timebo, & non ab altitudine diei, quæ in puncto consistit, quæ nihil duratura est, quia quemadmodum fumus deficient, Psalm.36.num.20. sicut enim deficit fumus, deficient, Psal.67. num.3. Et ideò ab altitudine diei, inquit, quia dies illorum sicut fumus deficient, Psalm.101.nu.14. Quid enim sunt istæ diei altitudines, istorum sublimium sublimitates, & superbiæ, nisi fumus, qui de naribus illorum procedit, sicut

ollæ

ollæ succensæ, atque feruentis, Iob cap.41.numer.11. Nàm ex nihilo etiam ipsi nati sunt, & post hæc erunt, tamquam non fuerint, quoniam fumus flatus est in naribus nostris, dicit Sap.cap.2.num.2. Conuoluetur enim superbia fumi, dicit Isai.cap.9.num.18. Ab altitudine diei timebo ergo? cum isti sint fumus in furore Domini? Isai.65.num.5. & nigræ fient facies eorum à fumo, Baruch.c.6. num.20. Super caput eorum volant noctuæ, & hirundines, & aues, similiter etiam & cattæ: Vndè scitis, quia non sunt Dij, ne ergo timueritis eos, dicit Baruch.

Augustin. ab altitudine diei, hoc est à superbia temporali. Quando enim conculcant alti sunt; humiles sunt, qui conculcantur; alti sunt, qui conculcant; sed noli timere altitudinem conculcantium: diei altitudo temporalis est, non æterna, quoniam multi, qui debellant me, timebunt. Quando timebunt? cum transierint dies, qui alti sunt; etenim ad tempus alti sunt; finito tempore altitudinis suæ timebunt. Ego verò in te speraui Domine. Non ait, ego verò non timebo: sed multi, qui debellant me, timebunt. Cum venerit illa dies iudicij, tunc lamentabuntur se omnes tribus terræ; Cum apparuerit signum filij hominis in Cælo, tunc securi erunt omnes Sancti, & illud veniet, quod sperabant, quod desiderabant, quod vt veniret, orabant. Illis autem pœnitendi locus nullus remanebit, quia illo tempore, quo fructuosa esset pœnitentia, cor obdurauerunt aduersus monentem Dominum, hæc Augustin.

Vel aliter hìc Genebrardi intellectum ponamus, quamuis nobis non multum arrideat, nàm scriptum est, Psalm.44.num.6. In te inimicos nostros ventilabimus cornu, & in nomine tuo spernemus insurgẽtes in nobis; & in Hymno Martyrum ad Vesperas canit Ecclesia. Hi sunt, quos retinens mundus inhorruit, ipsum nàm sterili flore per aridum spreuere penitus, teq. secuti sunt, Rex bone cælitus, in alio ad Matutinum; Terrore victo sæculi, pœnisq. spretis corporis, &c. Et ad Laudes, Qui respuentes terrea, perducis ad cælestia; & in Hymno Confessorum Pontificum; Qui ritè mundi gaudia, huius caduca respuens; & in alijs mille locis: & Superabundo gaudio in omni tribulatione nostra, dicit Paul. 2.Corinth.cap.2.num.8. Ille verò inquit, Ab altitudine diei, ab altis, & summis periculis, propter profundas calamitates, quæ quotidie oriuntur, propter mea periculosa tempora timebo quidem: Verùm in te confidam, & in tuo auxilio: Non possum non timere periculosis temporibus; nàm homo sum, & à me nihil humani alienum puto; at in te sperare non desinam. Hæc ille. Quæ si tibi placent, poteris illa recipere: nàm si in sequen. vers. inquit, In Deo sperabo, non timebo quid faciet mihi homo, ergo hominem non times: quia in Deo tua sit spes: quid faciet mihi homo? Nisi cum Paulo dicamus, d.cap.7.num.5. Corinth.2. Omnem tribulationem passi sumus, foris pugnæ, intus timores, & n.9. Quæ enim secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur, sæculi autem tristitia mortem operatur, hoc ipsum secundum Deum contristari nos, quantum in nobis operatur solicitudinem; sed defensionem, sed indignationem, sed timorem, sed desiderium, sed æmulationem, sed vindictam, &c. hæc enim verus operatur timor, quocircà sequitur Psalm.

In Deo laudabo sermones meos, in Deo speraui, quid faciet mihi homo? idest laudans inuocabo Dominum; & ab inimicis saluus ero, Psalm.17.num.4. In Deum opera mea, sermones meos, actiones meas, dirigam; in illo laudabo

opera

opera mea, quia ab illo recepi, & mea sunt, qui illos, seù illa retinui, atque teneo, vndè Paul. ad Colossf.cap.3.nu.16. Verbum Christi habitet in vobis abundanter in omni sapientia, docentes, & componentes vosmetipsos Psalmis, Hymnis, & Canticis spiritualibus in gratia cantantes in cordibus vestris Deo; Omne, quodcunque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini nostri Iesu Christi, gratias agentes Deo, & Patri per Spiritum: Sermones meos dixi, opera mea dixi, non quia mea sint, sed quia à Deo acceperim, Paul. 1.Corinth. cap.4.num.7. Quid habes, quod non accepisti; si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?

In Deo laudabo sermones meos, in Deo speraui. Non vltra projiciam sermones meos retrorsum, Psalm.49.num.17. Tota enim die impugnantes tribulauerunt me: non amplius verbis contendam vobiscum, cum cor vestrum congreget iniquitatem sibi contrà me, Psalm.40.num.7. sed in Deo effundam sermones meos, cor meum, Psalm.141.num.2. Tribulationem meam ante ipsum pronuncio, vt enarrem in progenie altera. Docet enim nos Christus, vt cum sermones suos non susceperint Iudæi, vel alij iniqui conuertamur ad alios: Vobis enim oportebat loqui verbum, sed quia illud repellitis, ecce conuertimur, &c. Act.13.num.46.

Anxius erat iste, qui in tribulatione positus ab iniquis conculcabatur, vndè ad Deum conuersus, postquam ab illis expugnabatur, orationem suam, sermones suos coram Deo effundebat, & laudans Deum, non amplius illos timebat, quia in Deo spes illius erat. Similem habemus tribulantis orationem in Titulo Psalm.101. Oratio, inquit pauperis, idest Christi, cum anxius fuerit, & in conspectu Domini effuderit precem suam, dicens Domine exaudi orationem meam, & clamor meus ad te veniat: tota enim die exprobrabant me inimici. Non ergo bella timebat carnis iste, qui secum Deum habebat. In Deo ergo laudabo sermones meos, quia credidi, propter quod locutus sum; ideò vota mea Domino reddam coram omni populo eius; quia dirupisti vincula mea: tibi sacrificabo hostiam laudis, & nomen Domini inuocabo, Psalm.115. per totum. Quid ergo faciet mihi homo, cum pretiosa sit mors Sanctorun in conspectu Domini.

Sermones meos, inquit Greg.33. Moral. cap.16. Bonum quippè quod agimus, & Dei est, & nostrum, Dei per præuenientem gratiam, nostrum per obsequentem liberam voluntatem. Si enim Dei non esset, vndè ei gratias in æternum ageremus? Rursum si nostrum non esset, quomodò ex illo præberi præmia speraremus. Quòd ergo non immeritò gratias agimus, scimus, quòd eius munere præuenimur; & rursum quia non immeritò retributionē quærimus, scimus, quia subsequenti libero arbitrio bona elegimus, quæ ageremus. Ei ergo tribuendo attribuamus, quòd benè loquimur, vel agimus; quia à Deo hæc habemus. Dei ergo sunt sermones, quos ille notos fecit nobis; propterea ille elegit nos, & posuit, vt iremus, & fructum afferemus; fructus tamen noster est, quia manet, Ioan. cap.15.num.16. Nàm sermones sunt Christi, quos dedit illi Pater, & ille dedit nobis, & accepimus, quia verè cognouimus, quòd Iesus à Patre exiuit, Ioan. cap.17.num.14. ibi. Ego dedi eis sermonem tuum; & isti sermones etiam tui sunt, nàm ibidem num.20. Non pro eis autem rogo tantùm, sed pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me. Ecce ergò sermo-

sermones, quia sunt Dei, & etiam sunt sermones credentium fidelium, ipsi enim fideles in Deo, & Deus in illis vnum sunt: sermones ergo meos dixi, quia in Deo sunt, & à Deo proueniunt.

Non timebo quid faciat mihi homo: poterit forsan mortificare carnem, occidere corpus? de his non est timor Sanctis; quia per ea duplicatur gloria patientis: Vndè Augustin. supra in Psalm.25. lit. H. Nauigamus, inquit, per quoddam stagnum, & ventus, & procellæ non desunt, tentationibus quotidianis huius sæculi propè completur nostrum nauigium. Vndè autem fit, nisi quia dormit Iesus; si non dormiret in te Iesus, tempestates istas non patereris, sed tranquillitatem haberes, interius conuigilante tecum Iesu. Quid est autem dormire Iesum? Fides tua, quæ est de Iesu obdormiuit, surgunt procellæ stagni huius, vides malos florere, bonos laborare, tentatio est, fluctus est; & dicit anima tua. O Deus ipsa est iustitia tua, vt mali floreant, boni laborent? Dicis Deo, ipsa est iustitia tua? & Deus tibi, Ipsa est fides tua? hæc enim tibi promisi; ad hoc Christianus factus es; vt in sæculo isto floreres, & in futuro postea in inferno miserimè torquereris? Qui hîc mali florent cum Diabolo, postea torquebuntur. Sed vndè hoc dicis? Vndè fluctibus stagni, & tempestate turbaris? quia dormit Iesus, idest quia fides, quæ est de Iesu, sopita est in corde tuo. Quid facies, vt libereris? excita Iesum, & dic Magister, perimus: Mouent enim incerta stagni, perimus; euigilabit ille, idest redibit ad te fides tua; & adiuuante illo considerabis in anima tua, quia quæ dantur modò malis, non cum illis perseuerabunt, aut enim viuentes eos deserunt, aut à morientibus deseruntur. Tibi autem quod promittitur manebit in æternum. Illis quod temporaliter conceditur, citò tollitur, floruit enim, vt flos fœni, Isai.40. Omnis enim caro fœnum, aruit fœnum, & flos decidit, verbum autem Domini manet in æternum. Pone ergo dorsum ad id, quod cadit, & faciem ad illud, quod manet. Euigilante Christo iàm tempestas illa non quatiet cor tuum; non opplebunt fluctus nauim tuam, quia fides tua imperat ventis, & fluctibus, & transiet periculum, &c. Qui ergo est in Ecclesia perfectus, necesse est, vt patiatur malos in Ecclesia; is enim tantummodò vincit, qui † Crucem fert secum; succumbit verò, & bello præmitur, qui Crucem non tollit, ac tolerat, Cyrillus in Collect.cap.16.

In Deo laudabo sermones meos. Quia sermo meus non capit in vobis, Ioan. cap.8.num.38. sed si sermo non est tuus, quomodò dicis, sermones meos in Domino laudabo? Ioan.cap.14.num.44. Qui, inquit, non diligit me, sermones meos non seruat, & sermo, quem audistis, non est meus; si non tuus, quomodò tuus, & si tuus, quomodò non tuus? ità in Ioan.c.7.nu.16. Mea doctrina non est mea, sed eius, qui misit me, August. in Tom.9. in Ioan.c.7.Tract.29. pag.86. litera B. Tu, inquit ille, dicis vtrunque, & mea doctrina, & non mea, hoc videtur esse in quæstione, mea, & non mea. Hoc videtur contrarium, quomodò mea, quomodò non mea? Intelligamus quod idem Ioan. in Exordio dicit; In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum: Doctrina ergo Patris est Verbum, ipse ergo Christus doctrina Patris, quia Verbum Patris, quia Verbum non potest esse nullius, sed alicuius: & suam dixit seipsum, & non suam, quia Patris est Verbum: quid enim tàm tuum, quàm tu, si alicuius est, quod es? Verbum ergo & Deus est, & do-

ctrinæ

ctrinæ ſtabilis Verbum eſt, non ſonabilis per ſyllabas, & volatilis, ſed manentis cum Patre, ad quem conuertamur manentem, ſonis tranſeuntibus admoniti: non enim nos ità admonet, quod tranſit, vt ad tranſitoria nos vocet; admonemur, vt diligamus Deum.

In Deo, inquit, laudabo ſermones meos: ſequitur Auguſtin. Totum hoc, quod dixi, ſyllabæ fuerunt, percuſſo aere vulnerauerunt, vt ad ſenſum veſtrarum aurium peruenirēt. Sonando tranſierunt, non tamē illud, quod nos admonuit, trāſire debet; quia ille, quem vos diligere admonui, non tranſit; & cum tranſeuntibus ſyllabis admoniti, conuerſi ad eum fueritis, nec vos tranſibitis, ſed cum manente manebitis. Hoc eſt ergo in doctrina magnum, inquit Auguſt. altum, & æternum quod manet, quæ vocantur omnia, quæ temporaliter tranſeunt, quando benè ſignificant, nec mendaciter proferuntur. Omnia quippè ſigna, quæ proferimus ſonis, aliquid ſignificant, quod non eſt ſonus: non enim duæ breues ſyllabæ Deus eſt, & duas breues ſyllabas colimus, & duas breues ſyllabas adoramus, & ad duas breues ſyllabas peruenire deſideramus, quæ penè deſinunt prius ſonare, quàm cœperunt: nec in eis ſecundæ locus eſt, niſi prima tranſierit; manet ergo aliquid magnum quòd dicitur Deus, quamuis non maneat ſonus, cum dicitur Deus: ſic intendite doctrinam Chriſti, & peruenietis ad Verbum Dei.

Ille ergo, qui formam ſerui accepit, qui in tempore venit, & habitu inuentus eſt, vt homo, ad Philipp. 2. n. 6. nec gloriam ſuam quærit, Ioan. d. c. 8. nu. 50. Ego autem non quæro gloriam meam; eſt qui quærat, & iudicet, qui filius eſt Dei Patris: & Deus de Patre Deo, & qui dicitur lumen de lumine Chriſtus: & lumen æquale. Ipſe inquam homo factus dicit, In Deo laudabo ſermonem, in Deo ſperaui, & verſ. 11. in Deo laudabo Verbum, in Domino laudabo ſermonē.

Conculcauerunt me inimici. Sed quid facient mihi in Deo ſperanti: non timent tormenta iuſti, quæ iniqui Sanctis tradunt; illorum enim nox obſcurum non habet, & ideò quid faciet mihi homo, cuius ſpes eſt in ſolo Deo? Ad vinum reſpicit, quod ex vua de torculari eijciendum eſt. Si Dominus contemptus fuit, cur ego ab illis honorari voluero; nō eſt Diſcipulus ſupra Magiſtrum, nec maior illo.

In Deo ſperaui, non timebo quid faciet mihi caro, ideſt Si nos in Domino ſperamus, & viuimus, quid faciet nobis carnis corruptio, quæ citò deficit, & ſepelietur in inferno. Super aſpidem, inquit, & baſiliſcum ambulabit: & conculcabit Leonem, & Draconem, Pſalm. 90. & In manibus portabunt te: ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum, numer. 12. & 13. Corpus occidere poſſunt, animam verò non poſſunt occidere, Matth. 10. num. 28.

In Deo igitur ſermones noſtros veraces ità habeamus, vt non à nobis, ſed à Deo; ne quando tu illos à te exijſſe credas, & non à Deo, vt non ſis mendax, & in te glorieris. Qui enim à ſemetipſo loquitur, gloriam ſuam quærit, Ioan. dicto c. 17. n. 18. ſicut Antichriſtus, extollet enim ſe ſuper omne quod dicitur Deus, & quod colitur, 2. Theſſal. 2. n. 4. & de quo Ioan. 5. n. 43. Ego veni in nomine Patris mei, & non ſuſcepiſtis me; alius veniet in nomine ſuo, benè ſuſcipietis. Dominus igitur noſter Ieſus Chriſtus magnum exemplum nobis præbuit humilitatis, qui æqualis eſt Patri, qui in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum; qui dixit, & veriſsimè dixit: Tanto tempore vobiſcum ſum, & non cognouiſtis me? Philippe, qui videt me, videt & Patrem, & ego & Pater vnum ſumus; ſi ergo ille cum Patre vnum, æqualis, Deus de Deo, Deus

apud Deum, coæternus, immortalis, &c. pariter incommutabilis, pariter sine tempore, pariter Creator, & Dispositor temporum, tamen quia venit in tempore, & formam serui accepit, & habitu est inuentus vt homo, quærit gloriam Patris, non suam. Quid tu homo facere debes? Qui quando aliquid boni facis, gloriam tuam quæris, quando autem aliquid mali facis, Deo calumniam meditaris? intende tibi, creatura es, agnosce Creatorem; seruus es, ne contemnas Dominum, adoptatus es, sed non meritis tuis, quære eius gloriam, à quo habes hanc gratiam; homo adoptatus, cuius gloriam quæsiuit, qui est ab illo vnicus natus, Ioan.cap.17.num.18. Qui autem quærit gloriam eius qui misit illum, hic verax est, & iniustitia in illo non est.

Hinc Ierem.9.n.23. Non glorietur sapiens in sapientia sua, & non glorietur fortis in fortitudine sua, & non glorietur diues in diuitijs suis, sed in hoc glorietur, qui gloriatur, scire, & nosse Deum, quia ipse est Dominus, qui facit misericordiam, & iudicium, & iustitiam in terra, hæc enim placent mihi.

In Deo laudabo Verbum, sermones meos, idest verbum auditus Dei loquar, vt fideles illud accipiant, non vt verbum hominum, sed sicut est verè, Verbum Dei, qui operetur, vt credentes salui fiant, ad Thessal.1.cap.2.numer.13. Non in sapientia verbi, dicit Paul.1.Corinth. 1.nu.17. vt non euacuetur Crux Christi: verbum enim Crucis pereuntibus stultitia, nobis verò virtus Dei. In Deo speraui, cuius filium Iesum Christum occiderunt Iudæi, & nos persecuti sunt, prohibentes nos Gentibus loqui, vt saluæ fiant, vt impleant peccata sua semper. Quid faciet mihi homo? Sed veriùs dicam, quid eueniet illi homini? ira nempè Dei peruenit super illum, vsque in finem, Paul. d.c.2.nu.16. Et dabit illum Dominus in opprobrium sempiternum, & ignominiam æternam, quæ numquam obliuione delebitur, Ierem.cap.23.num.40.

Tota die verba mea execrabantur aduersum me omnes cogitationes eorum in malum. Animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei; stultitia enim est illi, & non potest intelligere, quòd spiritualiter examinatur, 1.Corinth.2.n.14. Ideò verba Domini quotidie execrantur, nàm si sermones eius in Dei laudibus, isti iniqui execrabantur, nonnè & laudes Deo dari debere negabant? nonnè iugum Domini à se proijciebant, Psal.2.num.3. Inania cogitantes, nonnè filium Dei negabant? quem talem esse Deus Pater affirmauit d.Psalm.2. Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodiè genui te. Animales erant illi iniqui, quibus non est datum, nosse mysteria Dei: Truncus eorum, neque plantatus, neque satus, neque radicatus in terra, repentè flauit in eos, & aruerunt, & turbo quasi stipulam auferet eos, Isai.40.n.24. Terrena enim habitatio deprimit sensum, Sap.9.nu.15.

Et ideò iniustis semper grauia sunt verba iustorum, Greg.8.Moral.24. Et quæ ad ædificationem prolata audiunt, hæc quasi superimpositum pondus ferunt, quia cum corrigi iniqui despiciunt, benè prolata criminantur.

Et duo ex hoc verſ. notanda propono; nempè quia & doctrinam Christi abiecerunt, illamq. recipere recusarunt, secundũ quia eundem Christum occiderunt, ideò namq. omnes cogitationes eorum in malum quomodò Iesum traderent, Matth.26.n.4. Hic est hæres, venite occidamus eum, Marc.12.n.7.& c.14.in prin. Quærebant enim quomodò eum tenerent, & occiderent, Luc.22.num.1. Quærebant, quomodò Iesum interficerent. Quid facimus, quia hic homo multa signa facit, &c. Isai.11.n.47. & n.52. Ab illo ergo die cogitauerunt, vt interficerent eũ.

Tota

Tota die verba mea execrabantur, calumniabantur, damnabant, & tamquam execranda reijciebant, & aduersum illum mala cogitabant, & dicebant; Venite, occidamus illum, & videamus, si Sermones sui veri sint, Sap.2.nu.17. Contrarius est enim operibus nostris, &c. Ierem.cap.2.num.13. Duo enim mala fecit populus meus, Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas. Dei mandata seruare noluerunt; propterea cisternas dissipatas foderunt, quæ aquas virtutum Dei non poterant continere, & sermones Dei execrauerunt, & aduersus illum delinquentes sequuti sunt Dæmonem.

Inhabitabunt, & abscondent, ipsi calcaneum meum obseruabunt, Ierem.9. num.5. Docuerunt enim linguam suam loqui mendacium; Vt iniquè agerent, laborauerunt: Habitatio sua in medio doli: in dolo renuerunt scire me, dicit Dominus. Inhabitabunt & isti in Ecclesia Dei, mala tamen, quæ faciunt, abscondunt; non intrant in Cælum, abscondunt tamen se, vt & alios non sinant illùc intrare, Matth.23.num.13. ad Thessal.cap.2.nu.16. Sed veniet Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium, 1.Corinth.c.4. Electus inter duodecim erat ille traditor Iudas, inhabitabat simul cum alijs discipulis; abscondebat tamen nequitiam suam, quamuis Christo Iesu cognita esset; obseruauit calcaneum Iesus, quando Magdalena vngebat vnguento pedes illius, & dixit; Poterat vnguentum istud venundari, & dari pauperibus. Semper ille iniquus pauper, & infelix remansurus, longè tamen ab ipso Deus; ideò Iesus, me ait, non semper habebitis: crepuit medius infelix; reuelatæ sunt iniquitates eius, non potuit diù abscondi, qui calcaneum obseruabat Iesus Christi.

In minimo saltem quærebat calumniare eum, qui totus erat mundus à peccato. O infelix homo, quisquis tu es, qui in Ecclesia Dei per baptismum permanens, quæ sunt sub calcaneo tuo non obseruas. An ignoras, quòd de omni verbo otioso rediturus es rationem Deo? ad Rom.14.num.12. Matth.12.nu.36.

Calcaneum hæretici obseruant, successores Petri calumniantes, Ecclesiam, eiusq. personas, vt lacerent obseruantes, calumniantes, percutientes gladio linguæ iniquæ, haud tamen portæ inferi aduersus illos præualere possunt, simul habitant, vt destruant, non vt ædificent.

Sicut sustinuerunt animam meam, pro nihilo saluos facies illos, in ira populos confringes, Ierem.5.num.26. Insidiantes quasi aucupes, laqueos ponentes, & pedicas ad capiendos aues. Sustinuerunt animam Christi, pro nihilo saluos illos facit Dominus, & in ira confringet populos. Quid est hoc? nàm si sustinuerunt te, & expectauerunt animam tuam, vt illam perderent, quomodò pro nihilo saluos facies? & si saluos illos facies, quomodò populos in ira confringes? nàm si saluabitur, non confringetur, & si confringetur, non erit saluus.

Distinguamus tempora, & concordabimus contrarietates, quæ videntur, at non sunt. Dominum perdere quæsierunt illi iniqui, ideò obseruabant, vt illum caperent in sermone, & accusarent dicentes; Licet censum dare Cæsari, an non? non licet tibi in Sabbato curare; videbant, & contemnebant; illos autem Dominus irridebit, Sapien.4.num.19. Ecce quomodò sustinuerunt.

In ira populos confregit, nàm quæ à Tito, & Vespesiano facta sint illis, satis nota toti mundo. Destruxerunt illorum Templum, Ciuitatem, Gentes, & dispersi adhùc, qui superfuerunt in toto orbe, confusi, & timidi, & infames permanent:

manent: Pro nihilo tamen illos faciet saluos: Et erunt, inquit Text. in d.cap.4. in Sap. post hæc decidentes sine honore, & in contumelia inter mortuos in perpetuum, quoniam disrumpet illos inflatos sine voce, & commouebit illos à fundamentis, & vsque ad supremum desolabuntur, & erunt gementes, & memoria illorum peribit, Isai.c.6.n.11. & dixi vsquequò Domine, & dixit donec desolétur Ciuitates absque habitatore, &c. & Ierem.c.6.nu.21. Propterea hæc dicit Dominus, ecce dabo in populum istum ruinas, & ruent in eis patres, & filij simul, &c.

Tertiò. Pro nihilo saluos facies illos, nàm tunc sicut dicit Isai.cap.10.nu.22. Reliquiæ conuertentur, si enim fuerit populus meus Israel, quasi arena maris, reliquiæ conuertentur ex eo: Consummatio abbreuiata innundabit iustitiam. Ecce quomodò pro nihilo saluos illos faciet, & nu.25. Adhùc enim paululum, modicumq. & consummabitur indignatio, & furor meus super scelus eorum, & Ierem.cap.6.num.9. Vsque ad racemum colligent quasi in vinea reliquias Israel, & idem Ierem.23.num.3. Et ego congregabo reliquias gregis mei, de omnibus terris, ad quas eiecero eos illùc, & conuertam eos, &c. & cap.31. nu.7. & 8. Et congregabo eos ab extremis terræ, inter quos erunt cæcus, & claudus, &c. in fletu venient, & in misericordia reducam eos, & Soph. 3.n.13. Reliquiæ Israel non facient iniquitatem, nec loquentur mendacium, & non inuenietur in eis lingua dolosa.

Vndè Paul. ad Roman.cap.9.nu.27. Et erit in loco vbi dictum est eis: Non plebs mea vos, ibi vocabuntur filij Dei viui: Isai. autem clamat pro Israel: Si fuerit numerus filiorum Israel tamquam arena maris, reliquiæ saluæ fient. Verbum enim consummans, & abbreuians in æquitate, quia verbum abbreuiatum faciet Dominus super terram, & sicut prædixit Isai. Nisi Dominus Sabaoth reliquisset nobis semen, sicut Sodoma facti essemus, & similes Gomorrhæ facti fuissemus.

Sustinuerunt ergo Iesum, vt occiderent, & animam eius eriperent, & quia populus illorum malo consilio consensit, in ira Domini confractus est; Verùm quia abbreuiabuntur dies illorum perditionis; ideò conuertentur ad Dominum; qui ex nihilo, nàm tales erant illi, quia tamquam nihil reputabantur ab omnibus populis, saluos tamen faciet illos Dominus, hanc, quam putamus esse veram interpretationem, attulimus: Cæterum Augustin. hìc, Hieronym. & omnes alij Doctores alios dederunt intellectus, tu illum, quem meliorem iudicaueris suscipias, quia omnes boni sunt, & verisimiles.

Pro nihilo saluos facies illos, nàm & si hæc omnia feceritis, dicite, quia adhùc inutiles serui facti estis, Luc.17.num.11. ex nihilo ergo, idest non ex operibus iustitiæ, quæ fecerunt, sed secundum suam misericordiam saluos illos faciet, ad Titum c.3.n.15. Substantia enim nostra tamquam nihilum ante te, Psal.38.n.6.

Pro nihilo saluos faciet eos: quoniam sine ipso factũ est nihil: nàm languores nostros ipse pertulit, & dolores nostros ipse portauit, & vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra, & liuore eius sanati sumus, Isai.cap.53.num.5. Ecce quomodò pro nihilo saluabit eos; cum Dominus posuerit in eo iniquitatem omnium nostrum, pro nihilo, quia propter scelus populi sui percussit eum Dominus, Dominus enim voluit conterere eum in infirmitate, quia posuit pro peccato animam suam, Isai. d. c.53.num.10. Ecce quomodò pro nihilo saluos faciet eos; nàm & illos passione sua post fluxum tanti temporis, Dominus voluit redimere, vt reliquiæ saluæ fierent, pro peccato

igitur,

igitur, quod nihil est, mortuus est, vt saluaret etiam populi sui reliquias.

Deus vitam meam annunciaui tibi, posuisti lacrymas meas in conspectu tuo; Hic enim filius, qui carnem suscepit, & tantas passus est contumelias, & damna, nota fecit omnia Patri, dicens, Deus vitam meam annunciaui tibi; non, quia non sint omnia Patri cognita, sicut & ipsi humanato Christo. Sed nos docens, vt peccata nostra coram Domino confiteamur. Non quòd Christus peccatum haberet, sed quia ipse peccata nostra portauit, nota fecit Patri, vt ipsi satisfactum esse credamus; si mundi facti per passionem suam, & mundi in hac vita ambulemus.

Et sciendum est, quòd in Isai. sæpius citato loco cap. 53. nu. 10. dictum est, Quia Dominus voluit conterere eum in infirmitate, si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longæuum, & voluntas Domini in manu eius dirigetur. Iàm venit Christus in infirmitate carnis nostræ, & passus est, quia voluit, vt nos à peccatis redimeret. Nunc dicit, Pater sancte, vitam & passionem meam coram te positam vidisti: iàm laborauit anima, videam, vt saturer; iniquitates enim illorum portaui, & cum sceleratis reputatus sum. In conspectu tuo Domine sancte Pater lacrymæ meæ positæ sunt; iàm opus, quod dedisti mihi, vt facerem, consummaui; iàm manifestaui nomen tuum hominibus, quos mihi dedisti. Tui enim erant, & mihi eos dedisti, &c. Ioan. cap. 17. nu. 6. cum sequen. Pro eis vitam meam, passionem meam annunciaui tibi: pro eis rogo, & sanctificaui me ipsum, vt sint & ipsi sanctificati in veritate. Non pro illis rogo tantùm, sed pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me, num. 20. idem Ioan. Sint in vnum omnes, sicut tu Pater in me, & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint: vt credat mundus, quia tu me misisti, &c.

Sicut in promissione tua, tunc conuertentur inimici mei retrorsum. Et pro nihilo illos saluos facies, sicut promisisti: quia in semine Abrahæ benedicentur omnes gentes, Genes. 22. & si in ira populos confregeris, inimici mei ab erroribus suis conuertentur, ità vt sint retrorsum, qui præire volebant. Augustin. Posuisti lacrymas in conspectu tuo, exaudisti me deprecantem te, sicut & in repromissione tua, quia sicut repromiseras, hoc egisti; dixisti te flentem exauditurum, credidi, fleui, exauditus sum, inueni te misericordem in repromittendo, veracem in reddendo, sicut & in repromissione tua, Ezech. 18. nu. 21. & c. 33. n. 2.

Sicut in promissione tua; nàm quando filium tuum mittes, tunc salus mea non morabitur, Isai. cap. 46. num. 13. Propè, inquit, feci iustitiam meam, non elongabitur, & salus mea non morabitur, dabo in Sion salutem, & in Israel gloriam meam, idem Isai. cap. 56. in princ. Iuxtà est salus mea, vt veniat, & iustitia mea, vt reueletur, Ierem. verò cap. 31. nu. 32. Ecce dies venient, dicit Dominus, & feriam domui Israel, & domui Iuda fœdus nouum, &c. & hoc erit pactum, quod feriam cum domo Israel. Post illos dies, dicit Dominus, dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam; & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum, &c. quia propitiabor iniquitati eorum, & peccati eorum non memorabor amplius, num. 35. Ecce quia secundum promissionem suam inimici, idest peccata retrorsum abierunt, nec illorum recordabitur Dominus, Act. Apost. cap. 13. num. 38. Per hunc, scilicet Christum, remissio peccatorum vobis annunciatur, & ab omnibus, quibus non potuistis in lege Moysis iustificari, in hoc omnis, qui credit, iustificatur; lex enim non sicut

illa Moysis in scriptis data est, sed in cordibus nostris, per Christum in Euangelio data est.

Tunc ergo in quacumque die inuocauero te, ecce cognoui, quoniam Deus meus es. Nàm tunc, qui vidit filium Dei, vidit etiam Patrem, Ioan.cap.14. num.9. cum. sequen. Vndè Matth.cap.13.num.17. Multi Prophetæ & iusti cupierunt videre, quæ videtis, & non viderunt, & audire, quæ auditis, & non audierunt; Videbant enim filium hominis Deum verum, quod & Moysi negatum est, Exod.cap.33.num.23. Faciem meam, inquit, non videbis, sed posteriora. Vndè Paul. 2.Corinth.cap.3.num.14 Vsquè in hodiernum enim diem idipsum velamen in lectione veteris testamenti manet,non reuelatum; quoniam in Christo euacuatur, sed vsquè in hodiernum diem, cum legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum, cum autem conuersus fuerit ad Dominum, auferetur velamen: Dominus autem spiritus est; vbi autem spiritus Domini, ibi libertas; nos verò omnes reuelata facie gloriam Domini speculantes in eandem imaginem transformamur, à claritate in claritatem, tamquam à Domini spiritu.

In quacumque die inuocauero te, idest semper in omni tempore, & loco, ecce cognoui, quia Deus meus es. Sed nonnè est omnium Deus, quomodò ergo tuus? meum dicit, quia illum ego diligo; meum dicit, quia illi soli seruio: meum dicit, quia illum me redemisse confiteor, atquè profiteor; Hæc autem non tollunt, quin idem Deus sit omnium. Augustin. Magna scientia, inquit, Non ait, sciui, quia Deus es, sed quia Deus meus es tu, tuus est enim cum tibi subuenit: tuus est, cum tu ab illo alienus non es.

Vndè dicitur Psalm.143. Beatus Populus, cuius est Dominus Deus ipsius. Quare cuius est? Cuius enim non est? Omnium quidem Deus est, sed eorum Deus propriè dicitur, qui eum diligunt, qui eum tenent, qui illum possident; qui illum colunt; tamquam de domo ipsius magna sunt, familiæ eius redemptæ magno sanguine vnici filij; quantum dedit nobis Dominus, vt ipsius essemus; & ipse sit noster. Auarus ergo esto tu, vt non terram solum, quam quærit terrenus auarus, sed Cælum, & terram habebis, si tuus erit Deus; si illum diliges plus his; & ipsum habebis, qui fecit Cælum, & terram, nàm tu in ipso, & ipse in te erit, Ioan.d.cap.16.

In Deo ergo laudabo Verbum, filium suum, quem vt me redimeret, carnem assumpsisse confiteor, in Domino Iesu Christo laudabo sermonem, idest Euangelium, per quod lux orta est in mundo, vt filij, & cohæredes illius sint, qui ità credunt, & operantur, vt loquutus est. In Deo speraui, in Spiritu sancto, quem idem filius misit, qui in discipulos tamquam igneæ linguæ refulsit. Credas ergo Deum Patrem, & Verbum eius Dominum nostrum Iesum Christum, & Spiritum sanctum, qui coæqualis est Deus, ab vtroque procedens. Tunc quid faciet tibi homo? cùm protectus sis à Deo trino, & vno? In Deo ego laudo Verbum, & in Domino, idest Spiritu sancto laudo sermonem, quem nobis per Euangelium reliquit Christus Iesus, & hoc laudans inuocabo Dominum, & ab inimicis meis saluus ero, Psalm.17.num.4.

In me sunt Deus vota tua, quæ reddam laudationes tibi. Quas ergo gratias tibi agere possum, quia tu Dominus, & Deus meus: præcepta tua mihi obseruanda dedisti, vt illa seruando saluus efficerer. Quoniam eripuisti animam meam de morte, & pedes meos de lapsu, vt placeam coram Deo in lumine viuentium,

Perditus eram, ideò venisti; vias tuas docuisti me, ne in tenebris ambulans in infernum caderem: lumine viuentium tu me illuminasti, quia in te credidi, qui es vera lux, Via, & Vita, in Deo enim videbimus lumen, Psalm. 35. In Deo laudabo sermonem, qui Euangelio tuo credidi, quid faciet mihi homo, qui tantùm mortalia quærit, vt cum mortalibus ipse pereat? Ierem. 8. num. 8. qui cadit non resurget?

Deum ergo gratis diligamus, in illo semper speremus, nec hominem, nec Diabolum timeamus; nec ille, nec iste facit aliquid, nisi quantum permittitur, permitti ad nihilum potest, nisi quantum nobis prodest, toleremus malos, simus boni, qui aliquando fuimus mali. Pro nihilo Deus saluos facit omnes, de quibus desperare non debemus: à Deo nunquam recedamus, & pro omnibus, quos aduersos patimur, oremus. Patrimonium nostrum sit Deus; spes nostra ipse sit; salus nostra ipse sit: ipse hic consolator, ibi remunerator, vbiquè viuificator, & vitæ dator. Nàm ipse est Via, Veritas, & Vita, Ioan. c. 14. vt & hic in lumine fidei, & ibi in lumine spei, tamquam in lumine in conspectu Domini placeamus. hæc Augustin.

Vt ergo corporea bella comprimamus, & sæculi tentamenta superemus, omnes in humilitate, qua decet, ad Dominum, dum in hac lacrymarum valle persistimus, clamemus.

SOLILOQVIVM.

MISERERE mei Deus, quia inimicus conculcans impugnando, tribulat me tota die. Multi enim sunt ministri hominis istius, ac Diaboli, qui bellantes quotidie aduersum me præliantur, & conculcare me quærunt. Ab illa tantùm altitudine diei mortis, atque iudicij, magnæ, & amaræ valdè ego timebo: nàm tunc & illis iniqua agentibus non est amplius aliqua salutis spes: In te solo sperabo, quia saluabis me; Nunc verò durante hoc tempore sermones mei tantùm erunt in te laudando, in te sperãdo. Nec est, vt contrà me aliquid possit caro. Tota die impugnabant verba mea, & aduersus me semper cogitantes mala, absconderunt laqueos linguæ acutæ inimici mei, qui mecum habitant in tua Ecclesia, & calcaneum meum, etiam minima mea, obseruant, sustinebant, & expectabant, vt animam meam perderent. Sed tu Domine pro nihilo saluos illos facies, vt & passio tua sit & illis proficua: proptereà populos in ira confringes: vt disciplinam suscipientes, resipiscant, & ad te conuertantur. Idcircò, & sic cælestem allocutus es Patrem tuum.

Domine Deus Pater ecce vitam meam annunciaui tibi, & lacrymas meas in conspectu tuo, vt quos dedisti mihi, pro quibus rogo salues: & in fine etiam reliquias Israel saluas facias: Hæc enim Domine promisisti, vt in quacumque die iniquus in se reuersus recesserit ab iniquitate, & benè fecerit, non recordaberis iniquitatis suæ. Scio, quia semper me audis Pater sancte: & in quacumque die inuocauero te, confitebor, & cognosco, quia tu es Deus meus, qui misisti me.

In Deo laudabo Verbum, quia à te exiui, vt saluetur mundus per me: in Domino Spiritu sancto confirmaui sermonem laudando: in Deo speraui, quid

faciet

faciet mihi homo, Diaboli minister? In me Deus sunt vota tua, quia à te illa audiui, & nota feci Discipulis meis, quas reddam laudationes tibi. Gratias tibi ago, quia illa paruulis reuelasti, & abscondisti à sapientibus.

Eripuisti, ò bone Iesu, animam meam de morte, & pedes meos de lapsu, vt placeam tibi Deo in lumine viuentium; hoc est in teipso, qui lumen es viuentium, in illa Ciuitate, quæ lumine non eget, cuius lucerna es tu Agnus, in qua nox non est. In quam Virgo Maria Mater tua Iesu, assumpta etiam in carne ascendit: Cuius Assumptionis gloriosissimæ hodie festum celebramus. Pro nobis ergo Virgo gloriosa Mater Domini Dei intercede, vt muri hyericõtini cadant, contrariarum inquam potestatum infestæ monitiones. Vt & cum Dauid exultemus spiritu, quia hodie arca Domini requieuit, & cum Gabriele Archangelo, & nos mereamur dicere, Aue Maria, gratia plena, Dominus tecum; Sancta Maria ora pro nobis peccatoribus nunc, & semper, quia tu es vnicum molestiarum leuamen, per quam mors est expulsa, & vita introducta.

Cum D. Bernardo & ego dicam. Per te Regina clemens gratiæ suæ munera largiatur Iesus Christus filius tuus, Dominus noster, qui est super omnia benedictus in sæcula, sit pietatis tuæ ipsam, quam apud Deum gratiam inuenisti, notam facere mundo, reis veniam, medelam ægris, pusillis corde robur, afflictis consolationem, periclitantibus adiutorium, & liberationem, Sanctis tuis precibus obtinendo, Amen.

IN PSALMVM LVI.

Miserere mei Deus, miserere mei: quoniam in te confidit anima mea.



TITVLVS, In finem: Ne disperdas, Dauid in Tituli inscriptionem; cum fugeret à facie Saul in speluncam.

Historia in 2.Reg.cap.22.num.1. habetur, quando Saul cum tribus millibus militum Dauidem vnà cum suis fugitiuum persequeretur, vt illum occideret: & cum Saul casu ad speluncam Engaddi deuenisset, & solus in eam intrasset, vt ventrem purgaret; Dauid, qui intus latenter existebat, & illum occidere poterat, prout à suis incitatus erat, noluit id facere: Hæc est historia, à qua nos distrahere videtur iste Titulus, cum nullus Titulus secundum Augustinum inscriptus Dauid legitur, quem Saul vellet corrumpere, Vndè de Christo, qui de Dauid semine natus est secundum carnem, Titulum inscriptum dicamus.

Cuius Titulum in Cruce à Iudæis positum, Iesus Nazarenus Rex Iudæorum, Iudæi corrumpere, & disperdere procurarunt: negauit tamen Pilatus, & dixit illis, Quod scripsi, scripsi; ad nostram etiam doctrinam hìc dicitur. Ne disperdas, ne corrumpas, & scriptus est iste Psalmi Titulus.

Pro cuius maiori intelligentia supponendum est, quòd in præcedenti Psalmo dictum de iniquorum, & perfidorum, in iustos in Ecclesia existentes conculcatione, & persecutione, In hoc, ab illis liberari desiderante Ecclesia Dei, & iustis in ea existentibus, docet nos Dauid, ne illis succumbentes deficiamus, sed

sed firmi in Titulo Crucis permaneamus, de quo Crucis ligno scriptum habemus Deuter.cap.21.numer.23. Maledictus omnis, qui pendet in ligno, vt in gentibus benedictio Abrahæ fieret in Christo Iesu, vt pollicitationem spiritus accipiamus per fidem, ad Galat. cap.3.nu.13. De quo maledicto legis, Christus nos redemit, factus pro nobis maledictum.

Vt ergo omnes sub hoc ligno viuamus, ne inimicorum fallacijs, & nugis Iesu Christi lignum, & illius Titulum disperdamus, nos monet Tituli huius inscriptio, & totus Psalmus, qui de Passione Christi loquitur, dicens.

In finem, in Christum scilicet, ne disperdas, vel corrumpas Dauid, idest Christi, Tituli inscriptionem, cum fugeret Dauid à facie Saul in speluncam. Venit enim Iesus Christus in hanc carnem nostram, speluncam nostram, humilis, & hac carne circundatus, itàvt illum esse filium Dei non agnoscerint Iudæi, si enim talem agnouissent esse filium Dei, nunquam Regem Gloriæ crucifixissent, Act.cap.3.num.17. & 1.Corinth.cap.2.numer.8. Hunc Titulum in eius Cruce positum delendum instabant Iudæi; remansit is tamen incorruptus, quia verè erat filius Dei, & Redemptor noster. Posuerunt Iesum iàm mortuum in speluncam, munierunt Iudæi sepulchrum, custodes illi adhibuerunt milites, vt iterum, si Christus resurgeret, eum occiderent, quò mortui illius memoria omnino tolleretur; surrexit Christus de sepulchro, de spelunca, reuoluto lapide, & ecce Saul, & illius custodes velut mortui ceciderunt, fugam arripuerunt. Impossibile enim erat, illùc illum teneri, Act.Apost.2.num.24. iuxtà illud Dauid, Psalm.15.nu.18. Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem; Notas mihi fecisti vias vitæ, adimplebis me lætitia cum vultu tuo. Latuit igitur Christus in spelunca, vt diuinitas eius infideli celaretur Iudæo: Titulus tamen remansit incorruptus, quia resurrexit homo gloriosus Iesus.

In finem ergo, ò Christiane, in Christum sit finis tuus; nec propter Hæreticorum, & iniquorum Iudæorum calumnias, Titulum, quem habes à Christo disperdas, vel corrumpas, in illo enim vinces, quia Iesus Rex est, & Saluator noster, qui pro peccatis nostris mortuus est. Credas etiam resurrectionem à mortuis, quæ est etiam Titulus nostræ fidei, & salutis, vt & tu cum illo resurgens, sis immortalis cohæres illius, & filius in regno illius. Ne corrumpas Crucis Titulum, cum de maledicto sis & tu factus benedictus.

Nec in resurrectione turberis, nàm qui fecit vitam, Dominus est etiam mortis, vt nos à morte liberaret, nec etiam portæ inferi præualere potuerunt aduersus eum; Vndè mecum vocem tuam exalta in Cælum, dicens.

Miserere mei Deus, miserere mei: quoniam in te confidit anima mea. Quia cum iniquis, & peccatoribus existens, vt me conculcent, & à via recta detrahant, insurgunt maledicentes. Miserere mei, ne discedas à me, vt finis, qui es tu Iesu Christe, sit semper in me validus, firmus, incorruptus: sit firma fides mea, quia tu es, qui carnem ex Virgine Maria suscepisti, mori pro me voluisti, resurgere voluisti, ac potuisti, vt te resurgente, & ipse à morte peccati tecum in resurrectione æterna resurgerem. Dicitur enim finis Christus, vt dicit Augustin. Non qui consummit, sed qui consummat, consummere enim, perdere est, consummare, perficere; finitum enim quidquid dicimus, à fine dicimus: aliter dicimus, finitus est panis, aliter dicimus, finita est tunica. Finitus

est

est panis, qui manducabatur, finita est tunica, quæ texebatur; panis ergo finitus est, vt consummeretur, tunica finita est, vt perficeretur. Finis ergo propositi nostri Christus est, in quo, & à quo quantumlibet conemur, perficimur, & hæc est perfectio nostra, ad illum peruenire, sed cum ad illum perueneris, vltra non quæris, finis tuus est.

Continuatur ad præcedentem Psalmum; vbi de iniquis iustos conculcantibus, dictum est; Verùm quia fidelis vincit omnia, ideò hic Dauid exhortatur, vt in fide firmus sis, & sub Crucis Titulo munitus, quò vincas.

Summa Psalmi. Fides nostra firma vincit iniquitates huius mundi, & per eam fugiunt à nobis Dei auxilio pericula, & damna.

Enixè ergo, & ex toto corde ad Dominum clamemus, dicentes: Miserere mei Deus, miserere mei: quoniam in te confidit anima mea, & in vmbra alarum tuarum sperabo, donec transeat iniquitas. Ità enim Dominus Iesus homo factus orauit, vt nos homines doceret orare, sicut ad hoc passus est, vt doceret nos pati; ad hoc resurrexit, vt nos resurrecturos sciremus.

Hìc tamen insistendum est, quærentes à Dauide, cur dicat, in vmbra alarum tuarum sperabo, donec transeat iniquitas; Nonnè dixit Iesus, consummatum est, Ioan.cap.19.nu.30. cum iàm redemptio nostra facta esset? quomodò nunc dicis, sperabo, donec transeat iniquitas? Princeps enim huius mundi iàm iudicatus est: & Nunc princeps huius mundi eijcietur foras; &, Si ego exaltatus fuero, omnia traham ad meipsum, Ioan.cap.12.num.31. & 32. Si foras iàm eiectus est Diabolus, qui est ipsa iniquitas, Ioan.8.num.44. ergo iàm cessare debuisset iniquitas mala peccati. Et transibit iniquitas à te, permaneas in corpore, & iniquitas fugiet à te, iniquitas inquam peccati tui, tametsi haud cessabit te persequentium iniquitas. Nunquid sub capite spinoso miles delicatus? non coronatur nisi qui legitimè certat; Vndè Paul. 2. Timoth. cap. 2. num.3. Labora sicut bonus miles Christi Iesu; nemo militans Dei implicat se negotijs sæcularibus, vt ei placeat, cui se probauit. Nàm & qui certat in agone, non coronatur nisi legitimè certauerit. Non iàm transiuit iniquitas, adhùc illa feruet; immo dicit Dominus, Matth. cap.24.numer.12. Abundabit iniquitas, & refrigescet charitas multorum, vndè perseuerantia vsque in finem necessaria est, vt saluus fiat aliquis; Augustin. Quis perseuerabit vsque in finem, donec transeat iniquitas? qui fuerit in corpore Christi, qui fuerit in membris Christi, & à capite didicerit patientiam perseuerandi. Transisti, & ecce transierunt tentationes tuæ, & is in aliam vitam, in quam ierunt Sancti, si sanctus fueris. In aliam inquam ierunt Martyres, si Martyr fueris, ibis & tu in aliam vitam; nunquid quia tu transisti hinc, propterea iàm transijt iniquitas? nascuntur alij iniqui, sicut moriuntur alij iniqui; quomodò ergo & alij iniqui moriuntur, & alij nascuntur, sicut alij iusti erunt, & alij nascuntur, vsque in finem sæculi, nec iniquitas deerit præmens, nec iustitia patiens: hæc Augustin.

Si ergo mortuus est Christus, vt nos mortuos in peccato viuificaret. Permanebimus ergo in peccato vt gratia abundet? inquit Paul.ad Rom.6.nu.1. Absit. Qui enim mortui sumus peccato, quomodò adhùc viuimus in illo? An ignoratis, quia quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus? Consepulti enim sumus cum illo per Baptismum in mortem: vt quomodò

modò

modò Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ità & nos in nouitate vitæ ambulemus. Si ergo mortui sumus cum Christo, credimus, quia etiam viuemus cum eo. Viuemus ergo in Deo, si mortui erimus peccato; Hinc idem Paul. ad Hebr. cap. 12. in princ. Deponamus omne pondus, & circumstans nos peccatum, & per patientiam curramus ad propositum nobis certamen: aspicientes in Auctorem fidei, & consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit Crucem, confusione contempta, &c.

Transibit iniquitas, si tua erit vsque ad finem perseuerans bonitas. Suscipe disciplinam, vt fructum pacatissimum reddat tibi Deus exercitato per illum iustitiæ, ad Hebr. dicto cap. 12. numer. 12. Transit enim etiam ad iustos iniquitas, non tamen illos corrumpit. Audi Origen. in homil. 16. in Genes. 47. num. 20. vbi notat Ægyptios, possessiones suas præ magnitudine famis vendidisse, inquit enim Text. obtinuit eos fames: non sic de Hebræis scriptum facilè inueniri: quia obtinuit eos fames. Quamuis scriptum sit, quia inualuit fames super terram, vt in Genes. cap. 12. num. 10. non tamen scriptum est, quia obtinuit Iacob fames. Quamuis enim veniat fames etiam ad iustos, non tamen obtinet eos; transit iniquitas, non tamen iustos tangit. Viri iusti gloriantur in ea, Vndè D. Paul. 2. Corinth. cap. 6. numer. 4. In omnibus, inquit, exhibeamus nos, sicut Dei ministros in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustijs, in plagis, in carceribus, &c. & num. 6. Quasi morientes, & ecce viuimus; quasi tristes semper autem gaudentes; sicut egentes, multos locupletantes; tamquam nihil habentes, & omnia possidentes; Vbi autem spiritus Domini, ibi libertas, 2. Corinth. 3. num. 17. ergo transeat iniquitas, nec lædat, quem spiritus Domini inhabitat.

Propter quod, inquit Paul. 2. Corinth. cap. 4. numer. 16. non deficimus, sed licet is, qui foris est, noster homo corrumpatur, tamen is, qui intus est, renouatur de die in diem. Id enim, quod in præsenti est momentaneum, & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur: Quæ enim videntur, temporalia sunt: quæ autem non videntur, æterna sunt, hæc Paul.

Miserere ergo mei Deus, miserere mei, rationem quare misereri sibi poscat adducit, Quoniam in te confidit anima mea. Qui confidit in Domino, sicut mons Sion non commouebitur in æternum, talis sim ego Domine in medio iniquorum positus: non hominum, nec Principum auxiliò suffultus, quòd ab illis sit salus, sed in te Domine confido: tibi enim Deo meo credo, in te solum est salus mea, in te confido, non in Principibus, in quibus non est salus. Augustin. in Sermon. de Tempor. 82. Cum, sicut dicit Scriptura, Dominus esset cum Ioseph, & gratiam ei apud Principem carceris, Genes. cap. 41. dedisset, præuentus est tunc, vt ab homine auxilium postularet, dicens Magistro Pincernarum: Memento mei, cum benè tibi fuerit, & supplica Pharaoni, vt educat me de isto carcere. Et quia nondum scriptum erat. Bonum est sperare in Domino, quàm sperare in homine: cum in omnibus Dei gratiam meruisset, surreptum est illi, vt ab homine auxilium peteret. Pro qua re additi sunt duo anni, quibus adhùc detineretur in carcere: tamquam diceret ei Deus; Ego tibi ostendam, vt magis à me, quàm ab homine auxilium postules. Sine vlla

enim

enim dubitatione credendum est, quòd pro castigatione Sancti Ioseph, non permisit Deus, vt Magister Pincernarum in mente haberet, quod ei Sanctus Ioseph, quando de carcere dimissus est, supplicauerat: hæc Augustin. litera L. Tom.10. Iustus erat Ioseph & Deo carus, auxilium petijt ab homine illo, & elongatum se reperit ab illo.

Confido ego in te Domine; ideò miserere mei, vt sub vmbra alarum tuarum protegar, donec transeat iniquitas, vt tibi soli seruiam, donec transeat iniquitas, & ego ad te veniam. Miserere mei Deus, multa enim flagella peccatoris, sperantes autem in Domino misericordia circumdabit, Psalm.31.nu.10. Augustin. in d. Psalm.31. litera E. Quomodò est refugium à præssura? quem primo circumdat præssura, posteà circumdat misericordia, Quoniam misericordiam dabit, qui legem dedit; legem in flagellis, misericordiam in consolationibus; sperantem autem in Domino misericordia circumdabit.

Sub vmbra, inquit: Vmbra Petri obumbrabat, accedentes; Act. cap.5.numer.15. vt ab infirmitatibus liberarentur. Vmbra alarum Domini protegit, ne ab iniquis conculcemur; Vmbra Petri liberat confitentem, & pœnitentem, cui remiserit peccata, remittuntur ei, Matth.cap.18.num.18. Ioan.20.num.23. Matth.16.numer.19. Vmbra alarum Dei protegit conculcatum; Vmbra Petri liberat pœnitentem, vmbra alarum Christi conseruat in illum confidentem. Ideò si protegi cupis à Deo, confitere peccata tua Petro, quia pertransiet iniquitas, & in gratia spiritus Christi.

Donec transeat iniquitas, donec vmbra mortis transeat, vt ei, qui sedit in ea, lumen oriatur, Isai.cap.9.num.2.

Sed hìc quæramus, cur auxilium Dei vmbræ alarum comparetur.; Dicerem, quia velox est Dei auxilium in eum sperantem; quid enim vmbra velocius? Vndè dicitur Iob cap.14.num.2. & fugit velut vmbra? & Psalm.103.num.3. Qui ponis nubes ascensum tuum, qui ambulas super pennas ventorum. Vel dicamus, Sub vmbra alarum confidentem sperare, vt sciamus, quod Dominus sicut gallina sub alas protegit pullos, donec pulli sunt. Sub vmbra alarum Christi stat iustus, dum pullus est, donec iustus, & simplex in illo confidit, & à iustitia Dei non se separat, fugit vmbra si tu discedis ab alis, Matth. cap.23.num.37.

Vide Augustin. Psalm. 58. Tom.8. litera E. Agnosce ergo tu peccator infirmitatem tuam, si obumbrari cupis scapulis Domini, idest si vis quòd Dominus ante pectus suum te ponat, vt alis suis te protegat. Quasi ergo pullus infirmus fugias sub alis matris, ne à miluo rapiaris, Quid enim sunt milui, nisi terrenæ potestates, Diabolus, & Angeli eius, qui rapere volunt infirmitatem nostram. Fugiamus ergo sub alas matris Sapientiæ, quia & ipsa Sapientia infirmata est super nos; quia Verbum caro factum est, sicut gallina infirmatur cum pullis suis, vt eos protegat alis suis. Sic Dominus noster Iesus Christus, qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, se esse æqualem Deo, & nobiscum infirmaretur, & alis suis protegeret nos. Semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus, vt homo, ad Philippens.cap.2. Et sub alis eius sperabis, & scuto circumdabit te veritas eius, Augustin. in d. Psalm.90. litera H.

Dignos fructus faciamus pœnitentiæ, si sub alis Domini cupimus permanere.

Fructus

Früctus autem dignus pœnitentiæ est, transacta flere peccata, & eadem iterum non agere, Eccles. cap. 5. numer. 5. De propitiato peccato noli esse sine metu; neque adijcias peccatum super peccatum, & Isai. cap. 1. numer. 16. Lauamini; mundi estote, Lauatur enim qui præterita plangit, & iterum non admittit, & Augustin. de Tempor. Sermon. 66. & in impressis nouiter in Sermon. Dominicæ j. in Quadragesima, Sermon. 3. num. 6. Lauatur, & non est mundus, qui plangit, quod gessit, nec deserit, sed post lacrymas flenda, hæc, quæ fleuerat repetit, & facit 2. Petr. cap. 2. num. 22. Canis reuersus est ad vomitum suum; Vndè in Eccles. cap. 21. numer. 1. Fili peccasti, ne adijcias iterum, sed de præteritis deprecare, vt dimittantur tibi. Pœnitentia vera non annorum numero censetur, sed amaritudine animi. Ideò Petrus indulgentiam à Domino meruit, quia amarè fleuit, Matth. 26. in fine num. 75. affectum sinceritatis pœnitentiæ pensat Deus, non longitudinem solum temporis.

Vndè quamuis pœnitentia sit exigui temporis, dummodò fiat intima cordis amaritudine, & Deo grata est, & non despicitur. Qui enim, dicit Augustin. in Christum tota mente confidit, etiam si multis commoriatur peccatis, fides sua viuet in æternum: sicut ipse Dominus dicit, Ioan. cap. 11. numer. 6. & cap. 25 nu. 26. Ego sum resurrectio, & vita, qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, viuet, & omnis qui viuit, & credit in me, non morietur in æternum; intelligas tamen de morte animæ, quæ propter peccatorum ægritudinem eueniet illi: Deus in natura misericors est, paratus est saluare per misericordiam, quos non inuenit saluare per iustitiam: Conuertamur ergo ad Dominum, dicentes, miserere nobis Domine, miserere nobis, nàm sicut in Ezechiele scriptum est, in quacumque die conuersus fuerit peccator, vita viuet, & non morietur, cap. 33. numer. 12. & 13. Ecce Domine peccata nostra inge miscimus, duret gemitus, donec transeat peccati fumus, donec transeat iniquitas nostra.

Ecce Iesus Christus vita nostra, ideò factus homo, vt tollat peccata nostra, Isai. cap. 63. Clamat & ipse pro nobis ad Patrem, vt & tu ad eundem tuam extollas vocem, clamando, dicens: Clamabo ad Deum altissimum, Deum qui benefecit mihi. Ad Deum altissimum, sed si est altissimus, tu verò infimus, quomodò exaudiet te? Altissimus est Deus; propè tamen est omnibus inuocantibus eum in veritate, Psalm. 144. num. 18. Præterea vt dicit Augustin. hìc: Experientia præstat fiduciam, Deum dico, qui benefecit mihi quasi expertus sum per hoc, quia benefecit, quòd & clamantem audiet. Si enim impios quæsiuit, qui eum non quærebant, & pro impijs mori voluit, clamantes quomodò non audiet? Vlterius, si spiritus Patris nostri, qui loquitur, & clamat in nobis, Ioan. cap. 15. numer. 26. quomodò non exaudiet spiritum suum, qui loquitur in nobis. Apostolus enim dicit Matth. cap. 10. num 20. Misit Deus spiritum filij sui in corda nostra clamantem Abba Pater, hoc est clamare facientem; nos enim clamamus, sed in illo, idest ipso diffundente charitatem in cordibus nostris, sine qua inaniter clamat, quicumque clamat. Augustin. Tom. 10. de Verbis Domini in Euangel. secundum Matth. cap. 18. Vndè dicit, Quisquis autem spiritum Christi non habet, hic non est eius, ad Roman. cap. 4. numer. 5. Si ergo clamas ad Deum in veritate, ergo spiritu eius clamas, ergo tecum est in adiutorio, vt exaudiat te, quatenus secum cohabites in bono

opere: Vndè Augustin. Tom. 10. de Verbis Domini secundum Matth. Sermon. 18. cap. 12. Quid est clamare ad Christum, nisi gratiæ Christi congruere bonis operibus? Hoc dico fratres, ne fortè simus strepentes vocibus, & muti moribus. Contemnamus mundum, & tunc clamemus ad Christum; spernamus voluptates, & tunc clamemus ad Christum: Vita dicamus, non lingua, Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Dispergamus, vt pauperibus distribuamus, & tunc clamemus, & iustitia nostra maneat in sæculum sæculi. Mittetq. auxilium Dominus de Cælo, & liberabit me, dedit in opprobrium conculcantes me. Et vide, quàm velocius sit auxilium à Domino. Nondum enim clamauit, nàm dicit clamabo, & tamen illum conculcatum, & ab iniquis oppressum, ante clamorem exaudiuit, intuetur enim Dominus conculcatos, quorum ipse est defensor. Vndè Psalm. 36. numer. 24. Apud Dominum gressus hominis dirigetur, & viam eius volet, cum ceciderit, non collidetur, quia Dominus supponit manum suam, & Tob. cap. 12. numer. 13. Quia acceptus eras Deo, inquit Angelus Tobiæ, necesse fuit, vt tentatio probaret te. Quando enim orabas, dicit Angelus, cum lacrymis, & sepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuum, & mortuos abscondebas per diem in domo tua, & nocte sepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino, vt ibi num. 12.

Vel propius ad propositum nostrum accedentes, quia tribulationes iustorum notæ sunt Deo, nàm in Exod. cap. 3. numer. 16. Dominus Deus Patrum vestrorum apparuit mihi, Deus Abraham, Deus Israel, & Deus Iacob, dicens, Visitans visitaui vos, & vidi omnia, quæ acciderunt vobis in Ægypto, & dixi, vt educam vos de afflictione Ægypti in terram Chananæi, &c. Visitans ergo visitaui, & omnia audiui, hoc est quod hìc dicitur, quòd ante clamorem exaudiuit me, quia misit de Cælo, & liberauit me, deditquè in opprobrium conculcantes me. Iusti enim ab iniquis Iudæis oppressi, & conculcati; misit Deus filium suum, Verbum, carnem nostram assumpsit, & ecce quia oppressos liberauit; & per idem Verbum liberata est Ecclesia ab illis iniquis.

Si à Christo dicta hæc sumamus, quòd Deus benefecit mittens Verbum suum; certum est, quia tunc liberauit illum suscitando eum à mortuis; & eos, qui illum conculcauerunt, & mortuo insultauerunt, dedit in opprobrium dispersos vbiquè; quem enim occidisse putabant, eiusdem ab omnibus adorari resurrectionem viderunt, atque vident; & post passionem Christi, ab eodem loco, vbi eum crucifixerunt, eradicati sunt, ibidemq. occisi sunt, combusti, & qui pauci supererant, serui Romanorum effecti, vili pretio venditi, & in omnes mundi partes dispersi, viles, & opprobrium omnibus facti; Augustin. propterea, inquit, adhùc Iudæi sunt, vt libros nostros portent ad confusionem suam; nàm quando Christum prophetatum Paganis ostendere volumus, ostendimus istas literas; & ne fortè duri ad fidem dicant, quia nos illas Christiani composuimus, vt cum Euangelio, quod prædicamus, Prophetas finxerimus, per quos prædictum videretur, quod prædicamus: hinc eos conuincimus, quia omnes ipsæ literæ, quibus Christus prophetatus est, apud Iudæos sunt, omnes ipsas literas habent Iudæi, proferimus Codices ab inimicis, vt confundamus alios inimicos, in quali ergo opprobrio sunt Iudæi? Codicem portat

Iudæus,

Iudæus, vndè credat Christianus; librarij nostri facti sunt, quomodò solent serui post dominos Codices ferre, vt illi portando deficiant, illi legendo proficiant: hæc Augustin.

Dedit ergo Dominus in opprobrium conculcare volentes Verbum; Quem ergo de Cælo miserit, vt eum liberaret, declarat in sequenti versiculo, dicens.

Misit Deus misericordiam suam, & veritatem suam, & eripuit animam meam de medio catulorum Leonum, dormiui conturbatus illum misit, qui se à Patre derelictum asseruit, quando erat in Cruce, dicens, Deus Deus meus, vt quid dereliquisti me; misit Verbum diuinum, efficiens vt ipsa Christi diuinitas de manu catulorum eripuerit eum, misit Deus filium suum, qui est ipsa veritas, & misericordia, illum Deus misit, qui resuscitare se potuit, qui templum triduo reædificare potuit, corporis sui scilicet templum, Ioan. cap. 2. numer. 19. ideò dixit ipsum misisse de Cælo auxilium, quem, vt magis pateretur, dereliquisse videbatur, non recessit tamen diuinitas ab illius corpore, qui idem corpus suscitauit à somno, conturbatus exurrexi, inquit, & adhuc sum tecum, Psalm. 138. num. 18.

Nunc igitur consurge Domine Deus in requiem tuam, tu & arca sanctificationis tuæ, 2. Paralip. cap. 6. num. 41. Psalm. 131. num. 8. Misit ergo de Cælo misericordiam suam, & veritatem suam; & ipse Christus ait, ego sum Veritas, Ioan. cap. 14. missa est ergo Veritas, vt erueret animam meam hinc de medio catulorum Leonum; missa est misericordia; ipsum Christum inuenimus, & misericordiam, & veritatem, misericordiam nobis compatientem, & veritatem nobis tribuentem. Augustin. Misericordia pro illo mortuus erat, & veritate ad illum resurrexerat. Misit de Cælo misericordiam suam, & veritatem suam, missus est enim de Cælo, qui se obtulit Deo Patri, virtute sua resurrexit, quia in ipso vita erat, Ioan. 1. num. 4. & idem Ioan. in Epist. 1. cap. 5. nu. 6. hic est verus Deus, & vita æterna.

Et propterea inferius in hoc eodem Psalm. 56. num. 10. Exurge gloria mea, inquit, exurge Psalterium, & Cithara, exurgam, respondit, diluculo, & idem Dominus in Isai. respondit, cap. 33. num. 10. Nunc consurgam, dicit Dominus, nunc exaltabor, nunc subleuabor, & ibi Hieronym. & Augustin. Soluite ergo, inquit Christus, Templum hoc, & in triduo reædificabo illud, Ioan. 2. nu. 19.

Misit ergo Deus Pater misericordiam suam, idest Christum Verbum Patris, in quo misericorditer Deus egit nobiscum, quia Christus pro nobis compatitur, & ex misericordia pro nobis mortuus est; & veritatem suam, idest Christum, qui retribuat secundum merita: & ex veritate surrexit ad iustificandum nos, vt prædixerat. Hieronym. hìc, In quo etiam promissiones implentur, & ideò dicitur veritas. Vtraque enim in eo continetur, nec vna sine altera; si enim sola fuisset misericordia, licentia nobis esset peccandi, si verò sola fuisset veritas, non potuisset homo sustinere, hæc Hieronym.

Dormiui conturbatus; non ergo de Dauide Psalmus iste; nàm eadem in spelunca existentem dormisse non legimus, immo vigilantem audiuimus, dum oram vestimenti Sauli incidit, quem vt occideret, socij consulebant, nec etiam conturbatus eo quòd nec dormiebat, nec ab eo conturbatus dici poterat, quem turbare occidendo, ipse poterat.

Dormiuit ergo conturbatus Iesus, cum in inferiores partes terræ descendens

animabus ibi inclusis compassus est), illas in tenebroso loco videns. Conturbatus etiam quando in sua passione dicebat; Tristis est, inquit, anima mea vsque ad mortem, Matth. 26. num. 38. Marc. 14. num. 33. cœpit enim Iesus pauere, & tædere.

Dormiuit conturbatus, quia Iudæos, pro quibus potissimum venit, vt satisfaceret Patri, dignos non reperit regno cælesti. Conturbatus dormiuit, quia paucis sua passio profuit, nàm multi sunt vocati, pauci verò electi: sed & conturbatus dormiuit, quia agnouit multos Christianos in Ecclesia existentes, non tamen vineam Domini colentes, haud curaturos, vt saluarentur, nec permissuros, vt alij saluentur. Hi sunt Hæretici, & à vero sensu declinantes, & peccatores in peccato obstinati, & duri, Sap. cap. 2. quos Psalmus filios hominum vocat, subdens,

Filij hominum dentes eorum arma, & sagittæ, & lingua eorum gladius acutus, Qui nempè parauerunt laqueum pedibus meis, & incuruauerunt animam meam, Iudæi scilicet; nàm irridebant Domino, dicentes: Vah qui destruis Templum, &c. & genuflexi ante eum illudebant ei, dicentes, Aue Rex Iudæorum, & expuentes in eum acceperunt arundinem, & percutiebant caput eius, Matth. 27. n. 29. vsque ad nu. 40. ob hoc dicit dentes eorum, idest irrisiones cum dolo, dentes enim apparent in ridendo, vt Gloss. hìc. ideò verba eorum dentata dicuntur, & virulenta instar armorum, & sagittarum, Arma verò eorum fuerunt concilia, quæ contrà Iesum faciebant, quomodò illum morti traderent, Matth. cap. 20. numer. 3. Concilium enim fecerunt, vt Iesum dolo tenerent, & occiderent. Et sagittæ, Ierem. cap. 9. num. 8. sagitta vulnerans lingua eorum, dolum locuta est, & numer. 6. Quia in dolo renuerunt scire me, dicit Dominus, docuerunt enim linguam suam loqui mendacium; vt iniquè agerent laborauerunt; Habitatio tua Domine Iesu in medio doli, hæc Ierem. ibidem num. 6. Lingua eorum, inquit Psalm. gladius acutus: in corde conceperunt odium contrà Iesum, Eccles. 32. num. 16. Age, inquit, conceptiones tuas, non in delictis, & verbo superbo. Post conceptum dolum in corde, vt Christum traderent, & occiderent, instabant; Vndè illorum erant sagittæ: conceptum dolum intus retinere non potuerunt, propterea dicit Psalmista, lingua eorum gladius acutus, crucifige eum, clamabant: si Iesum dimittis non eris amicus Cæsaris. Quid profuit dicere, non licet nobis occidere quemquam, si linguis vestris, vt crucifigeretur institistis? os armatum erat, & si vos inermes comparuistis in sententia.

In comparatione vestra minus deliquit Pilatus sententiando, quàm vos, vt morti traderetur instando. Voluit enim ille dimittere eum, & noluistis, minas inferentes ei; Si hunc dimittis, non eris amicus Cæsaris. Lingua enim dira festinans adduxit mortem, Eccles. 28. nu. 13. Acuistis linguas vestras, sicut serpentis, Psal. 139. nu. 4. Malus fuit iniquus ille Pilatus, quia obediuit linguæ vestræ iniquæ, Prouerb. 17. nu. 4. sed vos peiores fuistis, qui & iustum occidistis, & iniqui Iudicis perditionis causa fuistis, vosq. simul cum illo lingua vestra perdidit, Eccles. cap. 22. in fine num. 33. Ideò ex lingua vestra mercedem habuistis, Eccles. cap. 51. nu. 30. nàm dispersi adhùc inceditis, & omni honore, & dignitate priuati, immo infames, & odibiles omnibus hùcusque estis, & vsque ad finem sæculi permanebitis, Daniel cap. 9. num. 27.

Hæc

Hæc videns in ſpiritu Propheta Dauid, ex perſona tamen Chriſti locutus eſt; Nunc mortem, & paſſionem eiuſdem Chriſti cognoſcens, quòd ex illa ſalus noſtra, & gloria noſtra, inquit ipſi. Exaltare Domine Ieſu, & Deus ſuper Cælos, & in omnem terram gloria tua: nàm & ſi iniqui Iudæi iniurijs te afficiunt, & morti tradere te feſtinant, tu tamen, ſi exaltatus fuero, inquies, omnia traham ad meipſum.

Exaltare ergo Domine ſuper Cælos, nàm tua virtute hæc facere potes, quia quando iſti iniqui te reſurrexiſſe videbunt, turbabuntur timore horribili, & inanis fiet gloria eorum. Igitur ò Chriſte Ieſu exaltare, vt qui te nunc, vt hominem in Cruce pendentem vident, exaltatum intuentes intelligant, te eſſe Deum, & hominem, cum Patre in Cælo regnantem, illosq. iudicantem.

Exaltare igitur quantum ad homines, non quò ad te, qui excelſior Cælis factus es; qui ad Patris dexteram reſides; qui humiles exaltas, & extollis ſuper Cælos. Super Cælos, inquit, qui Angelos ſubditos habes, & cuius gloria in omnem terram dilatabitur, vt fiat vnum ouile, & vnus paſtor: quamuis totus mundus tibi etiam nunc ſit ſubiectus; cui dabitur omnis poteſtas in Cælo, & in terra, Matth.28.num.18. Ioan.17.num.2.

Vel ex perſona eiuſdem Chriſti dicamus: Exaltare ſuper Cælos Deus Pater, quia iàm ego clarificaui te ſuper terram, opus conſummaui, quod dediſti mihi, vt faciam. Et nunc clarifica me tu Pater apud temetipſum claritate, quam habui priuſquam mundus eſſet apud te. Exaltare ſuper Cælos Deus apud Angelos tuos, & in omni terra, vbi iàm exiuit ſonus eorum, quos dediſti mihi, & ipſi ſermonem tuum ſeruauerunt, & nunc cognouerunt, quia omnia, quæ dediſti mihi, abs te ſunt; quia verba, quæ dediſti mihi, dedi eis; & ipſi acceperunt, & cognouerunt verè, quia à te exiui, & crediderunt, quia tu me miſiſti, Ioan.17.num.6. cum ſeq. In Cælo igitur ab Angelis, & in terra à fidelibus tuis nomen tuum exaltetur Domine.

Paratum cor meum Deus, paratum corpus meum ad ſuſtinendas omnes paſſiones, & Crucem, vt nomen tuum glorificetur. Et ecce quòd Iudæi iàm laqueum parauerunt pedibus meis, incuruauerunt animam meam, & libenter illa ſuſtineo, vt in omni terra appareat gloria tua. Exaltare ſuper Cælos Deus, & in omnem terram gloria tua, puniendo inimicos tuos, & iuſtos exaltando, Iſai.66.num.5. Glorificetur Dominus, & videbimus in lætitia veſtra, ipſi verò, ideſt inimici confundentur.

Laqueum parauerunt pedibus meis, & incuruauerunt animam meam; Quod laqueum? Qui pedes ſunt Domini? Laqueum: Tentemus enim, inquit Text. ſi ſermones illius veri ſunt, & tentemus, quæ ventura ſunt illi, dicto cap.2 num.17. in Sap. & numer.19. Contumelia, & tormento interrogemus eum, morte turpiſſima condemnemus eum; cauſam dicunt, quia contrarius eſt operibus noſtris: opera enim illorum mala erant, propterea oderant illum, Ioan. cap.7. numer.7. Pedes ergo Domini erunt humanitas eius, præſentatio eius, Vndè Auguſtin. Tom.2. de Videndo Deo, Epiſtol.111. litera E. nam, inquit, De membris Dei, quæ Scriptura aſſiduè commemorat, ne quiſquam ſecundum carnis huius formam, & figuram nos eſſe crederet ſimiles Deo, propterea & eadem Scriptura, & alas habere Deum dixit, quas vtiquè nos non habemus. Sicut ergo alas cum audimus, protectionem intelligimus, ſic & cum audimus

manus, operationem intelligere debemus; & cum audimus pedes, præsentationem; & cum audimus oculos, Visionem, qua cognoscit; & cum audimus faciem, notitiam, qua innotescit, &c. Laqueum ergo parauerunt pedibus meis, vt hominem Christum occiderent; dicebant enim quid facimus, quia hic homo multa signa facit? si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, & venient Romani, & tollent nostrum locum, & gentem, Ioan.cap.11.numer.48. cum seq. ò pulchra Diaboli ratio status, ò necessaria pro salute mundi vestra deceptio, & dolus, vt non reciperetis illum. Nunquid vos, ò Iudæi, eandem Romanorum fidem habetis, & tenetis? An ob id, quòd diuersa creditis tulerunt vestrum locum Romani? Venit, quem Patres vestri prophetantes à Deo petebant, & ideò venit, vt in eum omnes crederent, at vos ne pro tali crederetur, nec saluaret gentes, illum occidendum dixistis? Nescitis quidquam, dicebat Caiphas, quia erat Pontifex illius anni, nec cogitatis, quia expedit vobis, vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat. Non propterea Christus venit, vt locum tolleret, sed vt moriens pro vobis restitueret locum in Cælis.

Filij hominum parauerunt laqueum pedibus Domini, increpationibus scilicet, quas ille faciebat malis, & promissionibus, quas exhibebat bonis, quibus quasi pedibus incedebat, cum malos increpabat, & bonis præmia promittebat; Vide paratum laqueum his Christi pedibus, vbi mulierem adulteram illi præsentantes; Modò, dixere, mulier ista in adulterio deprehensa est, vt si dimittendam diceret, vt legem non obseruantem illum accusarent; & si occidendam, non mansuetudinem, quam Iesus prædicabat, attendendam, vt irriderent illum.

Et incuruauerunt animam meam. Talia enim eorundem grauiora delicta erant, vt incuruatus Dominus illa digito scriberet in terra, qui venerat, vt illa tolleret de terra, propterea dixit; Quis vestrum est sine peccato, in illam lapides iaciat; Vnus post alium abijt, vt peccata illorum in terra scripta subtus terram cum illis sepelirentur, & punirentur. Præ pondere graui incuruauerunt animam Christi peccata eorum, quia nec eius passione sublata ab illis fuerunt, quia noluerunt, quia non crediderunt.

Hæc omnia sciebat Iesus ipsi ventura, nàm propter hoc venerat, vt moreretur pro nobis, idcircò subiungit Psalmista, Foderunt ante faciem meam foueam. Ante faciem meam, inquit, quia, vt dixi supra, omnia erant ante illum præsentia, & cognita. Foderunt ergo foueam, vt me traderent morti, & ecce ego ipse viuens, & alios suscitans, illos reliqui perpetuæ morti. Inciderunt enim illi in foueam, quia sic voluerunt. Non Iesus illos proiecit, qui venerat, vt saluaret eos, sed ipsi inciderunt, quia lumen recipere recusarunt. Sed quando foderunt foueam, nisi quando dixerunt, reus est mortis, crucifigatur, & ecce ipsi mortis perpetuæ rei facti sunt; Augustin. hìc. Foderunt foueam ante faciem meam. Mihi nocuerunt, an sibi? ecce ille exaltatus est super Cælos Deus, & ecce super omnem terram gloria ipsius, regnum Christi videmus, vbi est regnum Iudæorum? Quoniam ergo fecerunt, quod facere non debuerunt, factum est in illos, quod pati debuerunt. Ipsi foderunt foueam, & ipsi cæci inciderunt in eam, quod enim persecuti sunt Christum, Christo non obfuit, sed ipsis obfuit, nec ipsis solis hoc accidit, nàm omnis qui parat

foueam

foueam fratri suo, necesse est, vt ipse incidat in eam: hæc Augustin.

Foderunt ergo foueam, vt iustum, & mitem iacerent in illam; ipsi verò hæc fecere, vt in mundo felices permanerent; sed maligni fuerunt illi dies, quibus videbantur florere peccatores. An ignoratis, quòd talis vestra felicitas, fouea vestræ perditionis erat? Felicitas videbatur, donec foderetur vobis peccantibus fouea, Psalm.93.num.12.

Sed quæritur, quæ sit fouea vbi impius cadat. Respondit Augustin. quòd est conscientia mala; si enim cæcitate percusi sunt, & lumen Christi perdiderunt, nonnè in tenebris remanserunt, quia Iesum non comprehenderunt, & si in tenebris ambulant, quomodò foueam effugient. Et si non ambulant in via, quæ est Christus, quomodò non erunt in fouea? Exultat impius, quia contrà te impietatem facit, & ipsa exultatio est illius fouea. Vndè idem Augustin. Melior est tristitia, iniqua patientis, quàm lætitia, iniqua facientis; nunquid qui ab iniquo occiditur iustus, moritur? qui credit in me, inquit Iesus, licet moriatur, viuit, Ioan. cap.11. Ille cum sit iniquus, & si viuere videatur, mortuus est. Parat iniquus foueam ad opprimendum, nunquid non ego parabo cor ad tolerandum? dicit Augustin. Ille incidet in eam, ego cantabo, & psallam: Vndè sequitur Psalm.

Paratum cor meum Deus, paratum cor meum, cantabo, & psalmum dicam: Iniustus ad foueam mihi, ego verò ad tolerantiam; & ideò paratum cor meum Deus ad laudandum te: paratum cor meum ad opere complendum, quod ore protuli laudibus. Et ideò, vt vtrunque comprehendam, & laudes, & opera, cantabo voce scilicet, & psallam opere, aduersa scilicet patienter sustinendo. In tribulationibus erat Paulus, & socij, & gloriabatur, ad Roman. cap.5. & 2.Corinth.11. inquiens, Gloriamur in tribulationibus, quia tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio spem, spes verò non confundit, quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.

Paratum cor meum Deus, paratum cor meum, Ecce Domine Iesu, quando veneris, quando hæc patieris, quando à mortuis resurges, vt me, & populum, & gentes redimas; te sequi in tribulationibus paratus sum, firmus sum, & compati, & te laudare, te pastorem sequens, Ierem. cap. 17. num.15. Ecce enim dicunt ad me, vbi est Verbum Domini? Veniat, & ego non sum turbatus, te pastorem sequens; & ideò cantabo, laudes tibi dicens, & psalmum dicam, idest opere complebo, quæ tua sunt præcepta.

Exurge ergo gloria mea; Veni Domine, & noli tardare, relaxa facinora plebis tuæ: exurge gloria mea, cum ex semine meo, ex Maria Virgine nasciturus sis; gloria mea, cum dignus effectus sim, vt tu Deus ex genere meo nascereris, vt mundum viuifices, qui perditus est.

Exurge Psalterium, & Cithara. Vt tu Deus assumens carnem nostram, laudes in populo graui tibi debitas exoluam, cantando, & psallendo. Ad quæ respondit filius Dei; Ecce ò Dauid, ò popule Christiane, ecce, inquit, quia exurgam, & diluculo exurgam, Psalm.11.nu.6. Propter miseriam pauperum, nunc exurgam, dicit Dominus, & Isai.5.n.26. Festinus velociter veniet. Exurge gloria mea status meus, gloriosus: idest anima, gloria, & decus corporis mei, Psalm.29.n.16. ad Deum celebrandum, ad misericordiam Dei magnificandam.

Vel

Vel dicamus: Exurge gloria mea, anima mea, vt in populo graui laudes deferam Christo debitas, Psalm.34.num.18. Quoniam tu populum humilem benedices, Psalm.17.num.28. Populus enim iste, qui te non cognouit, obediuit tibi. In psalterio & Cithara cantes, & opereris: populus Iudæus, nec Citharam admisit, nec Psalterium: idest nec humanitatem Christi, nec Diuinitatem credidit. Confitebor tunc in populis Domine, & psalmum dicam tibi in Gentibus, in quorum lucem positus es, Isai.49.num.6. Repulerunt Verbum Dei Iudæi, & ideò indigni facti sunt vitæ æternæ, & Ecce dixerunt Paulus, & Barnabas, Act.Apost. cap.13.num.46. Quia vos indigni facti estis, conuertimur ad Gentes, & audientes gentes gauisæ sunt, & glorificabant Verbum Domini.

Vel aliter dicamus: Exurge gloria mea, vt verba Iesu Christi sint, qui post passionem, & sepulturam dicit carni suæ; Exurge gloria mea à mortuis, quia iàm tibi tradita est omnis potestas in Cælo, & in terra. Respondit Christus, Isai. cap.33.num.10. Nunc consurgam, dicit Dominus, nunc exaltabor, nunc subleuabor. Exurge Domine, & dissipentur inimici tui, Psalm.67. in princ. Ego verò confitebor tibi in Gentibus. Quoniam magnificata est vsque ad cælos misericordia tua, & vsque ad nubes veritas tua: Dicitur caro Christi gloria illius, quia fuit causa gloriæ eius, Luc.c.24.n.26. Oportuit, inquit Iesus, sic Christum pati, & ità intrare in gloriam suam, idest propter passionem in carne mortali habitam; & hanc carnem gloriosam Christus resurgendo accepit, vndè Psal.27. num.7. Refloruit, inquit, caro mea; idest per resurrectionem.

Exurge caro mea, quia regnabis, decorem induta es, indutus Dominus fortitudinem, & præcinxit se; etenim firmabis Orbem terræ, qui non commouebitur: mirabiles elationes maris, mirabilis in altis Dominus, Psalm.92. Exurge gloria mea, quia tu hæreditabis in omni terra, Psalm.81.num.8.

Exurge Psalterium, & Cithara; caro diuina operans Psalterium dicitur, caro humana patiens, Cithara est; sonat Psalterium, & illuminantur cæci, resurgunt mortui, claudi ambulant. Sonat Cithara, esuriuit Christus, sitiuit, tenetur, flagellatur, crucifigitur, & sepelitur, & resurgit, vt tu cum illo resurgas. Cum ergo vides in illa carne, quædam sonuisse desuper, idest miracula, &c. & quædam de inferiori parte; Vna caro resurrexit, & ità in vna carne agnoscimus Psalterium, & Citharam, ergo surrexit Psalterium, & Cithara diluculo.

Exaltare super cælos Deus, inquit Dauid, & quia & nos videmus, cum illo dicamus & nos, exaltare super cælos Deus, &c. Et voluntas Dei in te dirigetur, Isai.cap.50.num.10. pro eo quòd laborauit anima tua.

Exurge Domine, vt qui in Adam moriuntur, etiam in te viuificentur, 1.Corinth.cap.15.num.20. vt qui credunt in te, confiteantur tibi, & laudent te in Gentibus. Hoc dicit Christus in membris, quos ipse redemit, vt laudent eum in populis, & Psalmum dicant ei, idest cælestem actum persoluant ei inter gentes. Et ideò confiteantur tibi, quoniam magnificata est vsque ad cælos misericordia tua, & vsque ad nubes veritas tua. Vbi enim magnificata est sua misericordia, ibi etiam magnificanda veniebatur, & sua veritas, Psalm.88. nu.3. Misericordia ædificabit, in cælis, præparabitur veritas tua in eis. Sed quomodò vsque ad cælos misericordia magnificata est? ibi enim non est miseria, ergo nec ibi opus est misericordia. Ibi in cælo scilicet misericordia Domini magnificata est, quia ibidem misericordia motus filius Dei assumere carnem non dedignatus, neque

Virgi-

Virginis vterum horruit, vt genus humanum iàm perditum sua passione liberaret. Magnificata est misericordia vsque ad cælos, vt ille qui magnus est, secum magnificaret homines in cælis. Quis magnus, sicut Deus noster; ipse enim facit mirabilia solus. Non tibi videtur mirabile, quod fecit, cum eum, qui vanitati similis est, socium suum in cælo collocarit, Ioan. cap. 17. num. 21. vt omnes, inquit, vnum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint, & num. 23. Ego in eis, & tu in me, &c.

Quoniam magnificata est vsque ad cælos misericordia tua, & veritas tua vsque ad nubes. Misericordia Domini plena est terra, Psalm. 32. num. 5. propterea magnificata est vsque ad cælos, quia diuina misericordia, iudicium, cæteraq. attributa excedit, omnibus Dei operibus præcellit, August. Tom. 2. lib. 2. c. 3. de Peccat. merit. & remiss. Superexaltat enim, inquit ille, misericordia iudicium, Rupert. lib. 4. in Exod. cap. 25. vbi post multa de significatu Pontificalium vestium, & de Rationali iudicij appenso, &c. Notandum, inquit, quòd in Superhumerali, non solum catenæ, sed & vncini sunt, qui Rationale iudicij constringunt; quia videlicet in misericordia Redemptoris, nostræ spei anchoræ sunt, vt semper misericordia superexaltet iudicium; vndè Dauid Psalm. 144. num. 9. Miserationes eius super omnia opera eius, Augustin. in lib. de Meditationibus.

Tu factor omnium, inquit, Deus, licet in cunctis operibus tuis sis admirabilis, mirabilior tamen crederis esse in operibus pietatis. Vndè de temetipso per quendam seruum dixisti Psalm. 134. Miserationes eius super omnia opera eius. Et Chrysolog. Serm. 42. Magna sunt opera Domini, sed magnitudinem præcellit misericordiæ magnitudo, nàm cum dixisset Propheta Psal. 110. Magna opera Domini, adiecit alibi, idest Psalm. 144. Misericordia eius super omnia opera eius. Misericordia implet cælum, replet terram, Domine, inquit Psalm. 35. num. 6. In cælo misericordia tua, & veritas tua vsque ad nubes. Et idem ipse Psalm. 30. Misericordia Domini plena est terra, & re vera perijsset totum, quòd Deus fecerat, nisi misericordia subuenisset, & in fine, Nihil vobis nocebit in terra, si vobis in cælo misericordia sit patrona.

Magnificata est ergo misericordia vsque ad cælos, cum inter omnia Dei opera, maior sit misericordia, ideò vsque ad cælos, quia cum ibi non sit miseria, neque opus est misericordia.

Et veritas tua vsque ad nubes. Non vsque ad Hæreticos, & Schismaticos, atque Iudæos, sed vsque ad nubes, ad Apostolos, ad Prophetas, ad Ecclesiæ Doctores, quorum officium est interpretari de vero Scripturarum sensu, & intelligentia. Quòd nubes, Prædicatores, & alij supradicti intelligantur, declarat Isai. cap. 5. num. 6. Et mandabo nubibus meis, ne pluuant super eam, idest vineam, imbrem; vinea enim Domini exercituum domus Israel est; vndè August. Psalm. 88. litera H. Domus ergo Israel se intelligat, non dedisse mihi vuam, sed spinas: Domus ergo Israel vinea est, quæ dedit spinas, ideò ingrata irrigatori, atque cultori fuisse. Mandauit ergo Dominus nubibus, ne pluuant super eam imbrem. Missi sunt Apostoli tamquam nubes, vt pluerent Iudæis, & illis Verbum Dei repellentibus, quia pro vuis spinas dederunt, dixerunt Apostoli, Ad vos missi eramus, sed quia repulistis Verbum Dei, imus ad gentes.

Nubes in carne Prædicatores veritatis; Venit & ipse omnium Creator in carne, sed quis in nubibus æquabitur Domino? & quis erit similis Domino in

filijs

filijs Dei? ergo nemo in filijs Dei, similis erit filio Dei. Et ipse dictus est filius Dei, & nos dicti sumus filij Dei; sed quis erit similis Domino in filijs Dei? Ille vnicus, nos multi; ille vnus, nos in illo vnum; ille genitus, nos adoptati; ille ab æterno filius vnigenitus per naturam, nos à tempore facti per gratiam; ille sine vllo peccato, nos per illum liberati à peccato. Quis ergo in nubibus æquabitur Domino, aut quis erit similis Domino in filijs Dei? Dicimur nubes propter carnem; & sumus Prædicatores veritatis, propter imbrem nubium; sed caro nostra aliter venit, caro illius aliter; dicimur & filij Dei, sed ille aliter filius Dei, illius nubes ex Virgine, ille filius ex æternitate æqualis Patri.

Vel aliter dicamus, Quoniam magnificata est vsque ad cælos misericordia tua per ascensionem tuam Domine, qui totus es misericors, quam misericordiam suscepimus in medio Templi, quando pro nobis in monte Caluario, qui esse in medio terræ dicitur, tu Iesu Christe crucem ascendisti, & mori voluisti, hanc misericordiam tecum in cælum duxisti, vt sedens ad Patris tui dexteram semper intercedas pro nobis. Hanc in cælum igitur secum duxit, vt eadem sua misericordia nobis esset proficua, qui Christiani sumus, qui eundem sequimur, cum ipse sit Via, Veritas, & Vita. Et hanc veritatem vsque ad nubes, vt ipsam, quæ ab Apostolis suis, & Prophetis, Ecclesiæq. suæ sanctæ Doctoribus, & Prædicatoribus prædicaretur, nos sequentes, & credentes, post nubes cum misericordia eius in cælo, vbi est ille in gloria Patris, & nos essemus, Gregor. lib. 12. Moral. cap. 17. Nubium nomine, quid aliud, quàm Apostoli, & sancti Prædicatores designantur, qui per mundi partes circumquaque missi, & verbis nouerant pluere, & coruscare miraculis? Isai. verò cap. 60. num. 8. Qui sunt isti, qui vt nubes volant; & quasi columbæ ad fenestras suas?

Vel aliter dicamus, Magnificata est misericordia vsque ad cælos, & veritas tua vsque ad nubes; hoc est, Quàm sit tua misericordia magna, & veritas tua vsque ad nubes, ab Apostolis magnificata est in suis prædicationibus, Psalm. 88. nu. 2. Annunciabo veritatem tuam in ore meo, Cæli enarrant gloriam Dei, Psalm. 18. in princ. Vndè in Psalm. 32. dicitur: Verbo Domini cæli firmati sunt, cæli, idest Apostoli, qui tales ideò vocati sunt, per quos sicut in vtre congregauit aquas maris, idest populum Gentilem, in Christum credentem, cui populo Gentili in vtre existenti veritas Dei per Apostolos prædicata est, Psalm. 21. num. 32. Et annunciabunt cæli, idest Apostoli iustitiam eius populo, qui nascetur, quem fecit Dominus.

Sanct. Augustin. hìc dicit; Cæli supra nubes, & nubes infra cælos, & tamen ad hoc cælum proximum pertinent nubes, sed aliquando nubes recumbunt super montibus vsque adeò, vt proximo aere conglomerentur. Cælum autem sursum est habitationes Angelorum, &c. Illud verò fortè videatur dicendum, Magnificata est vsque ad cælos veritas tua, & vsque ad nubes misericordia tua. Etenim in Cælo Angeli laudant Deum, videntes ipsam speciem veritatis, sine vlla caligine visionis, sine interpellatione aliqua falsitatis, vident, diligunt, laudant, non fatigantur; ibi veritas; hìc autem in nostra miseria, vtique misericordia. Misero enim præbenda est misericordia; non enim opus est misericordia sursum, vbi nullus est miser, ideò congruentius dici poterat, magnificata est vsque ad cælos veritas tua, & vsque ad nubes misericordia tua: nubes enim intelligimus prædicatores veritatis. Homines enim portantes istam carnē caliginosam

quo-

quodammodò, sed vndè Deus & coruſcat miraculis, & tonat præceptis, & ipſi ſunt illæ nubes, de quibus dicit Iſai.cap.5. ex perſona Domini increpans quandam vineam, malam, ſterilem, ſpinoſam. Mandabo nubibus meis, ne pluuant ſuper eam imbrem, ideſt mandabo Apoſtolis meis, vt deſerant Iudæos, & non illis euangelizent, ſed euangelizent in terra bona gentium, vndè non ſpinæ, ſed vuæ procedant, &c.

Veritas præpollet in Angelis, ſed dediſti illam & hominibus, & deduxiſti illam vſque ad nubes; ſurſum miſericordia Angeli non indigent, ſed quia hominibus miſeris tu misereris, & præbendo hominibus miſericordiam, communione reſurrectionis Angelos facis, vſque ad cælos eſt miſericordia. Gloria Domino Deo noſtro, & miſericordiæ ipſius, & veritati ipſius, quia nec deſeruit nos miſericordia facere beatos per gratiam ſuam, nec fraudauit nos veritate, quia primò veritas carne cooperta venit ad nos, & ſanauit per carnem ſuam oculum interiorem cordis noſtri, vt eam poſteà facie ad faciem videre poſſimus; Agentes ergo gratias, dicamus. Hæc Auguſtin. Exaltare ſuper cælos Deus, & ſuper omnem terram gloria tua.

SOLILOQVIVM.

MISERERE mei Deus, miſerere mei, vt donec tranſeat iniquitas, ſub vmbra alarum tuarum me protegas, quia in te confidit anima mea, & in te ſperabo. Tu enim Domine Altiſſimus es, & me ad imaginem tuam tot bonis decoraſti. Ad quem confugiam, ad quem clamabo, niſi ad te Deus meus? Filium tuum de cælo miſiſti, & liberaſti me à perditione, quia per baptiſmum regeneraſti me. Conculcantes me, & tentantes, qui mihi erant inimici, necnon & peccata mea in opprobrium dediſti, poſtquam cognoui te Deum meum, miſiſſe miſericordiam tuam, & veritatem tuam, hoc eſt filium tuum. Et tu bone Ieſu carnem ſuſcipiens de medio catulorum leonum, Diaboli ſcilicet, & miniſtris eius me eripuiſti. Dormiui tamen conturbatus, expaueſcens, ne abſque te propter peccata mea perirem. Inimicorum ſanè, ideſt peccatorum dentes, arma, & lingua gladius eſt acutus: quos tamen tu Domine reſurrectione tua confregiſti.

Exaltare ſuper cælos Deus, vt ad dexteram Patris ſis pro nobis interceſſor, donec tranſeat iniquitas: donec in hac vita degentes tranſeuntis per mundum ſubiecti ſumus periculo iniquitatis. Laqueum enim pedibus meis parare non ceſſant, & incuruauerunt animam meam; non tamen proſtrauerunt eam in foueam, quam ante faciem meam foderunt, ipſis incidentibus in eam.

Paratum cor meum Deus, paratum cor meum; vt te adiuuante, omnia mala ſuſtineam. Gaudens cantabo, & pſalmum dicam tibi Domino. Exurge ergo gloria mea, exurge Pſalterium, & Cithara, exurge Ieſu Chriſte Deus, & homo, gloria mea; exurge, & intende mihi. Spem certam habens audire te dicentem exurgam diluculo, & ero opportunus in adiutorium tui. Et ego peccator confitebor tibi in populis Domine, & pſallam tibi in gentibus. Quoniam tecum aſcendit vſque ad cælos miſericordia tua; tua enim Domine reſurrectione omnia pacificata ſunt tibi, quæ in cælo, & in terra ſunt: & vſque ad nubes veritas

tua, quam per Prophetas prædixeras. Veniant nubes, & corda nostra irrigent; vt quæ in cælo sunt contemplantes, terrena despiciamus, & cum Sanctis tuis mereamur & nos ingredi in vitam æternam: Succurre nobis Virgo Dei Genitrix Maria per Sanctam Natiuitatem tuam, cuius hodie festum colimus; succurre nobis miseris, iuua pusillanimes, fiat impetrabile, quod fida mente poscimus: redona, quod rogamus; excusa quod timemus, quia tu es Aduocata peccatorum. Per te delictorum veniam speramus; per te, Beatissima, nostrorum est expectatio præmiorum, sentiamus omnes tuum iuuamen, quicumque celebramus tuam sanctam Natiuitatem. Amen.

IN PSALMVM LVII.

Si vere vtique iustitiam loquimini: recta iudicate filij hominum.


ITVLVS Psalmi. In finem. Ne corrumpas, vel disperdas, Dauid in Tituli inscriptione; idest ne neges Christum Regem, quem Titulus dicit; nec mireris si in præcedenti Psalmo eundem legeris Titulum, de quo supra diximus, nàm etsi tribulationes multiplicentur, & inimicorum persecutiones crescant, non tamen tu regno Christi contradicas: & hæc est huius Psalmi intentio. Dauid enim & in spelunca Engaddi latuit, Saulis persecutionem fugiens, de qua 1.Reg.c.24. fugit iterum, & abscondit se in colle Achilla, qui est ex aduerso solitudinis, quando Ziphæi ad Saul venerunt in Gabaa, accusantes, & manifestantes, Dauidem esse ibidem absconditum, Et surrexit Saul cum tribus millibus militum virorum electorum ex Israel, vt quæreret eum in deserto Ziph, & castramentatus est Saul in Gabaa Achilla. Dauid autem in deserto habitabat, qui exploratores mittens, & surgens clàm venit ad locum, vbi erat Saul dormiens, & Abner Militiæ Princeps: Vndè Abisai, qui cum Dauide erat, dormientem Saulem volebat occidere, sed Dauid prohibuit. Tulerunt tamen hastam in terram fixam, & Scyphum aquæ, qui erat ad caput Saul, & abierunt, nec erat quisquam, qui videret, & intelligeret, & euigilaret. Reliquum historiæ habetur in libro 1.Reg.cap.26. per totum; & hanc fuisse vltimam Saulis persecutionem in Dauidem. Pro quibus vltimis duabus persecutionibus (nàm multas alias passus erat Dauid persecutiones à Saule) fecit istos duos Psalmos, quorum Titulus est idem: In finem scilicet, Ne corrumpas, vel disperdas in Tituli inscriptione. Hanc fuisse Psalmorum causam asserunt quidam Rabbini hìc, de quibus Doctores, & præcipuè Incognitus. Nos verò hos ad Dauidis historiam rectè adaptari posse, non credimus, ex Augustin. in Psalm. præcedenti, vbi latius locuti sumus.

Nullus enim Titulus legitur fuisse inscriptus Dauid, quem Saul vellet corrumpere, sed de Christo è semine Dauid nato, inscriptus est Titulus, quem populus Iudæorum voluit corrumpere; per Spiritum enim sanctum scriptum erat, Ne corrumpas; Pilatus ait, quod scripsi, scripsi. Dirigit nos iste Psalmus in finem; in Christum, ne tu Pilate, vel Iudæe disperdas, vel corrumpas Dauid in inscriptione, idest ne Christum esse Regem neges, quem Titulus dicit. Multas etiam à Iudæis Christus est passus persecutiones, de quibus latius Dauid in

suis

suis Psalmis; in istis tamen duobus Psalmis inscribitur Titulus, ne corrumpas, quia fuerunt vltimæ persecutiones, quas Christus passus est.

Typus Christi fuit Dauid; psallebat manu sua Dauid, misitq. Saul lanceam in pariete configere eum, & declinauit Dauid à facie Saul, 1. Reg. 19. num. 10. mirabantur Iudæi in verbis gratiæ, quæ dicebat Iesus, & maligni Iudæi duxerunt illum vsque ad supercilium montis, vt præcipitarent eum, Iesus autem transiens per medium illorum ibat, Luc. 4. num. 12. & num. 29. Abscondit se Dauid à facie Saul, 1. Reg. 20. num. 14. Iesus quando contrà eum tulerunt lapides, abscondit se, Ioan. 8. num. 59. non tamen legimus, vt tolleretur illi titulus Regis, immo 1. Reg. cap. 23. num. 17. Ne timeas, inquit Ionatas, neque te inueniet manus Saul Patris mei; & tu regnabis super Israel. Et nunc scio, quòd certissimè regnaturus sis, dicebat Saul Dauid, 1. Reg. cap. 24. num. 21. & habiturus in manu tua regnum Israel.

Titulus ergo de Christo, Spiritu sancto dictante, à Dauide scriptus est, vt nec Pilatus posset illum mutare, nec Iudæi, vt tolleretur obtinere, Rex enim scriptus erat in cælo, nec potuit negari in terra.

Continuatur ad præcedentem, in quo visum est de iniquis, & peccatoribus perituris, & de iustis in fide persistentibus; In hoc autem Psalmo exponitur quorum fructus à Deo sit constitutus, & detur. Vel aliter continuatur.

Supra visum est de catulis leonum, idest de populi minuti delictis: Verùm quia isti superiorum gubernio supponuntur, ne superiores ipsi se immunes cogitent de delictis inferiorum, in hoc Psalmo monentur, vt iustitiam loquentes rectè etiam iudicent subditos; non est enim in verbis iustitia, sed in virtute, & veritate.

Summa hæc videtur, Qui recta loquitur, benè & operetur, non enim in verbis est iustitia, sed in virtute; Vndè Socrates qualis, ait, videri vis, talis esto.

Titulus ergo, sicut totus Psalmus de Christo est, Spiritu enim sancto repletus Dauid, quæ ventura erant, de Christo prædicit, non solum de eius Titulo non corrumpendo, sed etiam de mala Iudæorum, & Pharisæorum erga illum voluntate intrinseca, tametsi verba eorundem essent melliflua, & adulatione, ac falsitate plena; Magister bone, dicebant, Matth. 22. n. 16. Scimus, quia verax es, & viam Dei non deseris, Matth. cap. 22. Si vera locuti estis, quare iniustè contrà Christum Iesum iudicastis? quia vobis est iniquitas in corde, & in manu, & in ore. Etenim, dicit Psalm. Iniquitates operamini in terra. Ideò Deus conteret indentes eorum in ore ipsorum, & molas leonum confringet Dominus, vt infra. Et qui institerunt, & illi, qui iniustè iudicarunt, hoc est & populus, & Principes eorum omnes dãnati, omnes puniti, dispersi, & in inferno perpetuò sepulti.

Si verè ergo vtique iustitiam loquimini, recta iudicate filij hominum. Clamabant, dicentes Osanna filio Dauid: Benedictus, qui venit in nomine Domini, quia verè quod de iustitia erat, loquebantur. Venturus enim erat filius hominis Iesus Christus, Zach. 9. n. 9. Exulta, inquit, filia Sion, iubila filia Ierusalem, ecce Rex tuus veniet tibi iustus, & Saluator, ipse pauper, & ascendens super asinam, & super pullum filium asinæ. Ideò plurima turba præcedebat, & sequebatur Iesum super asinam; & super pullum filium asinæ, vestimenta sua ante pedes eius prosternentes, & arborum ramos, dicentes Osanna filio Dauid; Osanna in altissimis. Et intrantes Ierosolymam commota est vniuersa ciuitas; dicentes, Quis est hic? populi autem dicebant Hic est Iesus Propheta à Nazaret

Galilææ, Matth.21.num.8. cum sequen. Marc.11.nu.9. Luc.19.n.38. & Ioan. cap.12.num.13. Osanna, benedictus, qui venit in nomine Domini Rex Israel. Si verè iustitiam vtique locuti sunt, quare Iesum Regem condemnastis, quare non rectè iudicastis. Increpa, dicebant quidam Pharisæorum Domino, increpa discipulos tuos. Nunquid si ipsi tacuissent, lapides non clamassent? Luc.vt supra num.40. Indignati sunt Principes Sacerdotum propter miracula, quæ faciebat Iesus, Matth.d.cap.21.num.15. Indignati sunt, quia perfecta erat laus in ore infantium, Psalm.8.num.3. vt ipsos destrueres inimicos, & vltores.

Cur non rectè iudicastis ò Iudæi, cum ex miraculis, quæ nullus alius fecerat, intelligere poteratis, Iesum esse verè filium Dei; vt ex ore infantium, & ore vestro confitebamini? dicentes scimus, quia à Deo venisti; scimus, quia verax es & viam veritatis non deseris. Cur non rectè iudicastis? Mendaces filij hominum, mendaces, vt decipiant, Psalm.60.nu.10. sed si filij Diaboli sunt, Matth. cap.12.num.27. Quomodò rectum iudicium dare possunt?

Mala arbor non potest fructus bonos facere, de malo enim Thesauro malus homo profert mala. August. hìc. Nonnè iustitiam locuti estis quando dixistis, Magister scimus quia iustus es, & nullius personam accipis, quare dolum in corde tegebatis? quare imaginem Cæsaris creatori vestro ostendebatis, & Christi imaginem in vestris cordibus delebatis? nonnè auditum est quid locuti fueritis, & expertum est, quemadmodum iudicaueritis? nonnè crucifixistis eum, quem iustum esse dixeratis? quid enim fecistis sæuiendo aduersus Deum, qui homo erat, & occidendo Regem vestrum? Non enim ideò Rex non erat futurus, quia occisus erat à vobis, resurrecturus. Nouerat homo in titulo crucis scribere, Iesus Nazarenus Rex Iudæorum, nec voluit illum delere, & Deus non nouerat dicere, quod scripsi, scripsi? Non vultis ergo rectè iudicare, & rectè iudicabimini: viuit enim qui vos Satanæ tradit, vt cruciemini. Non corrumpitur titulus, qui prius in cælo est repertus. Non tollit Regnum, quem Christus Rex æternus esse criminis læsæ Maiestatis Reum pronunciauit. Intelligite vos, qui iudicatis terrã, ne quando rapiat, nec sit qui eripiat, vt aliàs diximus; sed rectum iudicium iudicate, Ioan.cap.7.num.24. Clamat Spiritus sanctus, vt rectè iudicemus, & ideò clamat comminando, quia non vult ferire iudicando.

Ecce venit, qui nostra peccata tulit, qui ideò venit, non vt iudicet mundum, sed vt saluificet mundum, Ioan.3.n.17. & 12.n.47. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis, 2.Corinth.7.n.2. Redite ad cor præuaricatores iustitiæ, vt quæ sunt recta, iudicetis, Isai.46.n.9. Recordamini prioris sæculi, quæ Patribus vestris euenerunt, quia malum contrà Dominum fecerunt, quia iustum iudicium non fecerunt, quia Innocentem iniustè condemnarunt, & non rectè iudicarunt. Si verè ergo iustitiam loquimini, rectè iudicate filij hominum: qui scilicet ex hominibus bonis, & Prophetis nati estis; sed vos dentes, & arma, & sagittæ, & lingua vestra gladius acutus, Psal.56.nu.6. hæc enim ex corde vestro iniquitate pleno, cum quibus iustos hìc in terra existentes opprimere tentatis, mala malis addendo, manibusq. vestris iniustitias concinnãtes, atque cumulantes.

Rectè iudicate filij hominũ, idest qui secundum homines viuitis, quãdo malefacitis; nàm si quando benefeceritis, filij Dei vocabimini, Augustin.in Psal.52.lit.H. Rectè iudicate vt filij Dei sitis; hic enim mala filijs hominum communicat, qui prius promisit communicandum bonum suum: qui ipsis promisit Diuinitatem,

ostendit in illos claritatem: ergo tollatur quod homines filij Dei sunt, remanet, quod filij hominum sunt, hæc Augustin. ibi. Ideò enim filij hominum dicuntur, quia opera hominum faciunt, opera inquam mala, August. Psal. 127. lit. F. Opera ergo vestra bona sint, si filij Dei, & non filij hominum esse cupitis; filiorum appellatione veniunt opera bona, quæ dicuntur filij tui; Augustin. ibidem: Eius enim filius probatur, cuius opera imitatur, Ioan.d.cap.8.num.45. Nos, dicebant Iudæi, filij Abrahæ sumus; superbiebant de nomine paterno, quia gerebant eius carnem, non tenentes eius fidem, semini adhærentes, moribus degenerantes, & ideò Dominus dixit illis, Ioan.d.cap.8.num.44. Vos ex Patre Diabolo estis, & venientibus ad baptismum, Ioannes illis dicebat, Matth.cap.3.num.7. Progenies viperarum, &c. facite ergo fructum dignum pœnitentiæ, non enim Abraham vipera erat, de cuius progenie erant illi, sed quia malè viuendo dæmones imitabantur, & eorum filij facti erant, quos imitando malè viuebant, vide August. in Psalm.46. litera B. Quomodò lapides fuerint facti filij Dei, & ex semine Abrahæ, Gentiles scilicet, qui lapides adorabant, credentes in Iesum filij eius facti sunt, facientes opera bona: & ideò sequitur Psalm.

Etenim in corde iniquitates operamini in terra: iniustitias manus vestræ cõcinnant, in corde enim, inquit, operamini iniquitates. Nàm, vt dicitur in Euangelio; de corde malo exeunt cogitationes malæ, furta, homicidia, adulteria, Matth.cap.15.num.19. Quid ergo operati sunt Iudæi in terra, quæ est ista terra? Iesus Christus, qui carnem nostram assumpsit, qui factus est de terra, quando ex Maria Virgine carnem assumpsit, iniquitates isti in corde operati sunt in ista terra, labijs enim illum honorabant, & corde maledicebant, Matth.c.15. numer.8. & longe erant ab illo. Talia enim operati sunt illi iniqui, quales ipsi erant & iniusti: in corde operabantur iniquitates, quia talis erat illorum malitia. Iunxerunt ergo cordi malo operationes manuum suarum malas; nàm, morti illum tradiderunt. Quod autem de Christo homine intelligatur Psalmus, declarat Gregor.9. Moral. c.15. super illud, Terra data est in manus impij, Iob cap.9.num.24. Quid enim terræ nomine, nisi caro Christi exprimitur? quis impij appellatione, nisi Diabolus designatur? Huius impij manus fuerunt ij, qui in Redemptoris nostri morte grassati sunt; cum enim Iudę cohortem, atq. à Principibus, & Pharisæis ministros tradidit, nimirum iste impius tunc manus ad terrã tetendit; huius manus fuerunt Principes, & Sacerdotes, sed quid illis euenit? quod nempè dixit Prouerb.2.num.22. Impij de terra perdentur, & qui iniquè agunt, auferentur ab ea. Vndè dicit Ambros. in Psalm. Dixit iniustus vt non delinquat in semetipso, Psalm.35. ipse enim Ambros. legit, Vt delinquat sibi. Quidquid enim iniustus loquitur, iniquitas est, quæ in suum refertur auctorem, sicut viperæ partus, quia primò suam scindit parentem, sibi generat vulnera, se ipse confodit; Serpens alijs infundit venenum, iniustus sibi, in eum enim reconditur quidquid fuderit. Vndè Iacob. Peccatum cum consummatum fuerit generat mortem, cap.1.nu.16. Vera enim mors est, qua anima separatur à Deo, Greg.lib.4.Moral. August. de Verb.Domini c.5.in fine, Sicut anima est vita corporis, ità animæ est vita Deus; sicut expirat corpus cũ animam emittit, ità expirat anima, cum Deum amittit, Deus amissus, mors animæ, anima emissa, corporis mors, mors corporis nescia, mors animæ voluntaria ei, qui vult iniquitatẽ operari.

Etenim in corde iniquitates operamini in terra. Non enim illis sufficiebat ini-

iniquum cor contrà Iesum; ad perditionem tamen illorum satis erat; quamuis enim manus desijssent, non tamen culpa carebant, nàm vt dicit Augustin. hìc, Quidquid vis & non potes; factum Deus imputat, nàm & manus vestræ iniustitiam concinnant, ex multis enim partibus iniustitias adunastis. Quot enim falsas accusationes contrà Iesum adduxistis? in Beelzebub Dæmonia eijcit: non est à Deo, quia Sabbata non custodit: Dæmonium habet: seducit Gentem nostram: se facit Regem; & alias falsas, & multas accusationes contrà illum intulistis. Immo, vt alios vobiscum in perditionem socios haberetis, populum contrà Iesum excitastis, vt Barabbam dimitteret Pilatus, Iesum verò crucifigeret; nec alios intrare permisistis in Regnum, cum nec vos introistis.

Iniustitias manus vestræ concinnarunt. Ex multis partibus iniustitias coadunantes, vt cordi, & cogitationibus vestris essent concordes, & quæ in corde maligna habebatis, operibus etiam similibus iniquis apertiùs declararetis. O impij, ò iniqui, & quomodò rectè iudicare poteritis; si cor malignum, & iniquum adhùc retinetis. Quomodò Principes, & Iudices esse in populo procurastis, si partes Diaboli sustinetis? quomodò erumpere in iniquitates iudicando iniqua poteratis? Noli, scriptum est, quærere fieri Iudex, nisi virtute valeas irrumpere iniquitates, Eccles. cap. 7. nu. 6. Contrà Deum, & Dominum, qui est Iudex viuorum, & mortuorum iudicare præsumpsistis? ò stulti, nonnè habetis, ne iudices contrà Iudicem, quoniam secundum quod iustum est iudicat, Eccles. 8. nu. 17. Quod in corde vestro iniquum operati estis, opere complere voluistis.

Propterea peccatores alienati estis à vulua, errauistis ab vtero, locuti estis falsa. Non enim Christum receperunt à principio, immo illum repudiarunt in suo aduentu, alienati propterea sunt à vulua legis, & ab vtero legis errauerunt, non credentes Christum natum secundum legem, & Prophetas. Ab ipsa ergo origine peccauerunt, non quia ex tunc peccauerint, sed quia illos futuros ab vtero peccatores cognouit Deus, præsciti sunt ergo, quia ab vtero errare debebant; sicut de Rebecca dicitur, Genes. cap. 25. nu. 23. cum adhùc prægnans esset, maior seruiet minori, & iterum antequam nascerentur dictum est ei, Iacob dilexi, Esau autem odio habui.

Alienati sunt peccatores à vulua; errauerunt ab vtero locuti sunt falsa. Hic versiculus declaratur ex illo Isai. cap. 46. num. 4. Audite me, inquit, domus Iacob, & omne residuum domus Israel, qui portamini à meo vtero, qui gestamini à mea vulua, &c. Peccatores ergo alieni facti sunt à Deo, qui portauit illos in vtero, & postquam errauerunt à vestigijs Domini, à vijs illius, qui est ipsa veritas, & ità errantes locuti sunt falsa.

Alienati sunt etiam peccatores à vulua, à via veritatis, & errauerunt ab vtero; idest ab vtero matris suæ, Synagogæ, à qua noluerunt recedere, nec filio Dei reuelato, qui carnem illorum assumpserat, credere voluerunt. Errauerunt ab vtero matris illorum Synagogæ, in qua nomen tantùm remanserat laudis Dei, facta autem in eis non inueniebantur; erant in eis verba Dei, quasi folia in arbore, & fructus nusquam. Talem arborem fici cum Dominus inuenisset maledicto arefecit, Matth. c. 21. inuenit enim in ea folia, & fructum non inuenit. Quandam arborem nobis figurabat; nàm fructuum eorum tempus nondum erat. Quod omnes homines non erant, artifex cæli non nouerat? Non talis fuit Paulus, cui segregato ab vtero matris suæ Deus reuelauit filium suum Iesum

Christum ad Galat.c.1. Errauerunt Iudæi ab vtero, à quo segregari noluerunt: ideò locuti sunt falsa, quia errauerunt ab vtero; Os enim stulti contritio eius: & labia ipsius ruina animæ suæ, Prouerb.cap.18.nu.7.& 8. Verba bilinguis, quasi simplicia, & ipsi peruenerunt vsquè ad interiora ventris. Nos verò ab vtero Matris nostræ Babyloniæ lapides adorabamus; & suscepti ab vtero illo, spem aliam habemus.

Alienati sunt à vulua, quia de Virgine natum negauerunt Iesum Christum. Nonnè, dicebant, hic est filius fabri, Matth.cap.13.nu.55. sed quomodò alienati? Alienati inquam à scriptura, quam ipsi tenebant, & profitebantur, Isai. cap.7.num.14. vbi scriptum est, quòd Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel. Alienati sunt cum Patre eorum Diabolo secundum Ignatium, qui quartam addit rationem, cur desponsata sit Virgo Ioseph, vt partus eius, inquit, celaretur Diabolo.

Errauerunt ab vtero, quia non crediderunt, Iesum in vtero Virginis de Spiritu sancto conceptum, Luc.cap.1.num.32. Matth.1.num.21. Locuti sunt falsa, quia Iesum filium fabri vocauerunt, quia Christum negauerunt, Ioan.cap.10. n.33. de blasphemia lapidamus te, quia tu homo cum sis, facis te ipsum Deum.

Errauerunt ab vtero. Nàm dicente Domino discipulis suis, Quem dicunt homines esse filium hominis? responderunt; alij Ioannem Baptistam, alij Eliam, alij Ieremiam, aut vnum ex Prophetis. Vos autem, quem me esse dicitis? Qui non ex Synagoga estis, qui filij Dei estis, quem esse dicitis? Respondens Petrus dixit, Tu es Christus filius Dei viui. Respondit Iesus; Beatus es Simon Bar-Iona, quia caro, & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui in cælis est, Matth.cap.16.num.14. Qui homines sunt, fructum arboris non dederunt, à Synagoga non recesserunt, arboris folia retinuerunt, donec arbor exsiccata, euulsa, incisa, igni tradita est.

Errauerunt ab vtero, quia de hominis semine crediderunt natum, & non de Spiritu sancto conceptum, natum ex Maria Virgine; & locuti sunt falsa, quia errauerunt ab vtero, obturaueruntq. aures, vt non intelligerent iustum.

Furor illis secundum similitudinem serpentis, sicut aspidis surdæ, & obturantis aures suas, Quid dicis de illo, qui oculos tuos aperuit, Ioan.cap.9.num.17. respondit, quia Propheta est, & non crediderunt Iudæi de illo. Nos scimus, quia ille (de Iesu dicebant) peccator est. Audite responsum eius, qui litteras ignorabat; nunquid illius discipuli vultis fieri? At illi maledixerunt ei, hunc nescimus vndè sit, num.30. In hoc, inquit, qui sanus factus est, in hoc mirabile est, quia vos nescitis vndè sit, & aperuit meos oculos. Scimus autem, quia peccatores Deus non audit, sed si quis Dei cultor est, & voluntatem eius facit, hunc exaudit. A sæculo non est auditum, quia quis aperuit oculos cæci nati. Nisi esset hic à Deo, non poterat facere quidquam.

Furor illis secundum similitudinem serpentis, obturantis aures suas. In peccatis totus natus es, & eiecerunt eum foras, in similitudinem serpentis obturantis aures suas, Matth.cap.3.num.7. Progenies viperarum, quis demonstrauit fugere à ventura ira, Luc.cap.3.nu.7. Genimina viperarum Iudæos, & Pharisæos vocabat Ioannes. Obturauerunt aures suas, & vocantes, eos, idest Apostolos denunciauerunt, ne omnino loquerentur, neque docerent in nomine Iesu, Act.Apost.cap.4.num.18. & Beatus Stephanus, quando illis Iesum filium

Dei prædicabat, Act. Apost. cap. 7. num. 55. & sequen. dicens, Ecce video cælos apertos, & filium hominis stantem à dextris virtutis Dei. At illi exclamantes voce magna continuerunt aures suas, & impetum fecerunt vnanimiter in eum, & eijcientes eum extrà ciuitatem, lapidabant. Furor illorum sicut serpentis obturantis aures suas. Nec nouum est Iudæis, qui semper Spiritui sancto restiterunt, quòd surdi, & cæci sint, Isai. cap. 42. nu. 17. & 18. Quis cæcus, nisi seruus meus, & quis surdus, nisi ad quem nuncios misi? quis cæcus, nisi qui venundatus est? & Mich. cap. 7. nu. 16. Ponent manus suas super eos, & aures eorum surdæ erunt, & Ezech. cap. 2. num. 4. Filij dura facie, & indomabili corde, & cap. 3. nu. 7. & 8. Omnis domus Israel attrita fronte, & duro corde.

Furor illis secundum similitudinem serpentis, & sicut aspidis surdæ, & obturantis aures suas. Nota, furor in serpente, surditas in aspide. Serpens calidior cunctis animantibus terræ, Genes. 3. num. 1. linguas acutas habent, Psalm. 139. num. 4. furor est in illis, Sap. 17. num. 9. nàm transitu animalium, & serpentium sibillatione commoti tremebundi peribant.

Vel aliter dicamus: Furor illis secundum similitudinem serpentis. Nàm, vt dicit D. Isidor. in Ethymologia serpentium, lib. 12. fol. 234. Nullum animal in tanta celeritate linguam mouet, vt serpens: adeò vt triplicem linguam habere videatur, cum vna sit. Lingua enim Pharisæorum gladius acutus, ità vt Iesum linguis suis occiderint, & Ierem. cap. 9. num. 8. Lingua vulnerans lingua eorum, & iterum, Percutiamus eum lingua, & non attendamus ad vniuersos sermones eius, Ierem. cap. 18. num. 18. Furor illis, & sicut aspidis obturantis aures suas.

Naturam aspidis obseruant, qui de animantibus scribunt, & præcipuè Magister de proprietatibus rerum lib. 11. Quòd aspis dicta, quando præuidit incantatorem suis carminibus ipsam euocare de cauerna volentem, & sibi soporem immittere, vt arripiat carbunculum, quem gerit in fronte, illa nolens exire, aurem vnam ponit in terra fixam, & alteram cauda obturat, ne magicas audiat incantatoris voces. Ità Iudæorum indurata est obstinatio, vt nec vocem Christi à Prædicatoribus audiant, nec oculis tanta miracula videre, ne illum filium Dei confiteantur. Propterea adhùc contrà illos manus Dei extenta est, nec populus est reuersus ad percutientem, Isai. cap. 9. num. 13. & 14. Audite increduli verbum Domini, & assumant aures vestræ sermonem oris eius, & docete filias vestras lamentum, & vnaquæque proximum suum planctum, Ierem. 9. num. 20. Vbi sunt Principes vestri, & Prophetæ, vbi regnum vestrum, & Sacerdotium? dispersit Dominus ab Israel caput, & caudam, quid est caput? quid est cauda? declarat Isai. in d. cap. 9. nu. 15. Longæuus, & honorabilis, ipse est caput, & Propheta docens mendacium ipse est cauda: & erunt qui beatificant populum istum se ducentes, & qui beatificantur præcipitati: Vestri enim Rabbini falsi cauda dicuntur, qui per mandacia eorum incuruant vos à rectitudine iustitiæ, & refrenant vos à Dei reuerentia, & timore: aurem vnam cauda, alteram terra clauditis. Terrenorum cupiditas, ne regnum amitteretis, ne Romani venirent, dicebat Caiphas, Ioan. cap. 11. & tollerent locum nostrum, & Gentem, si Christum dimitteretis. Hypocritæ tristes, aliam aurem caduca obturastis populi, prospera enim promittebatis, propter auaritiam vestram cauda turpia vestra abscondebatis, ne falsitas populo appareret à vobis prædicata. Et ecce ab Israel caput, & caudam disperdidit Dominus, longæuum scilicet inter vos, & hono-

rabi-

rabilem, qui dicitur caput; & Propheta docens mendacium, qui dicitur cauda; vt dicit Deus per Isai. dicto cap. 9. & adhùc manus Domini contrà vos est extenta, Ierem. 9. num. 16.

Disperget vos Dominus in omnes populos à summitate terræ, vsque ad terminos eius, &c. in Gentibus quoque illis non quiesces, neque erit requies vestigio pedis tui. Audite vlterius, Dabit vobis Dominus cor pauidum, & deficientes oculos, & animam consumptam mœrore, & erit vita tua quasi pendens ante te. Timebis die, ac nocte, & non credes vitæ tuæ. Hæc sunt verba Dei, Deut. cap. 28. num. 65. Facit Isai. 17. num. 10. & eris deserta, & Ierem. 6. num. 21. Dabo in populum istum ruinas, &c.

Vndè in Sap. cap. 17. numer. 10. dicitur, Timida nequitia dat signum perditionis, & Isai. cap. 3. numer. 8. Ierusalem, & Iudas concidit, quia linguæ eorum contrà Dominum, & adinuentiones eorum; & obturabit aures suas aspis surda: populus iste Iudaicus, qui ideò aspidi surdæ assimilatus est; quæ non audit vocem incantantium, & venefici incantantis sapienter. Sed cur dicit prius, vocem incantantium non audiet, & post dicit, venefici incantantis sapienter; nisi quia nec vocem Domini, quæ est vera sapientia, nec minus Apostolorum, & aliorum prædicantium vocem vsque nunc audire voluistis: Excæca cor populi huius, ait Deus, & aures eius aggraua, & oculos eius claude, ne fortè videat oculis suis, & auribus suis audiat, & corde suo intelligat, &c. Isai. 6. nu. 10. Verbo Domini Cæli firmati sunt, idest Apostoli duodecim vocati sunt, Psal. 32. & istæ sunt incantantium voces, quas Iudæi noluerunt audire, Act. Apostol. cap. 13. num. 45. Videntes autem turbas Iudæi repleti sunt zelo, & contradicebant his, quæ à Paulo, & Barnaba dicebantur blasphemantes, qui indigni iudicati sunt vitæ æternæ. Relicti sunt ab Apostolis, qui ad Gentes conuersi sunt. Hæc cum audissent, dissecabantur, & cogitabant interficere illos, Act. cap. 5. numer. 33. Recedite, recedite, inde exite, pollutum nolite tangere, exite de medio eius. Quibus non est narratum de eo viderunt, & qui non audierunt contemplati sunt, Isai. cap. 52. numer. 11. cum seq. Recedite à Synagoga, quia aures obtusæ factæ sunt, præcedit enim vos Dominus. De Apostolis loquitur Isaias.

Eia fratres Iudæi, qui hùcusque aures vestras in similitudinem serpentis obturastis, & in furore ducti linguæ vestræ damnati, & à Domino Deo nostro alieni facti estis, iàm à serpente percussi, in serpentem, qui omnium nostrum delicta portauit, respicite, qui sicut serpens æneus à Moyse in deserto exaltatus intuentes sanabat, qui peccauerunt contrà Moysen, Num. cap. 21. num. 9. nàm serpentes ignei à Domino in illos missi, quos plagis, & morte afficiebant, hæc enim figura fuit Christi venturi. Propterea dicebat Ioan. cap. 3. numer. 14. Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ità exaltari oportet filium hominis, vt omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam, &c. Christus enim nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum; quia scriptum est, Deuteron. cap. 21. num. 23. Maledictus omnis qui pendet in ligno; Christus enim pro nobis factus est maledictum, & ipse est, qui pependit in ligno, qui nos liberauit à maledicto legis, vt non iàm timore iustificaremur in operibus legis, sed fide apud Deum, qui non per timorem, sed per dilectionem operatur, Augustin. Tom. 4. in Expositione Paul. ad Galat. lit. G.

&

iniquum cor contrà Iesum; ad perditionem tamen illorum satis erat; quamuis enim manus desijssent, non tamen culpa carebant, nàm vt dicit Augustin. hìc, Quidquid vis & non potes; factum Deus imputat, nàm & manus vestræ iniustitiam concinnant, ex multis enim partibus iniustitias adunastis. Quot enim falsas accusationes contrà Iesum adduxistis? in Beelzebub Dæmonia eijcit: non est à Deo, quia Sabbata non custodit: Dæmonium habet: seducit Gentem nostram: se facit Regem; & alias falsas, & multas accusationes contrà illum intulistis. Immo, vt alios vobiscum in perditionem socios haberetis, populum contrà Iesum excitastis, vt Barabbam dimitteret Pilatus, Iesum verò crucifigeret; nec alios intrare permisistis in Regnum, cum nec vos introistis.

Iniustitias manus vestræ concinnarunt. Ex multis partibus iniustitias coaduniantes, vt cordi, & cogitationibus vestris essent concordes, & quæ in corde maligna habebatis, operibus etiam similibus iniquis apertiùs declararetis. O impij, ò iniqui, & quomodò rectè iudicare poteritis; si cor malignum, & iniquum adhùc retinetis. Quomodò Principes, & Iudices esse in populo procurastis, si partes Diaboli sustinetis? quomodò erumpere in iniquitates iudicando iniqua poteratis? Noli, scriptum est, quærere fieri Iudex, nisi virtute valeas irrumpere iniquitates, Eccles. cap. 7. nu. 6. Contrà Deum, & Dominum, qui est Iudex viuorum, & mortuorum iudicare præsumpsistis? ò stulti, nonnè habetis, ne iudices contrà Iudicem, quoniam secundum quod iustum est iudicat, Eccles. 8. nu. 17. Quod in corde vestro iniquum operati estis, opere complere voluistis.

Propterea peccatores alienati estis à vulua, errauistis ab vtero, locuti estis falsa. Non enim Christum receperunt à principio, immo illum repudiarunt in suo aduentu, alienati propterea sunt à vulua legis, & ab vtero legis errauerunt, non credentes Christum natum secundum legem, & Prophetas. Ab ipsa ergo origine peccauerunt, non quia ex tunc peccauerint, sed quia illos futuros ab vtero peccatores cognouit Deus, præsciti sunt ergo, quia ab vtero errare debebant; sicut de Rebecca dicitur, Genes. cap. 25. nu. 23. cum adhùc prægnans esset, maior seruiet minori, & iterum antequam nascerentur dictum est ei, Iacob dilexi, Esau autem odio habui.

Alienati sunt peccatores à vulua; errauerunt ab vtero locuti sunt falsa. Hic versiculus declaratur ex illo Isai. cap. 46. num. 4. Audite me, inquit, domus Iacob, & omne residuum domus Israel, qui portamini à meo vtero, qui gestamini à mea vulua, &c. Peccatores ergo alieni facti sunt à Deo, qui portauit illos in vtero, & postquam errauerunt à vestigijs Domini, à vijs illius, qui est ipsa veritas, & ità errantes locuti sunt falsa.

Alienati sunt etiam peccatores à vulua, à via veritatis, & errauerunt ab vtero; idest ab vtero matris suæ, Synagogæ, à qua noluerunt recedere, nec filio Dei reuelato, qui carnem illorum assumpserat, credere voluerunt. Errauerunt ab vtero matris illorum Synagogæ, in qua nomen tantùm remanserat laudis Dei, facta autem in eis non inueniebantur; erant in eis verba Dei, quasi folia in arbore, & fructus nusquam. Talem arborem fici cum Dominus inuenisset maledicto arefecit, Matth. c. 21. inuenit enim in ea folia, & fructum non inuenit. Quandam arborem nobis figurabat; nàm fructuum eorum tempus nondum erat. Quod omnes homines nouerant, artifex cæli non nouerat? Non talis fuit Paulus, cui segregato ab vtero matris suæ Deus reuelauit filium suum Iesum.

Christum ad Galat.c.1. Errauerunt Iudæi ab vtero, à quo segregari noluerunt: ideò locuti sunt falsa, quia errauerunt ab vtero; Os enim stulti contritio eius: & labia ipsius ruina animæ suæ, Prouerb.cap.18.nu.7. & 8. Verba bilinguis, quasi simplicia, & ipsi peruenerunt vsquè ad interiora ventris. Nos verò ab vtero Matris nostræ Babyloniæ lapides adorabamus; & suscepti ab vtero illo, spem aliam habemus.

Alienati sunt à vulua, quia de Virgine natum negauerunt Iesum Christum. Nonnè, dicebant, hic est filius fabri, Matth.cap.13.nu.55. sed quomodò alienati? Alienati inquam à scriptura, quam ipsi tenebant, & profitebantur, Isai. cap.7.num.14. vbi scriptum est, quòd Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel. Alienati sunt cum Patre eorum Diabolo secundum Ignatium, qui quartam addit rationem, cur desponsata sit Virgo Ioseph, vt partus eius, inquit, celaretur Diabolo.

Errauerunt ab vtero, quia non crediderunt, Iesum in vtero Virginis de Spiritu sancto conceptum, Luc.cap.1.num.32. Matth.1.num.21. Locuti sunt falsa, quia Iesum filium fabri vocauerunt, quia Christum negauerunt, Ioan.cap.10. n.33. de blasphemia lapidamus te, quia tu homo cum sis, facis te ipsum Deum.

Errauerunt ab vtero. Nàm dicente Domino discipulis suis, Quem dicunt homines esse filium hominis? responderunt; alij Ioannem Baptistam, alij Eliam, alij Ieremiam, aut vnum ex Prophetis. Vos autem, quem me esse dicitis? Qui non ex Synagoga estis, qui filij Dei estis, quem esse dicitis? Respondens Petrus dixit, Tu es Christus filius Dei viui. Respondit Iesus; Beatus es Simon Bar-Iona, quia caro, & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui in cælis est, Matth.cap.16.num.14. Qui homines sunt, fructum arboris non dederunt, à Synagoga non recesserunt, arboris folia retinuerunt, donec arbor exsiccata, euulsa, incisa, igni tradita est.

Errauerunt ab vtero, quia de hominis semine crediderunt natum, & non de Spiritu sancto conceptum, natum ex Maria Virgine; & locuti sunt falsa, quia errauerunt ab vtero, obturaueruntq. aures, vt non intelligerent iustum.

Furor illis secundum similitudinem serpentis, sicut aspidis surdæ, & obturantis aures suas, Quid dicis de illo, qui oculos tuos aperuit, Ioan.cap.9.num.17. respondit, quia Propheta est, & non crediderunt Iudæi de illo. Nos scimus, quia ille (de Iesu dicebant) peccator est. Audite responsum eius, qui litteras ignorabat; nunquid illius discipuli vultis fieri? At illi maledixerunt ei, hunc nescimus vndè sit, num.30. In hoc, inquit, qui sanus factus est, in hoc mirabile est, quia vos nescitis vndè sit, & aperuit meos oculos. Scimus autem, quia peccatores Deus non audit, sed si quis Dei cultor est, & voluntatem eius facit, hunc exaudit. A sæculo non est auditum, quia quis aperuit oculos cæci nati. Nisi esset hic à Deo, non poterat facere quidquam.

Furor illis secundum similitudinem serpentis, obturantis aures suas. In peccatis totus natus es, & eiecerunt eum foras, in similitudinem serpentis obturantis aures suas, Matth.cap.3.num.7. Progenies viperarum, quis demonstrauit fugere à ventura ira, Luc.cap.3.nu.7. Genimina viperarum Iudæos, & Pharisæos vocabat Ioannes. Obturauerunt aures suas, & vocantes, eos, idest Apostolos denunciauerunt, ne omnino loquerentur, neque docerent in nomine Iesu, Act.Apost.cap.4.num.18. & Beatus Stephanus, quando illis Iesum filium

Dei prædicabat, Act. Apost. cap. 7. num. 55. & sequen. dicens, Ecce video cælos apertos, & filium hominis stantem à dextris virtutis Dei. At illi exclamantes voce magna continuerunt aures suas, & impetum fecerunt vnanimiter in eum, & eijcientes eum extrà ciuitatem, lapidabant. Furor illorum sicut serpentis obturantis aures suas. Nec nouum est Iudæis, qui semper Spiritui sancto restiterunt, quòd surdi, & cæci sint, Isai. cap. 42. nu. 17. & 18. Quis cæcus, nisi seruus meus, & quis surdus, nisi ad quem nuncios misi? quis cæcus, nisi qui venundatus est? & Mich. cap. 7. nu. 16. Ponent manus suas super eos, & aures eorum surdæ erunt, & Ezech. cap. 2. num. 4. Filij dura facie, & indomabili corde, & cap. 3. nu. 7. & 8. Omnis domus Israel attrita fronte, & duro corde.

Furor illis secundum similitudinem serpentis, & sicut aspidis surdæ, & obturantis aures suas. Nota, furor in serpente, surditas in aspide. Serpens calidior cunctis animantibus terræ, Genes. 3. num. 1. linguas acutas habent, Psalm. 139. num. 4. furor est in illis, Sap. 17. num. 9. nàm transitu animalium, & serpentium sibillatione commoti tremebundi peribant.

Vel aliter dicamus: Furor illis secundum similitudinem serpentis. Nàm, vt dicit D. Isidor. in Ethymologia serpentium, lib. 12. fol. 234. Nullum animal in tanta celeritate linguam mouet, vt serpens: adeò vt triplicem linguam habere videatur, cum vna sit. Lingua enim Pharisæorum gladius acutus, ità vt Iesum linguis suis occiderint, & Ierem. cap. 9. num. 8. Lingua vulnerans lingua eorum, & iterum, Percutiamus eum lingua, & non attendamus ad vniuersos sermones eius, Ierem. cap. 18. num. 18. Furor illis, & sicut aspidis obturantis aures suas.

Naturam aspidis obseruant, qui de animantibus scribunt, & præcipuè Magister de proprietatibus rerum lib. 11. Quòd aspis dicta, quando præuidit incantatorem suis carminibus ipsam euocare de cauerna volentem, & sibi soporem immittere, vt arripiat carbunculum, quem gerit in fronte, illa nolens exire, aurem vnam ponit in terra fixam, & alteram cauda obturat, ne magicas audiat incantatoris voces. Ità Iudæorum indurata est obstinatio, vt nec vocem Christi à Prædicatoribus audiant, nec oculis tanta miracula videre, ne illum filium Dei confiteantur. Propterea adhùc contrà illos manus Dei extenta est, nec populus est reuersus ad percutientem, Isai. cap. 9. num. 13. & 14. Audite increduli verbum Domini, & assumant aures vestræ sermonem oris eius, & docete filias vestras lamentum, & vnaquæque proximum suum planctum, Ierem. 9. num. 20. Vbi sunt Principes vestri, & Prophetæ, vbi regnum vestrum, & Sacerdotium? dispersit Dominus ab Israel caput, & caudam, quid est caput? quid est cauda? declarat Isai. in d. cap. 9. nu. 15. Longæuus, & honorabilis, ipse est caput, & Propheta docens mendacium ipse est cauda: & erunt qui beatificant populum istum se ducentes, & qui beatificantur præcipitati: Vestri enim Rabbini falsi cauda dicuntur, qui per mandacia eorum incuruant vos à rectitudine iustitiæ, & refrenant vos à Dei reuerentia, & timore: aurem vnam cauda, alteram terra clauditis. Terrenorum cupiditas, ne regnum amitteretis, ne Romani venirent, dicebat Caiphas, Ioan. cap. 11. & tollerent locum nostrum, & Gentem, si Christum dimitteremus. Hypocritæ tristes, aliam aurem caduca obturastis populi, prospera enim promittebatis, propter auaritiam vestram cauda turpia vestra abscondebatis, ne falsitas populo appareret à vobis prædicata. Et ecce ab Israel caput, & caudam disperdidit Dominus, longæuum scilicet inter vos, & hono-

rabi-

rabilem; qui dicitur caput; & Propheta docens mendacium, qui dicitur cauda; vt dicit Deus per Isai. dicto cap. 9. & adhùc manus Domini contrà vos est extenta, Ierem. 9. num. 16.

Disperget vos Dominus in omnes populos à summitate terræ, vsque ad terminos eius, &c. in Gentibus quoque illis non quiesces, neque erit requies vestigio pedis tui. Audite vlterius, Dabit vobis Dominus cor pauidum, & deficientes oculos, & animam consumptam mœrore, & erit vita tua quasi pendens ante te. Timebis die, ac nocte, & non credes vitæ tuæ. Hæc sunt verba Dei, Deut. cap. 28. num. 65. Facit Isai. 17. num. 10. & eris deserta, & Ierem. 6. num. 21. Dabo in populum istum ruinas, &c.

Vndè in Sap. cap. 17. numer. 10. dicitur, Timida nequitia dat signum perditionis, & Isai. cap. 3. numer. 8. Ierusalem, & Iudas concidit, quia linguæ eorum contrà Dominum, & adinuentiones eorum; & obturabit aures suas aspis surda: populus iste Iudaicus, qui ideò aspidi surdæ assimilatus est; quæ non audit vocem incantantium, & venefici incantantis sapienter. Sed cur dicit prius, vocem incantantium non audiet, & post dicit, venefici incantantis sapienter; nisi quia nec vocem Domini, quæ est vera sapientia, nec minus Apostolorum, & aliorum prædicantium vocem vsque nunc audire voluistis: Excæca cor populi huius, ait Deus, & aures eius aggraua, & oculos eius claude, ne fortè videat oculis suis, & auribus suis audiat, & corde suo intelligat, &c. Isai. 6. nu. 10. Verbo Domini Cæli firmati sunt, idest Apostoli duodecim vocati sunt, Psal. 32. & istæ sunt incantantium voces, quas Iudæi noluerunt audire, Act. Apostol. cap. 13. num. 45. Videntes autem turbas Iudæi repleti sunt zelo, & contradicebant his, quæ à Paulo, & Barnaba dicebantur blasphemantes, qui indigni iudicati sunt vitæ æternæ. Relicti sunt ab Apostolis, qui ad Gentes conuersi sunt. Hæc cum audissent, dissecabantur, & cogitabant interficere illos, Act. cap. 5. numer. 33. Recedite, recedite, inde exite, pollutum nolite tangere, exite de medio eius. Quibus non est narratum de eo viderunt, & qui non audierunt contemplati sunt, Isai. cap. 52. numer. 11. cum seq. Recedite à Synagoga, quia aures obtusæ factæ sunt, præcedit enim vos Dominus. De Apostolis loquitur Isaias.

Eia fratres Iudæi, qui hùcusque aures vestras in similitudinem serpentis obturastis, & in furore ducti linguæ vestræ damnati, & à Domino Deo nostro alieni facti estis, iàm à serpente percussi, in serpentem, qui omnium nostrum delicta portauit, respicite, qui sicut serpens æneus à Moyse in deserto exaltatus intuentes sanabat; qui peccauerunt contrà Moysen, Num. cap. 21. num. 9. nàm serpentes ignei à Domino in illos missi, quos plagis, & morte afficiebant, hæc enim figura fuit Christi venturi. Propterea dicebat Ioan. cap. 3. numer. 14. Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ità exaltari oportet filium hominis, vt omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam, &c. Christus enim nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum; quia scriptum est, Deuteron. cap. 21. num. 23. Maledictus omnis qui pendet in ligno; Christus enim pro nobis factus est maledictum, & ipse est, qui pependit in ligno, qui nos liberauit à maledicto legis, vt non iàm timore iustificaremur in operibus legis, sed fide apud Deum, qui non per timorem, sed per dilectionem operatur, Augustin. Tom. 4. in Expositione Paul. ad Galat. lit. G.

&

& H. Spiritus sanctus, qui hoc per Moysen dicit, vtrunque præuidit, vt & timore visibilis pœnæ custodirentur, qui nondum poterant ex inuisibilium fide viuere; & ipse timorem illum solueret suscipiendo, quod timebatur, qui timore sublato, donum dare poterat charitatis: Nec in hoc, sequitur Augustin. ibi, quòd maledictus est appellatus, qui pependit in ligno, contumelia in Dominum putanda est, ex parte quippè mortali pependit in ligno, immortalitas autem vndè sit, notum est credentibus. Ex pœna quippè, & maledicto peccati primi hominis, quam Dominus suscepit, & peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum. Si ergo diceretur mors maledicta est, nemo exhorresceret, quid autem nisi mors Domini pependit in ligno, vt mortem moriendo superaret. Eadem igitur maledicta, quæ victa est. Item si diceretur. Peccatum maledictum est, nemo miraretur, quid autem pependit in ligno, nisi peccatum veteris hominis, quod Dominus pro nobis in ipsa carnis mortalitate suscepit?

Quare ergo non audis, si salutem animæ tuæ desideras? quare non credis, cum tuum maledictum, peccatum scilicet, humanitas Christi in ligno portauerit, vt ex eiusdem ligni virtute, lumen accipias tu, & in Cælum cum Iesu traharis? alioquin Deus conteret dentes tuos, dentes eorum, qui tecum credere recusant, conteret inquam in ore ipsorum, & molas leonum confringet; dentes eorum in ore ipsorum, idest eorum dolosa verba, quibus est furor vt aspidis, & verbis suis capiet eos, contradicebant enim sibimetipsis, & de mendacio, illorum ore conuincebantur.

Iterum dentes eorum conteret, Psalm. 3. idest omnes aduersantes verbo Dei percutiet Deus, & molas, idest potentes in pulueren reducet. Pœna autem aduersantium est, qua dentes eorum contriti sunt, in puluerem scilicet, & in irritum perducet peccatorum verba, filium Dei dilacerantium. Verba ergo maledica sunt dentes eorum, quibus dentibus, dicit Apostolus ad Galat. 5. Si autem mordetis inuicem: videte ne consummamini ad inuicem, vide Augustin. in Psalm. 3. litera A.

Conteret dentes eorum in ore ipsorum, molasq. leonum confringet Dominus. Dentes nempè istorum maledicentium, hoc est prædicantium Iudæorum, & Hæreticorum, Ecclesia conteret. Et Principes eorum Hæreticorum, hæ sunt molæ leonum, confringet: Saulus autem deuastabat Ecclesiam, per domos intrans, & trahens viros, & mulieres tradebat in custodiam, Act. Apost. cap. 8. nu. 3. durum est tibi Saule, qui catulus leonis es, & molas leonum habes contrà stimulum calcitrare; Domine, quando cæcus factus est, ait, quid vis faciam? Act. cap. 9. num. 19. Et ecce quia factus est prædicator Verbi Dei, intrans per Synagogas, &c. Cuius molæ për dentes Ecclesiæ confractæ sunt. Beniamin lupus rapax, mane comedet prædam, & vespere diuidet spolia, Genes. cap. 49. num. 27. Per molas ergo leonum intelliguntur tyrannides, & potentiæ impiorum. Molæ enim sunt duriores dentes, quibus teritur, ac molitur, quod manducatur, metaphoricè appellantur hostium suorum sycophantiæ, & sermones maledici. Dentes ipsorum, idest per quos loquuntur, vel per quos in corpus tuum velut manducando cæteros traijcis. Et ità intelligitur illud Cantic. cap. 4. numer. 2. Dentes tui sicut greges tonsarum, quæ ascendunt de lauacro, omnes gemellis fœtibus, & sterilis non est inter eas, Augustin. in Psalm. 77.

litera

litera D. Quamuis de pœnitentibus reuertentibus intelligatur illud Cantici, Sicut grex tonsarum ascendens de lauacro, quæ omnes geminas creant, & sterilis non est in eis. Deposuerunt tunc velut vellera, onera sæculi, quando ante pedes Apostolorum venditarum rerum suarum prætia posuerunt, ascendentes de lauacro illo, de quo eos admonet Petr. Apostol. cap. 2. num. 3. Agite pœnitentiam, & baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Iesu Christi, & dimittentur vobis peccata vestra.

Dentes eorum confringam. Sed cur dentes dicit, & non linguam euellam? crederem, quia cum ipsi maledici potentes, carnis sint concupiscentes, & terrena dentibus triturantes, & mandentes, propterea adhùc carnes, & concupiscentias intrà dentes retinentes, dentes ipsorum cum carnibus dicantur confracti, quod & ipsi moriantur cum concupiscentijs suis. Simile legimus de populo in deserto carnes concupiscente, nàm cum adhùc carnes essent in dentibus eorum, nec defecisset cibus, ecce furor Domini concitatus in populum percussit eum plaga magna nimis. Vocatusquè est locus ille, sepulchra concupiscentiæ, & ibi sepelierunt populum, qui desiderauerat carnes, Numer. cap. 11. num. 33. & 34.

Hinc dicit 1. Ioan. 2. num. 16. Omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ, quæ non est ex Patre, sed ex mundo est. & mundus transit, & concupiscentia eius, Ioan. 1. cap. 2. nu. 16. Franguntur dentes in sepulchro iniquorum prædicantium terrena, vt ex eorum iniqua prædicatione cum vocibus suis sepeliantur, & dentes in sepulchro eorum cum carnibus suis frangantur. Irritetur Domine furor tuus super illos, & de mundo tollantur, quia oderunt lucem; in tenebras exteriores eijciantur, linguis enim suis dolosè agunt, iudica illos Deus. Dentes ergo dixit, vt potentiam humanam demonstraret, quam similem dentibus dixit, vt cognoscamus, quàm fragilis sit potentia humana, quæ nutu Dei confringitur, vel etiam cum sint in gutturis sepulchro facilè corrumpuntur, non enim est potentia super potentiam: neque sunt verba iniquorum hominum, sicut verba Dei, nàm ipse dixit, Cælum, & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt, Matth. 24. num. 35. Si ergo fallacia iniquorum transit cum dentibus, cum potentia illorum, quæ conuentio erit lucis ad Belial? quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate? aut quæ societas luci ad tenebras? 2. Corinth. cap. 6. num. 14. Si in dentibus potentia potentior est in homine; & ista tamquam fragilis corrumpatur, quæ iniquorum erit cum dentibus potentia? in verbis illorum in mendacijs cum vterque tàm facilè frangatur, corrumpatur, exterminetur?

Ad nihilum deuenient tamquam aqua decurrēs: intendit arcum suum Dominus, donec infirmentur. Liquefient, euanescent, tamquam aqua, quæ citò dilabitur. Torrentibus etiam comparantur isti falsa loquentes, ad saxa enim superbiæ sonant, sed præcipitantur ex improuiso, & citò transeunt: Deus tamen per misericordiam suam arcum tetendit ad eorum salutem, donec infirmentur: Minatur enim illis, donec infirmos se cognoscant, & sanentur vt Saulus, Act. Apostol. dicto cap. 9. Noli ergo ex illorum iniquitatum torrentibus conturbari, Psalm. 27. numer. 3. Deus enim confringit capita Draconis, & dirumpit fontes, & torrentes, & siccat fluuios Ethan, Psalm. 73. num. 14. & 15.

idest

idest fortitudinem eorum; ità enim Ethan interpretatur.

Vel si ad pœnam dicamus, quando Dominus tetendit arcum suum donec infirmentur, prout sequens versiculus ità declarat. Sicut enim cera, quæ fluit, auferentur, arcum enim tetendit, & emisit; quando dies mortis venit, tunc mors depascet eos, Psalm.48. numer.15. Tunc arcum tetendit, vt in eo paret vasa mortis, & sagittas ardentibus efficiat, Psal.7.n.14. Tunc torrentes iniquitatis conturbant illos, Psalm.17.n.5. quia præoccupant eos laquei mortis, qui in puluerem mortis deducit illos, Psalm.21.numer.16. Mors enim peccatorum pessima, Psalm.33.num.22. Tetendit arcum suum, donec infirmentur ad mortem; tunc sicut cera, quæ fluit auferentur, quia arcum, quem tetendit, emittet in illos, Psalm.7.num.13. & occidet, Thren.2. num.4. Tetendit arcum suum quasi inimicus, firmauit dexteram suam quasi hostis, & occidit, &c. & in eo parauit vasa mortis, d. Psalm. num.16.

Tetendit arcum suum, patienter enim sustinet Deus peccatores. Etenim qui exerrant, partibus, idest paulatim corripit, non quia impotens sit subijcere eos in bello, impios scilicet iustis, aut bestijs sæuis, aut verbo duro simul exterminare, sed arcum tensum tenet, dans partibus locum pœnitentiæ. Etenim, quis tibi imputabit, si perierint nationes, quas tu fecisti? Arcum tendis, cum æquitate tamen iudicas, & cum magna reuerentia disponis nos: subest enim tibi cum volueris posse, Sap.12.num.9. cum seq. Intendit arcum suum, dans nobis disciplinam; vt bonitatem suam cogitemus iudicantes; & cum de nobis iudicatur, speremus misericordiam suam. Et si in erroris via diutius errauerimus, infantium more viuentes, sicut cera igne dissoluitur, ità & isti futuri iudicij igne perdentur. Supercecidit ignis, iudicium mortis, & non viderunt Solem, non intellexerunt Christum Dominum, qui est Sol iustitiæ, de quo in iudicio dicturi sunt impij, & Sol iustitiæ non luxit nobis, Sap.5. num.6. hæc D. Hieronym. hìc. & contrà hos impœnitentes sequitur Psalmus noster.

Priusquam intelligerent spinæ vestræ rhamnum, sicut viuentes, sic & in ira absorbet eos. Et sciendum est, quòd rhamnus sentium genus est asperrimum aculeis, & flore gratissimum, Vndè duplam habere virtutem intelligitur, Vltionis scilicet, & bonorum retributionis, idest dicit Hieronym. Iustis floret ad ornatum, peccatoribus præbet spinas ad confringendum: Hic est rhamnus ille, de quo Iudic. cap.9. numer.14. Dixerunt omnia ligna ad rhamnum, veni, & impera super nos, &c. præmaturam ergo punitionem intelligit, hìc.

Non demoreris ergo in errore impiorum, ante mortem confitere, à mortuo quasi nihil, perit confessio, Eccles.17.num.26. & 27. & cap.4.num.31. Priusquam enim intelligerent spinæ vestræ rhamnum; mors scilicet venit. Nàm dies Domini sicut fur in nocte ità veniet. Cum enim dixerint pax, & securitas, tunc repentinus eis superueniet interitus; sicut dolor in vtero habenti, & non effugient, &c. Non ergo dormiendum, nàm qui dormiunt, nocte dormiunt, & qui ebrij sunt, nocte ebrij sunt, 1. ad Thessal. cap.5. num.2. cum seq. Hieronym. Priusquam intelligerent spinæ vestræ rhamnum, quasi viuos, quasi in ira absorbet eos. Antequam peccata vestra ad finem vsque perueniant, & cogitationum spinæ in arborem ebulliant peccatorum, Deus vos corripiet, non iratus, sed quasi iratus, non est quippè Dei ira, sed emendatio, & corripiet vos,

non

non vt viuos, sed quasi mortuos; qui enim habent delictorum spinas viui non merentur vocari: hæc Hieronym.

Augustin. verò hæc dicit, Herba est rhamnus, & modò tamen est spina, priusquam producat spinas rhamnus. Priusquam miserarum delectationum, & voluptatum manifesta tormenta procedant, interrogent se, qui aliquid amant, & ad id peruenire non possunt: Videant si non cruciantur desiderio, & cum peruenerint ad id, quod illicitè desiderant, attendant, si non cruciantur timore, videant ergo hìc pœnas suas, antequam veniat illa resurrectio, cum in carne resurgentes non immutabuntur, omnes enim resurgemus, sed non omnes immutabimur; Habebunt quippè corruptionem carnis, in qua doleant, non in qua moriantur, alioqui & illi dolores finirentur. Tunc spinæ illius rhamni, idest dolores omnes, & compunctiones tormentorum producentur, quales spinas patientur illi, qui dicturi sunt. Hi sunt, quos aliquando habuimus in derisum: spinæ compunctionis pœnitentiæ, sed seræ, & infructuosæ sunt; pœnitentia huius temporis dolor medicinalis est, pœnitentia illius temporis dolor pœnalis est. Sequitur Psalmus.

Sicut viuentes, sic in ira absorbet eos. Peccatores, & Iudæi, & Hæretici, sicut viuentes, idest sapientes in sæculo. In ira absorbet eos Dominus: Putant enim quia sapientes mundana, quòd sint viuentes, sed ecce quia opera eorum sequuntur illos, Apocalyps. cap. 14. num. 13. Labores enim illorum sine fructu, & inutilia opera eorum, Sap. 3. num. 11. Et si in ramis, in tempore germinauerint, infirmiter posita à vento commouebuntur, & à nimietate ventorum eradicabuntur, Sap. cap. 4. num. 4. Consummentur enim rami inconsummati, & fructus illorum inutiles, & acerbi ad manducandum; & ad nihilum apti. Et mirabuntur in subitatione insperatæ salutis, Sap. cap. 5. num. 2. Sicut viuentes, sed mortui sunt in anima, & propterea in ira absorbet eos, tradens illos spinis.

Iustus verò lætabitur, cum viderit vindictam, manus suas lauabit in sanguine peccatoris. Non quia de perditione iniquorum viderit vindictam, lætabitur, sed quia ipse gratia Dei iudicatus erit inter agnos à dextris Dei ponendus. Non lætatur ergo de iniqui condemnatione, sed de sua saluatione; magis enim lætatur, cum ex opposito peccator condemnetur.

Et lauabit manus suas in sanguine peccatoris. Difficilem esse istum versiculum, dicit D. Hieronym. Ex Hilario dicit, Iustus manus suas non peccatorum sanguine abluit, sed cum peccatores in sanguine sint, quia rei sunt sanguinum, manus suas ille ab omni reatu sanguinis continebit ablutas. Tunc lauat iustus manus suas in sanguine peccatorum, cum vindictam de ipsis viderit, non procurantibus Sanctis, & tunc lætabitur, cum post exitum eorum, eius opera gloriosa refulgent: hæc Hieronym.

Augustin. verò, Manus suas lauabit in sanguine peccatoris. Iustus quando videt pœnam peccatoris, proficit ipse, & mors alterius valet ad vitam alterius. Si enim spiritaliter sanguis currit, de his, qui intrinsecus moriuntur, tu videns talem vindictam, laua illìc manus tuas, de cætero mundius viue. Sed si est iustus, quomodò lauat manus suas, quid habet in manibus quod lauetur, si iustus est? Si iustus ex fide viuit. Iustos ergo dixit fideles, & ex quo iàm credidisti, iàm incipis vocari iustus, facta est enim dimissio peccatorum. Et si

de

de ista residua vita, quædam peccata tua sunt, quæ non possunt, nisi quantum aqua de mari in sentinam defluere; tamen quia credidisti, cum videris eum, qui omnino auersus est à Deo occidi in illa cæcitate, supercadente illo igne, non videre Solem, tu qui iàm per fidem vides Christum, vt videas per speciem, quia iustus ex fide viuit, attende impium morientem, & purga te à peccatis, ità lauas quodammodò manus in sanguine peccatoris.

Manus ergo suas lauabit in sanguine peccatoris; Nos verò aliam exhibemus interpretationem; quæ si tibi grata videbitur, & nobis grata erit, & lætabimur in ea, sicut lætabitur iustus cum viderit vindictam, ità lætari credimus iustum, cum Dominus dat illis disciplinam; Tunc enim inimicos nostros multipliciter flagellat Deus, vt bonitatem suam cogitemus iudicantes, & cum de nobis iudicatur, speremus misericordiam Dei, Sap.cap.12.num.22. Quos enim Deus diligit, hos & castigat. Lætabitur ergo, cum caro eius tribulationibus repletur, quia tunc in misericordia Dei magis sperat, lætatur de vindicta, idest de flagellis, sunt enim inimici nostri vitia, concupiscentiæ, & alia quæ secum à natura nobis à Diabolo suggeruntur. Quos amat, & diligit Deus, castigat, ad Hebr.cap.12.numer.6. & quos amat, arguit, & castigat, Ioan. Apocalyps. cap.3.num.19. Lætabatur Paulus, quando corpus suum castigabat, 1.Corinth. cap.9.num.27. Manus quoque sua lauabat in sanguine peccatoris; in ipso enim erat stimulus carnis, 2.Corinth.cap.12.numer.8. Propter quod ter Dominum rogaui, vt discederet à me, & dixit mihi, sufficit tibi gratia mea, nàm virtus in infirmitate perficitur. In sanguine peccatoris erat stimulus, lauit manus suas in illo sanguine, quia persistens fuit in fide, & castitate, & sic ex infirmitate aqua lauando manus suas perfectus factus est. Lauet homo iustus, & tentatus ab operibus iniquitatis, ab operibus malis manus suas, benè operando, & erit immunis à peccato.

Vel aliter dicamus, Quòd qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo, Apocalyps.cap.1.numer.5. iustus in hoc sanguine Christi manus suas lauabit, idest in fide eius opera sua diriget, & saluabitur, peccatoris autem in sanguine dixit, nàm Christus omnia nostra peccata ipse tulit, ideò quasi leprosus, & vultus eius quasi absconditus, Isai.53.num.3. ideò dixi in manu peccatoris, idest in manu illius, qui peccator videbatur, cum ipse propter vulnera nostra percussus sit.

Respiciat iustus se retrò, & lauabit manus suas in sanguine peccatoris, vbi enim sunt, qui Dominum crucifixerunt, qui morti Domini consenserunt, qui in peccatis mortui sunt? vbi sunt Ciuitates, & Templum illorum, & Regnum illorum? in manu peccatoris, idest Diaboli, in inferno positi; lauet penitus & iustus manus suas in sanguine peccatoris Diaboli, qui omnis sanguinis Apostolorum factus est potator, & elonget se ab illo.

Et tunc dicet homo: si est vtiquè fructus iusto, vtiquè est Deus iudicans eos in terra, Facit Isai.cap.57.num.11. Neque cogitasti in corde tuo, quia ego tacens, & quasi non videns, & mei oblita es: ego annunciabo iustitiam tuam, & opera tua non proderunt tibi; cum clamaueris, liberent te congregati tui, & omnes eos auferet ventus, tollet aura. Qui autem fiduciam habet mei, hæreditabit terram, & possidebit montem sanctum meum: & dicam, Viam facite, præbete iter, declinate de semita, auferte offendicula de via populi mei,

quia

quia excelsus, & sublimis hæc dicit, habitans æternitatem, & sanctum nomen eius in excelso, & in sancto habitans, & cum contrito, & humili spiritu, vt viuificet spiritum humilium, & cor contritorum, &c.

Tunc ergo eius fructus erit, cum eum Christus Dominus Cælorum regni participem fecerit, & dicet homo, vtiquè est Deus iudicans eos in terra. Illi ante iudicium in hac terra iudicantur, de quibus supra, Qui non crediderit, iàm iudicatus est; Et nos, si in præceptis Dei aures non obturemus, si Sanctorum monita, cum innocentia exequamur, si nostrorum spinis facinorum non affligamur: si manus ab omni sanguine immunes cum innocentibus abluamus, honorabit nos Dominus Iesus dignis præmijs, quibus Sancti cum ipso perpetualiter conlætantur.

SOLILOQVIVM.

SI filij hominum, filij Iesu Christi, filij Apostolorum sumus, cur quæ recta sunt, & quæ rectè profitemur; non recta esse iudicabimus? Cur non recti erimus corde, vt iniquitates fugiamus in terra? & manus nostras ab iniquitatibus innoxias conseruemus? An ignoramus, quòd qui falsa loquuntur, alieni sunt à Deo, errauerunt ab vtero Matris nostræ Ecclesiæ: furor, & hæbetudo super illos descendit, ità vt obturantes aures suas, sicut aspidis surdę stupidi fiant, & surdi, ne timor Domini veniat super illos, ne Prædicatorum voces audiant, prudenter illos ducere ad viam rectam conantes? Sit nobis exploratum quòd propterea destruet Dominus illorum audaciam, & fortitudinem, & molas eorum confringet, & ad nihilum deuenient tamquam aqua decurrens. Tetendit enim Dominus arcum suum, vt in illos emittat, nisi infirmi facti reuertantur ad illum. Et si in malitia perseuerantes sint, sicut cera, quæ fluit auferentur, nàm monita Dei spreuerunt, & illa spernentes Solem non viderunt; Surge, surge anima mea, ne à concupiscentijs tuis abstraharis à bono, à floribus herbæ rhamni, ne cum spinis absorbearis, & exsiccata cum illis in ignem proijciaris. Læteris tamquam fidelis, & iusta in vindicta, in visitationibus tribulationum, quas dederit tibi Dominus; quia quos diligit, hos castigat, vt fructus sit tibi in Cælo, cum ex operibus nostris sit Deus iudex in terra. Tales Franciscus habuit fructus in Cælo, qui fructibus terrenis spretis, & pauper pro amore Dei factus, nunc diues, & regnans in Paradiso effectus est pauperum spiritu, & humilium intercessor. Hunc festiuitatis eius diem hodie festum deuotè celebremus, qui in auxilium mihi fuit, vt hunc Dauidis Psalmum declararem. Rogo, vt etiam sicut alijs, ità mihi prosit ad salutem, vt à malo me abstinendo, & bona operando efficiar & ego seruus Dei mei, & in operibus Sanctis, Sancti Francisci socius & humilis. Adiuua me Virgo gloriosa Maria, succurre mihi, intercede pro me, vt dignus efficiar promissionibus Christi filij tui. Amen.



IN PSALMVM LVIII.

Eripe me de inimicis meis Deus meus: & ab insurgentibus in me libera me.



SVPRA diximus omnes Christi passiones, & tribulationes à Dauide, qui spiritum Dei habebat, prophetizatas fuisse, & in Euangelio comprobatas facto legimus, quas Christus Iesus passus est. Verùm quia multis infirmis, & debili forsan intellectu scandalum ingerere poterat, quòd tantis tribulationibus, & passionibus filius Dei affligeretur, ignorantibus, quia sic oportebat pati Christum, & ità intrare in gloriam suam, Luc.cap.24.num.26. & cap.9.numer.22. quoniam oportet filium hominis multa pati, & reprobari à Senioribus, & Principibus Sacerdotum, &c. Ideò monet fortes in finem, in Christum debere esse fideles, quamuis Iesus multas fuerit passus tribulationes: quamuis Ecclesia eius sancta, quæ eius sequitur vestigia, fluctibus quotidie Hæreticorum, & Iudæorum flectatur, cum tamen minime frangatur vndis: scriptum enim reliquit Iesus, Si me persequuti sunt, & vos persequentur, non est enim discipulus supra magistrum, Matth. cap.10.num.24. Ioan. cap.15.numer.20. nec seruus maior Domino suo.

Ideò Dauid iterum in hoc Psalmi principio titulum ponit.

In finem, ne corrumpas, vel ne disperdas, Dauid, idest Christum, ex Dauidis semine, in tituli inscriptione, quando misit Saul, & custodiuit domum eius, vt interficeret eum. Titulus enim in Cruce positus Hebraicè, Græcè, & Latinè scriptus est: Iesus Nazarenus Rex Iudæorum; Non corrumpas tu fidelis titulum, quem alienigena scripsit, declarans, quod prius erat prophetatum: Iesus scilicet Nazarenus Rex Iudæorum scriptus erat illis linguis, Latinis, Græcis, & Hebraicis, quia omnium Rex est Christus: nec quia illi iniqui, & Pilatus Iesum crucifixerunt, Regno eum priuarunt, quinimmo eundem crucifigendo, magis exhibuerunt Regem; Augustin. hìc. Nunquid quia contradixerunt, dominationem euertere potuerunt? Rex est, & supra illos: nàm ille Rex virgam ferream gerit, quia & regit, & frangit, vndè Psalm.2. Ego constitutus sum Rex ab eo super montem Sion sanctum eius, prædicans præceptum Domini. Dominus dixit ad me: filius meus es tu, ego hodie genui te. Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Reges eos in virga ferrea, & tamquam vas figuli conteres eos: quos regit? quos conterit? regit obedientes, conterit resistentes.

In finem ergo, in Christum titulum non corrumpas, quia ipse est, qui saluat omnes in fide permanentes. Non te apprehendat tentatio, non te inuadat infidelitas, sicut illos iniquos Iudæos; qui dixerunt Pilato; noli scribere Rex Iudæorum. Nàm & iste titulus confirmauit illum Regem nobis; & Pilatus dixit, quod scripsi, scripsi, & impletum est, quod hìc dicitur, ne corrumpas. In finem sit fides tua, ne corrumpas, quia Rex tuus est: & si pro multis, pro te tamen specialiter est passus; ideòq. & in multis etiam Psalmis, qui de passione loquuntur, idem titulus est inscriptus, In finem, ne corrumpas, ne disperdas, &c.

Et sciendum est pro declaratione huius Psalmi, & Tituli, quod vt legitur in 1.Reg.cap.18. Saul quærens interficere Dauid, satellites suos, vt custodirent illius domum, vt eum mane exeuntem occiderent. Quod cum præscisset vxor eius Michol filia Saul, nocte deposuit eum per fenestram, & sic ille mortem euasit. Huic historiæ alludit Titulus, de quo tamen non agit Psalm. Sed de significato eius, nàm Dauid Christum significat, domus Dauid sepulchrum Christi; Saul Principes Iudæorum, qui miserunt custodiri sepulchrum. Nec mirandum, quòd in illo non conueniat, quia Dauid adhùc viuebat, Christus verò in sepulchro positus, mortuus erat in Cruce: satis quippè in eo videtur conuenire, quia & memoriam Christi in totum delere conabantur & animam. Iube enim, dicebant Pilato, custodiri sepulchrum, ne veniant Discipuli eius, & furentur illum, & erit error peior priore; quia dicent Discipuli, quod resurrexit à mortuis, Matth.27.nu.64. At ille dixit, Ite, custodite vos, sicut scitis, & abeunte, munierunt sepulchrum signantes lapidem cum custodibus. O stulti, ne corrumpas, scriptum est in Cælo, Titulum tituli disperdere conabantur, propterea custodes adhibuerunt sepulchro, qui corrupti dixerunt, quòd cum dormirent, venerunt Discipuli eius, & abstulerunt eum: Hoc est, dicit August. velle Christum interficere, nomen eius resurrectionis extinguere, vt mendacium Euangelio præferretur. Sed quomodò illud non effecit Saul, vt interficeret Dauid, sic & hoc non potuit Regnum Iudæorum efficere, vt plus valeret testimonium custodum dormientium, quàm Apostolorum vigilantium. Docti enim sunt custodes, vt dicerent, damus vobis, inquiunt, quantū vultis pecuniæ, & dicite, quia cum dormiretis, venerunt Discipuli eius, & abstulerunt. Ecce quales mendacij testes contrà veritatem, & resurrectionem Christi inimici eius per Saul figurati produxerunt; nàm si dormiebant, vndè scierunt; si vigilabant, fures quare non tenuerunt? hæc Augustin. Descendat nunc de Cruce, dicebant iniqui, quando crucifixerunt Iesum: exeat nunc de sepulchro, quia custodes adhibuimus. At nec titulum Crucis corrumpere potuerunt, nec in sepulchro iacens corpus, quin resurgeret, tenere potuerunt, memoriam illius delere nequierunt. Iesus titulum in Cruce non corruperunt, signacula in sepulchro posita, vt memoria illius tolleretur, haud illis proficua fuerunt?

Continuatur ergo ad præcedentem iste Psalm. etenim in illo de Christi in carne viuentis persecutione, & morte in Cruce visum est. Verùm quia & in vita, & in morte illius Iudæi perfidi separati non sunt à mala ipsorum voluntate, & iniquitate, id in Psalmo isto sic tractatur, vt pateat illorum; & contrà Christi mēbra persecutionem, & malignitatem duraturam, iuxtà eiusdem Christi dictum, Si me persequuti sunt, & vos persequentur. Propterea incipit Psalmus.

Eripe me de inimicis meis Deus meus: idest; Eripe membra corporis mei, de inimicis meis: Iàm enim contrà Christum nihil amplius poterāt inimici, sed contrà Ecclesiam suam, pro qua orat Christus, vt à persecutoribus eripiatur.

Augustin. Factum est, inquit, in carne Christi, fiet & in membris. Neque enim cessant inimici nostri Diabolus, & Angeli eius quotidie super nos insurgere, & illudere velle infirmitati, & fragilitati nostræ, & deceptionibus, suggestionibus, tentationibus, quibuscumque laqueis irretire, cum adhùc in terra viuimus; ab his, inquit Psalmista.

Eripe me de inimicis meis Deus meus; & ab insurgentibus in me libera me.

me. Sed si eripit nonnè liberat? & si sunt inimici eius, nonnè & illi insurgunt in illum.

Sequitur, dicens, Eripe me de operantibus iniquitatem, & de viris sanguinum salua me; si Psalmus est de te scriptus Christe, cuius corpus in sepulchro est, iàm ergo in te Iudæorum perfecta est iniquitas, quia te occiderunt, quomodò à viris sanguinum saluari desideras, si sanguinem tuum, ità corpus tuum flagellantes, vt à planta pedis vsque ad verticem perfuderint inimici, ità vt hùc, atque illùc defluxerit, sicut fons aquarum viuentium in terra?

Non ergo de Christo capite tantùm, sed de corpore ipsius intelligendus est Psalmus. Non est enim caput sine corpore, nec corpus sine capite, vnum ergo caput Christus, vnum corpus Ecclesia & Christus, licet diuersa sint membra. Non tamen diuisus est Christus: Vndè dicebat Apostol. 1. Corinth. 1. nu. 12. Hoc autem dico, quod vnusquisque vestrum dicit, ego quidem sum Pauli; ego auté Apollo, ego verò Cæphæ, ego autem Christi; diuisus est Christus? &c. quocircà Saulo Ecclesiam ipsius persequenti dixit Iesus; cur me persequeris Saule? erat in Cælo Christus, Ecclesia verò sua militans in terra, & tamen dixit, cur me persequeris? Act. Apostol. cap. 9 num. 5.

Eripe ergo de inimicis meis, de manibus scilicet sepulchrum Christi circumstantium, qui titulum resurrectionis meæ corrumpere volunt: libera me, idest Ecclesiam meam ab insurgentibus contrà illam. Qui verò sint inimici, qui insurgentes, qui operantes, qui verò viri sanguinum, notat D. Hieronym. hic. Per hos, inquit, inimicitiarum gradus vsque ad effusionem ascenditur sanguinis: inimici ergo fuerunt Iudæi Iesu Christo Domino nostro, cum ei occultè inuidebant: insurrexerunt contrà eum, cum præceptis eius obuiauerunt: Operarij iniquitatis effecti sunt, cum manus armauerunt ad interfectionem; Viri facti sunt cruoris, cum sanguinem iusti super se, suosq. filios futurum esse dixerunt: aliosq. Martyres successiuè trucidarunt, secti sunt ab inimicis Iudæis, & alijs: hæc quatuor in capite, & in membris fuerunt, eruntq. Isai. cap. 1. numer. 15. Manus enim vestræ sanguine plenæ sunt, nàm nec cessant inimici nostri, Diabolus, & Angeli eius insurgere super seruos Dei, & illius Ecclesiam: quot enim Hæretici, quot Pseudochristi, quot hæresum genera, quot iniquitatum fabricatores contrà Ecclesiam Dei? contrà Vicarium suum in terris, Episcopos, Sacerdotes, atque Ecclesiasticas personas, qui quotidie nouis calumnijs dilacerant vestem inconsutilem Christi?

Ab insurgentibus in me, dixit, libera me: non dixit ab illis, qui insurrexerunt, quasi sit illorum persecutio præterita, ab insurgentibus, inquit, quia quotidie insurgunt seductores, inuidi, nouis dogmatibus falsis contrà Ecclesiam insurgentes, & vitia carnis dilatantes, iuxtà illa, quæ in Sap. d. cap. 2. scripta sunt. Sed qui insurgunt in illam, omnes confundentur, Psalm. 108. num. 28. Quia maledicent illi, & tu benedices, & seruus tuus lætabitur; induantur detrahentes pudore, & sicut diploide operiantur confusione sua, vt quærant illuminatorem à confusione, & refectorem à defectione, Augustin. Psalm. 70. litera D. Insurgunt igitur, quia semper instant; nàm oportet hæreses esse, vt & qui probati sunt, manifesti fiant in vobis, dicit Apostol. 1. Corinth. 11. num. 19.

Eripe igitur, inquit, de operantibus iniquitatem, & de viris sanguinum salua me, nulla maior crudelitas, quàm in Iudæis, gente iniqua, & sanguinem

huma-

humanum ſitiente. Audi D. Hieronym. Epiſtol.65. aliàs 55. litera D. Tom. 1. Si expedit odiſſe homines, & gentem aliquam deteſtari, miro ordine auerſor circumciſos. Vſque hodie enim perſequuntur Dominum noſtrum Ieſum in Synagogis Satanæ. Et Origen. lib. 6. contrà Celſum, Iudæos Architectos, ac diſſeminatores fuiſſe calumniarum Gentilium contrà Chriſtianos, ait: vt verbi gratia, quando viuente Petro; Vrbis incendium adſcriptum eſt Chriſtianis: eoque nomine ferarum tergis contecti, canum laniatui obiecti ſunt, vel crucibus affixi, vel in vſum nocturni luminis vſti, teſte Tacit. lib. 15. & Euſeb. Emyſſen. homil. de S. Stephano ad illa verba Matth. cap. 23. Vt veniat ſuper vos omnis ſanguis iuſtus, &c. ſic dicit; Nemo Chriſtianorum vnquam occiſus eſt, qui eorum, vel manibus, vel affectu non ſit occiſus, vndè & omnium Rei eſſe dicuntur.

Fuderunt innocentem Chriſtianorum ſanguinem in terra, & ecce ſicut ſemen creuit, dilatatur Eccleſia: Titulum Chriſtianorum extinguere conantur, & ecce quia in toto Orbe terrarum creuit illorum numerus. Vndè S. Leo Papa Sermon. 1. de SS. Petro, & Paulo: Semen ſiquidem eſt ſanguis Chriſtianorum, plures efficimur, quoties metimur à Tyrannis, Idem S. Leo Papa in Serm. 6. de Epiphania: Cruenta impietate, ait, in Dei populum ſæuiebant, quaſi in maximam gloriam ſuam pertinere ducerent, ſi de terris nomen Chriſtianorum auferrent, neſcientes, Eccleſiam per furorem ſuæ crudelitatis augeri; quando in ſupplicijs, & mortibus Beatorum Martyrum, qui putabantur minui numero, multiplicabantur exemplo. Cumq. Dæmon ſæuiendo nihil videret proficere contrà Eccleſiam, terrores proſcriptionum in auaritiæ mutat incendium; & quos Chriſtianos damnis non fregit, cupiditate corrumpit. Malignitas enim longo vſu propriæ imbuta nequitiæ non depoſuit odium, ſed vertit ingenium: quò ſibi mentes fidelium blandius vrat; inflammet concupiſcentijs, quos non poteſt vexare tormentis. D. Hieronym. in vita Malchi Monachi captiui, in Tom. 1. fol. 333. Scribere, inquit, diſpoſui, ſi tamen vitam Dominus dederit, & ſi vituperatores mei ſaltem fugientem me, & incluſum perſequi deſierint, ab aduentu Saluatoris vſque ad noſtram ætatem, ideſt ab Apoſtolis vſque ad noſtri temporis fæcem, quomodò, & per quos Chriſti Eccleſia nata ſit, & adulta, perſecutionibus creuerit, martyrijs coronata ſit, & poſtquam ad Chriſtianos Principes venit, potentia quidem, & diuitijs maior, ſed virtutibus minor facta ſit; Eripe ergo me de inimicis meis, & de viris ſanguinum.

Quia eccè cœperunt animam meam, irruerunt in me fortes. Ex hoc verſiculo benè colligimus, quia non de Dauide ipſemet loquitur, nunquam enim eundem captum ab inimicis à Saule fuiſſe legimus; nàm ſemper euaſit manus eius. De Chriſto ergo ſermo eſt, & de membris eius: cum fuſtibus enim, & lanternis Principes Sacerdotum, & Phariſæi irruerunt in Ieſum, & illum cœperunt, & ante Præſides illum duxerunt. Et ſi iàm Chriſtum mortuum eſſe dixeris, quod de membris eius accepimus, & vidimus vſque ad hæc tempora, de Chriſto etiam intelligitur, ipſe enim dixit, quod vni ex meis feceritis, mihi feciſtis, Matth. cap. 25. numer. 40. & Luc. cap. 10. num. 16. Qui vos ſpernit, me ſpernit: capti ſunt Martyres Dei, occiſi ſunt, varia & alij tormenta paſſi ſunt, quæ ex Paulo videre poteris, 2. Corinth. cap. 11. numer. 26. & ad Hebr. cap. 11. num. 36. Sed dices cum Auguſtin. Vbi eſt, Dirupiſti vincula mea? Pſal. 115. num. 17.

num.17. vbi, Laqueus contritus est, & nos liberati sumus? Psalm.123.num.7. vbi est, quòd benedicimus Deum, qui non dedit nos in captionem dentibus eorum? Psalm.123. num.6. Illi venati sunt, sed in manibus venantium non dimisit, qui custodit Israel, Psalm.123.num.7. Anima nostra erepta est de laqueo venantium.

Irruerunt in me fortes, qui cœperunt animam meam. Qui fortes sint isti, qui potentes, nisi in diuitijs sperantes, fortes in temporalibus, qui non ponunt Deum adiutorem suum? supra Psalm.51.nu.9. Sed sperauerunt in multitudine diuitiarum suarum, & præualuerunt in vanitatibus suis. Irruerunt in me fortes, idest de sua iustitia præsumentes superbi. Tu, dicebant, in peccatis natus es, & nos doces? quando cæcum interrogabant, quomodò tunc videret, & quis illi oculos aperuisset. Non est homo à Deo missus, qui Sabbata non custodit, &c. Et Iesu dixerunt impij, & mendaces, Dæmonium habes, Ioan.8. num.49. Et repleti sunt omnes in Synagoga ira, & eiecerunt illum extrà Ciuitatem, Luc. cap.4.numer.29. Irruerunt in me fortes: ò magna iniquorum fortitudo: contrà humilem ostendunt potentiam, contrà non se defendere volentem; immo dico, contrà Agnum, qui nec aperuit os suum, ostendistis fortitudinem? An ignoratis, quia oblatus est, quia ipse voluit? Isai. cap. 53. num.7. & non aperuit os suum, ideò sicut ouem ad occisionem duxistis illum. Si cum os suum modicum aperiens dixit: Quem quæritis? id audientes, Ego sum, omnes retrò cecidistis, Ioan. cap.18. numer.6. quid erit, quando Cæli mouebuntur, & terra, & vos ad sinistram existentes mittet in ignem æternum?

Ideò ergo vos fortes dixit Psalmista, quia ministri Diaboli estis, ad Ephes. cap.2.num.3. vt vos simul cum ipso perditi, & in inferno ligati permaneatis. Alligauit enim fortem vinculis damnationis suæ, Matth.cap.12.nu.29. vt vasa eius acciperet, quæ sua fecit: erant enim omnes ante Aduentum Christi vasa Diaboli, nunc credentes facti sunt vasa Christi, ad Roman. cap.9. numer.21. Quid gloriaris? quia tu te fortem facis in tuis diuitijs? stulte, inquit Deus illi, Luc. cap.12.num.20. hac nocte animam tuam repetam à te, quæ autem parasti cuius erunt? Non est enim apud Deum diues, qui thesaurizat, vt sit spes eius in illis diuitijs.

Sed qui fortes, nunquid Iudæi, qui de sua iustitia præsumebant? Quare, dicebant, cum peccatoribus manducat magister vester? Matth.cap.9.num.19. Non est opus valentibus Medicus; Non veni vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam, nunquid hæc est illorum fortitudo, an potius insania?

Augustin. Et Phreneticis nihil fortius, valentiores sunt sanis; sed quantò maiores vires, tantò mors vicinior. Iusti sibiipsis videbantur, infirmiores tamen cæteris erant, & in lapidem offensionis inciderunt, & hædus ipsis visus est Agnus, & quia veluti hædum occiderunt, ab agno redimi non meruerunt. Quia fortes super Christum irruerunt, & à Christo fortiter condemnati sunt in ignem, Sap.cap.6.num.9. Fortioribus autem fortior instat cruciatio.

Irruerunt in me fortes, qui de sua iustitia præsumebant, non autem in misericordia Dei sperabant: innocens erat Iesus, illi peccatores; sed Pharisæi, & Sacerdotes ab omnibus honorari desiderabant, cæteros autem iustos, & humiles spernebant, opera tamen illorum mala erant, Matth. cap.23. per totum; erant enim hypocritæ, & tristes.

Fortes

Fortes irruerunt in Iesum, mittentes Principes, & Pharisæos, vt apprehenderent eum; sed & si fortes, non tamen humilem Christum debilem apprehenderunt, quia illis potentior erat; sed Pharisæi,& Principes illis ministris, dixerunt; cur non apprehendistis illum? Nunquid dicebant ex Principibus aliquis credit in eum, aut ex Pharisæis? sed Turba hæc, quæ non nouit legem, maledicti sunt. Turba autem affirmabat, quia nunquam sic locutus fuisset homo, quia Christus erat, Ioan.cap.7.nu.46. cum sequen. ò superbi, ò ignorantes legem Dei, irruistis in innocentem, qui culpabiles meremini infernum: qui per superbiam socij facti estis Diaboli, & illius ministri.

Fortes fuerunt illi duo Senes, qui innocentem mulierem apprehendisse in adulterio testificabantur, fortior illis fuit puer, qui innocentem liberauit, Senes verò occisi remanserunt, Daniel.cap.13.num.44. cum sequen. Christum condemnastis ad mortem? & ecce Angelus Domini, illos medios secuit: Ciuitatem,& Templum Romani destruxerunt, igni tradiderunt, residuum, qui remansit ex illis, venditi vili pretio serui, dispersi, & afflicti permanserunt: sic iudicastis innocentem, vt iudicium verteretur in ruinam vestram in sempiternum.

Neque iniquitas mea, neque peccatum meum Domine, sine iniquitate cucurri, & direxi. Non enim quia cum illis iniquè agerem, vel peccatum haberem, ideò in me irruerunt. Sine iniquitate cucurri, & direxi. Iustitiam enim iusti quærebant iniqui auferre ab eo, Isai.5.num.23. Sine iniquitate cucurri, & direxi. Semita enim iusti recta est, & rectus callis iusti ad ambulandum, Isai. cap.26.num.7. Sine iniquitate cucurri, & direxi. Nàm ego in innocentia mea ingressus sum; nec cum iniqua gerentibus introiui. Sine iniquitate cucurri, & direxi, nàm pes meus stetit in directo. Ne perdas igitur cum impijs animam meam, & cum viris sanguinum vitam meam, Psalm.25. per totum. Cucurri, idest conuersatus sum cum illis, Ioan.cap.1. & habitauit in nobis, vt vitam illorum dirigeret. Sed quia quod dicebam, videbatur illis infirmum,& inutile, vt scilicet abnegantes se ipsos & sæcularia, sequerentur viam meam, tollentes crucem suam, Matth.cap.16.num.24. dicebant, Opprimamus iustum; nolumus viam illius sequi, contrarius est operibus nostris. Fortitudo nostra sit lex iustitiæ, idest reputemus fortitudinem nostram esse nobis pro lege iustitiæ, vt scilicet legitimum, iustum, & licitum dicamus, quidquid viribus nostris præstare possumus, Sap.cap.2.num.12. cum sequen.

Exurge Domine in occursum meum, & vide, & tu Domine Deus virtutum, Deus Israel. Exurge in occursum meum Domine; si in occursum, ergo æqualis est Patri, quia occurrere non dicitur nisi de æquali: Vnde glos. Innotesce,& fac videri, quod tibi æqualis sum. Exurge ergo, vt cognoscant, quia tu me misisti, & tibi æqualis sim: Augustin. Exurge, & vide, idest adiuua me, fac in illis, vt videant cursum meum, sequantur me, non eis videatur prauum esse, quod rectum est, non eis videatur distortum esse, quod tenet regulam veritatis.

Exurge in occursum meum, &c. Quamuis ergo Christus per incarnationem acceperit humanitatem nostram, quam sibi prius vnitam non habebat, non tamen dimisit quod prius erat, & sic semper quoad suppositum Patri remansit æqualis, maior enim non occurrit minori, dicit Magister Sententiarum hic in glos. sed tantùm obuiat. Cum ergo dicit, exurge in occursum, se Patri ostendit æqualem; Non desijt Christus esse æqualis Patri, licet pro nobis infirmus factus

sit,

sit, qui seipsum exinaniuit formam serui accipiendo, ad Philip.2. Talis enim nobis apparuit, & se exinaniuit, nec dignitatem, quam apud Patrem habet, demonstrauit; nunc enim tibi obtulit infirmitatem, seruauit tamen posteà purgato claritatem. Agnoscamus ergo illum, si non visione, fide tamen, in hac sua infirmitate, & quem nunc non videmus, saltem credamus, quia ipse est filius Dei, illi æqualis, vt credendo, illum videre mereamur.

Augustin. Meritò, inquit, postquam resurrexit, ait Mariæ Magdalenæ, cui primitus dignatus est apparere, Noli me tangere, Ioan. cap.20.num.17. nondum enim ascendi ad Patrem; Quid est hoc? nàm paulò post mulieres tetigerunt, adorauerunt, & pedes eius tenuerunt, Matth. cap.28.num.9. & dixit illis Iesus, Nolite timere, &c. num.10. & Discipuli cicatrices palpauerunt, Ioan. cap.20.num.27. Noli me tangere ei dixit. Quasi dicere voluerit; noli quod vides hoc solum me credere, nè hìc remaneat aspectus quasi tactus tuus, humilis enim tibi videor, nondum ascendi ad Patrem, Vndè & ad vos ascendi, & inde non recessi; nondum illùc ascendi, quoniam vos non deserui: Venit non recedens, ascendit non deserens: sed quid est, quòd ascendit ad Patrem? quandò nobis innotescit æqualis Patri. Nos ascendimus proficiendo, vt hoc viuere, vt hoc intelligere, vt hoc vtcunque capere valeamus. Ideò ergo distulit tactum, non abstulit, non repulit, non negauit. Nondum enim, inquit, ascendi ad Patrem, à summo cælo egressio, & occursus eius vsque ad summum cæli; summum cæli, idest summum in omnibus spiritibus Pater est; inde excursus eius, & occursus eius vsque ad summum cæli. Occurrit vsque ad summum; summum non dicitur nisi de æquali: deniquè cum aliqua inæqualia comparamus, & aliquod breue ad aliquod magnum applicamus, videte quantum ad quantum sit, si inæquale inuenerimus, ità solemus loqui, non occurrit: si autem æquale sit, occurrit; ergo occursus eius vsque ad summum cæli, quia æqualis est Patri: talem se volebat innotescere fidelibus suis, qui dixerat, noli me tangere. Hoc volebat præstari à Patre fidelibus suis, qui dicebat, exurge in occursum mihi, & vide, innotesce quòd tibi æqualis sim, & vide, hæc Augustin. Cuius verba hìc ponere volui, quia digna sunt, vt considerentur, postquam & alij Doctores saltem sensum illorum posuerunt.

Exurge in occursum meum, & vide scilicet, quia iàm venit hora, vt à mortuis resurgam, & ascendam ad te; ex qua resurrectione, & ascensione mea cognoscant isti, quia æqualis sum tibi filius tuus, quem tu me misisti; scio, quia me diligis Pater, quia animam posui pro ouibus meis: Veruntamen alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili; exurge in occursum meum, vt illas adducam ad te, & vocem meam audiant, & fiat vnum ouile, & vnus pastor, Ioan. cap.11. numer.15. & 17. Propterea, inquit, scio, quia me diligis Pater, quia ego pono animam meam, vt iterum sumam eam: nemo enim eam tollit à me, sed ego pono eam à meipso, Isai. 53. num.7. & potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi eam: hoc mandatum accepi à te Patre meo. Iam ergo Pater sancte venit hora, vt veniam ad te, clarifica filium tuum, vt filius tuus clarificet te, Ioan.17.num.2. Iàm clarificaui nomen tuum; impleui Sion iudicio, & iustitia, diuitias salutis, sapientiam scilicet, & scientiam, ac timorem docui eos, esse tuum thesaurum, Isai. cap.33. num.5.

Exur-

Exurge in occursum meum, & vide, quia iàm quos dedisti mihi de mundo, tui erant; & eos mihi dedisti, tuum seruauerunt sermonem, & illum acceperunt. Vide Domine, quia iàm clarificatus sum in eis, Pater sancte serua eos, pro quibus rogo, & pro alijs, qui credituri sunt in me, Ioan.d.c.17.n.10. & sequen. & cognouerunt verè, quia à te exiui: & crediderunt, quia tu me misisti; pro eis rogo, num.8. ibidem Ioan.

Et tu Domine Deus virtutum intende ad visitandas omnes gentes. Non pro mundo rogo, sed pro his, qui credituri sunt in me. Non miserearis omnibus, qui operantur iniquitatem. Conuertentur ad vesperam, & tunc fiet vnum ouile, & vnus pastor: & famem patientur vt canes, vt & ipsi salutem desiderantes animarum suarum, filiarum suarum, sicut & mulier Chananæa ad te confugientes dicant, etiam Domine, & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa Domini sui, & mereantur audire, ò mulier, ò gentilitas, ò reliquiæ Israel, magna est fides tua: iàm dudum canis, modò mulier vocata: August. Vndè iàm modò mulier, quæ prius canis vocabatur? confitendo humiliter, non repellendo, quod à Domino dictum erat, Matth.cap.15.nu.25. cum sequen. Ergo, inquit Augustin. Gentes canes, & ideò esurientes: cognoscant & Iudæi, quia sunt peccatores, & conuertantur, & famem patiantur vt canes, licet ad vesperam desiderantes gratiam Dei: Vndè dicitur, Eleuabit signum in nationibus, & congregabit profugos Israel, & dispersos Iuda colliget à quatuor plagis terræ, Isai.11. num.12. & Baruch.cap.4.num.37. Ecce veniunt filij tui, quos dimisisti dispersos, veniunt collecti ab Oriente vsque ad Occidentem, in verbo Sancti gaudentes in honorem Dei. Nàm reliquiæ conuertentur, reliquiæ, inquam, ad Deum fortem, Si enim fuerit populus tuus Israel, quasi arena maris, reliquiæ conuertentur ex eo, consummatio abbreuiata inundabit iustitiam: Consummationem enim, & abbreuiationem Dominus Deus exercituum faciet in medio omnis terræ, Isai.cap.10.num.21. cum sequen.

Non miserearis, inquit Psalmista, omnibus, qui operantur iniquitatem; nàm dies Domini exercituum super omnem superbum, & excelsum, & super omnem arrogantem, Isai.cap.2.num.12.

Conuertentur ad vesperam, vbi petita salus affirmatur, & salus Iudæorum petitur, intende dicit, quia gentes ab Idolis conuertentur in vltima ætate sæculi, Isai.d.cap.2.num.20. In die illa proijciet homo Idola argenti sui, & simulacra auri sui, quæ fecerunt sibi, vt adorarent talpas, & vespertiliones.

Et famem patientur vt canes, desiderio scilicet alios ad fidem conuertendi; Vndè D. Paul. 2.Corinth.cap.11.num.27. In labore, & ærumna, in vigilijs multis, in fame, & siti, in ieiunijs multis, &c. quis infirmatur, & ego non infirmor? &c. vt canes, nàm canes tunc erunt latrantes, & euangelizantes.

Et circuibunt ciuitatem, idest munient Ecclesiam contrà hæreticas impugnationes. Ciuitatem enim dixit, quia ciuitas solis vocabitur vna, Isai.c.19.n.18. Ioan. in Apocal.cap.21.nu.2. Et ego Ioannes vidi sanctam ciuitatem Ierusalem nouam descendentem de cælo, à Deo paratam, habentem claritatem Dei, nu.11. Saulus ex lupo canis factus est: ad vesperam, idest serò conuersus, & factus est esuriens sicut canis. Ideò habet gladium in labijs suis, vt loquatur in ore suo verba salutis; Quoniam quis audiuit? Vndè Isai.cap.53.nu.1. Quis credidit auditui nostro, & brachium Domini, cui reuelatum est? ad Roman.10.num.16.

gla-

gladius in labijs est verbum Domini; istud verbum Dei, non in scriptis sicut testamentum Vetus, sed in ore nobis relictum est, ideò Euangelium ex ore Apostolorum nobis translatum est: nobis datum est, illud prædicauerunt Apostoli, ex ore illorum & nos suscepimus illud. Lex enim, & Prophetæ vsque ad Ioannem, dicit Iesus, Matth.cap.11.num.13. Ecce loquentur in ore suo, gladius in labijs eorum. Nec mirum, quia illum prædicabant, qui venerat, vt ipse dixerat, non vt pacem mitteret in terram, sed gladium, Matth.10.num.34. Venit enim separare hominem aduersus Patrem suum, & filium aduersus matrem suam, & nurum aduersus socrum suum, & inimici hominis domestici eius. Gladius in labijs eorum. Qui enim non reliquerit Patrem, & Matrem, &c. adhùc & animam suam, non potest esse meus Discipulus: gladius separans carnalia à diuinis, sæcularia à spiritualibus, corpus aggrauans ab anima, in spiritu eam eleuans in cælum. Gladius in labijs eorum, non effundens sanguinem, sed dans gratiam, vt inueniamus ibi requiem, cum hìc non sit nisi bellum, & iniquitas. O labia Angelorum, ò verba diuina, quæ hominem faciunt Regem cælorum, & filij Dei cohæredem, ac fratrem, & vnum cum illo, facit Ioan.cap.17. prope finem.

Aperiebat os suum Iesus in parabolis, quando alloquebatur Iudæos, vt iuxtà dictum Isai. cap. 6. numer. 9. Auditu audirent, & non intelligerent; sed ecce illi, Apostoli scilicet loquentur in ore suo, & gladius in labijs eorum, quia ipsis datum erat nosse mysteria Regni Dei, & non illis. Qui autem habet dabitur ei, & abundabit, Matth.cap.13.num.10. cum sequen. Et ideò loquentur in ore suo, non in parabolis. Nobis enim erat datum nosse mysteria Dei, vt quæ per os sanctorum, & quæ à sæculo sunt Prophetarum eius, vt in Cantico Zachariæ, de quo Luc.cap.1.num.70. nobis nota fierent.

Ore ergo suo loquebantur, quia quæ in enigmate, in parabolis dicta erant per Prophetas, apertè, & distinctè in lingua sua annunciabant. Et in labijs eorum gladius acutus; gladius enim in scriptura dicitur verbum Dei, vndè ad Ephes. cap.6.num.17. Assumite galeam salutis, & gladium spiritus, quod est verbum Dei. Quis ergo audiuit? scilicet talia vnquam prædicantem, neque salutem esse in abrenunciatione temporalium, & in abnegatione suipsius; Vitam in morte, quando pro Christo quis moritur, & omnibus spoliatur bonis, vt dentur pauperibus, vt in alio Regno centuplum accipiamus? Quoniam quis audiuit? scilicet talia prædicantem? præter Apostolos, & verbum Dei prædicantes? Hic est enim gladius, de quo Ioan. in Apocal.cap.1. num. 16. Et de ore eius gladius vtraque parte acutus exibat, qui non vt solueret, sed vt adimpleret, quæ in lege veteri de illo erant scripta. In quo veteri testamento temporalia promittebantur, vt denotaret, quæ futura erant in perpetuum, omnia enim in figura contingebant illis, 1.Corinth.cap.10.num.11. Hi sunt illi duo gladij, de quibus in Euangelio, ecce duo gladij hìc, & Dominus dixit, sufficit, Luc.22.n.38.

Si verò hunc versiculum sumamus, vt dictum de Iudæis contrà Iesum consilium facientibus, quomodò illum morti tradere deberent; Ecce, inquit, loquentur in ore suo, quod scilicet prius in corde retinebant, ore manifestabant; quando plebem timebant, odium in corde retinebant; sed audaces facti dicunt nunc, & ecce loquentur in ore suo contrà Christum. Et quis, inquiunt, audiuit, quæ contrà Christum loquuti sumus? & gladius in ore eorum. Et benè

gla-

gladius in ore eorum, qui gladio linguæ Dominum crucifixerunt, & ipsi in ore gladij ceciderunt omnes, iuxtà quod dixerat Dominus de illis, Isai.d.c.21. nu.24. Et erit populo huic, & cadent in ore gladij, & captiui ducentur. O infelices, & quis audiuit, dicitis? Nonnè est Deus scrutator cordium, & quantò magis consilia vestra erunt illi nota? Vndè.

Et tu Domine deridebis eos, dicit Psalm. & ad nihilum deduces omnes gentes, Sap.d.cap.12.num.9. Verbo enim suo duro exterminare potest simul omnes. Quis enim ei imputabit, si interierint nationes, quas ipse fecit, ibid.n.12. Sap.11.num.23. Tamquam momentum stateræ, sic est ante te Orbis terrarum, & tamquam gutta roris antelucani, quæ descendit in terram, Isai.cap.40.n.15. Ecce insulæ quasi puluis exiguus, & num.17. Omnes gentes quasi non sint coram eo, & Psalm.14. Ad nihilum deductus est in conspectu eius malignus, Et deridebit eos, idest subsannabit eos: & eorum conatus ad nihilum rediges. Deridebant illi iniqui Christum, quando colaphis cædebant faciem eius, & spinea corona coronabant caput eius, dicentes, prophetiza, quis te percussit? eadem pœna punientur, quia Dominus illos adhùc non credentes irridebit, & subsannabit; sed & ad nihilum rediget illos, nàm impotentes, & tamquam nihil valentes condemnabit eos, vt in infernum perpetuò maneant cruciandi. Omnes gentes, inquit, ad nihilum deducet, quia inter reprobos, & infideles reputabuntur Iudæi, & Hæretici, Ecclesiam Dei lacerantes, illosq. despectos habebit Dominus. Et hæc Dei despectio magna pœna est, Ecclesi.cap.7.num.20. Vindicta enim carnis impij, ignis, & vermis, Esdræ cap.4.num.4. Despectum enim fecerunt Iesum, & super caput eorum opprobrium conuertit Dominus, nàm in terra captiuitatis, in inferno dati sunt in despectionem: & peccatum illorum non delebitur, quia ædificantem irriserunt, Saluatorem scilicet, & Redemptorem Christum; irriserunt enim Dominum Iesum in amaritudine animæ suæ. Hinc Ecclesi. cap.7.num.14. Considera opera Dei, quòd nemo possit corrigere, quem ille despexerit; Vir enim impius fodit malum, & in labijs eius ignis ardescit, Prouerb.16.num.27.

Vel dicamus, vt ad proxima coniungamus sermonem, nàm cum in manu Dei sit fortitudo, & potentia, 2.Paralip.20.num.6. quæ erit Iudæorum, & gentium potentia, quæ potentiæ tuæ possit resistere? Tu enim Domine deridebis eos, & ad nihilum deduces omnes gentes, & subiugatæ remanebunt potentiæ tuæ, Iudit.5.num.24. Nàm, vt dicitur Sap.18.num.21. de Sacerdote Aaron, Properans tu Domine Iesu homo factus sine querela deprecari pro populis, proferens tuæ seruitutis scutum, orationem, & deprecationem pro incenso allegans, resistes iræ Dei, & finem impones necessitati, ostendens, quoniam tuus est famulus populus; qui vincis turbas non in virtute corporis assumpti, nec armaturæ potentia, sed verbo illum, qui se in infidelitate vexabat, subripies, cum enim iàm aceruatim cecidissent super alterutrum mortui, intersteteris, idest stabis inter mortuos, & viuentes, & amputabis impetum, & diuides illam, quæ ad viuos ducit viam, vt fiat vnum ouile, & vnus pastor. Diuides scilicet illam, quæ ad viuos ducebat viam, idest cum tuo transitu impedies transitum ignis ad viuentes, & qui tunc superstites erunt, vt sit salua omnis caro, quæ confitebitur tibi; humiliabuntur enim omnes gentes ad prædicationem Apostolorum, Christi fidem recipientes.

Vndè

Vndè ad nihilum deduces omnes gentes, ideſt facilè omnes gentes conuertes iuxtà Gloſ. hìc. Et ideò ad veſperam conuertentur gentes, quæ tunc erunt. Deridebis omnes gentes, quæ ad iudicium vocabuntur; illos verò, qui ad veſperam conuertentur, ſaluos facies; nàm tunc ad nihilum reducentur, quia humiles facti nihil de ſe præſument, & ſe nihil reputabunt eſſe. Vndè dicebatur Pſalm. 21. num. 7. Ego ſum vermis, & non homo, & Iſai. cap. 41. num. 14. Noli timere, inquit, vermis Iacob.

Fortitudinem meam ad te cuſtodiam, quia Deus ſuſceptor meus es; Deus meus, miſericordia eius præueniet me. Fortes dicebantur illi, quia diuites, & quia in fortitudine Equi, & in ſuperbia illorum, & in Principibus ſpes illorum, Pſalm. 146. num. 10. non tamen in fortitudine Equi voluntatem habebit, nec in tibijs viri beneplacitum erit Domino; beneplacitum eſt Domino ſuper timentes eum, & in eis, qui ſperant ſuper miſericordia eius; Meam, inquit, fortitudinem ad te cuſtodiam, Non à te recedam, non de me præſumam, ſed tu Dominus cuſtos fortitudinis meæ eris, & ideò tibi ſeruabo fortitudinem meam, & acceptam, ſi qua ſit, tibi ſeruabo, eam tibi tribuam, & vires meas ad te referam.

Amputauit Petrus auriculam ſeruo Principis gladio ſuo: conuerte gladium tuum in locum ſuum, dixit illi Ieſus; an putas, quia non poſſum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modò pluſquam duodecim legiones Angelorum, Matth. cap. 26. nu. 53. Voluit enim Ieſus ponere animam ſuam pro peccato, iuxtà præceptum Patris, & ideò voluntas Domini in manu eius dirigetur, ideòq. & ipſe ait, fortitudinem meam ad te cuſtodiam, quia nolo per fortitudinem ipſam meam, redemptionem meorum impediri; ſi enim inimicos occidiſſet, pro delictis populi is non eſſet mortuus, nec redemptio facta eſſet.

Fortitudinem meam ad te cuſtodiam, vt in tempore opportuno contrà iſtos eam exerceam. Proptereà dixit cuſtodiam, non dixit, amittam, vel perdam; ſed cuſtodiam, vt contrà illos iniquos illam exerceam, prout factum eſt. Tarditatem enim delicti, grauitate pœnæ recompenſat, 2. Petr. cap. 3. num. 9 Onera veſtra graui pondere vſque ad laſſitudinem contabuerunt & contrita ſunt ſimul; non potuerunt ſaluare portantem, & anima illorum in captiuitate ibit, Iſai. 46. num. 2. per quæ quis peccat, per hæc & torquetur, Sapien. 11. num. 17.

Fortitudinem meam ad te cuſtodiam. Siquidem quæ mea eſt fortitudo, & virtus, tua eſt Pater ſancte, quia ego, & tu vnum ſumus. Fortitudinem meam ad te, ideſt apud te cuſtodiam, vt in omnibus fiat voluntas tua, pro cuius adimpletione in mundum veni. Quia Deus ſuſceptor meus es. Proptereà in manus tuas commendaui ſpiritum meum in cruce, Suſceptor meus, & miſericordia eius præueniet me, quia de monumento ſurrexi, & ſemper mecum fuiſti; nàm reſurrexi, & adhùc tecum ſum, Pſalm. 138. num. 18.

Et Deus meus, miſericordia eius præueniet me. Nàm etſi Deus oſtendit mihi ſuper inimicos meos, quanta futura ſit illorum pœna grauiſſima; vt tamen ignoſceret illis, quia neſcierunt, quid facerent, in cruce exiſtens rogaui Patrem: Sic & nunc dicit, Ne occidas eos, nequando obliuiſcantur populi mei; ſuperius enim dixerat verſiculo 8. vt canes circuibunt ciuitatem Iudæi, & eſt ratio, quam nunc adducit, ne populi Chriſtiani obliuiſcantur, quòd Chriſtus paſſus eſt, & crucifixus à Iudæis, vt in ſignum ſuorum facinorum, & iniquitatum ſint teſtes in perpetuum.

Dubium

Dubium autem videtur, immo contradictio in eodem esse Psalmo, nàm in versiculo septimo dixit, Non miserearis omnibus, qui operantur iniquitatem; in hoc verò versiculo 12. rogat Deum: Ne occidas eos, Nunquid contradicit sibi, nàm si iniqui sunt, ob iniquitatem mortem merentur, & eò magis, si optat vt illis non misereatur, quomodò ergo precatur, vt non occidat illos. Audiamus, quod dicit Augustin. hìc litera D. in 1.Concione: Rogat pro inimicis suis, implet præceptum. Quid est, ne miserearis omnibus qui operantur iniquitatem, & ne occideris eos, ne obliuiscantur legis tuæ? quomodò non miseretur omnium, qui operantur iniquitatem? & quomodò non occidit eos, ne obliuiscantur legis suæ? sed hìc de inimicis suis dixit, quid ergo? Inimici eius æquitatem operantur? si qui ei inimicantur, æquitatem operantur, ergo ipse iniquitatem operatur, sed quia ipse æquitatem operatur, porrò qui æquitatem operatur, profectò iniquitatem ab inimicis patitur, restat, vt qui iusto inimicantur, iniquitatem operentur. Vndè ergo paulo superius, non miserearis omnibus, qui operantur iniquitatem, & nunc de inimicis suis, ne occideris eos, nequando obliuiscantur legis tuæ? Non ergo miserearis eorum, vt occidas peccata eorum. Ne occidas eos, quorum peccata occidis; quid est autem occidi? obliuisci legis Domini, ipsa est vera mors in profundum ire peccati.

Potest quidem & hoc de Iudæis intelligi. Ne occideris eos, ne quando obliuiscantur legis tuæ. Istos inimicos meos, qui me occiderunt, noli tu occidere: manet gens Iudæorum, certè victa est à Romanis, certè deleta ciuitas eorum. Non admittuntur ad ciuitatem suam Iudæi, & tamen Iudæi sunt; nàm omnes istæ Prouinciæ à Romanis subiugatæ sunt. Iudæi cum signo manent, nec sic victi sunt, vt à victoribus absorberentur, in Cain signum positum est, ne quis eum occideret, iàm enim fratrem ille occiderat. Hoc signum est, quòd habent Iudæi; tenent omnino legis suæ reliquias, circumciduntur, Sabbata obseruant, Pascha immolant, Azima comedunt. Sunt ergo Iudæi, non sunt occisi; necessarij sunt Gentibus credentibus, Quare hoc? vt Deus demõstraret nobis in inimicis nostris misericordiam suam: Deus meus demonstrauit mihi in inimicis meis, in ramis superbiæ præcisis, inserto misericordiam suam demonstrat Oleastro; ecce vbi iacent qui superbi erant: ecce vbi insertus es, qui tunc iacebas, & tu noli superbire, ne præcidi merearis. hæc Augustin.

Non miserearis omnibus operantibus iniquitatem: Qui in iniquitate permanere volunt, qui non credunt auditui nostro, vt in peccato permanentes salui non fiant; sed non occidas, vt præueniente gratia tua, & misericordia conuertantur ad vesperam, in tempore opportuno, in extremis suæ vitæ. Nàm tu Domine per Ezechielem dixisti, cap.18.num.21. Quòd si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit iudicium, & iustitiam, vita viuet, & non morietur, & idem in cap.33.nu.14. Si dixero impio morte morieris, & egerit pœnitentiam à peccato suo, &c. vita viuet, &c.

Vel non miserearis omnibus operantibus iniquitatem, quando dies extrema erit, quando ad visitandas omnes Gentes intenderis: non tamen inimicos meos interim occidas; vt cum Dauide, & cæteris sanctis pœnitentiam agentibus, & ipsi salui fiant. Ne quando obliuiscantur populi mei, quia tu Domine miserator, & misericors, & parcis verè pœnitentibus, cum enim omnis homo

quantumuis iustus septies in die cadat, si necares inimicos, & peccatores, & locum pœnitentiæ non dares, etiam populi tui obliuisci, vel timere possent, non te esse Deum misericordiarum, & pœnitentiam non tibi acceptum.

Ne ergo perdas eos, sed disperge illos in virtute tua, & depone eos protector meus Domine, delicta oris eorum sermonem labiorum eorum. Non misercaris dixit; & hic, Non occidas; iungas enim hunc vltimum versiculum cum superiori, Disperge illos in virtute, & depone, vel deduc eos, idest; Noli deserere cum dispergis, quia non deserendo habes, quod in illis agas, cum ipsos non occidis. Augustin. Quid ergo occides? Delicta oris eorum, sermonem labiorum ipsorum. Quid in illis occides? crucifige, crucifige, Matth.cap.27. quod clamauerunt, non qui clamauerunt, illi enim Christum delere, perdere voluerunt. Tu autem resuscitando Christum, quem perdere voluerunt, occidis delicta oris eorum, sermonem labiorum ipsorum. Quippe quem perdendum clamauerunt, viuere expauescant, & quem in terra contempserunt, in cælo adorari ab omnibus gentibus admirentur, sic occidantur delicta eorum sermones labiorum eorum, hæc Augustin.

Ne occidas ergo illos, idest inimicos meos, ne quando obliuiscantur legis tuæ, vel vt dicit Vulgata populi mei, disperge eos in virtute tua, & deduc eos Protector meus Domine. Continuò sequitur Psalm. Delicta oris eorum, sermonem labiorum eorum, hoc est, inquit Augustin. illud occide, non ipsos, illis iniqua agentibus non miserearis, illos occide, illis non miserearis, sic occidantur delicta oris eorum, & sermones labiorum eorum, & comprehendantur in superbia sua, quia frustrà fortes irruerunt, hominem Christum crucifixerunt: Infirmitas præualuit, & virtus occisa est, proptereà sibijpsis fortes visi sunt: sicuti Tauri pingues obsederunt eum: sed quid? Iniquitatem fecerunt, vt æquitas reuiuisceret; mortem dederunt Christo, vt mors moreretur, O mors proptereà dicebat, ero tua mors, Osee cap.13.num.14. Augustin. Non vitam, sed mortem occiderunt, extincta quippe morte in moriente, & resurgente vita de morte in viuente, etenim & ipse se resuscitauit, quia erat in illo & quod mori non potuit.

Delictum oris eorum occide, sermonem labiorum ipsorum; occide ergo, idest dimitte, & labiorum sermonem inexpletum effice, vt paueant resuscitatum, quem perdere voluerunt, & quem in terra contempserunt, in cælo ab omnibus gentibus adorari mirentur.

Disperge illos Domine in virtute tua, & depone eos Protector meus Domine. Orat vt deleantur peccata, quæ remanserunt. Documentum est, vt quando peccamus, quid facere debeamus; vt dispergamus. Quid est disperge illos? nisi exeant prius de domo sua, de cognatione sua, Genes.cap.12.num.1. Sed præcedente gratia Dei, & illius virtute. Et quid per exitum de domo sua, de cognatione significatur, nisi terrenorum affectuum, & parentum nostrorum alienatio, & abnegatio? Vndè, inquit, Qui nos redemit, Qui non reliquerit Patrem, & Matrem; &c. adhùc & animam suam, non potest meus esse Discipulus, Matth.cap.19.numer.29. & cap.22.numer.25. & post dispersionem quid sequitur.

Et depone illos, inquit, deponamus superbiam, & induamur nouum hominem. Delictum enim oris eorum grauissimum, & sermonem labiorum ipsorum, & com-

comprehendatur superbia eorum. Per istud enim delictum,& sermonem comprehenduntur omnia peccati genera; vnum enim est in admissione, alterum verò in commissione; delictum enim est diclinare à bono, peccatum verò facere malum: Augustin. in quæst. Leuit. ait, aliud est declinare à bono, aliud facere malum. Per delictum ergo oris, quo relinquuntur laudes Deo debitæ, omne omissionis peccatum intelligitur, per sermonem, qui stat in loquendo, quo malè loquimur, sicut fecerunt Iudæi, omne peccatum commissionis. Egrediamur ergo de cognatione, & de domo nostra, nec omittendo, vel committendo peccemus, & ambulemus coram Deo,& simus perfecti, Genes. cap. 17. nu. 1. Et deponet, & dimittet delictum oris nostri, sermonem labiorum nostrorum. Et comprehendamur in superbia nostra: quia immanitatem peccatorum nostrorum attendentes, superbè egisse cognoscemus, & frustrà fecisse: nàm quid superbis, inquit, cinis, & vmbra? Eccles. cap. 10. num. 9.

Sequitur textus Psalmi, Et comprehendantur in superbia sua. Quid est comprehendi in superbia sua? nisi quia, vt diximus, Cognoscemus gratiam à Deo nobis datam, ad resistendum inimicis nostris, idest intrinsecis tentationibus carnis, vndè Psalm. 17. Persequar inimicos meos,& comprehendam illos, nec conuertar donec deficiant. Inimici nostri domestici nostri, Matth. cap. 10. motus ergò carnales inimici nostri; Comprehendam enim illos, quia si mundi vanitatem suggerunt, persequar illos in humiliando: si cupiditatem,& ego paupertatem: si illi voluptatem,& ego charitatem, vt non comprehendar, sed vt illos comprehendam.

Et de execratione, & mendacio annuntiabuntur in consummatione, in ira cõsummationis, & non erunt. Considera in Iudæis Christum blasphemantibus, & execrantibus, idest illis maledicentibus, quanta fuit eiusdem Christi in illos misericordia, vt & ij, qui conuersi sunt ad Iesum, inter fideles reputati sint, ipsis peccata tàm grauia Deus dimiserit; pepercerit, & deleuerit. etenim ante mortem Christi, illum dicebant habere Dæmonium,& decreuerant, vt extra Synagogam fierent, qui illum esse Christum confiterentur: mortuum item seductorem appellarunt, Matth. cap. 27. nu. 63. Recordati sumus, quòd seductor ille, adhùc viuens dixit, post tres dies resurgam. In resurrectione etiam aliud grauius peccatum commiserunt, falsitatis, & mendacij: copiosam enim militibus dederunt pecuniam, vt dicerent, quia discipuli eius furati essent corpus Christi, Matth. cap. 28. nu. 13. Apostolis prædicantibus ipsi conuersi ad Dominum, pœnitentiam egere, & Dominus suscepit illos,& de execratione,& mendacio annuntiati sunt in consummatione. Annuntiauerunt enim illis Apostoli illorum grauia delicta,& peccata, atque falsitates, quæ in Christum commiserunt, & tamen illos ad perfectionem peruenisse, idest illorum prædicta peccata fuisse demissa; & hoc in ira consummationis, idest in ira Dei, quæ consummat, & perficit, Augustin. hìc.

Videamus, inquit, superiorem textum; cum comprehensi fuerint in superbia sua, annuntiabuntur ex maledicto,& mendacio consummationes. Quæ sunt consummationes? perfectiones: consummari enim perfici est. Aliud est consummari, aliud consummi: consummatur enim quod sic finitur, vt perficiatur; consummitur, quod sic finitur, vt non sit. Superbia quidem eos non permittebat perfici, facinus abstulit superbiam per eorum confessionem: Indulgentia deleuit facinus per Dei miserationem; & ex maledicto, & mendacio annuntiatæ sunt consummationes; Idest dictum est homini; vidisti quid sis, confitere quid sis; errasti, excæcatus

es, peccasti,& lapsus es; cognouisti infirmitatem tuam, supplica Medico, noli tibi videri sanus; vbi est Phrenesis tua? ecce Medicum occidisti, quem occidendo perdere non potuisti, tamen quantum ad te pertinuit, occidisti.

Ex maledicto,& mendacio annunciabuntur consummationes. Quod ad maledictum pertinebat fecistis, ò Iudæi; maledictus enim omnis, qui pendet in ligno, crucifixistis enim Christum, tamquam maledictum putastis. Mendacium dixistis cum precium dedistis militibus, vt mentirentur. Vbi est maledictum? vbi mendacium? Christus resurrexit, ex maledicto,& mendacio annunciabuntur consummationes. In ira consummationis, & non erunt. Quid est, inquit Augustin. In ira consummationis annunciabuntur consummationes? est ira consummationis,& est ira consumptionis; nàm omnis vindicta Dei, ira dicitur. Sed aliquando vt perficiat vindicat; aliquando vindicat, vt damnet: quomodò ad hoc vindicat, vt perficiat? Flagellat omnem filium, quem recipit, Matth. 25. num.7. vindicat, vt damnet, quando posuerit impios ad sinistram, dicens eis, Ite in ignem æternum, illa ira consumptionis est, & non consummationis. Annunciabuntur autem consummationes in ira consummationis, idest prædicabitur ab Apostolis, quia vbi abundauit peccatũ, superabundauit gratia. Ecce illi Iudęi, qui Christum crucifixerunt, pœnitentia ducti, pectora percutientes, iàm tales in ira consummationis,& non erunt amplius mendaces,& superbi. Hæc August.

Et tu Christiane, qui diù in peccato permansisti, an surdus factus es, quia Apostolorum voces non audis? Ecclesiam te vocantem spernis? Et non erunt, dicemus, in gratia Dei, si in peccato obstinati moriamini; nàm vobiscum erit ira Domini ad vindictam, ad consumptionem. Non sicut in pœnitentibus ad consummationem, quia non erunt in superbia, in qua comprehensi sunt; nàm humiles facti cognoscent, quia Dominus humilia respicit,& alta à longè cognoscit.

De execratione enim, & mendacio annunciabuntur in consummatione, idest Apostoli annunciabunt illos de dictis peccatis ad consummationem, idest ad perfectionem peruenisse, quia à Deo fuerunt illa peccata illis dimissa. In ira consummationis, idest in ira Dei, quæ consummat, & perficit; propterea dispergit, vt puniens illos saluet,& perficiat, non vt damnet. Hoc tamen intelligimus de illis, qui conuertentur, & si non conuertantur, ira Domini erit ad illorum consumptionem, non saluationem.

Negauerunt, Regem esse Iudæorum, confitebuntur Regem,& Dominum vniuersorum. Noli scribere, dicebant, Rex Iudæorum; nunc scribe, Rex cæli, & terræ: Nàm scient, quia Dominus dominabitur Iacob, & finium terræ, Hoc confitebuntur Iudæi, qui ad Dominum conuersi fuerint, quod negabunt, qui vsque ad noctem permanserint in infidelitate. Primi gaudentes, isti flentes & dolentes, errauimus, dicent, à via veritatis,& iustitiæ lumen non luxit nobis, & Sol intelligentiæ non est ortus nobis. Sed in via iniquitatis lassati sumus, & perditionis, & in malignitate nostra consumpti sumus, Sapien. cap. 5. num. 6. cum seq. Vide ò Christiane, ò fidelis, quantus illorum dispar sit exitus, vitæ, vel interitus.

Iàm Christum crucifixistis ò Iudæi, iàm Christus mortuus est: & nunc eum iàm resurrexisse intelligitis: & si ad vesperam, quia iàm resurrexit, annunciatæ sunt vobis ex maledicto,& mendacio consummationes in ira consummationis, quia cõprehensi fuistis in superbia vestra; ex maledicto quòd fecistis: quando Christum occidistis: inter manus vestras mortuus est Christus,& redemit multitudinẽ

gen-

gentium, effusus est sanguis, sed conuersis profuit omnibus, nàm, & si occiderunt, peccatum cognouerunt, & ideò ab illo delicti sui magni veniam meruerũt.

Vndè Augustin. & si post mortem, & resurrectionem Christi, quamuis cognouerint, conuertentur tamen, dixit Propheta, ad vesperam, & famem patientur vt canes, non vt oues, non vt vituli, sed vt canes, vt gentes, vt peccatores, qui cognouerunt peccatum suum: multiplicatæ enim erant infirmitates eorum, & postquam cognouerunt illorum peccata, posteà accelerauerunt, Psal. 15. vbi diximus.

Vndè hìc dicitur ad vesperam, quia tunc accelerauerunt, & ideò famem patientur vt canes, vt ad mensam Domini adducti satientur, percutiebant pectora, his auditis, & compuncti sunt corde, & dixerunt ad Petrum, & ad Apostolos: quid faciemus viri fratres. Ecce famem vt canes patiuntur, succurrite nobis Apostoli sancti: pœnitentiam, inquit Petrus, agite: & vnusquisque baptizetur in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum, & accipietis donum Spiritus sancti, Act. Apost. cap. 2. num. 37. & sequen. ò crudelitas Iudæorum, ò benignitas, & misericordia Redemptoris. Vel potius dicamus, ò felix crudelitas iniquorum, qua aperta est nobis via ad ingrediendum regnum cælorum; nàm illorum delicto salus facta est gentibus, ad Rom. cap. 11. nu. 11. delictum enim illorum, inquit, diuitiæ sunt mundi, & diminutio eorum diuitiæ gentium: Et eò magis plenitudo eorum, amissio itàq. eorum reconciliatio fuit mundi.

Conuertentur, sequitur Psalm. ad vesperam, & famem patientur vt canes, & circuibunt ciuitatem. Iàm de hoc supra diximus; quibus addere possumus, quod conuertentur ad vesperam, quando scilicet Enoch, & Elias, qui iàm rapti leguntur in cælum, redibunt ad fidem Christi prædicandam tempore Antichristi, in vltimis scilicet diebus, Malach. cap. 4. num. 5. Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini, magnus, & horribilis. Et conuertet cor Patrum ad filios, & cor filiorum ad Patres eorum, &c. Famem patientur vt canes, auidi ad audiendum verba salutis, & ad intelligentiam scripturarum, & illarum concordantiam. Tunc conuertentur quamuis ad vesperam, quia in plateis otiosi hucusque permanserunt; hora tamen vndecima, præueniente gratia Domini, vocati sunt, & ipsi in vineam missi sunt, corda itàq. Patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum, & singulos denarios receperunt & vltimi, sicut & primi, Matth. 20. num. 9.

Et circuibunt ciuitatem sanctam Ierusalem, Ecclesiam scilicet sanctam, quam Matrem, & Magistram cognoscent. Nec mirum, si vt canes famem passi sunt, donec & ipsi singulos denarios acciperent, sicut primi. Postquam enim in errore positi fuissent toto vitæ tempore de salute sua parum confisi, tandem circuierunt ciuitatem, Ecclesiam sanctam, & Doctores sanctos quærentes, pœnitentes, afflicti donec & ipsis dictum est: Quid hìc statis tota die otiosi? ite & vos in vineam meam, & quod iustum est, dabo vobis: & ecce fuit merces data sicut prioribus fidelibus, quia non vult Deus mortem peccatoris, sed vt conuersi viuant. Suppleat misericordia Dei, vbi prius erat offensa; vicerunt miserationes Christi, vt viuerent, qui prius in peccato erant mortui.

Ipsiq. vndecima hora vocati dispergentur ad manducandum extraneos à fide, sibi ipsis incorporabunt, hoc est alijs prædicabunt otiosis, & incredulis, vt etsi

ad vesperas; veniant tamen in vineam Domini, vbi est merces vna omnibus; Et si noluerint venire, & non fuerint in hoc prædicantes auditi, quia non erunt saturati, murmurabunt, hoc est reprehendent illos, & increpabunt.

Vel dicamus, Ipsi dispergentur ad manducandum, hoc est omnes inuitabuntur ad cœnam, & si non fuerint saturati, & murmurabunt, quia non habentes vestem nuptialem, eijcientur cum reprobis, nàm incredulitas eorum damnabit illos, sed si non fuerint saturati, ergo manducauerunt aliquid, quare ergo & ipsi non saluabuntur; Omnia, inquit Apostolus ad Philip. 2. facite sine murmuratione, & hæsitatione, vt sitis irreprehensibiles, & simplices, &c. manducauerunt isti, & non sunt saturati, quia non omnia præcepta Domini, tamquam ipsis visa vilia seruare voluerunt, ideò non sunt saturati, & murmurabant, quasi ipsis impossibilia seruanda mandarentur. An forsan ò infelices iubentis, & non obsequentis vtilitas ex obseruatione mandatorum mandatur? Quid? in os Domini reclamatis, quia durum & arduum videatur præceptum, dicentes, quia homines sumus, & fragili carne circundamur? ò cæcam insaniam! ò prophanam temeritatem. Duplici ignorantia accusatis Deum scientiæ, vt videatur nescire quod fecit, nescire quod iussit, quasi humanæ fragilitatis oblitus, cuius auctor ipse est, imposuerit homini mandata, quæ ferre non potest. Simulq. proh nefas, adscribitis iniquitatem iusto, pio crudelitatem, dum eum primo impossibile aliquid præcipisse conquerimini; deinde damnandum putatis hominem pro eo, quod vitare non potuit, vt, quod etiam suspicari sacrilegium est, videatur Deus non tàm salutem nostram quæsisse, quàm pœnam. Omnia, inquit Apostolus, facienda dixit, quia non impossibilia Deus mandat seruari sine murmuratione. Vnde Augustin. Tom. 2. ad Demetriadem Epist. 17. lit. E. inquit, Quid tergiuersamur incassum, & præcipienti opponimus naturæ fragilitatem. Nemo magis nouit mensuram virium nostrarum, quàm qui ipsas vires nobis dedit: nec quisquam melius quid possimus intelligit, quàm qui ipsam virtutem nobis nostri posse donauit: nec impossibile aliquid voluit imperare, qui iustus est, nec damnaturus hominem fecit pro eo, quod vitare non potuit, qui pius est. Murmurabunt ergo, quia non sunt saturati.

Ego autem cantabo fortitudinē tuam, & exultabo mane misericordiam tuam; ego autē idest Ecclesia, & iustus in ea in omni loco cantabo, & annunciabo fortitudinem tuam, quia exaltatus à terra omnia ad te ipsum traxisti, absorpta est mors in victoriam, 1. Corinth. cap. 15. nu. 54. quia de manu mortis liberasti nos Domine Iesu, Osee 13. num. 14. De morte redemit nos; ero, inquit, mors tua ò mors, morsus tuus ero inferne. Et exultans laudabo misericordiam tuam in redemptione iustorum. Mane, inquit, exultabo, quia tu Domine Iesu mane resurgens apparuisti Discipulis, & Magdalenæ. Mane inquam transactis tentationibus; nàm ad vesperam fletus, & mane lætitia, seù exultatio, vt Psalm. 29. vbi latius diximus: mane, inquit August. cum nox huius sæculi transierit; mane quando latronum insidias, & Diaboli, & Angelorum eius non expauescemus; mane quando iàm non ad lucernam Prophetiæ ambulamus, sed ipsum Dei Verbum, tamquam Solem contemplabimur; mane astabo tibi, quia non Deus volens iniquitatem tu es, Psalm. 5. num. 5. hæc Augustin.


Exultabo mane misericordiam, quia à labe procul tunc sum criminum: quia mentis diescunt tenebræ: exultabo manę misericordiam tuam, quia venit dies

tua, in qua reflorent omnia, & nos ad tuam gratiam reducti sumus; mane exultabo, quia cadet caligo noctium, vt lux sancta nos illuminet, exultabo mane misericordiam tuam.

Quia factus es susceptor meus, & refugium meum in die tribulationis meæ. Susceptor meus, quia tu me redemisti, & ego in te credidi; & quia in te credidi tribulationes passus sum, quia tu me dilexisti. Et refugium meum, quia ad te confugi. Propterea me suscepisti, & in misericordia tua me præuenisti: quia tu me prius traxisti. Nemo enim, dixisti, venit ad me, nisi Pater meus traxerit eum, Ioan.cap.6.num.44. Traxisti, quia, quidquid habeo, à te accepi, Paul. 1. Corinth. cap.4.num.7. Deus ergo meus misericordia mea. Augustin. ò nomen, sub quo nemini desperandum est, Deus, inquit, misericordia mea. Quid est misericordia mea? si dicas salus mea, intelligo, quia dat salutem; si dicas refugium meum, quia confugis ad eum; si dicas fortitudo mea, intelligo, quia das mihi fortitudinem: misericordia mea quid est? Totum quidquid sum, de misericordia tua est: sed promerui te, inuocando te. Vt essem, quid feci? vt essem qui te inuocarem, quid egi? si enim egi aliquid, vt essem, iàm eram antequam essem. Porrò si omnino nihil eram, antequam essem, nihil promerui, vt essem. Fecisti vt essem, & non tu fecisti, vt bonus essem? Dedisti mihi vt sim, & potuit mihi alius dare, vt bonus sim? Si tu mihi dedisti, vt sim, & alius mihi dedit, vt bonus sim, melior est ille, qui mihi dedit, vt bonus sim, quàm ille qui mihi dedit, vt sim. Porrò quia te nemo melior, nemo te potentior, nemo te in misericordia largior, à quo accepi, vt essem, ab illo accepi, vt bonus essem; Deus meus, misericordia mea; hæc Augustin.

Tibi ergo psallam, quia tu adiutor meus es in benè operando, adiutor meus tibi psallam, quia Deus susceptor meus es. Deus meus misericordia mea, propter quam me de manibus Diaboli tuo sanguine liberare voluisti, iniustam sententiam mortis sustinendo, vt iustitia tua vinceres potentiam Diaboli, Magister Sent. lib.3.dist.20. vbi dicit, quòd iustitia Christi superatus est Diabolus, non potentia; ab origene enim propter Adæ transgressionem sub peccato eramus, inquit Apostolus, filij iræ natura, scilicet vt est deprauata à peccato, non vt est recta creata ab initio, ad Ephes. cap.2.num.3.

Adiutor meus tibi psallam, quia Deus susceptor meus es, Deus meus misericordia mea; vt mane tibi adstem, mane inquam, in illa Ciuitate, quæ non eget Sole, nec Luna, quia claritas Dei illuminat eam, & tu Domine Iesu Agnus Dei lucerna eius es, & nox ibi non est, Apocalyps.cap.21.numer.23. pro his, quos tu Domine suscepisti, & à peccatis omnibus liberasti, vt intrent in illam Ciuitatem, in qua non intrabit aliquod coinquinatum, aut abominationem, & mendacium faciens, nisi qui scripti sunt in libro Vitæ Agni. Tibi ergo psallam, quia pater meus es tu, Deus meus, & susceptor salutis meæ, Psalm.68. numer.27. adiutorio ergo tuo Domine munitus, & misericordia adiutus, resurrectione glorificatus in Ecclesia tua sancta merear & ego laudes tuas immaculatis sensibus exaltare.



SOLILOQVIVM.

ERIPE ergo me de inimicis, ò Domine Iesu, & Deus meus, & ab insurgentibus in me libera me: vt iniquitatem operantes, & sanguinem sitientes longè sint à me. Nàm ecce irruentes in me cœperunt me, vt morti traderent; Tu solus Domine Iesu innocens, ego sanè peccator, at quamuis peccator, à te tamen redemptus, ab iniquitate absolutus, sine illa currens ad te, gressus meos direxi; praua enim mea in directa, & aspera in vias planas tu fecisti. Inimicus Diabolus tentare non cessat; sed tu Domino exurge in occursum meum, nàm tua est potentia, tu Deus Angelorum, & hominum, Deus Israel, ideò intende ad visitandas omnes gentes, vt quæ sterilis erat, pariens læta fiat. Tui non te receperunt, conuertentur post tuam resurrectionem gentes; & si ad Vesperam, circuibunt tamen Ciuitatem tuam, Ecclesiam sanctam, quia in omnem terram exiet sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Et famem salutis aliorum patientes, vt canes latrantes, salutem gentium anhelabunt. Propterea in ore suo, non in parabolis, sed clara voce loquentur, & erit verbum tuum tamquam gladius in ore eorum, vt feriant corda gentium. Quis enim talia audiuit, quæ ab Apostolis prædicata sunt? vt tibi seruire volentes abnegationem sui, & suorum, ac tribulationum sufferentiam pro tui amore sentiant sibi necessaria.

Et ad nihilum deduces omnes gentes, nàm facile tibi erit Domine, vt gentes ad te conuertantur. Tametsi & Iudæos, & infideles in sua fallacia persistentes tùm & irridebis; peccata fidelium ad nihilum redigens, quia non amplius eorum memor eris, Ego autem tribulatus seruus tuus fortis in bello, quia Deus susceptor meus es, fortitudinem, quam tu mihi dedisti, ad te custodiam, & illam tibi reseruo; scriptum enim inuenio, tibi vindicta, & tu retribues. Ostendisti tu mihi bone Iesu, quid inimicis meis retribuam: vt scilicet orem pro illis. Ne ergo illos occidas, sed ad lucem eos conuertas; Quod si Iudæi duræ persistant ceruicis, super illos sicut & super Cain, signum imponas, ne occidantur, vt sint tuæ pro nobis passionis testes, ac Rei. Ità enim non obliuiscentur populi tui, quod tu illos sanguine tuo redemisti. Disperge ergo ipsos Iudæos in omnem terram in virtute tua, vt vbi est Ecclesia tua sint & illi in testimonium veritatis. Depone illos protector noster Domine, vt sint tamquam non sint, & omnibus abominabiles fiant, propter delictum oris eorum, & labiorum ipsorum sermonem, & in superbia sua comprehendantur, vt de execratione annunciati in consummatione, quando venerit dies illa, tunc in ira consummationis consummantur, & non sint. Tunc scient, quia Dominator es Dominus Deus Iacob, & finium terræ; tunc fiet vnum ouile, & vnus pastor; Enimuerò & Iudæorum reliquiæ, & si ad vesperam conuertentur, tamen & vt canes famem patientes, esurient salutem, de commissis dolentes: circuibunt Ciuitatem, Ecclesiam nempè tuam, vt illorum etiam sit ingressus in illam: & qui salui fient, credentes dispergentur, vt audiant verbum tuum Domine: quicquid futurum sit de obstinatis, qui audierint, & non crediderint, adeoquè murmurabunt, & damnabuntur.

Ego

Ego autem cum Ecclesia tua cantabo fortitudinem tuam, quia tu solus Dominus, tu solus Altissimus Iesu Christe, qui ideò mane resurrexisti, vt Ecclesia ipsa tua sine macula exultans in misericordia tua tecum sit in tua ciuitate, vbi non tenebræ, nec nox, sed lux, & mane, idest dies vna. Quia tu Agnus Dei, lucerna es in illa, & in hac miseriarum valle susceptor meus, & refugium meum in die tribulationis, idest omni tempore huius sæculi esse voluisti. Dixisti, vobiscum ero vsque ad consummationem sæculi, in quo tribulor tota die, idest omni tempore. Psallamus ergo, qui in Dei Ecclesia sumus, laudando Deum, & præcepta eius seruando, quia Dominus Deus factus est susceptor noster; & adiutor in tribulationibus Deus noster, misericordia nostra. Et vos Sancti, & Martyres Dei coniuges, sed magis in fide Christi coniuncti, fortes in sua confessione fuistis, qui multitudinem mulierum, ac hominum ad fidem Christi conuertistis, pro Ecclesia sancta Dei, intercedite Chrysanthe, & Daria, quorum hodie festum recolitur, vt ad illam propter misericordiam Dei conuertantur infideles, & Iudæi, vt vna sit fides mentium, spes credentium, vna salus hominum, vna operatio in charitatis vinculo bonorum operum. Succurrat etiam mihi intemerata, atque Beata Virgo Maria, vt ego seruus eius ab illa merear protegi in die illa tremenda. Amen.

IN PSALMVM LIX.

Deus repulisti nos, & destruxisti nos: iratus es, & misertus es nobis.



ITVLVS. In finem. Pro his, qui immutabuntur in Tituli inscriptionem, ipsi Dauid in doctrinam; cum succendit Mesopotamiam Syriæ, & Sobal, & conuertit Ioab, & percussit Idumæam in valle Salinarum duodecim millia, ex 2.Reg.8.num.1. & cap.10.num.7. & 1.Paralip. cap.18.numer.1.

Ad cuius Tituli intelligentiam, primò declarabimus, quid nomina in illo scripta significent, & interpretentur, nàm Mesopotamia interpretatur eleuata vocatio: Syria, sublimis: Sobal, vana vetustas: Ioab, inimicus: Edon, terrenus. His omnibus figurantur elati magnitudine terrenæ vanitatis, quos vniuersos Christus, igne charitatis, quem in terra dignatus est mittere, accendit. Et conuertit Ioab inimicum hominem ad fidem; & percussit Edon, idest terrenos, vt viuant cælestes; Hos omnes supradictos Reges, & regna vicit, ac acquisiuit sibi Dauid subdita. Videas per te historiam, seù, vt melius dicamus Prophetiam, & historiam Dauid; relatam Paralipom. dicto cap.18. & cap.19. & 2.Reg. cap.8. & 10. ibi illam inuenies. Reges ergo à Dauide debellati fuerunt Mesopotamiæ, Syriæ, & Syriæ Sobal, Ioab, & Edon. Verùm quia solet propheticus spiritus in Psalmorum titulis aliquantulum recedere ab expressione rerum gestarum, & aliquid dicere, quod in historia non inuenitur, hinc secundum Augustin. Admonemur, non tàm propter rerum gestarum enarrationem esse huiusmodi titulos inscriptos, quàm propter futura præfiguranda. Sicut in titulo Psalmi trigesimitertij dictum est: quòd vultum suum mutauit

Dauid

Dauid coram Abimelech, & dimisit eum, & abijt, cum 1. Reg. cap. 21. scriptum sit, non coram Abimelech, sed coram Achis Rege. Ità in titulo Psalmi huius; nàm illos Reges debellasse, non autem aliquid succendisse legimus: hìc enim narrat, quòd succendit Mesopotamiam, Syriam, & Syriam Sobal; Quæ hæc significant, indicemus.

Non ergo historiam, sed prophetiam intelligimus, quæ in titulo posita sunt, & ex infrascriptis etiam demonstratur, quamuis in principio tituli posita sint; ad quid enim si historia, incipit Titulus, In finem? sequitur, Pro his, qui immutabuntur in tituli inscriptionem. Quæ enim immutatio? Quæ tituli inscriptio in hac historia vlterius, Ipsi Dauid in doctrinam. Nàm si ipse victor fuit, in populo vincendo; quem vidit, qua indiguit doctrina? Denique si non succendit Mesopotamiam, quomodò posuit, quia succendit illam? & sic de reliquo dicere possumus, quod sequitur in Titulo.

Prophetat ergo Dauid, & ea quæ ad ipsius doctrinam necessaria sunt, & ad nostram pro salute intelligentiam. In finem in Christum est Titulus, pro his, qui in tituli inscriptione supra Crucem Christi imponendi, immutabũtur à Regno scilicet Diaboli transeuntes ad regnum Christi, in quo & firmi erunt, & stabiles, Iesum Christum verum Regem gentium omnium, & Redemptorem esse confitentes; Ipsi Dauid, Ecclesiæ scilicet sanctæ in doctrinam, quam in illa prædicauerunt Apostoli, quorum excelsa extitit vocatio, & sublimis; nàm à Iesu Christo desursum sunt vocati, vt hanc doctrinam notam facerent Gentilitati; & Iudæis, qui in Domino credituri essent. Vt Deo seruire volentes, deponant veterem, & nouum induant hominem; Vide Augustinum peregregiè ad hoc probandum, philosophantem circà interpretationem nominum, quorum fit mentio in hoc titulo.

Continuari potest ad præcedentẽ, in quo visum est, quòd Hebræi iniqui, & peccatores semper erunt in hoc sæculo. Verùm cum pia Mater Ecclesia, omniũ salutem desideret, & vt procul sint ab ipsa peccatores, & illorum iniquitates; propterea præsenti in Psalmo, ac in titulo historiam Dauidis repræsentat, qui supradictos populos destruxit, & humiliauit, & eos, qui residui remanserunt, suos fecit subditos, & addictos: & ait, expellantur iniqui Hebræi, atque Hæretici, vt qui residui sunt, fiant mihi Christi Ecclesiæ subditi, & fideles; ideòq. Psalmus incipit.

Deus repulisti nos, & destruxisti nos: iratus es, & misertus es nobis, quando conuersi ad Dominum pœnitentiam de peccatis egimus. Misit enim Deus Pater filium suum vnigenitum in terram, vt peccatum repelleret, destrueret, & vt illorum iniquorum, contrà quos fuerit iratus, misereretur, si pœnitentes ad eum conuerterentur. Facit ad supradicta, quæ Ierem. in cap. 1. numer. 10. vbi Deus Prophetæ Christi personam gerenti dixit: Ecce constitui te hodie super gentes, & super regna, vt euellas, & destruas, disperdas, & dissipes, & ædifices, & plantes. Quid enim euellit, nisi peccatum, & Idola, quæ destruxit, & delet? quid plantat, nisi eos ipsos, quos à peccato liberarit in Ecclesiæ sanctæ tellurem?

Deus destruxisti nos, inquit Gentilitas, & repulisti nos, quia à te nos longè facti eramus propter peccata nostra: iratus nobis, sed & etiam misertus es nobis, quia tu venisti, mori voluisti, vt morte tua peccatum nostrum destrueres.

Nunc plebem suam Dominus, quam præsciuit, non repulit, ad Roman. cap.11.numer.2. & quamuis cum per tribulationem permiserit illam tentari, repellere eam videatur, non repellit tamen, sed dat nobis disciplinam, vt illius bonitatem iudicemus. Destruxisti nos malè ædificatos: inquit hìc Augustin. Vanam vetustatem destruxisti, vt sit ædificatio in nouum hominem, ædificatio in æternum mansura. Iratus es, & misertus es nostri: non misereris, nisi irasceris; Destruxisti nos in ira tua, sed ira tua in vetustatem nostram fuit, vt destrueretur vetustas. Sed misertus es nostri propter nouitatem: propter eos, qui immutantur in Tituli inscriptionem; corrumpitur exterior homo noster, interior tamen de die in diem renouatur. hæc Augustin.

Iratus es, & misertus es nostri, Habac.cap.3.num.3. Cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis. Quomodò autem Deus dicatur iratus; audi Ierem. cap.7.num.19. Nunquid me ad iracundiam prouocant, dicit Dominus: nonnè semetipsos in confusionem vultus sui? idest Non irascor ego propriè, nec perturbor, sed ipsi se dignos efficiunt ira mea propter scelera sua, quibus thesaurizant sibi iram, & euadunt vasa iræ; Sic intelligitur, quod dixerat Lactantius lib. de Ira, & D.Thom.1.2. quæst.47. art.1. quando dicunt dari iram in Deo, sine commotione, & tristitia, nàm aliàs ira propriè dicta includit imperfectionem, D.Thom.1.par.quæst.20.art.1. nàm supponit tristitiam in irato, quæ non est in Deo; Vndè Gregor. 32. Moral.cap.7. furorem illum, quem Deus in die iudicij habiturus describitur, sic explicat. Furor Domini, dicitur, non perturbatio diuinæ substantiæ, sed super peccatores malè sibi conscios examinatio iustæ vindictæ. Quamuis enim eum tranquillum in iudicio videant, tamen quia feriendos se ab illo non dubitant, cum suis motibus perturbatum putant.

Sed si miseretur quomodò iratus, & si iratus quomodò miseretur. Iratus est cum tribulationes mittit, vt peccator resipiscat, & cum ille confessus fuerit iniustitiam suam, Dominus miseretur, & remittit, Augustin. Tom.9. Tract.44. in Ioan. litera F. & lib.50. Homil. homil.43. aliàs Tom.10.cap.5. Nescio, inquit, quid potest mouere in verbis illius, qui cæcus erat, Ioan.cap.9. & fortè multos non benè intelligentes facit desperare; ait enim inter cætera verba sua idem, cui oculi aperti sunt, scimus, quia peccatores Deus non exaudit. Audemus rogare Deum, si peccatores non exaudit? Date mihi qui roget, ecce est qui exaudiat; date qui roget, discutite genus humanum ab imperfectis ad perfectos. Date mihi illum Publicanum. Veni Publicane, sta in medio, ostende tuam spem, ne infirmi perdant spem. Ecce ascendit Publicanus cum Pharisæo orare, & deiecta facie in terram dicebat longè stans, tundens pectus: Domine propitius esto mihi peccatori. Verùm dixit, an falsum? si verùm dixit, peccator erat, & exauditus est, & iustificatus est. Quid est ergo quod dixisti tu, cui Dominus oculos aperuit; Scimus quia peccatores Deus non exaudit? ecce peccatores Deus exaudit: sed laua interiorem faciem tuam, fiat in corde tuo, quod factum est in facie tua, & videbis quia peccatores Deus exaudit. Idem Augustin. Tom.10. homil.43. cap.5. & cap.6. Facit illud Genes.cap.25.num.23. & cap.32. num.18. & 20. Maior seruiet minori, non tamen Esau seruisse Iacob legimus, immo potius Iacob Esau vocauit Dominum suum, d.cap.32.num.20. & 33. num.14. Præcedat Dominus meus ante seruum

suum Iacob. Quomodò autem seruierit, declarat ipsemet Augustin. Tom.10. Serm.78. de Tempor. litera D. inquit enim.

Quo ordine maior seruit minori; illo vtique, quo mali seruiunt bonis; non vtique obsequendo, sed persequendo, quomodò ergo mali seruiunt bonis; quomodò persecutores Martyribus; quomodò limæ, vel mallei auro; quomodò molæ seruiunt tritico; quomodò panibus coquendis fornalia, vt illi coquantur, illi consummentur. Quomodò, inquam, mali seruiunt, eodem modo, quo in fornace aurificis palea seruit auro, vbi sine dubio palea consummitur, aurum probatur, &c. De vno ergo semine, Isaac, & Esau nascitur, & Iacob, sicut de vno Baptismo Domini Saluatoris, & de Ecclesiæ vtero procreatur populus Christianus, qui tamen pro morum diuersitate, sicut Esau, & Iacob in duas partes diuiditur, cum ex fructibus operum vna pars cognoscitur carnalis, alia spiritalis: ideò autem dixit maior seruiet minori, quia maior est semper numerus malorum, quàm bonorum, sicut illi duo paruuli in vtero Rebeccæ, ità & isti populi in ventre Ecclesiæ, vsquè in diem iudicij colliduntur, dum, sicut iàm suprà diximus, humilibus aduersantur superbi; dum, quorum infinitus est numerus, ebriosi sobrios insectantur; dum benignis inuidi æmulantur; dum eleemosynarios raptores; dum pacificos extinguere cupiunt iracundi; dum eos, qui cælestia sapiunt, ad terram retrahere luxuriosi conantur.

Deus repulisti nos, & destruxisti nos, scilicet eos, qui ex populo tuo Christiano mali sunt, & peccatores; iratus tamen videris esse nobis, vt castigati à malis, & persecutionibus iactati, miserearis nobis; vt & illorum, qui mali sunt miserearis, quatenus sunt pœnitentes, & contriti à malo se retrahentes. Et ad hunc sensum, quod de Iacob dicitur: honestauit illum in laboribus, intelligendum, colligitur manifestè ex lectione Græca, quæ habet, Locupletauit eum in ærumnis, vel per ærumnas. Iratus est ergo Dominus cum tribulationes mittit, vt peccator conuersus resipiscat, dicens, Confitebor iniustitiam meam Domino, vt ipse remittat iniquitatem meam, Psalm.31.num.6. vel vt bonus per malos exerceatur.

Commouisti terram, & conturbasti eam, sana contritiones eius, quia commota est. Commouit populum, dicens, se esse Christum, Luc.cap.23.num.6. Et benè dixerunt, quia vibrato gladio spiritus ab errore ad pœnitentiam ducebat illos; & docebat, dicens, Pœnitemini, & credite Euangelio, Marc.cap.1. num.16. appropinquauit enim regnum Cælorum. Commouisti terram, & conturbasti eam, nàm aperti sunt eis oculi, & agnouerunt peccata sua, percutientes pectora sua turbabantur à timore peccati, Act. Apostol. cap.2.nu.37. Compuncti enim omnes corde his auditis, &c. Conscientia enim peccatorum accusante ad pœnitentiam conturbasti eam. Augustin. Commouisti terram, & conturbasti eam; quomodò conturbata est terra? conscientia peccatorum, quò imus? quò fugimus, quando gladius ille vibratus est? agite pœnitentiam, appropinquabit enim regnum Cælorum, non enim digna est sanari, si mota non est, sana, inquit, contritiones eius, quia commota est, non est ergo dignus sanari, qui iudicium venturum non crediderit, si minas de Deo venturo non audierit.

Post hæc percussa terra, succensa vetustate, mutato homine in melius, facta

luce

luce eius, qui tenebræ fuerunt; sequitur quod Eccles. cap. 2. numer. 1. scriptum est, Fili accedens ad seruitutem Dei, sta in iustitia, & timore, & præpara animam tuam ad tentationem, deprime cor tuum, & sustine, inclina aurem tuam, & suscipe verba intellectus, &c. Prior labor, vt displiceas tibi, & peccata tua expurges, & in melius muteris; Secundus labor pro eo, quod mutatus es, ferre tribulationes huius sæculi ac tentationes, & inter illas perseuerare vsque in finem. Hæc Augustin.

Commouisti terram, & conturbata est; quis est hic? clamabant, vestimenta prosternebant ante pedes eius, hic est Iesus, Matth. cap. 21. numer. 11. Tu ergo Iesu Christe commoueas hanc terram nostram, ecce vestimenta nostra ante pedes tuos prosternimus, superfluitates nostras, peccata nostra. Quis est iste, qui commouet corda, & corpora nostra; nisi tu Deus meus, Redemptor meus? sana Domine contritiones animæ nostræ, quia commota est.

Ostendisti populo tuo dura, potasti nos vino compunctionis. Dura enim videbantur, vt abnegaremus sæcularia desideria; immo & nosmetipsos, vt & tuam tolleremus Crucem, & sequeremur te. Quæ tamen dura videntur carnalibus, leuia sunt bibentibus vinum compunctionis. Dura ostendisti, quia factus es carnalibus in traductionem, idest redargutionem, propterea grauis illis es, & ad videndum, quoniam vita tua dissimilis est ab alijs, & immutatæ sunt viæ tuæ, Sapien. cap. 2. numer. 12. cum sequen. Non enim sciuerunt sacramenta Dei; ideò dura. Leuia tamen sunt, quia laborantes, & grauia portantes peccatorum onera reficis: Venite, inquiens, ad me, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos, Matth. cap. 11. numer. 28. Dura, quia ventus superbiæ inflauit; Leuia, quia spiritus sapientiæ humiliat, alta enim Deus de longè cognoscit, & dispergit superbos mente cordis sui, humiles verò exaltat.

Ostendisti populo tuo dura; potasti nos vino compunctionis. Nàm qui volunt in te Christe piè viuere, persequutiones patientur, 2. ad Timoth. cap. 3. numer. 12. ostendisti dura populo tuo, vt te attentius quæreret; omnem filium, quem recipis, castigas. Et potasti nos vino compunctionis, nàm per miserias huius vitæ homo ad cognitionem Dei, & sui ipsius ducitur, ac de suis peccatis compungitur, quia de suis facinoribus ad te reuerti desiderat. Vinum, dicit Hieronym. lex populi Dei vtile legitur, & ipsa compunctio gratia Dei est.

Vinum in modico sumptum corpus nutrit, & sanat, compunctio, & contritio animam à peccato liberat, & Deo facit propinquam: vinum in magna quantitate sumptum nocet corpori, & animæ; vinum verò compunctionis, & contritionis quò maius, eò magis viuificat animam, & corpus, & sanat, ò magnam vini compunctionis virtutem, ò felicem hominem, illud oblatum à Deo sumentem, & retinentem: nàm per illud beatificatur, viuificatur, reducitur, adducitur in patriam cælestem, vbi creatus est, reuertitur, & reddit animam Deo, qui illam creauit in Cælo. Eia ergo cantemus, & psallamus Domino, qui tale vinum dedit in corde nostro, Augustin. in Psalm. 68. litera A. Putatis fratres hoc Christo tantummodò contigisse? Quotidie illi in membris eius contingit. Quando fortè necesse erit seruo Dei prohibere ebrie-

tates, & luxurias in aliquo vel fundo, vel oppido, vbi non auditum fuerit verbum Dei, parum est, quia cantant, insuper & in ipsum incipiunt cantare, à quo prohibentur cantare. Comparate nunc illius ieiunium, & illorum vinum; In me psallebant, qui bibebant vinum, vinum erroris, vinum impietatis, vinum superbiæ, hæc supradicta, quæ auditum verbi Dei prohibent; abijciamus à nobis, & vinum compunctionis bibentes psallamus Domino, dicentes, Benedictus Dominus, qui visitauit, & fecit redemptionem animæ nostræ; Venite ergo omnes sitientes, & qui non habetis argentum properate, venite, & bibite: Venite, emite absque argento, & absque vlla commutatione vinum, & lac, audite, & bibite, & viuet anima vestra, Isaiæ cap. 55. numer. 1. & 2.

Nam Dominus dedit metuentibus se significationem, vt fugiant à facie arcus: Docuit enim nos, vt in amore, & timore ad illum accedamus: Nihil enim deest, Psalm. 33. timentibus eum; glorificantur enim omni bono, Psalm. 14. timentes autem Dominum glorificat, & firmamentum est omnibus timentibus eum, Psalm. 24. num. 14. salutare enim suum propè timentibus eum, Psal. 84. num. 10. Fugiamus ergo à facie arcus, ab impugnatione futuræ vindictæ, iudicij scilicet futuri: quod nos terrere debet, quamuis nondum damnet. Si enim hic, permittente Deo, tribulamur, & acriter aliquando; quid erit in futuro perpetuò duraturo? Hic nos tentat vt exerceamur, illic iudicat perpetuò damnaturus. Timentes Dominum fugiamus à facie arcus, quia eò amplius quod retrahitur chorda, eò impetuosius sagitta in anteriora fertur; sic & iudicium, quanto magis differtur, tantò grauius venturum est. Imitemur ergo Crucis vexillum, nam si socij passionis fuimus, & resurrectionis erimus; tollat vnusquisque Crucem suam ad imitandum Saluatorem, vt à facie arcus, à venturo iudicio fugiamus; hoc enim docuit nos Scriptura sancta, vt si post Christum cupimus esse, tollamus Crucem suam, & sequamur illum.

In finem ergò doctrina David, Ecclesiæ scilicet. Dixit Apostol. Petr. 1. cap. 4. numer. 17. Tempus est, vt iudicium incipiat à domo Dei, si autem primum à nobis, quis finis eorum, qui non credunt Dei Euangelio? & si iustus vix saluabitur, impius, & peccator vbi parebunt? itaquè & hi, qui patiuntur secundum voluntatem Dei, fideli Creatori commendent animas suas in benefactis. Hanc enim significationem metuentibus Dominus Deus dedit, vt fugiamus à facie arcus, qui pro infidelibus paratus est, vt eos magis feriat; arcum enim suum tetendit, & parauit illum, & in eo parauit vasa mortis, sagittas suas ardentibus effecit, Psalm. 7. num. 14.

Dominus dedit metuentibus se significationem, & quam significationem, nisi illam, de qua in Psalm. 17. numer. 36. Et disciplina tua correxit me in finem, & disciplina tua ipsa me docebit? Arcus Domini sagittam emittens vulnerat ad mortem: sed ad quam mortem, nisi perpetuam infernalem? Ibunt directè emissiones fulgurum, & tamquam à benè curuato arcu nubium exterminabuntur, & ad certum locum insilient, Sapien. cap. 5. num. 22. Docet ergo metuentes Dominum, nedum, vt fugiant à facie arcus, sed & ne illum videant, à facie enim, dixit, arcus fugiant. Tetendit enim arcum Dominus, donec infirmentur, Psalm. 57. numer. 8. donec infirmentur non ad mortem, sed ad sanitatem: Minatur verbera, vt fugiamus à poena; minas

me-

metuentibus minatur, quas in pœnam vertit infidelibus, & obstinatis; vt metuentes aliorum exemplo discant, quàm grauis sit illorum pœna, quæ est ex peccato, sed si à facie arcus fugiendum, qualis erit iactus illius, & quale vulnus illatum à sagitta; Liberet nos Dominus ab ira sua, idest à peccatis nostris, propter quæ venit Dei ira, à sagitta vulnerante.

Sint sagittæ paruulorum, verba Apostolorum, quibus arcus fortium superatur; Etenim iniqui fortes vulnerati sunt, & ceciderunt, nos autem infirmi surreximus, & liberati sumus, Psalm. 19. num. 9.

Vt liberentur dilecti tui, saluum fac dextera tua, & exaudi me; Orat in his Ecclesia pro iustis suis dilectis Dei, pro fidelibus suis, vt dextera Domini saluet illos, & liberet. Saluum fac dextera tua, & exaudi me: non vt in terrenis, sit illorum salus, nec vt disciplinam auferas ab illis; sed vt ad dexteram tuam illos ponas, & audientes te dicentem: Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, &c. Pone illos ad dexteram, non ad sinistram, Matth. cap. 25. numer. 34. Exaudi me, quia dexteram tuam peto. De salute temporali non est petitio mea, de qua fiat voluntas tua. Augustin. sed peto, quod dare vis. Non verbis delictorum meorum clamabo per diem, & noctem, Psalm. 21. & non exaudies, & non ad insipientiam mihi, sed vtique ad commonitionem, addendo saporem de valle Salinarum? vt in tribulatione nouerim quid petam. Peto autem vitam æternam; ergo exaudi me, quia dexteram tuam peto, de his, inquit, semper exauditur, de terrenis verò non nisi vtiliter.

Vt liberentur, inquit, dilecti tui, saluum me fac dextera tua, & exaudi me. Mitte quem missurus es, qui est filius tuus, dextera tua, qui sedet à dextris tuis, saluum me fac, scilicet Ecclesiam tuam sanctam, quæ Mater sum omnium fidelium, qui tui etiam sunt dilecti, quos tibi Domine paritura sum; nunc enim sterilis, sed in aduentu tuo tentoria mea dilatabo, & cum dilectis tuis ego salua ero: veniat ergo Domine dextera tua, vt liberentur dilecti tui, saluam me fac, & salua ero, quia laus mea tu es.

Dedisti mihi significationem, vt fugiant dilecti tui metuentes te à facie arcus, vt liberentur dilecti tui, exaudi me, Gregor. lib. 9. Moral. cap. 33. Solos quippè præsens aduersitas à supplicio liberat, quos immutat, nàm quos præsentia mala non corrigunt, ad sequentia supplicia perducunt; Hæc autem, dixit Gregor. quia aduersa à Deo immissa nobis non omnes corrigunt, immo aliquos magis indurant, Vndè aliquibus fiunt ad correctionem, aliquibus autem ad damnationis initium. Immutabuntur dilecti tui, qui disciplinam tuam libenter sustinentes, ab offensionibus tuis se abstinebunt, vt præsens pœna illos ab æterno supplicio defendat, Paul. enim 1. Corinth. cap. 11. numer. 32. Cum iudicamur, à Domino corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur. Orat ergo, vt flagella quæ hìc iusti patiuntur, non ad damnationem, sed ad salutem sint: ideò, inquit, vt liberentur dilecti tui; per flagella, quæ hìc patiuntur, liberentur à pœnis æternis. Non peto terrena, sed ne perdas ouem, quam tu redimes, & pro illa iàm perdita, & inuenta tàm magnum gaudium erit in cælo, supra nonaginta nouem, Matth. cap. 18. numer. 12. Mitte, inquit Ecclesia, quem missurus es, & ideò sequitur versiculus.

Deus locutus est in sancto suo, idest in Christo, quem mittere promisit, &

ipſe ſalutem dabit, & ideò ſequitur Eccleſia. Lætabor, & partibor Sichimam, & conuallem tabernaculorum metibor,ſed in quo lætaberis Eccleſia Dei? quia, inquit, partibor Sichimam: Sichem, humerus interpretatur. Quia in humero meo, inquit Eccleſia, partibor Gentilitatem, quæ ad Dominum conuertetur, & Iudæam, quæ in eumdem crediderit.

Lætabor, quia hæc Deus locutus eſt in ſancto ſuo, ideſt in Ieſu Chriſto filio ſuo, qui ſolus ſanctus eſt, qui eſt lapis angularis, qui ex vtraque faciet vnum, nàm ex Iudæis, & Gentilitate conſtituet Eccleſiam, ideò lætabor, & partibor Sichimam, propterea dixit, quia ex vtraque conſtituet vnam, ſcilicet illorum, qui crediderint.

Et conuallem tabernaculorum metibor: Sichima enim eſt locus, vbi Iacob rediens à Laban fecit tabernacula: propter oues, & armenta, & vocauit Sochot, ideſt Tabernacula, vbi etiam Rachel abſcondit Idola, quæ habebat de Syria, & erat locus ille in partibus Syriæ, vbi Gentiles habitabant, Geneſ. cap. 31. Et abſcondit ſubtus therebintum ſecundum hiſtoriam; Per Sichimam ergo intelligit gentes, quæ diuiſæ ſunt, quia non omnium fides eſt, alij enim credunt, alij non, partibor ergo dicit Sichimam, ideſt Gentilem populum diuidam, quia non omnes conuerſi ſunt ad fidem, ſed aliqui ſic, & quidam non, ſicquè fuerunt diuiſi. Hos, quos diuidit de Gentilitate, & de Iudæis ſuper Sichimam, ſuper vtrunque humerum coram Domino portat Eccleſia; hæc ſunt enim nomina iuſtorum filiorum Iſrael, quæ coram Domino portauit Aaron, Exod. capit. 28. numer. 12. ſuper vtrunque humerum ſuum, vt in libro Vitæ ſcribantur, Apocalypſ. cap. 21. numer. 27. De his lætabor, dicit Eccleſia, ſicut Deus locutus eſt in ſancto. Etenim in illis requiem inuenit, inter iſtos terminos accubat Eccleſia, ſupponit humerum ſuum ad portandum, quia hæc eſt merces ſua, hoc eſt præmium illius, ſaluatio iuſtorum. Vndè habemus Geneſ. cap. 49. num. 15. quòd Iſſachar, qui interpretatur merces, & præmium, dictum eſt, Aſinus fortis accubans inter terminos, vidit requiem, quòd eſſet bona, & terram, quòd optima, & ſuppoſuit humerum ſuum ad portandum. Fortis enim eſt Eccleſia Dei, quia ſuper lapidem Chriſtum eſt fundata, aſinus, quia humilis, & facta eſt tributis ſeruiens, quæ quotidie generat iuſtos, & fideles Deo.

Lætabor ergo, & partibor Sichimam, & conuallem Tabernaculorum metibor; In libro Ioſue cap. 24. per totum, & præcipuè num. 25. cum ſequen. habetur quòd poſt multas ipſius Ioſue monitiones præcedentes, populo Iudaico, ſi Deo ſeruire volebant, admonens illos, quia Deus ſanctus, & fortis æmulator eſt, nec ignoſcit ſceleribus illorum, atque peccatis, ideoquè illos affliget, ſi alienis Dijs ſeruiſſent: Nequaquam, reſponderunt, vt loqueris erit, ſed Domino ſeruiemus. Ioſue ergo in illo die percuſſit fœdus, & propoſuit populo præcepta, atque iudicia in Sichem, &c. Tulit lapidem pergrandem, poſuitquè eum ſubter quercum, aliàs dicit ſubter therebinto ante Dominum. En, inquit populo, lapis iſte erit in teſtimonium, quod audieritis omnia verba Domini, quæ locutus eſt vobis, &c. ne poſteà fortè negare velitis, & mentiri Domino Deo veſtro. Nunquid lapides audiunt? Lapis, inquit, qui eſt Chriſtus, in humilitate poſitus, ſuper lignum poſitus, in teſtimonium nobis Chriſtianis, quia ſi non fecerimus, quæ dixit, iraſcetur Dominus.

Ergo

Ergo lætabitur de iustis, an lætabitur & de perditis? Lætabitur, inquam, quia in testimonium lapidem posuit, vt obseruantes promissa sint inter iustos; & contrà pacta non obseruantes etiam lætabitur, quia etsi subuertens, atque disperdens, vt auferantur de terra, Deuteronom.cap.28.num.63. Lætabitur tamen. Vide Augustin. Tom.4. super Iosue quæst.30. litera C. fol.115. vbi prædictum locum exactè pertractat.

Lætabor cum his, qui nouum testamentum receperunt, & partibor Sichimam, idest diuidam ab iniquis, & mentientibus, qui illud seruare promiserunt. Diuidam Iudæos conuersos ab infidelibus, & iniquis, & conuallem Tabernaculorum metibor; de Iudæis enim intelligit, quorum Tabernacula diuisit, nàm alia Tabernacula Dei cum hominibus, & de his lætabor; alia verò infidelibus, & Idolis, & ista cum iniquis reputentur damnata, quos in infidelitate reliquit.

Lætabor, & partibor Sichimam, S. Hieronym. Quidam Sichimam Samariam putant, conuallem verò Tabernaculorum, hanc habitationem terrenam; ergo cum venerit Dominus in lætitia splendoris æterni iudicare mundum, diuidet Samariam, & conuallem Tabernaculorum dimetietur, tunc aliam partem ad beatitudinem transferet, aliam verò, quam iniustam reperiet, cum infidelibus puniet.

Sed quæ tua erit pars Ecclesia Dei, quæ pars te continget, quam partem accipies? declarat in sequenti versiculo, dicens.

Meus est Galaad, meus est Manasses, & Ephraim fortitudo capitis mei. Quid enim per Galaad intelligit, nisi Martyres sanctos, qui sunt in testimonium fidei; nàm Galaad est mons, vbi Laban comprehendit Iacob fugientem, Genes.cap.31.num.28. vbi post rixas, & iurgia pacificati sunt, & fœdus amicitiæ simul inierunt, collectis lapidibus fecerunt Tumulum, & super illum comederunt, quem Laban vocauit Tumulum testis, & Iacob Aceruum testimonij; dixitq. Laban, Tumulus iste testis erit inter me, & te, & sic Galaad idem est, quòd aceruus testimonij, dum inter omnia opprobria Christiani nominis Christum constanter confiterentur. Est ergo sensus, meus est Galaad, idest meus est aceruus testimonij, idest mei sunt Martyres veri, quia illos conuersos, fidei efficio testes.

Meus, sequitur, est Manasses, & Ephraim fortitudo capitis mei; Fuit enim Manasses primogenitus Ioseph, qui hoc nomine vocauit eum, dicens; Obliuisci me fecit Deus laborum meorum, & domus Patris mei, Genes. cap.41. Manasses ergo interpretatur oblitus, seù obliuio. Meus ergo erit, quem confusionis adolescentiæ suæ pudebit, & qui opprobrij gentilitatis suæ, vel peccatorum non recordabitur amplius, Isai.54.num.4. quia de præteritis egerit pœnitentiam, & obliuiscetur pristinorum, peccatorum ne in ea recidat, hoc est occasionem peccandi fugiet; Augustin. Erat ergo, inquit, confusio Ecclesiæ aliquando, quam modò oblita est; confusionis enim, & ignominiæ viduitatis suæ iàm non est memor. Quando enim erat quædam confusio inter homines, aceruus testimonij factus erat, modò iàm nemo meminit illius confusionis, quando ignominia erat esse Christianum, iàm nemo meminit, iàm omnes obliti sunt, iàm meus est Manasses, hæc Augustin.

Meus ergo est Manasses, qui à vitijs alienus erit, qui veteris vitæ oblitus

 fuerit,

fuerit, & nouam amplexabitur, & Euangelium non erubescet, ad Roman. cap. 1. numer. 16.

Et Ephraim fortitudo capitis mei. Alter Ioseph filius fuit Ephraim, qui fructificatio dicitur. Qui ergo exemplo, & verbo filios peperere, hi Ephraim, hi fortitudo capitis nostri dicuntur. Meus ergo est Manasses, malæ vitæ veteris oblitus; meus Ephraim, qui permanens in innocentia vitæ alios verbo, & exemplo ad vitam instruxerit. Hi sunt, quibus dicitur, Nudus eram, & cooperuistis me, &c. Venite benedicti Patris mei, percipite Regnum, quod vobis paratum est à constitutione mundi, Matth. 25. num. 36. hi sunt, qui talia facientes, amici Dei facti sunt.

Et dicent, Iuda Rex meus, idest Christus Rex meus, de Iuda enim natus est Christus. Hunc Iudam laudandum à fratribus dixit Iacob, illum benedicens, Genes. cap. 49. litera A. numer. 8. Manus tuæ in ceruicibus inimicorum tuorum, adorabunt te filij Patris tui. In ceruicibus enim inimicorum manus suæ: nàm Moab, populus enim est qui descendit à Moab, quem maior filia Loth genuit abutens Patre ebrio, abutentes ergo lege, mala opera genuerunt, ex quibus olla, idest tribulatio Ecclesiæ oritur, quæ feruens est à Diabolo, de qua Ierem. cap. 1. num. 13. Ollam succensam ego video, & faciem eius à facie Aquilonis. Et dixit Dominus ad me, ab Aquilone pandetur omne malum super omnes habitatores terræ. Super hanc Moab ollam est spes Ecclesiæ, quia conuertentur ad Dominum; nàm sequitur Ierem. dicto cap. 1. Quia dicit Dominus, ecce ego conuocabo omnes cognationes Regnorum Aquilonis, & venient, & ponent vnusquisque solium suum in introitu portarum Israel, &c. A Christo duce olla iniquitatis facta spei, non consumptionis; quia tribulatio patientiam operatur, patientia verò probationem, ad Roman. cap. 5. probatio verò spem, quum charitatis flamma in cordibus diffusa ardet contrà ollam iniquitatis.

Secundum Gloss. sensus, est Iuda, idest Christus, Rex meus, inquit Ecclesia, ignem misit subtus ollam, & mota est terra, idest corda carnalium ebullientia in olla accensa, legibus abutentium, & facta spes mea, vt igne contritionis, & doloris accensi sequantur Dominum Iesum Christum.

In Idumæam extendam calceamentum meum, mihi alienigenæ subditi sunt. Supra dixerat, quæ esset pars illius, dicens, meus est Galaad, meus est Manasses, &c. nunc quid de istis partibus facturus sit, declarat, Quia in Idumæam extendam calceamentum meum, idest calcabo omnem terram, ità Deuteron. cap. 33. numer. 25. ibi Aser, ferrum, inquit, & æs calceamentum suum: idest calcabis terram metalli, ferri, & æris, idest Iudæos, & Gentiles, Isai. 48. num. 4. Sciui enim quia durus es tu, & neruus ferreus ceruix tua, & frons tua ærea. Eadem verba repetuntur in Psalm. 107. numer. 8. Calceamentum meum, idest Euangelium; quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis, idest quàm benè calceati pedes ad euangelizandum, Cantic. cap. 7. num. 1. Vndè Isai. cap. 52. numer. 7. Quàm pulchri super montes pedes annunciantis, & prædicantis pacem, annunciantis bonum, prædicantis salutem, dicentis, Sion: regnabit Deus tuus? Vox speculatorum tuorum leuauerunt vocem, simul laudabunt, quia oculo ad oculum videbunt, cum conuerterit Dominus Sion, &c. & num. 10. Parauit Dominus brachium sanctum suum in oculis omnium gentium, &

vide-

videbunt omnes fines terræ salutare Dei nostri, & cap.26. num.5. conculcabit eam pes, pedes pauperis, gressus egenorum, Nahum. 1.nu.15. & Paul. ad Rom. cap.10.num.15. Quàm speciosi pedes euangelizantium pacem, Extendam calceamentum meum, quia mittam Discipulos meos in vniuersum mundum: dicens illis, Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ, Matth.cap.16.num.16. Matth.cap.28.num.19. In Idumæam extendam calceamentum meum; nec mirandum, nàm terra est scabellum pedum Domini, Isai.cap.66.num.1. & ideò omnes gentes, quascumque fecisti venient, & adorabunt coram te, Psalm.85.num.9. facit 3.Reg. cap.8.num.41. Insuper & alienigena, qui non est de populo tuo Israel, cum venerit de terra longinqua propter nomen tuum magnum, &c. vt diffusius tractauimus in libro contrà Iudæos, in titulo de Gentium vocatione.

Sed quomodò dixisti, In Idumæam extendam calceamentum, mihi alienigenæ subditi sunt, tu nondum calceamentum extendisti, & iàm subditos tibi alienigenas fecisti, cum subieceris in versiculo sequenti, Quis deducet me in ciuitatem munitam? quis deducet me vsque in Idumæam?

Aduertendum puto, quia non dixit, induxisti in Idumæam calceamentum, sed vt Propheta, quod futurum est prænunciat, quòd scilicet calceamentũ suum deducet, & alienigenas sibi subditos acquiret: & ne ipsum quærere putemus gloriam suam, ne putetis, inquit, quòd virtute mea subijciam mihi, aut viribus meis Idumæam sim acquisiturus; Quis deducet me in hanc ciuitatem munitam? an mundus, an vires meæ, atque virtutes? non, inquit; sed solus Deus, cui omnia subiecta sunt; Nonnè, inquit, tu Deus, qui repulisti nos? & repulisti nos ad tempus? quia pœnitentes, & disciplinam tuam suscipientes cognouimus ad te reuersi peccata nostra, propterea tu suscepisti nos, & non egredieris Deus in virtutibus nostris, quia ad te conuersi sumus? & in auxilium nostrum cum exercitu tuo nó egredieris? cum tui simus, & pro te pugnemus contrà inimicos tuos? Ecclesia enim locuta est. Vsque in Idumæam, vsque ad Hebræos obstinatos, & infideles contrà quos & victoriam reportabimus, quando scilicet fiet vnum ouile, & vnus pastor.

Quis ergo deducet me in ciuitatem munitam? Nonnè tu Deus meus? Vndè Isai.60.nu.5. Tunc videbis, inquit, & afflues, mirabitur, & dilatabitur cor tuum, quando conuersa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentiũ venerit tibi, &c. & num.11. & aperientur portæ tuæ iugiter, die, ac nocte non claudentur: vt ad te afferatur fortitudo Gentium, & Reges earum adducantur, Gens enim, & Regnum, quod non seruierit tibi, peribit.

Vel aliter dicamus, Quis deducet me, idest Ecclesiam militantem in ciuitem munitam, vel circumstantiæ, nisi Deus, Augustin. Quæ est ciuitas circumstantiæ? nàm commemoraui in alio Psalmo, vbi dictum est, & circuibunt ciuitatem; Gentiũ circumfusio est ciuitas circumstantiæ, quæ circumfusio Gentium habebat in medio vnam gentem Iudæorum colenté vnum Deum: cætera gentium circumfusio Idolis supplicabat: Dæmonibus seruiebat, & mysticè vocata est ciuitas circumstantiæ, quia vndique gentes eam circumfuderant, & ei circumsteterant, quæ vnum Deum colebat; quis deducet in ciuitatem hanc, nisi Deus? Hoc vult dicere, quomodò deducet per illas nubes, de quibus dictum est, Vox tonitrui tui in rota, Psal.76. Ipsa est ciuitas circumstantiæ, idest Orbis terrarum,

quis

quis ergo deducet me in hanc ciuitatem, vſque in Idumæam, ideſt vt regnem etiam terrenis, vt me venerentur, qui de me non ſunt, qui de me nolunt proficere; hæc Auguſtin.

Vel, vt alius dicit, quis deducet me in ciuitatem Ieruſalem cum omni gente, quæ ad Deum conuerſa erit, etiam vſque ad Idumæam, vbi Gentiles, & infideles habitant, vt citò, completo numero de tot hominibus, quot ſunt Angeli, qui in cæleſti Ieruſalem permanent, gloriam Dei videntes, & nos cæleſtibus fruamur cum Beatis. Dicitur namque Deut. cap.32.num.8. Statuit terminos populorum iuxtà numerum Angelorum Dei, vt legunt Septuaginta Interpretes, Quis deducet me vſque in Idumæam; Nonnè tu Deus, qui repuliſti nos, & non egredieris Deus in virtutibus noſtris? ſed quomodò in virtutibus noſtris, ſi propter peccata noſtra nos repulit? non ergo in virtutibus noſtris, quia repulſi fuimus. Sed quia propter peccata tribulati ſumus; da nobis auxilium de tribulatione, quia vana ſalus hominis: Vel dicamus.

Quis deducet me in ciuitatem munitam, &c. Nonnè tu Deus qui repuliſti nos; Et non egredieris Deus in virtutibus noſtris? Sed cur Domine non egredieris in bellum nobiſcum, vt & nos oſtendamus vires noſtras, & virtutes noſtras inimicis noſtris? Nonnè tu Dux Iudæorum fuiſti in bello? Deut.32.n.12. Dominus ſolus Dux eius fuit, &c. Quare non oſtendis potentiam tuam in nobis, vt valeamus expugnare inimicos noſtros, immo & tuos, quia infideles ſunt tibi. Nonnè in Dauid potentiam tuam oſtendiſti, in Moyſe, in Ieſu Naue, quando eorum fortitudini gentes ceſſerunt? & ſtrage facta, in terram, quam promiſiſti, plebem tuam induxiſti. Cur & hæc in Eccleſia tua Sponſa dilecta non operaberis, vt videant inimici noſtri, quia non eſt alius, qui pugnet pro nobis, niſi tu Deus noſter?

Non enim pugnandum eſt nobis cum hæreticis, & infidelibus, qui ad noſtram exercitationem in mundo permittuntur à Deo, vt illos naturalibus ſolum viribus expugnemus: ſed nobis intus operaberis, vt non pro temporali vita, ſed pro futura pugnare valeamus, Non eſt nobis colluctatio, dicit Apoſtolus Paul. ad Epheſ. cap.6.nu.12. aduerſus carnem, & ſanguinem, ſed aduerſus principes, & poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarum harum, contrà ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus. Propterea, inquit, accipite armaturam fidei, &c. Vndè Auguſtin. in Appendic. Tom.10. in Serm.33. lit.D. fol.600. Poſſet quiſque putare aduerſus Reges terræ, aduerſus potentes ſæculi, quare? ipſi non caro, & ſanguis? ſemel dictum eſt non aduerſus carnem, & ſanguinem, auertere ab omni homine, &c. & lit.D. Rectores dicit; tenebrarum harum, quibus eſt Rector? dilectoribus ſuis & infidelibus, quibus plenus eſt mundus: hos appellat Apoſtolus tenebras. Harum Rectores, Diabolus, & Angeli eius. Hæ tenebræ non naturales ſunt, non incommutabiles ſunt; mutantur; & lux efficiuntur, credunt, & credendo illuminantur, quòd cum in eis factum fuerit, audient. Fuiſtis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Nàm quando tenebræ in te, non in Domino, iterum quando lux, non in te, ſed in Domino, &c. Non ergo aduerſus homines, aduerſus carnem, eſt noſtra colluctatio: hi enim exemplo bonorum, & prædicatione, vel reducuntur ad fidem, vel ideò remanent, vt à Domino fortiter corrigantur. Intus ergo vt operetur in nobis Dominus rogandus, non pro temporali vita, vt pugnemus, ſed

pro

pro futura. Quando enim catenati ducebantur Martyres, quando in carcere includebantur, quando ludibrio habendi producebantur, quando bestijs subijciebantur, quando ferro percutiebantur, & igne cremebantur, tamquam deserti, tamquam sine adiutore videbantur, intus Deus operabatur, & consolabatur; intus, dulcem faciebat illis spem vitæ æternæ. Habitabat in silentio, Deus tamen cor eius non deserebat. Non ergo illos deserebat, quia non egrederetur in virtutibus eorum, non enim egrediendo deduxit Ecclesiam vsque ad Idumæam, deduxit Ecclesiam vsque ad ciuitatem munitam, ad ciuitatem circumstantiæ: Augustin. Si enim bellare vellet Ecclesia, & gladio vti, videretur pro vita præsenti pugnare; quia verò contemnebat vitam præsentem, ideò factus est aceruus testimonij de vita futura.

Da igitur Domine Deus nobis auxilium de tribulatione, quia vana salus hominis. Nolite, inquit Psal. 145. nu. 2. confidere in filijs hominum, nec in principibus in quibus non est salus. Intus nobis Domine iuua, & de exterioribus sit Sobal, idest vetustas vana, vt cum Edon, idest terrenis, non sit vana spes; nobis verò indè subueni, vndè putaris nos deserere.

In te Domine faciemus virtutem, & tu ad nihilum deduces tribulantes nos. In Deo ergo sit virtus nostra, spes nostræ salutis, vt quæ ad salutem nostram necessaria sunt, faciamus; vt operantes bonum à nobis fugiat malum, idest vitia nostra, peccata nostra; inimici nostri. Qui tunc ad nihilum redigentur, si vsque in finem in bonis operibus perseuerauerimus; tunc peccatorum nostrorum non erit amplius memoria apud Deum, qua deducta erunt ad nihilum, nosq. ipsius gratiam consequemur.

Augustin. In Deo faciemus virtutem. Non in gladio, non in equis, non in loricis, non in scutis: non in potentatu exercitus, non foris; sed vbi? In Deo faciemus virtutem, & quasi abiecti, & quasi conculcati, quasi nullius momenti homines erimus. Sed ipse ad nihilum deducet inimicos nostros. Denique factum est hoc: Conculcati sunt Martyres patiendo, perferendo, vsquè in finem perseuerando; in Deo fecerunt virtutem, Fecit & ipse quod sequitur, Ad nihilum deducet inimicos nostros. Vbi sunt modò inimici Martyrum, nisi fortè, quia modò eos ebriosi calicibus persequuntur, quos tunc furiosi lapidibus persequebantur? hæc Augustin. Illi ergo in equis, & lapidibus ceciderunt, nos in nomine Domini surgemus, & erecti erimus, equum enim, & ascensorem proijciet in mare, nos verò liberati erimus per misericordiam Dei.

SOLILOQVIVM.

SVRSVM cor tuum eleua anima mea, vt cum propter peccata tribularis à Domino, vnà cum Ieremia destruas, dissipes, euellas, & ædifices, vt iratus Dominus tui pœnitentiam agentis misereatur: Sana Domine animam meá, quia iàm commota est terra, iàm cognoui peccata mea, quæ tribulos produxerunt in terra nostra: vt per pœnitentiam, fructum boni operis producés merear euadere diem vltionis. Quia diligis me Domine, potasti me vino compunctionis, vt facinoribus confusa compunctio sit stimulus ad te reuertendi. Propterea nàmq. vt liberentur dilecti tui à facie arcus, dedisti metuentibus te signi-

significationem, aquam baptismi, & pœnitentiæ disciplinam, vt ablutorum eorum mentes eleuarentur in cælum. Iesu Christe dextera Patris exaudi preces Ecclesiæ tuæ, vt liberentur dilecti tui: sicut locutus est tibi Deus, vt læteris, quando veneris diuidere Sichimam, & conuallem tabernaculorum dimetieris, hoc est terrenos, & infideles ad sinistram tuam posueris, iustos verò ad dexteram. Tuus est enim Galaad, tuus est Manasses, & Ephraim fortitudo capitis tui. Tuus est totus Orbis terrarum, totus est tibi subiectus. Ephraim verò fortitudo capitis tui, cum in Ecclesia, cuius caput es, tuam exhibueris fortitudinem. Tu ex semine Iuda Rex noster es; Nos peccatores spem concipimus in olla Moab ex diabolicis tentationibus, hominum persecutionibus à te benigno Patre permissis, vt decoctis peccatis in olla tribulationum conuertamur, & viuamus. In Idumæam, in Rectores extendisti calceamentum tuum, Apostolorum missione, vt alienigenæ verbum tuum recipientes, amici tui essent; Quis deducet nos in ciuitatem munitam Ierusalem sanctam, in qua Sancti circumstant Diuinam Maiestatem, nisi tu Deus Iesus Christus? qui pedes euangelizantium vsque etiam in Idumæam induxisti. Repulisti nos, quum peccauimus, & non egredieris Deus in virtutibus nostris, quia non est virtus, vbi est infirmitas peccati. At pœnitentibus da nobis auxilium de tribulatione, quia sine te nihil possumus facere, vana est enim salus hominis. In te Domine sit nostra virtus, tuorum mandatorum obseruantia, vt ad nihilum deducantur inimici nostri per merita Sanctorum omnium tuorum, quorum septima die Octauæ festum agimus, vt per septem dona Spiritus sancti, ab omnibus inquinamentis liberati, cum illis in cælo frui mereamur donis cælestibus; Dei Genitrix Virgo Maria cum Angelis cælestibus, salutem posce miseris, vt, cum Iudex aduenerit Christus in fine sæculi, nos sempiterni gaudij faciat esse compotes, &c. Amen.

IN PSALMVM LX.

Exaudi Deus deprecationem meam: intende orationi meæ:



ITVLVS. In finem, in Hymnis Dauid. Titulus est conformis illi, qui in Psam. 4. positus est, & est de eadem materia, & satis clarus est; nàm in Christum Hymnos laudis cantandos, vt liberetur Ecclesia à tribulationibus; proponit.

Summa huius Psalmi: Oratio Ecclesiæ in tentatione laborantis, & patriam cælestem desiderantis.

Continuatur ad præcedentem Psalmum; vbi de tribulationibus Ecclesiæ vsque in finem duraturis; à quibus nunc liberari desiderans orationem fundit ad Deum.

Exaudi, inquit Psalm. deprecationem meam, intende orationi meæ. Feruens, & cordialis deprecatio, cum vt intendat orationi suæ, deprecatur.

Non enim vt aliqui dixerunt, hæc est oratio populi captiui in Babylone existentis, vel pro Dauide in exilio existente: nàm verba Psalmi, neque illis, neque Dauidi adaptari possunt; quando legitur enim in finibus terræ Da-

uidem

iidem fuisse? Quomodò verificatur de Dauide, quod dicitur dies super dies Regis adijcies; annos eius vsque in diem generationis, & generationis? Quis permanet in æternum in conspectu Dei, nisi solus Iesus Christus Rex noster, & Redemptor noster? Hunc ergo Psalmum soli Regi sæculorum Iesu Christo conuenire dicimus, & suæ Ecclesiæ sanctæ, cuius caput ipse est, & Dux, iuxtà Hilarij, Hieronymi, & Augustini sententiam.

Exaudi deprecationem meam, dicit Ecclesia, quia vndique malignis, & iniquis hominibus circundata, in medio stans, quot die illorum induratione, & iniquitatem videns affligor, quia perditi sunt, & me Matrem suam dereliquerunt afflictam: exaudi deprecationem, idest orationem continuam, & precationem: intende orationi meæ, quæ tibi soli Deo debetur, exaudi deprecationem meam, vt scilicet iniquos istos, qui me Ecclesiam tuam persequuntur, ab illorum iniquitate remouens, mihi illos subijcias, vt tibi illos acquiram; intende orationi meæ: vt hoc quod bonum mihi videtur, concedas.

A finibus terræ oratio Ecclesiæ, vbiq. positæ, cum Domini sit terra, & plenitudo eius, orbis terrarum, & vniuersi, qui habitant in eo, Psalm. 23. numer. 1. Vox inquam, est Ecclesiæ, in toto Orbe terrarum positæ, non in magna gloria, sed in magna tentatione. A finibus terræ, inquit, & tamen vbique tentatur, vbique affligitur. Sed ò Ecclesia Dei, quare anxia, quòd tentaris? an ignoras, quòd vita nostra, in hac peregrinatione non subsistit; sine tentatione, ex qua profectus sit noster? Et si non tentaberis, quomodò coronaberis, nisi viceris? & quomodò vincere poteris, nisi legitimè certaueris? & quomodò certares, si inimicos non haberes? Audi Augustin. hic dicentem.

In Eremo tentabatur Iesus Christus à Diabolo, Matth. cap. 4. in Christo enim tu tentabaris, quia Christus de te sibi habebat carnem, de se tibi salutem: de te sibi mortem, de se tibi vitam, de te sibi contumelias; de se tibi honores, ergo de te sibi tentationem, de se tibi victoriam; si in illo nos tentati sumus, in illo nos Diabolum superamus. Attendis, quia Christus tentatus est, & non attendis, quia vicit? Agnosce te in illum tentatum, & te in illo agnosce vincentem, poterat à se Diabolum prohibere, sed si non tentaretur, tibi tentando vincendi magisterium non præberet.

A finibus terræ ad te clamaui. Dum anxiaretur cor meum, in petra exaltasti me. Anxiatur cor tuum? tribularis? persecutiones pateris? innoca Dominum, qui exaudiens liberabit te, Psalm. 119. nu. 1. Ad Dominum cum tribularer clamaui, & exaudiuit me. Ideò autem exauditur, quia in petra positus, & fundatus erat; in petra enim, inquit, exaltasti me, ideò non vincitur à tentationibus, quia in Christo, qui est petra fundatus, & ædificatus erat, 1. Corinth. 10. num. 4. Petra ergo, in qua ædificati sumus, prior percussa est ventis, flumine, pluuia, quando Christus à Diabolo tentabatur, in eadem Christi firmitate, te voluit stabilire; Ipse tribulatus, & tu non patieris tribulationes? ipse Patrem orat, & pro sua reuerentia exauditus est: & tu in tribulatione tua ora Iesum Christum, & te exaudiet pro sua obligatione. Fidelis enim est Dominus, vt pactum seruet, quod sanguine stipulatum est: Vox ergo tua non vacat. Augustin. Tom. 10. cap. 5. homil. 45. Date, qui roget, ecce est, qui exaudiat, si ergo tribularis, agnosce, quia ideò vt tenteris, Eccles. cap. 27. num. 6. Vasa figuli probat fornax, & homines iustos tentatio tribulationis: time tu Deum, & in tentatione te Deus con-

[illegible] cap.10. nu.13. Tentatio, inquit, vos non apprehendat nisi humana; fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari, supra id, quòd potestis; sed faciet cum tentatione prouentum. Quomodò coronaberis, nisi certaueris; & quomodò certaueris sine inimico? Tentatio ergo, vt vincas, necessaria, & vt vincas certa, & ità certa, vt coroneris. Gregor. 10. Moral. cap. 21. Peccatoris lumen in die est, obscuritas in vespere; quia in præsenti vita felicitate attollitur; & aduersitatis tenebris in fine deuoratur. Iusto autem meridianus fulgor ad vesperam surgit, quia quanta sibi claritas maneat, cum iàm occumbere cœperit, agnoscet. Timenti enim Deum benè erit in extremis, vt hìc num. 6. Dedisti, inquit, hæreditatem timentibus nomen tuum, & Psalm. 126. nu. 3. Cum dederit, dicit, dilectis suis somnum: ecce hæreditas Domini: filij merces fructus ventris. Hinc Paul. 2. Corinth. 4. nu. 16. Propter quod non deficimus; sed licet is, qui foris est, noster homo corrumpatur; tamen is, qui intus est, renouatur de die in diem. Id enim, quod in præsenti est momentaneum, & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis. Non contemplantibus nobis, quæ videntur, sed quæ non videntur, quæ enim videntur temporalia sunt, quæ autem non videntur æterna sunt.

A finibus terræ clamat Ecclesia vbique posita in tribulatione, dum anxiaretur in petra, Christus, qui est petra, exaltauit me. S. Hieronym. in Vita Malchi Monachi; Persecutionibus creuit Ecclesia, martyrijs coronata est. Postquam ad Christianos Principes venit, potentia quidem, & diuitijs maior, sed virtutibus minor facta est. Post tentationes ergo creuit Ecclesia, non ante: Chrysostom. in cap. 6. Act. Apost. Vide Augustin. Serm. 48. de Sanctis, & lib. 22. de Ciuit. Dei, cap. 6. Vndè Iustin. Martyr in Dialogo cum Tryphone, Vineæ, ait, putatione ad vbertatem prouocantur, ità Ecclesia persecutionibus crescit, Tunc enim vincit Ecclesia cum læditur; tunc obtinet, cum deseritur, Hilar. 7. de Trinit. Putabant numero Martyrum sæuientes impietate crudeli nomen Christianum delere; Et ecce quia magis in Domino credentium numerus augebatur. Leo Papa Serm. 6. de Epiphania, Dilatatur ergo Ecclesia Dei, quia cor eius anxiatur, quia in petra, quæ est Christus, exaltatur.

Hinc dicebat Iacob. in sua Canonica Epist. cap. 1. num. 1. Omne gaudium existimate fratres carissimi, cum in varias tentationes incideritis, scientes, quòd probatio fidei vestræ patientiam operatur, patientia autem opus perfectum habet, & ad Rom. c. 5. nu. 3. Paulus non solum inquit, sed & gloriamur in tribulationibus, scientes quòd tribulatio patientiam operatur, patientia spem, spes autem non confundit, &c.

A finibus terræ ego clamaui. Quarè tantus clamor? Nunquid in tribulationibus cum Ecclesia, & qualicunque fideli non est Deus? Nonnè dixit ille, cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum? quid ergo dicis, quid deprecaris tàm anxiè, quare clamas clamore tàm valido, si Deus prope est inuocantibus eum? Psalm. 144. num. 18.

Non quòd Deus sit procul ab eo, ad illum tribulatus clamet clamore valido, sed ex toto corde vocem emittat in eum. Clamabat voce magna in cruce positus auctor vitæ, dicens ad Patrem, Vt quid Deus dereliquisti me? ergo absens erat Diuinitas ab illo? Absit: Sic nec à finibus terræ, hoc est ex cordis sui intimo clamat tribulatus ad Dominum, non per hoc longè est ab illo, immo

pro-

propiùs; quia secum est in corde eius, Vndè dicit Psal.4.nu.1. In tribulatione dilatasti cor meum; nàm ideò dilatatum, vt Iesus habitaret in illo. Ergo clamauit, quia credidit, vndè dicitur: Credidi, propter quod locutus sũ, Psal.115.n.1.

A finibus terræ ego clamaui. Longus ergo Ecclesiæ dolor, longissima tribulatio eius, quia à finibus terræ cœpit clamare, & quotidie clamat, quia tribulatio continua est, persecutiones validæ. Nec mirum si validus sit ad Deum ipsius Ecclesiæ clamor, si ex toto corde auxilium à Deo deposcat, vt liberentur fideles, & iniqui conuertantur, fiantq. dilecti. Non clamat Ecclesia, quia persecutiones patiatur, immo gaudet, quia pro nomine Iesu sit digna, vt persecutiones patiatur, sicut de Apostolis, & alijs Martyribus, qui gaudentes ibant à conspectu Concilij, quia digni facti sunt pro Iesu nomine contumeliam pati: Vndè ipsa cantat Ecclesia, Sanctorum meritis inclyta gaudia pangamus socij, factaq. fortia: Nàm gliscit animus promere cantibus Victorum genus optimum. Dolet tamen de aliorum perditione animarum; Sustine adhùc modicum Ecclesia sancta Dei, quia implebitur in cælo numerus fratrum tuorum, hæc enim terrena citò transeunt aduersantia; vndè Cyprian. Epistol.9. Congressi estis in acie, donec acies succumberet victa, nec cessistis supplicijs, sed vobis potius supplicia cesserunt; finem dolorum, quem tormenta non dabant, coronæ dederunt: Laniena grauior ad hoc diù perseuerauit, vt non stantem fidem deijceret, sed vt homines Dei ad Dominum velocius mitteret; Inuadere enim potest Martyres Dei fames, illos tamen fames non obtinet, sicut de Ægyptijs narratur, Genes.47.num.10. & seq. Orig.homil.16. in Genes. dixit Ægyptios vendidisse possessiones suas præ magnitudine famis, vbi ipse legit, obtinuit eos fames: Vituperatio, inquit, mihi videtur in hoc Ægyptiorum contineri, Non enim facilè de Hebræis scriptum inuenies, quia obtinuit eos fames; licet enim scriptum sit, quia inualuit fames super terram, non tamen scriptum, quia obtinuit Iacob fames, aut filios eius, sicut de Ægyptijs dicitur, obtinuit eos fames; quamuis enim ad iustos etiam veniat fames, non tamen obtinet eos. Propter quod gloriantur in ea, sicut Paul. 2.Corinth. cap.12. gloriatur in huiuscemodi passionibus, cum dicit: In fame, siti, & frigore, & nuditate, ità etiam de Abraham dicitur, Genes.12.n.10. Descendisti, vt habitares in Ægyptum, quoniam inualuerat fames super terram, non dicit, quia inualuerat fames super eum.

Gaude ergo Ecclesia Dei, ò fideles in ea, quando in varias incideritis tentationes, vt dixit Iacob. in d.cap.1. Reproborum enim vita tantò sine flagello dimittitur, quantò ad nulla præmia seruatur, Greg. Moral.12.c.5. & in 6. Moral.c.7. Quasi per amena prata ad carcerem peruenit, qui per præsentis vitæ prospera ad interitum tendit.

A finibus terræ ad Deum clamat, qui seipsum esse terrenum cognoscit, & ad Deum accedere desiderat, anxiatur cor suum, & ecce in petra exaltatur.

A finibus terræ, & in profundo illius circundata Ecclesia à terrenis anxiatur cor suum, de militanti ad triunphalem transitum anhelans, & ecce de Synagoga locali, ad vniuersalem, de vno populo, ad omnes gentes, dum anxiaretur, in petra, quæ est Christus dilatata exaltatur, qui de vtraque facit vnam.

A finibus terræ, hoc est in profundum peccatorum per gratiam Dei præuenientem turbatur peccator, anxiatur cor eius, clamat ad Deum ex toto corde, & quia fidem firmam habet de resurrectione, emendatus, & contritus,

ecce exauditur; nàm de profundo ad cor contritum, de contrito ad petram ad Christum, & sic de peccatore in iustificatum, de terreno ad cælestem transfertur homo peccator ad cælestem Patriam. Transeas ergo & tu, ò peccator per hos gradus, si Deo cupis esse gratus. Anxietur cor tuum, donec in petra fundatus transeas cum Christo in cælis; & tunc cum propheta dicere poteris, Deduxisti me, quia factus es spes mea, turris fortitudinis à facie inimici; deduxisti me de lacu miseriæ, & de profundo pelagi, quia in te Domine speraui.

Deduxisti me, quia factus es spes mea, turris fortitudinis à facie inimici. Augustin. Ille si spes nostra factus non esset, non nos deduceret, deducit tamquam dux, & in se ducit tamquam via, & ad se perducit tamquam Patria; Spes nostra factus, quia ipse tentatus est, quia passus est, quia resurrexit. Si ergo ipse tentatus est, Matth. cap. 4. Cur & tu non patieris, quando tentaris spes enim tua in illo sit, vt & Diabolus te relinquens cedat locum Angelis, vt ministrent tibi. Si pro nobis ipse venit, ipse tentatus, ipse traditus est, cur te derelinquet, si pro te venit? & si pro te venit, cur non erit in illo spes tua, vt redimat te à malo?

Sed quomodò deduxit, si adhùc perduras in tribulationibus? si vsque in finē & erunt? Deduxit, quia post illum me traxit, quia volens illum secutus sum. Deduxit, inquit, quia factus est spes mea, quia ipsi credidi; Vndè Paul. 2. Corinth. cap. 12. numer. 9. & sequen. Virtus, inquit, in infirmitate perficitur: Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi. Propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumelijs, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustijs pro Christo, cum enim infirmor, tunc potens sum, &c.

Deduxisti, quia te redemptorem viam, & vitam sequi volo in tribulationibus, factus es spes mea, virtus mea, dicit Apostolus, quia tunc inhabitat virtus, quando infirmatur iustus, tunc potens est, quia Christus factus est illi turris fortitudinis, à facie inimici. A facie, inquit inimici, non ergo fugit à facie inimici, non negat Christum, qui in faciem inimici resistit, qui ad Turrim confugit, quæ est Christus; qui supra petram, ait, me exaltauit; & ideò non me deserit. Insidiatur Diabolus, confugio ad Christum, vbi iacula non feriunt, sed retrorsum vadunt, vt magis inuidus inimicus vulneretur in corde. Quomodò autem ad Turrim fugiendum sit, docet Augustin. dicens; Ne fortè quisque in tentatione positus corporaliter quærat Turrim istam, & cum eam non inuenerit, fatigetur, ac deficiat in tentatione. Ante te est turris, recordare Christum, & intra in Turrim, quomodò recordaris Christum, vt intres in Turrim? Quidquid pateris, cogita, quia prior passus est, & cogita quo fine passus est, vt moreretur, & resurgeret: talem & tu finem spera, qualis in illo præcessit: & intrasti in Turrim, non consentiendo inimico. Si enim consenseris inimico, tunc ad te perueniet oppugnantis iaculum inimici; tu potius in illum iaculare tela, quibus feriatur, quibus vincatur. Tela enim sunt ista, scilicet verba Dei, fides tua, spes tua, tua bona opera. Non ergo te esse in petra sufficit, nisi exemplo petræ, exemplo Christi in ea laboraueris, quia fides sine operibus mortua est; hæc enim sunt iacula, quibus inimicus vincitur, & in turri persistens operādo saluus eris ab illo, donec peruenias ad Dei Tabernaculum, vt in sæculo habites in illo, vt in velamento alarum suarum protegaris.

Quate-

Quatenus verò de tabernaculo huius vitæ; ista intelligamus (loquitur enim Ecclesia) quæ in sæculo perduratura est: idest vsque ad finem sæculi.

Donec, inquit fidelis, & iustus quisque, tamquam inquilinus, vel peregrinus hìc ero, in tabernaculo tuo firmus ero, & in velamento alarum tuarum protegar. Tutus ergo ero ab inimicis meis, inimicorum insidias non timebo; eo quòd in tabernaculo tuo, idest in Ecclesia tua Domine, quæ semper perduratura est, ipse permanens protegar, & sub alis ipsius à spiritibus immundis defendar. Nàm noui te filium Dei venturum à Prophetis annunciatum, & pronunciabo alia, quæ in veteri testamento in figura fuerunt; & credens confitebor te iàm aduenisse iuxtà scripturam noui testamenti. Sub istis duabus alis veteris, & noui testamenti inoffensus euadam: & protegar, opere implens etiam, quæ in ijs sunt ad salutem scripta; tunc inhabitabo in tabernaculo tuo in sæcula, vbi sine fine mansurus te Deum contemplabor. Hæc enim credens, & operibus meis bonis approbans, scio Domine Deus, quia tu exaudisti orationem meam, vt mihi, & alijs timentibus nomen tuum hæreditatem tuam dares.

Sed quæ Domini erit hæreditas? Nisi ipse filius Dei? fructus ventris Virginis Mariæ: ecce, inquit, hæreditas Domini filij: merces, fructus ventris, Psal. 126. num. 3. Cooperiamur ergo fratres in velamento alarum Domini, & inter tantas huius sæculi tentationes securi erimus, & in hæreditate Domini morabimur, Eccles. 24. n. 16. Cooperiamur Domine in velamento alarum tuarum, quoniam tu Dominus meus exaudisti orationem meam, qua ad te in finibus terræ clamaui, & in principio rogans te dixi; Exaudi Deus deprecationem meam; intende orationi meæ, timorem tuum nos Domine docuisti, Psal. 33. n. 12. vt timenti mihi benè sit in extremis, Eccles. 1. n. 13. Vt ergo alis ipsius cooperiamur, diligamus Deum; pro peccatis exoremus, & ab illis nos contineamus, & tunc in oratione dierum exaudiemur: hoc est in oratione quotidiana veniam peccatorum impetrabimus, Eccles. 3. n. 4. & dies sine fine erunt nobis orantibus sicut in Rege nostro Christo: propterea sequitur Psalmus.

Dies super dies Regis adijcies: annos eius vsque in diem generationis, & generationis. Dies Regis in mundo, quando venit, quamuis cum fine in isto tempore; sed dies super istos dies sine fine; Vnde Psal. 22. dicitur, habitabo in domo Domini in longitudinem dierum, cum in hoc mundo sit breuitas dierum; ideò ibi erit longitudo dierum, Augustin. Non solum his diebus regnat in Ecclesia sua Deus, sed Regis huius dies super dies, vt non diebus solum istis transeuntibus regnet Christus in Ecclesia, sed cum illo regnent Sancti in diebus illis, qui non habent finem. Ibi enim dies vnus est, & multi dies sunt, quia multi sunt. Dixit iàm in longitudine dierum, quia vnus dies sic intelligitur. Filius meus es tu, ego hodie genui te Psal. 2. Vnum diem dixit hodie, sed iste dies non ponitur in medio inter hesternum, & crastinum, nec initium eius finis est hesterni, nec finis eius initium est crastini; nam & anni dicti sunt, tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient, quomodò anni, sic dies, sic dies vnus. Quidquid vis dicis de æternitate, ideò quidquid vis dicis, quia quidquid dixeris, minus dicis, hæc Augustin.

Æternitas ergo ostenditur per illa verba, quæ est in Christo, & eadem per Christum erit in nobis, vt cohæredes ipsius facti in generatione, & generationem, hoc est in sempiternum fruamur hereditate illius in generatione hac tem-

porali, quia filij eius facti sumus per regenerationem baptismi: & generationem in cælo, quando dicetur nobis, Venite filij, percipite Regnum, quod paratum est vobis à constitutione mundi. Eadem ergo hæreditas erit Regis, quæ & militis, & serui: & sicut illa Regis in generatione, & generationem durabit, ità & seruorum erit, & Iesu Christi viam sequentium.

Ex his hunc Psalmum Dauidi nullo modo conuenire asserimus: Cuius dies, & anni non vltra Septuaginta fuerunt. Verbum autem Christi permanet in æternum, & in sæculum sæculi, Vndè Psalm. 118. num. 89. & 90. In æternum Domine permanet verbum tuum in cælo, in generatione, & generationem veritas tua, & Psalm. 134. nu. 13. Domine nomen tuum in æternum: memoriale tuum in generationem, & generationem: igitur & anni eius vsque in diem generationis, & generationis, vsque in diem æternitatis: Vnus ille dies æquiualet generationi, & generationi, sæculo, & sæculo, temporibus, & temporibus sine fine. Augustin. Generatio hæc mortalium, quæ comparatur Lunæ; crescit enim, & decrescit sicut Luna; sed resurgentes non amplius sicut Luna, sed sicut Sol fulgebimus in Regno Patris in sempiternum, vbi permanet verbum in conspectu Domini. Misericordiam, & veritatem eius quis requiret? ecce alteram generationem ostendit, quæ in æternum permanet in conspectu Domini; vbi ad miserandum omnibus præsto est: & ideò permanet, inquit, vt misereatur nobis hìc: perducat nos secum ibi.

Misericordiam, & veritatem eius quis requiret? hoc est, Quis mortalium, aut Angelorum, misericordiæ Dei amplissimum fontem, immo flumen maximum, inuenire poterit? quis requiret? quis reminiscetur filium vnicum, vnigenitum Dei, illi æqualem, vt carnem, descendens de cælo, humanam assumat, vt patiatur, vt à suis non recipiatur, immo flagelletur, coronetur spinea corona, crucifigatur inter latrones, & demum vt moriatur, & hæc propter quid, aut, quare, nisi vt perditum hominem miserendo redimat: qui solo verbo viuificare poterat, redimere, sanare. Quis requiret misericordiam Dei, vt eò magis ipsi debeat, ipsum veneretur, ipsi soli seruiat? & veritatis eius, quis etiam requirens erit? vt cognoscens, quòd etsi sanguine Christi redemptus, septies tamen in die, & vltra peccans si nihilominus pœniteat, & contritus confiteatur, vel etiam si septuagies peccauerit, iniquitatum, & peccatorum eius ità obliuiscatur Deus, vt dimittat, ignoscat, parcat, & locum in Paradiso prout promisit, reseruet, & ad dexteram suam eum ponat. Quis hominum promittens, & post offensiones plures sibi illatas, in promissione persistet? nonnè propter ingratitudinem donatio inter viuos etiam iurata reuocatur?

Misericordiam, & veritatem eius quis requiret? vt memor illius non sit semper addictus seruus; nedum te seruum is recipit, sed, & post tantas offensiones illi illatas, post tàm grauia scelera, & peccata tua, socium te suum facit, cohæredem, non in hac generatione mortali, sed generatione cælesti, non ad tẽpus, sed dies adijciens sicut Regi, & annos vsque in generationem, & genertionẽ. O magnam Dei erga nos pietatem, ò immensam illius misericordiam, & veritatem? propter quas non est apud ipsum Deum peccatorum memoria, qui in momẽto in ictu oculi, in puncto ignoscit contrito, & confesso secundum misericordiã, & veritatem suam concedens etiam; vt in perpetuum permaneat secũ in cęlo. Quare ergo nobismetipsis ò peccatores, viuimus, vt non misereatur nostri Dominus?

vt

vt in perpetuum damnaremur? E somno surgamus fratres, quia vigilantes videbimus Dominum stantem à dextris Dei Patris omnipotentis intercedentem vt misereatur nostri, si misericordiam eius requiramus, & veritatem. Misericordia enim eius est, quia non tàm ob merita nostra, quàm ob bonitatem suam peccata nobis dimittens, vitam æternam promittit: & qui verus est Deus non mentitur, Habacuc. 2. num. 3. ad Tit. 1. num. 2.

Sic psalmum dicam nomini tuo in sæculum sæculi, vt reddam vota mea de die in diem. Quid est sic psallam, vt reddam vota mea? Nisi quòd non sufficit laudes Deo dicere, nisi etiam opere compleas quod canis: opere compleas, quod promittis: sic ergo laudes tibi dicam Domine Iesu, tàm tota mente mea, & corde meo; vt quotidie abstinens à malo, omni die, omni tempore, vota mea tibi sint accepta, vt reddam tibi, quod prius mihi dedisti, quando me creasti, quando me recreasti, & regenerasti; vt scilicet mundus euadam. mundus & ante conspectum tuum compaream.

Sic psallam, dicit Ecclesia, nomini tuo Deus. Prædicabo, & opere complebo, dicit Hieronym. vt reddam vota mea de die in diem: idest quidquid spopondimus Deo custodire, hic semper te laudare, & in futuro sine fine, hoc est de die in diem Deum laudare, scilicet dum sumus in hac vita mortali, & in diem, idest sine fine laudare, cum corruptio corporis huius induerit incorruptionem, & mortale hoc induerit immortalitatem, & resurrexerit, tunc fiducialiter dicere audebo.

SOLILOQVIVM.

EXAVDI Deus deprecationem meam, vt in sæculum sæculi psalmum tibi dicam: intende orationi meæ, vt quod tibi debeo, opera, quæ tibi bona voui de die in diem, omniq. tempore reddam. Tu scis Domine cor meum, clamat enim ad te; ideò intende orationi ipsius, sicut orationi cordis intendisti Moysis non clamantis, dicens illi, Quid clamas ad me? Exaudi me: A finibus terræ habitaculi mei, & ex intimi cordis mei mærore ego clamaui ad te, vt in hac mortali vita absorbeatur peccatum; & ecce quòd in petra exaltasti me; Etenim in Christum conuersus, exaltatus sum: quum ad eius similitudinem persecutiones, & damna patior; indeq. & lætus fio.

Venerunt enim tribulationum flumina, flauerunt venti in hanc domum meam, irruerunt in eam, & non cecidit, quia in petra fundatus, & exaltatus sum à te, à quo etiam sum deductus, sicq. in te sperans, turris fortitudinis à facie inimici factus sum, quia tua sum munitus protectione, sub vmbra alarum tuarum protectus, vt in Tabernaculo tuo habitans, & tibi semper contemplationi deditus fruar te in secula. Hæc est enim hæreditas, quam nobis timentibus nomen tuum parasti in perpetuum. Christi Domini nostri dies æterni sunt, cum quotidie dies super dies ei augeantur, quia nulla nox discriminat claritatem eius. Dies super dies regis adijcies, nàm ipse consors paterni luminis, lux ipse, & lucis dies, annosq. eius vsque in diem generationis, & generationis adijcies, vt eum, qui ex te Deo Patre genitus, factus primogenitus mortuorum probemus id implentem, quod pollicitus est, vbi dixit. Vos qui secuti

estis me in regeneratione, cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israel. Dies super dies regis adijcies. In æternum Iesus in conspectu Dei permanes, vt semper intercedas pro nobis. Misericordia tua Domine credentes in te secundum veritatem tuam salui fiant: Et quis requiret cur hæc facias in hominem vanitati similem? Tu ergo Domine fons bonitatis, & sapientiæ, tu ipsa veritas impelle mentes nostras rebelles, vt tibi seruientes, sic psalmum dicamus in sæculum sæculi: & vota nostra reddamus omni tempore.

Exaudi me Domine Iesu per merita passionis tuæ; anxiabatur cor tuum in hac die, & tristis eras vsquè ad mortem, vt morte tuà me peccatorem à morte liberares. Anxietur & cor meum, vt in petra in te ipso exaltatus nihil aliud quæram, nisi te. Exurge Domine, adiuua me; fidem adauge, adiuuans incredulitatem meam; emitte spiritum tuum, & creabor, & renouabis huius Tabernaculi mei faciem. Intercede pro me Beata Virgo Maria, ideò particeps passionis filij tui Iesu Christi facta, vt redemptionis meæ partem, & tua haberes passione. Succurre mihi misero peccatori Mater misericordiæ Maria Virgo, vt & ego dignus efficiar promissionibus Christi. Amen.

IN PSALMVM LXI.

Nonne Deus subiecta erit anima mea? ab ipso enim salutare meum.



ITVLVS in finem. Pro Idithun Psalmus Dauid. Vni ex tribus Cantoribus principalioribus cantandum hunc Psalmum proposuerat Dauid: & non sine mysterio Idithun vocabatur, quod nomen lingua Hebraica, dicitur Transiliens.

Nàm supra dictum fuerat in proximo Psalmo, de iusti desiderio, qui orans à Deo petierat liberationem ab inimicis, à peccatoribus, in hoc verò præsenti Psalmo, & sic continuatur ad præcedentem, tractatur de Transiliente eos, qui in mundo sunt, & terrenis hærent: & vt qui liberari cupit, terrena dimittat, cælestibus hæreat: sitque pigros, ac tepidos transiliens.

Porrò quia hæc non sufficiunt, necesse est vt videamus secundum Augustin. quousque transilierit, & quos transilierit, & vbi, quamuis quosdam transilierit, positus sit, de quo spirituali quodam, & securo loco intueatur. Ima non ità respiciens sit, vt cadat, sed vt moneat, qui transiliuit pigros, vt sequantur, & laudet locum, quò transiliendo peruenit: ità enim iste transiliens super aliquid, vt sub aliquo sit, hæc Augustin.

Psalmus iste est Dauid Prophetæ, qui hic loquitur in persona transilientis habitus pro Idithun, idest agens de transiliente, in finem, idest in Christum. Spretis ergo terrenis, qui vult liberari, æterna petat & speret: nàm transiliens iste videns tot impedimenta sibi occurrentia, Deo se subdit.

Summa ergo est: spernat terrena, qui vult perduci ad cælestia.

Incipit ergo Psalmus. Nonnè Deo subiecta erit anima mea? ab ipso enim est salutare meum. Cui respondes ò Dauid? cum quo loqueris, hæc enim præcedentia aliqua demonstrans? Inter terrenos, & pigros habitabat iste, hæc via

sibi videbatur iusta, Verùm in se reuersus, & è somno euigilans, & surgens agnouit, quòd erat erroris, & qui in illa ambulant, sacramenta Dei ignorāt, Sap. cap. 2. num. 22. A finibus terræ huius corporis nostri, idest positus totus in delitijs, & plenus vitijs, clamans ad Deum anxiatur cor eius, quia nouissima illius viæ ducunt ad mortem, Prouerb. cap. 14. numer. 12. Transilit eam, remanentes in mundo, & terrenis hærentes post se relinquens. Verùm quia relinquendo terrena, & illa, quæ pigris videbantur commoda, certamen maximum sentiebat intrà se inter corpus, & animam; circà delitias huius vitæ, afflictionesquè mentis, & corporis, propter Deum, circà disciplinam, & gaudium, circà iustos, & iniquos, quæ omnia sibi videbantur inter se aduersantia, sibimet dixit, melius esse incidere in manus hominum, quàm legem Dei sui derelinquere, 2. Reg. cap. 24. num. 14. & melius esse aliqua pati in corpore, & affligi pro lege Dei, quàm animæ in perpetuum esse detrimento. Nonnè, inquit, & si corpus persecutiones patitur, subiecta erit Deo anima mea? Non ergo quæ corporea sunt, attendas, quia corruptibilia, corpus enim, dicit Sap. cap. 9. numer. 15. quod corrumpitur aggrauat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem. Dum ergo anxiatur cor illius, in petra exaltatus est, & in se reuersus, Psalmum Idithun canit, & in finem, idest in Christum: dicens, ò anima mea, benedic Domino, quia ab ipso salutare tuum, ipsi subiecta sis, qui te sine peccato creauit; terrena dimittas, transilias ad cælestia, nihil præter ea cupiens. Non eleueris tamen in superbiam, quia in petra exaltata sis, quòd tibi ipsi per hoc videaris iusta; memor esto illius Publicani, qui retro stans percutiebat pectus: cum Pharisæus elatus gratias ageret, quia non erat sicut cæteri homines, Matth. 18. num. 17. Alta enim Deus à longè cognoscit, & superbos dimittit inanes.

Exploratum itaque Propheta habens quòd qui se humiliat, exaltabitur, & qui se exaltat, humiliabitur, Matth. cap. 23. num. 12. trepidus, ne transiliendo superbiret, haud elatus ex his, quæ infrà essent, sed humilis ex eo, quòd suprà esset, tamquam minantibus ei ruinam inuidis, eis, qui transiliuisse doluerant respondit, Nonnè Deo subijcietur anima mea? Nunquid ità memini supra quod sum, vt oblitus sim, sub quo sum? nonnè Deo subiecta erit anima mea? quantumcunque accedam, siuè ascendam; quantumcunque transiliam, sub Deo ero, & non contrà Deum; ipse enim est super omnia, & si subtus illo ero, securus ero. Ab ipso salutare meum. Benedic ergo anima mea Domino, qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis: qui sanat omnes infirmitates tuas: qui coronat te in misericordia, & miserationibus: qui replet in bonis desiderium tuum, & renouat iuuentutem tuam, Psalm. 102. num. 3. & Noli obliuisci omnes retributiones eius; sed spera in eo, quia mirabiliter te deducet dextera sua, filius eius, Saluator tuus, Christus Iesus, ab ipso enim salutare tuum.

Nàm & ipse Deus meus, & salutaris meus: susceptor meus, non mouebor amplius: ipse enim, inquit, est Deus, sicut Pater: Salutaris meus, quia ipse missus est vt saluaret me, & susciperet me. Non mouebor amplius, quia supra petra positus sum, & sicut turris est fortitudo mea, Sap. cap. 10. num. 12. Custodiuit enim me Dominus ab inimicis, & à seductoribus tutauit me, & certamen dedit mihi, vt vincerem. Quomodò ergo dicitis animæ meæ, transmigra in montem sicut passer, Psalm. 10. numer. 2. in montem dico terrenarum

cupi-

cupiditatum, in montem superbiæ, & elationis? Non mouebor amplius ab illo, qui me suscepit, quia est Deus meus, qui me redemit in misericordia, & miserationibus, cui me subijcio, & toto corde, & animo me ei submitto. Non veniat mihi pes superbiæ, nec manus peccatoris moueat me; tales enim expulsi sunt, nec potuerunt stare; Ipsi ceciderunt, Psalm. 35. num. 12. & 13. Ego verò in Domino non infirmabor, quia salus eius suscepit me, Psalm. 25. nu. 1. Repugnet caro, insultent inimici, agant quidquid volunt, vt mouear, vt non discedam ab illis, vt reuertar ad illos, quia iàm transilui; non mouebor amplius, non veniet mihi pes superbiæ, quia Deo subiecta est anima mea, manus illorum non me mouebit, quia Dominus fortitudo mea est.

Quousquè ergo irruitis in hominem? interficitis vniuersi vos, tamquam parieti inclinato, & maceriæ depulsæ? Augustin. legens. Quousque apponitis super hominem? insultando, inquit, opprobria faciendo, insidiando, persequendo, apponitis super hominem onera?

Sed cur dicit, Quousquè irruitis in hominem? nunquid ante hominem fuit homo? nunquid & ante hominem fuit hominis persecutio? præmitte ad intelligentiam, quæ in Euangelio Matthæi dixerat Iesus, cap. 21. num. 33. Plantauerat paterfamilias vineam, & sepem circumdedit ei, & fodit in ea torcular, & ædificauit turrim, & locauit eam agricolis, &c. Tempore fructuum seruos suos ad agricolas misit, qui seruos lapidauerunt, occiderunt, &c. Iterum misit alios seruos, & similiter eis fecerunt. Nouissimè filium suum misit, & occiderunt eum. Quousquè irruitis in hominem, ò terreni, ò iniqui, dicit, qui in turris specula existit, qui videt omnia Deus, qui plantauit istam vineam, & dedit vobis iniquis agricolis. Ab Abel cœpit persecutio, quem Cain frater occidit. Et apud eumdem Matth. cap. 23. num. 35. declarat Iesus, qui sint agricolæ illi, dicens; Ecce ego mitto ad vos Prophetas, & sapientes, & Scribas, & ex illis occidetis, & crucifigetis, & ex eis flagellabitis in Synagogis vestris, & persequimini de ciuitate in ciuitatem; vt veniat super vos omnis sanguis iustus, qui effusus est super terram, à sanguine Abel iusti vsque ad sanguinem Zachariæ filij Barachiæ, quem occidistis inter Templum, & Altare, &c. Et quia non mouebor, ergo hucusquè irruitis vt flumen, vt fera in hominem? In hominem dicit, quia in corpus vobis data est potestas, non in animam, Vndè Iob 9. num. 24. Terra data est in manus impij. Sed nunquid dicit Augustin. pertinebant hæc ad hominem? Vtique pertinebant ad hunc hominem generalem, idest ad Ecclesiam; quæ hoc dicit; quæ & alibi ait: Supra dorsum meum fabricauerunt peccatores, prolongauerunt iniquitatem suam. Hæc autem vnum corpus est cum capite suo Christo, qui est caput omnium fidelium. A sanguine Abel incœpit, quia ad caput pertinent membra, quæ ante caput prodierunt; sed nunquid prodierunt aliqua ante caput? Vtique, inquit Augustin. quia caput dicit in Psalm 86. Mater Sion: Vndè diceret mater mea Sion, nisi aliqui præcessissent, de quibus natus esset? mater dicet, sed hoc dicit, homo in ea natus, idest hoc dicit caput, secundum quòd est homo in ea natus; non secundum quòd est fundator eius Altissimus. Passiones itaquè Christi, non in solo Christo, immo passiones Christi, non nisi in Christo. Si enim Christum intelligas caput, & corpus, passiones Christi non nisi in Christo, si autem Christum intelligas solum caput, passiones Christi non nisi in solo Christo si enim passiones Christi

in

in solo Christo, immo in solo capite, cur dicit Paul. Apost. vt suppleam, quæ desunt passionum Christi in carne mea? Si in Christi membris es, quicumque homo, quisquis hæc audis, quisquis hæc non audis, sed tamen audis, si in membris Christi es, quidquid pateris ab eis, qui non sunt in membris Christi, deerat passionibus Christi, ideò additur, quia deerat mensuram implens, non superfundens. Tantum ergo pateris, quantum ex passionibus suis inferendum erat vniuersæ passioni Christi, qui passus est in capite nostro, & patitur in membris suis, idest in nobis ipsis, ad communem hanc quasi Rempublicam, nàm quisque pro modulo exoluimus, quod debemus, & pro posse virium nostrarum, quasi canonem passionum inferimus, paratoria plenaria: passionum omnium non erit finis, nisi cum sæculum finitum fuerit.

Quousquè irruitis super hominem? quidquid passi sunt Prophetæ à sanguine Abel iusti, vsque ad sanguinem Zachariæ appositum est super hominem, quia præcesserunt aduentum Incarnationis Christi, quædam membra Christi; Augustin. Sicut in nascente quodam, nondum quidem præcedente capite, præcessit manus; sed tamen capiti connectebatur & manus; omnes ergo iusti, qui præcesserunt aduentum Domini, & qui prænunciare venerunt aduentum eius, & passi sunt persecutiones, ad membra Christi pertinuerunt; Absit, vt non pertineat ad membra Christi, qui pertinet ad ciuitatem, quæ Regem habet Christum: Christus enim Rex est istius ciuitatis sanctæ Ierusalem: ipse enim ei dicit; mater Sion dicet homo. Dicit ei mater homo, & homo factus est in ea, & ipse fundauit eam altissimus. Ille ergo, qui illam fundauit altissimus, ipse factus est homo in ea humillimus. Præmisit nuncios sui aduentus, vt quemadmodum gallina pullos suos congregat sub alis, & ipse congregaret suos, & renuerunt, Matth. vt supra. Misit seruos suos prænuncios, qui lapidati, secti sunt, occisi sunt, nouissimè venit & ipse in mundum, at illi clamantes dixerunt, hic est hæres, occidamus & illum.

Quousquè irruitis in hominem Christum, in sanctos suos, quos misit ante sui aduentus prænuncios, Prophetas, & Doctores? Quem non sunt persecuti Patres vestri, & persequuntur quotidie, per quos & Apostolos meos, Martyres, Confessores volui vos congregare sub præsidio meo, & renuistis? Paul. ad Thessalonicens. 2. num. 15. Eadem passi estis & vos à contribulibus vestris, sicut & ipsi à Iudæis, qui & Dominum occiderunt, & Prophetas, & nos persecuti sunt, & omnibus hominibus aduersantur.

Quousquè irruitis in hominem? An non vidistis, quòd vosmetipsos interficitis? sed in quem irruistis? an forsan parieti inclinato, & maceriæ? An putatis, quòd sine defensore sit homo ille; & quia facilè corruet vt paries inclinatus, qui vel etiam non impulsus caderet: & quasi maceria, in constructione saxorum, sine cæmenti ligamine? quid contrà hominem istum valent vmbracula terræ? quid vas contrà figulum? quousquè irruitis in hominem? nunquid impotentem illum iudicatis, vt non possit impios vos subijcere iustis? aut bestijs sæuis, aut verbo duro vos exterminare? Non ignorat Dominus homo factus, quòd generatio vestra nequam sit, & naturalis malitia vestra: non enim quia timens vos, dabat veniam peccatis vestris; quis enim sibi imputauerit, si vos nationes, quas fecit, exterminaret, verbo solo extingueret, & morti perpetuæ traderet? Sap. 12. num. 9. cum sequen.

Quo-

Quouſquè irruitis in hominem, ò ſtulti? interficitis vos vniuerſi. Hucuſquè pœnam vobis diſtulit, vobis dans tempus, & locum, vt vos pœniteat; Mittet tamen Dominus anteceſſores exercitus ſui Veſpas, vt paulatim exterminent. Vos benè ſcitis, quid euenerit vobis, quòd amiſiſtis & ciuitatem, & Sacerdotium, & homines, quos in magna quantitate Romani veſpes ab illo miſſæ, iuxtà id, quod verebamini, tulerunt, & durabit deſolatio vſque ad tempus, & tempora, & in fine temporum, Daniel. cap. 9. in fine; & vſque, inquit, ad conſummationem durabit, & perſeuerabit deſolatio. Tamquam parieti inclinato, & maceriæ depulſæ irruitis? cuius caput eſt Dominus, & corpus eius eſt Eccleſia ſuprà firmam petram fundata, cui nec portæ infernales præualere poſſunt, nec Diabolus, cuius miniſtri vos eſtis, qui obnixi eſtis, vt memoriam Chriſti de terra tolleretis, & auferetis; & ideò ſequitur Pſalmus.

Veruntamen pretium meum cogitauerunt repellere: cucurri in ſiti, ore ſuo benedicebant, & corde ſuo maledicebant. Repellere cogitauerunt pretium meum. Quod eſt pretium Domini? Ipſe Dominus Ieſus pretium Dei Patris, quia morte ſua ſatisfecit Patri ſuo pro peccatis populi ſui, Iſai. cap. 53. num. 4. & 5. Vndè in Zacharia habemus cap. 11. num. 12. Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos, num. 13. & dixit Dominus ad me. Proijce illud ad ſtatuarium, decorum pretium, quo appretiatus ſum ab eis, &c. & Matth. 27. numer. 9. & ſequen. Tunc impletum eſt, quod dictum eſt per Ieremiam Prophetam dicentem, Et acceperunt triginta argenteos pretium appretiati, quem appretiauerunt à filijs Iſrael, &c.

Pretium meum cogitauerunt repellere. Nàm & memoriam Chriſti tollere, & redemptionem gentium extinguere cogitabant. Illum enim filium Dei eſſe negabant; reſurrectionem impugnare conabantur, munierunt ſepulchrum. Recordati enim ſumus, dicebant Pilato, quòd ſeductor ille dixit, poſt triduum reſurgam. Iube ergo cuſtodiri ſepulchrum, ne furentur Diſcipuli corpus eius, & error fiat priore peior, ſi crederent gentes, eum reſurrexiſſe. Pretium repellere conabantur, quia ſi non crederetur reſurrectio, nec illis profuiſſet redemptio, 1. Corinth. 15. num. 14. facta pretio magno, 1. Corinth. 6. num. 20. Empti enim eſtis pretio magno. Iſtud pretium negauerunt, illud tollere cogitauerunt, ſanguinem Chriſti pretium iſtud eſſe, dicit Gloſſ. ibi, ſanguinem ſuum fudit, propterea cucurrit in ſiti ſua, ſalutem animarum deſiderans, & dicebat in Cruce pendens, ſitio, Ioan. 19. num. 28.

Cucurri in ſiti, quia iàm ſanguinem meum effudi propter ſalutem eorum. Cucurrit in ſiti, nàm venit de Cælo in vterum, de vtero ad Crucem; quia gentis deſiderabat ſalutem: Cucurrit ſitiens. Hieronym. Venit ad fontem, mulier, dicebat, da mihi bibere; eſuriens venit ad arborem, in quo arbore ſalutem etiam humani generis ſitiuit; Vndè dictum eſt, De torrente in via bibet, Pſalm. 109. Vndè dicebat Ioan. cap. 4. num. 32. Alium cibum habeo, quem vos neſcitis. Cucurri in ſiti, quia exanguis factus remanſit ſitis, vt redempti ſanguine ſuo ſaluarentur gratis. Ore ſuo benedicebant; Magiſter ſcimus, quia verax es, & viam Dei in veritate Dei doces, licet ne dare cenſum Cæſari? Corde verò maledicebant, vt accuſarent illum, Matth. cap. 22. num. 17. Oſanna in excelſis, benedictus, qui venit in nomine Domini; conſilium verò ex altera parte fecerunt, vt Ieſum dolo tenerent, & occiderent. De execratione, & mendacio

dacio annunciabuntur in consummatione,in ira consummationis,& non erunt, quia delictum oris eorum, sermonem labiorum ipsorum, & comprehendentur in superbia sua, Psalm.58. numer.8. 12. & 13. Ecce, inquit, loquentur in ore suo, & gladius in labijs eorum, quoniam quis audiuit? Augustin. Illi interficiebant, illi repellebant, ego eos sitiebam; illi honorem meum cogitauerunt repellere, ego eos in corpus meum sitiebam traijcere: bibendo enim, quid facimus, nisi humorem foris positum, in membra mittimus, & in corpus ducimus nostrum.

In finem ergo currit iste, currit, & sitit; multos enim bibit, sed nunquam erit sine siti: Augustin. Quid tibi deest? ò corpus Christi, ò Ecclesia Christi, in tanto honore, in tanta sublimitate, in tanta celsitudine, etiam & in hoc sæculo constituta, quid tibi deest? Impletur de te quod prædictum est: Adorabunt eum omnes Reges terræ; omnes gentes seruient illi, Psalm.71. numer. 11. Quid sitis? tantis populis non satiaris? quos populos dicis? ore suo benedicebant, & corde suo maledicebant; multi vocati, pauci autem electi. Vndè in Marc.cap.5.nu.27. Vna tantùm mulier Iesum tetigerat, quamuis turba illum præmeret: quis, inquit, me tetigit? & Discipuli ad Iesum; turba præmit te, & mulierem tangentem solum sentis? tantummodò virtus Domini ad sanandam illam venerat. Putas, benè dixit, quando filius hominis venerit, inueniet fidem? Luc.cap.18.numer.8. Multi ergo vocati, qui non extinxerunt sitim Christi, quia non sunt electi, quia vocem illius etsi audierint, non tamen benè iuxtà illam sunt operati.

Cucurrit in siti, qui se exinaniuit pro salute generis humani, sed quid sitienti in Cruce dant ei bibere? acetum exhibent, qui vinum ex vinea susceptum præbere debebant, sed quid? labruscas fecerat vinea, ideò acetum afferebant agricolæ, noluit bibere, quia & mixtum erat, ore benedicebant, quia acetum præbebant, corde maledicebant, nàm & acetum felle mixtum ferebant; noluit bibere, quia benedictio illorum non erat ex corde: consummatum est, dixit in Cruce, qui vineam dedit in conculcationem, Isai. cap.5.num.6.

Pretium meum cogitauerunt repellere, quid tu ò Idithun corpus Christi, transiliens eos? quid tu inter hæc omnia? inquit Augustin. Quid tu deficiens non perseuerabis vsque in finem? non audies, qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit; quoniam quamuis abundet iniquitas, refrigescet charitas multorum? Et vbi est, quòd transilisti eos? vbi est, quod conuersatio tua in Cælis est? Illi autem inhærent terrenis, tamquam terrigenæ sapiunt terram, & sunt terra serpentis cibus. Quid tu inter hæc? non tu ex te, sed, Deo te illuminante, dicis animæ tuæ: Nonnè subiecta es anima mea Domino? Nonnè salus tua ab illo? non te extollas, non te exaltes, quia versaris inter peccatores, & delictis illorum non te immisceas; non sic transilias, vt extollaris, & cadas. Deo subiecta sit anima tua, & eris patiens in tribulatione tua, quoniam ab ipso erit patientia tua; vt quod nunc non vides, per patientiam expectes, ad Roman.8.num.25. nunc tibi est dolor, posteà erit requies tua; tribularis, & purgaberis; non enim lucet aurum in fornace, lucebit in monili, in ornamento lucebit: patitur aurum fornacem, vt purgatum à sordibus veniat ad lucem, Sap.3.num.6. Et quasi holocausti hostiam accepit illos, quos tamquam aurum in fornace probauit, Augustin. Fornax mundus, palea iniqui,

aurum

aurum iusti, ignis tribulatio, artifex Deus: ardet palea, iustus sordibus caret, in Deo ergo sit patientia tua, vt ipse in fine sit lux tua.

1. Quia ipse Deus meus, & Saluator meus, non emigrabo. Quia ipse Deus meus, ergo vocat me; & Saluator meus, ergo iustificat me; adiutor meus, ergo glorificat me. Si ergo glorificor, cur inde emigrabo? Quia Idithun psallam Domino, vt ab hoc inquilinatu sit migratio, donec perueniam illùc, vbi non inquilinus ero, vbi glorificabor; quia ad hanc gloriam vocat me Deus, quia ipse est Deus meus, Saluator meus, qui me iustificat, & illìnc non emigrabo amplius. Adiutor meus propterea, quia sine illius adiutorio pro Idithun in finem non erat Psalmus Dauid, in eo transiliens, quæ sunt terrena. Non mouebor, non emigrabo amplius ab eo, quia ipse Deus meus est, qui stat mecum in adiutorio. Non emigrabo, quia in gloria secum ero. Hìc inquilinus, hìc in terra, sicut omnes Patres mei, vt supra Psalm. 38. diximus: ab inquilinatu hoc emigrabo, à cælesti patria non emigrabo. Quia in Deo salutare meum, & gloria mea, Deus auxilij mei, & spes mea in Deo est. Salutare meum, quia ex impio, ab eo iustificatus sum; & gloria mea, quia honorificatus. Augustin. Saluus ero in Deo, quia iustus ex impio, ab illo iustificatus: gloriosus autem, quia non solùm iustificatus, sed etiam honorificatus, etenim quos prædestinauit, illos & vocauit; Vocans eos, quid fecit? hìc quos vocauit, ipsos & iustificauit, quos autem iustificauit, ipsos & glorificauit; iustificatio ergo ad salutem pertinet; glorificatio ad honorem.

Deus auxilij mei, & spes mea in Deo est. Auxilium petit Idithun, quia inter peccatores se esse cognoscit, quia se peccatorem fuisse fatetur. Vndè Petrus, Exi à me Domine, quia peccator sum, Luc. cap. 5. num. 8. stupor enim apprehenderat eum, &c. Et ait Iesus ad Simonem, noli timere, ex hoc enim iàm homines eris capiens; propterea vocaui te, vt iustificarem te, non enim veni vocare iustos, sed peccatores.

Deus auxilij mei, & spes mea in Deo. Auxilium meum in hoc certamine, vt homines capere possim, Idithun fiam, non enim ex me, sed ex te, non ex meis meritis, sed ex tua vocatione, non ideò elatus, sed humilis in te sperans iustificatus sim, quia vocasti me, & ecce quia venio ad te, vt glorifices me. Ideò spes mea, & fides mea sit in te, vt non mergar vndis huius sæculi, quibus circumdatus sum: in ærumnis Deus auxilij mei, & spes mea pro Idithun, in finem psallo tibi, quia in te salutare tuum est mihi. Donec perueniam ad te, succurre mihi. Etenim inter eos, qui ei ore suo benedicunt, & corde suo maledicunt, inter tentationes, & iniquitates, inter scandala, & apertas oppugnationes, & subdolas locutiones positus sum. Deus auxilij es tu, mihi certanti auxilium tuum præbe. Fortes sunt inimici mei, quia mihi non est colluctatio aduersus carnem, & sanguinem, sed aduersus principatus, & potestates, aduersus rectores tenebrarum harum, ad Ephes. cap. 6. num. 12. Et aduertendum hìc, quòd iste transiliens Idithun, non quia petit auxilium, ideò fugiat labores, ideò persecutiones non libenter appetat, gaudens enim, & lætus illas aggreditur; non tamen de sua virtute confidit, sed auxilium Dei sperat, cuius spes firma in illo est, 2. Corinth. 4. num. 17. Nouit quippè id, quod in præsenti est momentaneum, & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operari in nobis; non contemplantibus nobis,

quæ

quæ videntur, sed quæ non videntur, quæ enim videntur, temporalia sunt, quæ autem non videntur, æterna sunt.

Vndè S. Bernard. in Psalm. Qui habitat, Non consideremus, quæ videntur, sed quæ non videntur: Gloriemur in spe gloriæ magni Dei, præhibemus primitias gloriæ; &, vt expressius dicam, gloriemur in tribulationibus, in ipsis enim spes est gloriæ, & ipsa in tribulatione gloria continetur; sicut spes fructus in semine, sic ipse fructus in semine est.

Deus ergo spes mea, inquit, futuram enim gloriam quærebat, sperabat, qui transiliens terrena Deo psallebat, spes enim cælestis præmij nos patientiores reddit in sufferendis laboribus, Iacob. cap. 5. nu. 7. cum sequen. hinc Dauid Psalm. 30. num. 20. Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te. Nondum cumulus illorum videri potest, quia absconditus est; ideò expecta Dominum, inquit Psalm. cap. 26. nu. 14. viriliter age, & confortetur cor tuum, & sustine Dominum; sustinet enim Dominum, qui labores, & tribulationes patienter patitur propter illum; sustine sustentationes Dei, inquit, Eccles. cap. 2. quocircà hic dicitur.

In Deo salutare meum, & gloria mea, Deus auxilij mei. Non ex virtute mea, sed ex Deo, & spes mea in illo est. Quia cognoscit melius esse amplecti Deum; & in camino habere illum secum, quam esse sine ipso, vel in cælo. Bernard. vbi supra: Nonnè Deo subiecta est anima mea? refugit sensus labores, sed tu anima mea, cuius est spes in Deo, vince pigritiam, supera labores, Deo solum subiecta sis, & spes tua sit in illo, hinc Cant. cap. 5. num. 9. Expoliaui me tunica mea, quomodò induar illa? Laui pedes meos, quomodò inquinabo illos? dilectus meus misit manum suam per foramen, & venter meus intremuit ad tactum eius: Fugiunt Sancti labores, sed vincunt per Dei gratiam omnem difficultatem, ideò dicit foramen, idest mentem, per quam aditus est ad voluntatem, quasi dicat, tetigit mentem meam, excitans pigritiam, ad eius enim tactum interiora commota; & ideò num. 5. ibidem, inquit, Surrexi abiecta scilicet segnitie, manus meæ distillauerunt myrrham, & digiti mei pleni myrrha probatissima, idest multa exemplo sponsi Christi oportuit me pati; propterea surgens è pigritia Pessulum ostij mei aperui dilecto meo, auferens impedimenta, & ideò labia mea distillauerunt myrrham primam, ibid. Cantic. num. 14. præcepta scilicet, & consilia, quibus mortificatio docetur, primam, idest perfectam, seù plenam, perfecta charitate amplexus sum, quia spes mea in Deo est, ideò plenæ manus hyacinthis, inquit Cant. idest cælestium spo.

Sperate in eo omnis congregatio populi, omnis Ecclesia, effundite coram illo corda vestra, Deus adiutor noster in æternum: Ecce sponsus laborum sustinentiam inculcat, iniuriarum tollerantiam, mortis contemptum, vt promissum præmium assequamur, & futuram gloriam in nobis reuelandam, si labores, & ærumnas perferamus: ad hæc enim admonet sponsus, in d. c. 5. nu. 14. Cantic. ibi enim dicitur, labia distillantia myrrham primam, quis enim nesciat myrrham amaram symbolum laboris, passionis, & mortis esse? id certè labia sponsi distillabant, qui nihil frequentius inculcabat, quàm laborum sufferentiam, & alia vt supra: ad hæc enim inuitabat, vt spem habeamus de futuro gaudio, & gloria filiorum Dei: Vndè dicit labia sponsi sic prædicantis similia

lilijs, quæ symbolum spei vsquequaque fuere.

Omnes ergo simul exemplo Idithun abijcientes terrenas & malas cogitationes, spem habeamus in Domino; Deus enim adiutor noster in æternum; sperabimus in illo, si corda nostra effundamur in eum: si pœnitentes de commissis peccata nostra confitebimur.

Effundamus coram illo corda nostra, idest lacrymis effundamus cor nostrum lacrymis enim meis, inquit Propheta, stratum meum rigabo. Viros peccati intus non retineamus: Punge, inquit, oculum, & producit lacrymam, Eccles. cap.22. num.24. punge cor, & producit scientiam: percutiamus ergo pectora nostra, vt sonus ex tunsione, peccatorum nostrorum confessiones ostendamus; Augustin. hic litera E.

Effundite coram illo corda vestra. Non perit, quod effunditis, ille enim susceptor meus; si suscipit, quid times effundere? Iacta in Dominum curam tuam, & spera in eum: quid times inter susurrones detractores? Deo odibiles, vbi possunt palàm oppugnantes, vbi non possunt occultè insidiantes, falsò laudantes, verè inimicantes. Deus adiutor, quid timetis? effundite ergo coram illo corda vestra, deprecando, confitendo, sperando; nolite corda vestra retinere intra corda vestra, hæc Augustin. Transiliamus ergo ad eum, coram illo effundamus corda nostra, vt in loco munito constituti, in Turri fortitudinis à facie inimici; quos prius timebamus misereamur; in siti curramus, & illos monentes, atque despicientes, simul cum Propheta dicamus.

Veruntamen vani filij hominum, mendaces filij hominum in stateris, vt decipiant ipsi de vanitate in idipsum. Si filij sunt hominum, ergo carnales sunt, quibus caro non prodest quidquam, & ipsi spiritum Dei non habent, qui viuificat; si spiritum Christi non habent, non sunt eius; & quidquid extrà Christum est, vanitas est. Hi enim non credunt, & si fidem non habent, ergo nec intellectum, ergo bestijs similes, quibus non est intellectus, Psalm. 31. numer.9. Quòd vero qui non habent fidem, neque habeant intellectum, Isai. cap.7.numer.9. Vndè Augustin. in Ioan. Tom.9. Tract.27. litera E. fol.82. in nouiter impressis, inquit, per fidem copulamur, per intellectum viuificamur; prius hæreamus per fidem, vt sit, quod viuificetur per intellectum; nàm qui non hæret, resistit; qui resistit, non credit, nàm qui resistit, quomodò viuificatur?

Veruntamen vani filij hominum. Filios hominum dixit, qui secundum carnem operantur malum, qui Patrum hominum mala exempla sequuntur, qui filij Diaboli fuerunt, qui lucem odientes vana operantur, quæ animam mactant, ideò tenebræ facti sunt.

Si ergo Idithun & transiliens tu Christiane fidem habes, nonnè illos, qui terrena sapiunt, qui in mendacio confidunt, qui proximum decipiunt, vt res alienas, & famam auferant, vanos mendaces iudicaueris, & Diaboli ministros? Cum in stateris, idest sub Religionis clypeo falsa docentes, & prędicantes decipiãt audientes. Imò ipsimet in idipsum de vanitate decepti cadant in infernum: audi Ioan. Apocal.6.nu.6. Et ecce Equus niger, & qui sedebat super illum, habebat stateram in manu sua, Augustin. in Append. Tom.9. in Apocal. Ioan. Homil.5. litera F. fol.515. in nouis Impress. Quod autem stateram habebat in manu, hoc ideò, quia dum se fingunt mali iustitiæ libram tenere sic plerumque decipiunt:

Vani,

Vani, mendaces filij hominum; quos benè declarat Ioan. d. cap. 6. Apocal. per equum rufum, dicens num. 3. Veni, & vide, & exiuit alius equus rufus, & qui sedebat super illum, datum est ei, vt sumeret pacem de terra, & vt inuicem se interficiant, & datus est ei gladius magnus. Quid enim per sedentem in equum rufum; nisi quia contrà Ecclesiam victricem exijt populus magnus, & sinister ex sessore suo Diabolo sanguinolentus, cui datus est gladius magnus, vt tolleret pacem de terra, scilicet suam pacem, hoc est mundanam. Nam Ecclesia æternam pacem, quam sibi Christus reliquit, habet: in equo enim albo, idest in Ecclesia Dei, de quo Ioan. ibi, Sedet Christus arcum tenens, quæ sua præcepta, & per totum mundum sicut sagittæ potentis ad interficienda peccata, & excitanda fidelium corpora directæ sunt, vitam æternam promittendo; idcircò coronam in capite suo: ità Diabolus filios suos vanitatum, & deceptores mittens in equo rufo sedebat, vt gladio acuto, quem tenet, pacem tolleret de terra.

Vani filij hominum, qui Diabolo suadente lites inter se, & discordias, & deceptiones excitare non cessant. Vani filij hominum, vt decipiant ipsi de vanitate in idipsum: sequentes sedentem in equo pallido Diabolum scilicet, Ioan. ibid. num. 8. nomen illi Mors: & Infernus sequebatur eum, &c. hos inuicem ille in infernum secum trahit, & ducit: Mendaces filij hominum in stateris Diaboli, in deceptionibus eius; vt decipiant ipsi in idipsum: ò vanos filios hominum, & deceptores, ò omnibus hominibus miserabiliores, & infeliciores, & pecoribus, animalibusque similes, quibus enim illa intendunt, & inhiant nisi ijs, quæ de hac vita sunt, eadem planè, quæ & vos cogitatis, ò mendaces filij hominum, manducare scilicet, bibere, luxuriari, dormire: tales vos estis, qui plus de corpore, quàm de anima cogitatis: plus enim gulam, & luxuriam diligitis, quàm castitatem, & iustitiam; plus fraudem, & insidias, quàm charitatem, & pacem. Quid proderit vobis nomen christianum, si in malis operibus exerceamini? Diligite fratres castitatem, fugientes luxuriam; sobrij simus, ebrietatem fugientes; humiles simus, superbiam detestantes; charitatem inuicem exerceamus, inuidiam respuentes, & odium. Tunc christiani nomen verè habebimus, si quod bonum est sectemur, si stateras dolosas, & mensuras duplices, velut gladium Diaboli pertimescamus, in his enim fidelibus habitat Christus, vide August. Tom. 10. in Serm. de Tempore 215. in Dominica 10. de Christiano nomine, appendamus, quod Serm. 2. fol. 333. in nouiter impressis. Non afferamus stateras dolosas, vbi volumus, & quomodò volumus, pro arbitrio nostro dicentes, hoc graue, hoc leue est. Sed afferamus diuinam steteram de Scripturis sanctis, tamquam de thesauris Dominicis, & in illa quid sit grauius appendamus: immo non appendamus, sed à Domino appensa recognoscamus. Augustinus Tom. 6. de Baptismo contrà Donatistas, cap. 6. litera C, fol. 38. nouiter impressis.

Nolite ergo sperare in iniquitate, & rapinas nolite concupiscere, diuitiæ si affluant, nolite cor apponere, spes vestra sit in Deo, non in iniquitate, nàm & si pauperes diuitum rapinas concupiscitis, rapiet vos Diabolus in extremis: & quatenus diuites estis, & diuitijs affluitis, in incerto diuitiarum nolite cor apponere. Diuites enim eguerunt, & esurierunt, inquirentes autem Dominum, non minuentur omni bono, Psalm. 33. nu. 11. si ergo habes, non superbias,

si non habes, non ambias. Et notandum, quòd non reprehenduntur habentes diuitias, dicit namque, nolite cor apponere, idest nolite recondere diuitias; nec illis cor apponere; sed expendite illas, inter pauperes distribuentes, vt boni, & fideles reperti dispensatores, audire mereamini: Euge serue bone, & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui, Matth. 25. num. 21.

Augustinus, Nolite pauperes sperare super iniquitatem, vana est iniquitas, nihil est iniquitas; potens non est nisi iustitia; ad tempus florere poterit iniquitas, permanere non potest. Non concupiscas; non es diues, & rapere vis? quid inuenis, quid perdis? ò lucra damnosa, inuenis pecuniam, perdis iustitiam: quid rapias vides, à quo rapiaris, non vides? Nescis circuire inimicum tamquam leonem, & quærentem quid rapiat? Præda illa, quam vis rapere in muscipula est; tenes, & teneris. Non ergo in rapinam concupiscas ò pauper, sed in Deum, qui nobis abundanter præstat omnia ad fruendum. Pascet te, qui fecit te; &, si pascit inanem, non pascet innocentem? si pascit damnandos, non pascet liberandos? pluit enim super iustos, & iniustos, Matth. 5. num. 45. 1. Timoth. cap. 6. num. 9. Qui volunt diuites fieri incidunt in tentationem, & in laqueum Diaboli, & desideria multa inutilia, & nociua; quæ mergunt hominem in interitum; & perditionem: Radix omnium malorum est cupiditas, &c. & num. 18. Diuitibus, inquit, huius sæculi præcipe non sublime sapere, neque sperare in incerto diuitiarum; sed in Deo viuo, qui præstat nobis omnia abundè ad fruendum, benè agere, diuites fieri in bonis operibus, facilè tribuere, communicare, &c. ne dicatur vobis, vt in Psal. 51. Audiuimus: Ecce homo, qui non posuit Deum adiutorem suum, sed præualuit in vanitate sua. Ergo vani filij hominum, mendaces filij hominum: neque rapiatis, neque si affluant diuitiæ, cor apponatis.

Semel locutus est Deus, duo hæc audiui, quia potestas Dei est, & tibi Domine misericordia: quia tu reddes vnicuique iuxtà opera sua: ò Idithun, ò illos transiliens, ecce tibi secreta cælestia tàm cito reuelata sunt; iàm in cælum ascendisti mente, & corpore adhùc in terra permanes; Quis tibi arcana Dei reuelauit, & quare tibi, & non alijs? nisi quia Idithun, nisi quia terrena vana despexisti, vt cælestia peteres.

Semel locutus est Deus: Quomodò semel? Eloquia Domini, eloquia casta, Psalm. 11. num. 7. Eloquia Domini igne examinata Psal. 17. num. 31. dixit in alio loco Psal. 118. n. 103. Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua; ideò, Lætabor ego super eloquia tua, Psalm. 118. num. 162. Quomodò ergo semel locutus, si plura sunt eloquia, quæ locutus est, & si pluribus locutus est Deus, quomodò semel locutus est Deus? Paul. ad Hebr. cap. 1. num. 1. Multifariam, multisquè modis olim loquens Deus Patribus in Prophetis, nouissimè diebus istis locutus est nobis in filio, &c. Apud homines pluries Deum locutum esse videbis; sed apud se ipsum semel locutus est: quia vnicum Verbum genuit, per quod omnia facta sunt, & in quo simul omnia disposita sunt, & inter hæc omnia, duo hæc audiui; quæ hìc dicuntur, quia scilicet potestas Dei est, & tibi Domine misericordia.

Semel locutus est Deus. Augustin. Quia transiliens iste creaturam omnem, & super Cælos Cælorum ascendens vidit Verbum, per quod facta sunt

omnia,

omnia; & in quo simul sunt omnia, non diuersa, non separata, non inæqualia: Non enim quod per Verbum faciebat, ipse non nouerat, si autem quod faciebat nouerat, in illo erat, antequam fieret quod fiebat. Si enim non in illo erat quod fiebat, antequam fiebat, vbi nouerat, quod faciebat? non enim potes dicere ignorata fecisse; sciuit vtique Deus, quod fecit, & vbi sciuit antequam faceret, si sciri nisi facta non possunt? sed à factis sciri nisi facta non possunt, à te scilicet ab homine in imo facto, & in imo posito. Antequam autem fierent hæc omnia, sciebantur ab illo, à quo facta sunt, & quod sciuit fecit; ergo in Verbo illo, quod perfecit omnia, antequam fierent, erant omnia, & cum facta sunt, ibi sunt omnia; sed aliter hìc, aliter ibi; aliter in propria natura, in qua facta sunt, alter in arte, per quam facta sunt: iàm ergo, vt potuimus diximus, quomodò semel locutus est Deus: hæc Augustin. Quibus adstipulari posse videntur, quæ dixit ipse filius Dei per Isai. cap.48.numer.16. non à principio, in abscondito locutus sum: ex tempore antequam fieret, ibi eram, & nunc Dominus Deus misit me, & spiritus eius.

Semel ergo locutus est Deus; & duo audiui; quia potestas Dei est, & tibi Domine misericordia; A quo hæc duo audisti? ab illo, qui semel locutus: & cui hæc duo data sunt? Potestas scilicet, & misericordia? illi nempè eidem, qui dixit, data est mihi omnis potestas in Cælo, & in terra; illi, per quem omnia facta sunt, & sine illo factum est nihil; illi, cuius vestis aspersa erat sanguine, cuius nomen est Verbum, Apocalyps. cap.19.numer.13. Potestatem audiuimus, & videmus, sed vbi est misericordia? Audite, & videte illum de Cælis ad terram venientem: sed quare? nisi quia miserator est Dominus, & misericors, vt perditum hominem propter peccatum, redimeret sanguine suo, passione sua, & morte sua; vt mortem hominis tolleret. Ipsi ergo Domino misericordia, quia dedit vitam volenti, vitam secundum suum præceptum ambulanti, operanti: & ei, qui propter infirmitatem carnis ceciderit, viam ostendit resurgendi, nempè vt pœnitens, & transiliens in finem pro Idithun Psalmum Dauid psallat. Potens est etiam, hominem vanitati, & deceptioni deditum, & non pœnitentem, iuxtà iniquitatem suam perdere, & damnare, vt cum Diabolo eius auctore in perpetuas pœnas trudatur, conijciatur, damnetur.

Vel secundum Hieron. hìc. Semel locutus est, firmitatem scilicet dictorum ostendens; quòd duo, noui, veterisq. testamenti vnum demonstrat Auctorem; semel ergo locutus est Deus, duo hæc audiui. Semel non ad numerum referendum est, sed ad sententiæ firmitatem; quæ sunt autem, quæ duo pariter audiuit? & posse Deum omnia, & in sui iudicij veritate misereri. Quosdam verò aliud dixisse asserit, nempè, Semel Deus locutus est in lege, & eadem rursus in Euangelio præcipit; hæc audiui, quia potestas Dei est, per hæc duo testamenta, potestatem, misericordiam, iustitiamq. Dei cognouit, sicut sequitur.

Et tibi Domine misericordia, quia tu reddes vnicuique iuxtà opera sua: quibus addi potest, quod ipse Deus dixit, Matth.5.nu.17. Non veni soluere legem, sed adimplere, idest serua mandata, quia per me tibi erunt portæ Cæli apertæ; sequitur Hieronym. dicens; Quòd ipse omne iudicium accepit à Patre, vt negligentibus damnationem, pœnitentibus misericordiam, iustis præmia præparet; qui nos à iudicio mortis eripiat, nosq. quasi sibi alumnos proprios subdat, conformesquè corpori suo factos æternitati perpetuæ dignanter asciscat.

Quia potestas Dei est, potestas fuit, quia omnes creaturas ex nihilo creauit, Genes.cap.7. & 8. Misericordia in agendo, & gubernando; Potestas fuit in diluuio; Misericordia liberauit Noe, quia tu reddes vnicuique iuxtà opera sua, bona bonis, mala malis: damnas peccatores, remuneras iustos.

Et nos dicamus; potestas in creando, misericordia in perditos redimendo. Veni ergo Domine, relaxa facinora plebis tuæ, infunde lumen cordibus, infirma nostri corporis virtute firmans perpeti: Rorate cæli desuper, & nubes pluant iustum; aperiatur terra cordis, & corporis nostri, vt recipiens Verbum, germinet Saluatorem nostrum; succurrat nobis, quæ se dixit Ancillam Domini, Maria Virgo, cui propterea dictum est per Angelum, Ecce concipies, & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum, Luc.cap.1.nu.31. Matth.cap.1. num.21. & saluum faciet populum suum à peccatis eorum, populus enim tuus sumus, saluos nos fac per misericordiam tuam, qui hodie mundum pugillo continens, Ventris sub arca clausus es.

SOLILOQVIVM.

NONNE subiecta es Deo anima mea? in finem respiciens; cur terrena transiliens, non properas accedere ad salutare tuum? Ipse enim qui hodie in Virginis ventre clausus est, ipse est Deus tuus, salutaris tuus, ideò venit, vt suscipiat te. Non acquiescas illis, qui in noua facinora mentem tuam inclinare nituntur: Recta anima mea creata es, cur ad illos, qui te interficere conantur, accedes? An forsan non nosti, quòd in petra fundata es, & non in maceria depulsa, vt possis iniquis illis resistere? Pretium, quo redempta es, in te repellere contendunt inimici tui. Sitit, qui te inuenit ad puteum, vt illi præbeas aquam: puteus tuus altus est, tu pete ab illo aquam, & currens tibi dabit, vt non sitias in æternum: quia hauries aquas in gaudio de fontibus Saluatoris. Sis & tu Idithun transiliens illos, qui ore benedicunt Dominum, cor autem illorum longè est ab illo; terrena enim tantùm sapiunt, & in illis est spes illorum. Tu anima mea longè sis ab illis, subiecta Deo tantùm, à quo est salutare tuum. Nàm si ipse Deus est tuus, & salutaris tuus, & adiutor tuus, quomodò emigrabis ab illo? An ignoras, quia in Deo est salutare tuum, gloria tua, & qui stat in auxilium tuum, Deus? Sit ergo spes tua in illo, quia in mundo non est alia saluatio.

Sperate ergo in illo omnis congregatio populi Christiani, & effundite coram illo corda vestra; quia ipse est Deus, adiutor noster in æternum: Spes nostra sit in illo, non in principibus, in quibus non est salus; non in homine doloso, & decipiente, in quo est vanitas, & dolus in statera præceptorum, in qua appensus, reperitur minus habens; in iniquitate enim spes illius; & in rapinis eiusdem concupiscentia. Tu verò anima mea, si diuitiæ affluant, noli cor apponere, si paupertas te apprehendat, patientiam habe, & sustine. Semel enim Deus locutus est, qui Verbum suum misit, vt daret vnicuique secundum opera sua; ipse enim potens est ad perdendum, misericors est ad saluandum. Declina ergo à malo, & fac bonum, vt Deo miserente, merearis liberari, & ab imminentibus peccatorum tuorum periculis ipso protegente

saluari. Maria Virgo, quæ hodie Angelum te salutantem audisti, preces etiam supplicantis populi tui in afflictione positi exaudi, respice, intercedere dignare, vt & nos ipsi tecum dicere valeamus; Ecce Domine populus tuus humilis, in nobis fiat voluntas tua, vt per te serua tua fiat anima nostra. Amen.

IN PSALMVM LXII.

Deus Deus meus ad te de luce vigilo.

TITVLVS. Psalmus Dauid, cum esset in deserto Idumææ, ex 1. Reg. cap. 22. num. 5.

In Psalmo non legitur de Dauidis fuga in Idumæam; sed de eius significato: Vnde non mirum videtur, si Idumææ inscribatur Titulus, & non Iudææ: vbi secundum Tex. d. cap. 22. Dauidem fugisse legitur; & non de Idumæa; & latius Deo adiuuante infra dicemus; longa enim, & lata fuit Dauid persecutio, longior tamen, & latior fuit pœnitentia, & illius contritio: Dauid enim cum tota familia ab ira Regis Sauli fugiens, sub præsidio Regis Moab permanebat: ex quo præsidio, de consilio Gad exijt; & in deserto Iudææ se transtulit: dixerat enim illi Gad: Noli remanere ò Dauid in præsidio Moab; sed reuertere in terram Iuda, vbi Dauid mansit apud saltum Haret, idest in deserto; Saltus enim Haret est desertum. O Dauid Deo dilecte ad infideles refugium tuum? nunquid in Deo non est spes tua? reuertere, reuertere in terram Iuda, vbi est Deus, vbi honor Deo præstatur, in Ecclesia est Deus, in Deo est defensio; Quid times Regem, in quo non est quid virium sine Deo, vel ad affligendum, vel ad saluandum? Noli hominis iram timere, qui habes Deum in tui custodiam: ideò suffert Deus vt affligaris, permittitq. tenteris, vt ex tentatione facias prouentum; electos enim suos Dominus tamquam aurum in fornace probat. Si tu repræsentas eum, qui te Regem, & victorem fecit, cur si ille passurus est, & moriturus pro te, & tu minora non patiaris? Intrà in desertum pœnitentiæ, si vis liberari â Saulis persecutione: doces nos, vt patientes simus tuo exemplo, in Deo spem habeamus, fortesq. in bello iubilemus Deo nostro. Non nos terreat Iudææ desertum ingredi, multa pro nomine Iesu pati, & pro peccatis nostris affligi, & tribulari; In desertum Idumææ tecum & nos læti ingrediemur; quò enim magis tribulamur, eò magis à Deo diligimur; eripiemur, & gloriabimur in Domino: ipse enim Dominus dixit, nobiscum se esse in tribulationibus, à quibus nos eripiet, & glorificabit, Psalm. 90. num. 15.

Quamuis Dauid in deserto Idumææ non fuerit, sed legerunt tamen Sept. in deserto Idumææ, pro Iudææ, quòd & ad mysterium facit Iudææ; vt nouerimus, non solum in Iudæa à nostris Christianis malis, tribulationes pati oportere: Verùm etiam, & in Idumæa, idest in omni parte, vbi sunt & Gentiles, & infideles pro nomine Iesu contumeliam pati parati simus.

In desertum secessit, vt pœnitentiam agendo, mereretur habere gratiam Saluatoris: percussum se dicebat, & aruisse vt fœnum, & collocatum in obscuris, sicut mortuos sæculi; & tamen lux magna est orta illi, Sapien. 18. num. 1.

ibi cinerem tamquam panem manducabat, Psalm. 101. vt panem de cælo verum mereretur accipere, Psalm. 77. num. 24. & 25.

In Idumæa desertum erat, modò in Gentilitate Ecclesia posita est, vt patientia vincens hanc gentem de Moab natam, vel reduceret ad fidem, vel vt per illam meliores in Ecclesia efficerentur Christiani, qui in illa sunt, Augustin. Psalm. 59. litera F. De Moab nata est ista gens, de filiabus Loth, quæ cum Patre inebriato concubuerunt, malè vtentes Patre, isti sunt persecutores Ecclesiæ, vt eadem Ecclesia in deserto, in ieiunio, & cinere cum Dauide psallens dicat: Iubilate Deo omnis terra, seruite Domino in lætitia, & euigilans dicat, Deus, Deus meus: ad te de luce vigilo.

In desertum Iudææ venerat Dauid, inter Iudæos natus est Iesus, verùm quia illi eum non receperunt, Ioan. 1. migrauit in desertum Idumææ dicentibus Apostolis: Vobis Iudæis oportebat primùm loqui verbum Dei, sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ; ecce conuertimur ad gentes, sic enim præcepit nobis Dominus, Isai. 49. num. 6. Act. Apost. c. 13. nu. 46. Paruum erat illud Iudææ desertum. Parum est, dicit Dominus, vt sis mihi seruus ad suscitandas tribus Iacob, & fœces Israel conuertendas: ecce dedi te in lucem gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ: In desertum Idumææ venit, in totum Orbem terrarum, in desertum gentium, vbi non erat via Domini, nec aqua pro salute: ecce quare in Tex. cap. 22. Reg. 1. quia Dauid in desertum Iudææ aufugit: in desertum verò Idumææ dicunt Interpretes. Nunc considera, quia Dauid typus est Iesus Christi, Venerat prius Dominus in Iudæorum desertum: non remansit ibi solum, sed in deserto Idumææ, egressus eius à finibus terræ vsque ad terminos eius; per Idumæi enim nomen intelligitur sæculum istud. Idumæa gens erat quædam, errantium hominum, vbi Idola colebantur, non in bono ponitur Idumæa ista: ideò per eam intelligenda est vita ista, in quam Dominus Iesus venit, & tantos labores passus est, in qua & nos ijsdem laboribus, & necessitatibus subditi sumus: & ideò desertum Idumææ, vbi nec aqua, nec via est habitantibus sine via, quæ est Christus, qui se dixit esse viam, Ioan. cap. 14. num. 6. In hoc deserto multum sititur. Audiamus vocem illius in deserto clamantis, & dicentis: Ego vox clamantis in deserto; parate viam Domini, rectas facite semitas Dei nostri, pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cælorum, Isai. cap. 40. numer. 3. Matth. cap. 3. num. 1. & sequen.

In hoc ergo deserto, in quod iàm venit Dominus in mundo stat nobiscum: sciamus, sequamurq. vt cognoscamus illum, vt in conspectu eius viuamus, Osee cap. 6. num. 3. Occurramus illi, quia in hoc deserto docebit nos vias suas, vbi multum sitire debemus, vt vocem sitientis audiamus. Augustin. Si nos autem cognoscamus nos sitientes, cognoscemus nos & bibentes, quia qui sitit in hoc sæculo, in futuro sæculo satiabitur, Matth. cap. 5. num. 6. Beati, qui esuriunt, & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur, ergo in hoc sæculo non debemus quasi amare saginam, hìc sitiendum est, alibi saginabimur.

Continuatur Psalmus iste ad præcedentem, in quo de transiliente dictum est. Verùm quia non sufficit transilire, nisi videamus, quousquè transilierit, & vbi positus sit, propterea hìc in præsenti Psalmo monetur rectè conuersari in medio prauæ nationis.

Summa

Summa hæc est; Sis peregrinus à malis, si sitis gloriam regni Cælestis.

Sitiens ergo anima nostra salutem, & Dei gloriam, dum in hac lacrymarum Valle persistit, in hoc tenebroso inter tot peccatores, & iniquos, atque infideles permanet deserto, clamans ad Deum, vt ab illo eripiat eam, inquit.

Deus Deus meus ad te de luce vigilo, sitiuit in te anima mea. Deus, qui es omnium Deus; sed Deus meus; quia ex toto corde meo, ex tota anima mea, ex totis viribus meis te diligo; tu lux mea es, in qua ad te de luce vigilo, lucerna pedibus meis, & lumen semitis meis, vt non moueantur vestigia mea, ideò ad te vigilo: nàm sine luce tua, quomodò possem ego è somno vigilare? tenebræ enim sunt in hoc deserto, ni luceat lux tua in illo. De mane curro ad monumentum, vt cum Discipulis credens resurrectionem tuam toto tempore vitæ meæ, & te oculos meos illuminante, nunquam obdormiam in morte, Psalm. 12. memor semper sim tui Domine, vt semper ad te vigilans, non obliuiscar sermones tuos, vt nunquam obdormiam. Non veniat animæ somnus, vt non obliuiscar te Deum meum, ad Ephes. cap. 5. numer. 14. Surge, qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus: Animam dormientem excitat Apostolus, vt à Christo illuminetur: hanc habebat iste animæ vigiliam cum diceret, Deus Deus meus ad te de luce vigilo; sed nonnè qui videt omnia, hunc etiam vigilantem inuenit, vt quid gloriatur iste, Domine ad te de luce vigilo. Pharisæus damnatur, qui dicebat, Gratias tibi ago Domine, quia non sum sicut cæteri homines, raptores, &c. & sicut Publicanus iste. Ieiuno bis in Sabbato, dimidium, quod habeo, do pauperibus, tametsi totum id verum esset. Propheta noster dicit, se vigilare ad Dominum, & laudatur, quid est hoc? laudat se Pharisæus; magnificat Dominum Propheta: Ad te de luce vigilo, inquit iste: non sum sicut cæteri ille gloriosus, humilis iste: ille se exaltat, hic se humiliat; & humiles respicit Deus, alta verò, idest superbos, ac vanos de alto cognoscit, hunc exaltat, illum humiliat. Confitetur itàq. iste beneficium à Deo acceptum: ne ingratitudo inueniat eum silentem; & quod est alienum sibi quodammodò appropriantem.

Si ergo fratres in Idumææ deserto sumus, si in hoc sæculo viuimus, vbi tenebræ, & væ: vbi non est lux nisi illis, qui lucem confitentur, & credunt, & ideò in deserto afflicti laborant, vt illam inueniant; cur & nos corporis, atque animæ somno dediti, non studebimus euigilare, vt eamdem inueniamus lucem, & viam, quæ ducit ad Deum? & non aperiemus cordis aures pulsanti in cordibus nostris, qui lucem ipsam nobis dare desiderat, dicentes; Deus Deus meus, qui es mihi lux, vt te inueniam viam directam, ecce de luce tua, in luce tua vigilo. Docet nos D. Gregor. quid sit in Domino vigilare, dicens, Ille verè vigilat, qui ad aspectum veri luminis oculos cordis tenet apertos, ille vigilat, qui seruat operando, quod credit, illè vigilat, qui à se corporis, & negligentiæ tenebras expellit. Ità vigilabat in tenebris, in persecutionibus, in lapidibus; qui cælum apertum videbat, qui Iesum stantem à dextris Dei videbat. Stabat enim Iesus, vt illum reciperet, tamquam victor gloriosus, Act. Apost. cap. 7. num. 54. Stridebant dentibus lapidantes, rogabat ille pro persecutoribus, num. 55. & 59. Ne statuas illis hoc peccatum; ille obdormiuit in Domino, lapidantes permanserunt in sæculo; sitiebat ille eorum salutem, at illorum anima, & corpus dormiebat in perditionem: ideò inquit Psalmista.

Siti-

Sitiuit in te anima mea, quàm multipliciter tibi caro mea. In Idumææ deserto stabat aliquando & iste, vbi non est veritas, lux, nec via. Et quamuis in illo non sit via, sitienti tamen ad Dominum in illo reperitur lux lucens, & via.

Sitiat & salutem infidelium, & iniquorum anima tua, in Domino, nàm multipliciter magno numero, & ipsi sitient etiam tecum salutem animarum suarum: vt salua simul fiat & caro, quæ iàm mortua viuificetur in resurrectione sua. Sitias & tu in Domino, qui nunc stas in sæculo isto, in hoc deserto. Augustin hìc: Sitiunt, inquit, homines sæculi, & non se intelligunt in Idumææ esse deserto, vbi deberet sitire anima ipsorum Deo. Parum est, quia sitiuit anima mea, sitiuit & caro mea. Porrò si anima sitit Deo, quomodò & caro sitit Deo? Quando enim caro sitit, aquam sitit, quando verò anima sitit, fontem sapientiæ sitit; de ipso fonte inebriantur animæ nostræ, Psalm. 35. Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos: sitienda ergo sapientia, sitienda est iustitia. Non ea implebimur, non ea satiabimur, nisi cum fuerit finita vita ista, & venerimus ad illud, quod promisit Deus, æqualitatem nempe Angelorum, qui modò non sitiunt quomodò nos, nec esuriunt vt nos; sed habent saginam veritatis lucis immortalis sapientiæ; Ideò beati sunt, & de tanta beatitudine, quia in illa cælesti Ciuitate sunt, vndè nos modò peregrinamur; attendunt nos peregrinos, & miserantur nos, & iussu Domini auxiliantur nobis, vt ad illam Patriam communem aliquando redeamus, & ibi cum illis fonte Dominico veritatis, & æternitatis aliquando saturemur. Hæc Augustin.

Sitiuit in te anima mea, sed cum sitire sit proprium corporis, quomodò sitit anima mea? Benè ergo additum: Quàm multipliciter tibi caro mea, cuius est proprium sitire, cum sit facta, & ex terra arida compacta: sitire est cum auiditate, & enixè desiderare: sed verum desiderare est in Domino desiderare, Domino frui, Dominum videre, & cum Angelis in paradisum introire. Et anima, & caro à Deo sunt; animæ quidem dat panem suum, idest verbum veritatis, & carni dat, quæ necessaria sunt: Siquidem qui fecit ambas, ipse ambas & pascit. Vtraque in nobis Deo sitiat, & ex labore multiplici simpliciter satietur.

Sitit anima Domino, quia in deserto, vbi nec aqua, nec via, & ideò per illam eandem viam, qua venit è cælo, desiderat reuerti ad cælum, in quod ingreditur, qui effundit aquam lacrymarum, Thren. cap. 1. num. 16. in deserto huius sæculi, vt quando Dominus veniet, & omnes Sancti eius cum eo, eritq. lux magna, exeat & ipsa de Ierusalem sicut aqua munda, in verbo vitæ, ad Ephes. cap. 5. num. 6. hauriens aquas in gaudio, Isai. cap. 12. num. 3. de fontibus Saluatoris.

Sed si anima, & caro est vnus homo, quomodò istius vnius hominis multipliciter sitit caro, magis quàm anima? Profectò si anima torquetur, simul patitur, & torquetur & corpus: si glorificatur anima, & caro simul erit gloriosa cum anima: cur ergo multipliciter sitit caro magis, quàm anima?

Maior sanè deberet esse sitis in anima, quæ in cælis creata, vt reuertatur vbi est creata, nàm caro ex terra tendens deorsum, magis ad suum centrum est vicina, si descendat ad infra. Non sic, non sic; nàm etsi caro ex terra, & caduca, fiet tamen cælestis, & perpetua, quando cum anima ascendet in cælum; qua-

pro-

propter tamquam magis distans multipliciter erit sitis, ac desiderium ipsius carnis ad cælum? & quæ nunc cinis est, & caduca, quomodò non multipliciter sitiat, vt non corruptibilis amplius sit?

Insuper sitim, & famem hìc anima non sentit, caro verò & corpus omnia sustinet propter animam famem, sitim, disciplinam, &c. multipliciter idest multis ex causis sitit magis caro, quàm anima: dicit B. Apostol. Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, 1. Corinth. cap. 9. num. 27. Cum ergo caro hìc aduersis quatiatur, multipliciter & sitit; quia sunt carnis infirmitates multæ, cum ab ipsis liberetur sitiendo Deum, multipliciter sitire dicitur ad illum, de quo in Psalm. 102. num. 3. qui sanat omnes infirmitates tuas.

Nec, inquit Augustin. incredibile tibi videatur corporis resurrectio: si enim fecit Deus nos, qui non eramus; non est illi magnum reparare, qui eramus, non ergo hoc vobis incredibile videatur, qui putrescere mortuos videtis, & ire in cineres, & in puluerem: aut si incedatur aliquis mortuus, aut si canes dilanient eum, putatis, quia inde non erit resurrecturus? omnia quæ discerpuntur, & in fauillas quasdam putrescunt, integra Deo sunt; in illa enim elementa mundi eunt, vndè primò venerunt, quando facti sumus: non illa videmus, sed tamen Deus vndè scit, producet illa, quia & antequam essemus, vndè sciebat, nos produxit. Non enim corruptionem habebit caro, tunc quando resurget, sicut modò habet, & ideò multipliciter sitit caro: Vndè verò sitiat, satis tibi videre poteris, si illam esse carnem corruptibilem cognosces: ergo in hoc sæculo, ergo in deserto isto, & ideò sequitur.

In terra deserta, inuia, & inaquosa: sic in Sancto apparui tibi, vt viderem virtutem tuam, & gloriam tuam. Ex his consideremus huius deserti qualitates: Terra deserta sine aqua, sine via, & tamen sequitur, sic in Sancto apparui tibi; si in via, vbi erit via? si inaquosa, quomodò fossas, & fossas ibi? si talia sunt, quomodò sancta? vt ibi virtutem Dei, & gloriam eius videas? Inuia illi, cui non est via Christus; inaquosa illi, qui lacrymis suis non quærit delere peccata sua: cui verò est Christus & si in deserto, illi est lux, vt cognoscens mala abstineat ab illis, & in conuersationem Sãctorum illos imitando eat, si enim tormenta, quæ Sancti pertulerunt, ferre non possumus, vel contrà malas concupiscentias, ipsis intercedentibus repugnemus. Nàm nec Abraham, nec Isaac, nec Iacob occisi sunt, & tamen fidei, & iustitiæ meritis honorati inter Patriarchas primi esse meruerunt, ad quorum conuiuium congregatur, quisquis fidelis, & iustus, & laudabilis inuenitur, Vndè & nos etiam si nihil tale perpetiamur, si non vincula, non verbera, non carceres, non alia corporis supplicia, nullam hominum persecutionem propter iustitiam tolleremus, societatem tamen Sanctorum obtinere valebimus, si castigare corpus nostrum, & seruituti subijcere curamus: si in spiritu humilitatis, & in anima contrita Deo supplicare assuescimus; si illatas à proximo contumelias placida mente suscipere satagimus; si & eos, qui nos odio habent, & iniurias nobis inferunt, diligere, his benefacere, & pro eorum vita, & sospitate exorare gaudeamus; si cum virtute patientiæ, bonorum quoque operum fructibus adornari volumus; Hinc ad Roman. cap. 12. num. 1. Obsecro, inquit, vt exhibeatis corpora vestra, hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum. In hoc ergo sæculi deserto taliter nobis conuersantibus cælesti dignatione donabi-

nabi-

stabimur: vt in via recta incedentes, & nos cum alijs Sanctis remunerationem accipere mereamur.

Sitiendum est ergo, & animæ & carni ꝗ hic in terra deserta, vbi non est aqua, neque via; malum desertum horribile, & timendum; & tamen Dominus miseretur nostri, faciens nobis viam in deserto, ipsum Dominum nostrum Iesum Christum, qui etiam nos consolando misit verbi sui prædicatores: inuenerunt, vt legimus 4.Regum cap.3. etiam illi tres Reges, postquam in deserto Idumææ per septem dies ambulantes cognouerunt, se esse in illo sine via, sine aqua, inuenerunt inquam Elisæum ad Deum clamantes, per quem eorum prouisum fuit necessitati: clamemus & nos ad Dominum, & in hoc deserto, & ipsum adiuuantem inueniemus. Sitiamus ad Dominum in hoc deserto, & dabit nobis fontes aquarum viuentium; & ad bonum, quod est Deus perueniemus: Si ergo sitiamus in Dominum, sic in sancto apparebit nobis.

Vt viderem virtutem tuam, & gloriam tuam, sitiamus ergo prius in Deo; & vt Deus appareat nobis desideremus; In terra enim, inquit, deserta, hoc est transiliens ego ista terrena, & totus ab illis alienus, vt te Deum solum habeam, ita coram te apparui. Et tu Domine vidisti me, vt viderem te, ad Galat. c.4. num.9. Nunc autem cognoscentes Deum, immo cogniti à Deo, Augustin. Prius apparuistis Deo, vt possit vobis apparere Deus.

In terra deserta sic apparui, &c. apparui corpore, sed non mente; nàm quæ est deserta terra, nisi malorum congregatio, nisi huius sæculi habitatores, qui, quæ sæculi sunt, & terrena sapiunt, nisi filiorum hominum habitatio? cum istis iniqua agentibus non intrabo, Psalm.25.num.4. Terra deserta, & inuia, hoc Idumææ desertum, vbi sitiendum Domino, vt liberemur ab illo; nullus enim in illo Sanctorum habitat, vt sit eius quies in illo, sed vt per illum militans exerceatur, vt boni meliores sint. Et inuia, ibi quippè non est via, quæ te ducat ad Christum, qui est via, tametsi via sit, quæ ducit ad perditionem, à qua declinandum; nàm transiliens eam inuenies in deserto, qui te conducat ad cælestia: vt de morte, in qua nunc stas in deserto, transeas in vitam æternam in sæcula; & videbis virtutem, & gloriam eius, qui te ducet in recta via; & vbi hic sine aqua, ibi fiet tibi fons aquæ salientis in vitam æternam, Ioan.cap.4.num.14.

Melior est misericordia Domini super vitas, quia ista mortalis, & caduca: illa immortalis, & cum Angelis Dei immortalis, & æterna: misericordia Dei, inquit, quia per illam solum est ingressus tuus in via. Et si in inuia permaneas, non tibi misericordia Dei proderit: & si transieris, vbi non est via, nec ordo in inferno, quid ad Deum? nunquid aliquis ei imputauerit, quòd te culpa tua perditum proiecerit in ignem æternum? Nunquid Rex, aut Tyrannus in conspectu suo inquiret, quia te, & socios tuos, & omnes alios iniquos in ignem proiecerit æternum? Sap. cap.12.num.14. Misericordia ergo quia non sumus consumpti, quia non defecerunt miserationes eius, Thren.c.3. num.22. ideò sequitur Psalm. Quoniam melior est misericordia tua super vitas, labia mea laudabunt te, Augustin. Diuersæ sunt vitæ, sed melior est misericordia tua super vitas nostras: Melius est, quod das correctis, quàm quod eligunt peruersi. Vnam vitam donas, quæ præponitur omnibus nostris, quæcunque in mundo eligere potuerimus. Labia mea laudabunt te, quia præcedit

mise-

misericordia tua; dono tuo te laudo, per misericordiam te laudo, non enim ego possem laudare Deum, nisi mihi donaret laudare se posse.

Labia ergo mea laudabunt te, nàm sinceriter amo te Dominum; & ideò veraciter te laudo, Augustin. Tom. 2. Epistol. 120. de Gratia noui Testamenti cap. 18. litera E. Secundum ergo est nomen tuum Deus, ità & laus tua in fines terræ, Psalm. 47. numer. 11. Magnus Dominus, & laudabilis nimis, in Ciuitate Dei nostri, in monte sancto eius, non ergo est laus Dei nisi in Sanctis eius: nunquid qui in deserto Idumææ permanent, laudare Deum poterunt? Vita blasphemant, quamuis lingua laudent: Permanentes in sæculo, terrena quærunt, & in his est eorum laudatio, dicentes, & iactantes, quia diuites, quia nobiles, & desiderant ab omnibus vocari Rabbi, sic benedicunt Dominum, quatenus quæ temporalia appetunt, sibi concedi desiderant. Non ità faciunt iusti, & in Domino spem habentes, quorum labia virtutem Domini, & gloriam eius assiduè laudant Deum. Et rationem adducit. Quoniam, inquit, misericordia tua melior est mihi præ ipsa vita: ex tua enim misericordia mihi vita datur, & conseruatur, nec illam, etsi moriar perdam, quia meliorem, & æternam mihi restitues.

Melior est, inquit, misericordia tua super vitas, quorumcunque scilicet hominum, etiam filiorum. Quocircà clamat mater illa Sanctorum Machabæorum. Adhùc sustine modicum fili, quos enim filios pepererat, hos in martyrio confortabat, vt relicta hac vita præmitteret ante ipsam in martyrio pro amore Dei, erant enim illi septem filij, septem vitæ, ecce melior fuit illi misericordia Dei; quàm vitæ filiorum in hoc mundo; sicut de sancta Felicitate legitur, quæ septem filios, dicit Augustin. in Serm. 110. de Diuersis: non amisit, sed præmisit, nec intuebatur quam vitam finirent, sed quam inchoarent, desinebant enim viuere, vbi quodammodo fuerant morituri; & incipiebant viuere sine fine victuri.

Super vitas ergo melior est misericordia, vndè dicebat Iesus. Qui non reliquerit patrem, & matrem, &c. adhùc & animam suam, non potest meus esse discipulus, Matth. cap. 22. num. 25. vel, super vitas, dicit Augustin. vitas scilicet mercatorum, vitas militum, & similium. Prima magis placet; & si perdiderit vitas, caros scilicet, suam ipsam vitam.

Benedicam te Dominum in vita mea. Et si diuitijs affluam, vel paupertate opprimar benedicam te in omni tempore, in vita mea. Et in nomine tuo leuabo manus meas in cælum, gratias tibi agendo; quodcumque enim quod ex te erit; mihi vita mea erit. Nàm semper, vel in hoc mundo permanendo, vel pro te moriendo, vtcunque sit, leuando manus ad te benedicam te. Si enim tu Domine manus tuas in cruce leuasti, in cruce pro me extensæ eæ sunt, cur & ego non leuabo manus meas, vt tibi gratias agens, sub manibus tuis extensis & ego recipiar à te, quia tu saluasti me. Leuabo manus meas, vt illas exercendo in bonis operibus, merear eleuari in cælum. Leuentur ergo manus nostræ in cælum, & iuncta sint ibi corda ad Deum: Vndè Apostol. 1. Timoth. cap. 2. numer. 8. Volo vos orare in omni loco, leuantes puras manus sine ira, &c.

Quid ergo est dicere, Benedicam Domino, & leuabo manus meas, nisi assiduè Deum deprecari, & bonis operibus deprecationem associare. Efficax

oratio erit; quando ex animo profusa operibus bonis sit associata: Chrysost. homil. 1. de Verbis Isaiæ: Vidit Dominus: Vndè Iacob. cap. 5. numer. 16. Multum enim valet deprecatio iusti assidua: Vndè Augustin. Tom. 2. Epistol. 120. cap. 29. tunc enim rectè, tunc iustè, tunc piè fit, cum opus bonum in eius laudem fit, cuius gratia donatur, vt fiat.

Melior est ergo misericordia Dei super vitas, quia quidquid boni agis, Dei misericordia hoc agis, gratia enim Dei præcedit opera bona, Augustin. Tom. 4. ad Simplicianum, quæst. 2. littera F. Non sunt opera Deo grata præcedentia, gratiam, sed consequentia: vt scilicet non se quis arbitretur; ideò percepisse gratiam, quia benè operatus est, sed benè operari non posset, nisi per fidem perceperit gratiam. Incipit autem homo percipere gratiam, ex quo incipit Deo credere, vel interna, vel externa admonitione motus ad fidem: præcedat Domine gratia tua opera mea bona; vt sint coram te accepta, quia nec laus tua est sine gratia tua præcedente. Talis sit, & tanta tua gratia præcedens, quæ sicut adipe, & pinguedine repleat animam meam. Non hyrcorum, aut vitulorum pinguedine repleatur, sed instar pinguedinis hyrcorum, & animalium, ità anima intus repleta sit gratia tua: & tunc labijs exultationis os meum laudabit te.

Adeps operit intestina, & reticulum iecoris: ac duos renes: super istos enim est etiam adeps, vt in Exod. cap. 29. numer. 13. & 14. & Leuit. cap. 3. num. 4. & 14. cum sequen. Sumet & adipem totum, qui operit intestina, & reticulum iecoris, ac duos renes, & adipem, qui super eos est, & offeret incensum super altare, incendens scilicet ea. Impletis ergo adipe intestinis meis incendatur & cor meum amore tuo, & ità pinguedine flamma perduret, vt fortitudine spiritus tui repleatur anima mea, & labijs exultationis te laudabit os meum.

Vel secundum Augustin. Sicut adipe, & pinguedine repleatur anima mea; scilicet scientia, & pia alacritate, vel fortitudine spiritus repleatur. In hac eremo in nomine tuo leuabo manus meas. Impleatur anima mea tamquam adipe, & pinguedine, & labia exultationis laudabunt nomen tuum. Modò enim oratio quamdiù sitis, cum sitis transierit, transit oratio, & succedet laudatio, & labijs exultationis. Hæc Augustin. Tunc exultant labia, cum pura fuerit conscientia, & tunc pura erit conscientia, quando anima Dei amore fuerit repleta, & incensa: tunc repleta adipe, & pinguedine, non erunt sicca labia mea, idest felici iucunditate, quæ tunc erit in æterna saturitate, tunc enim satiabitur anima, cum apparuerit gloria tua, Psalm. 16. num. 15.

Adeps ergo cum sit in intestinis, sapientia intelligitur, quæ stat in abscondito, scilicet in anima: timor enim Domini est sapientia sine quo timore, seù sapientia anima macrescit, quod tunc fit cùm à bonorum operatione citò deficit, illicòq. cessat: Pinguedo verò erit in carne, & per illam spiritus fortitudo intelligitur, Adipe ergo timore scilicet Domini repleatur anima tua, & pinguedine, idest fortitudine in bonorum operum continuatione, ac perseuerantia, sitq. laus Domini semper in ore tuo. Nàm si deficies à timore Domini, si à benè operando cessaueris, cutis tua arescet, & contracta remanebit, Iob cap. 7. numer. 5. Vndè Gregor. 8. Moral. cap. 11. In sanctæ Ecclesiæ corpore ij, qui solis exterioribus curis inseruiunt congruè cutis

vocan-

vocantur; quæ nimirum cutis arescendo contrahitur, quia mentes carnalium dum præsentia diligunt; & quasi iuxtà posita concupiscunt, ad futura extendi per longanimitatem nolunt. Qui dum internæ spei pinguedinem negligunt; vt attrahuntur, arefiunt. Repleatur ergo anima mea pinguedine, vt contrà præsentium desideriorum escam infusio supernæ spei refoueat. Pinguedine abundent interiora mea, atque repleantur, quia tunc in illis sanguini, idest peccatis non erit locus, de quibus Psalm.50. Libera me de sanguinibus, idest de peccatis.

Repleta ergo gratia Dei anima mea, non admittat terrena; tunc exultantia labia mea, quæ gratia illius aperientur, eructabunt verbum bonum.

Sic memor fui tui super stratum meum; in matutinis meditabor in te, quia fuisti adiutor meus. Secunda pars Psalmi huius: si in hoc deserto, vbi bonis fruuntur terreni, in medio illorum stans super stratum meum memor tui fui, sitiensq. in te anima mea, & caro mea fuit, vt viderem virtutem tuam, & gloriam tuam: Sanè & in matutinis, quando lux mihi orta erit plenior, meditabor in te feruentius, quia fuisti adiutor meus, & liberator meus.

Vel dicamus; si super strato terrenorum positus memor fui tui, quantò magis in matutinis, quando temporalia illa cognoui, & tu lux mihi, memor ero tui, meditando die, ac nocte.

Gregor. Moral.lib.23. cap.23. per stratum repausatio in bonis operibus intelligitur, Act.Apostol. cap.9. Ænea, sanat te Dominus Iesus Christus; surge, & sterne tibi. Quid est surge, nisi mala, quæ fecisti relinque? & quid est, sterne tibi, nisi talia bona, in quibus quiescere possis, operare? & deserat surgendo, quæ fecit, & inueniat sternendo, quod non fecit: Quod Psalm.36. breuius dixit, Declina à malo, & fac bonum: Iacuisti in malo, surgas, & bona faciendo operare meditando. Non enim sufficit à malo declinare, nisi bona faciat: alioquin surgit quidem ab eo, quo iacuit, sed vbi requiescere debeat, nondum strauit: Continuò ergo die, ac nocte meditare petens adiutorium à Domino.

Vel aliter dicamus: sic memor fui tui super stratum meum, quia mundanæ delectationis immemor fui, & ideò matutina tua resurrectione delector meditando.

Si super vitas meliorem esse misericordiam Dei cognoui; & super stratum meum memor sum tui, & in matutinis meditabor in te, quia fuisti adiutor meus; & liberator meus. Nota quod in strato esse tribulationes asserit, in matutinis verò, idest vigilans, dixit ab illis liberationem, quia, inquit, fuisti adiutor meus.

In tribulationibus meditabor in te in strato, & in lectulo prosperitatis, ac bonorum memor ero tui; in matutinis, postquam de strato surgam meditabor, & memor ero tui, vt & tota die, ac nocte non taceam laudare nomen tuum; S. Hieronym. In matutinis meditabor in te, &c. Meritò, inquit, confitetur adiutorem, qui per integritatem fidei matutina eius delectatur resurrectione: vtinam & nos per splendorem puri pectoris mereamur in eo in spirituali lætitia delectari; nàm tunc.

In velemento alarum tuarum exultabo: Adhæsit anima mea post te, me suscepit dextera tua: Quid ergo mala huius sæculi timebo, si in velamento

alarum tuarum sperabo, nàm adhæsit anima mea post te, & me suscepit dextera tua. Post te, inquit, adhæsit, non ante te; sequi enim debemus Ducem, quia ipse primus nos docendo, suscepit crucem: non ante incedas, ne miluus te rapiat, pullus sis, vt sub alis Domini protegaris, donec transeat iniquitas huius sæculi: noli hìc velle permanere, vt Petrus, cui dictum est à Domino, vade retrò, Matth. 16. non ante; tu me sequere. Et tunc in velamento alarum mearum exultabis, idest gaudebis, quia in mea protectione, Psalm. 90. & ideò in protectione mea, quia adhæsit anima tua post me. Me suscepit dextera tua; dextera enim tua fecit virtutem, dextera tua exaltauit me, Psal. 117. numer. 16. Sub illo ergo semper paruuli simus, si in illo magni esse desideremus, Augustin. Adhæsit anima mea post te, Agglutinata est, inquit, anima mea post te, vbi est ipsum gluten? ipsum gluten charitas est, charitatem habe, quo glutine agglutinetur anima tua post Deum, non cum Deo; præcedat ille, tu sequaris, nàm qui voluerit Deum antecedere, consilio suo vult viuere, & non vult sequi præcepta Dei. Adhæreat ergo Deo anima tua, vt te suscipiat dextera sua.

Ipsi verò in vanum quæsierunt animam meam, introibunt in inferiora terræ, tradentur in manus gladij, partes vulpium erunt: vide pulchram catenam amici Dei, amor in Deum, quia nocte, & die in illum meditatio; protectio Dei in talem, quia in velamento alarum eius exultat; conglutinatio animæ pœnitentis in Deum, adhæsit anima mea post te, inquit; & quid remanet, nisi vt suscipiat illum dextera Domini. Quid facere vlterius poterunt inimici mei? in vanum quærunt animam meam, illa iàm Deo conglutinata: qui tradet illos in inferiora terræ, & in manus gladij, quia trucidabuntur, pars vulpium erunt, nàm sicut vulpes in cauernas terræ, in foueas inferiores transibunt, & nihilominus in manus gladij tradentur.

Augustin. hìc. Cur quærunt animam? vt perderent illam? vt à Deo illam separarent? gluten rapere conabantur, hæc Augustin. an ignorabant, quia quos illi Dominus Deus dedit, nemo tulit de manu sua? Ioan. c. 6. n. 39. Omne quod dedit mihi Pater, non perdam ex eo, sed resuscitabo illud in nouissimo die, & cap. 17. numer. 12. quos dedisti mihi custodiui: & nemo ex eis perit, &c. & Paul. ad Roman. cap. 8. numer. 35. Quis ergo separabit à charitate Christi? tribulatio? angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius, &c. æstimati sumus, sicut oues occisionis. Sed in his omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos, &c. si gluten cum Deo, quæ creatura separare poterit animam agglutinatam ab eo?

Quæsierunt Iudæi perdere animam Christi, delere de terra eius nomen, & memoriam: Augustin. Terram perdere noluerunt, vt crucifigerent Christum, in inferiora terræ ierunt; inferiora terræ sunt cupiditates: melius, inquit, carne ambulare super terram, quàm cupiditate ire sub terram: omnis enim qui contrà salutem suam cupit terrena, sub terra est, quia terram sibi præposuit, terram super se posuit, & se subter fecit, &c. terram perdere dubitabant, si Christum dimisissent, Matth. cap. 21. & quia Christum occiderunt, perdiderunt cælum, & terram; & gladio omnes, perdita terra, à Romanis occisi sunt.

Partes vulpium erunt, Rex enim Herodes vulpis à Christo appellatus est, Luc. cap. 13. nu. 32. Dicite vulpi illi: Item quia Pilato dixerunt; non habemus

Re-

Regem, nisi Cæsarem, Ioan. cap. 19. Agnum verum Regem reliquerunt, & partes vulpium facti sunt, quia Cæsari, & Imperatoribus subiecti fuerunt.

Verum Regem Dominum Iesum Christum perdiderunt; & verus ille Rex lætabitur in Deo, laudabuntur omnes, qui iurant in eo, quia obstructum est os loquentium iniqua. Lætabitur in inimicorum perditione, Deut. cap. 28. n. 63. & sicut ante, inquit, lætatus est Dominus super vos benè vobis faciens, vosq. multiplicans, sic lætabitur disperdens vos, atque subuertens, vt auferamini de terra, ad quam ingredieris possidendam, disperget te Dominus, &c.

Lætabitur in Deo super iustos, quos dedit illi, & super illos, qui in illum credituri sunt, Ioan. d. cap. 17. propè finem; quia non perdidit illos: Et tales credentes, & credituri in eo laudabuntur in iudicio, quia opera Charitatis in pauperes exercuerunt; Vndè dicetur illis: Nudus eram, & cooperuistis me, Venite benedicti Patris mei, Matth. 25. nu. 34. Laudabuntur omnes, qui implere studuerunt quod promiserunt in baptismo, quod iurauerunt in eo; iuramentum opere complebunt. Non tamen iniquorum erit laus, cum obstructum sit os loquentium iniqua. Sed quando obstructum est os illorum? quando in iudicio vocabuntur, quando in morte non separati ab illorum iniquitate, & impœnitentes decesserunt, à mortuis enim non erit confessio, perit confessio, Eccles. cap. 17. num. 26. Liberet nos Deus à tali obstinatione, sed ipsum iugiter sitientes mereamur, eo largiente, bonis impleri, deprecemur, & cum Psalmista clamemus, dicentes.

SOLILOQVIVM.

EGO peccator, & ad te pœnitens conuersus, in Idumæa, in terrena hac habitatione existens, positus in deserto, quia derelictus sum, inter peccatores & iniquos cómorans, ad te Domine, Deus meus vigilo, & in luce tua ambulo, in hoc tenebroso sæculo: Iàm sitit in te anima mea toto cordis affectu, & caro mea tot laboribus, & ærumnis fatigata multipliciter propensa ad te est in hoc ipso deserto sine via, & sine aqua, in hoc mundo, in quo pauci sunt electi tui, multi verò peccatores sine aqua, & sine via ambulantes. Sitio Domine Iesu, & illorum conuersionem ad fidem, ac pœnitentiam, & me esse tecum in Paradiso: Dixisti beatus, qui miseretur proximo, & timet te: Appaream coram te Domine illorum sitiens salutem, vt & te miserente mei, videam virtutem tuam, & gloriam tuam, te Christum, qui Patris virtus es, & claritas, in qua vincendo Diabolum liberasti genus humanum. In hoc sancto desiderio fac me post te ambulare, vt misericordia tua, quæ cunctis vitis melior est, vitam æternam consequi merear: si enim misericordia tua protegar à te, labijs meis die, ac nocte te laudabo. Neque enim qui mortui sunt, qui in peccato sunt, laudabunt te Domine, sed nos, qui viuimus benedicimus te. Et in nomine tuo leuabimus manus nostras, gratias tibi agentes, quia digni facti erimus, sub manibus tuis in Cruce expansis, à malo liberari. Sicut adipe & pinguedine cor meum gratia tua repleatur, vt labijs exultationis os meum te laudare possit. Tunc enim in

strato meo, in lectulo pudicitiæ meæ immemor delectationis mundanæ, memor tui ero, quia fuisti adiutor meus vt per resurrectionem tuam matutinam, liberarer à morte perpetua. Ideò in velamento alarum tuarum exultabo, quando & ego in nouissimo die resurrexero. Adhæreat post te anima mea, vt seruando præcepta, & benè operando, me suscipiat dextera tua. In vanum inimici me perdere quæsierunt, sed ecce quia ipsi perditi sunt: nàm terrenis immersi, in inferiora terræ ingredientur, traditi sunt in manibus gladij, quia cum vulpibus partem habere voluerunt. Te Iesum Christum, Regem illorum esse negantes, Cæsarem, & Herodem elegerunt; cum illis in inferno positi sunt. Iàm obstructum est os loquentium ista iniqua, Christus victor fuit. Et nos, qui in illo iurauimus, Christiani sumus, lætemur in eo, qui liberauit animas nostras ab inferno. Vtinam quotquot in sæculi huius sunt deserto sint fideles, & iusti, & quæ sunt vera, quæcunque sunt pudica, quæcunque iusta, quæcunque sancta, quæcunque amabilia, quæcunque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus disciplinæ, cum Paulo cogitent, & faciant. Et Deus pacis semper sit nobiscum. Nunc enim propior est nostra salus, quam cum credidimus, in omni oratione, & obsecratione vniuersorum petitiones innotescant apud Deum; Iàm enim propè est: cum Ecclesia gaudeamus, quia ideò venit vt saluet nos, & à siti in hoc Idumææ deserto liberet, & sitim aqua suæ sapientiæ extinguat.

Matris Mariæ Virginis imploremus auxilium, vt ipsa intercedat pro nobis apud filium suum: & tu Lucia Virgo Dei Martyr, cuius precibus mater tua sana facta est, intercede pro nobis, vt flammas huius mundi igneas extinguere valeamus; vt tecum exultantes, & gaudentes perueniamus ad Regna Cælorum. Amen.

IN PSALMVM LXIII.

Exaudi Deus orationem meam cum deprecor: à timore inimici eripe animam meam.



ITVLVS. In finem Psalmus Dauid. Continuatur ad præcedentem, in quo visum est de vigilantia iustorum, in deserto Idumææ existentium: verùm quia durat desertum, durant passiones, donec vita finiatur existentis in hoc sæculo, in hoc deserto. Propterea in finem, in Christum Psalmus iste dirigitur, monens fideles, ne in passionibus turbentur, sed eò magis sit illorum spes in Deo, & orantes ad illum recurrant, & tunc lætabitur iustus in Domino, & sperabit in eo, & laudabuntur omnes recti corde.

Summa hæc est: Tribulatorum sit spes in Domino, quia lætabuntur, & laudabuntur, quod recti sunt corde.

Iste Psalmus de Christi passione, & aptari etiam potest Ecclesiæ suæ sanctæ, & membris eius, qui passiones patiuntur, quia quæ capiti Christo, & etiam illius membris censentur accommodata: Propterea dixit Iesus; Quod vni ex mi-

nimis

nimis meis fecistis, mihi fecistis, Matth.cap.25.numer.40.& in alio loco Act. Apostol.cap.9.num.5. Saule Saule, quid me persequeris? Apostolos enim, & alios Christi fideles persequebatur: Vndè hìc Augustin. Non, inquit, ex solo capite, sed etiam ex corpore loquitur; Vocesq. eius non tantùm ipsum Dominum Iesum Christum, qui iàm in Cælum ascendit, vel significant, vel prædicant; sed etiam eius membra, caput proprium sequutura: agnoscamus hìc non solum illius vocem, sed nostram.

Et nemordicat, quòd hodie in tribulatione passionum non simus, supra enim audistis hoc, quia illis temporibus Ecclesia quasi tota simul impellebatur; nunc autem per singulos tentatur, alligatus est quidem Diabolus, ne faciat, quantum potest, ne faciat, quantum vult: tamen tantùm tentarè sinitur, quantum expedit proficientibus. Non nobis expedit esse sine tentationibus, nec rogemus Deum, vt non tentemur, sed vt non inducamur in tentationem. hæc Augustin.

Sed antequam ad explicationem Psalmi deueniamus, considerandum proponitur, quod dixit Psalmista, Deus exaudi orationem meam, cum deprecor; deindè sequitur, à timore inimici eripe animam meam. Etenim si oras, nonnè narras quod ratio cordis postulat? quomodò ergo dicis, cum deprecor audi orationem meam, nàm qui orat deprecatur, & qui precatur orat. Isidor. in lib.1. Different. sinè de Propriet. Serm. Different.43. fol.39.

Insuper si gaudent Apostoli in tribulationibus, ad Colossens.cap.1.num.24. & in alio loco Act. Apostol.cap.5.num.41. Ibant Apostoli gaudentes à conspectu Concilij, quoniam digni facti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati: quomodò hìc noster timet de inimico, dicens, A timore inimici eripe animam meam: si enim Deus est cum tribulato, quid faciet tibi homo?

Psalmum de passione Christi, de Ecclesiæ persecutione, & de iustis in ea existentibus tribulatis, & afflictis factum à Dauide intelligimus. A quo etiam documentum accipimus, quando tribulamur, quid facturi simus: nempè ad Deum orationes effundamus: Cum ergo deprecor, idest cum tribulor, exaudi Deus me, quia oro ad te, ad te confugio; non vt eruas me de morte, non de inimicorum meorum manibus vt me liberum facias; sed tua opem feras gratia, & virtute, sine qua nihil est in me. Non corpus, inquit, sed animam meam à timore inimici eruas: ne in tua confessione, Iudicum, ac inimicorum minas timeam, sed firmus sim; Vox Martyrum, qui etsi occidebantur, eruebantur tamen à Domino: inimicorum vero minas metuentes, illis consentiebant, & viuebant, & tamen ab inimicis absorbebantur, ab hoc timore liberari desiderat iustus Dei seruus.

Vndè Augustin. hìc: Occisi eruebantur, viuentes absorbebantur, inde est illa vox gratulationis, forsitan viuos absorbuissent nos, Psalm.123. multi absorpti, & viui absorpti, multi mortui absorpti: qui putauerunt inanem esse fidem Christianam, mortui absorpti sunt. Qui autem scientes, veritatem esse prædicationem Euangelij, Christum esse filium Dei scientes, & hoc credentes, & intus retinentes, cesserunt tamen dolorıbus, & Idolis sacrificauerunt, viui absorpti sunt: Illi absorpti, quia mortui; illi autem, quia absorpti mortui, non enim absorpti viuere potuerunt, quamuis viui absorberentur, ergo hoc orat vox Martyrum, à timore inimici erue animam meam. Non vt me non

occi-

occidat inimicus, sed vt non timeam occidentem inimicum; hoc ergo orat in Psalmo impleri seruus, quod modò iube in Euangelio Dominus, Matth.c.10. Nolite timere eos, qui corpus occidunt, animam verò non possunt occidere; sed eum potius timete, qui habet potestatem, & animam, & corpus perdere in gehennam ignis; ab hoc ergo timore inimici, iuxtà illud, quod tu Domine iussisti erue animam meam, & subde timori tuo, desiderat Psalmista.

Cum deprecor, cum in humilitate mea perturbationibus tamquam à te Domine missis libenter assentior, mequè inimicis meis subijcio, non armis, non fuga, illas euadere satagens, oro te Domine, vt orationem meam exaudias; oratio autem mea est, non vt corpus meum à morte liberes, scio enim illud moriturum, statuta à te die; sed vt animam meam à timore inimici eruas, augendo constantiam, timorem, & charitatem. Ne carnis mortem timeam, quæ nihilominus moritura est; sed peccati mortem, quod corpus, & animam simul perdere potest. Et quatenus etiam precaretur, vt corpus à tribulatione, & morte liberaretur, sicut de Domino legitur Patrem rogante, si possibile esset, calicem ab illo transferret; haud absurdum id esset, vel malum, si adderet, quod addidit & Iesus, Verumtamen non mea, sed tua fiat voluntas. Vel etiam si oraret Deum, concederet vt constans, & firmus in confessione veræ fidei animam, & corpus ab inimicis liberaret, vt viuendo magis proficere posit: eo sensu, quo dictum reperimus à Domino: Si vos persecuti fuerint in vnam Ciuitatem, fugite in aliam, Matth.10.num.25. non, vt aliqui dicunt & optimè, quò pœnam illam euadant ab inimicis comminatam, sed vt fugiendo in Ciuitatem aliam, maiores inuenientes tribulationes, & persecutiones, eò magis exemplo suo proximis proficerent, & sibimetipsis maior gloria esset in cælo. Orat ergo iste multa patiens, de malo animæ, & corporis liberari desiderans: ab vtriusque perditionis liberabitur periculo, si viuens in corpore permanserit in confessione, vel si eius tradatur caro, in timore Domini permanens timorem hominis paruifecerit, quia Domino auxilium præstante ab illo eruet eum.

Protege me à conuentu malignantium, à multitudine operantium iniquitatem. Malorum consilium præcesserat, vt caput nostrum, Iesum traderent, & occiderent, opera pessima subsequuta sunt, quia illum crucifigentes occiderunt. Operati sunt iniquitatem in Iesum, & in electos eius, & ecce quia mors cecidit super illos; qui in inferno positi perpetuis pœnis cruciantur. Quid ò impij profuit vobis superbia, quid timor perditionis diuitiarum, ecce transierunt omnia illa tamquam vmbra: & vos in vestra malignitate consumpti estis, Sap.cap.5.num.8.

Protexisti me à conuentu malignantium, à multitudine operantium iniquitatem. Protexisti, inquit, non dixit, liberasti me, non enim venerat in mundum, vt euaderet, sed vt in manus peccatorum incideret; non vt gauderet, sed vt peccata nostra in humeris suis portando, in ligno Crucis affixus; ipsa deleret, Isai.cap.53. à conuentu tamen malignantium protectus est, quia lapidem, quem reprobauerunt ædificantes, factus est in caput anguli, Psalm.117. num.22. supra quem ædificata est Ecclesia eius, contrà quam nec portæ inferi præualebunt, Matth.16.num.18.

Protexisti me à conuentu malignantium. Nàm & si signa vidissent, quæ à Petro, & ab alijs Discipulis fiebant, in nomine Iesu, dicebant illi iniqui congrega-

gregati, quid faciemus hominibus istis? quoniam quidem notum signum factum est per eos omnibus habitantibus Ierusalem: manifestum est, & non possumus negare: sed ne amplius diuulgetur in populum, comminemur eis, ne vltra loquantur in nomine hoc vlli hominum. Et vocantes eos denunciauerunt, ne omnino loquerentur, neque docerent in nomine Iesu, Act. Apostol. cap.4.num.16. Et ecce quia in omnem terram exiuit sonus eorum, Psalm.18. num.5. Et cum in Sole posuit tabernaculum suum oriens in mundo; à multitudine operantium iniquitatem protexit illum Deus Pater, quum Angelus Ioseph apparuit, vt tollens filium Iesum Christum, & Matrem eius fugeret in Ægyptum. Benè autem dicitur, à multitudine operantium iniquitatem; multitudo enim erat occidentium infantes à bimatu, & infra, quæ Christum ipsum inter eos interficiendum arbitrabatur, Matth. cap.2. numer.16. & cuius multitudinis voces posteà non cessauerunt clamare coram Pilato dicentes, Crucifige eum.

Protexisti me à conuentu malignantium. Sed quomodò protectus est, si à Iudæis fuit occisus, & à conuentu malignantium? Non tibi videtur protectus, qui tamquam malefactor crucifixus, ab omnibus tamquam Deus adoratur? Filius fabri dicebatur ab iniquis, & ecce quia filius Dei repertus, ab omnibus honorificatur. In sepulchro custoditus à militibus, & ecce in omnibus mundi partibus, quia surrexit à mortuis creditur, & vt nos à morte liberet, ab omnibus suppliciter exoratur.

A conuentu malignantium protexisti, inquit Christus Patri. Quot persecutiones passi sunt Martyres Dei, quot martyria: vt infideles nomen eius non delerent: & protexit ab illorũ multitudine operantium iniquitatem, vt ipsum caput Iesus, & sua Ecclesia sẽper firma, valida permaneret. Noli timere, inquit Deus per Isai. cap.54. num.4. quia non confunderis, neque erubesces: Non enim te pudebit, quia confusionis adolescentiæ tuæ obliuisceris, & opprobrij viduitatis tuæ non recordaberis amplius, quia dominabitur tui, qui fecit te, Dominus exercituum nomen eius, & Redemptor tuus sanctus Israel, Luc. cap.1. numer.32. Deus omnis terræ vocabitur, Ad punctum, in modico, dicit Deus, dereliqui te, & in miserationibus magnis congregabo te, Isai. ibidem num.7. & in momento indignationis abscondi faciem meam parumper à te, & in misericordia sempiterna misertus sum tui.

Protexisti me à conuentu malignantium. Nàm audi, quid insuper dicat Deus, Montes commouebuntur, & colles contremiscent, misericordia autem mea non recedet à te, &c. Paupercula, inquit, tempestate conuulsa absque vlla consolatione, ecce sternam per ordinem lapides tuos, & fundabo te in Sapphiris, &c. Et quid amplius? Quid dixerunt iniqui illi, Quomodò literas scit? & ecce, dicit Deus, ponam vniuersos filios doctos à Domino, & in iustitia fundaberis. A conuentu malignantium protexisti me, nàm sequitur Isai. ibidem num.14. Recede procul à calumnia, quia non timebis, & à pauore, quia non appropinquabit tibi, ecce accola veniet, qui non erat mecum, aduena quondam tuus adiungetur tibi.

Augustin. Protexisti me à conuentu malignantium, Iàm ipsum caput nostrum intueamur, multi Martyres talia passi sunt, sed nihil sic elucet, quomodò caput Martyrum, ibi melius intuemur, quod illi experti sunt. Protectus est

à mul-

à multitudine malignantium, protegente se Deo, protegente carnem suam ipso filio, & homine, quem gerebat, quia filius hominis est, & filius Dei est: filius Dei propter formam Dei, filius hominis propter formam serui; habens in potestate ponere animam suam, & recipere eam, ad Philippens. 2. num. 7. Ioan. 10. numer. 17. Parum ergo erat Domino hortari Martyres verbo, nisi firmaret exemplo.

A multitudine operantium iniquitatem, quod iniquum consilium contrà Iesum etiam legimus. Quam operati sunt iniquitatem, audiamus: Non interficimus illum, inquiunt iniqui, lingua vestra gladius acutus, ideò sequitur. Quia exacuerunt vt gladium linguas suas, intenderunt arcum rem amaram, vt sagittent in occultis immaculatum. In occultis; nàm dicebant, Nobis non licet occidere quemquam. Sed quare illum Pilato tradidistis? nisi enim esset malefactor, non tradidissemus eum tibi vinctum, Matth. 27. num. 2. Arcum tetendistis, & in occultis immaculatum sagittastis. Principes autem Sacerdotum, & Seniores persuaserunt populis, vt peterent Barabbam, Iesum verò perderent; proptereà dixerunt omnes crucifigatur, Matth. cap. 27. numer. 27. Acuistis linguas vestras, & innocentem occidistis. Filij hominum, dentes eorum, arma & sagittæ, & lingua eorum gladius acutus, Psalm. 56. vbi latius: ò iniqui, ò fallaces, & ingrati, nunquid Deum fallere potuistis, qui & Pilatum decipere credidistis? quod & ille sciebat, quia per inuidiam illum tradidissetis, & Deum scrutatorem cordium ignorasse credebatis? Delicti particeps fuit Pilatus, sed vobis multò innocentior, qui eum illi tradidisti, quia quantum poterat is institit, vt eum liberaret: Proptereà flagellatum vobis ostendit, vt furori vestro satisfaceret. Augustin. Nostis illum lauisse manus, quando perseuerantes instabant, vt crucifigeretur; sed si Pilatus, vel sponte, vel inuitus iniustam sententiam tulit in Iesum, reus est, & vos iniqui, qui Iesum tradidistis iniustè, & Pilatum coegistis, vt interficeret, eritis innocentes? flagellum adhùc durat in vobis, & durabit, propter quod etiam manifesta sunt omnibus vestra delicta dolosa, & iniqua.

Intenderunt Iudæi arcum rem amaram, conuiua existente Iuda traditore, quia occultè contrà Dominum insidias posuerunt: & in captum Iesum sagittas emiserunt, & gladio eum ferierunt, cum apertè clamassent, crucifige. Per arcuum ergo insidias dolosus intelligitur.

Vndè Augustin. hic. Vt sagittent in occultis immaculatum; arcuum dicit insidias, qui enim gladio, quominus pugnat apertè, qui sagittam mittit, fallit, vt feriat: Intenderunt ergo arcum, hoc est in abscondito, quasi fallentes insidijs; Discipulum enim pecunia corruperunt, vt sibi traderetur, falsos testes adduxerunt, quibus insidijs, & dolis egerint nostis, vt in abscondito sagittarent immaculatũ: quia Agnus Dei sine macula, semper immaculatus, totus immaculatus, non cui maculæ ablatæ sint, sed qui maculas nullas contraxerit, nàm fecit multos immaculatos peccata donando, ipse immaculatus non habendo peccata.

Intendunt nunc hæretici arcum suum contrà Ecclesiam, vt doctrinis dolosis pauperes Christi decipiant. Rem amaram dicit, quia verba Dei in perditionem paruulorum peruertentes, vt sagittent immaculatum, & in Christum credentem; siuè dicit S. Hieronym. Neophitum in Baptismo, siuè illum, qui adhùc ignorat mysterium doctrinæ cælestis, & ità vulnerantes sagittabunt, & non

time-

timebunt, cum in eum iàm venenosi sagittas emiserunt, & vulnerauerunt.

Intenderunt arcum, rem amaram. Quia docent, quæ delectabilia carni videntur, Fruamur, inquiunt bonis, lex enim Dei contraria est operibus nostris, Sap. cap.2. rem amaram, nouissima autem amara quasi absynthium, & acuta quasi gladius biceps, nàm efficiunt vt discendas ad mortem, Prouerb.5.num.4. vt qui erat immaculatus, perducant secum simul ad infernum.

O fallacem hominem, ò Hæreticorum, & Iudæorum genus iniquum; intendistis arcum, vt in obscuris immaculatum sagittaretis: sic enim superbia vestra Deum imitari vultis, vt cum socijs sub illo æqualitatem odio habeatis, & imponere vultis socijs dominationem pro illo? pacem iustam Dei odientes, & iniquam pacem vestram amatis. Augustin. de Ciuit. Dei ad Marcell.lib.19. cap.12. in fine, Non amare tamen qualemcumque pacem, nullo modo potest talis: nullum quippe vitium, ità contrà naturam est, vt naturæ deleat etiam extrema vestigia. Itaque pacem iniquorum, in pacis comparatione iustorum, ille videt, nec pacem esse dicendam, qui nouit præponere recta prauis, & ordinata peruersis.

Subitò sagittabunt eum, & non timebunt, firmauerunt sibi sermonem nequam. Si subitò, quomodò firmauerunt sibi sermonem nequam; si sermo præcessit; præcessit & cogitatio; vndè dicitur in Euangelio Luc. cap.20.nu.14. Quem cum vidissent Coloni, cogitauerunt intrà se dicentes; hic est hæres, occidamus illum, vt nostra fiat hæreditas, & eiectum illum extrà vineam occiderunt, & Ioan.cap.11.numer.53. Ab illo ergo die cogitauerunt, vt interficerent eum, si ab illo die ergo non subitò sagittauerunt.

Vlterius Marc.cap.12.num.12. Quærebant eum tenere, & timebant Turbam; quomodò ergo non timebunt inquit? Iàm enim sermonem nequam firmauerunt, vt illum dolo caperent, & occiderent; non amplius Turbam timebant, quam seduxerant, vt Baràbbam peterent, Iesum verò crucifigeret. Subitò sagittauerunt: quia capto Iesu, eoq. tradito Pilato, absque vllo temporis interuallo, sine mora aliqua intercedente, absque alia tela iudicij, illum sagittauerunt, colaphis cædendo, eumdem conspuendo, virgis cædendo, spinea corona plectendo capiti eius, illudendo, Crucem in humeris eius imponentes, in illa eumdem impositum clauibus manus eius, & pedes perforantes, blasphemando, & post emissum etiam spiritum corpus eius lancea vulnerando: ò iniqui semihomines, ò Iudices iniusti, ò iustitiæ perturbatores, subitò sagittastis, & non timuistis sermonem nequam, iniusta accusatione, falsis testimonijs occidere innocentem, damnare Redemptorem. Subitò sagittarunt, ne tenebrosi apprehenderent lucem. Iàm mulier illa Pilati, per visum multa in illa nocte passa fuerat, ità vt coniugi dixerit, nihil tibi, & illi homini iusto. Quod facturi estis, cito facite, quia ecce lux apparere cœperat in tenebris; Verè filius Dei, dicebat ille: populus percutientes pectora clamabant, & plorabant.

Subitò sagittabunt, vt morte viuente, vita moreretur; sed ipse factus est mors mortis: Augustin. O cor durum occidere velle hominem, qui mortuos suscitabat; Subitò repentè, idest insidiosè, quasi inopinatè, quasi non præuisè: similis enim nescienti erat inter ipsos Dominus; ignorantes, quid nesciret, & quid sciret, immo ignorantes eum nihil nescire, & omnia scire, & ad hoc venisse, vt illi facerent, quod se potestate facere arbitrabantur.

Fir-

Firmauerunt ſermonem nequam, ò Seniorum Principum, & illorum ignorantiam Sacerdotum, & Scribarum. Firmaſtis veſtrum ſermonem, iniquè quidem. In quo firmaſtis ſententiam; an quia cum homo ille eſſet, ſe filium Dei fecit? Sanè ſi homo, nec alius quiſque facere poteſt, quæ ipſe fecit, & quæ ipſe fecit miracula, ſolus Deus facere poteſt; ſi ipſe talia fecit, cur filius Dei eſſe non poterat? Ite, inquit, renunciate Ioanni, quæ audiſtis, & vidiſtis, ad Hebr.cap.1.num.4. & ſequen. Tantò melior, inquit, Angelis effectus, quantò differentius præ illis nomen hæreditauit; nàm cui Angelorum vnquam dixit Deus, filius meus es tu, ego hodie genui te? Pſalm.2. num.7. Et rurſum, Ego ero illi in Patrem, & ipſe erit mihi in filium, 2.Reg.7.num.14. & Pſalm.96. numer.8. cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit, Et adorent eum omnes Angeli Dei, & ad Angelos quidem dicit Pſalm.103. num.4. Qui facit Angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos flammam ignis: ad filium autem, thronus tuus Deus in ſæculum ſæculi, virga æquitatis, virga regni tui, vt ſuprà Pſalm.44.num.7. Dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem, propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ participibus tuis, & Tu in principio Domine terram fundaſti, & opera manuum tuarum ſunt Cæli, ipſi peribunt, tu autem permanebis, &c. tu autem idem es, & anni tui non deficient, Pſalm.101.numer.26. Ad quem Angelorum dixit, ſede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos, ſcabellum pedum tuorum, Pſalm.109.num.1. hæc Paul.

Et hæc ipſe Ieſus miraculis confirmauit, & vos talia fuiſſe miracula confeſſi eſtis, quæ nec alius vnquam fecerit, Vndè Ioan.cap.7.num.31. Multi de turba dixerunt, nunquid ſigna plura faciet Chriſtus, cum venerit, quàm quæ hic facit? audiſtis, & vidiſtis vos Phariſæi, & Principes turbam hæc aſſerentem, hic eſt verè Propheta, hic eſt Chriſtus, ibidem num.40. & 41. Quare non adduxiſtis eum, dixerunt Phariſæi, & Pontifices ad Miniſtros, qui venerant vt apprehenderent Ieſum; An ignoratis ò iniqui, quid vobis dixerint Miniſtri veſtri? Nunquam locutus eſt homo, ſicut hic homo: ſed quid de cæco nato, in quo tantum laboraſtis, quia vidiſtis? Ioan.cap.9. per totum. Quid de Lazaro reſuſcitato, & de tot alijs. Quid de panibus multiplicatis, & piſcibus? ò firmamentum ſine firmitate, ò ſermonem veſtrum ſine ratione, & ſine veritate, ò dolum, ò fallaciam, ò malignitatem occultam, quæ vobis in pœnam verſa fuit æterna. Firmauerunt ſibi ſermonem nequam. Vt traderetis iniuſto Iudici. Trepidat ille, & vos non trepidatis; contremiſcit poteſtas, & veſtra non contremiſcit immanitas? lauat ille manus, quia ſe dicit innocentem à ſanguine iuſti illius, & vos linguas inquinatis in ſanguinem illius acuendo: firmaſtis vobis ſermonem malignum. Refrenare conabatur Pilatus, dicens, quid mali fecit? quid egit? ſed in firmato ſermone magis obſtinati perſtiterunt, clamantes, crucifige; ſi non eſſet hic malefactor, non tibi tradidiſſemus eum.

Firmauerunt, inquit Auguſtin. hìc, malignum ſibi ſermonem; offerebat ille Regem filium Dei, illi ad hominem recurrebant, digni, qui illum haberent, & Chriſtum non haberent. Non habemus Regem niſi Cæſarem: Iterum ſermonem malignum firmauerunt, quando Pilato aſſerente, non inueniſſe cauſam morte dignam, reſponderunt, ſanguis eius ſuper nos, & ſuper filios noſtros. Firmauerunt ſibi ſermonem malignum, non Domino, ſed ſibi: cum ſanguis Domini ſuper illos, & ſuper filios ſuos. Sibi ergo firmauerunt, quia

in

in foueam, quam fecerunt, ipsi inciderunt, Psalm. 56. Dominum mors non occidit, sed ipse mortem; illos autem iniquitas, quia noluerunt occidere iniquitatem. Pro iniquitate illorum fuit certamen, & ecce quia occisi sunt ab iniquitate, posuerunt iniquitatem super iniquitatem, & de libro viuentium deleti sunt, Psalm. 68. numer. 28. occidamus nos fratres iniquitatem, ne ab illa nos occisi maneamus: non dico, vt iniquitatem tamquam extrà nos occidamus. Ad nos respiciamus, si aliquid in nobis pugnet, & si est intus nobis iniquitas, oppugnemus, occidamus illam, antequam ab illa nos occidamur inimica nostra. Non regnet peccatum in corpore nostro, ad Rom. 6. nu. 12. vt obediamus concupiscentijs eius, neque exhibeamus membra nostra arma iniquitatis peccato, sed exhibeamus nos Deo tamquam ex mortuis viuentes, &c.

Narrauerunt, vt absconderent laqueos, dixerunt, quis videbit eos? Latere putabant eum, quem occidebant, Quomodò scit Deus? & si est scientia in excelso, Psalm. 72. numer. 11. dicit Augustin. Latere Deum: ecce puta homo erat Christus, sicut & cæteri homines, nesciebat, quod de illo cogitarent, nunquid & Deus nescit? ò cor humanum, quare tibi dixisti, quis videt me, cum ille videat, qui te fecit? hæc. Augustin. sed non putabant Deum, quem hominem esse videbant: Dixerat enim in corde suo insipiens, non est Deus, Psalm. 13. num. 1. sed quomodò Deum non putabatis, qui coram vobis, quæ soli Deo reseruantur, faciebat? Auaritia, quæ Discipulum decepit, & vos decepit ò Iudæi. Non quærebat terrena Iesus, qui venerat, vt vobis etiam daret cælestia: Narrauerunt, sed quid narrauerunt, & cui? Pilato narrauerunt, quia hic homo seditiosus erat, & gentem nostram subuertit, Luc. 23. in princ. omnis multitudo eorum surgens, duxerunt illum ad Pilatum, cœperunt autem illum accusare, dicentes, Hunc inuenimus subuertentem gentem nostram, & prohibentem tributa dari Cæsari, & se Christum esse dicentem.

Narrauerunt, vt absconderent laqueos, quando enim negauit tributa dari Cæsari? quis videbit laqueos, quos contrà Dominum tendimus, vt moriatur? ecce iàm Iudas se offert illum traditurum, demus illi pecuniam, & mors Christi illi imputabitur, & non nobis. Defecerunt scrutantes scrutinio, qui scrutati sunt iniquitates, nàm Iudas pœnitentia ductus retulit triginta argenteos, & laqueo se suspendit, In hoc primùm iniquis defecit scrutatio: scrutentur & aliam iniquitatem: dicamus Pilato, quia prohibet censum dari Cæsari, item quia se facit Regem, & gentem subuertit, vt obediat illi, ergo contradicit Imperio Cæsaris, crimen est læsæ Maiestatis, ipse Pilatus dabit illi mortem, & nos immunes videbimur. Defecerunt scrutantes scrutinio, quia quem absconderunt mortis laqueum, manifestatur ab ipsismet toti mundo, & Pilato; sciebat enim quòd per inuidiam illum tradere volebant. Quem vobis dimittam? crucifige, crucifige Iesum, ecce quomodò palam factum est, quod in abscondito consulebant de Christi morte: sic cæci fuerunt, vt surdi essent. Augustin. Simulata innocentia, non est innocentia, simulata æquitas, non est æquitas; sed duplex iniquitas, quia iniquitas est, & simulatio. Quantò acutius sibi excogitare videbantur, tantò magis deficiebant, quia à lumine veritatis, & æquitatis in profunda consiliorum malignorum demergebantur, Non tradatur per nos, sed per Discipulum suum, non occidatur à nobis, sed à Iudice, totum nos faciamus, & nihil fecisse videamur. Sed vbi est clamor linguæ, crucifige,

crucifige? Non videbant lucem, quia anima eorum auersa erat à luce; longè enim facta est ab eis: noluerunt pecuniam à Iuda porrectam ponere in Gazophylacio, quia pretium sanguinis erat. Quid est Gazophylacium? dicit Augustin. Arca Dei, vbi colligebantur ea, quæ ad indigentiam seruorum Dei mittebantur. Pecuniam sanguinis non miserunt in arcam, & ipsum sanguinem Christi miserunt in conscientiam. Sanguis eius super nos, & super filios nostros, dixerunt. Quis nos videbit? dicebant illi, Ecce qui videt omnia, manifestauit coram omnibus ex ore vestro consilia vestra. Nunquid quia tu Deum non vidisti, putas non videri à Deo? tenebræ enim, quæ erant in te, non comprehenderunt illum, Ioan. cap. 1. numer. 6. Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt, & iste homo, de quo Psalmista inquit.

Accedet homo ad cor altum, & exaltabitur Deus, Augustin. & alij multas dant huic versiculo interpretationes, quas inferius ponemus, Deo dante. Accessit homo, qui & Deus Iesus ad cor altum, ad voluntatem Dei Patris faciendam, vt homo factus, hominem redimeret, excæcauitq. cor populi Iudaici, ne intelligeret, redemptionem impediret. Et exaltabitur Deus, nàm & Isai.cap.53.numer.10. postquam de Christi passione voluntaria dixit, num.10. inquit, si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longæuum, & voluntas Domini in manu eius dirigetur, pro eo, quod laborauit anima eius, videbit & saturabitur, semen longæuum, idest filios spirituales, per quos Deus exaltabitur. Accessit ergo filius Dei Christus, & consensit secreto Altissimi, vt ipse veniret, & venit, & passus est, & ideò inquit Deus, numer. 12. Dispertiam ei plurimos, idest dabo ei gentes plurimas, & fortium scilicet Dæmonum, diuidet spolia; Luc.cap.11.numer.20. Accessit Iesus factus homo, & voluntariè, vt hominem redimeret, passus est; & ecce homo factus exaltatus est vt Deus, & confitentur ipsum omnes Deum, ad Philippens.2. num.9. Propter quod Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur cælestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris, ad Philippens.cap.2. num.10.

Vel aliter dicamus, Accessit homo ad altorum mysteriorum cognitionem. Dicebat enim Iesus, Nisi quis renatus fuerit denuò, &c. Qui manducat hunc panem viuet in æternum, caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus, Ioan. cap.6. num.56. Et quomodò iterum homo potest renasci? hæc illis impossibilia videbantur, & proptereà abierunt retrò multi ex Discipulis: tantùm Apostoli crediderunt, quia accessit homo ad cor altum, solis enim illis datum erat nosse mysteria Dei: accessit homo ad cor altum, quia non sanguis, & caro reuelauit illi, sed Pater; & exaltabitur Deus, Matth. 16. num. 16. hic est enim filius meus dilectus, audierant Patrem, Matth.cap.17.nu.5. proptereà dicebat Simon Petrus, Domine ad quem ibimus, dixerat enim ad Duodecim Iesus, postquam multi abierant retrò, Nunquid & vos vultis abire? & sequitur Petrus dicens; verba vitæ æternæ habes, & nos credidimus, & cognouimus, quia tu es Christus filius Dei; accessit homo ad cor altum.

Accessit homo ad cor altum. Augustin. Accessit homo ad consilia Iudæorum, passus est teneri vt homo, non enim teneretur nisi homo; aut occide-

retur nisi homo; aut cæderetur nisi homo; aut crucifigeretur, aut moreretur nisi homo: accessit ergo homo ad omnes illas passiones, quæ in illo nihil valerent, nisi esset homo, sed si ille non esset homo, non liberaretur homo. Accessit homo ad cor altum, cor secretum, obijciens aspectibus humanis hominem, seruans intus Deum: celans formam Dei, in qua æqualis est Patri, offerens formam serui, qua minor est Patre. Dixit ipse vtrunque, sed aliud est ex forma Dei, aliud ex forma serui: dixit ex forma Dei, ego & Pater vnum sumus; dixit ex forma serui, quoniam Pater maior me est, Ioan. cap. 10. numer. 5. Vndè ex forma Dei ego, & Pater vnum sumus? Quia cum in forma Dei esset constitutus, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, ad Philippens. 2. num. 6. Ex forma serui, quoniam Pater maior me est. Accessit ergo homo ad cor altum, & exaltatus est Deus. Occiditur homo, & exaltatur Deus; quod enim occisus est, ex infirmitate humana fuit; quod resurrexit, & ascendit, ex potestate diuina, 2. Corinth. cap. 31. Accedet homo ad cor altum, cor secretum, cor abditum, non ostendens, quid nosset, non ostendens quid esset. Illi putantes hoc totum esse, quod videbatur, occidunt hominem corde alto, & exaltatur Deus in corde diuino. Potentia enim maiestatis suæ exaltatus est, ex quo loco exaltatus? Vndè non recessit humiliatus.

Accedet homo ad cor altum: cuius hominis? Mater Sion dicet homo, & homo factus est in ea, & ipse fundauit eam Altissimus, Psalm. 83. In ipsa Ciuitate factus est homo, quam idem ipse fundauit Altissimus, quia in ea factus est homo: ergo accessit homo ad cor altum: accessit homo, & quia Deus erat, & quia passurus erat volens, & quia exemplum præbiturus infirmis, & quia nihil facturi ei erant, qui sæuiebant, tamquam passuro, sed in homine, sed in carne, hæc Augustin.

Accedamus ergo & nos homines Christiani ad cor altum, Dei charitatem erga nos considerantes, qui proprio filio non pepercit, vt nos filios suos faceret, & talem Dei in nos charitatem meditantes in corde nostro, & quòd pro nobis, vt Patri satisfaceret, mori voluit: & Deus in cordibus nostris exaltabitur, sint corda nostra munda, qui Deum videbimus, Matth. cap. 5. num. 8. & exaltabitur Deus in nobis, si ex toto corde nostro diligamus, Marc. cap. 12. numer. 33.

Sagittæ paruulorum factæ sunt plagæ eorum, & infirmatæ sunt linguæ eorum, Sicut paruuli efficiamur nos, vt accedere ad Deum possimus, non sicut Iudæi superbi, qui profunda Scripturarum carnaliter voluerunt interpretari; non enim oculis terrenis cælestia videre possumus. A Nazareth, dicebant illi, nunquid aliquid boni potest esse? Ioan. cap. 1. numer. 46. item, Nos habemus, quia Christus manet in æternum: quomodò tu dicis oportet exaltari filium hominis? Ioan. cap. 12. num. 34. Item Christus cum venerit, nemo scit, vndè sit: hunc verò scimus, vndè sit, Ioan. cap. 7. numer. 27. item caro mea verè est cibus, quomodò potest dare carnem suam ad manducandum? Accedit homo, accedit carnalis iste Iudaicus populus ad cor altum, & exaltabitur magis Deus ab illo, vt videntes non videant, & intelligentes non intelligant, magis elongetur ab illo.

Sagittæ paruulorum factæ sunt plagæ eorum. Vos, ò Iudæi stulti, qui primos accubitus in cœnis tenebatis, qui Principes Synagogæ, Scribæ, & Rabbi

vos appellabatis, linguis vestris Iesum Christum occidistis, Ecclesiam suam sanctam persecuti estis, & sagittæ paruulorum Christi, idest verba humilium Discipulorum, & Apostolorum facta sunt pungentia corda vestra, non vt moreremini, sed vt vitam vobis mortuis in peccatis vestris darent, His autem auditis compuncti sunt corde, Act.Apostol.cap.2.num.37 & dixerunt, Quid faciemus viri fratres. Petrus verò ad illos, inquit, Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum, & accipietis donum Spiritus sancti. Audientes Stephanum dissecabantur cordibus suis, & stridebant dentibus in eum, Act.cap.7.num.54. Stephani verò sagittæ erant verba hæc; Domine, ne statuas illis hoc peccatum: Et ecce Saulus ex persecutoribus vnus, & principalis, factus est Prædicator veritatis, & Paulus. Vide arma Stephani, cum quibus superauit inimicorum sæuitiam. Arma Stephani charitas, per quam vbique vincebat, nàm sæuientibus Iudæis non cessit, per charitatem proximi, pro lapidantibus intercessit, per charitatem arguebat errantes, vt corrigerentur, per charitatem pro lapidantibus orabat, ne punirentur, vide Fulgent. in Serm. de S. Stephano.

Sagittæ paruulorum factæ sunt plagæ eorum. Quæ sunt sagittæ nisi verba? cuius sunt hæc verba?. Paruulorum inquit. Qui verò sint isti paruuli? Lege Baruch in cap.5.num.5. & per totum. Exurge Ierusalem, & sta in excelso, & circumspice ad Orientem, & vide collectos filios tuos ab Oriente Sole vsque ad Occidentem) nàm in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum) in verbo Sancti gaudentes Dei memoria, exierunt abs te pedibus ducti ab inimicis, & numer.6. Adducet autem illos Dominus ad te portatos in honore, sicut filios Regni, constituit enim Deus humiliare omnem montem excelsum, & rupes perennes, & conualles replere in æqualitatem terræ, vt ambulet Israel diligenter in honorem Dei, &c. Obumbrauerunt, idest obumbrabunt & syluæ, & omne lignum suauitatis Israel ex mandato Dei. Apostoli enim ex Israel venerunt, propterea dixit, exibunt abs te pedibus ducti, idest pedestres, idest in humilitate: adducet tamen illos, inquit, Dominus, ad te portatos in honore, sicut filios Regni, & ideò omnem montem excelsum humiliare constituit Deus, idest per illos omnia impedimenta tollere viæ spiritualis, conculcabit enim viam prauam, pes, pedes pauperis, & gressus egenorum, Isai.cap.26.num.6.

Sagittæ paruulorum factæ sunt plagæ eorum, aperite portas, vt ingrediatur gens iusta, custodiens veritatem; istorum enim paruulorum, & suæ Ecclesiæ fortitudo Saluator est. Vetus error abijt, iàm contrà vos impios infirmatæ sunt linguæ vestræ; humiliata enim iàm est Synagoga vestra, superbia vestra vsque ad terram, & vsque ad puluerem detracta est. Semita Ecclesiæ iusta est, ò hæretici, & rectus est callis iusti ad ambulandum. Dominus enim dedit verbum Euangelizantibus virtute multa, Psalm.76.num.12. & 14. Dormite inter medios cleros pennæ columbæ deargentatæ; hoc est illorum prædicationi animum apponite, & fide credite, nàm ab isto monte Dei niue dealbabimini, istius enim Ecclesiæ pennæ deargentatæ, Apostoli Domini sunt. Sermonem nequam firmastis, sed ecce quia linguæ vestræ infirmatæ sunt super vos, ò Iudæi, ò Hæretici: supra firmam petram est posita Ecclesia, quid illam linguis vestris pessimis frustrà impugnare tentatis?

Contrà quam nec portæ inferi præualere possunt? Matth. c. 16. mentita est iniquitas sibi, Psalm. 21. Infirmatæ super vos linguæ vestræ. Quid? ex quo vobis insultantibus, de Cruce non descenderat, ideò non surrexit? Quid, ò Hæretici? ex quo contrà illam malignatis, illam destruere conamini, de sepulchro surrexit, nunquid de Cruce descendere non poterat? Linguam iniquam, ò Hæretici, & Iudæi contrà Ecclesiam firmastis, ergo non est in omnibus terræ partibus exaltata? An non semper in veritate firma crescit? Lingua vestra infirma, caduca, mortifera: & sagittæ infantium factæ sunt plagæ vestræ; nàm ecce Christus iàm resurrexit; Spiritus sanctus in Discipulos descendit, audacter tubæ cælestes, Apostoli Domini, Sancti Dei personare cœperunt, Iudicem venturum, quem primò vos vidistis iudicatum: vidistis crucifixum, & mortuum, nunc exaltatum auditis, quid vobis videtur de Christo, ò infideles, ò hæretici, qui vestem Domini diuidere, dilacerare tentatis? sic est mortuus Christus, vt mortem morte sua destruxerit: non est diuisus Christus, vt si ad eum conuertamini, non sit integer etiam pro vobis. Conturbetur cor vestrum in vobis, quia Dominum crucifixistis; quia Dominum laceratis blasphemando; non turbemini, quia Ecclesia eius firma, & integra permaneat; quia ideò Christus miracula facit, & per illum sui fideles: sed ob id turbemini, quia vos iniqui fuistis, quia peccastis, sanguinem innocentem tradentes, quia Ecclesiam suam sanctam lacerare tentastis, quia malè fecistis, quia peccastis, & Iesum non iàm amplius mortuum, sed viuentem propitium vobis reddere minimè curatis, qui & pro vobis interpellat apud Patrem, vt saluemini, dum peccatum vestrũ confiteamini, & fructus dignos pœnitentiæ faciatis. Conturbentur mali, qui videbant Apostolos, & fideles signa in nomine Iesu mirabilia facientes, & in sua peruersitate permanentes, quia sicut fumus deficient, & infirmati cadent subtus terram deficientes, vt tamen pœnas luant perpetuas.

Conturbati sunt omnes, qui videbant eos, & timuit omnis homo. Conturbentur, & erubescant in sæculum sæculi pœnitentes, Psalm. 82. num. 18. valdè velociter, de peccatis in præsenti per pœnitentiam, vt ex malis boni fiant. Panem vestrum in conturbatione comedite, sed, & aquam vestram in festinatione, & mœrore bibite, Ezech. 12. nu. 12. Corde compungimini, pœnitentiam agite, dixit Petrus ad illos, Act. Apostol. cap. 2. num. 38.

Sequitur Psalmus, Et timuit omnis homo. Omnis scilicet, qui fuerit homo, nàm qui non conturbatur audiendo, & quem non pœnitet, non est homo, sed animal; omnis ergo, qui fuerit homo, aperiat cor suum pulsanti Deo, & de præteritis peccatis pœnitens sit, Domini timor sit in illo, nàm mortuus erat, & reuixit, perierat, & inuentus est. Qui stas ergo vide, ne iterum cadas. Agnoscant, quia defecerunt in suis malis scrutationibus, terrena perquirentes, vt diuina amitterent. Augustin. Timuit omnis homo. Qui non timuerunt, nec homines fuerunt. Timuit omnis homo, idest omnis vtens ratione ad intelligenda quæ facta erant, Vndè qui non timuerunt, pecora potius nominandi sunt, bestiæ potius immanes, & truces: leo rapiens, & rugiens ille adhùc populus, hæc Augustin.

Deum ergo timeas, ò homo, & non te terreat sine ratione homo. Ne omnino loquerentur, nec in nomine Iesu Discipuli docerent, minabantur illi iniqui Iudæi, quibus respondens Petrus, & Ioannes dixerunt ad eos, si iustum

est in conspectu Dei, vos potius audire, quàm Deum, iudicate: non enim possumus, quæ vidimus, & audiuimus non loqui, Act. cap. 4. nu. 18. A timore inimici erubebantur, sed timori Domini se subdebant, ità & tu qui homo factus es, qui credis in Deum, à peccato erueris, si timorem Domini habueris. Timeas ergo ô homo, à quo factus es homo, & tunc cum Psalmista, annunciabis opera Dei, & facta eius intelliges.

Annunciauerunt opera Dei, & facta eius intellexerunt, Luc. 24. Tunc aperuit eis sensum, vt intelligerent Scripturas. Intellexerunt ergo Scripturas, postquam aperuit eis sensum, tunc sagittæ factæ sunt verba eorũ, quando tamen paruuli facti sunt, humiles scilicet; & quia intellexerunt Scripturas, annunciauerunt opera Dei. Sed quæ opera Dei annunciauerunt? audi eumdem Luc. vt sup. n. 45. Tunc aperuit illis sensum, vt intelligerent Scripturas: Et dixit illis, quoniam sic scriptũ est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertia die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam, & remissionem peccatorum in omnes gentes. Annunciauerunt ecce opera Dei, qui ideò venit, ideò mori voluit, ideò resurgere à mortuis, vt nos peccatores redimeret: vt nos cohæredes, & filios Dei faceret. Hæc facta intellexerunt, & opera eius annunciauerunt, nempè remissionem peccatorum in omnes gentes, & pœnitentiam: annunciauerunt quæ in Euangelio scripta sunt, vt qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus sit, Matth. cap. 28. in fine, Marc. 16. nu. 15. Annunciauerunt opera eius, vt qui in illum credent, infrascripta signa efficiant; in nomine Christi Dæmonia eijcerent; Quid enim aliud est Dæmonia eijcere, nisi conturbatum, & de commissis pœnitentem, tentationes Diabolicas, & Diabolum, in Deo confidendo expellere? Linguis nouis loqui: nàm vt prius peccando Deum blasphemabas, nunc pœnitendo conturbatus, accedens ad Deum, exaltando Deum, laudas, & benedicis; serpentes tollere; nàm linguæ iniquorum per eos confundentur, Vndè Paul. Act. cap. 28. nu. 5. Illi autem profecti, inquit Euangelista, prædicauerunt vbique Domino cooperante, & sermonem confirmante, sequentibus signis, vt in Act. Apost. per totum librum, & præcipuè à Paulo, vt cap. 19. num. 12.

Annunciauerunt opera Dei, quia facta intellexerunt. Audi Ioannem, quæ facta intellexerunt; quæ opera viderint, & nobis annuncient, Ioan. 1. num. 1. cum sequen. Quod fuit ab initio, quod audiuimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectauerunt de Verbo Vitæ, & Vita manifestata est; & vidimus, & testamur, & annunciamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis: Quod vidimus, & audiuimus, annunciamus vobis, vt & vos societatem habeatis nobiscum, & societas nostra sit cum Patre, & cum filio eius Iesu Christo, & hæc scribimus vobis, vt gaudeatis, & gaudium vestrum sit plenum, & hæc est annunciatio, quam audiuimus ab eo, & annunciamus vobis, quoniam Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt vllæ.

Qui ergo audierit opera Dei, & facta intellexerit, fidem habendo, & manibus suis operando: Vt iustus lætabitur in Domino, & sperabit in eo, & laudabuntur omnes recti corde. Et si ab iniquis persecutiones patiantur, quid enim facere potuerunt inimici, corpus occidere? animam perdere non potuerunt, Matth. cap. 10. num. 28. Lætabitur iustus in his, quæ dicta sunt sibi, qui hæc patiendo ibit in domum Domini, Psalm. 121. num. 2. stantes enim erunt pedes

nostri

nostri in atrijs tuis Ierusalem. Quocircà lætabitur iustus in diebus, quibus tù Domine humiliasti illum, annis, quibus videt mala, Psalm.89.num.15. Audiant ergo mansueti, & lætentur, Psalm.33.num.3. quia Dominus respicit in seruos suos, & in opera sua dirigit filios eorum, d.Psalm.89.num.16. & splendor Domini super illos, vt eruat animas eorum à timore inimici.

Beati ergo qui non viderunt, & annuncianribus opera Christi crediderunt, quia & ipsi credentes facta eius intelligent, Luc.cap.24.num.41. Augustin. Lætemur ergo omnes in Domino, omnes secundum fidem vnus iustus simus, omnesq. in vno corpore, vnum caput habeamus, & lætemur in Domino, non in nobis, quia bonum nostrum, non nos nobis, sed ille, qui fecit nos. Lætemur in Domino, quia iàm manifesta sunt consilia eius, quibus latuit corde alto non fuisse inania, quia ideò sanguis eius fusus est, vt esset pretium Redemptorum, Augustin.

Et laudabuntur omnes recti corde, quibus per omnia placet Deus. Recto ergo eris corde, si id, quod tibi donat, ad consolationem valeat; non ad corruptionem, & quod tibi subtrahit, ad tollerantiam valeat, non ad blasphemiam; Non tui labantur pedes, quia pacem peccatorum videas, Psalm.72. Noscit Deus quid agat, qui vulnus nouit, ità & tibi quid Dominus donet, quid subtrahat noscit. Nouit enim Deus dies iustorum, & iter impiorum peribit, Psal.1. num.6. & Psalm.36.num.18. Nouit Dominus dies immaculatorum, & hæreditas eorum in æternum erit.

Et laudabuntur omnes, qui recto sunt corde, & vice versa condemnabuntur, qui malo sunt corde. Laudantur primi, quia vt iusti præcepta Domini seruauerunt, & ad dexteram positis, dicetur. Venite benedicti Patris mei. Cæteris verò non rectis corde ad sinistram positis, dicetur, Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis eius; mors, & vita ante te posita est, quam malueris elige, Eccles.15.num.18. dum tempus est, post mortem enim non erit confessio: non demoreris in errore impiorum, Eccles. cap.17.num.27. ante mortem confitere; à mortuo quasi nihil perit confessio, & mecum coram Deo voce magna clamate.

SOLILOQVIVM.

ECCE Domine, quia seruus tuus in terra deserta, in loco horroris ego sto inter inimicos malignantes, & animam meam perdere volentes. In finem, in te Iesum Christum est spes mea, fides mea, cum in me insidias posuerint. Deprecor te Domine, exaudi orationem meam, vt à timore inimici animam meam eripias, nè timeam eos; à metu eorum serua me. A conuentu malignantium, & à multitudine operantium iniquitatem protege me. Exacuerunt enim linguam suam, vt gladium acutum contrà me, & sermones suos, vt sagittas, vt in occulto in immaculatum iacerent & innocentem, rem amaram. Docentes doctrinis falsis paruulos tuos, decipere tentant, & venenosas in eos sagittas emittunt, & dolosè iaciunt, non timentes te Domine, nec iudicium tuum. Firmauerunt sibi sermonem nequam, vt in rudem, & simplicem

falla-

fallacia narrantes laqueum dolosum abscondant; Quis enim, inquiunt, videbit nos? Isti dicunt, sunt simplices & viles, non cognoscunt absconditos laqueos; non cogitantes quòd nihil occultum te latet, & potens es animas nostras à sagittis eorum defendere.

Scrutati sunt iniquitates, defecerunt scrutantes scrutinio, provt etiam hæretici faciunt, qui sacras Scripturas scrutantur, vanas exindè proferentes quæstiones, quibus nos per iniquitatem, & dolum cupiunt illaqueare: sed nihil præualentes, vacui relinquuntur à te Deo meo: Absumpti enim sunt iniqui isti, & scelestes in perscrutando, & meditando ex intimis cordis ipsorum, & tu magis exaltaberis Deus elongatus ab illis, vt deficientes scrutinio, deficiát & ipsi in perscrutando: abscondisti enim illis superbis sapientibus hæc, quæ paruulis reuelasti. Vndè fit, quòd sagittæ paruulorum factæ sint plagæ eorum, & infirmata sit contrà eos lingua eorumdem; dolus quippè illorum eos reddidit infirmos, nec potuerunt resistere sapientiæ, & spiritui, qui per paruulos loquebatur; conturbati sunt omnes, qui videbant paruulos verba Dei loquentes, & signa mirabilia facientes, & timuit omnis homo, qui cor suum aperuit illis loquentibus, conturbentur iniqui, quia consummabuntur: & timeam ego te Domine, vt præ contritione turbatus, quòd peccaui tibi, cor meum non despicias. Timeam & ego cum omni homine, vt vnà cum annunciantibus opera tua, & facta tua intelligam, quòd ideò in mundum venisti, & mori voluisti, vt me, & genus humanum liberares à morte. Formident iniqui, & impij in ipsorum impietate, & infidelitate: ego verò in te sperans lætabor in te Deo meo, & qui recto sunt corde laudabunt, quia mundi corde te Deum videbunt. Quod nobis præstare digneris, qui pro nobis mori voluisti, & resurgere; qui ad huius anni finem peruenire nos fecisti, vt veterem hominem exuentes cum moribus, & actibus suis, nouum hominem te Christum induamur. Lepram cum Constantino curemus, non paruulorum sanguine, sed ope Sancti Siluestri in monte Soracte latitantis, obtemperantes Apostolorum iussionibus: sublatis inanium Deorum simulacris, atque peccatis, vero Deo cultum adhibeamus. Sancte Siluester ecce ad te in hac tuæ festiuitatis die deuotè confugimus, intercede pro nobis, vt tuis precibus, & nos à peccatorum lepra mundemur.

IN PSALMVM LXIV.

Te decet hymnus Deus in Sion: & tibi reddetur votum in Ierusalem.



TITVLVS Psalmi. In finem, Psalmus Dauid, Canticum Ieremiæ, & Ezechielis Populo transmigrationis, cum inciperent exire.

Hic Titulus à Græcis additus asseritur, docente Spiritu sancto; vt credere fas est: historiam captiuitatis Iudæorum in Babylonem vbi steterunt per septuaginta annos per te videre poteris in 4. Reg. c. 25. per totum; & apud Ieremiam Prophetam in cap. 25. & cap. 29.

Con-

Continuatur ad præcedentem,in quo vidimus de peregrinatione in hoc deserto, in hac captiuitate Babylonica, in qua promittitur iusto lætitia, in reuersione ad Ierusalem,ad ciuitatem sanctam; Vndè ibi dictum est, lætabitur iustus in Domino: laudabuntur omnes recti corde: interim verò super flumina Babylonis sedet iustus flendo, dum verò recordatur ciuitatis Sion illius cælestis, lætabitur iustus, quia ad illam sperat se rediturum, vndè venit, propterea lætus canendo incipit, Te decet hymnus Deus in Sion, & tibi reddetur votum in Ierusalem.

Pro cuius maiori intelligentia præmittenda sunt, quæ in Titulo supradicto scripta sunt; in finem Canticum Ieremiæ, quod interpretatur excelsus, & signat illos, qui dicunt, nostra conuersatio in cælis est, ad Philip.cap.3.nu.10. Addunt aliqui Codices, & Aggæi, festus Dei, quod significat spe gaudentes, qui in reliquijs cogitationum diem festum agunt Domino, & Ezechielis, qui significat, roborauit me Deus, & significat illos, qui sunt roborati in Domino: Iusti ergo,quorum conuersatio in cælis est, propterea spe gaudentes, quia illi in Domino roborati sunt, qui recto sunt corde: hi igitur simul cum Christo, qui solus iustus de cælo descendit hymnum cantandum Deo in Sion proponunt. In finem ergo,idest in consummationem,vox populi exultantis Christiani,quia de cælo peregrinatus est ad terram, & de terra, idest de perfectione ad miseriam, & confusionem, & de terra per redemptionem Christi redeuntis ad Sion ad cælum, lætus incipit dicens.

Te decet hymnus Deus in Sion, & tibi reddetur votum in Ierusalem. Quia post septuaginta annorum captiuitatem in Babylone redituri sumus in Ierusalem: & ideò hymnum canemus in Ecclesia. Non decet in Babylone; nàm si in amore sæculi permanes, quomodò in amore Dei ambulabis? Duæ enim sunt ciuitates, Ierusalem, & Babylon, Ierusalem dicta visio pacis, ità etiam Sion dicta speculatio, idest, visio & contemplatio: Babylon verò confusio. Intendite, inquit Augustin. nunc ciuitatem confusionis, vt intelligatis visionem pacis; istam tolleretis, ad illam suspiretis; permixtæ sunt ab ipso exordio generis humani istæ duæ ciuitates, & currunt permixtæ vsque ad finem sæculi: amor sæculi in ciuitate Babylonis, amor Dei in Ierusalem: vide ergo tu, quem amas, & vndè sis ciuis, inuenies: si ciuem esse inueneris Babyloniæ, cupiditatem extirpa, & planta charitatem; & si te ciuem inueneris Ierusalem, tollera captiuitatem, & spera libertatem.

Si amare Deum incœperis, incipias etiam à Babylone, ab amore mundi exire, & canta cum duobus istis Prophetis Aggæo, & Ezechiele: Te decet hymnus Deus in Sion, si ergo in confusione permanebas, & charitate distingui incipias, si distinctus non confusus eris & si corpore adhùc sis permixtus, desiderio tamen sancto discerneris, & si propter permixtionem nondum exieris, propter affectum cordis exire incipias.

Diximus supra post septuaginta annos captiuitatis hæc habenda Babylonis: captiui enim sumus, dum in corpore peregrinamur à Domino, hanc septuagesimam captiuitatem Iudæorum figurauit Ecclesia, nàm sicut Iudæi ante finem septuaginta annorum licentiam reuertendi habuerunt; Cyro permittente, & eisdem septuaginta annis completis,plenè redierunt Iosue filio Iosedech Duce: ità & nobis ante finem septenarij huius peregrinationis,per Christum libertas redeun-

redeundi est præstita, cuius morte redempti sumus. Iàm secundum animas spe liberati, sed completo septenario huius vitæ plenè liberi erimus, vtroque homine gloriosi. Et hanc obseruat Ecclesia in repræsentatione nostræ captiuitatis spiritualis, dum in corpore hoc sumus, & à Deo peregrinamur, in Dominica Septuagesimæ, quæ Missam incipit; Circumdederunt me gemitus mortis, dolores inferni circumdederunt me, & Psalm. 17. Et in tribulatione mea exaudiuit de Templo sancto suo vocem meam. Et à Septuagesima supradicta circumdederunt me, secũdum Magistrum Sententiarum hìc miserias nostri incolatus deplorat, & vsque ad Sabbatum Paschale, deponẽs Canticum lætitiæ subticet, Alleluia, & Gloria in excelsis: in Sabbato verò Paschali iàm adepta per Christum facultate redeundi, & ità spe gaudens cãtat Ecclesia, Alleluia: sed quia adhùc molo corruptæ carnis præmitur, latronumq. insidias patitur, post Alleluia restat tractus, Laudate, quia adhùc longis trahendi sumus laboribus, & sequenti Hebdomada cum Alleluia cãtamus laboriosa via gradientes, & ideò dolentes in re, sed gaudentes in spe.

In Sabbato verò in Albis, quasi finita septuagesima huius captiuitatis, duo Alleluia cantamus, plenè læti pro gemina nostræ glorificationis stola, qua in futuro glorificabimur, nunc verò quasi ex parte liberati, & spe læti, quasi de Babylone redeuntes cantamus, ò Deus te decet hymnus, quem cantat, qui verè Deum amat in cælesti patria, vbi spe modò sumus: mente ergo, vel re in Sion stemus, si Deum laudare cupimus. Vndè dixit Apostolus, Nostra conuersatio in cælis est; ad Philip. cap. 3. num. 20. Non ergo in carne ambulantes secundum carnem militemus, iàm desiderio ibi sumus, iàm spem in illam terram quasi anchorã præmisimus, ne in isto mari turbato naufragemus. August. hìc; In carne, in hac Babylone sumus, non corde; non carne cantamus, sed corde; carnem quidem sonantem audiunt & ciues Babyloniæ, cordis autem sonum audit conditor Ierusalem. Cantemus ergo secundum Apostolum, ad Ephes. cap. 5. num. 19. psallamus Domino in cordibus nostris. Quid est, inquit Augustin. cantantes in cordibus nostris? Ne indè cantetis, vndè estis in Babylonia; sed inde cantate, vndè sursum habitatis. Ergo te decet hymnus Deus in Sion: in Sion te decet hymnus, non in Babylonia. Quid cantant in Babylonia? Ciues Babyloniæ etiam hymnum non decenter cantant; audi vocem Scripturæ, non est speciosa laus in ore peccatoris, Eccles. cap. 15. num. 9.

Hymnum ergo cantemus in Sion: idest laudem Dei cum exultatione de æternis habita, quià nos in sua Ecclesia recepit; pro nobis, vt nos redimeret, passus est; nobis viam ad cælum ingrediendi aperuit; nosce ergo te ipsum Christiane, & mecum dicas lætanter.

Te decet hymnus Deus in Sion, in visione pacis, in speculo iustitiæ, iuxtà quod in baptismo promisimus, renunciantes Diabolo, & pompis eius, & Deo adhærentes, vt eius mandatis obediamus. Serua mandata, legimus, si vis ingredi Regna cælestia; vbi tunc plenè votum persoluemus, quod in terra, carne deorsum trahente, perfectè, vt decet, seruare vix possumus.

Te decet hymnus Deus in Sion, quia ibi perfectè, ab Angelis, Sanctus, Sanctus, Sanctus clamantibus est laus tua. Agentes ergo Deo gratias sursum corda habeamus, & in hac specialiter die, qua intemerata Virgo Maria huic mundo edidit Saluatorem Iesum Christum Redemptorem nostrum, vnà cum

Angelis, Archangelis, & cum omni militia cælestis exercitus hymnum gloriæ Dei cantemus, lætanter dicentes, Te decet hymnus Deus in Sion, & votum, quod promisimus, perfectius reddere in Ierusalem, te adiuuáte parati sumus.

Exaudi Deus orationem meam, quia ad te omnis caro veniet, omnis homo, ex omni genere, tàm masculini, quàm fœminini sexus, infantes, iuuenes, & senes, debiles, & in tua confessione fortes, pauperes, & diuites, omnes vna voce dicentes, Osanna filio Dauid, benedictus, qui venisti in nomine Domini Osanna in excelsis.

Omnis caro veniet; quia tibi omnis carnis data est potestas, Ioan. cap. 17. quia tu omnis carnis es creator, & auctor, Genes. 1. num. 27. ex vnoq. homine genus hominum fecisti inhabitare super vniuersam faciem terræ, Act. Apost. cap. 17. num. 26. Omnis caro veniet, pro qua tu caro factus es, & carnem nostram assumere dignatus es, vt illam redimeres, iàm enim omnis caro viam suam corruperat, Genes. cap. 6. num. 16. Ideò venisti, vt quos tu prædestinasti saluares, & ideò in omnem terram vocis tuæ sonus exiuit, vt de omni carne, saluos faceres eos, qui essent in te crediturì.

Exaudi Deus orationem meam. Vt infideles, & iniqui ab iniquitate, & infidelitate recedentes, fideles sint, & recti, vt vna sit fides gentium, & pietas actionum, & omnis caro salua fiat: vt vnanimiter, vno ore honorificetur Deus, & Pater Domini nostri Iesu Christi, ad Roman. cap. 18. numer. 6. Exaudi Deus orationem meam, & confitebor tibi in gentibus Domine, & nomini tuo cantabo, Psalm. 17. num. 50. 2. Reg. cap. 22. nu. 50. vt omnes gentes lætentur cum omni plebe eius, Psalm. 116. num. 2. Exaudi Deus orationem meam, vt adijcias manum tuam, ad possidendum residuum populi, quod relictum est, &c. Isai. cap. 11. nu. 11. & Leua signum in nationibus, & congrega profugos Israel, & dispersos Iuda collige à quatuor plagis terræ, vt sis via residuo populi tui, Isai. d. cap. 11. num. 12. & num. 15.

Verba iniquorum præualuerut super nos, & impietatibus nostris tu propitiaberis; In præcedentibus, atque in isto versiculo, quatuor nos docet Psalmista, nempè, primo cognitionem sui ipsius, & obligatione, secundo ad Deum orationem, tertio oris confessionem pro delictis commissis: quarto liberationem ab illis, primam ibi: Te decet hymnus Deus in Sion, &c. secundam ibi, exaudi orationem meam; &c. tertiam ibi, verba iniquorum præualuerunt super nos: quartam quum post confessionem superuenit liberatio à peccatis, & absolutio ab illis, ibi: impietatibus nostris tu propitiaberis.

Verba iniquorum præualuerunt super nos: Sequuti ergo sunt iniquitatem & isti, propterea venit in terram Iesus Christus, vt omnium nostrum iniquitates ferret, Isai. cap. 53. num. 4. Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit, vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra; disciplina pacis nostræ super eum; & liuore eius sanati sumus, num. 15. Verba, exempla scilicet, & falsa documenta præualuerunt super nos, Sapien. cap. 2. Et ità ad terrena intenti, cælestia dereliquimus. In hac enim Babylone nati sumus, in hoc Idumææ deserto nutriti sumus; terrenorum verba præualuerunt; quia adhùc pueri, & lactentes verba nobis cantionum docuerunt. Tu ergo fili Dei propitiaberis, qui iniquitates nostras portasti pro nobis, si orationem meam exaudieris; si de iniquitatibus, & impietatibus commis-

mis-

missis dolentes nos pœnituerit. Eia ergo fratres, vt à Deo veniam impetremus, miseriam nostram confitentes, ex corde dolentes, ab iniquitatibus, & inquinamentis discedamus. Ecce ideò missus Sacerdos noster, qui humanam à nobis assumpsit naturam, quam offerret Domino: ipsas primitias sanctas carnis ex vtero Virginis, hanc in cruce holocaustum obtulit Deo Patri. Extendit manus in cruce, vt diceret, dirigatur oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo, eleuatio manuum mearum, sacrificium vespertinum: quare impietates nostræ propitiatæ sunt, Augustin. Alioqui absorbuerant nos; Sermones iniquorum præualuerunt super nos, impietates nostras tu Sacerdos, tu Victima, tu Oblator, tu Oblatio. Ipse Sacerdos est, qui nunc ingressus in interiora veli, solus ibi ex his, qui carnem gustauerunt interpellat pro nobis, in cuius rei figura in illo primo populo vnus Sacerdos intrabat in Sancta Sanctorum, populus omnis foras stabat, & ille, qui solus ingrediebatur in interiora veli, offerebat sacrificium pro populo.

Exaudi, dicit, Deus orationem meam, ad te omnis caro veniet. Occidistis, ò Iudæi, ò peccatores Iesum, quia ignorastis, Act. Apost. cap. 3. nu. 17. Velum ante faciem Moysis positum erat, quia vultum eius, nec respicere poteratis, Exod. cap. 34. num. 34. Tollatur velum, & apparebit veritas vobis; transite ad Dominum, & à vobis auferetur velum, 2. Corinth. cap. 3. nu. 13. cum sequen. Velamen, inquit, super faciem suam Moyses ponebat, vt non intenderent filij Israel in faciem eius, quod euacuatur, sed obtusi sunt sensus eorum, vsque in hodiernum enim diem, idipsum velamen in lectione veteris testamenti manet non reuelatum, quoniam in Christo euacuatur, sed vsque in hodiernum diem, cum legitur Moyses, velamen situm est super cor eorum, cum autem conuersus fuerit ad Dominum, auferetur velamen, hæc S. Paul. Iam sacrificium oblatum est Deo, Christus Iesus filius Dei; petræ cordis nostri scindantur, quia Christus mortuus est, & lapideæ petræ scissæ sunt: iam in faciem Moysis intendite, quia velum scissum est in duas partes; ante vos bonum, & malum positum est, vita, & mors, Ecclesi. cap. 11. numer. 14. Velum scissum est, vt in lapidem Christum intendere possitis.

Vsque in hodiernam diem stat Christus, vt vos reducat, exaudiri enim petit à Patre, vt ad illum omnis caro veniat. Donec dies est resipiscite, donec dies est confitemini, vsque in hodiernam diem stat Iesus, & pro vobis rogat Patrem. Post mortem quasi nihil, confessio perit, Ecclesi. 17. num. 26. & quid tunc facietis, cum inspicere cœperit Dominus? Ecclesi. 2. nu. 17. quando cum Babylonicis positi ad sinistram, in perpetuas carceres inferni, vbi ignis ardens, & non consummens, iudicium vestræ condemnationis audietis. Sacramenta Dei ne ignoretis, vt mercedem iustitiæ accipiatis, Sap. cap. 2. in fine.

Domine Iesu non ex nobis nos te elegimus, sed tu eligis nos, vt maneamus in dilectione tua, & seruemus mandata tua, Ioan. cap. 15. num. 10.

Beatus ideò dicit Psalmista, quem tu elegisti, & assumpsisti, inhabitabit in atrijs tuis per gratiam tuam. A perditorum societate nos erue, & assumptos in sortem Sanctorum nos conserua, vt in atrijs Ierusalem inhabitemus, vbi est requies perpetua, nunquam ab illis commoueamur, vt in domo tua perpetuò requie cohabitemus.

Beatus, quem elegisti, & assumpsisti, inhabitabit in atrijs tuis. Sed quomodò, inquit,

inquit, quem elegisti? nunquid vnius tantùm est tua electio, & non plurium? Beatus, inquit, quem elegisti, filium scilicet tuum Iesum Christum, Isai.d. cap.6.num.8. qui ideò tibi se obtulit, illum tu elegisti Domine, & ille elegit sibi Ecclesiam suam sanctam, in illa habitabit in æternum; ero enim, inquit, vobiscum vsque ad consummationem sæculi, Matth.cap.28.num.20.

Beatus, quem elegisti, quia quos in Ecclesia tua posuisti, & qui in te credituri ponentur, vnum sunt, quia tu in illis, & illi in te, Ioan.cap.17.nu.20. sicut tu Pater in me, & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint. Beatus ergo Populus Dei Christianus, quem elegit Dominus in hæreditatem sibi, & assumpsit, in atrijs tuis habitabit, vt cæli pateant ei. Beata gens, cuius est Dominus Deus eius, Psalm.32.num.12. populus, quem elegit in hæreditatem sibi, quem tu erudisti, & docuisti, Psalm.105.num.3. & Psalm.143.num.15. Augustin. hìc. Vnum enim assumit, qui vnitatem assumit; schismata non assumit, hæreses non assumit, multitudinem de se fecerunt, non est vnus, qui assumatur. Qui autem manent in compage Christi, & membra eius sunt, faciunt quodammodò vnum virum: de quo dicit Apostolus, donec occurramus omnes in agnitionem filij Dei in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi, ad Ephes.cap.4.num.2. & num.13. Itàq. dicit Augustin. Vnus vir assumitur, cui caput est Christus, quia caput viri Christus est; ipse est beatus vir, qui non abijt in consilio impiorum, &c. ipse est, qui assumitur, non est extrà nos, in ipsius membris, sub vno capite regimur.

Eia ergò Christi miles, quem ante mundi constitutionem Deus elegit, ad Ephes.cap.1.num.4. vt sanctus, & immaculatus sis in conspectu eius in charitate; qui te prædestinauit in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsũ: cum prædestinatio sit ipsa æterna electio, quam nulla merita nostra præcedunt, vt vltimus effectus dictæ prædestinationis sit in te, præcedant necesse est merita tua: vt sis ad gloriam sempiternam assumptus. Festina igitur, vt ab immunditijs, & peccatis absolutus, & liber Dei gratia factus, vti innocens, & immaculatus tuæ respondens prædestinationi cum eo, qui est caput tuum, admittaris ad gloriam: In Ecclesiam Dei vocatus es, vbi sunt boni, & mali, ne foras mittaris inter malos, Matth.13. bonum operare, mandata Ecclesiæ, in qua positus es, serua, vt inter bonos in atria domus Dei admittaris, de quibus subditur.

Replebimur in bonis domus tuæ, sanctum est templum tuum, mirabile in æquitate. Quæ est enim domus Dei, nisi Ecclesia sua sancta, in qua existentes bonis replentur? & quod est Templum sanctum suum mirabile in æquitate? nisi corpus Domini Iesu Christi, quod seruatur in illa. Quod in sumentibus dignè mirabilia in æquitate operatur; sumunt enim boni, sumunt mali, cantat Ecclesia, sorte tamen inæquali, vitæ, vel interitus: vide paris sumptionis, quàm sit dispar exitus. Exeas ergo tu de Babylonia, & bonis domus Dei replebèris cum isto Beato. Munda cor tuum, vt dignè sumens corpus Christi, mirabilia id tibi operetur ex æquitate. Dixit ex æquitate, quia cum hæc omnia feceritis, ait Iesus, dicite, quia inutiles serui sumus, Luc.17.num.10. Hæc ergo tibi dona dat Deus ex misericordia sua, ex æquitate sua; non ex tuis meritis. Nonnè tibi videbitur mirabile in æquitate, qui cum corruptus esses, & abominabilis propter peccatum factus esses in iniquitatibus, cum te pœnituerit in Ecclesiam eius ingressum, sacro eius corpore sumpto facit, vt de peccatore

sis iustus, vt de Babylonica ciuitate te erutum perducat in sanctam illam ciuitatem Ierusalem, repleatq. te bonis æternis cohæredem Regni cælestis.

Si ergo electus es, quia baptizatus es, quia credis in Iesum Christum, quia in Ecclesia positus es, benè operare, vt sis etiam assumptus, nàm & Iudas electus fuit inter duodecim Apostolos, & tamen suspensus crepuit medius, & in inferno sepultus, Matth. 27. nu. 56. proijciuntur ab Ecclesia mali pisces in sagena capti, boni verò pisces in vasis ponuntur; Sanctitas ergo sit in te, & æquitas ad proximum, & repleberis donis domus Dei; intus sit oculus tuus, vt iustitiæ pulchritudinem intuearis, vndè Augustin. hic: si nulla est pulchritudo iustitiæ, vndè amatur iustus senex? quid affert in corpore, quod oculos delectet? curua membra, frontem rugatam, caput canis albatum, imbecillitatem vtique quærelis plenam. Sed fortè, quia tuos oculos non delectat senex iste decrepitus, aures tuas delectat. Quibus vocibus? quo cantu? Et si fortè adolescens benè cantauit, omnia cum ætate defecerunt. An fortè sonus verborum eius delectat aures tuas, quæ verba vix plenè enunciat elapsis dentibus? Tamen si iustus est; si alienum non concupiscit; si de suo quod habet erogat indigentibus; si benè monet, & rectum sapit; si integrè credit; si paratus est pro fide veritatis, etiam ipsa confracta membra impendere; multi enim Martyres etiam senes. Vndè illum amamus? quid in eo bonum videmus oculis carnis? nihil. Quædam ergo est pulchritudo iustitiæ, quam oculis cordis videmus, & amamus, & exardescimus: quam multum dilexerunt homines in ipsis Martyribus, cum eos bestiæ laniarent: nonnè cum sanguis fœdaret omnia, cum morsibus belluinis viscera funderentur, non habebant oculi, nisi quod horrerent, quid ibi erat, quod amaretur, nisi quia erat in illa fœditate dilaniatorum membrorum integra pulchritudo iustitiæ? Ista sunt bona domus Dei, his te spera satiari, sed vt inde satieris, cum perueneris, hic te oportet esurire, & sitire, cum peregrinaris; hoc siti, hoc esuri, quia ipsa erunt bona Dei: hæc Augustin. Matth. 5. Beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur, ama iustitiam, & eris Templum Dei.

Exaudi nos Deus salutaris noster, spes omnium finium terræ, & in mari longè. De Christo loquitur, quia ipse est Saluator noster, in quem omnes gentes in omnibus finibus existentes terræ, & vltrà mare vbi sonus aduentus eius aduenit, spem suam positam habent. Nullus enim est generis humani Saluator, nisi solus Iesus Christus: Et quomodò dicis ò Dauid sancte, exaudi nos Deus, si solus Christus orat, quomodò dicis exaudi nos, si tu de Christo solo orante intelligis? August. Ille vnus vir, qui assumitur in Templum Dei, & plures sunt, & vnus est: ex vnius persona dixit, exaudi orationem meam, & quia ipse vnus ex pluribus constat, modò ait, exaudi nos Deus Saluator noster: audi illum iam apertius prædicari, exaudi nos Deus salutaris noster, &c.

Exaudi nos Deus salutaris noster, spes omnium finium terræ. Non dixit spes omnium principiorum terræ, sed omnium finium: quis enim se petit exaudiri? qui spem non in terra, sed in finem terræ habet: & quis spem in finem terræ habet? qui omnium terrenorum finium finem expectat, vt finem sine fine inueniat Christum Saluatorem. Finis enim, vt alias diximus est Christus, qui est vita æterna sine fine. Loquitur ergo de pœnitentibus Martyribus, & Confessoribus, qui in hoc deserto mundi diù afflicti existentes

cupiunt

cupiunt dissolui, & esse cum Christo: in quo spes illorum est.

Exaudiri etiam petit pro venientibus ad pœnitentiam, qui in hoc tribulationũ mari longius, & diutius permansuri sunt, qui disciplinam longiorem, & diuturniorem pro nomine Iesu passuri sunt; quorum etiam spes in Christo posita est: Vndè simul existentes, & vnum in Christo corpus facientes, inquiunt, Exaudi nos Deus salutaris noster, qui terrena propter te reliquimus, qui propter te longiora, & grauiora tormenta passuri sumus, vt omnium nostrum sit in finem, in te Christum spes. In mare, inquit, desertum est enim existentium in hoc sæculo Saluatorem expectantium, in hac lacrymarum valle pœnitentium, & disciplinatorum, languentium propter pœnitentiam, Iosue cap. 12. num. 3. & vsque ad mare deserti, quod est mare salsissimum: ideò mare salsissimum, quia per pœnitentiam homo deserit mundum, immò & corpus proprium, dum ipsum flagellis subijcit, hinc Paul. ad Roman. cap. 7. num. 24. Quis liberabit me de corpore mortis huius? & 1. Corinth. 9. n. 27. Castigo corpus meum, & illud in seruitutem redigo, vndè Psalm. 76. n. 20. In mari via tua, & semitæ tuæ in aquis multis. Et ideò gloriatur in tribulationibus, Paul. ad Rom. c. 5. nu. 3. & 2. Corinth. 2. num. 4. nàm, inquit, ex multa tribulatione, & angustia cordis per multas lacrymas scripsi vobis; vt sciatis, quam charitatem habeam, & abundantius in vobis. Et in alio loco vt supra, c. 7. nu. 5. 2. Corinth. Nullam, inquit, requiem habuit caro nostra, sed omnem tribulationem passi sumus, foris pugnæ, intus timores, &c. sed quid mirum ò Paule? nàm accinctus eras potentia; idest plenus scilicet eras Spiritu sancto ab illo tibi immisso, de quo dicitur.

Præparans montes in virtute tua, accinctus potentia, qui conturbas profundum maris, sonum fluctuum eius. Ite, & prædicate Euangelium omni creaturæ, Matth. cap. 28. num. 19. nec cogitate quid loquamini, quando ante Præsides fueritis ducti, dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini, Matth. cap. 10. num. 19. Præparat montes, quos humiles, & piscatores inuenit. In virtute sua, non ex illorum virtute, sed ex Iesu Christi virtute, qui accinctus est potentia, nàm illi data est omnis potestas in cælo, & in terra, Matth. d. c. 19. Montes præparat in virtute sua; humiles, ideò montes, vt humiliati intelligant, se exaltandos, Deo esse appropinquantes, qui in altis habitat, & humilia respicit, vt ad se illos trahat. Et ideò montes, quia magis Deo sunt appropinquantes, nàm cogitatio eorum apud altissimum, ideò accipient Regnum decoris, & diadema speciei de manu Domini, Sapien. cap. 4. nu. 16. Ideò montes, quia fortes, & humiles, vt fortia quæque confundant; ideò fortes, quia vicerunt regna, adepti sunt repromissiones, ad Hebr. cap. 11. num. 33.

Præparans montes in virtute tua. Non in illorum virtute, & potentia, & ideò præparati, idest docti in scientia, & in timore Dei, Sapien. 1. vt non in seipsis sint fidentes, sed in Deo, qui suscitat mortuos, 2. Corinth. c. 1. Accinctus potentia præparauit istos montes, in virtute sua, vt & ipsi in infirmitatibus suis virtute perficerentur, nàm virtus in infirmitate perficitur, ideò virtute magna reddant Apostoli testimonium resurrectionis Domini nostri.

Infirmus Iesus Christus, quia suscepit nostram infirmitatem, ergo & infirmos elegit, vt ipse medicus salutis nostræ, & salutis æternæ à nostra infirmitate, sua virtute nos liberaret, ne sempiterna esset infirmitas nostra, August. Tom. 10. de Verbis Domini in Euangelium secundum Matth. Serm. 18. in princ. Præparasti

rasti, ideò montes in virtute tua, nàm humanitas verbi maiestate diuina præcincta est, vt Deitas daret, quod homo non habebat. Quomodò enim intima cordium turbarentur, nisi Diuinitas, qua illi præcincti erant, operetur? nisi profundum maris inirando spiritus Dei, & malum spiritum eijciendo de cordibus peccatorum, in ipsis lumen tenebras expelleret? ad pœnitentiam peccatores profunidè immersos perduceret. Conturbas profundum maris, sonum fluctuum eius ad pœnitentiam, idest sonantes contradictione, & fluctuantes persecutione. vndè August. hic lit. K. & L. Non dixit qui conturbas mare, sed fundum maris: Fundum maris est cor impiorum, ex quo omnes iniquitates procedunt, Matth. 15. n. 18. Fundum conturbauit, vt fundum exhauriret, nàm in malis quibusdam exhausit mare à fundo, & posuit mare desertum, Psal. 65. Qui conuertis mare in aridam; mare enim erant impij, sed credentes terra facti sunt, salsis fluctibus primò steriles, posteà virtute Dei, & iustitiæ fructu fœcundi.

Præparans montes in virtute tua, accinctus potentia, conturbas profundum maris sonum fluctuum eius; Nàm aliàs sine Dei virtute, nisi illius potentia iusti essent accincti, quis flagellis, persecutionibus, & impiorum Regum mortibus, & casibus resistere posset? sonus maris profundi, & fluctuum eius ipse est, qui virtute sua accinxit illos potentia, & sonum fluctuum mitigat.

Turbabuntur gentes, & timebunt, qui habitant terminos à signis tuis; exitus matutini, & vespere delectabis. Turbati sunt omnes qui videbant eos, & timuit omnis homo, Psal. 63. n. 9. Per signa, quæ facient Apostoli, & fideles Christi, turbabuntur gentes, & timebunt, qui habitant terminos terræ: à Petro, & Ioanne, qui ex vtero matris suæ baiulabatur, petebat eleemosynam; respice in nos, dixerunt Apostoli, cui Petrus dixit, argentum & aurum non est mihi; quod habeo, hoc tibi do. Accinctus erat potentia, quod habeo, inquit, vide, quid habeat; In nomine Iesu Christi, inquit, surge, & ambula, & apprehensa eius manu dextera, alleuauit eum, & protinus consolidatæ sunt bases eius, & plantæ, & exiliens stetit, & ambulabat, & intrauit cum illis in Templum ambulans, & exiliens, & omnis populus stupore impletus est, Act. 3. n. 1. cum sequen.

Et vt Apostolorum mirabilia facta omittamus, quæ de mortuorum resurrectione leguntur, & de multitudine eorum prædicationibus ad fidem conuersa, quæ per te legere poteris. De Stanislao Episcopo quid dicemus, cum mortuum à triennio secum ad testificãdum viuum adduceret coram Rege stupore, & alijs attonitis; & de Gregorio Taumaturgo, cuius iussus montem alio loco oratione transtulit, & lycum fluuium perniciosè agros innundantem, defixo ad ripam, quo sustentabatur baculo, qui statim virentem creuit in arborem, coercuit, vt posteà vltra non effluxerit.

Turbabuntur gentes, & timebunt qui habitant terminos. Qui scilicet in finibus terræ habitant, à signis tuis Domine Iesu, nàm surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes euangelizantur, sed qui pauperes? an forsan docti? Piscatores, qui literas nesciunt, & tamen cæterorum nemo audebant se coniungere illis, Act. Apost. 5. n. 13. Turbabuntur gentes, & timebunt, sed eos populos magnificabat, infirmosq. in lectulis, ac grabatis ponebant in plateis, vt vmbra Petri sanaret illos, A signis tuis Domine, qui extrema terræ habitant, timebunt: Sed nonnè in omnem teram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum? qui tamen & nunc infideles sunt, & inimici crucis Christi? quomodò ergo

dele-

delectabis exitus matutini, & vespere? non omnes crediderunt auditui nostro, non omnes obediunt Euangelio, Isai.cap.53.nu.1. Domine quis credidit auditui nostro? & ad Rom.cap.10.num.16. non omnes obediunt Euangelio.

Nobis videtur huic vltimæ versiculi parti benè aptari, quæ in Euangelio, Matth.cap.20.num.1. conduxerat enim Paterfamilias de mane operarios in vineam suam conuentione facta, & alios de sero, qui in foro stabant otiosi: redde, inquit Paterfamilias procuratori suo, redde illis mercedem, incipiens à nouissimis vsque ad primos, & singuli singulos acceperunt denarios: exitus ergo matutini, qui primò conuersi sunt, & vespere, qui ad Dominum in fine conuertentur, delectaberis de vltimis partibus terræ, nàm fiet vnum ouile, & vnus Pastor: delectabitur Dominus de primis, sicut de nouissimis, qui ad Dominum conuersi, salui fient.

Vel aliter dicamus: Exitus matutini, & vespere delectabis. Ad vesperum enim fletus, & ad matutinum lætitia, Psalm.29.num.6. mane videtur lætitia, quando bonis temporalibus es adornatus: Quando arridet tibi pecunia ampla, noli ab illa corrumpi, dicit Augustin. & habebis exitum mane, idest si in pauperes, dum viuis, illam expenderis, illam distribueris: Nàm Deus dedit tibi exitum, ne lucro capiaris. Cum tibi dicit in corde, ego sum diuitiæ tuæ; non attendas, quod mundus promittit, sed quod conditor mundi promittit, Matth. cap.16.num.26. contemnas ergo ex luce Domini mane sæculi, vt non apponas cor in diuitijs. Et ità etiam vesperum contemnas ex passionibus Domini, dicens animæ tuæ: quid mihi amplius facturus est iste, qui passus est pro me Dominus Deus meus, vt teneam iustitiam, non consentiam ad iniquitatem, sæuiat in carne, frangatur muscipula, & volabo ad Dominum, qui mihi ait, Matth.cap.10. Nolite timere eos, qui corpus occidunt, animam verò non possunt occidere, & nihilominus capillus de capite nostro non peribit, Luc.c.21.

Vel aliter dicamus: Delectabitur Dominus exitus mane, infantium scilicet Virginum, & Confessorum, atque Doctorum, & exitus vespere, Martyrum scilicet, & pro amore Dei tribulatorum, & afflictorum, quorum corpora cruciantur in terris, animæ verò exultant in cælis: tunc enim visitat Deus terram, ideò dixit Psalmista.

Visitasti terram, & inebriasti eam, quando Deus tentat illos, & dignos inuenit se, Sapien.3.num.14. & tamquam aurum in fornace probauit illos, Sap. cap.5. in princ.

Exitus vespere, nàm quando natus est Iesus, claritas Dei circumfulsit pastores, & timuerunt timore magno, quibus dixit Angelus, euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, & hoc signum erit vobis, inuenietis Infantem pannis inuolutum in præsepio, &c. ecce qui habitant terminos terræ, quomodò signis turbati sunt, & timuerunt, & omnes, qui audierunt mirati sunt, Luc.cap.2.nu.10. cum sequen. & reuersi sunt pastores glorificantes, & laudantes Deum, &c. Exitus vespere delectaberis, nàm & vespere etiam, idest passione sua Iesus Christus delectatus est, nàm spontè se obtulit, & morte sua, atque passione genus humanum redemit: Exitus mane etiam, quia mane surrexit Dominus, & apparuit Discipulis, & ipsis cernentibus est eleuatus in cælum, quibus prius dedit potestatem peccata dimittendi, & relaxandi, & ligandi, Matth.cap.vltimo, Luc.24.num.51.

Ad veſperum fletus, quia ad veſperum Chriſtus crucifixus; ad mane lætitia, quia gauiſi ſunt diſcipuli viſo Domino.

Viſitaſti terram, quia ſanguine tuo inebriaſti eam, multiplicaſti locupletare eam: nàm quæ prius ſterilis erat, parturiuit, Iſai.cap.54.num.1. Lauda ſterilis, decanta laudem, & hinni, quæ non pariebas, quoniam multi filij deſertæ magis, quàm eius, quæ habet virum. Dilata locum tentorij, & pelles tabernaculorum tuorum extende, & ſemen tuum hæreditabit gentes.

Viſitaſti terram, & inebriaſti eam, quoniam Spiritus ſanctus deſcendit in diſcipulos, & in alios omnes, quotquot erant credentes in Ieſum, Act.Apoſt. cap.2. in princ. Inebriaſti eam, ſtupebantq. omnes, quia linguis ſuis loquebantur Parthi, & Medi, &c. num.7. & num.13. Alij verò irridentes, dicebant, quia muſto pleni ſunt iſti. Non ſicut vos æſtimatis, dicebat illis Petrus, hi ebrij ſunt, cum ſit hora diei tertia, ſed hoc eſt, quod dictum eſt per Ioel. c.2. Effundam de ſpiritu meo ſuper omnem carnem, &c. & Pſalm.22.num.15. & calix tuus inebrians, quàm præclarus eſt. Auguſtin. Miſiſti nubes, pluerunt prædicationem veritatis, inebriata eſt terra, multiplicaſti locupletare eam: ſequitur.

Flumen Dei repletum eſt aquis, paraſti cibum illorum, quoniam ità eſt præparatio eius. Fluuius Dei, ideſt populus Dei, omnes iuſti, qui in perpetuum hæreditabunt terram, Iſai.cap.60.num.21. Paraſti cibum illorum, nàm aqua dabitur ſemini tuo, vbicunque ſeminaueris in terra, & panis frugum terræ erit vberrimus, & pinguis. Paſcetur in poſſeſſione tua in die illo Agnus ſpatioſè, &c. & erunt oculi tui videntes præceptorem tuum, Iſai.cap.30. numer.20. cum ſequen.

Fluuius Dei; Auguſtin. Primus populus repletus eſt, vndè, & cætera terra rigaretur. Audi eum aquam promittentem, Ioan.cap.7. Qui credit in me, flumina aquæ viuæ de ventre eius fluuent. Si flumina, & vnus fluuius, quia propter vnitatem multi vnum ſunt, multæ Eccleſiæ & vna Eccleſia; multi fideles, & vna ſponſa Chriſti; Auguſtin. Paraſti cibum illorum, cum reliquerit carnem ſuam ad manducandum, & ſanguinem ſuum ad bibendum: caro enim mea eſt pro mundi vita, Ioan.cap.6.num.56. & num.48. Paraſti cibum illorum, ideſt panem vitæ, & intellectus ſcripturarum, quoniam ità eſt præparatio eius, Gloſſ. hìc Non quia meruerunt, ſed ità eſt per miſericordiam Dei: paraſti, & donis Spiritus ſancti inebriaſti.

Riuos eius inebria, multiplica genimina eius, in ſtillicidijs eius lætabitur germinans. Notandum videtur hìc multa recenſeri genera locorum, in quibus aquæ defluunt, flumen, riui, genimina, ſtillicidia: de flumine fluunt reliquæ aquæ in riuos, ex quibus genimina, ſeù aliæ aquarum difluentium generationes, ſiuè ſecundum locorum diuerſitates, ex flumine tamen deriuantes omnes ſunt quaſi ſtillicidia ſtillantia, ex quibus delectabitur germinans.

Quid ergo per flumen, niſi filij Dei per gratiam, & miſericordiam, quæ pleno fluuio comparatur, repletum eſt aquis, ideſt repletum eſt refectione ſingulorum fluuium, aqua impleuit, ex qua qui biberit, non ſitiet amplius, Iſai. cap.4.num.19. quæ præparata tunc eſt, & in credentes diſtributa, quando in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti baptizati ſunt, & ſalui facti, ciuitatem Dei replent; tuncq. impetus dicti fluminis lætificat ciuitatem Dei.

Ex huius fluuij aqua misericordiæ, quæ à Iesu Christo procedit, quævè ex eiusdem passione, & morte processit primò in Discipulos, qui ideò riui dici possunt inebriati, quando in die Pentecostes erant omnes pariter in eodem loco, & factus de Cælo sonus repentè tamquam aduenientis spiritus vehementis, repleuit totam domum, vbi erant sedentes, & apparuerunt illis dispertitæ linguæ tamquam ignis, seditq. supra singulos eorum, & repleti sunt omnes Spiritu sancto, &c. Act.cap.2. in princ. Vndè ad Roman.cap.1.num.5. Per quem dicitur, idest per Iesum Christum accepimus gratiam, & Apostolatum ad obediendum fidei in omnibus Gentibus, &c.

Riuos eius inebria, sulcos dicit Augustin. Fiant sulci, qui inebrientur, duritia pectoris nostri aperiatur vomere sermonis Dei, inebriati ergo sunt riui, quia repleti Spiritu sancto loquentes verba Dei: Virorum, atque mulierum multitudinem ad Dominum conuertebant, & ad gentes missis dictum, surge Petre, occide, & manduca, Act. Apostol. cap.10. Non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente, qui timet eum, & operatur iustitiam acceptus est illi, num.35. Quocircà Isai. cap.49. numer.6. Posui, inquit, te in lucem gentium, vt sis in salutem vsque ad extremum terræ. Multiplica genimina. Nàm audientes gentes gauisæ sunt, & glorificabant Verbum Domini, & crediderunt, quotquot prædestinati erant ad vitam æternam; multiplicantur genimina, quia disseminabatur verbum Domini per vniuersam regionem, Act. Apostol. cap.13. num.48. & 49. Multiplica genimina, generationes scilicet eius, vt ex credentibus alij credant. Semina pauca primo missa sunt grani, & segetes exortæ sunt in multitudine, generatio in generationem semen mittat. Et erit verbum Domini in generationem, & generationem vsque in sempiternum, vt memoriale Domini sit in generatione, & generationem, Exod. cap.3. nu.15. Et annuncietur Domino generatio ventura, populo, qui nascetur, quem fecit Dominus, Psalm.21. num.32. Quia cogitationes cordis eius in generatione, & generationem, Psalm.32. num.11. vt ex riuis inebriatis multiplicentur genimina, qui laudem Domini annuncient, Psalm.78. num.13. Nos autem populus tuus, & oues pascuæ tuæ confitebimur tibi in sæculum; in generationem, & generationem annunciabimus laudem tuam. Non quòd tanto tempore prima generatio viuere debeat, sed vt dicit Ioel cap.1. num.3. filijs vestris narrate, & filij vestri filijs suis, & filijs eorum generationi alteræ; multiplicantur ità genimina, & in stillicidijs eius lætabitur germinans.

Sed si est fluuius in flumine, quomodò de stillicidijs cadet aqua? sed attende, quod in Psalm.71. num.6. dicitur: Descendet sicut pluuia in vellus, de Cælo venit sicut aqua fluens gratia in hominem, & ità sicut stillicidia stillantia super terram; Ideò dicit flumen Dei repletum est aquis; cum ergo exortum fuerit semen, & germinauerit, lætabitur antequam sit fortè idonea capacitatis fluminis: Paruulis enim, & adhùc infirmis stillantur quædam de Sacramentis, quia non possunt capere plenitudinem veritatis. Audi quomodò stillat paruulis, dum exoriuntur, idest in recenti ortu, minus capacibus Apostolus dicit 1. Corinth. cap.3. numer.1. Non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus, quasi paruulis in Christo. Cum dicit paruulos in Christo, iàm dicit exortos, sed nondum idoneos ad capiendam illam vberem sapientiam, de qua dicit, Sapientiam loquimur inter perfectos, 1. Corinth. 2. nu.6.

Læte-

Lætetur ergo in stillicidijs suis, cùm exorietur, augeatur, & roboretur, & capiet sapientiam, sicut infans lacte nutritur, & fit cibo idoneus, Vndè Apostol. 1. Corinth. cap. 3. num. 2. Lac vobis potum dedi non escam. Eia ergo paruuli, & vitam æternam desiderantes, omnem malitiam deponentes, & omnem dolum, & simulationes, & inuidias, & omnes detractiones; sicut modò geniti infantes, rationabiles, sine dolo lac concupiscite, vt in eo crescatis in salutem; gustate, quia dulcis est Dominus, 1. Petr. cap. 2. num. 1. In mansuetudine sine malitia suscipite verbum insitum, quod potest saluare animas vestras, Iacob. cap. 1. num. 21.

Riuos eius inebriauit, nàm sapientiam inter Apostolos, & Discipulos inter perfectos locutus est, & nobis paruulis cibum sumere non valentibus lac nobis in potum dedit, propterea dixit illis. Quibus remiseritis peccata remittentur eis, & quibus retinueritis retenta erunt, Ioan. cap. 20. num. 23. Iàm hominis nequitiæ recordatur, vt Dei misericordia probetur, dicit Augustin. A quo patiebatur Christus, patitur pro Christo, fit Paulus ex Saulo, quia misericordiam est consecutus, non est, inquit, hoc à me, sed misericordiam consecutus sum. Cum Paulo & nos paruuli lac concupiscentes dicamus; Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Psalm. 115. num. 12. Non reddamus mala pro malis, sed bona pro malis, Dominus enim noster Iesus Christus, appropinquante eius passione, retribuit nobis bona pro malis. Retribuendo bona pro malis inuenit, quomodò retribueret bona pro bonis. Si ergo bona requirimus, lac concupiscentes, & nos boni efficiamur, Augustin. Tom. 10. homil. 14. litera D. fol. 147. Si tribulamur, à Domino tribulamur, quia sic corrigendo amat nos, lac potum nobis dat, vt discamus in tentationibus fortes esse pro Christi nomine, Sap. cap. 3. Vt computemur nos etiam inter Sanctos suos, vt in stillicidijs germinantes & nos cum illis lætemur; istius fluminis riui facti sumus, hoc est Iesu Christi Sacramento corporis, & sanguinis eius, quibus viuimus, potando etiam inebriemur, ecce enim dicit Psalm. 22. numer. 5. calix meus inebrians, quàm præclarus est? Absorbeatur mens nostra deuota à potationis gratia huius sanguinis. Inebriemur torrente voluptatis Domini, vt & eis torrente voluptatis suæ potet & nos fideles, Psalm. 35. Ideò calix præclarus, quia illuminat, non vt potum vini inebrians, qui intellectum obscurat, Vndè Ambros. de Sacram. lib. 4. cap. 3. quod refertur etiam in libro Decretalium de Consecrat. dist. 2. cap. 24. incipit in Calicem: Quotiescunque bibis, remissionem peccatorum accipis, & inebriaris Spiritu sancto. Genimina enim nos sumus, & semen Apostolorum, illorumq. generatio, ipsi riui iàm inebriati sunt gratia eius; dabis etiam nobis à riuis productis, & generatis, vt & nos gratia tua inebriati, transeuntes per hæc temporalia deserta, transire valeamus ad cælestem illam Ierusalem, vt lætantes in stillicidijs fluuij gratiæ tuæ, & germinantes tecum lætemur in sæcula sæculorum. Lætabitur etiam Ecclesia tua Domine, quæ super nos rudes, guttas eloquij tui stillauit, Iob 29. num. 22. & tunc.

Benedices coronæ anni benignitatis tuæ, & campi tui replebuntur vbertate. Peccauimus enim nos, & Patres nostri peccauerunt, capitis nostri corona cecidit, Thren. cap. 5. num. 26. apparuit benignitas tua, quando tu venisti Domine, Psalm. 84. dans benignitatem, & terra nostra dabit fructum suum. Benedixisti coronæ anni benignitatis tuæ, quando tempus fuit acceptabile, quando

venit

venit hora illius diei, & anni, quo tu coronatus spinea corona apparuisti ductus ab iniquis, vt ab infidelibus Iudæis coronatus appareres ex benignitate tua, vt illos, & omnes nos in te credere volentes redimeres, & corona gloriæ coronareris, Ecce enim, dixit ille iniquus Iudex Pilatus, Rex vester, ecce homo, Ioan.cap.19.num.5. Benedices, vt bona pro maleficio dares in illo anno redemptionis ex benignitate tua; oblatus es enim, quia voluisti, Isai.d.cap.53. & Tunc campi tui repleti sunt vbertate, nàm credentium infinitus fuit numerus, & multitudo, Act. Apostol.cap.4.num.5.

Pinguescent speciosa deserti. Conuersi enim Discipuli ad gentes, quæ libenter Verbum tuum suscipientes, pingues facti sunt, Isai.cap.51.num.3. Ponam desertum quasi delicias, & solitudinem eius quasi hortum Domini. Nàm terra illorum, quæ erat deserta, & sterilis, facta est læta, quia parturijt, quoniam multi filij desertæ magis, quàm eius, quæ habet virum, dicit Dominus. Tentorij sui locum dilatauit, & pelles Tabernaculorum suorum extendit, longos fecit funiculos suos, Isai.cap.54.nu.1. & sequen. in omnem enim terram exiuit sonus diuini Verbi, & in fines orbis terræ verba fidelium tuorum, Psalm. 18. num.5. Ideò colles exultatione accingentur, quia delectabitur deserta, & inuia, & exultabit solitudo, & florebit quasi lilium, Isai.cap.51.

Et colles exultatione accingentur, Act. Apostol.cap.13. in fine, Replebuntur Discipuli gaudio, & Spiritu sancto, colles enim sunt; & quia gentes susceperunt Verbum, exultatione accincti sunt, quia fortes vicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones, ad Hebr.cap.11.numer.33. Et illis tradidit Deus omnia regna mundi, & claues Regni Cælorum, vt iustis illud aperirent ingredientibus, cæteris verò clauderent.

Induti sunt arietes ouium, & valles abundabunt frumento, clamabunt, etenim hymnum dicent. Induti sunt Apostoli pastores ouium, quia duces facti sunt animarum sanctarum in Paradiso introeuntium, gaudent de fructibus suis, & ideò induti sunt exultatione; quia valles, idest humiles abundauerunt frumento, nàm gratia Dei in cordibus eorum diffusa est: ideò clamantes hymnum gloriæ Deo dicent. Ab Ecclesia Psalmus iste in exequijs defunctorum decantatur, & dum ego illius incumbo expositioni, Ecce nuncium venit, quòd soror mea solum me reliquit in hoc deserto. Quia diligebam, illam lacrymatus sum ad Christi mei imitationem, qui super defunctum, quem amabat, lacrymatus est Lazarum, at in anxietate ipsa mea Deum benedicens, Psalmum istum, & Saluatori Iesu Christo decanto, vt eidem Lucretiæ sorori meæ requiem concedens, pacem in Cælo donare dignetur perpetuam, meque illius faciat quietis consortem, qui me correctum, ad mei emendationem vitam in hoc deserto protrahere decreuit diuturniorem, ad Hebr.12.num.6.

SOLILOQVIVM.

TE decet ergo hymnus Deus in Sion, quia extrà illam non est laudatio, vt tibi reddatur votum in Ierusalem, votum quia Redemptor es, & laus tibi reddetur, quia tu solus Deus, tu solus Dominus, nec alius præter te laudandus. Audiant omnes, & agnoscant te Domine, vt omnis caro salua per te

veniat

veniat ad te. Philosophorum dogmata, & gentilium, quæ iàm super nos præualuerant, nunc procul sint à nobis, cum tu Domine Iesu impietatibus nostris propitiaueris. Tu enim per Crucem, & passionem tuam nos Deo Patri reconciliasti. O beatum illum, quem tu assumpseris, & elegeris, in atrijs sanè tuis inhabitabit, beatum ideò dixi, quia licet multi vocati, pauci tamen sunt electi. Replebimur, qui electi erimus bonis domus tuæ, in qua sunt vera bonorum, & gratiarum dona. Ibi enim sanctum est Templum tuum, mirabile in æquitate, in quo plenitudo diuinitatis inhabitat, quia quod in te natum est sanctum, ò Virgo Maria, filius Dei est; qui nobis dedit nosse mysteria regni Dei. Iàm ergo Domine venisti, exaudi me, vt per te merear saluari: qui & omnium es spes finium terræ, & in mari longe. Tu accinctus potentia præparasti montes in virtute tua, istos enim montes, Diabolum scilicet, & illius Principes Gentiles, & Ministros foras per passionem tuam eiecisti, & profundum maris inferni, fluctuumq. eius sonum mitigasti, vbi solum tribulationes, & væ. Attollite portas, dixisti, Principes vestras, vt Rex gloriæ ingrediatur, quia ipse Dominus fortis, & potens in prælio, Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ. Mitigasti sonum fluctuum eius, nàm in te non habet quidquam, neque vincere amplius potest quemquam, nisi ad illum accedentem, & volentem. Debilis factus est hostis, quia tu fluctuum eius sonum mitigasti. Turbantur iniqui, qui ex Diabolo sunt, quia Sanctis tuis verbum tuum euangelizantibus præualere minimè potuerunt, & Crux tua, quæ Gentibus prius stultitia erat, timorem illis incutit.

In hymnis verò, & laudibus tu Domine, quæ tibi à fidelibus decantantur, die, ac nocte delectaberis; hymni siquidem apud te per Sanctos, & Martyres pro tui confessione in tribulationibus cantantur, & tametsi propterea dicatur ad vesperum fletus, attamen ad matutinum est lætitia, quia in lucem, quam tu inhabitas, per tribulationes Sancti ipsi perueniunt, venientes ad te, qui es vera lux: qui terram vincens illam, Spiritu sancto in fideles misso, inebriasti, seruosq. tuos Prædicatores multiplicasti, vt eamdem locupletares diuersarum opibus gratiarum.

Flumen Dei repletum est aquis, quia qui in te crediderit, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Iàm fluminis tui facti sumus participes, iàm aqua Baptismi per Sacramentalem ablutionem repleti sumus; locupletemur Domine Iesu infusionis imbre Spiritus sancti, vt & donis spiritualibus impleamur: Parasti cibum nobis in communione sanguinis, & corporis tui, fac digne eum sumamus, vt mortis iudicium effugiamus Riuos inebria Ecclesiæ, vt quæ prius in stillicidijs germinans lætabatur, nunc multiplicatis in toto orbe terrarum fidelibus riui fiant, ex flumine tuo manantes, terram vniuersam aquis irrigantes sapientiæ. Tunc campi replebuntur vbertate, quia tu illos benedices corona anni benignitatis tuæ, qua Sanctos præmijs, & temetipsum eorum agminibus coronaberis corona auri, expressa signo sanctitatis, gloriæ, honoris, & ope tuæ fortitudinis. Et Ecclesia ipsa sanguine Martyrum irrigata pinguescet, Martyresq. exultatione exultabunt. Ex qua pinguedine ouium arietes pastores, & Prophetæ, atque Apostoli translati de morte ad vitam dulcedine perpetua pulchritudinis tuæ sunt induti; oues verò in humilitate permanentes abundabunt frumento, & fructibus æternæ vitæ alentur, & clamabũt, dicen-

dicentes hymnum tibi Deo nostro. Quorum meritis te rogamus Dominum, vt liberati à peccatis, iustitiam illorum sequentes, humilibus saltem frequentemus obsequijs. Adiuua nos Templum Domini sanctum Virgo Maria gratia plena, vt stillicidijs riuorum ex flumine aquarum multarum tuarum repleti, mereamur lucis perpetuæ tamquam oues arietum beatitudine perfrui. Et tu Agnetis Virginis, & Martyris collactanea Emerentiana, quæ in orationis actu meruisti sanguine tuo baptizari, & inter sanctas Virgines, & Martyres numerari, intercede pro nobis, vt ope meritorum tuorum adiuit mereamur diem vltionis euadere, & fructibus hìc bonorum operum abundare, Amen. Deo gratias.

IN PSALMVM LXV.

Iubilate Deo omnis terra, psalmum dicite nomini eius: date gloriam laudi eius.



TITVLVS. In finem, Canticum Psalmi Resurrectionis.

In Psalmo præcedenti monebantur iusti, vt dum in hac vita existerent, læti in Sion hymnum dicerent; libenter in hoc deserto pro Dei gloria tribulationes patientes, quibus Deus iniquitatibus nostris propitietur, & ne spem in terrenis haberent, pro vt Iudæi, qui sibi ex legis iustitia bona temporalia, & resurrectionem sperabant beatæ vitæ, in qua non alia existimabant esse bona, quam terrena ista. Quod ab ipsismet manifestatum est per eam quæstionem, quam Christo Domino proposuerunt in Euangelio, Matth.cap.22.num.23. & Luc.20.num.28. de muliere, quæ septem viros habuerat, cuius nàm in alia vita vxor esset. Idcircò benè, & consequenter in hoc Psalmo 65. de ipsa agitur resurrectione, quomodò scilicet sit nostra resurrectio, & cuius sit resurrectio, ad nostram consolationem, & Saducæorum, & infidelium confusionem. Sicut ex solutione propositæ quæstionis apparet, quæ sit spes nostræ resurrectionis. Erratis, inquit Iesus, illam proponentibus, &c. nescientes Scripturas, neque virtutem Dei. In resurrectione enim, neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei in Cælo: non est Deus morientium, sed viuentium.

Iubilate ergo, dicit Psalmista, psalmum dicite, &c. quia non amplius in resurrectione erimus simpliciter homines, sed erimus sicut Angeli Dei; ibi non erit necessaria successio, ibi non erunt decessores, nec successores quærentur.

Cum ergo in præcedenti Psalmo actum esset de seruientibus Domino in hoc deserto, consequens erat, vt in hoc illum subsequenti ageretur de præmio, quod consecuturi sunt fideles post has tribulationes. Quæ vera maior felicitas, quàm in resurrectione Angelis æquipararis?

Summa huius Psalmi. Gratiarum actio iusti pro beneficijs Dei, felicitatem perpetuam post finitas has tribulationes in resurrectione fidelibus tribuentis.

Titulus huius Psalmi est; In finem, Canticum Psalmi resurrectionis. Quatuor sunt verba, & omnia in se habent diuina mysteria. In finem, vt aliàs diximus, in Christum scilicet, qui est finis legis ad iustitiam omni credenti, ad

Roman.cap.11. Vel in finem dicamus, post finitas tribulationes huius sæculi, post tenebras enim lucem speramus. In die scilicet resurrectionis nostræ, surrexit enim caput nostrum, & nos membra eius resurgemus, quod, vt infrà dicemus, ante prophetatum fuerat. Canticum Psalmi dicit in finē, in Christum.

In hunc finem, & nos cantemus Psalmum resurrectionis, quia in carne, & anima cum ipso capite resurgemus: exaltare super Cælos Deus, dixit Propheta ante tot annos, hoc modò videmus nos, & ideò cantemus & nos dicentes, exaltare super Cælos Deus, & super omnem terram gloria tua, itàvt per omnia terram despicientes, & omnia, quæ in ea sunt, gloriam tuam solum quærentes, ad cælestia respiciamus.

Titulus ergo in finem Canticum Psalmi resurrectionis, vt in Christum spes nostra, diuina solum cantantes cum ipso, & nos resurgamus, vt ad locum nostrum reuertamur, Ose. cap.5.nu.15. ibi, Vadens reuertar ad locum meum; & cap.6.num.3. viuificabit nos post duos dies, in die tertia suscitabit nos, & viuemus in conspectu eius, sciemus, sequemurq. vt cognoscamus Dominum. Tu ergo Domine miserere nostri, & resuscita nos, Psalm.40.nu.11. quia sciemus te, & te sequi volumus, opera tua imitantes:

In finem ergo Canticum Psalmi, quod Canticum? Nisi omnium mirabilium narratio. Quis verò Psalmus, nisi laudatio in nomine sancto eius? Vndè Psalm.104. numer.1. & 2. Annunciate inter gentes opera eius, cantate ei, & psallite ei, narrate omnia mirabilia eius, laudamini in nomine sancto eius, hos enim versiculos duos, Augustin. iungit ibidem litera C. dicens, Vt quod ait, narrate omnia mirabilia eius, referatur ad id, quod dictum est, cantate ei. Quod verò sequitur, Laudamini in nomine sancto eius, referatur ad id, quod dictum est, psallite ei: illud scilicet ad verbum bonum, quo cantatur ei, & narrantur omnia mirabilia eius; illud verò ad opus bonum, quo psallitur ei, ne velit quisquam de opere bono tamquam in sua virtute gloriari.

Erit ergo illius Tituli sensus, vt in illo, qui fecit Cælum, & terram, & mirabilia solus; sit Canticum nostrum, & laus ex ore nostro sit Psalmus, in finem in Christum, & in resurrectionem, propterea quòd ideò is venit, ideò carnem nostram assumpsit, ideò passus, & mortuus est, vt resurrexit, vt nos per illum resurrecturos, speremus, & fideliter credamus, atque confiteamur. Ore ergo cantemus mirabilia Dei in Psalmo, bonum manibus nostris operantes; Dominus enim, quem laudantem inuenit, exaudit inuocantem: laudantem inuenit, quem probat amantem. Canticum nostrum sit operum eius narratio inter gentes, & gloria nostra in Psalmis eius, & in Domino gloriemur, dicentes, illasq. nobiscum excitantes, Iubilate Deo omnis terra, psalmum dicite nomini eius, date gloriam laudi eius. Tria hæc iuncta requirit, iubilare in Domino, psalmum dicere nomini eius, dare gloriam laudi eius.

Sed si in peccato persistis ò peccator, quomodò Deo iubilabis? & tu hæretice si extra Ecclesiam permanes, quomodò Psalmum Deo dices? quomodò Psalterium decem chordarum cantabis? si nec tangere illum curabis? & iterum quomodò gloriam Deo dabis, si illum malè operando negas? commoueatur terra tua à peccatis, & conturbetur per pœnitentiam, Psalm.45.nu.6. tunc in finem respiciens, in Christum scilicet, vocem Ecclesiæ audiens, cum illa psallendo dicere poteris Canticum in resurrectionem, & gratias Deo agēdo glo-

gloriam ipsi dare, qui te ad fidem suam conuertit; qui te peccatorem ad pœnitentiam vocauit, qui te in resurrectione saluabit.

Iubilate ergo Deo omnis terra, omnes, qui ad Dominum conuersi estis, & per bona opera Psalterium tangendo, in fide permansistis, date gloriam Deo, quia ab illo salutem habuistis, quia Pater vos ad illam traxit, dicit enim, Nemo venit ad me, nisi Pater meus traxerit illum, Ioan. cap. 6. numer. 44. Ne ergo conuersus glorieris, dicens cum Pharisæo illo; Non sum sicut cæteri hominum, sed dans gloriam Deo, stansq; retrò, non ante; stans humilis, non superbus; mitis, non elatus; timidus, non gloriosus, cum Publicano dicas, Domine parce mihi peccatori propter magnam misericordiam tuam, Luc. cap. 18. num. 10. Erant ambo in Templo, vnius tamen erat cum Deo iubilatio; psallebat ille, qui oculos suos ad Cælum eleuare non audens, percutiebat pectus, dabat gloriam Deo, qui se peccatorem confitebatur & Publicanum, propter quem venit Deus; vt eum saluaret; alter verò gloriam suam quærebat, qui à seipso saluari posse credebat.

Iubilate ergo Deo ex intimis cordis vestri, omnes, qui terra fuistis, nunc ad Dominum conuersi, nunc ex peccatoribus fideles, & iusti, & cum Petro confiteamini, quòd ipse est Christus filius Dei viui, non quòd caro, & sanguis id reuelauit nobis; sed quia Verbum Domini in cordibus nostris recipientes, Templum Spiritus sancti facti erimus; Si autem Deo ex corde iubilemus, si psallendo benè operabimur, si à Deo hoc factum esse confitebimur, gloriam & nomini eius dabimus, qui saluos nos fecit, qui ideò Iesus, idest Saluator vocatur, cuius & nomini gloriam ideò damus, quia ipse peccata nostra tulit, & dolores nostros ipse portauit, & liuore eius sanati sumus, Isai. cap. 53. num. 4.

Iubilate Deo omnis terra. Totum requirit à te; omnis enim terra dicit, Non enim sufficit, quòd sis in Ecclesia, nisi seruaueris omnia præcepta, nisi iubilando Deo psallas & in Cithara, non enim diuisus est Christus, totum se pro te dedit, vt totum à te recipiat. Quid dicis hæretice, quid agis peccator, nunquid firmans pedem tuum in terra, Cælum ascendere poteris? nunquid cæcus, & claudus gloriam Dei videre poteris? Scinde velum ab oculis tuis, noli in duas partes claudicare, sine macula requirit animam tuam Deus, Vndè Leuit. cap. 22. num. 21. Homo, qui obtulerit Victimam pacificorum Domino, vel votum soluens, vel spontè offerens, omnis macula non erit in illo; & Deuteron. cap. 15. numer. 21. Nàm si habuerit maculam, vel claudum fuerit, vel cæcum, aut in aliqua parte deforme, vel debile, non immolabitur Domino Deo tuo, sed intrà portas Vrbis tuæ comedes illud; Et quid aliud est intrà portam Vrbis comedere illud, nisi intrà Ecclesiam ostendere se Sacerdoti, & iniuncta sibi pœnitentia delere illud? comedunt enim & illi peccata populorum. Ostendas ergo te Sacerdoti, si seruus emptitius es, si sanguine Christi redemptus es, qui prius captiuus eras, ad Rom. 6. nu. 20. Hæc est enim religio Phase, & circumcidaris prius antequam comedas, si cupis de morte ad vitam transire, Phase enim transitus est, Exod. cap. 12. numer. 44. Alienigena enim non comedet ex eo. Quid autem est circumcidere prius, nisi peccata commissa, præcedente absolutione sacramentali plangere; & per contritionem præcedentem, & attritionem illa minutatim trucidare, conterere. Non comedit alie-

alienigena, quia ipse est longè à salute, non respicit in finem, & propterea non est illi Canticum Psalmi in resurrectionem.

Iubilate ergo iusti in Domino, quia vos elegit Deus in sortē suam; plangite infideles, & Iudæi, & multò magis vos hæretici, qui etsi in Ecclesia collecti, ab illa tamen diuisi estis; quia cum erraueritis à via, in puteos interitus incidistis; in inferno positi, in æternum permanebitis.

Augustin. Iubilate, inquit, Deo omnis terra. Quid est iubilate? In vocem eius erumpite gaudiorum, si non potestis verborum, non enim verbis iubilatur, sed solus gaudentium sonitus redditur, quasi parturientis, & patientis cordis lætitiam, in vocem rei conceptæ, quæ verbis explicari non possit. Vos verò hæretici, & infideles Iudæi vlulate, quia veniet vobis dies illa amara valdè calamitatis, & miseriæ, Sophon. 1. n. 15. Iunge te toti, Ecclesiæ Cœtui Iudæe infidelis, relinque partem, amplectere totum, quia, qui in vno reus, factus est omnium reus, D. Iacob. c. 2. nu. 10. propterea dicebat Dauid, Psalm. 102. Benedic anima mea Domino, & omnia interiora mea nomen sanctum eius, Vndè D. Hieron. in Isai. cap. 16. vers. 12. lit. E. inquit, Quomodò Cithara non emittit vocalem sonum, atque compositum, si saltem vna chorda rupta fuerit, sic spiritualis venter Prophetæ, si vna in eo virtutum chorda defuerit, non poterit melos dulcè resonare; nec ad latericium murum cunctis clamare visceribus. Vocibus ergo, & pulsu manuum in Cithara, seù Psalterio concordemus, vt iubilando ex corde Deus nos audiat, & opera bona faciendo videntes, & audientes glorificent nomen Domini, Matth. 5. nu. 16. Ideò dixit, glorificent Deum, non te facientem, ne tibi dicatur, Recepisti mercedē tuam, & à Deo illam amplius non recipias, Matth. 6. nu. 7. In finem sit ergo iubilatio nostra; in finem sit operatio, vt gloria non nobis, sed Deo dicatur, illi psallamus, illi benè viuamus, illum benedicendo, qui propitiatur omnibus iniquitatibus nostris, qui redemit de interitu vitā nostram, qui coronat nos in misericordia, & miseratione, Psalm. 101.

Nos psallamus, ille laudetur, nos benè viuamus, ille glorificetur, vndè Apost. 1. Corinth. 1. num. 28. Vt non glorietur omnis caro in conspectu eius; sed qui gloriatur, in Domino glorietur, & in alio loco, Non enim qui seipsum commendat: ille probatus est, sed quem Deus cōmendat, 2. Corinth. 10. n. 18. sit ergo illi soli gloria, qui te infirmum elegit, vt habeas fidem, & opera, si enim accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? 1. Corinth. 4. nu. 7. quid gloriaris, quia diues, quia Orator, quia Imperator es? non in hoc glorieris, sed in eo, qui infirma huius mundi elegit, vt fortia quæque confunderet. Elegit Petrum Piscatorem, & ecce Imperatorem deposito diademate ad pedes eius plorantem. Augustin. Elegit ergo Dominus posteà & Oratores, sed illi superbirent, nisi prius eligeret Piscatores, elegit diuites, sed dicerent merito diuitiarum suarum se electos esse, nisi primò elegisset pauperes; elegit Imperatores posteà, sed melius est, cum Romam venerit Imperator, deposito diademate deploret ad memoriam Piscatoris, quam vt Piscator ploret ad memoriam Imperatoris, hæc Augustin. Non glorietur ergo, dicit Apostolus, omnis caro, gloria enim, & diuitiæ solum in domo Domini, Psalm. 111. num. 3.

Augustin. Videte, inquit, quemadmodum nobis abstulit gloriam, vt daret gloriam; abstulit nostram, vt daret suam; abstulit inanem, vt daret plenam, ad Galat. cap. 5. num. 26. ad Philippens. cap. 2. num. 3. abstulit nutantem,

vt daret solidam.. Tanto ergo gloria nostra fortior, & firmior, quia in Deo. Non ergo in te debes gloriari, quod prohibuit veritas, qui gloriatur, in Domino glorietur, cum Apostolo ergo in infirmitatibus nostris gloriemur, vt inhabitet in nobis virtus Christi. 2. Corinth. 12. num. 30. si patientes pro amore Dei illas sustineamus, ad Roman. 5. num. 3.

Date gloriam laudi eius. Dicite Deo, quàm terribilia sunt opera tua Domine, in multitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui. Quàm terribilia sunt opera tua Domine; quia hodie filium tuum misisti, & super gentes, & regna illum constituisti, vt euellat, & destruat, & disperdat, & dissipet, ædificet, & plantet, Ierem. 1. num. 10. Ideò namque dixit Iesus se venisse, Non veni pacem mittere, sed gladium in terra; veni enim separare hominem aduersus Patrem suum, & filiam aduersus matrem suam, Matth. 10. num. 34. Qui inuenit animam suam, perdet eam, &c. num. 38. Terribilia sunt opera tua Domine; durus est sermo, quem dicis.

In multitudine virtutis tuæ mentieatur tibi inimici tui. Nàm multi ex discipulis tuis abierunt retrò, & tecum non ambulauerunt, cum multitudinem virtutis tuæ exhiberes, dicens, Nisi quis manducauerit carnem meam, &c. Ioan. 6. num. 55. & 69. in multitudine virtutis tuæ, quia ideò venisti, & nobis teipsum manducandum tradidisti, vt nos viuificares manducando, sanares credendo, redimeres operando.

Dicite Deo, quàm terribilia sunt opera tua Domine, tu Deus es, & carnem nostram sumere voluisti, vt hominem redimeres, quem tu plantaueras, quem tu disperdere poteras. Quis enim tibi imputasset, si omnes nationes, quas fecisti, perdidisses, exhorruisses, morti illas tradidisses? Sap. 12. num. 12. Quæ te coegit pietas, vt tu, qui mori voluisti, nos à morte liberares? Terribilia opera tua Domine, in multitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui. Quis inimicus tuus, nisi peccator, hæreticus, & infidelis. Multitudo virtutis tuæ magna; nàm etsi mentiantur peccantes, & negent te, Scripturas sanctas adulterantes; si recedant tamen ab iniquitatibus suis, tu illis propitiaberis, qui in fine mundi Iudex eris sæculi, & apparebis contrà mendaces; veracibus quidem dices, Venite benedicti Patris mei, &c. hæreticis verò infidelibus, & Iudæis, qui in mendacijs suis obierint, ad sinistram positis, dices; Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est vobis. Ex tunc in ira tua loqueris, Psal. 2. num. 5. sic in ira Domini absorbebit eos infernus, Psalm. 57. nu. 10. Quàm terribilia opera tua Domine, tu enim terribilis es, & quis resistet tibi? Ex tunc ira tua, quando iudicabis, & exurges in iudicium. Terribilia, inquit, opera tua, ergo de operibus iàm factis intelligit ad distinctionem sequentium verborum, ibi, In multitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui: in Christo ergo fuerunt opera, quæ ex multitudine virtutis suæ oriebantur.

Quamuis enim tanta adhùc sit filij Dei potentia virtutis, vt millia millium mundorum facere is posset: nihilominus terribilia magis sunt, quæ fecit, quòd Deus ex Virgine nascens homo factus sit, vt pati voluerit, & crucifigi, & mori pro nobis. Et quæ nàm gens post aduentum filij Dei habet Deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest nobis? Deuter. 4. num. 2. qui dignatus est & cum hominibus conuersari, Baruch cap. 3. numer. 38.

Terribilia opera tua, vt quod totus non capit orbis ventris sub aula clau-

clausus sit, in Virginis clausula factus homo? Sanctum, & terribile est nomen Iesus, qui habet vitam in semetipso sicut & Pater, Ioan. cap. 5. numer. 26. vt & illam det nobis, mors morti fuit, & ex virtute sua resurrexit à mortuis: Terribilia opera tua Domine, Deus enim vltionum Deus, & liberè agis, qui spiritum Principibus aufers, Psalm. 75. numer. 13. Vndè dicitur, Quò ibo à spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? Psalm. 138. numer. 7. Increpasti gentes, & perijt impius, nomen eorum delesti in æternum, & in sæculum sæculi, & Ciuitates eorum destruxisti, perijt memoria eorum cum sonitu, Psalm. 9. num. 6. & 7. Manus tua disperdidit gentes, Psalm. 43. numer. 3. Afflixisti eos, & expulisti eos. Terribilia opera tua, propter quæ conturbatæ sunt gentes, & inclinata sunt regna, dedisti vocem tuam, & mota est terra, Psalm. 45. numer. 7. & ad nihilum deduces omnes gentes, Psalm. 58. numer. 9. At, ò Domine quomodò terribilia sunt opera tua, si iugum tuum suaue est, si onus tuum leue est? Matth. cap. 11. numer. 30. Si te amorem dulcissimum canit Ecclesia, cum tu crimina nostra deleas; si suauis es, & mitis, Psalm. 85. quomodò terribilia opera tua? si Angelos tuos spiritus facis, & ministros tuos ignem vrentem? Psalm. 102. num. 4. si charitas tua ità magna est, quæ exuberat omnem sensum? Videte, inquit Ioan. 3. num. 1. qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur, & simus.

Terribilia opera Dei contrà te ò Iudæe, ò Hæretice, & peccator, quia propter te terribilis factus est, vt deleat te, si in peccato permanseris, si in superbiam elatus, Redemptorem spreueris Iesum Christum, si similem Altissimo te præsumpseris. Deus enim superbis resistit; ideò tibi terribilis quia tu terribiliter cum sis puluis, & cinis, contrà Deum eleuaris: non est Dominus terribilis, qui vos iniustè præsumentes, & mandata sua spernentes damnat, corripit, flagellat. Visitabo, inquit, in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum. Quam suauis sit Dominus, audi sequentem versiculum in Psal. 88. num. 32. Misericordiam autem meam non dispergam ab eo, neque nocebo in veritate mea. Non est crudelis, qui crudeles iugulat, latro enim crudelem Iudicem appellat 33. quæst. 5. Can. 27. incip. Non est crudelis. Discas tu ab illo, qui est factus humilis, & non erit tibi terribilis. O quàm suauis, ac bonus est Dominus his, qui recto sunt corde, Psalm. 85. nu. 5. & Sap. 12. num. 1. Audite, audite dilectissima viscera corporis Christi, quorum spes Dominus vester est, & in vanitates, & insanias falsas non respicitis; & vos pariter, qui adhùc respicitis, audite ne respiciatis. Ad errandũ fusi sunt gressus tui, pedes tui ad lapsum, nisi reuertaris in viam, terribilis erit Dominus contrà te; suauis verò erit, & bonus Dominus, si recto sis corde. Moriuntur in mari rubro omnes inimici Dei, quam terribilia sunt opera tua Domine: sed quàm bonus Deus his, qui recto sunt corde, quia moriuntur in baptismo omnia peccata nostra. Si cecideris, confitearis, doleas, & tibi restituitur vita, quæ est Christus.

In multitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui: nàm virtus ex illo exibat, & sanabat omnes. Non est, dixerunt Iudæi, hic homo missus à Deo, qui Sabbata non custodit, Ioan. 9. num. 16. Eiecit Dæmonia Dominus, quid dicunt inimici? in Beelzebub Principe Dæmoniorũ eijcere Dæmonia, Matth. 28. surrexit Christus de sepulchro, dicunt illi custodibus, damus vobis pecuniam, & dicite, quia vobis dormiẽtibus, Discipuli corpus Christi furati sunt. Tu Domine

multipliciter operaris nostram salutem, inimici tui mentiti sunt tibi, & operati sunt iniquitatem, os eorum locutum est superbiam, & mendacium; Venit enim Ioannes, neque manducans, neque bibens, & dicunt, Dæmonium habet; Venit filius hominis manducans, & bibens, & dicunt, ecce homo vorax, & potator vini, & Publicanorum, & peccatorum amicus, & iustificata est sapientia à filijs suis, Matth. cap. 11. numer. 19. Ecce quomodò in multitudine virtutis tuæ mentientur inimici tui, nàm iustificata, idest approbata, & defensa virtus eius à filijs tuis, idest ab Apostolis, & Christi fidelibus, vt quòd nihil omiserit ad salutem hominum necessarium; Sapientia, siuè virtus Dei, idest Christus, & ità inexcusabiles sint mendaces, & peccatores. Nàm multa, & multiplicia Dei virtute, facta sunt mirabilia coram illis, & tamen inimici eius mentiti sunt illi, vt inexcusabiles fiant in die iudicij: Et virtus Christi magis ex mendacio eorum appareat, lux enim posita in tenebrjs magis lucet.

Augustin. hìc litera L. Ideò, inquit, mentientur inimici tui, vt crucifigaris, ideò crucifigeris, vt resurgas, mendacium ergo illorum ad commendandam multam potentiam tuam valebit. Quare solent inimici mentiri? vt potentiam cuiusq. minuant, de quo mentiuntur. Tibi enim Domine contrarium accidit, nàm minus appareret potentia tua, si illi tibi non mentirentur. Mendacium illorum de resurrectione est. Quod enim, dixerunt Iudæi, signum ostendis nobis, quia ista facis? Matth. cap. 12. numer. 39. & de resurrectione loquens dixit, Non dabitur vobis signum, nisi Ionæ Prophetæ, qui in ventre Ceti stetit tribus diebus, & tribus noctibus, & Ioan. cap. 2. numer. 19. Soluite Templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud, ipse dicebat de templo corporis sui. Quid falsi testes dixerunt? Audiuimus illum dicentem, soluam Templum hoc, & in tribus diebus reædificabo illud. Audierant enim illi iniqui, Iesum dicentem, non soluam, sed soluite: non reædificabo, sed resuscitabo illud, volens illis potentiam suæ virtutis ostendere; quòd si illi iniqui Templum corporis sui soluissent, idest occidissent, ille virtute sua tertia die suscitasset.

Augustin. Verbum mutauerunt, & paucas literas, vt falsum testimonium molirentur: sed cui mutas verbum, ò humana vanitas, ò humana infirmitas? Verbo incommutabili verbum mutas? mutas tu verbum tuum, nunquid mutas Dei Verbum, mentita est iniquitas sibi, ad Philippens. cap. 26. Quare ergo tibi sunt mentiti inimici tui ò Domine? cui iubilat omnis terra? In multitudine potentiæ tuæ mentientur tibi inimici tui. Dixerunt, soluam, cum tu dixeris, soluite; sed cur hoc falsum dixerunt? Vt quasi ipsi se à crimine soluti Templi defenderent sine causa. Christus mortuus est, quia voluit, & tamen vos occidistis, hæc Augustin.

Sed quid vobis profuit mendacium? nunquid non viles estis serui, non subiecti illi? nunquid ab ira illius futura fugere poteritis? nàm si in inferno eritis, & ibi Dominus erit, vbique enim est Dominus, vt vos expugnet, Psalm. 138. num. 8. Mentientur tibi inimici tui. Quando dicent in iudicio ad sinistram tuam positi, quando te vidimus esurientem, aut sitientem, aut hospitem, aut nudum, aut infirmum, aut in carcere, & non ministrauimus tibi? Matth. 25. num. 44. Mentientur tibi inimici tui, sed mentita est iniquitas sibi; audient enim verbum Domini, quod non poterunt immutare, discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis eius. Quod

enim vni ex meis minimis non fecistis, mihi non fecistis. Sed si quia minimum non cooperuistis, &c. in infernum proijciemini, si in vno defecistis, quid erit de vobis Iudæis, hæreticis, infidelibus, qui totum Christum negatis, qui omnia membra eius, & corpus laceratis, & de medio tollere conamini, Ecclesiam eius sanctam perdere tentantes? O infelices peccatores, quis vestrum contradicere sapientiæ, vel potentiæ eius resistere potest? Iob cap.9.numer.4. & pacem habebit? Non parcet tibi Dominus, nec verbis potentibus tuis, & ad deprecandum compositis, Iob 41.num.3. potens est enim Dominus, & veritas sua in circuitu eius, Psalm.88.num.9.

Ecce quem vos negatis, virtute sua resurrexit à mortuis, & omnis terra adorat illum, & psallit illi, & psalmum dicit nomini eius. Adorat; quia confitetur illum Iesum Christum filium Dei viui verum Deum, de Deo vero. Psallit illi benè operando, & mandata eius seruando. Iubilat omnis terra, Ecclesia scilicet tua sancta ex omnibus gentibus congregata, psalmum dicens nomini tuo. Iubilat Deo salutari suo, præoccupans faciem tuam in confessione, & in psalmis, Psalm.94.num.1. Et si exultant iusti in Domino, rectos etiam decet collaudatio, Psalm.32.numer.1. Mentiuntur tibi ij, quibus tot beneficia contulisti, tot mirabilia in virtute tua ostendisti, & immemores, facti etiam sunt inimici: & ecce quia ex mendacio perditio, & afflictio, & inter gentes dispersio illorum, at verò omnis, qui terra erat, qui Idolis seruiebat, qui Gentiles erant, modò fideles tui, nunc ad te reuersi facti sunt hæreditas tua, & adorant, psalluntq. tibi, & psalmum dicunt nomini tuo.

Vel aliter dicamus; In multitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui. Nàm quæ est virtutis Dei multiplicitas, nisi humilitatis suæ multiplicata benignitas. Audi Christi humilitatis genera multa, Psalm.43. num.25. Humiliata, inquit, est in terra anima mea. Quid inimici, ministri Diaboli dicunt: ecce hæres venite, occidamus eum, quia est contrarius operibus nostris, Sap. cap.2. Matth.cap.21.num.38, & habebimus hæreditatem eius, peiores Diabolo, qui tantùm similis Deo esse desiderabat, audi Isai.cap.14.num.13. In Cælum ascendam; primos accubitus quærunt, dilatantes phylacteria sua, Matth. cap.23. num.5. Humilitas Christi, qui cum esset in forma Dei, exinaniuit semetipsum formam serui accipiens, ad Philippens. cap.2.num.5. quid superbus inimicus inquit, si dimittimus eum sic, Ioan.11.num.48. omnes credent in eum, & venient Romani, & tollent locum nostrum, & gentem, &c. supra astra Dei exaltabo solium meum, Isai, d. cap.14. Christus verò dicit, discite à me, quia humilis sum corde, & mitis, Matth.11.num.26. humilis filius Dei, qui se Deum Patrem agnoscere confitetur, Ioan.cap.8.num.8. si dixero quia non noui eum, ero similis vobis mendax; inimicus verò, Hunc scimus vndè sit, Ioan.7.num.27. cum verò venerit Christus, nemo scit vndè sit; dicebant enim illum esse filium fabri. Superbus cum Diabolo, nescio Dominum, dicebat Pharao, & Israel non dimittam, Exod.cap.5.nu.2. Audi humilitatem Christi, Non possum à meipso facere quidquam, Ioan.18.numer.10. Diaboli minister, quid dicit, Mea sunt flumina, & ego feci ea, Ezech.cap.28.num.9. Christus cum esset diues pro nobis factus est pauper, vt eius inopia nos diuites reddemur, 2.Corinth.8. num.9. Inimici verò eius quid faciunt? Matth. cap.23.n.14. Væ vobis Scribæ, & hypocritæ, quia comeditis domos Viduarum,

& num.16. væ vobis duces cæci, quicumque iurauerit per Templum nihil est, qui autem iurauerit in auro Templi, debet; quid maius stulti, aurum, an Templum quod sanctificat aurum? &c. Diabolus dicit, sua esse omnia Regna mundi, & cui vult dare ea; Matth. cap.4.nu.9. Christus cum humilitate dicit, Psal.101. num.8. Similis factus sum Pellicano, vigilaui, & factus sum sicut passer solitarius in tecto. Inimici Christi primos accubitus amant in cœnis, & vocari ab hominibus Rabbi, Matth.cap.23.num.8. & Diabolus idem dicit, vt in Isai. cap.10.num.14. Sicut colliguntur oua, quæ derelicta sunt, sic vniuersam terram ego congregaui, & non fuit qui moueret pennam, & aperiret os, atque garriret; Et Iudæi audientes turbam dicentem, quia nunquam homo locutus fuerat tale verbum. Quid, inquiunt, & vos seducti estis, nunquid aliquis ex Principibus credit in eum, aut ex Pharisæis? sed & turba hæc, quæ non nouit legem maledicti sunt, Ioan.cap.7.num.48. Christus cum humilitate ad cælos subleuatur, inimici eius cum Diabolo ad infernum præcipitantur.

In multitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui. Cæci enim non cognouerunt Diuinitatem, quæ absconsa erat in humanitate Christi, viderunt hominem, nec cognouerunt Deum; viderunt humilem, famem, & sitim patientem, & non cognouerunt.

In multitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui, nàm exaltatus in cruce omnia traxit ad seipsum, & virtute passionis suæ redemit Pop. .am suum, Ioan.12.num.32. Iudæis verò hæc exaltatio in cruce scandalum, 1.Corinth.1. num.23. Iterum dicebat Iesus Discipulis, Ite prædicate Euangelium omni creaturæ, qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit, Matth.vltimo. Mentiuntur inimici, qui non credunt, salutem dari posse, & ideò dicebant, & Apostolis prohibere tentabant, ne in nomine Iesu prædicarent, Act. Apost. 4.n.18. Mentiebantur inimici, cæteri verò videntes, & audientes clarificabant id, quod factum fuerat in eo, quod acciderat, claudum verò ex vtero matris in virtute nominis Iesu Christi sanauerant, Act. cap.3. & 4. num.10. ex negatione, & mendacio diminuti sunt inimici, numerus verò credentium tunc factus est quinque millia virorum, Act. Apost. d. cap.4. num.4.

Omnis terra adoret te, & psallat tibi, & psalmum dicat nomini tuo. Illi impugnabant, isti crescebant; illi prohibebant, ne in nomine Iesu docerent, isti magis prædicabant in isto nomine, & magis augebatur numerus credentium, quorum vnus erat spiritus, & vna fides, Act. Apost.4.num.32. Omnis terra adoret te, & psallat tibi, & psalmum dicat nomini tuo, in quo omnes salui sumus.

Venite, & videte opera Dei: terribilis in consilijs super filios hominum. Venite, vt vna fides iungat, quos vnum præmium expectat; videte opera Dei, cæci vident, mortui resurgunt, claudi ambulant, pauperes euangelizantur, Matth.11. num.5. & semen eorum possidet terram, & in nomine Iesu omne genu flectitur, cælestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confitetur, quia Dominus Iesus in gloria est Dei Patris, ad Philipp. 2. num.10.

Venite gentes, & auditam faciet vobis Dominus vocem sermonis eius; dimittuntur tibi peccata tua, Luc.5. num.21. Audite sermonem, videte nunc opera, quid facilius est dicere, dimittuntur tibi peccata tua, an dicere, tolle grabatum tuum, & ambula? Non loquitur blasphemias filius Dei: Vt autem

ſciatis, quia filius hominis habet poteſtatem dimittendi in terra peccata, ait Paralytico; tibi dico, ſurge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam. Videte opera, quia confeſtim conſurgens coram illis tulit lectum, in quo iacebat, & abijt in domum ſuam magnificans Deum. Solus Deus dimittit peccata, dicebant illi; hic verò Ieſus, & peccata dimittit, & corpus ſanat, ergo Deus, Luc. vt ſupra: Repleti ſunt timore, dicentes, quia vidimus mirabilia hodie; ſed ſi vidiſtis, quare non creditis? Vtinam potius cæci eſſetis, quia peccatum non haberetis, ſed quia vidiſtis, peccatum veſtrum manet, Ioan. cap.5. num.41. quia ex malitia in peccato perſeueratis, & iterum, Ioan.15. num. 22. Si non veniſſem, & locutus fuiſſem eis, peccatum non haberent, nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo, & num.24. ſi opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent; nunc autem, & viderunt, & oderunt & me, & Patrem meum. Sed nunquid & iſti huius ſæculi non audierunt, & non viderunt opera Domini? In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum, Pſalm.18.num.4. nunquid & non opera Dei viderunt? nàm & Sancti ſui Apoſtoli, & Martyres, Virgines, & Viduæ, Sancti Doctores in nomine Ieſu eadem, quæ operatus eſt Ieſus opera, aliquando & maiora fecerunt, provt ipſe Ieſus dixit illis, Ioan.14. nu.12. Venite, & videte opera Domini, alioquin propter opera ipſa credite.

Venite, & videte ò Gentiles opera Domini: Venite vos, qui adhuc cæci fuiſtis, aperite oculos ad opera Domini. Conſiderate Iudæos, olim populum Dei, nũc inimicos eius factos: & in quibus illi defecerunt, quia Deus obcæcauit eos, vt & ſi oculos habent, non tamen videant: & ſi Scripturarum intelligentiam habere profiteantur, non tamen intelligant, Iſai.c.6. Propterea mentientes dolum cogitabant contrà Dominum vt eum traderent, Matth.26.n.4. Videte opera Domini vos gentiles, & fideles, qui ex Iudæis fuiſtis; qui enim tribulant me Dominum, & Redemptorem, ipſi infirmati ſunt, & ceciderũt, Pſal.16.n.4. Videte opera Domini, quę prius illis ab eodem Domino comminata fuere, Luc.19.n.41. circũdabunt te inimici tui vallo (flebat enim ſuper Ieruſalem) & coanguſtabunt te vndique, & ad terram proſternent te, & filios tuos, qui in te ſunt, & non relinquent in te lapidem ſuper lapidẽ, eo quòd non cognoueris tempus viſitationis tuæ. Videte opera Domini, quid eidem terræ, & habitatoribus factum ſit; Videte reliquias illorum, quomodò diſperſæ, abominabiles factæ ſint omnibus hominibus. Quis ſimilis tui in fortibus Domine, magnificus in ſanctitate, terribilis, atque laudabilis, faciens mirabilia, Exod. cap.15. num.11. Hæc omnia mala ipſis prænunciata ſunt à Deo. Sicut enim dicit Text. Deut. c.28. num.63. Lætatus eſt Dominus ſuper vos, benè vobis faciens, vosq. multiplicans, ſic lætabitur diſperdens vos, atque ſubuertens, vt auferamini de terra, ad quam ingredieris poſſidendam; diſperget te Dominus in omnes populos à ſumitate terræ vſque ad terminos eius, &c. In gentibus quoque illis non quieſces, neque erit requies veſtigio pedis tui: Dabit enim tibi Dominus cor pauidum, & deficientes oculos, & animam conſumptam mærore, & erit vita tua quaſi pendens ante te, timebis nocte, ac die, & non credes vitæ tuæ. Mane dices, quis mihi det veſperam? & veſpere quis mihi det mane? propter cordis tui formidinem, qua terreberis, & propter ea, quæ tuis videbis oculis, &c.

Videte ſi hæc opera Domini ſuper generationem venerunt: Vbi Ieruſalem ciui-

ciuitas illorum? quot millium millia ibi occisi, combusti à Romanis? quot serui? omnes dispersi; quæ illorum terra habitationis? Venite Gentiles, & videte opera Domini, terribilis in consilijs super filios hominum; super Iudæos scilicet, cognoscite opera Dei, confitemini Iesum Christum filium Dei; despicite Iudæos, nec cum illis partem habete. Consilium malignantium contrà Iesum fecerunt, vt occiderent; terribilis Deus super consilium ipsorum, videte opera Dei, qui proptereà deleuit illos à facie sua, Isai.cap.1.num.7. Terra vestra deserta, ciuitates vestræ succensæ igni, regionem vestram coram vobis alieni deuorant, & desolabitur sicut in vastitate hostili, & derelinquetur filia Sion.

Qui conuertit mare in aridam, Exod.cap.14. Mare enim rubrum à Deo exsiccatum legimus, vt filij pertransirent, & Iosue 3. quando Iordanis fluuius à Deo siccatur, vt filij Israel sicco pede illud traicerent. Sed altiora petamus, & mente, quod factum est, post Christi aduentum videamus, nàm cum Psalmus iste de Christo loquatur, & de eius passione, consequenter & de populo agit Gentili, ad fidem Christi venturo. Quid enim per mare, nisi sæculum illud Gentilitatis ærumnarum plenum, & fluctibus tumens; Adorabant manuum suarum opera; diabolicà erant omnia illius Gentilitatis opera: Mare magnum, & spatiosum, vbi reptilia quorum non est numerus, Psalm. 103.num.25.

Venit Iesus, & suos Discipulos misit ad Gentes, quia indigni facti fuerunt illorum prædicatione Iudæi impij: susceperunt Gentiles cum omni gaudio verbum Domini, Act. Apost. cap.13.num.48. iuxtà dictum per Isai.cap.49.nu.6. Posui te in lucem Gentium; conuersum mare in aridam per Verbum Dei: non enim amplius Idola, & maria, sed in aridam conuerterunt animas suas, solam Dei gloriam quærentes, & salutem animarum sitientes: Vndè Psal.41.n.3. Sitiuit anima ad Deum fontem viuum, & Psalm.121.nu.6. Expandi manus meas ad te: anima mea sicut terra sine aqua tibi. Dilataui scilicet affectus meos, & opera, quæ prius erant contracta: & anima, quæ ex se est sicut terra sine aqua, iàm hæret tibi, non mihi, qui eam sine te rigare non possum.

Conuertisti mare in aridam, quia ex quo illuminasti me, scilicet Gentilitatem, cognoui, animam meam sine te esse aridam; & in mari iniquitatum positam, in flumine huius deserti pertransibunt pede, quia huius sæculi despicientes fluctus firmati in fide, pede stabimus in directo, & in Ecclesijs benedicemus tibi; pedes enim euangelizantium transierunt flumen, in eoq. duodecim lapides posuit Iosue in medio Iordanis alueo, & sunt ibi vsque in præsentem diem huius sæculi, Iosue 7.n.9. hi sunt duodecim Apostoli, quos misit Dominus Iesus in vniuersum mundum in medio fluminis Iordanis, fluuij iudicij, in medio aquarum multarum, in medio tribulationum, per quas transierunt sicco pede, quia supra petram erant positi; nec aquæ illæ potuerunt extinguere in eis charitatem Dei, neque flumina obruent eam, Cantic.8.num.7. quia multæ tribulationes iustorum, & de omnibus his liberauit eos Dominus.

In flumine pertransibunt pede, quia eos nec tanget cordis malitia, nec terrenorum appetitio, & desideria, Sap.cap.3.nu.1. Augustin. Illi ipsi, qui conuersi sunt in aridam, cum essent antea amari, in flumine pede pertransibunt. Quid est flumen? omnis mortalitas sæculi: vide flumen: alia veniunt, & transeunt, alia transitura succedunt; nonnè sic fit in aqua fluminis, quæ de terra nascitur, & manat? Omnis, qui natus est, cedat oportet nascituro: & omnis

iste

iste ordo rerum labentium, fluuius quidem est. In istum fluuium non se mittat cupida anima, non se mittat, stet. Et quomodò transiet delectationes rerum periturarum? Credat in Christum & facilè pertransibit pede; transibit illo duce, pede transibit; idest facilè transibit, nec quæret equum vt transeat, humilis transeat, & ocyus transiet. Magnæ virtutis est cum felicitate luctari, ne illiciat, ne corrumpat, ne ipsa subuertat felicitas; magnæ inquam virtutis est cum felicitate luctari, magnæ felicitatis est à felicitate non vinci: disce calcare sæculum, memento fidere in Christo; & si motus est pes tuus, si titubas, si aliqua non superas, si mergi incipis, dic, Domine libera me: solus enim à morte carnis liberat te, qui mortuus est in carne pro te, Augustin. Tom. 10. in Euangel. Matth. Serm. 13. cap. 6. in fine. Qui conuertis mare in aridam, in flumine, fac Domine, vt pertranseam pede, quia tunc ibi lætabimur in te.

In flumine pertransibunt pede, Ioan. cap. 7. num. 38. Qui credit in me, sicut dixit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ: ecce caput ipsum fluminum clamat, ipse fons vitæ, vndè flumina currunt; mare in aridam conuertit, vt sitientes fiant homines; veniantq; ad caput fluminis clamantis, in flumine pertransibunt pede, qui firma fide crediderint in Iesum Christum, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ; ibi lætabuntur in ipso, Ioel c. 2. nu. 28. & Ioan. vt supra cap. 7. num. 38. hoc autem, inquit, dicebat de spiritu, quem accepturi erant credentes in eum. Tunc enim & ipsi facti flumina eleuauerunt voces suas; non enim amplius Iudæos timebant, sicut Petrus negans Iesum, dicebat Ancillæ, se non nouisse hominem, Matth. cap. 26. num. 64. sed accepto Spiritu sancto, quid dixerunt Iudæis prohibentibus prædicare in nomine Iesu? Act. Apost. cap. 4. num. 19. Si iustum est in conspectu Dei vos potius audire, quam Deum, iudicate. Eleuauerunt omnes vocem ad Deum, num. 24. Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei, Psalm. 92. num. 3. Eleuauerunt flumina vocem suam, eleuata enim voce Petrus cum vndecim dixit ad eos, viri Iudæi, &c. quibus cum magna fiducia annunciat Iesum sine timore.

Qui ergo conuertit mare in aridam; efficiet vt licet credentes, & fideles, qui in hoc sæculo persecutiones, & amara valdè patiuntur, in aridam crucem spe sua conuersa: in flumine sanguinis Christi, & passionis suæ sanctissimæ pertranseant pede; quia firmiter eodem sanguine redemptos se esse credent: & ibi lætentur in ipso, vbi vera est lætitia.

Eia ergo peccatores, & infideles resipiscite, intellectum habete, suscipite armaturam fidei Christi: Conuertimini ad Deum, & Dominum Iesum, qui ideò sanguinem suum fudit, vt crimina nostra lauaret: mare in aridam conuertite cum Iesu, vt crucem in corde vestro nobiscum etiam portantes, in illa sit spes vestra. Vana enim sunt huius mundi desideria, in quo non sunt nisi persecutiones, & afflictiones animæ, & corporis, illas patienter sufferte pro remissione peccatorum vestrorum: Conuertite maris amara in aridam: in lignũ crucis, in petram, quæ in fluminis fundo posita est, in medio scilicet huius mundi fluctuantis, & in flumine pertransibitis pede, firmati supra firmam petram, Christum in quo lætabimini.

Qui dominatur in virtute sua in æternum. Oculi eius super gentes respiciunt. Nàm oculi Domini super iustos, vt aures eius promptæ sint ad preces eorum, vultus autem Domini super facientes mala, Psal. 10. n. 5. & Psal. 33. n. 16.

Qui exasperant, non exaltentur in semetipsis. Noli ergo in virtute tua exaltari, quia diues factus sis, quia super Cathedram Moysis sedes, quasi virtute tua id tibi euenerit. Nunquid virtus tua æterna? nunquid quod habes, à Deo non accepisti? Deus respicit humiles, vt illos exaltet, & dispersos mittit superbos inanes. Oculi Domini super gentes respiciunt, vt sanent eas, & lumen accendat in cordibus illarum. Si ergo à Deo accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? 1.Corinth.cap.4.num.7. si quotidie peccans contra Deum, illum exasperas? quare te exaltas, quòd non statim te Deus puniat, deleat, & in profundum inferni detrudat? Noli gloriari de delictis tuis, noli gloriari in malitia, quia nunc potens sis in iniquitate, Psalm.51.nu.1. Qui exasperant non exaltentur in semetipsis. Pater proprio filio non pepercit; sed pro nobis illum tradidit: benefecit Pater sicut & ipse filius, qui nos redemit; nec propterea Iudas, nec vos ingrati Iudæi benè fecistis, sed malè, & iniquè fecistis: mercedem malitiæ habuit Iudas, habuere & Iudæi; Christus verò laudem gratiæ. Exasperatis, quia Christum occidistis, non ideò exaltabimini, quia morte Christi sit facta redemptio gentium: sed nequitiæ mercedem habebitis, nisi vos pœnituerit, & de perpetratis sceleribus amaritudinem peccati vestri lacrymis profusis, eius misericordiam, & remissionem obtinueritis à Deo. Qui enim rebellant, non sunt apud se felices: vos Iudæi rebelles fuistis, quomodò de rebellione exultabitis. Tunc gloriabamini, dicentes: Descendat nunc de cruce, si filius Dei est, eum Seductorem appellantes, Matth. cap.27.num.40. Nunquid non poterat de Cruce descendere, qui potuit virtute sua de sepulchro, quod vos custodiendum militibus reliquistis, resurgere provt resurrexit? In quo ergo vos gloriamini? Quia primò lex per Moysen data sit vobis? Omnis enim lex, & Prophetæ vsque ad Ioannem prophetauerunt, Matth.cap.11.num.13. tubæ vox præcessit, Malach.cap.4. & vos noluistis illam audire, Ierem.cap.6.num.17. dicentes, Non audiemus. In exasperatione exultabis? Ecce aduena, qui tecum versatur in terra, ascendet super te, eritq. sublimior, tu autem descendes, & eris inferior, Deut.cap.28.num.43. Si descendisti, quomodò exaltaris? Iàm manum suam eleuauit Iesus ad gentes, & ad populos exaltauit signum suum, Zach.cap.9.numer.2. Populum istum formauit sibi, qui laudem suam narrabit, Isai.c.43.nu.21. Venite ergo gentes, & Benedicite Deum nostrum, & auditam facite vocem laudis eius, & Psalm.21. num.26. Apud Deum laus tua in Ecclesia magna, & in populo graui laus tua, non in Synagoga parua Iudæorum: ad te venerunt gentes ab extremis terræ, Ierem. cap. 16. num. 19. Iàm alienigena, qui non fuit de populo tuo Israel, venit de terra longinqua, & audiuit nomen Domini magnum, & manum tuam fortem, & brachium tuum extentum vbique, & laudem tibi dicit in loco tuo sancto, in Ecclesia tua magna, ibi orat, & tu in cælo exaudis, 3.Reg.8. num.41. Populum istum formasti tibi Domine, qui laudem tuam narrat, Isai. cap.43. num.21. In verbo enim tuo gaudentes, veniunt collecti, quos aliàs dispersos misisti ab Oriente vsque ad Occidentem, in verbo tuo gaudentes, Baruch.4. num.37. & in lumine tuo ambulantes, Isai.cap.60. num.3. & Reges in splendore ortus tui. Benedicite ergo gentes, populus Dei iàm factus, qui vos de tenebris vocauit ad lucem, & benedicite Deum nostrum, & auditam facite vocem laudis eius: Venite mussitatores, laudes Domini in Ecclesijs

can-

cantantes, & scient errantes spiritu intellectum, & discite legem, Isai.cap. 29. in fine, obauditam facite laudem Domini in tympano, & choro, in chordis, & organo, Psalm. 150. num. 4. Laudate eum in firmamento virtutis eius: Veni ergo ad me Domine, vt tibi psallam in via immaculata, Psalm. 100. n. 2.

Benedicite gentes Deum nostrum, & auditam facite vocem laudis eius; benedicite in cordibus vestris Dominum, & labia vestra aperiantur, & auditam facite vocē laudis eius, annunciantes mirabilia opera eius in generatione, & generationem, quem negauerunt Iudæi, Deus Pater esse filium suum voce sua contestatus est, dicens, Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui, ipsum audite, Matth. cap. 3. num. 17. Vndè 2. Petr. cap. 1. Non doctas fabulas sequuti notam fecimus vobis Domini nostri Iesu Christi virtutem, & præsentiam, sed speculatores facti illius magnitudinis, accipiens enim à Deo Patre honorem, & gloriam, voce delapsa ad eum huiuscemodi à magnifica gloria: hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite, & hanc vocem nos audiuimus de cælo allatam, cum essemus cum ipso in monte sancto. Auditam ergo fecerunt Apostoli vocem laudis eius, quòd ipse sit filius Dei viui. Et nos fideles eamdem vocem per fidem in cordibus nostris emissam, & posteris nostris auditam faciamus, cum Psalmista, & Ecclesia cantantes, & dicentes, Psalm. 28. num. 3. Vox Domini super aquas, Deus maiestatis intonuit; Dominus super aquas multas, Vox Domini in virtute, Vox Domini in magnificentia. In labijs nostris pronunciemus omnia iudicia oris eius, Psalm. cap. 118. num. 12. Nàm quidquid boni in nobis est, gratia ipsius habemus. Non nos ergo laudemus, sed ipsum laudemus; qui fecit nos, & non ipsi nos: hæc vox laudis oris nostri sit, quia quidquid boni habemus, ab ipso Domino habemus.

Qui posuit animam meam ad vitam, & non dedit in commotionem pedes meos. In eo enim nunc viuit anima nostra, quæ in se mortua erat. Sed quando posuit animam ad vitam, nisi quando vocatione sua vocauit nos? & quomodò vocauit nos ad se ipsum? docens nos, vt illum sequi volentes tollamus crucem nostram, & post illum tunc ibimus, qui est vita nostra, & lux nostra, Matth. cap. 16. numer. 24. Ioan. cap. 5. numer. 19. Si ergo ipse Iesus Christus est vita nostra, quomodò sine Christo Iudæe, hæretice, & peccator anima tua vitam habebit, si longè à te est salus tua Christus, qui est vita? Ergo quia ex te est anima tua, ex te etiam erit mors tua, resipisce, resipisce, conuertere, conuertere ad Dominum, & videbis lumen, quia lux tunc erit in te, & ponet animam tuam ad vitam, Augustin. Ipse posuit animam meam in vitam, ipse regit & pedes, ne nutent; ne moueantur, ne dentur in motum, ipse nos faciet viuere, & perseuerare vsque in finem, vt in æternum viuamus: hæc Augustin.

Tollamus ergo crucem Domini, & sequamur eum, patienter tribulationes, & motuum fluctuum maris huius sustinentes, quia nobiscum erit Dominus; inquit enim, Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum, hìc verò dicitur, Non dabit in commotionem pedes meos: non permittit enim nos tentari vltra vires nostras, sed fortitudinem, & virtutem dabit nobis ad resistendum Diabolo, & ministris eius.

Hinc legimus in Beato Ambrosio lib. 1. de Pœnitent. c. 13. vbi de Diabolo sanctum Iob persequente: sic & sanctum Iob magis armauit postquam vulnerauit,

rauit, qui Diaboli morsum pertulit, sed venena non sensit. Quocircà sanctus Iacobus in sua Epistola Canonica cap.1.num.2. Omne gaudium, inquit, existimate fratres, cum in varias tentationes incideritis, scientes, quòd probatio vestræ fidei patientiam operatur, patientia autem opus perfectum habet, &c. Tertull.lib.de Fuga in persecutionibus dicit, cũ exurimur persecutionis ardore, tunc probamur de fidei tenore. Vbi enim nullus est aduersarius, inquit Athanas. quæst.7. Non manifestantur dextri Regis milites, & Greg.cap.11. Moral.c.17. de Reprobis, intelligit illud, confitebitur tibi, cum benefeceris ei. In hoc, inquit, mens iusta ab iniusta discernitur, quòd omnipotentis Dei laudem inter aduersa confitetur; quòd non cum rebus frangitur, non cum casu gloriæ exterioris cadit, sed in hoc magis, qualis cum rebus fuerit, demonstrat, quæ & sine rebus robustior stat, Augustin. super Psalm.36. & Psalm.118. Vires fidei tentatione discutiuntur, eademq. inexercitata languescit.

Non dabit ergo in commotionem pedes tuos, qui posuit animam tuam ad vitam, si tu firmus persititeris in fide, & in tribulationibus patiens eris. Audi exemplum, quod dat nobis Nazianz. in Orat.24. inquit enim, Ex eo, quòd animus passus sit, vt candens ferrum frigidæ aquæ aspersione ità periculis obdurescit: impenetrabiles enim thoraces ferrei, qui ictibus hostium, ferreisq. globulis debent obsistere, aqua frigida aspersa, in ipsa fabricatione obdurantur, &c. sed clarius à Spiritu sancto edoctus Dauid hìc ante omnes idipsum significauit, dicens.

Quoniam probasti nos Deus, igne nos examinasti, sicut examinatur argentum, & in alio loco, Psalm.16.num.3. Probasti cor meum, & visitasti nocte, igne me examinasti, & non est inuenta in me iniquitas. Propterea venit Iesus mittere ignem in terram, vt probati efficeremur serui sui, probat aduersis, sed ignem charitatis infundit, qui nos non sinit sentire tormenta, non comburit vt paleam, sed vt argentum probat in igne, & aurum in fornace, vt dignos se inueniat, Sapien.cap.3.numer.6. Dum enim aurum per ignem transit, sordes amittit, ad claritatem ipsius magis proficit, Gregor. super Verbo Iob cap.23. Probauit me quasi aurum, & 1.Petr.cap.1.numer.6. In quo exultabitis, modicum nunc si oportet contristari in varijs tentationibus, vt probatio vestræ fidei multò pretiosior auro, quod per ignem probatur, inueniatur in laudem, & gloriam, & honorem in reuelatione Iesu Christi, &c. & Numer.31. num.22. Aurum, & argentum, & æs, & ferrum, & plumbum, & stannum, & omne quod potest transire per flammas, igne purgabitur; quidquid autem ignem non potest sustinere, aqua expiationis sanctificabitur, &c. Sustine tribulationes, lacrymis laua peccata, quia si benè consideras, grauiora ea sunt quacunque alia pœna. Misce plumbum cum auro, vt admixtum conferat purgationem; in igne consummetur plumbum, Ierem.cap.6.num.29. aurum remanebit lucidum, & sine sorde: si tu permanseris in patientia, & fide: adhibuit nobis Dominus ignem, vt nobis tolleret cinerem; igniuit nos vt aurum, & argentum, vt auferens à nobis stipulam, remaneremus sine macula puri, & lucidi, sordes abluendo.

Posuit nos in vitam, propterea induxit nos in laqueum, posuit tribulationes in dorso nostro, imposuit homines super capita nostra: induxit nos in laqueum, sed non nos dereliquit in illo, detinuit nos in illo, vt viueremus in illo,

illo, nec ideò moreremur in illo: non vt nos deciperet, induxit in laqueum, sed vt nos probaret per illum.

Posuisti tribulationes in dorso nostro, vt per illarum pondus curuos, & humiles factos exaltaret in cælo. Imposuisti homines super capita nostra: Quia peccauimus tibi in ira tua, vndè Eccles. cap. 10. numer. 16. Væ tibi terra, cuius Rex puer est, dat enim Dominus Regem puerum, quando vult corrigere populum peccantem; Ideò homines dedit super capita nostra, quia peccauimus illi, 1. Reg. cap. 12. numer. 19. ibi, Addidimus enim, inquiunt illi, vniuersis peccatis nostris malum, vt peteremus nobis Regem. Et Samuel ad illos. Vos fecistis vniuersum malum hoc: veruntamen nolite recedere à tergo Domini, sed seruite Domino in omni corde vestro. Ideò enim homines super capita, quia Deum abiecerunt, 1. Reg. cap. 8. num. 7. Quomodò super capita nostra? Qui regnabunt super nos, filios nostros tollent, & ponent in curribus suis, &c, numer. 12. ibidem, ideò hæc grauamina ab illis, vt agnoscentes scelera nostra Regem alium non habeamus, nisi Iesum Christum, qui compatitur infirmitatibus nostris, ad Hebr. cap. 4. numer. 15. Melius est enim incidere in manus Dei, quàm in manus hominum, 2. Reg. cap. 24. num. 14. Adeamus igitur ad thronum gratiæ cum fiducia, vt misericordiam consequamur, & in auxilio opportuno gratiam inueniamus, ibid. Paul. num. 16.

Sustineamus homines super capita nostra, vt ab illis humiliati perueniamus ad cælestia; aduersitas enim nos humiliat, sicut Apostolum humiliauit, cui datus est stimulus carnis, 2. Corinth. cap. 12. Homines super capita nostra: quia superna dispensatione nobiscum agitur, cum fatigamur aduersis, Gregor. Moral. lib. 23. cap. 24. Imposuit homines super capita, sed vt pulset, non vt frangat; impellit, non mouet; contrahit, sed non vt deijciat, vt de nostra infirmitate sentiamus esse, qua quatimur, de diuino munere esse, quo stamus. Imposuisti homines super capita nostra, vt humiles facti, relictis terrenis cogitemus cælestia; vbi vera sunt bona: ideòq. manus fortium, vt dominaretur posuisti, & quæ remissa est, tributis seruiret, vt mœror nostri cordis humiliaret nos; vt sermone tuo lætificaremur, Prouerb. 12. numer. 24. tu enim dixisti Domine, qui se humiliat exaltabitur, humilias nos in loco afflictionis, & propter te mortificamur tota die ab hominibus, quos imposuisti super capita nostra. Non enim in gladio suo possident terram, nec brachium eorum saluat eos, sed dextera tua, & brachium tuum, quia sic complacuisti tibi in eis, Psal. 43. n. 4. vt humiliares nos. Cum enim das nobis disciplinam, inimicos nostros multipliciter flagellas, vt bonitatem tuam cogitemus iudicantes, & cum de nobis iudicatur, speremus misericordiam tuam, Sap. 12. n. 22. ipsi enim peribunt, & dispergentur, quia finis condemnationis eorum veniet super eos; nos autem humiliati surreximus, & erecti sumus, Psal. 19. n. 9. proptereà Lætati sumus pro diebus, quibus nos humiliasti: annis, quibus vidimus mala, Psalm. 89.

Transiuimus per ignem, & aquam, & eduxisti nos in refrigerium. Augustin. Ignis, & aqua vtrunque periculosum est. In hac vita certè videtur aqua ignem extinguere, & ignis videtur aquam siccare: Ità & ipsæ tentationes sunt, quibus abundat hæc vita: ignis vrit, aqua corrumpit, vtrunque metuendum est, & vstio tribulationis, & aqua corruptionis. Quando sunt res angustæ, & aliquæ infelicitates sunt in hoc mundo, quasi ignis est; quando sunt res

prosperæ, & abundantia sæculi circumfluit, quasi aqua est. Vide, ne te ignis exurat, ne aqua corrumpat; firmus est aduersus ignem, coqui te oportet, tamquam vas fictum mitteris in caminum ignis, vt firmetur, quod formatum est: Vas ergo, quod in igne firmatum est, aquam non timet; Vas enim si solidatum igne non fuerit, tamquam lutum aqua soluetur, noli festinare ad aquam, per ignem transi ad aquam, vt transeas & aquam: hæc August. Solidetur ergo cor, & corpus nostrum in igne tribulationis propter amorem Christi, ne in aqua huius mundi felicitatis in lutum conuertatur, aqua extinguente flammam charitatis.

Transiuimus per ignem, & aquam, & eduxisti nos in refrigerium. Quia sine igne, & aqua, non est nobis refrigerium, nàm: Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non refrigeratur in cælo, Ioan.cap.3.num.5. Nonnè ignis spiritus fuit adhibitus nobis ab Ecclesia in cathechizando, exorcizando, prius enim ignis adhibetur, vnde spiritus immundus clamat, ardeo; post ad aquam baptismi venitur, transiuimus ergo per ignem, & aquam, vt perseuerantes in lege Christi inducamur in refrigerium, si igne aduersitatis coctus non crepes, nec prosperitatis aqua dissoluaris, in refrigerium transibis. Vbi ignis non vrens, & aqua marcescens, vel dissoluens, ibi nullus erit inimicus, nullus tentator, nullus inuidus, nullus ignis, nec aqua, sed perpetuum refrigerium, idest quies: Calor ibi erit, idest spiritus feruor: Nec est, inquit Psal.18. num.7. qui se abscondat à calore eius, & ad Roman.cap.12.num.11. Spiritu feruentes, vt in victoria absorbeatur mors nostra: Intrans in domum tuam, in holocaustis, reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea. Transiuimus per ignem, & aquam, totum me in holocaustum tibi dedi, nihil in me aliud remansit, quia totum tradidi igni. Holocaustum enim est totum combustum, sed igne diuino: holocaustum enim dicitur sacrificium, cum totum accenditur, omne holocaustum sacrificium, sed non omne sacrificium holocaustum. Igne ergo me examinasti Domine, aqua deliciarum huius mundi me probasti, per illa transiui, & non est inuenta in me iniquitas. Ignis tuus Iesu Christe Domine mi, totum me consummat, nihil mei remaneat mihi, totum sit tibi, vt inducas me in refrigerium tuum, in pacem, & quietem tuam. Quando me mortalem indues immortalitate, & corruptibile indues incorruptione, 1.Corinth.cap.15.num.54. tunc fiet qui scriptus est sermo: Absorpta est mors in victoria, &c.

Augustin. hìc. Victoria, quasi ignis diuinus est, cum absorbet, & mortem nostram, holocaustum est, non remanet culpabile aliquid, in spiritu totum ex mortali vita consummetur, vt in æterna vita consummatur, & à morte seruemur in vitam.

Vsquequò ergo anima mea? vt quid in tribulationibus titubas? vt quid opportunitatibus non occurris? Benedic anima mea Domino, & noli obliuisci retributiones eius, psallas Deo tuo, & da gloriam nomini eius, in tribulatione tua loquatur os tuum, confitere te peccatorem, & tunc holocausta medullata offeras illi, qui te ex nihilo fecit, qui te perditum redemit, & introibis in domum suam in holocaustis, reddens vota tua, quæ distinxerunt labia tua. Sed quæ vota distinxerunt labia tua? nisi vt reddas, quæ sunt Dei Deo, terrena despiciens, per quæ transisti? vt redderes animam tuam Deo,

qui illam creauit immaculatam; tunc soli Deo per te erit honor,& gloria, & hæc est distinctio, quam facient labia tua.

Quod locutum est os meum in tribulatione mea, hæc est vera tribulatio, per quam augetur spiritus in oratione, sicut de Iob legimus: Torquebatur, & orabat, aliud postulabat hostis, aliud precabatur vociferatio confessoris, tribulatur hic, & loquitur iustus; sed quid loquitur; tangitur cithara, & resonat sonus dulcis melodia; tangitur corpus, & viuificatur anima; transit per aquam, & ignem, & Dei amor completur, augetur in tribulatione. Locutum est os meum in tribulatione, inquit, sed quid locutum est?

Holocausta, inquit, medullata offeram tibi cum incenso arietum, offeram tibi boues cum hyrcis. Holocausta ergo medullata sunt, offerre se in tribulationibus, quia se totum Deo dare in holocaustum intendit. Cum incenso arietum, cum oratione scilicet venientium post me Apostolorum scilicet, & aliorum Prophetarum mecum, sunt enim Duces gregis, qui sua eruditione alias oues in grege positas docent: Vnde Psalm.64.numer.14. Induti sunt arietes ouium, & valles abundabunt frumento, & hymnum dicent; & ideò sequitur versiculus: Offeram tibi boues cum hyrcis; quid enim per boues, nisi illi intelliguntur Prophetæ, & Apostoli, qui nobis Scripturas sanctas dispensauerunt, Apost. 1.Corinth. c.9.num.9. Boui trituranti os non infrænabis, Augustin. in Euangel. Ioan. Tract. 10. litera H. Tom.9. Nunquid bos pertinet ad Deum? an propter nos dicit? propter nos enim dicit, quia debet in spe, qui arat, arare, & triturans in spe participandi, quis ergo sensus erit Prophetæ Dauid in hoc versiculo? nisi posteris relinquere exemplum sui, vt tribulati, & propter Deum afflicti, fortes in tribulationibus persistant; psallant soli Deo iubilantes, totos in holocaustum illi se offerant. Nàm qui posuit animam nostram ad vitam, non dabit in commotionem pedes nostros. Narrabo enim, inquit, nomen tuum fratribus meis, apud te laus mea in Ecclesia magna, Holocausta medullata offeram tibi cum incenso arietum, offeram tibi boues cum hyrcis, medullata enim, nàm omnes pingues terræ, & Reges scilicet, & Principes manducabunt, corpus scilicet Christi pro sacrificijs boum, & arietum, & adorabunt cum incenso arietum, quia in conspectu eius cadent omnes, qui descendunt in terram, & anima mea illi viuet, & semen meum seruiet ipsi, edent enim pauperes, & saturabuntur, offeram etiam boues cum hyrcis, quia quod Prophetæ, & Apostoli seminauerunt, hyrci, & oues, pauperes scilicet, & timentes Deum, manducabunt, frumento enim abundabunt, & saturabuntur.

Vel aliter dicamus cum Augustin. Offeram tibi holocaustum medullatum, idest intus tenebo charitatem tuam, non erit in superficie, in medullis meis erit, quod diligo te; nihil enim interius medullis nostris: interiora ossa sunt carne, medullæ interiores sunt ipsis ossibus. Quisquis ergo in superficie colit Deum, magis placere vult hominibus; aliud autem intus sentiens, non offert holocausta medullata, cuius autem medullam inspicit, ipsum totum accipit: hæc Augustin. Totum ergo accipit iste, quia plus alijs Deum diligit, propterea offert boues cum hyrcis, quia iuxta præceptum Domini, eius oues pascere festinat, & hyrcos, dixit enim Simoni (plus me his diligis)? Pasce oues meas, pasce agnos meos, Ioan. cap.21. num.17. Offert ergo boues cum hyrcis, qui holocaustum medullatum prius obtulerat Deo, qui toto corde, tota

ani-

anima; totis viribus diligebat Deum; sine medulla enim non stant ossa, sine ossibus non stat caro, totis ergo viribus nostris diligamus Deum, & proximum nostrum, & tunc medullatum holocaustum cum incenso Arietum, cum bobus, & hyrcis sacrificium illi offerimus.

Ergo, inquit, venite; audite, narrabo omnes, qui timetis De um, quanta fecit animæ meæ: quomodò venite? Ite, inquit Dominus, & prædicate Euangelium, Matth.cap.28.num.19. & Psalm.18.num.5. In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum, venit Iesus, & opera fecit, Ioan.cap.15.num.22. Si non venissem, & locutus fuissem eis, peccatum non haberent. Eamus ergo dicas, & occurramus illi, vt videamus mirabilia, quæ fecit. Venite ergo, quia ipse venit, & locutus est nobis, narrando quanta fecit animæ nostræ, quia redemit nos sanguine suo. Venite omnes, qui timetis Dominum, & narrabit vobis, quia sui eum non receperunt, & vos vocati estis; alij enim, & multi audierunt, & non intellexerunt, sed retrorsum abierunt, quia non credebant, quia non timebant Deum. Inuitantur timentes Deum, vt ad illum veniant; prædicatur vniuersis, sed non omnes obediunt Euangelio, ad Roman.cap.10.num.17. & Isai.cap.53.num.1 Domine quis credidit auditui nostro? omnes ergo audierunt, sed non omnes salui facti sunt, rami eius fracti sunt, & nos oleaster inserti sumus, ad Roman.cap.11.nu.17. Venite, inquit ad timentes, & narrabo vobis, quod manus nostræ contrectauerunt, quod vidimus, quod scimus, & testamur, & annunciamus vobis, quanta fecit animabus nostris, vitam conferens æternam; quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis. Quod vidimus, & audiuimus, annunciamus vobis, vt & vos societatem habeatis nobiscum, & societas nostra sit cum Patre, & cum Filio eius Iesu Christo, 1.Ioan.cap.1.num.1. Qui timetis Deum, inquit, quia vbi non est timor Dei, non est quibus narretur. Venite ergo filij Dei, audite me timorem enim Domini docebo vos, Psalm.17.num.36. & Psalm.33. num.12, & si Deum timueritis, lux erit in vobis, & societatem cum illo habebitis, & sanguis Domini nostri Iesu Christi emundabit vos ab omni peccato. Audite timentes Deum, quibus aures patefactæ sunt, vt audiant, & intelligant, quanta fecit Dominus animæ meæ, & vestræ, sed quid fecit?

Ad ipsum ore meo clamaui. Postquam eius vocem audiui, & ipse intendit mihi, in tenebris enim ambulabam, & ecce lux venit, quæ in tenebris meis lucet, & lumen factum est pedibus meis, vt non amplius ambulem in tenebris, ad ipsum ore meo clamaui, qui os meum aperuit, vt clamarem illi, qui me fecit, & redemit. Ideò clamaui, quia holocausta medullata obtuli illi, & in corde meo illum exaltaui, quia quæ de corde meo præcesserunt, irrita non feci. Et quod in corde meo locutus sum, sub lingua, coram omni populo ad Dominum clamans, laudem illius dixi. Hoc enim fecit animæ meæ, vt prius exaudiret me, antequam clamarem ad illum, aperuit oculos cordis mei, & dedit verba in ore meo, cum aliena à corde meo reiecerim, intus enim existens prohibet extraneum; si enim iniquitatem in corde meo aspexissem, non exaudiret Dominus: puritas exauditur; Si iniquitas à te proijciatur, si ad iniquitatem non perspexeris, tunc enim erit rectum cor tuum, quando non erit peruersum. Venite, & audite, nàm ex quo iniquitatem proieci à me, Deo auxiliante, Deus ipse exaudiuit vocem orationis meæ; disce ergo prius laborare,

ſi præmium ſalutis vis acquirere, ſi à Deo vis in tribulationibus exaudiri.

Auguſtin. hìc litera H. Ecce in cubiculo tuo abſcondito, ipſa vena intima cordis tui, vbi tu ſolus es, & ille, qui videt; illìc tibi diſpliceat iniquitas, vt placeas Deo; noli illam reſpicere, noli illam diligere, ſed potius deſpice, ideſt contemne, & auertere ab ea, hæc Auguſtin.

Iniquitatem ergo ſi aſpexi in corde meo, non exaudiet Dominus: Non ideò quia nulla cordi humano non ſuggeratur iniquitas: ſuggeritur nempe; tu verò non aſpicias: non in illa moreris ſuggeſtione, reijcias illam, non illa te delectet, neque illam diligas, vndè Luc. cap. 9. num. 62. Nemo ponens manum ad aratrum, & reſpiciens retrò, aptus eſt regno Dei; Non ceſſat ſuggeſtio, ſed non fiat reſpectio; ne retrò aſpicias, & ineptus fias Dei Regno Apoſt. ad Philipp. cap. 3. num. 13. Fratres ego me non arbitror comprehendiſſe: Vnum autem: quæ quidem retrò ſunt, obliuiſcens, ad ea verò, quæ ſunt priora extendens meipſum ad deſtinatum perſequor, ad brauium ſupernæ vocationis Dei in Chriſto Ieſu, Auguſtin. Retrò enim noſtra omnia, quæ tranſierunt, iniqua ſunt, nemo ex bono venit ad Chriſtum, omnes peccatores fuerunt, ſed credendo iuſtificantur, non enim perfecta eſt, niſi in illa vita; profectus tamen, & mores boni ab ipſo inſpirantur, ab ipſo donantur, noli ergo tua merita computare, & ſi ſuggeratur iniquitas, noli conſentire, & tunc cum Dauide dices.

Propterea exaudiuit, & attendit voci deprecationis meæ. Quia ſcilicet iniquitatem non aſpexi, non retrò abij: attende tu ad hæc, & Deus intendet in te; intende tu tibi, & Deus intendet in te, & audiet orationem.

Benedictus Deus, qui non amouit orationem meam, & miſericordiam ſuam à me. Non amoueatur miſericordia tua à me, vt non amouear ego ab oratione, & deprecatione: ne tu longè ſis à me, vt ego perſeuerem in deprecatione: perſeueranter mei miſerere, vt nunquam deficiam in oratione, vt non tepeſcam in deprecatione, vt ſemper permaneam in te, & tu in me, Ioan. cap. 17. num. 23.

SOLILOQVIVM.

QVID, ò terreni, qui adhùc in hora vndecima in foro ſtatis otioſi, cur in nequitijs permanetis, cur in Deo iugiter iubilare non ſtudetis, vt à veſtris eruamini iniquitatibus? Iubilate Deo omnis terra, pſallite operando, vt perfecta ſit veſtra iubilatio Deo, & ſi bona facitis, veſtram gloriam non requiratis, ſed date gloriam nomini eius, vt & alij veſtra bona videntes opera, glorificent Patrem veſtrum, qui in Cælis eſt. Tunc enim non creaturam, ſed Creatorem laudari intelligetis. Confitemini Deo, & dicite, terribilia opera tua Domine; quia qui Sancti videbantur, reprobati ſunt, & qui videbantur peccatores, electi facti ſunt. Timenda iudicia tua Domine, & beati, qui confidunt in te; tu enim magnas virtutes operatus es in hominibus: tametſi inimici tui mentiti ſint tibi, te negantes, perſequentes, crucifigentes, & morti tradentes: in illis ſanè mentita eſt iniquitas ſibi: Obcæcaſti illos, vt oſtenderes virtutem tuam, & vt narraretur nomen tuum in vniuerſa terra. Ecce enim omnis terra pſalmum tibi dicens, adorat te, & nomini tuo pſalmum dicit.

Veni-

Venite, & videte opera Domini, non est enim consilium contrà Dominum ò Iudæi, ò infelices peccatores, terribilis est Dominus, vt consilia vestra veniant contrà vos, qui per peccatum mortui estis, iusti verò, & qui in eum credunt, in perpetuum viuent: Mare in aridam conuertisti Domine, vt in flumine pertransirent pede euangelizantes exsiccatis infidelitatis, & iniquitatum aquis. Terram in aridam conuertisti, quia relictis gentium Dijs, & simulachris, ad te petram veram, Gentiles conuersi sunt, & tuam susceperunt fidem: In qua fide lætabimur in te: qui in virtute tua dominaris in æternum. Oculi tui sint super nos respicientes, vt non damnemur cum Iudæis. Non exaltentur ij in semetipsis, qui te exasperantes facti sunt sine lege, sine te Christe inuij, & inaquosi. Cum Apostolis nos, qui Verbum Dei accipere digni facti sumus, benedicamus Dominum Deum nostrum, & laudis eius vocem posteris nostris auditam faciamus: Pater enim animam Iesu Christi posuit, vt esset vita nostra, vt morte sua mortem auferret à nobis: & hanc salutem stabilem fecit in nobis. Probasti nos ò Domine, & sicut argentum nos examinasti, tribulationes supra dorsum ponens, & homines super capita nostra, quorum exercitatione per aquam, & ignem transeuntes, perducendos speramus in refrigerium beatitudinis æternæ. Introeam Domine Iesu in holocaustis, idest cum Sanctis tuis in domum tuam, vt reddam vota mea, quæ distinxerunt labia mea; vt te solum Deum lucrifaciens, cætera terrena despiciam. Hoc locutum est os meum in tribulatione mea, vt nunquam relinquam vestigia tua. Accipe Domine holocausta medullata corporis, & animæ meæ cum acceptabili orationis odore: offerat & mater Ecclesia tibi holocausta medullata cum incenso Arietum, boues, Iudæos scilicet, qui Verbum susceperunt; nàm reiecta contumacia legis, iugo tuo, quod suaue est, ceruices subdiderunt. Cum hyrcis etiam, idest peccatoribus, qui te confitentes fideliter in martyrio perstiterunt. Venite, qui timetis Deum, & narrabo vobis quanta fecit Deus animæ meæ, vt & vos credentes in illum, & in corde vestro Deum inuocantes, simul exaudiamini; si iniquitates in cordibus nostris aspexerimus, non exaudiet Dominus; sit ergo cor nostrum purum, & simplex timens Deum, & exaudiet Deus vocem deprecationis nostræ. Intercede pro me sancte Paule Apostole, cuius insignem hodie colimus conuersionem, vt tecum merear Domino dicere, quid me vis facere? & tu ò Beata Virgo Mater Iesu Maria, iuua me pusillanimem, refoue flebilem, vt sub tuum præsidium fugientis deprecationem non despicias, & cum Psalmista merear dicere; Benedictus Deus, qui non amouit orationem meam, & misericordiam suam à me: Domine in auxilium meum respice, qui conspicis, quia ex nulla mea actione confido, concede propitius, vt contrà omnia aduersantia, Doctoris gentium intercessione merear muniri. Amen.



IN

IN PSALMVM LXVI.

Deus misereatur nostri, & benedicat nobis: illuminet vultum suum super nos, & misereatur nostri.



TITVLVS huius Psalmi: In finem, in Hymnis; Psalmus Cantici Dauid. Cuius Tituli sensus talis esse potest: Psalmus iste dirigit nos in finem, in Christum, & est Cantici, quia est exultatio de Christi incarnatione, in hymnis, ac laudibus Christo exhibendis.

Continuari potest ad præcedentem, quòd cum in illo moniti fuissemus iubilare, & benedicere Dominum, & psallere; consequenter in Psalmo isto 66. docemur, vt Dei auxilium imploremus, ad perseuerandum in suis laudibus, & hymnis.

Deus misereatur nostri, & benedicat nobis: illuminet vultum suum super nos, & misereatur nostri: Benedicat ergo anima nostra Dominum, & Deus benedicat nos: Augustin. hìc, Cum benedicit nos Deus, nos crescimus, & cum nos benedicimus Dominum, crescimus; Vtrunque nobis prodest, simul iuncta stant; in primo ergo præcedenti nos benediximus Dominum, in hoc vt benedicat nos Deus, exoramus, vt benedicentes, & benedictionem à Deo accipientes in illo crescamus, vt illi semper sincero corde, & pura mente seruiamus, holocaustum igneum totum offeramus.

Vinea Dei facti sumus, ideò iubilemus Deo in psalmis, & nomini eius; quia colit nos ad fructum. Ædificium Dei sumus, quia colit nos, & habitat in nobis; non enim qui plantat est aliquid, neque qui rigat, dicit Apostol. 1.Corinth. cap.3.num.6. Ego, inquit, plantaui, Apollo rigauit, sed Deus incrementum dedit: Non ergo quia ex nobis laudes Deo damus; sed gratia Dei, quæ est mecum. Quocunque vertamur, siuè per Angelos, Deum agricolam nostrum inuenimus, siuè per Prophetas, ipse est agricola noster, siuè per Apostolos. In vinea sumus, laboremus in ea, & colamus, quia ipse est, qui colit, & incrementum dat; nos verò vt illam fodiamus, putemus, adhibeamusq. alia, quæ ad agricolarum diligentiam pertinent. Augustin. Pluere enim vineæ nostræ non possumus, & si aliquando irrigare poterimus, nos de riuo ducemus, sed Deus implet fontem.

Postremò in vinea nostra incrementum dare sarmentis non possumus, neque fructus formare, nec semina modificare, nec tempora gignendi nos possumus temperare; Deus autem, qui omnia potest, agricola noster est, securi sumus, hæc Augustin.

Iubilemus ergo Deo, quia in vinea sua sumus, Deus misereatur nostri, & benedicat nobis, vt laborantes in ea permaneamus, & fructum boni operis afferamus.

Psalmi huius summa. Benedicat nos Deus, & misereatur nostri, vt propter aduentum filij eius ipsum confiteantur intima cordis nostri.

Iste Psalmus pauca continere videtur, magnalia tamen, atque mirabilia nar-

narrat. Siquidem patefacit, quomodò hominibus incomprehensibilia, visibilia sint, viamq. in terra ostendit, qua ducimur ad Cælum. Dicitur quippè in eo, quòd Deus, qui ad similitudinem suam nos fecit, per peccatum longè factis ab ipso misertus est nobis, & benedixit nobis: idque in eo, vt cognoscamus in terra viam, qua à peccato mundari, & liberari possimus, & salutare suum Iesum in gentibus prædicemus, sed quem prædicabimus, nisi illum videamus? Illuminauit idcircò vultum suum super nos, qui misereatur nostri: sed quomodò vultum suum super nos demonstrauit, & super nos illuxit? Fecit enim, quod ab initio ordinatum erat, vt terra nostra daret fructum suum, vt per illum cognoscamus viam, qua ad Cælos ducimur, vt vitam in illo habeamus: ipse enim est via, atque vita, & lux nostra, & in omnibus Gentibus salus; in illis scilicet, qui ab illo illuminati credent in ipsum.

Confiteantur, confiteantur tibi populi, nedum ex Iudæis aliqui, sed populi tui omnes, quia tui sunt omnes, qui timent nomen tuum: ò beata Trinitas, & indiuisa Vnitas.

Benedicat, inquit, nos Deus Pater, benedicat nos Deus Filius, benedicat nos Deus Spiritus sanctus; & quis nomen tuum non timebit? & quis Creatorem non benedicet? non laudabit? non confitebitur illi? cùm nobiscum sit misericordia eius? quia perditi, & ecce salui, ac liberi: quia filij iræ, nunc filij Dei. O benignitas Saluatoris: ò clementia Redemptoris: ò charitas Sanctissimæ Trinitatis, Patris, qui proprio filio nón pepercit; Filij, qui seipsum obtulit crucifigendum, vt nostra delicta super humerum suum portans: Spiritus sancti, qui in nobis descendere dignatus est, vt inuisibilia Dei, nobis visibilia cognoscenda, & tractanda proponeret.

Illuminet vultum suum super nos, & benedicat nobis, vt exponendo quæ in hoc Psalmo continentur, viam eius cognoscamus in terra, & in omnibus gentibus salutare suum.

Incipit ergo, Deus misereatur nostri, &c. quia anima nostra sicut terra sine aqua tibi, Psalm. 142. numer. 6. ideò miserere nostri Domine, miserere nostri: tibi dixit cor meum, miserere mei, quia exquisiuit te facies mea: faciem tuam requiram; ne ergo auertas faciem tuam à me, Psalm. 26. num. 8.

Deus misereatur nostri, & benedicat nobis: illuminet vultum suum super nos, & misereatur nostri. Litera clara est. In hoc versiculo, quatuor petit Dauid à Deo, misericordiam, benedictionem, & vultus Domini illuminationem super nos, & iterum, vt misereatur nostri. Et subijcit ob quam causam illa petat, Vt cognoscamus in terra viam tuam: in omnibus gentibus salutare tuum. Porrò cum solus Christus sit via nostra, ipse enim dixit, Ego sum Via, Veritas, & Vita, Ioan. cap. 14. numer. 6. & Mich. cap. 4. num. 2. & docebit nos de vijs suis, & ibimus in semitis eius, quia de Sion egredietur lex, & verbum Domini de Ierusalem. Hanc vultus Domini illuminationem, hanc filij Dei humanitatem, eiusdemquè aduentum petit Dauid, vt nos redimat, & misereatur, Psalm. 25. numer. 11. Redime me, & miserere mei; sicq. miserearis, vt cognoscamus in terra viam tuam, in omnibus gẽtibus salutare tuum Iesum, ità nostras impellens voluntates, vt illuminationi consentiamus. Verùm quia post illuminationem vultus sui, non omnes credent in illum, rogat Dauid, vt postquam aduenerit misereatur etiam nostri, efficiendo, vt diuina eius opitu-

lante

lante gratia credamus; atque in vijs eius ambulemus.

Misereatur ergo Deus nostri, & benedicat nobis, vt spretis his caducis, & temporalibus, præparemus viam nostram ad ea spiritualia, quæ dari nequibant, nisi adueniret Iesus Saluator, vt saluaret nos, & sanguine suo redimeret genus humanum. Misereatur ergo nostri, vt mereamur aduentum Domini; ac post aduentum misereatur insuper, vt illuminati cognoscamus viam eius, & per illam ambulemus cum omnibus gentibus simul; in quo enim scire poterimus, nos venundatos esse, & quod redimemur sine argento? & quomodò in die illa, nomen tuum sciemus, nisi tu ipse, qui locutus es, adueneris? ibidem num.6. & regnaueris? num.7. & nobiscum ambulaueris? Exod.cap.33.num.16. Illumina igitur vultum tuum super nos, vt cognoscamus in terra viam tuam, Saluatorem filium tuum; vt videamus locum, qui est apud te, & stemus supra petram, & cum pertransierit gloria tua, ponas nos in foramine petræ, protegatq. nos dextera tua, Exod. dicto cap.33. num.22. Donec pertranseas, tollasq. manum tuam, & videamus posteriora tua, humanitatem scilicet Christi filij tui; in foramine lateris illius, vndè fluxit pretium nostræ redemptionis.

Confiteantur tibi populi Deus: confiteantur tibi populi omnes; quia Dominator Dominus Deus, misericors, & clemens, & patiens, & multæ miserationis, & verax, qui custodis misericordiam in millia, qui aufers iniquitatem, & scelera, atque peccata, Exod.34.num.7. confiteantur filium tuum esse in te Domine, & carnem nostram assumpsisse pro salute nostra, vt videamus illum, quia cum viderimus eum, etiam te Patrem suum videbimus, Ioan. cap.14. num.9.

Lætentur, & exultent gentes, quoniam iudicas populos in æquitate; & gentes in terra dirigis. Quia oculi nostri videbunt Præceptorem nostrum, & aures nostræ audient verbum post tergum monentis: Hæc est via, ambulate in ea, & non declinetis, neque ad dexteram, neque ad sinistram, Isai.cap.30. num.21. Hieronym. hìc quærit, Quomodò dixit, Deus misereatur nostri, & benedicat nobis, & nunc dicit: Lætentur, & exultent gentes, quoniam iudicas populos in æquitate? si enim ibi est iudicium, non erit misericordia, sed sensus erit, dicit Hieronym. Quoniam omnium est Deus, non vnius gentis tantùm; sed Scriptura seipsam interpretatur, quæ dicit, quoniam iudicas populos in æquitate.

Ego verò sic dicerem, quòd postquam Dauid populum Iudaicum ad confitendum Domino inuitasset, & ille minime obaudisset, excitauit deindè alios populos omnes, vt lætentur gentes, & exultent, quia Deus illas in terra dirigit; Propterea Apostoli dixere: Ecce ad gentes conuertimur, Act.13.num.46. & Isai. cap.49.num.6. Posui te in lucem gentium: Populum verò Iudaicum iudicare, inquit, in æquitate, quia Nisi Dominus exercituum reliquisset illis semen, quasi Sodoma fuissent, Isai.cap.1.numer. 9. & quasi Gomorrhæ similes essent, dicit Isai. Non dico totum populum Iudaicum incredulum fuisse; nàm scimus numerum credentium illorum fuisse magnum, prout in Act. Apostol. in cap.21.num.20. In æquitate iudicauit illum, quia noluit omnium exterminium, sed reliquit semen, vt saltem in die vltimo reliquiæ Israel, quæ conuertentur ad Deum, saluæ fiant.

Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes, terra dedit fructum

fructum suum. Gentes ergo, & populi iam errantes, & perditi, sciant terram dedisse fructum suum; fructus autem terræ est Iesus, fructus ventris Mariæ, qui ideò datus est nobis, vt confiteamur, quia est filius Dei viui, qui venit saluare quod perierat: emisit enim Dominus Agnum de petra deserti ad montem filiæ Sion, qui præparauit in misericordia solium, & sedebit super illud in veritate, in tabernaculo Dauid, Isai. cap. 16. num. 1. & 5. Lætare ergo deserta, & inuia, & exulta solitudo, & florebis quasi lilium, Isai cap. 35. n. 5. Deus veniet, & saluabit nos; nos redempti à Domino, si sequamur vestigia eius; ibi est semita & via, quæ sancta vocatur: ambulemus in illa, & veniamus in Sion, in Ecclesiam istam Dei cum laude, & lætitia sempiterna, quia gaudium, & lætitiam obtinebimus, & fugiet dolor, & gemitus, Isai. d. cap. 35. in fine. Et quòd de fructu ventris Mariæ intelligendum sit, patet; nàm cum terra Iudæ pars sit minima, cur omnes gentes ad laudandum, ad confitendum Domino inuitat, quis enim ad gentes fructus terræ Iudæorum?

Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus: & metuant eum omnes fines terræ, non tres Deos, dicit Psalmista, quamuis Pater sit Deus, filius sit Deus, Spiritus sanctus pariter sit Deus, vnus tamen est Deus, quem metuant, dicit, omnes fines terræ. Benedicat nos Deus Pater, Deus etiam noster, qui est filius, quia carnem nostram pro salute nostra assumpsit: benedicat etiam Spiritus sanctus Deus, quem rogamus, vt corda nostra disponat ad misericordiam recipiendam, ad illuminationem vultus filij Dei. Eiecit nos maledictio per peccatum Adæ, benedicat nos sancta Trinitas, vnus Deus, vt redempti discamus amare cælestia; & ex fructu istius terræ Beatæ Virginis illuminati, totius Trinitatis lumen accipiamus: Fructus terræ primi Parentis eiecit nos de Paradiso, fructus terræ ex Virgine educat nos in exultationem per benedictionem illius, vt fruamur æternis.

Et metuant eum omnes fines terræ. Post benedictionem, inquit, metuant eum omnes terræ; nàm oculi Domini super metuentes eum, Psalm. 32. numer. 18. Propterea benedixit. Dedit metuentibus se significationem, Psal. 59. num. 6. metuant ergo illum, cuius vultus illuminauit eos, quia qui metuunt illum, inuenient eum, Eccles. cap. 6. num. 16. Si essent perfecti, non haberent timorem; timor non est in charitate, sed perfecta charitas foràs mittit timorem, quia timor pœnam non habet, qui autem timet, non est perfectus in charitate, 1. Ioan. cap. 4. num. 11. propterea dixit, omnes fines terræ metuant, quia adhùc non sunt perfecti, adhùc sunt in finibus terræ, idest illuminati, sed non in totum extrà terram, non in totum perfecti; timor enim est incipientium: perfectorum autem est diligere, dicit Hieronym. hìc. Qui adhùc timet, in initio est positus, non habet perfectam, & plenam fidem, qui autem diligit Deum, omnia ei proueniunt in bonum, sicut de Iob legimus, quia omnia illius mala in bonum redacta sunt, hæc Hieronym. Vndè Ioan. 1. cap. 4. in fine; Nos ergo diligamus Deum, quia Deus prior dilexit nos.

SOLILOQVIVM.

DEVS misereatur nostri, & benedicat nobis, vt compressa dominatione carnali, tu Domine facias spiritum triumphare: miserere nostri Domine, vt benedictione tua, primam in homine maledictionem dissoluas. Lumen sit nobis, & omnibus gentibus; quod tunc erit, si tu Domine vultum tuum super nos illuminaueris, si faciem tuam ostenderis, & salui etiam erimus. Tunc viam tuam cognoscemus, si te, qui es via nostra, in terris videbimus. tunc adorabimus te in terra, sicut te Angeli adorant in Cælis, & facta erit voluntas tua in cælo, & in terra: Notus in Iudæa iàm eras Deus meus, nunc tamen via tua haud est illis nota: Gentibus omnibus nota est, postquam salutare tuum Iesum misisti in terram, & ecce omnes populi, vt ad te veniant, confitentur tibi, dolentes ob peccata sua; vt pretioso filij tui sanguine ea deleantur, ecce Domine, quia confitentur tibi populi omnes, & lætantur, quia de captiuitate Diaboli liberantur, iudicante te illos in æquitate: confiteantur tibi populi omnes, terra dedit fructum nostrum, in quo fructu mysterium Trinitatis continetur, Benedicat igitur nos Deus Pater, qui omnium est conditor; benedicat nos Deus noster, qui propterea vocatus est nomine Emmanuel, quòd nobiscum factus est, vt veterem hominem expellens pro maledicto inducat benedictionem: benedicat nos & Spiritus sanctus, in quo omnis sanctificatio nostra.

Metuant te omnes fines terræ, cognoscant omnes populi, quia tu es Deus, vt tunc te timere incipiant, qui hùcusque sine via, inuij errarunt, timeant nunc, vt posteà te diligant. Ne derelinquas me; lumen tuum sit & pedibus meis, vt nunquam à via tua recedant vestigia mea; mecum sit fructus virtutis tuæ, vt terra mea det fructum in tempore suo. Succurre mihi gloriosa Virgo Maria, ex cuius terra fructus saluationis mundo est genitus. Amen.

IN PSALMVM LXVII.

Exurgat Deus, & dissipentur inimici eius, & fugiant, qui oderunt eum à facie eius.



TITVLVS. In finem, Psalmus Cantici Dauid.

Continuatur ad præcedentem Psalmum, in eo namque de populis, ac iustis Deum confitentibus, quibus lumen, & salutem Domini Ecclesia, atque Apostoli deprecantur, in hoc verò de malorum eiectione, & illorum dispersione, & perditione, deque exaltatione Ecclesiæ: terreantur ergo mali in hoc, & lætentur iusti, pro quibus Titulus Cantici inscribitur, In finem, Psalmus Cantici Dauid. In Christum scilicet, vt Psalmus sit iustorum, sitq. eorumdem laus, & exultatio, & Canticum, hoc est laus oris, & cordis operibus bonis comitata. Et hoc ex titulo colligitur, dum dicit, In finem, Psalmus Cantici Dauid: cantemus ergo

Canticum nouum, quia resurrexit Dominus: laus eius sit in Ecclesia sanctorum, quia redemit nos, & ipsius cohæredes effecit in Regno Cælorum, dirigatur ergo oratio nostra, eloquium nostrum, dirigantur cogitationes, & opera in finem, in Christum, qui est finis legis, & credamus in eum.

Summa erit: Resurrectio Christi, inimicorum dispersio, iustorum verò lætitia.

Exurgat Deus, & dissipentur inimici eius. Hæc eadem verba in lib. Numer. cap. 10. numer. 35. scripta videntur, cum eleuaretur Arca fœderis Domini, quæ præcedebat Hebræos in deserto. Prouidens Castrorum locum, dicebat Moyses, surge Domine, & dissipentur inimici tui, & fugiant qui oderunt te à facie tua, &c. propter quam historiam hunc Psalm. 67. factum intelligunt, S. Hilarius, S. Hieronymus, & hæc opinio Recentioribus aliquibus placet; Augustin. verò, & alij totum Psalmum ad Christum referunt resurgentem, & in Cælum ascendentem, atque ad Ecclesiam, quæ est corpus eius: & hæc nobis magis arridet opinio, nàm aliàs non esset prophetia, & verba Psalmi magis ad hunc applicantur sensum, vt de resurrectione Christi intelligantur, & de eius Ascensione; ibi: Dominus dabit verbum euangelizantibus, &c. Mons, in quo beneplacitum est Deo habitare in eo, etenim Dominus habitabit in finem, ascendisti in altum, &c. psallite Deo, qui ascendit super Cælum Cæli ad Orientem. Nec Hieronymo, & Hilario sensus iste contradicit; tametsi spiritualiter sic Psalmum intelligant: Vera ergo intelligentia est S. Augustini, quòd de resurrectione Christi, & illius Ascensione Psalmus iste factus sit, inspirante Spiritu sancto, à Dauide, Incipit ergo.

Exurgat Deus, quem vos scilicet Iudæi occidistis, à mortuis, idest resuscitabit à mortuis, & vos inimici eius Iudæi, qui illum Pontio tradidistis, dissipabimini, & dispergemini. Nunquid non hoc factum est? vos scire debetis, qui vbique dispersi existitis; iuxtà illud, quod prius vobis à Deo comminatum legimus Deuteronom. cap. 28. numer. 63. cum sequen. Sicut enim, inquit, Propheta per os Domini, lætatus est Dominus super vos, benè vobis faciens, vosq. multiplicans; sic lætabitur dispergens vos, atque subuertens, vt auferamini de terra, ad quam ingredieris possidendam, disperget te Dominus in omnes populos, &c. & numer. 64. In gentibus illis non quiesces, neque erit requies vestigio pedis tui; dabit enim tibi Dominus cor pauidum, & deficientes oculos, & animam consumptam mœrore, & erit vita tua quasi pendens ante te; timebis nocte, & die, & non credes vitæ tuæ; mane dices, quis mihi det vesperum? & vespere, quis mihi det mane? propter cordis tui formidinem, qua terreberis, &c. & numer. 68. ibi, venderis inimicis tuis in seruos, & & ancillas, & non erit, qui emat. Legite nunc, ò Iudæi, quid post Christi Ascensionem euenerit vobis. Vbi est Ierusalem? vbi Templum? vbi Principes vestri? quot ex vobis à Romanis occisi? quot igni traditi? quot captiui facti, & vilissimo pretio venditi? vbi mœnia? vbi lapides? vbi sacrificium? surrexit Dominus, quem iniustè occidistis; ascendit in Cælum Dominus, quem negastis, misit Romanos sui exequutores, qui lapidem supra lapidem non reliquerunt. Legite in Iosepho de Bello Iudaico, & videbitis, & intelligetis, quia benè de vobis prophetauit Dauid.

Exurgat Deus iterum in iudicio, & fugiant qui oderunt eum à facie eius,

ſed vbi effugere poterunt? & in quo loco, vbi Deus non ſit? nàm Si aſcendero, inquit Pſalm. 138. numer. 8. in Cælum, tu illìc es: ſi deſcendero in infernum ades, & eodem Pſalm. numer. 7. Quò ibo à ſpiritu tuo? & quò à facie tua fugiam? non in locum fugere poterunt, quia vbique eſt Dominus, corde tamen fugere tentabunt, quia longè à Deo facti videbuntur, quia longè à peccatoribus ſalus, Pſalm. 118. numer. 155. & in alio loco: Longè à ſalute mea verba delictorum meorum, Pſalm. 21. num. 2. Fugient ergo à facie eius; in qua eſt ſalus, quia in ignem maledicti transferentur, non ergo effugient pœnas, ſalus tamen longè erit ab illis.

Sicut deficit fumus deficiant, ſicut fluit cera à facie ignis, ſic pereant peccatores à facie Dei. Quid? nunquid ſicut fumus deficit, & euaneſcit, ſic deficiēt peccatores, ità vt non ſint, ſicut fumus euaneſcit? abſit hoc, quia in æternum in inferno cruciabuntur. Sed deficiet fumus ſuperbiæ eorum, hìc in terra, deſiderium enim peccatorum peribit, Pſalm. 111. numer. 10. & remanebit ignis in inferno, vt crucientur in æternum. Et ſicut fluit cera à facie ignis, ſic peribunt peccatores à facie Domini, hoc eſt ſalutem, nunquam, & à pœnis liberationem reperturi; obliuioni enim dabuntur à facie Domini, vt in æternum pereant nunquam perituri. Auguſtin. Extulerunt namque ſe ignibus odiorum, inſultantes crucifixo, & inde mox euanuerunt & in futuro: ſic pereant, ſequitur Pſalm. Peccatores à facie Dei, ſicut cera fluit, ideſt annichilatur à facie ignis: in iudicio enim à facie Dei tollentur mali, qui ignis erit in pœnam impiorum, & in lumen lucens iuſtorum.

Sicut deficit fumus deficiant, Auguſtin. Tom. 10. in Sermon. de Tempor. in Feria iij. poſt Dominicam Paſsion. Sermon. 1. aliàs 110. cap. 8. fol. 20. lit. A. Qui ſunt, inquit, qui ſicut fumus deficiunt? qui ſunt, niſi ſuperbi, non confitentes peccata ſua, ſed defendentes? Quare fumo comparati ſunt? quia fumus erigit ſe, extollit ſe tamquam in Cælum: ſed quantò fit ſuperior, tantò facilius euaneſcit, & diſperit; ſolidior eſt fumus ignis proximus, & terræ proximus, nondum ſic euaneſcit, nondum ſic eſt diſperſus in ventos. Quando autem attenuatur, euaneſcit, & diſperit, quando ſe multum extulerit, quia ergo ſuperbus ſic ſe erigit contrà Deum, quomodò fumus contrà Cælum, reſtat; vt ità deficiat, & tamquam in ventos ſuæ vanitatis elatione diſsipatus intereat. Quemadmodum diſperit fumus elatus, tumida, non ſolida magnitudine inflatus, ſic eſt enim fumus, vides magnam molem, habes quaſi quod videas, & non habes, quod teneas, hæc Auguſtin.

Iube, dicebant iniqui, cuſtodiri ſepulchrum, ne veniant Diſcipuli, & furentur, & fiat error peior priore; gloriabantur in peccatis ſuis; retulit triginta denarios ille traditor, quia ſanguinem iuſtum tradidiſſe cognouerat; tu videris, reſponderunt illi iniqui; gloriabantur quaſi ſupra Deum regnum illorum cuſtodiſſent; tamquam fumus in altum eleuatus defecerunt. Proceſſit fumus ex flamma ſuperbiæ, auaritiæ, & elationis: euanuit fumus, remanſit ignis, vt flamma combureret illos iniquos peccatores, Pſalm. 105. num. 18. Ecce vos omnes, qui ignem accendiſtis, accincti flammis, ambulate in lumine ignis veſtri, & in flammis, quas ſuccendiſtis. De manu mea factum eſt hoc vobis, dicit Dominus, in doloribus dormietis, Iſai. cap. 50. numer. 11. Quia ecce Dominus in igne veniet, & quaſi turbo quadrigæ eius reddere

dere

dere in indignatione furorem suum, & increpationem suam in flammam ignis; quia in igne Dominus iudicabit, & in gladio suo ad omnem carnem, & multiplicabuntur interfecti à Domino, qui sanctificabantur, & mundos se putabant in hortis, &c. Isai. cap. 66. numer. 15. Inimici Domini statim, vt gloriabuntur, & exaltabuntur, deficientes, sicut fumus deficient, Psalm. 36. Fumus illorum in altum extollitur, & ipsa elatione in globum magnum erumpens, intumescit; sed quantò grandior, tantò vanior factus est.

Si ergo ò Iudæi, ò peccatores, ab hac Psalmi sententia, quæ ex Deo est, euadere cupitis, (illam enim indicauit nobis Dominus, nondum tamen illam protulit contrà te, prædixit, non fixit,) indue te nouum hominem, & ipse Dominus mutabit sententiam, Ierem. cap. 18. numer. 8. Si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo, quod locutus sum aduersus eam; agam & ego pœnitentiam super malo, quod cogitaui, vt facerem ei. Si ergo ò peccator te de commissis pœnituerit, & te mutaueris, mutatur & Deus, hoc est, mutat sententiam, Non est, inquit Augustin. mutata iustitia, sed sententia, iustitia integra manet, Ezech. cap. 18. num. 23. & cap. 33. numer. 11. Non recordabitur iniquitatis tuæ Deus, si tu ab illa pœnitens, & dolens recesseris: non declarabit te innocentem, sed te à peccatis auertentem, & pœnitentem à pœna liberabit; modò enim parcit peccatoribus, dat veniam confitentibus. Confitearis ergo viuus peccata tua, non demoreris in errore impiorum, ante mortem confitere, Isai. cap. 38. numer. 19. Psalm. 6. numer. 6. A mortuo quasi nihil perit confessio, Eccles. cap. 17. num. 27. In compunctionis lacrymis precemur: tunc exurget Deus, & inimici nostri, peccata nostra scilicet dissipabuntur, & fugient à facie Domini, qui oderunt eum, quia contraria sunt peccata claritatis operibus, Sapient. cap. 2. num. 12. Fasciculos soluamus deprimentes, colligationes impietatis dissoluamus, & anteibit facies nostras iustitia nostra, & gloria Domini nos colliget, & citius reuertetur sanitas nostra, Isai. cap. 58. numer. 8. omnes enim sunt Rei, qui peccatis suis inuoluti sunt, & non se optant absolui. Omnes veniam deprecemur. Venia verò datur mutato, & erimus securi, cum audierimus, sicut fluit cera à facie ignis, sic pereant peccatores, à facie Dei: & iusti per gratiam facti epulabimur, & exultabimus in conspectu Dei, & in lætitia, & exultatione delectabimur, Matth. c. 25. numer. 34.

Immortalis est enim memoria iustorum, quoniam apud Deum nota est, & apud homines, nàm cum præsens sit illorum casta generatio cum claritate, imitantur eam, & desiderant illam, cum se eduxerit, & in perpetuum coronata triumphat, Sapien. cap. 4. numer. 2. Exultent in conspectu Dei, quia intrant in gaudium sui, in paucis vexati, supra multa sunt constituti, Matth. cap. 28. numer. 21. & 23. & delectentur in lætitia, quia eorum lætitia, non est sicut ista mundi, quæ finem habet: & non amplius in timore: Non iàm, dicit Augustin. exultantes cum tremore, sicut in hoc sæculo, quandiù est tentatio vita humana super terram. Iàm enim cera à facie ignis liquefacta est; iàm illorum fumus euanuit superbiæ, & effuderunt in terra lacrymas, tamquam flumen aquarum, deleta sunt per pœnitentiam illorum peccata, delectentur nunc, qui in tribulatione positi erant propter peccata, & labores; delectentur, inquit, in lætitia, in conspectu Dei, non hominum; quia quod ab

illo audierunt, veniam scilicet delictorum, si ab illis recesserint, adimpletum videbunt, quando ipsum Iesum Christum in maiestate sua iudicantem audierint dicentem, Venite benedicti, percipite Regnum, &c.

Cantate ergo Domino, vt semper viuentes, ipsi Deo viuamus. Psalmum dicite nomini eius, gloriam eius operantes. Viuimus ergo Deo, si viuenda illi cooperabimur in bono, idest si corde, & voce laudantes Deum conformes illi fuerimus in benè operando, vt non minuamur omni bono, Psalm. 33. numer. 11.

Tunc iter facietis illi, qui ascendit super occasum: Dominus nomen illi. Pulsat Dominus, stat ad ostium, ipse est via, clamat, vt post illum eamus, iàm ascendit super occasum, in ligno Crucis, omne pondus super se tollens peccatorum nostrorum; præbe tu illi cor tuum: iter ostende illi, vt ingrediens in te, secum te ducat in iter, in viam, in vitam, in ipso, in quo omnia sunt. Munda cor tuum, purifica illud, impolluta est enim via eius, & eloquia casta, Psalm.17.numer.31. Psalm.11.num.7. recedant vetera, noua sint omnia, ne memineritis priorum, & antiqua ne intueamini, quia qui te redemit, noua fecit omnia, in deserto enim posuit viam, & in inuio flumina, Isai.43.num.19. vt tu per eam incedas.

Cantate Deo, psalmum dicite nomini eius, cantate Deo Angeli Domini, quia adimplebitur numerus fratrum vestrorum.

Cantate Deo, qui vocati estis ab illo, quosque Pater dedit filio; quia resurrexit Dominus Iesus, iter enim facietis ei, quia super occasum ascendit, & mortem moriendo destruxit, & nos à morte liberauit, pro nobis enim iter fecit in Cælum, Ioan.cap.16.num.15. cum sequen. & num.20. Contristabimini vos, sed tristitia vestra conuertetur in gaudium, & nemo illud tollet à vobis, numer. 22. O Domine Iesu rogo te, voca me, cum benedictis tuis, nàm confiteor, quia tu Domine Iesu à Patre existi, à Patre missus sim & ego inter illos, qui te confessi sunt, vt & ego seruus tuus sim, & Patrem pro me roges, vt in nomine eius merear & ego à te seruari, Ioan.17.num.12. & gaudium tuum in memetipso habeam.

Iter facite ei. Cui? Illi, inquit, cui Dominus est nomen illi, qui pro te peccatore super occasum ascendit: Cantate Deo, psalmum dicite nomini eius, ergo Deus est, cuius nomen est Dominus, in quo est tua salus, super occasum, inquit, quia vndè in passione occubuit, inde maiorem suam gloriam resurgendo manifestauit. Super occasum ascendit, qui mortem, quam pertulit resurgendo calcauit; resurgenti ergo Domino iter præbete per fidem. Eius gloriam fidelibus prædicemus, & tunc iter ei faciemus super occasum; præibimus enim ante faciem eius, quia à sordibus vitiorum corda audientium mundabimus.

Exultate ergo in conspectu eius: turbabuntur à facie eius, Patris Orphanorum, & Iudicis Viduarum. Nunquid non est mortuus Dominus Iesus, resurrexit, & ascendit in Cælum? sed si in Cælum ascendit, quomodò in conspectu eius exultabimus? Nunquid ignoras, quòd iustus ex fide viuit, & si Deo cantat, & psallit, hoc in conspectu Dei agit. Augustin. Tom.10. ad Fratres in Eremo, Sermon.22. litera D. Bonorum enim oratio locutio est ad Deum, quando serui Dei legunt, Deus sine dubio eis feruenter loquitur, sed dum orant, cum Deo suauiter loquuntur, & Psalm.118. numer.151. propè es tu

Do-

Domine, & omnes viæ tuæ rectæ: Cantent ergo, & psallant iusti, quia hæc fiunt in conspectu Dei; Vndè idem Dominus, Matth.cap.28.num.20. dixit, Ero vobiscum vsque ad consummationem sæculi, vbique enim est Dominus, ideò psallentes, & cantantes illi exultant in conspectu Dei, & delectantur in lætitia. Non in lætitia temporali, sed quia pro nomine Iesu digni facti sunt contumeliam pati, Act. Apostol.cap.5.num.41. videntur enim oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace, Sap.cap.3.nu.2. Et inter filios Dei computati sunt, quorum vita apud iniquos reputabatur insania, Sap.cap.5.num.4. Ideò turbabuntur à facie Domini iniqua agentes, quia errauerunt à via veritatis, & lassati sunt in via perditionis, & in malignitate illorum consummabuntur. Ambulate ergo in via veritatis, & in conspectu Domini eritis: & si in paucis vexati, in multis benè disponemini. Turbabuntur autem iniqui à facie Domini, quia iudicium durissimum erit eis, quoniam cum essent ministri Regni Domini, non rectè iudicauerunt, nec custodierunt legem iustitiæ, nec secundum voluntatem Dei ambulauerunt: turbabuntur à facie eius, quoniam interrogabit opera illorum Altissimus, & cogitationes scrutabitur, Sap. cap.6.numer.4.

Turbabuntur à facie eius, qui est Pater Orphanorum, & Iudex Viduarum. Qui Pupillos, & Viduas suscipit, & vias peccatorum disperdit, Psalm.145.nu.9. sed cur Orphanorum, & Viduarum, nonnè & aliorum? Deus quidem vniuersorum est Dominus, Ierem.cap.32.num.27. nunquid difficile erit ei omne verbum, ibidem num.28. Iob cap.34.num.19. opus enim manuum eius sunt vniuersi, Iosue cap.3.num.13. Zach.cap.4. in fine. Dominus est vniuersæ terræ, & omnia per ipsum facta sunt, Ioan.cap.1. Præcipuè autem dici gaudet Deus Orphanorum, & Viduarum, quia istarum personarum dependentia tota ab illo est, nàm & viduæ cogitant quæ Domini sunt, de orphano verò legimus Psalm.16. Pater meus, & mater mea dereliquerunt me, Dominus autem assumpsit me, Patri, & matri renuntia, & eris orphanus, & pupillus, & erit tibi Pater Deus, qui in Cælis est, qui te creauit, qui te redemit, cuius vestigia vt sequaris inuitat; abneget enim patrem, & matrem suam, ait, qui me sequi desiderat, Matth.16.num.24.

Deus in loco sancto suo: Deus qui inhabitare facit vnius moris in domo. Locus sanctus Dei sumus, si per charitatis vnanimitatem templum illius existimus, in quo habitat Spiritus sanctus. Habitemus omnes in vnum, quod est maxime in terris bonum, & iucundum, Psalm.132.num.1. vt & Deum habeamus inhabitantem, vt in peculiari loco sancto suo. Cæterùm peccatis obnoxios, & vinctos in fortitudine educit, illosq. habitantes, & vinctos per longam malam consuetudinem, in sepulchris delictorum, per quæ exasperauerunt Deum, & proximos suos scandalizatos reliquerunt; conuersosq. ad ipsum, qui auertere illos fecit à peccatis, similiter ab iniquitatibus, in quibus diù permanserunt; liberat, & à peccatis absoluit; & educit, Augustin. hîc, litera L. Qui educit compeditos in fortitudine, &c. soluit enim, inquit, grauia vincula peccatorum, quibus impediebantur, ne ambularent in via præceptorum; educit autem eos in fortitudine, quam ante eius gratiam non habebant. Similiter amaricantes, qui habitabant in sepulchris, idest omnino mortuos, occupatos in operibus mortuis, hi enim amaricant resistendo iustitiæ. Nàm illi compediti forsi-

forsitan volunt ambulare, nec possunt, Deumq. precantur vt possint, ad quem dicunt, de necessitatibus meis educ me, Psalm. 24. & ab illo exauditi gratias agunt, dicentes, dirupisti vincula mea. Degeneres sunt isti habitantes in sepulchro, vt de illis Scriptura dicat Eccles. cap. 17. numer. 26. A mortuo perit confessio, vel vt quæ non sit; vndè est illud: Peccator cum venerit in profundum malorum, contemnit, Prouerb. 18. num. 3. Aliud enim est desiderare, aliud oppugnare iustitiam; aliud à malo liberari velle, aliud mala sua defendere potius, quàm fateri. Vtrosq. tamen gratia Christi educit in fortitudine. Qua fortitudine? nisi vt aduersus peccatum vsque ad sanguinem certent? ex vtroque enim genere sunt idonei, quibus construatur locus sanctus eius; illi soluti, illi resuscitati; quia & mulieris, quam alligauerat Satanas per decem & octo annos, iubendo vincula soluit; & Lazari mortem clamando superauit. Qui fecit hæc in corporibus, potest mirabiliora facere in moribus, & facere vnius moris habitare in domo: Educens compeditos in fortitudine, similiter in amaritudine, qui habitant in sepulchris, hæc Augustin.

Præter communem autem istum Augustini sensum, ex Act. Apostolorum eumdem versiculum explicari posse credimus de Paulo Apostolo, & Sila, in carceribus orantibus, inquit enim Text. Act. Apostol. cap. 16. numer. 15. Media nocte Paulus, & Silas laudabant Deum orantes, & audiebant illos, qui in custodia erant; subito verò terræmotus factus est magnus, ità vt mouerentur fundamenta carceris, & statim aperta sunt omnia ostia, & vniuersorũ vincula soluta sunt: expergefactus autẽ custos carceris; & videns ianuas apertas carceris, euaginato gladio volebat se interficere, æstimans fugisse vinctos. Clamauit autem Paulus voce magna, dicens, nihil tibi mali feceris, vniuersi enim hìc sumus, petitoq. lumine introgressus est, & tremefactus procidit Pauli, & Silæ ad pedes, & producens eos foras ait: Domini quid me oportet facere, vt saluus fiam? at illi dixerunt: crede in Dominum Iesum, & saluus eris tu, & domus tua; & locuti sunt ei verbum Domini cum omnibus, qui erant in domo eius, & tollens eos in illa hora noctis, lauit plagas eorum, baptizatus & ipse, & omnis domus eius continuò: Cucurrerat enim aduersus Paulum, & Silam Plebs, & Magistratus, scissis tunicis eorum, & iusserant eos virgis cædi: & cum multas plagas eis intulissent, miserunt eos in carcerem, præcipientes Custodi, vt diligenter custodiret eos, quos vigore præcepti misit in interiorem carcerem, & pedes eorum strinxit ligno, &c. Educuntur ergo propter Deum vincti, simulq. & in sepulchro habitantes, & exasperantes, hoc est iustos Paulum, & Silam, ac reliquos vinctos fortiter, ac strictè, & Custodes, qui in sepulchris peccatorum habitabant, liberauit à morte: ecce ergo quomodò de manibus fortium liberat iustos oppressos Dominus, & illos, qui in sepulchro peccatorum cubabant. Clamantes ad Dominum similiter eduxit de sepulchro iniquitatum: Iustos educens non tangit mortis timor, & iniquos pœnitentes liberat à peccatis, benè ergo dicit Psalmus.

Qui educit vinctos in fortitudine, similiter eos, qui habitant in sepulchris: iustos enim custodes illi in inferioribus carceribus, & in compedibus illos ponentes, exasperantes contra illos, & ipsi compuncti salui facti sunt: Clamat Paulus, excitat in tenebris dormientem: ecce adsumus, noli te interficere: Quid faciam, dicebat ille, vt saluus sim: Crede, inquit, in Iesum Christum;

&

& credidit, & baptizatus est, & lux luxit in caliginosum, & tenebrosum virum.

Similiter eos, qui exasperant, qui habitant in sepulchris, educit Deus in fortitudine; nàm vt dixit Augustin. super Ioan. Magis est iustificare impium, quàm creare cælum, & terram; iustificare enim impium est ex impio facere pium, Augustin. Tom.2.pag.204. lit.C. & Tom.4.fol 327. in explicatione ad Roman.lit.H. cap.22. & Tom.8.Psalm.31.lit.D. fol.68. & hoc in solo Christo fit, vt in illo iustificemur, Augustin. Tom.7.pag.251. lit.C. & D.

Iustificatur ille custos, cum non solum sciens confessus est, sed lauando vulnera Discipulorum, & alia pia opera faciendo, Augustin. Tom.8. Psalm.118. lit.F. sic enim docuit, vt ageret; sed quomodò hæc docuit Dominus? audi sequentia.

Deus cum egrederis in conspectu populi tui, cum pertransires in deserto; docuit ergo, quando de Maria Virgine nasci dignatus est, & Euangelij verba reliquit Gentibus, & populis prædicanda; vt baptizatæ gentes, & credentes, & Dominum sequentes saluæ fierent: docuit ergo nos credere, quia ipse est Iesus filius Dei: docuit & facere, vt tollentes crucem, eius exemplo sequeremur illum, Matth.cap.10.num.38. Marc.cap.8.num.34.

Tunc enim verè eduxit nos, quando vt nos redimeret in mundum venit, quando cum hominibus conuersatus est, cum in conspectu populi sui egressus est, vt transiret in deserto, quia sui eum non receperunt, vndè factum, vt eius doctrina, & fides pertransierit ad gentes, iuxtà illud; Posui enim te, dicit Dominus, in lucem gentium, vt in Isai.cap.49.num.6. Act. Apost.cap.13. num.47. In conspectu egreditur, quando in fortitudine sua vinctos educit, qui iàm amaricantes erant Gentiles, Christianorum persecutores, & de sepulchro diaboli eduxit, atque habitare illos fecit vnius moris in domo. Nàm suscipientes verbum Dei, facti sunt ciues cælorum, & Angelorum socij: egrediebatur in lege veteri, quando populum suum de Ægypto semper præcedens per quadraginta annos in columna ignis nocte, vt illis esset lux, & refrigerium, Exod. cap.13.nu.21. & per diem in columnam nubis. At in testamento nouo egressus est in forma hominis de ventre Virginis Mariæ, vt qui lux erat vera, luceret nobis, qui in nocte ambulabamus. Illos in promissionis terram eduxit, sed mortui sunt, sic nos de terra inuia leuauit, vt iter nobis ostenderet ad viam salutis, illi in terram promissionis adducti, mortui sunt; nos in terra deserti huius, mortuos viuificauit, vt viuentes ingrediamur Paradisi portas.

Deus cum egrederis in conspectu populi tui, cum pertransires in deserto, terra mota est; etenim cæli distillauerunt à facie Dei Sinai, à facie Dei Israel: Qui enim terreni, & gentiles erant, excitati sunt ad credendum Iesu Christo, per Apostolos verbum Dei Euangelizantes, sicq; gratiam cæli distillasse dicuntur, idest Apostoli, de quibus Psalm.32. Verbo Domini cæli firmati sunt, & in alio loco Psalm. 21. numer.32. Annunciabunt cæli iustitiam eius populo, qui nascetur; quem fecit Dominus; Non autem distillauerunt gratiam Dei à se ipsis, sed à facie Dei Sinai, à facie Dei Israel, ab eodem scilicet Deo, qui legem prius dedit Moysi in monte Synai, idem est Deus, quo loquente, populus clamabat, Non loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur, Exod.20. num.19. Illa enim lex ad terrorem data est; Euangelica verò per eumdem Deum, qui cum hominibus voluit conuersari propter nimiam charitatem suam,

in gratia, & amore data est. A facie ergo Dei, ideſt Diſcipulos docentis, & inſpirantis cæli diſtillauerunt. Diſtillauerunt dicitur; quia quando diſtillat aqua guttatim, terra inebriatur, & affert fructũ, & ex ſtillicidijs eius lætatur germinans.

Cæli diſtillauerunt à facie Dei, Iudic. cap. 5. num. 4. Domine cum exires de Seir, & transires per Regiones Edon, terra mota eſt, cæliq., ac nubes diſtillauerunt aquis, montes fluxerunt à facie Domini, & Sinai à facie Domini Dei Iſrael; quid eſt Domine cum exires de Seir? ideſt de populo hiſpido, & piloſo, à Diabolo obſeſſo, de populo Iudaico iniquo, cuius pater Diabolus eſt, ſic enim interpretatur Seir, vt ſupra. Quando populum in erroribus ſuis relinquiſti, quia non receperunt verbum tuum, ad gentes conuerſi ſunt cæli tui, Apoſtoli tui, Act. Apoſt. cap. 13. num. 46. Applicaſtiq. tibi populum Iſrael, Chriſtianum ſcilicet, legem dando Euangelicam.

Terra mota eſt, quia de gentilitate ad Chriſti fidem, de terrenis ad cæleſtia capeſcenda mota eſt; cæli tunc, & nunc atque nubes diſtillauerunt aquas, Apoſtoli nempè, & ſucceſſores Diſcipuli, atque Doctores, aquam ſapientiæ docuerunt Populum Chriſtianum, & potauerunt eum: fauus diſtillans labia tua, Sponſa Chriſti, Eccleſia ſcilicet, Cant. cap. 4. num. 10.

Nàm pluuiam voluntariam ſegregabis Deus hæreditati tuæ, & infirmata eſt, tu verò perfeciſti eam. Pluuiam, ideſt doctrinam, Spiritus ſancti gratiam; voluntariam ideò dixit, quia ſine meritis noſtris illam nobis dediſti, ſed tua Domine ſola voluntate. Et hanc pluuiam ſegregaſti Domine hæreditati tuæ fidelibus tuis, in quos pluuia proflua irrigatione deſcendit & illa hæreditas infirmata eſt, quia agnouit, ſe nihil eſſe ex ſe; tu verò Domine perfeciſti eam, quia virtus in infirmitate perficitur, genuit nos voluntariè verbo ſuo veritatis, mundans lauacro aquæ in verbo vitæ; vt exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam, aut rugam; &c. ad Epheſ. cap. 5. num. 26. vndè Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, non poteſt videre Regnum Dei, Ioan. c. 3. num. 5. Verbo enim veritatis Euangelij voluntariè nos genuit dans poteſtatem filios Dei fieri, Ioan. cap. 1. num. 12. his qui credunt in nomine eius, ij nàmq. ex Deo nati ſunt, qui filij iræ prius erant, & in filios gratiæ genuit nos Deus verbo Euangelij Chriſti, qui veritas eſt: verbo inquam, tamquam ſemine ſpirituali. Semen enim eſt verbum Dei, Luc. 8. num. 10.

Auguſtin. Ipſa gratia intelligitur pluuia voluntaria, quia nullis præcedentibus operum meritis, gratis datur: ſi enim gratia, iàm non ex operibus; alioquin gratia iàm non eſt gratia. Non ſum dignus vocari Apoſtolus, quia perſecutus ſum Eccleſiam Dei; gratia autem Dei ſum id, quod ſum, 1. Corinth. cap. 15. Hæc eſt pluuia voluntaria, voluntariè enim genuit nos verbo veritatis, Iacob. d. cap. 1. & Pſalm. 5. ſcuto bonæ voluntatis tuæ coronaſti nos; iſtam pluuiam cum Deus tranſiret in deſerto, ideſt prædicaretur in gentibus, cæli diſtillauerunt, non tamen à ſeipſis, ſed à facie Dei, quoniam & ipſi gratia Dei ſunt id, quod ſunt. Miremur non ſolùm, quò cæli diſtillauerunt à facie Dei, ſed magis, quia mons Sina, ideſt ille, qui prius Eccleſiam Dei perſequebatur, Hebræus ex Hebræis, ſecundum legem Phariſæus, non à ſeipſo conuerſus eſt, ſed à facie Dei Iſrael, hæc Auguſtin.

Animalia tua habitabunt in ea; paraſti in dulcedine tua pauperi Deus; vbi pluuia voluntaria ſegregata eſt hæreditati Domini, ibi habitabunt animalia tua

tua Domine, per quæ cum infirmata esset hæreditas, tu perfecisti illam: ex ore enim infantium, & lactentium perfecisti laudem, vt destruas inimicum, & vltorem. Animalia ergo sunt illa, de quibus Ioan.cap.10.num.16. & alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, & illas me oportet adducere, & vocem meam audient, & ingredientur, & egredientur, & pascua inuenient, ibidem num.9.

Quia Deus parat in dulcedine illis pauperibus, habitabunt in ea; sed in qua habitatione? in hæreditate Domini. Vbi est hæreditas Domini? In domo illa, vbi habitant vnius moris, in Ecclesia scilicet Dei, firmiter ædificata supra firmam petram, vbi vnica fides, & credentium spes firma, vnum caput, vnus Pastor Christus Dominus, qui ait; Ego sum Pastor, & cognosco oues meas, & cognoscunt me meæ, Ioan.cap.10.num.11.

In dulcedine tua parasti pauperi Deus. Pauperi oui succurrit Deus, vt det illi de dulcedine cibi illius; ipse enim iudicat inter pecus pingue, & macilentum, Ezech.cap.34.num.21 Pro eo, inquit, quod lateribus, & humeris impingebatis, & cornibus vestris ventilabatis omnia infirma pecora, donec dispergerentur foras, saluabo, inquit Deus, gregem meum, & non erit vltrà in rapinam, & iudicabo inter pecus, & pecus, & suscitabo super eum pastorem vnum, qui pascat eas, seruum meum Dauid; ipse pascet eas, & ipse erit eis in pastorem, &c. & num. 25. Et cessare faciam bestias pessimas de terra, & qui habitant in deserto, secùri dormient in saltibus. Et ne de ouibus carnalibus aliquis stultè intelligat, declarat Deus numer. 31. Vos greges mei, greges pascuæ meæ, homines estis, & ego Dominus Deus vester, dicit Dominus Deus. Quibus consonant, quæ Dominus per os Isaiæ loquitur cap.3.num.12. Populum meum exactores sui spoliauerunt, & Matth.cap.23. per totum, væ vobis Pharisæi.

Animalia tua habitabunt in ea. Tua, non sua, ideò oues meæ, inquit, cognoscunt vocem meam. Tibi subdita, inquit Augustin. non sibi libera, à te egentia, non sibi sufficentia. Parasti in dulcedine tua, in suauitate, dicit Augustin. tua egenti, non in illius facultate, hæc Augustin. Parasti cibos, quia egens erat, vt perficiatur, agnouit illam indigentem, & repleuit suauis Dominus ijs, in æternum misericordia eius, Psalm.99.num.3. & Psalm.44.num.9. Suauis Dominus vniuersis, &c. Psalm.108.num.21. ideò Fac mecum Domine propter nomen tuum; quia misericordia tua suauis est; Domine Iesu da mihi tuam suauitatem, & terra mea dabit fructum suum, Psalm.84.nu.13. vt bonum faciam opus, non timore, sed amore; non formidine pœnæ, sed delectatione iustitiæ. Augustin. Ipsa enim est vera, & sana libertas, sed Dominus hæc egenti parauit, non abundanti, cui in opprobrium est ista paupertas, de qua Psalm.122. in fine, opprobrium abundantibus, & despectio superbis.

Vel dicamus, animalia ista fuisse Apostolos, & Prædicatores, quos animalia vocat, Ioan. Apocal.4. Vtrunque stare potest, quòd de ouibus ex alio ouili intelligat, quæ prius animalia erant, quibus non erat intellectus, quos misericordia Dei circumdedit, de gentilitate scilicet, cui Dominus vineam suam locauit, vndè dicit: Populus, quem non cognoui, seruiuit mihi: in auditu auris obediuit mihi, Psalm.17.num.45. Populus, qui creabitur, laudabit Dominum, Psalm.101. num.19. Vndè Isai.cap.18.num.2. Ite Angeli veloces ad gentem

con-

conuulsam, & dilaceratam, ad populum terribilem, post quem non est alius ad gentem expectantem, & conculcatam, cuius diripuerunt flumina terram eius, & num.7. In tempore illo deferetur munus Domino à populo diuulso, & dilacerato, & à populo terribili, &c. de populo enim intelligit Gentili, qui in tenebris ambulabat, & vidit lucem magnam, & cui habitanti in regione vmbræ mortis lux orta est, Isai.cap.9.num.2. Quia Dominus dedit verbum euangelizantibus in virtute multa; euangelizauerunt animalia, quæ habitauerunt in ea. Hæc enim quatuor animalia ab Ezech. visa, cap.1. & Ioan. cap.4. Apocal. de quibus, Gregor.31. Moral. cap.33. Euangelista Ioannes dum sub animalium specie, Euangelistas quatuor se vidisse describeret, & in eis hominis, leonis, bouis, & aquilæ faciem sibi apparuisse testatur, quorum singula ad vnum Euangelistam conueniant, dum alius humanæ natiuitatis ordinem, alius per mundi sacrificij mactationem, quasi vituli mortem; alius potestatis fortitudinem, quasi leonis clamorem insinuat; alius natiuitatem Verbi intuens, quasi ortum Solem quasi Aquila spiciat. Per hæc enim animalia parati sunt cibi pauperi.

Vndè in Act. Apost. cap.14. num.26. Cum autem venissent, & congregassent Ecclesiam, retulerunt, quanta fecisset Deus cum eis, & quia aperuisset gentibus ostium fidei, &c. parasti pauperi, idest Ecclesiæ cibum. Sed quis virtutem dedit animalibus, declarat dicens.

Rex virtutum dilecti dilecti: & speciei domus diuidere spolia. Rex virtutum Pater Deus dilecti filij Iesu Christi, ipse enim Pater dixit in baptismo illius, & in monte illo, Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui, ipsum audite, Matth.cap.3.num.17. & cap.17.num.5. Dilecti etiam Spiritus sancti, nàm ipse Dominus Iesus dixit, Ioan.16.nu.7. Si non abiero, Paraclitus non veniet ad vos; si autem abiero mittam eum ad vos, &c. & n.13. Adhùc habeo multa vobis dicere, sed non potestis portare modò; cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem; non enim loquetur à semetipso, sed quæcunque audiet loquetur, & quæ ventura sunt, annunciabit vobis, ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis. Omnia quæcunque habet Pater mea sunt, propterea dixi, quod de meo accipiet, & annunciabit vobis.

Ecce Rex virtutum Pater Deus, cuius dilecti, dilecti annunciauerunt, & docuerunt Apostolos, & Discipulos. Filius Iesus Ite, inquit, prædicate Euangelium omni creaturæ, &c. Spiritus sanctus, Act. Apost. cap.2. num.3. Et factus de cælo sonus, tamquam aduenientis spiritus vehementis, & repleuit totam domum, vbi erant sedes Discipuli, & Apostoli: & apparuerunt illis dispertitæ linguæ, tamquam ignis, seditq. supra singulos eorum, & repleti sunt omnes Spiritu sancto, & cœperunt loqui varijs linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis. Vndè statuentes Annas, & Caiphas, & Scribæ, & Principes Iudæi Petrum in medio eorum cum alijs Apostolis interrogauerunt eos, in qua virtute sanauerint claudum ex vtero matris suæ: tunc Petrus Spiritu sancto repletus, in nomine Domini Iesu Christi Nazareni hæc fecisse asseruit, Act. Apost.cap.4. num.10. omnesq. dixerunt num.29. Da seruis tuis Domine cum omni fiducia loqui Verbum tuum, in eo, quod manum tuam extendas ad sanitates, & signa, & prodigia fieri per nomen sancti filij tui Iesu.

Et

Et speciei domus diuidere spolia; nàm viri illi à Cornelio missi ad Petrum, dixerunt, Cornelium ab Angelo responsum habuisse, vt Petrum domum ipsius Cornelij accerseret, vt ab illo verba audiret; sed quæ verba? prædicari populo, & testificari, quia ipse est filius Dei, constitutus à Deo Iudex viuorum, & mortuorum, Act. Apost. d.cap.10.num.43.

Rex virtutum dilecti dilecti: Nàm adhùc loquente Petro verba hæc, cecidit Spiritus sanctus super omnes, qui audiebant; Speciei domus diuidere spolia; obstupuerunt enim omnes, qui cum Petro ex circumcisione venerant fideles, quia & in nationes gratia Spiritus sancti effusa est. Et iussit Petrus, iussit Ecclesia, illos omnes baptizari; ibidem in fine. Ergo & gentibus dedit Deus pœnitentiam ad vitam, Act. Apost.cap.11.num.18. Speciei domus diuidere spolia, alios Doctores, & Prædicatores, alios Martyres, & Confessores, Virgines, & Viduas, ex Gentilibus, qui Diabolo subditi erant, diuisit Petrus, & Ecclesia sibi spolia, vt illa daret Deo, simulq. speciosam vbique terrarum diffusam domum facerent Deo suo.

Rex virtutum, quia non tres Reges, non tres Dij, sed vnus Rex, vnus Deus; Rex virtutum Pater dilecti, Rex virtutum filius, Rex virtutum & Spiritus sanctus, dilectus & Patri, & filio, & hi tres vnum sunt; Dominus ergo est, qui dat verbum euangelizantibus virtute multa.

Vel ex Augustin. dicamus, Rex virtutum dilecti, vnici scilicet filij, idest Pater, qui est Rex virtutum filij. Cum dixisset, Dominus dabit verbum euangelizantibus virtute multa, quia ipsa virtus ab eo regitur, eiq. militat, à quo datur; ipse, inquit Dominus, qui dabit verbum euangelizantibus virtute multa, Rex est virtutum dilecti.

Vel aliter ex Hieron. & Augustin. vt sit idem Rex virtutum, & dilectus scilicet Christus, Ac si interroganti, Quis Dominus? dicatur, Rex virtutum dilecti, idest Christus Rex virtutum suarum, idest Apostolorum suorum, & dicit hoc more veteris Scripturæ, sicut legitur in veteri testamento, fecit Moyses, sicut præcepit Dominus Moysi.

Vel ità Rex virtutum dilecti, qui est Pater Angelicarum virtutum, quæ sunt & ipsius dilecti, quia eis imperat & ipse dilectus: deinde repetat dilecti, quod fit ad commendationem, & est sensus. Dilecti, non solùm ad alia, sed etiam ad diuidenda spolia, idest ereptos à Diabolo, quos diuisit, alios Apostolos, alios Prophetas faciendo, spolia dico speciei domus, idest, quæ diuidendo fecit Ecclesiam speciosam, hæc Magister Sententiarum.

Vel aliter dicamus. Rex virtutum omnium, Iesus Christus filius, dilecti Patris, & dilecti Spiritus sancti, qui à Patre, & Filio procedit, dabit verbum euangelizandum Apostolis, & Successoribus, sed etiam potestatem dabit, spolia diuidendi speciosæ domus Prælatis, & ornamenta speciei pulchritudinis domus Patris, Ecclesiæ scilicet, quæ est domus Patris, & orationis, Matth.21.n.13.

Inter quos medios cleros si dormiatis pennæ columbæ deargentatæ, & posteriora dorsi eius in pallore auri. Quid est dormire inter Cleros? nisi habere sortem, ac partem in hæreditate Domini? Clerus enim sortē designat: Cleros inquit, plurali numero, nàm alia est persona Patris, alia Filij, alia Spiritus sancti verumtamen Patris, & Filij, & Spiritus sancti vna est Diuinitas, æqualis gloria, coæterna Maiestas: inter medios cleros, inter illos tres, & vnum, qui dedit

ver-

verbum euangelizantibus virtute magna. Quiescite, verbum audientibus Christiani, si inter medios cleros dormire cupitis, si pars Domini esse desideratis, si pennæ columbæ deargentatæ, & posteriora dorsi eius in pallore auri, idest si cogitationes, & opera vestra Deo placida esse desideratis, & pura, atque lucida, & sic Deo grata, & cara, ac vestras orationes, & spiritus Deo offerre desideratis, si posteriora dorsi vestri in pallore auri, idest si terrena, & humana in comparatione auri splendidissimi, tamquam lutea, & caduca spernentes, soli Deo, inter medios cleros, tamquam holocaustomata pauperibus distribuendo, Deo offeratis in charitate non ficta, quæ nunquam excidit, Augustin. Prius, ait, quærendum esse verborum ordinem, quomodò finiatur sententia, quæ vtique pendet, cum dicitur, si dormiatis: deinde quod ait, pennæ columbæ deargentatæ, vtrum singulari numero intelligendum est, huius pennæ, vel plurali, hæ pennæ: sed singularem, ait, numerum græcus excludit: pluraliter ergo intelligendum est; sed adhùc incertum est; vtrum hæ pennæ, an, ò vos pennæ, vt ipsas pennas alloqui videatur, vtrum verbis, quæ præcesserunt finiatur ista sententia, vt ordo sit: Dominus dabit verbum euangelizantibus virtute multa, si dormiatis inter medios cleros, ò vos pennæ columbæ deargentatæ. An in his, quæ sequuntur, vt ordo sit, si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ, niue dealbabuntur in Selmon, idest ipsæ pennæ dealbabuntur, si dormiatis inter medios cleros. Vt illis hoc dicere intelligatur, qui speciei domus, tamquam spolia diuiduntur, idest, si dormiatis inter medios cleros, ò vos, qui diuidimini speciei domus, per manifestationem spiritus ad vtilitatem, vt alij quidem detur per spiritum sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ, secundum eundem spiritum, & alij fides, alij genera curationum in eodem spiritu, iuxta dicta per S. Paulum, 1. Corinth. 12. Si ergo vos dormiatis inter medios cleros, tunc pennæ columbæ deargentatæ niue dealbabuntur in Selmon. Potest & sic; si vos pennæ columbæ deargentatæ dormiatis inter medios cleros niue dealbabuntur in Selmon, vt subintelligantur homines, qui per gratiam remissionem accipiunt peccatorũ, &c. à praua ergo actione tua quiescas, & inter medios cleros dormies: mente ergo ad summa vola, & pennas habebis, vt terrena vana esse perspicias: pennis argenteis induaris doctrina scilicet Ecclesiæ, & posteriora tua, idest merces tua erit in pallore auri, quia cælestia adipisces, &c. Et potest esse sensus; ò vos, qui tamquam spolia speciei domus diuidimini, si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ eritis, idest in altiora eleuabimini, compagini tamen Ecclesiæ cohærentes, hæc Augustin. qui subdit, Nullam quippè aliam melius intelligi puto columbam deargentatam, quàm illam, de qua dictum est, Vna est columba mea, Cant. 2. num. 14. Surge amica mea, speciosa mea, & veni columba mea, &c. & Cant. cap. 4. num. 8. Veni de Libano sponsa mea. Deargentata est autem, quia eloquijs diuinis est erudita, Psalm. 11. num. 7. Eloquia Domini, eloquia casta, argentum igne examinatum. Dormire inter medios cleros, idest inter duo testamenta noui, & veteris stare, testimonijsq. illorum acquiescere, euigiantibus ergo, si inter medios cleros dormierint, dabit Dominus virtutem multam; tunc enim eis verbum veritatis datur, si auctoritas duorum testamentorum ab eis non relinquatur. Et ipsi erunt pennæ columbæ deargentatæ, quorum prædicatione in cælum gloria fertur Ecclesię. Vel secundum Bernard.

de

de Verbis sapientiæ in illud, sapientia vincit malitiam, fol.1728.lit.E. Dormias, inquit, necesse est inter medios cleros, idest inter passionem, & resurrectionem; hinc stipatus fructibus, hinc fulcibus floribus, fructus ad passionem, flores ad resurrectionem pertinent.

Columba ergo est Ecclesia, de qua supra in Cantic. Vna est columba mea, diuinis eloquijs erudita, propterea ità argento decorata dicitur, vt supra: quæ ideò ad alta volat per pennas prædicantium verbum Dei, qui ideò duas pennas habere dicuntur, cum ex vtroque testaméto veteri, & nouo esse debeat illorum prædicatio; quę tota in charitate fundata sit, propter quã Christus venit in mundum, vt sarcina sua portaret nostra delicta; ideò, ait, supra dorsum meum fabricauerunt, omnium portans peccata, Isai. per totum 53. Vndè sequitur vers. Psal.

Et posteriora dorsi eius in pallore auri: nàm eamdem Christi charitatem sequentes pœnitentiam prædicando, & populos verbum Dei docendo voluntas Domini in manibus eorum dirigetur. Pro eo quòd laborauerunt animæ eorum videbunt, & saturabuntur, & fortium diuident spolia; & ideò ibi in posteriora dorsi eius est viror auri, idest vigor sapientiæ, & sapientiæ vigor est charitas. Vndè ratione similitudinis per posteriora dorsi charitas congruè intelligitur, adeòq iugum meum, ait, suaue, & onus meum leue, quidquid enim in præcepto difficile videtur, amanti leue videtur. Serua ergo præceptum, iugum enim Domini suaue, & onus leue, & inter medios cleros dormies, idest ab Ecclesiæ Doctoribus, & Euangelistis ne discedas, firmus esto inter illos.

Itàq. si inter medios cleros dormire cupimus, discernentem Iesum Christum rogemus, ipse enim regit nos, & petentibus iusta concedit, quæ ad nostram salutem sunt necessaria; quocircà sequitur huius Psalmi tertia pars incipiens.

Dũ discernit cælestis super eã Reges niue dealbabuntur in Selmon; mons Dei, mõs pinguis: Quis cælestis, nisi qui ascendit in cælos Iesus Christus? Is niue est qui discernit Reges, hoc est Ecclesiam suã regentes, & gubernantes, Reges enim dicũtur, Psal. 44. Constitues eos Principes super omnem terrã, illi enim sunt, cũ quibus est Rex Gentium, & Angelorum vsque ad consummationẽ sæculi, Doctores scilicet, Prædicatores, Episcopi, Confessores, & Ecclesiæ Rectores, & Gubernatores.

Cælestis, inquit Christus, 1. Corinth. 15. primus homo de terra terrenus, secundus de cælo cælestis, pro Deo Patre etiam cælestis accipitur, vndè Pater noster, qui es in cælis, Matth. 6. num. 9. Pater vester cælestis perfectus, & cap. 6. num. 15. dimittet vobis Pater vester cælestis.

Si dormierint supradicti erunt per discernentes declarati pennæ deargentatæ, & super eam idest Ecclesiam diuidet gratiam suam, provt ipse voluerit, & quibus remissio erit omnium peccatorum dealbabuntur, vt nix, Isai. cap. 1. nu. 18. Si fuerint peccata vestra vt coccinum quasi nix dealbabuntur si opera, quæ ibi narrantur, feceritis; in Selmon, inquit, in vmbra scilicet gratiæ, quæ venit ex corpore Christi (Selmon enim vmbra interpretatur) idest in gratia Spiritus sancti, quia non meritis suis discernũtur, sed spiritu obumbrante ab æstu carnis, vmbra enim gratiæ defensio nobis est contrà incentiua vitiorum, & carnalium concupiscentiarum, Hinc ad Virginem dicitur, Et virtus Altissimi obũbrabit tibi, Luc. 1. n. 35. idest vmbram faciet tibi, ex illuminato enim corpore fit vmbra; Accessit enim lumen corpori, idest Verbum carni, quando Verbum caro factum est, & qui in eum credunt, hac vmbra proteguntur, quæ de corpore Christi emanat, de cuius pulchritudine accepimus.

Quis verò sit iste Selmon, ex quo vmbra sit, declarat idem Psalmista, dicens; In Selmon, mons Dei, mons pinguis, in quo est plenitudo gratiæ, & sub cuius vmbra sperantes viuimus, donec transeat iniquitas, Psalm. 16. num. 2. Ad hunc montem omnes fluunt peccatores, & si super verticem montium positus sit, prope est nihilominus omnibus inuocantibus eum, & mons pinguis, quia dat gratiam suam omnibus affluenter. Vt quid ergo graui corde qui in vmbra mortis sedetis? Luc. cap. 1. num. 79. Accedite ad montem, & illuminabimini, & facies vestræ non confundentur, Psal. 33. num. 6. Animam enim esurientem bonis satiat Dominus, sedentesq. in vmbra mortis, & tenebris, vinctos in mendicitate, & ferro liberat, Psalm. 106. num. 9. & 10.

Accedamus ad eum, quia ipse Dominus Pater misericordiarum est, & totius consolationis, 2. Corinth. cap. 1. num. 3. Psalm. 102. num. 16. Quomodò miseretur Pater filiorum, miseretur Dominus timentibus se. Ideò mons coagulatus dicitur, quia genuit nos verbo virtutis suæ, lac nobis abundantius præbens gratiæ suæ, 1. Corinth. cap. 3 num. 2. Vndè Isai. cap. 7. num. 22. Nutriet homo vaccam, bouem, & duas oues, & præ vbertate comedet butyrum.

Ideò mons coagulatus, mons pinguis; vt quid suspicamini montes coagulatos? Mons lacte vberrimus, ex quo filij lactantur, & enutriuntur, mons pinguis, quo nutriti butyrum comedentes pingues fiunt in verbo veritatis. Mons coagulatus, nàm dixit Iesus, sinite paruulos venire ad me; mons pinguis, quia in domo Patris mei mansiones multæ sunt. Veniant ergo paruuli in monte coagulato, lac enim inuenient, vndè potum & ipsi recipiant; lac scilicet, iuxta quod dixit Paul. 1. Corinth. 3. n. 2. Tamquam paruulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam. Relinquant paruuli, quæ carnalia, si lac potare desiderant; nàm; si carnales adhùc sint, nec lac doctrinæ sanctæ, idest principia faciliora percipere poterunt, Paul. vt supra, ibi. Sed nec nunc quidem potestis, adhùc enim carnales estis, inquit ille: paruuli enim dicuntur, qui fidei rudimenta percipere conantur, & desiderant; istis enim paruulis non in sublimitate sermonis, aut sapientiæ, annunciandum est testimonium Christi, Paulus enim dicebat, 1. Corinth. 2. n. 2. se non iudicare aliquid scire inter nos, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum, &c. & ego, inquit, in infirmitate, & timore multo fui apud vos, & sermo meus, & prædicatio mea, non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus, & virtutis, vt fides vestra non sit in sapientia hominum; sed in virtute Dei, &c.

Mons pinguis, nàm postquam benè in fide firmati fuerint, & lac Ecclesiæ potare digni facti fuerint, ne cogitetis in Ecclesia pro perfectioribus deficere sapientiam, nàm inter perfectos sapientiam loqui sibi reseruauit Apostolus, vt supra nu. 6. non mundi sapientiam, sed sapientiam Dei loquimur, dicit, inter perfectos, mons coagulatus, mons pinguis, vt quid suspicamini montes coagulatos? nunquid non ipse pro omnibus missus est? ideò missus est, vt omnis ex nobis ab iniquitate esset dimissus, Augustin. in Ioan. Tract. 44. in initio. Habet in publico, vndè paruulos lacte nutriat, seruat in secreto, vndè mentes sublimium in admiratione suspendat. Quasi quidam quippè est fluuius, vt ità dixerim, planus, & altus, in quo & Agnus ambulat, & Elephas natet, dicit Gregor.

Vt quid suspicamini montes coagulatos. Vide Dei posteriora, considera, qui fecit cęlum, & terram, & mens tua sic ab admiratione suspensa remanebit, & lux, quæ venit, vt luceat in mundo, lucebit tibi, & sacramenta Dei adisces, c. 2. in Sap.

in

in fine. In hoc enim monte, in hác Ecclesia, si introieris ò homo, si documenta ab illa audieris, eius pinguedinem considerabis, videbis & afflues: Vt quid ergo gentes, montes coagulatos suspicamini? vt quid extra Ecclesiam salutem cogitatis? vt quid alius mons coagulatus, & pinguis, ò hæretici, ò bestiales homines cogitatis, ac falsò asseritis? Audite Isai.c.2. in princ. Et erit præparatus mons in nouissimis diebus, domus Domini in vertice montium, & eleuabitur super colles, & fluent ad eum omnes gentes, & ibunt populi multi, & dicent, Venite, & ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis eius, quia de Sion exibit lex, & verbum Domini de Ierusalem, &c.

Mons Ecclesiæ coagulatus, quò ad paruulos, quos lacte fidei nutrit; mons pinguis propter altioris doctrinæ fertilitatem, quia ingenia alta pascit, ità Magister in Gloss. Veniant rudes, & pueri, accedant fortes, & sapientes, omnes amplectitur, omnium salutem expetit, & docet ad salutem. Vnus est mons, vna est Ecclesia, vt quid alios esse montes suspicamini; vnus est Deus, extra quem non est salus, vnũ est Euangelium, & vna Ecclesia, extra quam non est lac, nec pinguedo.

Mons, in quo beneplacitum est Deo habitare in eo; etenim habitabit vsque in finem: non est hìc alius mons, nec alia domus Dei; non sicut illi, qui alium dicebant Ioannem, alij Ieremiam, aut vnum ex Prophetis: Vos autem quem me esse dicitis? dicat Petrus pro nobis omnibus, confiteatur, quia tu es Christus filius Dei viui; confitemur & nos, quia tu es Iesus Christus filius Dei viui, qui ideò carnem nostram assumere dignatus es, & mori, & resurgere, vt nos redimendo à morte liberares. Non est, qui similis sit tibi; non est alius mons, in quo sit domus Domini, & in quo ipse inhabitet vsque in finem. Veniant hæretici, dicant Iudæi, quia sint alij Montes in Ierusalem, quia sint vera falsa illorum documenta, immo detrimenta, quia ipsa mortem afferunt; non est alia natio, quæ Deos habeat appropinquantes sibi sicut Dominus noster.

Mons, in quo beneplacitum est Deo habitare in eo, etenim Dominus habitabit in finem. Sed hìc quærendum, quomodò Dominus Deus in monte hoc habitare dicatur, nunquid Deus non est vbique? Si descendero in infernum ades, & si ascendero in cælum, ibi es. Quomodò ergo in monte hoc pingue habitat Deus, si vbique est? & per essentiam, & per præsentiam, & per potentiam, Magister Sent. lib. 1. distin. 37. Non enim, inquit vbicunque est Deus, ibi habitat, vbi verò habitat, ibi est, Isai. 66. in princ. Cælum mihi sedes est, & terra scabellum pedum meorum, in cælo ergo vbi Angeli, in terra vbi sunt electi eius, in his habitat Deus, & regnat, qui eius obtemperat voluntati; per gratiam ergo habitat in te Deus, si tu bonus eris in conspectu illius, si tu intra Ecclesiá existens, præcepta eius seruaueris; non sic de malis est, nàm illos quia terra sunt, iudicio discretionis calcat, vndè Sap. cap. 1. num. 4. In maleuolam animam non intrabit Sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis; Spiritus enim sanctus disciplinæ effugiet fictum, & auferet se à cogitationibus, quæ sunt sine intellectu, & corripietur à superueniente iniquitate, & Psal. 93. num. 20. Nunquam adhæret tibi sedes iniquitatis.

Deus ergo cum essentialiter sit in omnibus, sicut dat de anima exemplum, August. lib. de Animæ origine: est quidem totus in illis omnibus, tamen plenus dicitur in ijs esse, quos inhabitat, idest in quibus ità est, vt faciat eos esse tem-

templum suum: Cùm ergo id per gratiam Dei fit, & extra Ecclesiam iustificans non detur gratia Dei, Templum Domini erit, qui in Ecclesia habitans, voluntatem Dei fecerit; sine fide enim impossibile est placere Deo, ad Hebr. cap. 11. Vel dicamus, quòd mons est Christus, in quo beneplacitum est Deo habitare in eo, in quo Dominus habitabit in perpetuum, quia ipse, & Pater vnum sunt, Ioan. 17. num. 21. Ego in Patre, & Pater in me est. Et tu fidelis cum illo mons pinguis eris, & cum Deo habitabis in perpetuum iuxtà illud, Ioan. c. 17. nu. 20. Ego in eis, & tu in me, num. 24. vt & ipsi in nobis vnum sint; Ego in eis, & tu in me, vt sint consummati in vnum, ideò

Currus Dei decem millibus multiplex millia lætantium: Currus Dei portantes Deū, vnanimes copulati charitate, quos ad ministeriū suæ voluntatis moderatur.

Currus verò Dei decem millibus, idest infinitus numerus, & multiplex millia lætantium, Dominus in eis in Syna, in Sancto: Ioan. Apocal. 7. n. 9. Post hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis, stantes ante Thronum in conspectu Agni, amicti stolis albis, & palmæ in manibus eorum, & clamabant voce magna, dicentes, salus Deo nostro, qui sedet super Thronum, & Agno. Et omnes Angeli stabant in conspectu Throni, &c. Multiplex millia lætantium: Benedictio, & claritas, & sapientia, & gratiarum actio, honor, & virtus, & fortitudo Deo nostro in sæcula sæculorum, Amen.

Dominus in Syna, in sancto, vbi habitat, in Ecclesia nempè, vbi dedit legem, & præcepta legis; In eadem currus Dei decem millibus, infinitus servientium Domino numerus, multiplex, diuersorum scilicet multitudo, multiplex Domino seruientium, vt dicit ad Hebr. cap. 11. num. 32. Et quid adhùc dicam, &c. deficiet enim me tempus enarrantem, de Gedeon, Barach, Sampson, Dauid, Samuel, & Prophetis; qui per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones, obturauerunt ora leonum, &c. & n. 35. alij distenti sunt, &c. alij ludibria, & verbera experti, insuper & vincula, & carceres, lapidati sunt, secti sunt, in occisione gladij mortui sunt, &c. egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus, in solitudinibus errantes, &c. 2. Corinth. 11. nu. 27. In labore, & ærumna, in vigilijs multis, in fame, & siti, in ieiunijs multis, in frigore, & nuditate, &c. Sustinetis, inquit, si quis vos in seruitutem redigit, si quis deuorat, &c. in laboribus plurimis, &c. in plagis supra modum, ibid. nu. 23. cum sequen. Stabunt iusti in magna constantia, aduersus eos, qui se angustiauerunt, Sap. cap. 5. num. 1.

Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium; Dominus in eis in Syna, in Sancto. Quomodò ad illum coagulatum montem perueniamus in itinere securi, docet nos, quia non per terrena, & inuia tansitus est nobis, & iter; non ibi latrones, & Diaboli ministri, vt à vijs Domini impediamur ne perueniamus. Sed in curru Domini Dei decem millibus multiplex, hoc est vltra numerum, quem, quis numerare possit, Angelorum custodiam? finitum ponit pro infinito, vt nec vllus de manu sua possit iustos rapere, Millia lętantium, nàm gaudium est Angelis super vno peccatore pœnitētiam agente, quàm supra nonagintanouem iustis; Lætantur Sancti, quia qui perditus erat, inuentus est; sed vbi currus, super quē currit seruus ad cælum? sequitur Psal. Vbi est Dominus: sed vbi est Dominus? in Syna, in sancto. Sed vbi est sanctum Syna declarat, dicens.

Ascen-

Ascendisti in altum, cœpisti captiuitatem, hanc in curru Dei posuit, & secum duxit in Paradisum; currus enim Dei dicitur mons Dei, multis Angelorum millibus stipatus; mons ergo Dei est currus Dei, Ecclesia Dei, quæ à decem millibus multiplex custoditur, vndè dicebat Iesus, An putas, quia non possum rogare Patrem, & dabit mihi plusquam duodecim legiones Angelorum? Matth. cap.26.num.53. Vt quid suspicamini montes coagulatos? Vndè Paul. ad Hebr.cap.12.num.22. inquit, Accessistis ad Sion montem, & ciuitatem Dei viuentis Ierusalem cælestem; & multorum millium Angelorum frequentiam, & Ecclesiam primitiuorum, qui conscripti sunt in cælis, & Iudicem omnium Deum, & spiritus iustorum perfectorum, & testamenti noui mediatorem Iesum, &c.

Ascendisti in altum, cœpisti captiuitatem; accepisti dona in hominibus; ascendisti in altum, iuxtà quod dixit Iesus; Si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum, Ioan.cap.12.num.32. descendisti Domine Iesu, & paulo minus factus es ab Angelis, & humiliatus vsque ad mortem, vt captiuos in altum tecum duceres, nos tecum in altum ascenderemus. Tu verò super omnes cælos ad dexteram Patris, vt intercederes pro nobis; qui hic residui serui tui permanentes. Iàm enim quos captiuos tenebat infernus, tecum libens conduxisti: hinc Paul. ad Ephes, cap.4.num.9. Quod autem ascendit, quid est, nisi quia & descendit primùm in inferiores partes terræ? Qui descendit, ipse est, qui ascendit super omnes cælos, vt impleret omnia.

Accepisti dona in hominibus; sed si dedit dona hominibus, quomodò accepit idem dona ab hominibus? nàm Paul. vt supra dixit, quòd ipse Iesus scilicet dedit quosdam Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Euangelistas, alios Pastores, & Doctores ad consummationem Sanctorum in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis filij Dei in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi, &c. nos ergo accepimus ab illo, ipse est, qui dedit dona hominibus, vndè ad Ephes.cap.2.num.8. Gratia enim estis saluati per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum est, &c. quomodò autem idem acceperit dona in hominibus, ex eo patet, quod fecerunt missi ab illo Apostoli. Audi Isaiam cap.66.nu.20. Et adducent omnes fratres vestros de cunctis gentibus donum Domino, &c. ad montem sanctum meum Ierusalem, dicit Dominus, quomodò si inferant filij Israel munus in vase mundo in domū Domini.

Augustin. Accepisti, inquit, dona in hominibus, nec moueat, quòd Apostolus idem testimonium commemorans non ait; accepisti dona in hominibus, sed dedit dona hominibus; ille quippè auctoritate Apostolica secundum hoc locutus est, quod Deus filius cum Patre fecit, secundum hoc quippè dedit dona hominibus, mittens eis Spiritum sanctum, qui Spiritus est Patris, & Filij: secundum illud verò, quod idem ipse Christus in corpore suo intelligitur, quod est Ecclesia, propter quod & membra eius sunt Sancti, & fideles eius, vndè de eis dicitur, 1.Corinth.cap.12. Vos autem estis corpus Christi, & membra, proculdubio & ipse accepit dona in hominibus; Christus quippè ascendit in altum, & sedet ad dexteram Patris, sed nisi, & hic esset in terris, non indè clamasset, Saule, Saule, quid me persequeris? Act. Apostol. cap.9. Cum ergo ipsemet dicat, quod vni ex meis minimis fecistis, quid dubitamus, eum

accipere in membris suis, quæ dona membra eius accipiunt?

Accepisti dona in hominibus: sed quæ dona? homines enim erant, & non credentes in Deum, nec Deo, etenim, inquit vers. non credentes inhabitare Dominum Deum: inhabitare nō credebant cum hominibus Dominum Deum, & quòd verbum caro factum esset; vndè dicitur, Gens, quæ me non nouerat, seruiuit mihi, in auditu auris obediuit mihi, Psalm.17.num.45. Isai.c.54.n.3. & 55.num.4. & Psalm.78.num.1. Venerunt gentes in hæreditatem sibi, & hæreditabis in omnibus gentibus, Psalm.81.num.8. Accepit dona in hominibus, quia gens in hæreditatem suam data est sibi, Psalm.2.num.8. quæ perdita erat, non credendo enim possidebatur ab inimico, qui operatur in filijs diffidentiæ, Augustin. Donis ergo gratiæ, qui accepit dona in hominibus, captiuauit istam captiuitatem: etenim non credentes erant, vt inhabitarent; nàm fides eos inde liberauit, vt iàm credentes in domo Domini, facti & ipsi domus Dei, & currus Dei decem millibus lætantium.

Eia ergo fratres dilectissimi, & nos cum Dauide spiritu exultantes, & in curru Domini existentes, Deum quotidiè, omni tempore laudantes, & benedicentes rogemus vt prosperum iter faciat nobis in curru suo, cum ipse sit Deus salutarium nostrorum, prosperum, inquit, iter, nàm dum viuimus in hac mortali vita, iter facimus, vt ad illam æternam perueniamus; vsque ad finem, idest ad Christum, qui est vita nostra, & ipsi nos perueniamus. Prosperum ideò dicit, faciat iter nobis Deus saluationum nostrarum.

Deus noster, Deus saluos faciendi. Deus noster, inquit, non sicut Dij gentium, qui sunt Dæmonia; in quibus aliqua non est salus: Deus noster, Deus saluos faciendi, in quo est salus, vita, & resurrectio nostra. Propterea, inquit, & Domini Domini exitus mortis, quia per illum mors vltrà non dominatur, mors enim mortua fuit, ad Roman.cap.6. num.5. Ioan.8.num.52. Si quis sermonem meum gustauerit, mortem non gustabit in æternum, & ante in nu.51. si quis sermonem seruauerit meum, mortem non videbit in æternum. Hinc Paul. ad Hebr.cap.2.num.14. Ecce ego, & pueri mei, quos dedit mihi Dominus, quia ergo pueri carni communicauerunt, & ipse similiter participauit eisdem, vt per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium, idest Diabolum; & liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxij erant seruituti: Vndè Osee cap.13.num.14. de manu, inquit, ex persona filij, mortis liberabo eos, de morte redimam eos; Ero mors tua, ò mors, morsus tuus ero inferne, Isai. verò cap.25.nu.9. & sequen. Ecce Deus noster iste expectauimus eum, & saluabit nos, iste Dominus sustinuimus eum, exultabimus, & lætabimur in salutari eius, quia requiescet manus Domini in monte isto. Et paulò superius, num.8. præcipitabit mortem in sempiternum.

Deus noster, Deus saluos faciendi, & Domini Domini exitus mortis, ideò Deus noster, quia venit, vt saluos suos faceret. Vndè Ioan. cap.17. numer.6. Manifestaui nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo; tui erant, & mihi eos dedisti, & sermonem tuum seruauerunt, & cap.17.numer.9. Ego pro eis rogo, non pro mundo rogo, sed pro eis, quos dedisti mihi, qui tui sunt, & clarificatus sum in eis. Pater sancte serua eos in nomine tuo; quos dedisti mihi, &c. quos dedisti mihi, custodiui, &c. de mundo non sunt, sicut & ego. Sed si tui sumus, cur & ipsi morimur; si tu Deus es, vt salues, si tui est exitus

mortis? nonnè & boni, & mali omnes moriuntur? Sed si Domini Domini hoc ille nomine Tetegramaton Deus, factus est homo, & mori voluit homo, vt te hominem viuificaret, cur tu mortalis, mundo mori recusabis, vt mors vltra tibi non sit, nec dominetur? An ignoras, quia mors ista, dormitio est nostra, vt à somno per passionem Christi excitatus viuas in sæcula sæculorum? Ad quid mortuus esset Christus Deus, & homo, nisi vt mors sua fieret vita nostra, non enim iustos tangit huius mortis tormentum, Sap. cap. 3. numer. 1. Insipientium oculis mori videntur, sed ecce quia in pace viuimus: Vnius enim delicto mortui sunt multi; multò magis gratia Dei, & donum in gratiam vnius hominis Iesu Christi in plures abundauit, ad Roman. cap. 5. numer. 15. ideò dicit: Deus noster, Deus saluos faciendi; non enim in omnes, sed in quos facta est prædestinatio, eos nempè, qui vocationi assentientes erunt, saluabit: hinc idem ad Roman. vt suprà num. 18. Si enim vnius delicto mors regnauit; &c. Sicut in Adam omnes moriuntur, ità & in Christo omnes viuificabuntur, 1. Corinth. cap. 15. num. 21. Vnusquisque autem in suo ordine: primitiæ Christus: deindè ij, qui sunt Christi, qui in aduentu eius crediderunt, deindè finis, cum tradiderit Regnum Deo Patri, cum euacuauerit omnē principatum, & potestatem, & virtutem. Oportet enim illum regnare, donec ponat inimicos omnes sub pedibus: nouissimè autem inimica destruetur mors, &c. Vndè rectè dicitur, & Domini Domini exitus mortis; nàm inimica tunc nouissimè destruetur mors, quia tunc à Deo tradetur Regnum filio. Sede enim, ait, à dextris meis: donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum, Psalm. 109. numer. 1. exitus mortis Domini Domini, quia ipse est Deus noster, Deus saluos faciendi.

Vel aliter dicamus, Deus noster Deus saluos faciendi, & Domini Domini exitus mortis; hoc est, siuè moriantur iusti, quia Martyres facti sint; siuè Virgines, & Viduæ, quæ propter Deum sint passæ multarum mortium genera, & ità etiam de Confessoribus, & Doctoribus, & de alijs tribulatis Christi fidelibus, sit qualevis mortis illorum genus, & diuersitas, Dominus est saluans, quos voluerit, & exitus mortis Domini est Iesu Christi. Illos enim tentat Dominus, & probat, vt inueniat eos dignos se, & quasi holocausti hostiam accipit illos. Et quis illorum exitus mortis? Visi sunt oculis insipientium mori, & ecce illi viuunt in pace, & inter Sanctos, & filios Dei reputati sunt. Et quis exitus mortis, nisi laboris leuamen? Vndè Sap. cap. 5. Stabunt Sancti aduersus eos, qui abstulerunt labores eorum. Sed nunquid iustorum, & iniquorum exitus erit idem exitus mortis? non dicit vers. sequens.

Veruntamen Deus confringet capita inimicorum suorum verticem capilli perambulantium in delictis suis; Verè, inquit, Deus est saluans; hoc est saluos omnes esse desiderans: si hìc punit, & capita confringit, ideò id facit, vt resipiscentes, & seipsos à malis, & à peccatis abdicantes conuertantur ad Dominum, & salui fiant, si verò in futuro capita eorum confringantur, hoc fit, vt in perpetuum in tartara trudantur, quid est capita confringere, nisi superbos à facie Domini repellere, vel si hìc confringuntur, ideò vt humilientur.

Confringuntur ergo inimicorum capita, & conquassantur, cum à superbia deijciuntur, siuè humilitate correcti, siuè in imma tartari absorpti. Augustin. Quid ergo nunc dicis Iudæe: alios saluos fecit, seipsum saluum facere non

potest?

potest? Matth. cap.27.nu.42. Deus est, qui saluat, & superborum colla confringit, humiliat, & exaltat: & in manu eius exitus mortis: Si tu te humiliaueris, & fidem habebis, Deus salutis tuæ erit, & mortis exitus; & in finem, in Christum vita tua: si tu te extuleris, & in vijs iniquitatis ambulaueris.

Verticem capilli perambulantium in delictis suis, Quid est verticem capilli? nisi quia stricte, & de omni etiam minimo peccato cruciaberis, rationem redditurus in iudicio. Quid ergo, ò Hæretice, ò superbe de infirmitatibus tuis gloriaris? nunquid non in puluerem reuerteris? nunquid in perpetuum non cruciaberis, qui in vitijs, & delictis tuis perseuerans de delicto in delicto prosterneris. Cur non humiliatus ad matrem tuam Ecclesiam sanctam eundo, cū filio prodigo dicas. Peccaui coram te, & Deo meo, & coram hominibus; non sum dignus vocari filius tuus, fac me, sicut vnum ex mercenarijs tuis. Vt Deus tibi propitietur peccatori, & inuenies stolam candidam, & vitulum saginatum, & erit gaudium in Cælo, te ad Ecclesiam Dei reuertente, Ezech. c. 18. & cap. 33. Cur in calumnijs perseuerans quæstionum inanium, in verticem capilli subtilitates inueniens, vt Doctor ab alijs videaris, & nouarum inuentor opinionum? non est discipulus supra magistrum, Matth. cap. 10. num. 24. Festucam in alieno oculo tibi falsò videre videtur, & trabem in oculo tuo non consideras. Festuca in trabem conuersa, caput tuum confringet, quia iniquè es perseuerans in iniquitate tua.

Resurrexit Christus, non abstulerunt Discipuli, ò infelices Iudæi, corpus Iesu, vt vos testes dormientes inducentes falsò asserebatis: Ecce totus mundus post illum vadit, quia filium Dei esse confitentur, & capita vestra confracta sunt, & conquassata. Legite vestrum Iosephum Iudæum; interrogate Patres vestros, & annunciabunt vobis; respicite ad Templum, & Ciuitatem vestram Ierusalem, & lapidem super lapidem non inuenietis, quia igni incensa, destructa capita vestra, hoc est maiores vestri cum reliquis de populo occisi, igne consumpti, præuidit hæc Propheta, propterea dixit.

Veruntamen Deus confringet capita inimicorum suorum, verticem capilli perambulantium in delictis suis. Vertex erat Ciuitas illa vestra Metropolitana, capillis ornata, idest Turribus, & muris circumcincta. Sed cur capillis æquiparata? nisi quia à capite Christo aliena facta, facilis fuit illorum abiectio, & deiectio, & tamquam à vento in diuersas partes proiecta, dispersa. Sed quia vos, ò ingrati Iesum non recepistis, & lacerastis, ò hæretici.

Dixit Dominus ex Basan conuertam, conuertam in profundum maris. Ad illos scilicet me conuertam, qui iam in profundum maris, in peccatorum profundum immersi erant, ad gentes, quæ nomen meum non cognouerunt, Isai. cap. 65. num. 1. Quæsierunt me, qui ante non interrogabant me, Isai. 49. nu. 6. Posui te, inquit Dominus, in salutem Gentium, Act. Apostol. d. cap. 13. nu. 48. Ex Basan conuertam eos, qui erant ex confusione peccatorum, confusio enim Basan dicitur, vel sitiens. Nam cum Dei verbum recepissent Gentiles, salutem sitientes; dixere quid faciam Domine, vt saluus fiam? Vade, inquit, in vicum, qui vocatur rectus, Act. cap. 9. num. 11. Vel melius dicamus de Cornelio Gentilitatem repræsentante, Act. cap. 10. numer. 3. ibi & is vidit in visu manifestè quasi hora diei nona Angelum Dei introeuntem ad se; & dicentem sibi, Corneli: at ille intuens eum timore correptus dixit, Quid est Domine? dixit autē

illi,

illi, Orationes tuæ, & Eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei, & nunc mitte viros in Ioppen, & accersi Simonem, qui cognominatur Petrus, Hic hospitatur apud Simonem quendam coriarium, cuius est domus iuxta mare; hic dicet tibi, quid te oporteat facere,&c. In Ioppen mittitur, quæ pulchritudo, aut decor interpretatur, vndè Isai,cap.60.num.21. Populus autem tuus omnes iusti, in perpetuum hæreditabunt terram, germen plantationis meæ, opus manus meæ ad glorificandum: minimus erit in mille, & paruulus in gentem fortissimam, Ego Dominus in tempore eius subdito faciam illud.

Conuertit ergo Dominus ex Basan, ex confusione peccatorum, quia confunditur de peccatis, qui pro eis rogat. Quomodò ergo non saluat alios, ò infelices,cum sit ille Deus saluos faciendi? qui ex Basan conuertit, vt salui simus? Deus ergo omnipotens conuerte illos etiam, vt salui fiant, Psalm.79. num.4.

Dixit Dominus ex Basan conuertam; Augustin. Si conuertam, quare in profundum maris? in seipsum quippè conuertit Dominus,cum salubriter conuertit, & non est ipse vtique in profundo maris; an fallit forsan latina locutio? & pro eo positum in profundum, quod est in profundo; non ille se conuertit,sed sibi conuertit eos,qui in profundo huius sæculi iacent demersi pondere peccatorum, vbi conuersus ille dicit, De profundis clamaui ad te Domine, hæc August. sed quomodò non in profundum conuertam, cum Dominus in eo posuerit omnium nostrum iniquitates? Isai.53.n.6. Nonnè ex Basan, ex confusione in profundum conuertam? nàm Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit; conuertam, inquit, in profundum, quia pro illis mori voluit, quos vnum secum illis eos esse declarauit, Ioan.17. Mecum enim vnum sunt, num.21.

Tui enim omnes propter peccata inimici eramus, in profundum conuersus es, vt nos tecum in altum tolleres.

Vt intingatur pes tuus in sanguine, lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso. Ex inimicis facti amici, ità vt pes Domini facti simus prædicando Iesum vsque ad sanguinem, scilicet vsque ad mortem. Et lingua canum tuorum facti simus, vbi prius inimici eramus; contrà enim hostes tuos latrantes facti sumus, conuersi ad te; canes tui facti, qui de micis mensæ tuæ comedimus. Linguam dixit, vt intelligeremus non vi, & armis conuertendas gentes, & infideles, sed prædicatione. Augustin. Tom.3. de Trinitate, lib.13. cap.13. lit. F. Placuit Deo,vt propter eruendum hominem de Diaboli potestate,non potentia Diabolus, sed iustitia vinceretur.

Lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso: nàm ex inimicis, Prædicatores verbi Dei facti ex gratia Dei, quia vocati sunt, propterea & ipsi Prædicatores pedes Domini Iesu Christi dicti sunt, Vndè Deuteron. cap.33.num.3. lit. H. Qui appropinquant pedibus eius, accipient de doctrina eius: sensus ergo erit, Iesus Christus filius Dei,qui carnem nostram voluit assumere, sanguinem etiam suum effundere dignatus est pro redemptione nostra: & quia potens est,& omnia sub pedibus eius, Prædicatores veritatis ex inimicis assumpsit ex gratia sua, quos alios Apostolos, alios Euangelistas, alios Ecclesiæ Doctores ordinauit, inter quos Paulus factus ex Saulo persecutore.

Viderunt ingressus tuos Deus; ingressus Dei mei, Regis mei, qui est in san-

sancto; Ex hoc patet humanitas Christi, nàm aliàs scriptum est: In mari via tua, & semitæ tuæ in aquis multis, & vestigia tua non cognoscentur: ipsa enim terra dicitur mare per similitudinem, quia amara est vita humana, tempestatibus subdita; vbi maior piscis minorem deuorat; sed quomodò in sancto habitas, vestigia tua non cognoscentur? quia in propria venit, & sui eum non receperunt, Ioan. cap. 1. In gressibus enim tuis noluerunt ambulare, & ideò non cognoscunt gressus Dei. Iàm dudum dicit Augustin. Psalm. 96. litera M. in sancto tuo via tua: modò in mari est via tua, quia ipso sanctus in mari, & meritò super aquas maris etiam ambulauit. In gentibus enim, quæ mare amarum dicebantur via Domini fuit, & est; in illis prædicatur Christus Dominus iuxtà illud Isai. dicto cap. 49. numer. 6. Posui te in lucem gentium, & in Psalm. 66. numer. 1. Deus misereatur nostri, &c. vt cognoscamus in terra viam tuam, in omnibus gentibus salutare tuum. Ecce in mari via iàm est Domini, & in populis multis; sed vestigia tua non cognoscentur ab illis, qui erant in sanctuario, à Iudæis scilicet, nàm dixerunt nondum venisse Christum, Ioan. 7. num. 21. Ideò non cognoscunt vestigia ambulantis super mare, quia non audiuit populus meus legem meam, & Israel non intendit mihi, Psalm. 80. nu. 12.

In mari est via tua, in cordibus scilicet hominum, quos tibi subdidisti: Amarum erat hoc mare, & mortuum, venisti tu fons vitæ Iesu, vt sanares, & indulcorares: de Templo tuo Domine egressus est fons aquæ viuæ, venit ad mare mortuum, Gentilium scilicet, quod nihil viuens habebat, Ezech. cap. 47. numer. 12. Iam princeps holocaustum spontaneum, & pacifica voluntaria Domino fecit, aperta est ei porta, quæ respiciebat ad Orientem, & holocaustum suum, & pacifica sua fecit, Ezech. cap. 46. nu. 12. seipsum enim in holocaustum Patri dedit pro Gentibus, & Iudæis illis, qui Domino crediderunt, aperta est nobis porta iustitiæ; ingressi sumus in ea, confiteamur Domino, hæc enim porta Domini, in qua iusti intrant in eam, & iniquis clausa est.

Præuenerunt Principes coniuncti psallentibus in medio iuuencularum tympanistriarum. Qui viderunt ingressus tuos Domine, pastores fuerunt, quibus Angeli apparuerunt, dicentes; Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Dicite nobis pastores, quis apparuit? Natum vidimus, & choros Angelorum collaudantes Dominum, Luc. cap. 2. numer. 13. & qui sunt principes taliter psallentibus coniuncti in medio iuuencularum animarum, scilicet cælestium, & psallentium, in tympano, atque canentium: Principes primi fuerunt Apostoli Domini scilicet, qui omnes alios homines præuenerunt in mundo confitentes Dominum, & Angeli Domini erant cum illis, illi scilicet Principes gressus Domini cognouerunt, nàm ad eam Christi interrogationem. Quem dicunt homines esse filium hominis? præuenerunt cæteros Apostoli, & omnium nomine Petrus dicens, tu es Christus filius Dei viui, Matth. cap. 16. num. 16.

In medio iuuencularum tympanistriarum, quia inter medios pœnitentes, & carnem suam, vt Deo placerent, macerantes, Apostoli fuerunt, stetere permanentes, & præ angustia spiritus gementes, qui insensati ab hominibus reputabantur; Vndè de vna istarum specie tympanistriarum cantat Ecclesia sancta, Hæc Christi amore saucia, dum mundi amorem noxium horruit, ad cælestia iter peregit arduum, carnem domans ieiunijs, &c. tympanizant enim, idest

idest carnes suas ieiunijs, & castigationibus lacerantes exsiccant, Vndè August. hìc litera E. Principes sunt Apostoli, ipsi enim præuenerunt, vt populi sequerentur, præuenerunt annunciantes nouum testamentum, coniuncti psallentibus, de quorum bonis operibus etiam visibilibus tamquam organis laudis glorificaretur Deus. Ijdem autem Principes in medio iuuencularum tympanistriarum in ministerio scilicet honorabili, hoc est enim adolescentularum carne edomita Deum laudantium; hoc est enim tympanistriarum, & quod tympana fiant corio siccato, & extento: hæc Augustin. In medio iuuencularum tympanistriarum, & nos psallamus, vt orationibus, & disciplinis mortificati, vita nostra, sensus siccentur nostri, soliquè Deo Saluatori laudes exhibeamus, qui nos redemit.

Præuenerunt Principes coniuncti psallentibus in medio iuuencularum tympanistriarum; ex quarta parte, quæ de his, quæ post Christi ascensionem fient, inquit Psalmista: fidelium scilicet exaltationem, cum ad Dei laudes sint eleuati, & à malo præseruati: quando ab Angelo admoniti, è Ciuitate Ierusalem fugerunt, vt inimicorum Vrbem destruentium ruinam effugerent, & est sensus istius versiculi: quod principales fidelium edocti à Spiritu sancto præuenerunt oppugnationem Ciuitatis Ierusalem fugientes ad Regnum Agrippæ. Hæc est aliquorum opinio, quæ nobis non satis conueniens videtur, non enim percipimus, quomodò fuga in cantu, & tympanis; & quomodò Principes in medio iuuencularum, dato etiam quòd fuga ab illis, qui Ciuitatem custodiebant, permissa fuisset. Magis verò ad transitum maris rubri congrua videtur comparatio: tunc enim quod præcesserint Principes in medio cum psallentibus tympanistriarum iuuencularum tympana pulsantium, credendum est, iàm contigerat victoria, iàm periculum fugatum, & inimici in mare demersi. Sed quòd in fuga psallerent potest esse, sed durum, vt credatur, verum est, quia Sancti Ibant gaudentes à conspectu Concilij, qui digni fuerunt pro nomine Iesu contumeliam pati, non tamen tympana pulsantes: historiam in Exod. 14. videre poteris.

In medio igitur iuuencularum tympanistriarum præuenerunt cognoscere te ò Domine Principes, idest Apostoli coniuncti psallentibus. Non extrà Ecclesiam, nec sine Baptismo eorum erat Christi filij Dei cognitio, & illius gressus imitatio: sed in Ecclesijs benedicebant Domino de fontibus Israel. Qui enim sunt fontes Israel, nisi iusti, qui de fontibus suscepti Baptismatis in Ecclesia permanent, & gressus Domini sequentes, laudant Dominum, & dulcis eorum apud Dominum resonat cantus, vnà cum psallentibus, & iuuenculis tympanistrijs? ò vos de fontibus Israel potati, de Christi doctrina in Ecclesia sua instructi, ò vos, qui ex Basan conuersi estis, benedicite Domino, laus vestra in Ecclesia sanctorum, non in hæreticorum conuenticulis, non in luxuriantium contubernijs, non in falsis dogmatibus, de fontibus, inquit, Israel, de doctrina Christi, in Ecclesia eius tantùm existente, ibi iuuenculæ adolescentulæ, noua gratia decoratæ, tympanistriæ, ab omnibus vitijs alienæ factæ, tympanistriæ scilicet castigata carne, sono spirituali.

Augustin. In Ecclesijs benedicite Dominum; tamquam diceret, quicumque videtis adolescentulas tympanistrias, lasciua delectamenta, non cogitantes, in Ecclesijs benedicite Dominum; Ecclesiæ quippè vobis hac mystica significatione

tione monſtrantur; Eccleſiæ ſunt adoleſcentulæ, noua gratia decoratæ, Eccleſiæ ſunt tympaniſtriæ, caſtigata carne ſpirituali ſonore.

In Eccleſijs benedicite Dominum Deum de fontibus Iſrael; inde prius elegit, quos fontes faceret, nàm inde ſunt electi Apoſtoli, & ij primitus audierunt, Ioan.4. Qui biberit ex hac aqua, quam eis dabo, non ſitiet vnquam, ſed fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam: hæc Auguſtin.

Benedicite Domino de fontibus Iſrael. Nàm ſine fide, quomodò de fontibus Iſrael benedices Domino, ſine fide enim impoſſibile eſt placere Deo, ad Hebr.cap.11.numer.6. tunc enim fauus diſtillans labia tua ſponſa, mel, & lac ſub lingua tua. Sed cur hæc? Quia fons ſignatus es, in fide ſcilicet fundatus, Cantic. cap.4. num.12. Quomodò viuet, ſi ex hoc fonte non biberit? Ioan.3. num.3. Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, non poteſt intrare in Regnum Dei.

Præuenerunt Principes iuncti pſallentibus, &c. de fontibus Iſrael, audi, Si illorum præuentionem ſcire deſideras, vt ſalueris, ò infidelis, ò Iudæe, interrogate Petrum, & Apoſtolos, & compuncti dicite, quid facimus viri fratres, & audietis illum dicentem, Pœnitentiam agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrum in nomine Ieſu Chriſti, in remiſſionem peccatorum veſtrorum, & accipietis donum Spiritus ſancti, Act. Apoſtol. cap.2.numer.38. & 41. Qui ergo receperunt ſermonem eius, baptizati ſunt. Ecce quomodò præuenerunt Principes, prædicauerunt, inquit, & cum his, qui receperunt, & baptizati ſunt, pſallebant; Erant enim, inquit Text. num.42. perſeuerantes in doctrina Apoſtolorum, ecce iuuenculæ tympaniſtriæ, & numer. 46. quotidie quoque perdurantes vnanimiter in Templo, & frangentes circà domos panem, ſumebant cibum cum exultatione, & ſimplicitate cordis collaudantes Deum; Dominus autem augebat eos, qui ſalui fierent quotidie in idipſum, &c. Frangebant panem, ecce quomodò charitas de fontibus Iſrael, qui enim Chriſti eſt, in illo etiam charitas eſſe debet, quia Chriſtus eſt ipſa charitas, Vndè Prouerb. c.13. numer.14. Lex ſapientis fons vitæ, vt declinet à ruina mortis; in lumine enim Chriſti videbimus lumen, ſi charitatem in nobis ad eius exemplum imitabimur, Pſalm.38. Quoniam apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen; & ſi Chriſtum intueamur, nonnè de Cælo deſcendentem Deum, hominem factum, & humilem conſiderabimus? cur tu ſuperbiam ò hæretice, ò inique ſectaris, qui in Eccleſia Dei fontem ſignatum te iactas? ſi ſuperbias quomodò fons ſalientis per humilitatem in vitam æternam tibi erit? Diſperdit Dominus ſuperbos mente cordis ſui, Luc. cap.1.numer.51. De loco voluptatis fons iſte, verbum Dei ſcilicet, egreſſus eſt ad irrigandam terram, Geneſ.cap.2. num.10. Quomodò tu irrigaberis, ſi longè à fonte per ſuperbiam factus eris? Longè à peccatoribus ſalus, Pſalm.21.num.2. & Pſalm.118.num.155. Recede, recede ab iniquitate tua, & audi verbum Dei, quod tibi ab Eccleſia prædicatur, quod ab Apoſtolis præuenientibus tranſmiſſum eſt, vt ſimul cum illis pſallas & tu, & adoleſcentulus factus tympanizes, & ſapiens eris; nàm ſcriptum eſt, Eccleſ. cap.1.numer.5. Fons ſapientiæ, Verbum Dei in excelſis, quod deſcendit in terris, vt tu illud percipiendo ſapiens fias. Iàm domui Dauid patens factus eſt, fons patens in ablutionem peccatoris, & menſtruatæ, Zach.13. num.1. ad illum venit ille cæcus, lauit, & vidit, Ioan.9.num.11. poſtquam

lutum

lutum ex sputo fecit Iesus, & oculos eius liniuit, Ioan. cap. 9. numer. 6. Ideò lutum fecit ex sputo, vt tu credas, quòd ille est Deus, qui te creauit ex luto, & quia per peccatum perditus eras, idem Deus est ille, qui venit vt te lauaret in fonte Baptismatis, quo sanus fieres à peccato, in Siloe, quod interpretatur missus; ad hoc enim Iesus missus est, vt tu videns factus ex cæco, & illum intuens, atque sequens, vitam habeas in ipso, qui est lux, & vita.

Venite ergo ad fontem Domini, vt non amplius sitiatis ò Gentiles, ò Iudæi, qui vsque nunc peruersi fuistis, iàm enim non est amplius fons paruus; in fluuium enim magnum factus est, iàm creuit, in omnibus mundi partibus iàm extensus est. Venite, inquam, quia ibi inuenietis Beniamin adolescentulum in mentis excessu; sed quomodò adolescentulus? Nonnè est ille, de quo scriptum est, quòd vestimenta lapidantium Stephanum secus pedes adolescentis posita fuere, qui vocabatur Saulus? Act. Apostol. cap.7. numer.57. Adolescens erat ille, sed non in Ecclesia Dei, nondum ab Apostolis præuentus, extrà illos stabat cum iniquis persequens Dei seruos. Ibi Beniamin in mentis excessu, cadens enim in terram ad Christi vocem tremens factus est, & stupens; quid me vis facere, inquit, ò Domine? Audiuitquè: Vade in Ciuitatem, ingredere in Ecclesiam, suscipe Verbum, quod tibi dicetur, surrexit, & apertis oculis non videbat, donec ad docentem accessisset, ad Discipulum Ananiam. Quo audito statim vidit, & squamæ ab oculis eius ceciderunt, & continuò prædicabat in Synagogis, quoniam hic est filius Dei, Act. Apostol. cap.9. numer.20. & per totum. Fuit enim Paulus de tribu Beniamin, lupus rapax, mane comedens prædam, & vespere diuidens spolia, Genes. cap.49. Adolescentulus in ætatis suæ mane erat, quando Ecclesiam Dei persecutus est, sed in vespere suæ conuersionis ad Deum, spolia Diabolo erepta diuisit per diuersa officia. A sensibus corporis fuit in excessu mentis, quando vsque ad tertium Cælum raptus fuit. Ex tribu Beniamin illum fuisse ipse Paulus dixit ad Philippens. cap.3.numer.5. Si quis alius videtur confidere in carne, ego magis, circumcisus octauo die ex genere Israel, de tribu Beniamin Hebræus ex Hebræis, &c. secundum emulationem persequens Ecclesiam Dei, &c. & ad Roman. cap.11. Ibi inter Apostolos scilicet, adnumeratus est, qui prius cum inimicis inimicus erat Dei; iàm persecutor, nunc gentium Prædicator: iàm in iniquitatibus adolescens; posteà inter Apostolos nouissimus, & innocens; iàm Diaboli minister, posteà veritatis Doctor, & Gentium magister. Audite magistrum ò infideles, vt cum Paulo efficiamini fideles, accedite ad eum, & facies vestræ non confundentur, Psalm.33.num.6.

Principes Iuda, Duces eorum, Principes Zabulon, & Principes Nephtalim: An Principes Apostoli, ex his tribubus fuerint, adhùc ignoramus, piè tamen ità esse credimus. Ad interpretationem nominum recurramus, & illorum certitudinem inueniemus, quam & in Christi fidelibus necessariam diximus, Tria in Ecclesia Dei Principatum obtinent, & tres sunt Principes, qui præuenire debent simul cum psallentibus, & Deum laudantibus. Iudas interpretatur confessio: Zabulon, habitaculum fortitudinis, Nephtalim verò, dilatatio; Vndè Augustin. Hæc omnia verissimos eos nobis insinuant Principes Ecclesiarum dignos ducatu, dignos imitatione, & honoribus, Martyres enim in Ecclesijs

locum summum tenent, atque apice summæ dignitatis excellunt: in martyrio primò confessio est, & pro illa quidquid acciderit, tolerandi sequens assumitur fortitudo: deindè post omnia tolerata, finitis angustijs, latitudo consequitur in præmium: Confessio ergo illorum fuit in fide, fortitudo in spe, latitudo in charitate. Fidei quippè res est, vt credatur ad iustitiam, ore autem confessio fiat ad salutem. In passionibus autem tribulationum, res tristis est, sed spes fortis est; si enim quæ non videmus speramus, per patientiam expectamus. Latitudinem verò præstat charitatis in corde diffusio; nàm consummata charitas, foras mittit timorem, qui timor tormentũ habet per animæ angustias. Principes ergo Iuda Duces eorum, quorum? qui in Ecclesijs benedicunt Dominum; Principes Zabulon, Principes Nephtalim: Principes confessionis, fortitudinis, latitudinis, Principes spei, fidei, & charitatis: hæc Augustin.

Aliter verò Hieronym. hunc explicat versiculum, dicens; Principes Iuda; hoc est Apostoli sunt, Iuda, hoc est Domini, quemadmodum dicit Iacob Genes. cap. 49. litera B. Iuda te laudabunt fratres tui; Zabulon fluxus noctis, Nephtalim latitudo: quando liberati fuerimus de passione libidinis, hoc est illius fluxus, tunc incipimus latitudines virtutum.

Vel aliter dicamus. Principes Iuda, Duces eorum, &c. vt discant, qui Ecclesiæ Dei præesse desiderant, qui Principes psallentium, & tympanistriarum sunt, tribus his virtutibus armatos esse, Iuda, Zabulon, & Nephtalim, primo Iudam esse, vt confiteatur Iesum Christum esse filium Dei, & in hac confessione fortem, & constantem esse, ideò Zabulon: & si Princeps est, hanc confessionem, & constantiam populis prædicare, & docendo fidem Christi dilatare: nec tribulationes, & martyria comminata, & illata, illos terrere debent, quia in hoc, confessionis fortitudo consistit, vt dilatatio fidei sequatur; per hæc enim martyria vicerunt Martyres regna, videbant enim Apostoli ex ipsorum prædicatione virorum, atque mulierum multitudinem magnam ad fidem conuersorum, ideò Principes Nephtalim, & cor illorum dilatabatur ad aliarum gentium solicitam conuersionem, Prouerb. 21. num. 4. Exaltatio enim oculorum est dilatatio cordis: Vndè dicebant in cordibus suis, quod Propheta Dauid hìc in spiritu prophetat.

Manda Deus virtuti tuæ, confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis. Notifica scilicet & nobis, cõmenda Christum filium tuum. Quod annunciamus, tu Domine perfice, vt audientes percipiant, & psallant nobiscum; Confirma Domine hoc, quod operatus es in nobis in Templo sancto tuo, quæ est Ecclesia tua, vt fides vna omnium gentium sit, sicut est vnica Ecclesia tua: manda docendo per Principes, idest Prædicatores, & Episcopos, & lauando per gratiam confirma.

Vel aliter: Manda Deus Pater virtuti tuæ filio tuo, vt liberando veniat populum suum redimere: vt gressus eius videntes, cognoscant gressus Dei mei, Regis mei, qui est in sancto: vt cognoscant gentes, & cognoscat congregatio, quanta tu Domine fecisti nobis, Ierem. cap. 6. num. 18. Iàm enim in hac congregatione, & fidelium Ecclesia præuenerunt Principes cum iuuenculis, & tympanistrijs; iàm in Ecclesia baptizati benedicunt tibi, in qua & Saulus persecutor inuenitur adolescentulus in mentis excessu factus, iàm enim

ascen-

ascendit vsque ad tertium Cælum, & plenus sicut cæteri Principes Apostoli Spiritu sancto, vidit arcana tua Domine, in eademq. Ecclesia Principes Iudæ, & Principes Zabulon, & Principes Nephtalim, fideles scilicet Pastores, fortes, & in omnem terram verbum tuum dilatantes. Manda Deus filio tuo in hanc Ciuitatem munitam, in columnam ferream, & in murum æneum super omnem terram, Regibus Iuda, Genes. cap.48. Principibus eius, & Sacerdotibus, & populo terræ: bellabunt enim aduersum te, & Ecclesiam tuam, & non præualebunt, quia tu Dominus nobiscum es, vt liberes nos, Ierem. cap. 1. numer.18. Insurgunt inimici tui aduersus nos: Confirma Deus, quod operatus es in nobis, dans populo tuo fidei augmentum, in aduersis fortitudinem, in alijs populis fidei nostræ dilatationem; vt vnus simus omnes populus tuus, vnus voluntatem tuam faciens; sis nobis tu Domine in lucem sempiternam, & in gloriam nostram: non occidat vltrà Sol noster, & Luna nostra, si tu Domine eris nobis lux sempiterna, Isai. cap.60.num.20.

Manda Deus virtuti tuæ, confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis, manda operarios in vineam tuam, Principes Iuda; manda docentes in illam, vt verbo, & exemplo facti potentes trahant debiles, & superbos ad nos. Manda Principes Zabulon, vt in vniuersam terram euntes, tentorium Ecclesiæ tuæ dilatent, longos faciant funiculos tuos, Isai. cap.54.num.2. Cum enim tu Domine pro nobis mortuus sis, quomodò non omnia nobis donabis? Manda, dixit Propheta, Deus virtuti tuæ, ad reliquas gentes, vt illis dicat, sicut & nobis dixit: Ecce ego ad gentem, quæ non inuocabat nomen meum, Isai.c.65. num.2. vt vnus sit pastor, vnus grex, vnus populus, vna fiat credentium fides, & spes, & charitas.

Vt à Templo tuo in Ierusalem tibi offerant reges munera: Quæ munera, nisi laudes tuas, & corda? tu enim Domine, vt saluares homines venisti, offerant tibi Reges semetipsos benè viuentes, & præcepta seruantes tua, offerant & corda sua vt te Deum verum cognoscant, & confiteantur. Quomodò enim audient illæ gentes, si non mittantur Reges, qui à Templo tuo procedentes eos doceant, & prædicent. A Templo tuo procedant Reges, seù Principes, quia extrà Templum tuum non est Euangelium, non est salus hominum. Offerent tunc illi Reges tibi munera, populum nempè, qui nascetur quem tu fecisti Domine. Munera dicuntur, quia quod ipsi lucrabuntur, animas scilicet fidelium tibi offerent; Dicis enim tu Domine, si prædicatione tua conuersus erit peccator, quòd lucratus eris fratrem suum; lucrum animarum, quas Reges prædicatione conuerterint, tibi offerent, munus tibi acceptum; cum gaudium sit in Cælo super vno peccatore pœnitentiam agente, Luc. cap.15. numer.7. quàm suprà nonaginta nouem iustis, qui non egent pœnitentia.

A Templo tuo Domine Reges regnent, præcedant Prædicatores, vt qui Hæretici, & alij Schismatici extrà Templum, aliud docere ausi fuerint, non audiantur.

Increpa istas arundinis feras, quæ nec ipsæ intrant, nec alios permittunt intrare in Regnum tuum, Matth.23.num.16.

Congregatio Taurorum in vaccis populorum, vt excludant eos, qui probati sunt argento. Increpa feras bestiales, potentes Romanos, qui tunc in

Martyres, tàm crudeliter fæuierunt, tàm feraciter, & impiè more barbarico occiderunt, feris feræ ipsæ obijcientes illos, & lacerantes, vndè Psalm.79.nu.14. Singularis ferus depastus est eam.

Arundinis feræ, cum illorum potentia arundini vento agitatæ fit similis, & ideò potentes potenter cruciabuntur in inferno, Sap. cap.6. numer.5. & viros potentes gyrans migrare facit. Eccles.cap.19.numer.25. & descendent Vnicornes cum eis, & Tauri cum potentibus, Isai. cap.34.numer.7. hoc est, descendent in infernum robusti, Tauri cum potentibus, Chald. Increpa feras arundinis; hæreticos scilicet, qui vento ducuntur falsorum dogmatum suorum, & iniustè. Vt excludant eos, qui probati sunt argento, quos sancta Ecclesia approbauit, salutaria documenta, quos tu Domine probasti sicut argentum, quod per ignem probatur, Sapien.cap.3.numer.15. Hæretici enim arundini similes, quia instabiles, & varij, & falsis doctrinis adducuntur, mouentur, amouentur, & nunquam in eodem statu permanent, omni enim vento falsæ doctrinæ mouentur.

Increpa Domine istos, qui mala capiunt in interitu, Psalm.139. numer.12. Illorum enim congregatio, cum sint ipsi Tauri superbi in vaccis populorum, inter eos scilicet, qui sunt vertibiles, & leues, velut mulierculæ, quæ sensu ducuntur, Vndè Apostol. 2. Timoth. cap.3. numer.2. Erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, scelestes, &c. voluptatum amatores magis quàm Dei, habentes quidem speciem pietatis, virtutem autem eius abnegantes, hos deuita; ex his enim sunt, qui penetrant domos, & captiuas ducunt mulierculas, oneratas peccatis, quæ semper discentes, & nunquam ad scientiam veritatis peruenientes.

Congregatio Taurorum in vaccis populorum. Perfectissima comparatio; nàm istorum hæreticorum congregatio solum est in populos lasciuientes, fallaces, & dissolutos, more Vitulorum: feris comparantur, & feræ sunt, quia sicut bestiæ carent intelligentia, & simplicibus nocent. Feræ calami sunt, quoniam Scripturarum sensum pro suo errore peruertunt, hoc enim proprium est indoctorum, Scripturas peruertere ad proprium suum interitum, 2. Petr. cap.3. num.16.

Augustin. hìc litera L. Congregatio Taurorum inter Vaccas populorum, vt excludantur ij, qui probati sunt argento: Tauros vocans propter superbiam, duræ indomitæquè ceruicis: significat autem hæreticos. Vaccas verò populorum, seductibiles animas intelligendas puto; quia facilè hos Tauros sequuntur: non enim populos vniuersos seducunt, in quibus sunt graues, & stabiles, Vndè Psalm.34. numer.18. In populo graui laudabo: sed in eis populis, quos inuenerint vaccas; ex his enim sunt, qui penetrant domos, &c. vt suprà.

Vt excludant eos, qui probati sunt argento. Ideò congregatio hæreticorum vt excludant eos, qui probati sunt argento, vt probati manifesti fiant, hæreses inuentæ sunt; oportet enim hæreses esse: excludere enim conantur hæretici ab auribus insipientium eos, qui probati sunt, qui docti sunt in Ecclesia, ne illorum scurrilitas appareat, vel ideò Deus istos permittit, vt maior sit gloria credentium, vt maiori gloria coronentur. Hæretici verò insensati, in inferno permanentes maiori pœna cruciuntur.

Istos Domine dissipa, quas gentes appellat Psalmista propter genera sectarum, & propter generationes familiarum; series enim successionis istarum sectarum confirmauit errorem; dissipa istos, quia non correctioni, sed contentioni student. Tu Domine hæreticos istos dissipa, & illorum sequaces. Gentes dicuntur, quia illorum multiplex, & diuersa falsa est scientia: alij enim illorum vnum asserunt, & cæteri negant; illi verò negantes dicunt, quod primi non admittunt. Congregatio Taurorum, dissipa gentes istas, idest omne malum, quod prouenit ab illis, & in illos; vt pœnitentes, & ad te conuersi, ab iniquitatibus suis discedant & salui fiant, Prouerb.20.num.8. Rex, qui sedet in solio iudicij dissipat omne malum intuitu suo.

Venient Legati ex Ægypto respectu Iudææ Oriente quærentes vbi Christus Rex Iudæorum natus sit; stellam enim eius viderunt, & venerunt adorare eum. Turbatur Herodes, & omnis Ierosolyma cum illo: sciscitauit locum Herodes, vbi nasceretur, in Betlehem terra Iuda, dixerunt illi Rabbini, Renunciate, inquit, mihi vt & ego veniens adorem eum: ò stulta fallacia, qui stellam creauit illorum Ducem, non potuit te debellare superbum; occidisti infantes, vt Iesum inter illos occisum videres.

Dissipa gentes, quæ bella volunt, increpa feras arundinis, congregatio Taurorum in vaccis populorum, vt appareant Legati ex Ægypto, qui munera obtulerunt Regi sæculorum nato, testimonium toti generi humano: Æthiopia præueniat manus eius Deo, quia manus Domini longè facta est ab illis, qui fidem Domini Iesu Christi susceperunt. Æthiopia enim Gentilitas, propter quam, iuxtà verbum Domini dictum est per Isai. cap.49. numer.4. Posui te in lucem gentium, vt sis in salutem, vsque ad extremum terræ; longior enim distabat Æthiopia ab alijs, & vindictam Domini confitendo euasit Regina Austri, inquit Dominus, Matth.cap.12.num.42. Surget in iudicio cum generatione ista, & condemnabit eam, quia venit à finibus terræ, audire sapientiam Salomonis, & ecce plusquam Salomon hic.

Regna terræ cantate Deo, psallite Domino. Quid est cantare Domino, nisi in illum credendo, fidem Iesu Christi publicè profiteri? Quid etiam est psallere Domino, nisi quod iuncta sunt fides, & opera? credendo scilicet, operari, fides enim sine operibus mortua est; scutum vocat Paulus fidem ad Ephes.c.6. numer.11. Induite, inquit, vos armaturam fidei, vt possitis stare aduersus insidias Diaboli, & numer.16. In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere, & galeam salutis assumite, & gladium spiritus, quod est verbum Dei; pro qua fide legatione fungor in hac catena, ibidem num.20. hinc Bernard. in Serm.1. in Octaua Paschæ. Nec mirum videri debet, si fides nequaquam vincit, quæ nec viuit quidem; illa enim viuida, & victoriosa est fides, per quam Christus habitat in cordibus nostris, vt scilicet cooperatores illius simus, mercenarij enim conducti sumus, & sine opere quomodò mercenarius quis mercedem accipiet?

Vndè Chrysostom. in homil. 94. in imperfecto, Opera vestra sunt opera iustitiæ, si mercenarij Christi sumus, primum debemus aspicere quæ ad gloriam Dei pertinent, proximiquè profectum, & sicut mercenarius, qua die opus non fecerit, erubescit intrare domum; & petere sibi panem, quomodò tu non confunderis intrare in Ecclesiam, & stare ante conspectum Dei,

quando in conſpectu Dei nihil boni geſſiſti? hæc ille.

Regna terræ cantate Deo, omnia Regna mundi, omnes, qui in eo ſunt, & Reges, & populi confitemini Domino, quoniam in ſæculum miſericordia eius: ideò dum in terra exiſtitis, confitemini, quia poſt mortem non eſt confeſſio. Confitentur & Dæmones, ſed nihil eſt eorum confeſsio; contremiſcunt, ſed non ad ſalutem, Reges terræ, inquit, non Dæmones, qui & ſi confeſsi ſint, in porcos tamen tranſmiſſi fuere, Matth. cap.8. num.31. Confitemini, & pſallite, benè operamini cum puritate mentis, & corporis caſtitate.

Pſallite Deo, qui aſcendit ſuper Cælum Cæli ad Orientem. Prius dixit, pſallite Domino, nunc declarat, quis ſit Dominus, eſt Deus, & ne putes, ſit Deus Pater, ſed vt apertè intelligas, ſermonem hic eſſe de filio, inquit, Qui aſcendit ſuper Cælum Cæli: de loco Aſcenſionis, vbi videntibus Apoſtolis, & alijs pluſquam quingentis, ad Orientem, ſeù ab Oriente fuit eleuatio eius, & eius Aſcenſio ſuper Cælum Cæli, ad dexteram Patris, vbi reſidet; Mons enim Oliueti erat, cap.1. in Act. Apoſtol. numer.12. in parte Orientali Ciuitatis Ieruſalem; Vndè ab illa parte in Oriente aſcendiſſe dicitur: Pſallite ergo, inquit, Chriſto, qui eſt homo, & Deus, qui aſcendit in Cælum Cæli, ad dexteram Patris reſidens, & ibi eſt in gloria Patris. Pſallite & vos, qui laudes eius canitis, quia & ipſe fecit, vt & vos ſicut ille faciatis, exemplum nobis relinquens, Ioan. cap.13. numer.15. Quis eſt qui aſcendit, niſi qui prius deſcendit? Ioan. cap.8.numer.5. quia à Deo exiuit, & ad Deum vadit, & idem Ioan. in cap.16.numer.27. & 28. & crediditis, quia à Deo exiui; exiui à Patre, & veni in mundum, iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem: Vndè Paul. ad Epheſ. cap.4.numer.10. Quod autem aſcendit, quid eſt, niſi quia & deſcendit primùm in inferiores partes terræ, qui deſcendit, ipſe eſt, & qui aſcendit ſuper omnes Cælos, vt impleret omnia. Pſallite Deo, qui aſcendit ſuper Cælum Cæli, ideſt ſuper omnes Cælos ad dexteram Patris, vt nihil ſupra habeat, expreſſit locum, vbi aſcendit, Cælum ſcilicet Cælorum vbi Pater ſedet: ex quo loco.

Dabit voci ſuæ vocem virtutis, date ergo gloriam ſuper Iſrael, magnificentia eius, & virtus eius in nubibus. Qui prius vt Agnus ſine voce ſe morti expoſuit, nunc eidem voci ſuæ dabit virtutem; vt ſcilicet, qui in monumentis ſunt, audiant vocem eius, dicentis, Surgite mortui, venite ad iudicium, Matth. cap.24.numer.31. Date gloriam Deo ſuper Iſrael, magnificentia eius, & virtus eius in nubibus, ex quibus ad iudicium veniet: & vocem dabit Angelo, cui tantam virtutem dabit, vt ad eius vocis ſonitum omnes mortui reſurgant, Matth. vt ſuprà, & Pſalm.28. Vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentia.

Date gloriam ſuper Iſrael iuſti; qui primò vocati eritis in iudicio, vt à vobis plus Deus glorificetur; nàm impijs ſtridor dentium, & planctus; quia in inferno condemnabuntur: date gloriam ſuper Iſrael, ò iuſti magis quàm Ieſu Chriſto in Iſrael data fuit, quia vobis perpetua felicitas, & pax. Tunc venit Ieſus pauper, & humilis; quando verò veniet in nubibus cæli ab Angelis comitatus, tunc cum magna veniet magnificentia. Origenes: Nubes illæ ſunt Prophetæ, ſunt, & Apoſtoli, Sanctiq. viri, quibus mandauit pluere cum oportet, & ſunt nubes cæli non tranſeuntes, quaſi portantes imaginem cæleſtis, & dignæ ſunt,

vt

vt sint Sedes Dei, hæredes Dei, cohæredes Christi.

Si verò hunc versiculum de prædicatione Apostolorum intelligamus, illis enim Iesus ascendens præcepit, dixitq. Ite prædicate Euangelium omni creaturæ, hæc quippè vox Christi est, quia eius mandato prædicauerunt, cui voci dedit virtutem tantam; vt nec aduersarij contradicere illis potuerint, vndè & Gentilium corda penetrauerunt, cooperante Domino, Marc. cap. vltimo in fine.

Qui ad vocem Apostolorum ad Dominum conuersi estis; date gloriam Domino super Israel, nàm ab illo salus vobis data est, quibus adaptantur sequentia verba versiculi.

Mirabilis Deus in sanctis suis, Deus Israel ipse dabit virtutem, & fortitudinem plebi suæ; Benedictus Deus. In Apostolis enim, & sanctis suis mirabilia fecit Deus, mortuos suscitando, & infideles ad Deum conuertendo. Deus Israel, Deus fidelium, quibus, virtutem, & fortitudinem dat: Benedictus Deus; qui talem dedit plebi suæ virtutem, & perfectionem, vt ipsum sicuti est, mererentur videre, taliter enim interpretatur Israel, idest Deum videns.

August. hìc, Ipse dabit virtutem, & fortitudinem plebi suæ: Benedictus Deus; Nunc fragiles, & infirmi, habemus enim thesaurum istum in vasis fictilibus, tunc verò etiá corporum gloriosissima cómutatione, ipse dabit virtutem, & fortitudinem plebi suæ: seminatur enim hoc corpus in infirmitate, surget in virtute, ipse ergo dabit virtutem, quam in sua carne præmisit, de qua dicit Apostolus ad Philipp. cap. 3. numer. 10. Virtutem resurrectionis eius: fortitudinem autem, qua inimica destruetur mors.

Difficilem finiuimus Psalmum in hac die Resurrectionis Domini, eoq. temporis momento, quo pulsabantur campanæ præ resurrectionis Domini nostri Iesu Christi gaudio. Faciat Deus, vt mihi etiam sit illius explanatio ità fructuosa, vt cum iustis ex diuina eius misericordia merear illam vocem audire; Veni & tu inter benedictos ad dexteram meam, quia te feci iustum propter misericordiam meam, & quia Mater mea Maria pro te intercessit, vt saluareris.

SOLILOQVIVM.

BENEDIC ergo tu anima mea Domino, & noli obliuisci omnes retributiones eius. Exurgat Deus in mentem meam, vt magnitudine misericordiæ suæ dissipentur inutiles cogitationes meæ; inimici mei. Quos oderis per repulsionem non auferas, obsecro, sed disipes.

Fugiant, qui oderunt me à facie tua; quia facies tua longè est à peccatoribus, vt aliquando discedentes, & fugientes reuertantur ad te. Sicut fumus deficiant, vt à peccatis suis quiescant, non pereant, sed vt cera liquescens à facie ignis, quæ naturam suam non perdit, mollescant vexatione dante illis intellectum, vt ad te conuertantur; pereant tamen peccatores à facie tua, si ab iniquitatibus suis non discedant; iusti verò epulentur, in sua iustitia permanentes, & in te Domine delectantes, exultent in conspectu tuo Domine, vt & ego cum illis de inimicorum vindicta, & de iustorum, & mea saluatione, & salute congaudeam, cantantes Deo, illius speculantes diuinitatem, & misericordiam; Psalmum dicamus benè operantes in nomine eius, & ità psalterium pulsantes,

& percutientes in virtutibus Domino Deo nostro placeamus; iter faciamus illi, qui super occasum ascendit, nomen illi est Dominus: compressis peccati tumoribus planam ei in cordibus nostris viam per iustitiam præparemus.

Turbabuntur à facie tua Pater Orphanorum, & Iudex Viduarum, qui inopum res vsurpant; da quæso, vt propterea non confundar à te, viduam, & pupillum potius suscipiam, & pauperibus sim adiutor, vt dignum sit tui habitaculum in corde meo. Tu enim Deus in loco sancto tuo, in anima fideli habes habitaculum. Spiritum charitatis tuæ in me infundo, nàm & ego eamdem fidem teneo, quam docet Ecclesia tua sancta, & vnius moris sum, & ero, si à tua misericordia custoditus fuero.

Tu qui educis vinctos in fortitudine, & me peccatorem à Diabolo detentum eduxisti, præsta ne sim Domine ex illis, qui te exasperant, & in sepulchris habitant peccatorum, sed à peccatis absolutus, & qui in sepulchro iàm existebam liberatus, peccatorum meorum à te veniã impetrare dignus efficiar.

Deus, qui in conspectu populi egrederis, in hoc mundi deserto pertransi, vt me in illo permanentem trahas ad te. Terra mea mota est, etenim cæli mei, oculi præ lacrymis distillauerunt à facie tua Domine, à facie tua Domine Sinai, qui in tentationibus meis refugium meum fuisti: à facie tua Deus Israel, qui & veteris, & noui fuisti Auctor testamenti, idem es, qui populo Israelitico in deserto præcessisti, & ipse es, qui gentium deserta in Euangelio visitas. Tu nobis Domine corpus tuum, & sanguinem tuum subministras, qui in testamento veteri manna pluebas Iudæis. Lex illa Moysis infirmata est, pluuiam voluntariam Deus segregasti hæreditati tuæ, illis in figura, nobis in veritate, & figurato panem tuum, corpus tuum tradidisti, vt dignè sumentes essent à peccato liberi, illa enim infirmata est, tu verò perfecisti eam, tradendo corpus tuum. Infirmata est & lex tua Euangelica in me Domine, quia pluries contra eam peccaui in te: tu verò pœnitentem absoluendo à peccatis confirmasti me: Domine non confundar, quia inuocaui te; adiuua me. Animalia tua, quæ in te viuunt, habitabunt in tua Ecclesia, si tu Domine illorum delicta non reminiscaris. Parasti in dulcedine tua pauperi Deus, quia humilia respicis, & alta à longè cognoscis: hæc pluuiæ dulcedo, quæ mellis saporem vincit, in pauperibus, Sanctisq. tuis defluxit, quæ ab ore Apostolorum (te iubente) cum multa virtute processit; Parasti in dulcedine tua Domine, iugum enim tuum suaue est, & onus tuum leue. Quid prædicauerunt, & gentes docuerunt Apostoli tui Domine, nisi virtutes & magnalia dilecti filij tui? Hanc virtutem speciosæ tuæ domus dedisti diuisionis spoliorum, nàm in illis, qui crediderunt, & baptizati sunt in tua Ecclesia, operationes virtutum diuisæ sunt, idem Deus tamen, qui operaris omnia in omnibus. Hanc Apostolis tuis Domine, & successoribus dedisti virtutem, vt Ecclesiæ deuictis hostibus Iudæis, siue Dæmonibus spolia partiatur speciosæ domus Dei, in qua est tantarum virtutum diuisio.

Cur ergo anima mea in pace in idipsum non dormias, vt quiescas? Si dormieris inter medios cleros, vt in vtroque testamento veteri, & nouo quiescas, & Spiritum sanctum inuenies; pennæ deargentatæ sint in ore tuo, vt laudes Deo debitas exhibeas; posteriora dorsi sint in pallore auri, sit firma fides tua, vt sint in corde tuo aurea munera, in illoquè recludantur. Et quamuis in

vmbra nunc sis anima mea, dum cælestis Reges, ac Sanctos super eam discernit, niue dealbabit te in hoc Selmon; in hac vmbra constituens te inter hos Sanctos, separatum à peccatis. Vt quid infideles montes coagulatos times? ad montem, qui Christus est, oculos tuos dirige: qui mons est pinguis, mons coagulatus.

In Ecclesiæ monte est Christi Iesu habitatio vsque ad consummationem sæculi: in ea habita tu anima mea, & in illa delectare: Administratores spiritus sunt in illa multiplices lætantes: millia enim millium administrant Christo in ipsa habitanti, eiusdemq. capiti, & decies centena millia ei assistunt, nec in illa scientiæ multitudo deficit: ibi enim est Cherubin, & Seraphin; charitas Dei, & scientia: Ne timeas anima mea in Diabolicis tentationibus, & in mundi huius perturbationibus, Ecclesiæ nauiculam, in qua ipse erat, in altum mare duci iussit Iesus: in altum retia Petri, per quæ captiuos ducit eos, quos captiuitatem fecerit Diabolus. Accepit dona in hominibus, cum te animam ad seipsum traxerit, homo ipse pro te factus, vt te acciperet hominem: vt det tibi hæreditatem immarcescibilem, qui ex genere gentium non credentium eras, nec Deum hominem fieri cogitabas: posuit tamen illum Deus in lucem gentium earum, quæ verbum receperunt.

Serua te anima mea à peccato, quia tunc semper eris benedicens Deo, qui fecit te, & redemit te. Multa perpetrasti delicta, multæ fuerunt illius miserationes, Deus enim noster, est Deus saluos faciendi, & Domini Domini exitus mortis; Inuidia enim Diaboli mors introiuit in orbem terrarum, & charitas Iesu Christi mors fuit mortis, & vita iusti, quem à mortuis resurgere facit. Elatos præ superbia, & pœnitentiam negligentes confringet Dominus, Ità vt in eorum capite Diabolo nulla remaneat virtus, & potentia aduersum te: qui ex confusione Basan conuertit te in veram fidem, qui pro te sanguinem suum fudit, vt de profundo liberaret. Gressus illius aspice, & considera, quòd in cælum ascendit, vt & tu cum illo gradiens eò peruenias, vbi ille sedet ad dexteram Patris. Præuenerunt te Apostoli cum Virginibus, & alijs psallentibus, & cantantibus, vt & tu credendo, & operando in medio illorum eò peruenias, Ne glorieris, quia Oleaster in ramis oliuæ insertus sis, nàm de fontibus Israel processit salus: salus enim ex Iudæis, In Ecclesia benedic Domino, qui post resurrectionem suam vocat te cum Beniamin in mentis excessu, cum Paulo ex persecutore, per diuinam gratiam facto gentium Doctore, & ductore. Exi anima mea de cognatione tua, de domo huius deserti, de vanitatibus huius sæculi, de Principe Zabulon, de fluxu noctis, & cum Nephtalim in bonis dilataberis virtutibus, relictis fluctibus maris. Manda Deus, vt virtute tua liberatus, in bonis operibus persistam; & benè animam regendo meã, munus, quod accipio, tibi dignè offeram in conspectu tuo. Longè fac à me hæreticorum, & Diaboli ministrorum fallaciam, & superbiam, qui bella quærunt, qui inter vaccas, inter simplices falsa seminare conantur, vt excludant eos, qui sicut argentum sunt probati.

Ità etiam Domine sit virtus tua ijs, qui longè facti sunt à te, vt accedant ad te, vt carnalia relinquentes, quæ eis regna videbantur, & cantantes tibi Domino cælestia regna penetrare possint; psallantq. tibi, qui super cælum cæli ascendisti. Fiat Domine, quod præcepisti. Da voci tuæ vocem virtutis, vt omnes

in te credentes salui fiant. Nubibus tuis doctoribus tuis manda, vt aquam pluant sapientiæ tuæ, vt eorum auditores discant, quæ recta sunt, & quæ bona sunt operentur, ament pulchritudinem, sed prius eligant confessionem, vt sequatur pulchritudo.

Mirabilis Deus, qui à morte resurgens, dedisti, vt & nos à peccato liberi resurgamus in vitam æternam: Da interim fortitudinis tuæ virtutem ad tolerandas mundanas passiones, & spirituales nequitias. Venit Æthiopia ad Ecclesiam ex Ægypto, præuenit manus tua in docendo, & prædicando. Amasti Deus pulcher nos Æthiopes, & deformes, vt redderes pulchros: nobis ergo iàm credentibus vbiq. Christe Iesu sponse occurras.

Benedictus sis semper Deus, qui nos vocatione tua dignos fecisti, vt de morte liberati, ad vitam æternam perueniamus; Succurre nobis Beatissima Virgo Dei Genitrix, vt quæ hodie filium tuum à mortuis resurgentem vidisti, & populum tuum christianum videas à peccatorum morte, intercessione tua resurgẽtem, & æterna fruentem Beatitudine. Fiat Domina nostra, Mater diuinæ gratiæ, & Aduocata nostra. Amen.

IN PSALMVM LXVIII.

Saluum me fac Deus: quoniam intrauerunt aquæ vsque ad animam meam.



ONTINVATVR Ad præcedentem, in quo visum est de malorum dispersione, & Ecclesiæ exaltatione, verùm quia dilatatio Ecclesiæ non fit, nisi ex peccatorum, & malorum conuersione, & commutatione de malo ad bonum, propterea hic Psalmus agit de passione Domini, pro ijs, qui ad fidem conuersi, sanguine Domini à peccatis abluentur.

Quocircà ponitur Titulus, In finem. Pro ijs, qui commutabuntur, Dauid: Iàm de bono ad malum ex Adæ peccato commutatum erat totum genus humanum: nunc verò per passionem Christi factum est, vt mali conuerti possint ad bonum, & itàvt qui moriebantur per Adam, ex passioneChristi viuificentur: hinc Pascha dicitur, intrà cuius octauam sumus, quæ transitus dicitur, nàm qui fuerat in hoc mundo mortalis, hodie Christus resurgens immortalis transiuit in cælestem mutationem, vt nos de morte transire faciat ad vitam de terra ad cælum.

Vel aliter continuari sic potest: Supra visum est de peccatoribus, Et iniustis, verùm quia Domine Iesus venit, vt peccata omnium portaret, & languores nostros ipse tulit, propreteà hic monentur peccatores vt malum in bonum commutantes conuertantur ad Dominum, vt & ille sit propitius peccatis eorũ.

Ordo ergo Tituli huius. Psalmns iste dirigens nos in finem, idest in Christum, ipsi Dauid, idest eidem Christo attribuitur, qui hic loquitur, & erit istius Tituli sensus, seu summa.

Credas in Christum, & eius passionem, si vis intelligere Psalmum, Vel dicamus; *Si cupis saluari, crede passionem Iesu Christi*, Act. Apost. cap. 8. Legebat

Æthio-

Æthiops ille locum Isai. cap.53.num.7. Tamquam Agnus ad occisionem ductus est, & sicut agnus coram tondente se sine voce, sic non aperuit os suum, in humilitate iudicium eius sublatum est, generationem eius quis enarrabit? quoniam tolletur de terra vita eius? Non intelligebat Æthiops, quæ legebat; rogauit propterea Philippum, vt ascenderet in curru, & sederet secum: ambula & tu, qui adhùc Æthiops es cum Ecclesiæ Doctore, & docebit te, & in via aquam, quam & tu credens in Iesum Christum inuenies, & baptizaberis cum Æthiope credente, & sensum Psalmi huius, qui totus de passione Christi loquitur intelliges, & in finem, in Christum scilicet, & tu commutaberis de Æthiope albus factus, de peccatore iustus, de iniquo fidelis, & Psalmum in finem, qui commutatus eris, & tu cantabis, vt Passio Christi sit & tibi in salutem; quartus est enim iste Psalmus, qui latiùs de passione Christi loquitur, provt ex eius lectura colligitur, adeòq. iuxta hanc intelligentiam pluries adduxerunt illum Apostoli.

Incipit ergo Psalmus. Saluum me fac Deus; quoniam intrauerunt aquæ vsque ad animam meam, clamat Christus.

Sed si sponte venisti Domine, vt moreris, cur clamas, quòd aquæ persecutionum iniquorum Iudæorum vsque ad animam tuam, idest ad occisionem intrauerint? Nonne dixisti, quia qui me misit, mecum est, & non reliquit me solum? Ioan.cap.8.num.28. hæc enim aduersarij iniqui contrà Iesum non potuissent, nisi voluisset, nisi ipse permisisset, Augustin. hìc litera A. Vndè ergo aliquid tamquam patiatur, sic clamat, nisi quia caput membra sua præfigurat? passus est quippè ille, quia voluit, Martyres verò etiam si noluerunt, Petro namq. ità prædixit passionem suam, cum senueris, inquit, alius te præcinget, & ducet quò tu non vis, Ioan. cap.21.num.18. S. Bonauent. in hunc Psalm.. Transformat membra Christus tribus modis, eorum scilicet proprietates sibi attribuendo, hinc Marc.14. cœpit Iesus pauere, hoc enim, inquit, habet à membris; vel in persona membrorum: loquendo, vndè Act.9. in principio: Saule, Saule quid me persequeris? idest meos fideles persequeris; suo exemplo instruendo, clamauit enim, & exorauit, vt idem faceremus; hæc Bonauent. Exemplo ergo Domini & nos, qui in limo profundi tenebrarum harum infixi sumus, in quo non est substantia, clamemus ne cum impœnitente illo tacentes, ossa nostra inueterascant, Psalm.31. num.3. tacet ille, etsi clament eius iniquitates coram Domino: nos verò laudantes Dominum ad eundem clamemus, vt misereatur nostri, & eruat nos de limo terræ, & de profundis aquarum, quoniam exaudiuit Dominus pauperes, & vinctos suos non despexit, vers.34. infrà. Ideò ergo clamat Iesus, vt nos clamemus ne cedemus iniquitati timore mortis, Augustin. hìc: Quamuis ergo à malis ad bona transeamus, tamen iste transitus aliquantulum amarus est, & habet fel, quod dederunt in passione Iudæi: habet acre quoddam tolerandum, quod ostendunt, quòd Deum aceto potauerunt; transfigurans ergo, & transformans in se nos ipsos ait.

Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ vsque ad animam meam. De profundo & nos clamemus ad Dominum, de huius sæculi miserijs: in quibus sumus infixi in limo profundi; capita nostra eleuemus de profundo, vt clamor noster acceptus sit, & audiatur à Domino. Non in errore impiorum demoremur, qui profundius remanent in profundo, & tamen non sentiunt, se

ipsos

ipsos esse in malorum profundo, superbi contemptores, & non pij deprecatores, quæruli clamatores; iàm enim in profundum malorum deuenerunt, & ideò contemptores, Prouerb. c.18. Altius enim in profundo sunt, quibus parum esse peccatores videtur, quia nec suorum peccatorum confessores sunt, sed defensores, non confitendo iudicantur, Augustin. Psalm.38. litera B. Infixi sunt in limo profundi, & non est substantia, perdiderunt sustinentiam, & dereliquerunt vias rectas, & in vias prauas diuerterunt, & quid facient quando inspicere cæperit Dominus? Eccles. cap.2. num.17.

Ecce clamat Iesus Domine sancte Pater, iàm infixus sum in limo, de limo hominem fecimus, qui si non peccasset, corruptioni non subiaceret; peccauit homo, mors ex inuidia Diaboli intrauit in mundum; assumpsi ergo carnem, vt hominem, quem Diabolus deceperat redimerem, vt qui perditus erat, per me saluaretur, in propria veni, & mei non receperunt, Ioan.1. & aquæ intrauerunt vsque ad animam, tristis enim erat anima mea vsque ad mortem, rogaui te Pater, vt, si fieri posset, transiret à me calix iste, Luc. 22.num.42. veruntamen non mea voluntas, sed tua fieret. Intrauerunt aquæ tribulationum vsquè ad animam meam, non tamen charitatem extinguere potuerunt, qua peccatorum multitudinem operirem, & impedire quin iustus pro iniustis morerer.

Infixus sum in limo profundi, & non est substantia, quia sum sicut radix de terra sitienti, & arida, ità vt mihi non sit faciei decor, nequè species, nec aspectus: immo despectus factus sim, & virorum nouissimus, & dolorum vir: & quasi vir leprosus putatus, & à te Domine humiliatus, Isai. cap.53. In princ. In limo profundi infixus, quia tu Domine sancte Pater in me omnium iniquitates posuisti, & ideò laborauit anima mea, & non est substantia; vires enim meæ emarcuerunt. Factus enim in agonia est Iesus, & factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram, Luc. d. c.22. nu.44. Quia venit in altitudinem maris, & tempestas demersit illum; omnes enim impij illi tamquam tempestas valida demersusq. fuit in mare amarissimarum iniquitatum eorum, cum malignitas illorum demersit ipsum, quem crucifixerunt, & Auctorem vitæ interfecerunt, Act. Apost cap.3. factum id, vt vnus ille moreretur pro populo, & non tota gens periret, quia talis fuit charitas Dei Patris, vt nec proprio, vt saluaret nos pepercerit filio, ad Roman. cap.8.

Infixus sum in limo profundi, & non est substantia, iàm amplius morti, atque Diabolo, cum nihil damnationis nunc sit ijs, qui sunt in Christo Iesu, qui non secundum carnem ambulant. Mors enim Christi fuit mors mortis, mors, in qua non est amplius substantia, si secundum spiritum viuamus cum Christo; qui morte sua mortem moriendo destruxit, & vitam resurgendo reparauit: & ideo in limo infixus profundi, non est amplius substantia, quia iàm Princeps huius mundi eiectus est, nec vincere potest nisi volentem, debilis est enim factus, & non est substantia, Ioan.cap.12.num.31.

Saluum me fac Deus, quis clamat? nisi ille, per quem omnia facta sunt; qui Deus est, & se humilem fecit, vt qui tu terra es, & in limo profundi propter peccatum factus es, humiliatus teipsum nihil esse cognosces, clames ad illum, qui pro te factus est humilis, Augustin. Granum illud est contemptum mundo, quod humiles videtur dare voces in horto oritur miraturo mundo oleris magnitudinem, cuius oleris semen cõtemptum est à Iudæis, reuera enim considerate se-

semen Sinapis, minutum, fuscum, aspernabile prorsus, vt ibi impleatur, quod dictum est, Isai.cap.53.num 3. Vidimus eum, & non habebat speciem, neque decorem, hæc Augustin. Intrauerunt ergo aquæ, vt in arborem citius cresceret granum Sinapis, nàm quod in vna mundi parte, in Ierusalem factum est, & in terram missum est, in omnes mundi partes arbor ità magna facta est, vt rami illius eò peruenerint, vt totam terram comprehenderent, & sub vmbra illorum fideles omnes permanerent. Intrauerunt aquæ vsque ad Christi animam, quia data est Iudæis potestas, quando ipse voluit, vt illum morti traderent; vt in terram mitteretur semen: sepulturæ tradiderunt, sepulchrum munierunt, sed ecce viuit semen, viuit granum, & illum resurrexisse omnes confitentur, & omnia ad seipsum traxisse, provt ipse dixit, Ioan.12.n.32. clamat ille, qui non cecidit, sed demisit se, vt cadentem adiuuaret, quia ipse peccata nostra super se tulit. Et ego, qui peccator sum, non clamabo ad Deum, cum aquæ intrauerint vsque ad animam meam, cum in diluuio aquarum multarum positus sim, & longè factus à Deo? Psal.31.n.8. clamabo, nec cessabo, donec dimittatur iniquitas mea, Bernard. in Serm.17. in Cant. Septies in die cadit iustus, & septies resurgit: si tamen cadat in die, vt se cadere videat, & cecidisse sciat, & resurgere cupiat, & requirat manum adiuuantis, proindeq. statim resurgit, & plerunque perfectior resurgit. Magis ergo humilia te anima mea, quia peccasti: & ad Deum, qui te puram fecit, exclama, saluam me fac Deus, quia in limo profundi propter peccatum infixa sum, qui & Petro ter te neganti, & ad te conuerso pepercisti, adeòq. & humilior, & solicitior factus, te Deum Iesum Christum intrepidè coram omnibus confessus est: & ex peccatore factus animarum piscator, meruit à te Domine claues Regni cælorum accipere. Quid ergo moraris anima mea? quid stas? quare non pœnitens clamas ad illum, qui super seipso peccata tua portauit, qui paratus est redeunti ad se stolam candidam tradere? Luc.cap.15.num.23. Clama, ne cesses, & pœnitens confitearis peccata tua Domino, dum dies est, quia post mortem non est confessio: nigra es propter peccatum anima mea, confitearis, & formosa efficieris, Cantic.1. Non regnet peccatum in te, vt Paul. dixit ad Roman.cap.6.nu.12. Greg.14. Moral.9. Nemo absque peccato esse potest, sed cauendum est, ne regnet, sedemq. figat, & diù dominetur, nàm iniquitas, nisi pœnitentiæ motibus proijciatur, indissolubiliter nobis adhæret.

Clamauerunt illi iniqui contrà Christum, dicentes, crucifige, crucifige, & eorum voluntati consentiens Iudex iniquus tradidit eis illum, vt moreretur: clamant iusti ad crucifixum, saluum me fac Deus, quia aquæ Iudæorum non potuerunt extinguere charitatem tuam, quin omnes, qui te confessi fuerint, & sequuti, non saluentur. Illi iniqui clamauerunt contrà Iesum, & inueterata sunt ossa eorum, Psal.31.nu.1. nos ad te clamamus, vt renouetur iuuentus nostra, vt renati fonte baptismatis puri, & liberi esse mereamur per te Saluatorem mundi: Dum infixus sum in limo profundi, non est substantia, deficit substantia, quam tu nobis dedisti vt te Dominum, & Saluatorem nostrum sciremus, & confiteremur, quia per peccatum sumus in limo profundi, & longè facti à te, sed quomodò substantia erit, si in boni substantia creatus, per peccatum priuatus omni bono factus est nihil? vbi enim substantia, in qua Deus te creauit ad similitudinem bonitatis suæ? extra Deum non est substantia, longè sunt

à salute delicti; si te Deus fecit substantiam, idest naturaliter bonum, si in iniquitatem lapsus sis, quæ non est substantia, sed hominis peruersitas dicitur, quomodò & qualis factus sis à Deo, factum te esse iactaberis, cum nihil sis? peccator, inique, audi Dominum, qui inquit.

Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me, vt scilicet iàm te demersum, & perditum liberarem, ad Colos. cap. 2. num. 14. & tu renuis venire ad me? demersit illum tempestas, & Cete deuorauit illum, à quo euomitus tertia die est, & resurrexit à mortuis, vt tu, si illum audieris, scias te cum illo resurrecturum. Venit in altitudinem maris, vt te de altitudine ventris inferi liberaret, Eccles. capit. 51. numer. 6. Venit in altitudinem maris qui in illius profundo posuit viam, per quam ambularent, qui à profundo iniquitatum per passionem liberari desiderabant, Isai. cap. 51. num. 10. Et reuerterentur, in Sion venientes, & laudantes, & lætitia sempiterna super ipsorum capita, gaudium, & lætitiam tenentes.

Venit in altitudinem maris, in Iudæorum Synagogam, in plenitudinem iniquitatum illorum, & tempestas operuit Dominum; quia illos redarguebat; nàm populum iàmpridem Osanna clamantem peruerterunt petentem, vt Iesum Pilatus crucifigeret. Tempestas demersit, & operuit Dominum, quia ille sic voluit, Isai. 53. Insidiati sunt mihi, & præualuerunt, & non fuit qui ferret auxilium, Iob c. 30. num. 19. demersit eum tempestas, sed non extinxit, operuit eum, sed ecce velum scissum est, viuit Dominus, vident Apostoli, & alij Discipuli: surrexit Dominus, vident fratres, & mulieres; videbis & tu, si tu sis humilis cum Apostolis, in infirmitatibus, & tribulationibus pro Christo firmus, & validus: Vndè Paul. 1. Corinth. cap. 15. num. 5. visus est Cephæ, & posteà vndecim, deindè visus est plusquam quingentis fratribus simul; ex quibus multi manent adhùc: & nu. 8. Nouissimè autem omnium tamquam abortiuo visus est mihi, visus est illis, qui dormierunt in sepulchris, nàm monumenta aperta sunt, Matth. 27. & corpora Sanctorum surrexerunt; hæc omnia visa sunt ab illis, quos Deus elegit, & prædicanda ab Apostolis reliquit, quæ ipse Iesus prius laborando corporaliter docuit, & Iudæis euangelizauit, & gentibus, vndè sequitur versi.

Laboraui clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ, defecerunt oculi mei, dum spero in Deum meum. Laboraui clamans, ò generatio incredula, & peruersa, quousquè ero vobiscum? quousquè vos patiar? Matth. 27. nu. 16. Ierusalem, Ierusalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti? Raucæ factæ sunt fauces meæ. Reliqui vos in voluntate libertatis vestræ, Eccles. 15. num. 16. & ideò domus vestra deserta, Matth. 23. n. 37.

Laboraui clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ, si clamas, quomodò fauces raucæ sunt; nonnè vox ex faucibus? Vox Christi per Discipulorum, & euangelizantium fauces emittitur, Matth. cap. 10. num. 19. Dabitur vobis in illa hora, quid loquamini: non enim estis vos, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis; Laborant ergo euangelizantes verbum Dei, & dicit se laborare Christus, Act. Apost. 9. nu. 4. Saule, Saule, quid me persequeris? & tamen Iesus erat in cælo: quod membris Christi tormentum, quæ damna illis inferuntur, Christo inferuntur; Quod enim vni ex minimis fecistis, mihi fecistis,

Matth.

Matth.25.n.41. fauces ergo Discipulorum raucæ factæ sunt ante aduentum Spiritus sancti: quia martyrium fugiebant, vt in Matth. legimus c.16.nu.21.& 22. Ostendebat enim Dominus, quanta deberet in Ierusalem pati, & assumens eum Petrus, cœpit increpare illum, dicens: Absit hoc à te Domine, non erit tibi hoc; fauces Petri raucæ, ideò dignus fuit reprehensione, quia etiam cum ille paratum se dixerat commori cum Iesu, & ad vocem Ancillæ eum negauit nosse; sicut & in alio loco, Bonum est Domine nos hìc esse, faciamus hìc tria tabernacula, &c. raucæ sunt fauces tuæ Petre? tibi soli consulis, cæteris verò quid ò Petre desideras? Vox Domini, vox clara, sed fauces eorum, per quas missa est, raucæ per metum tormentorum, ac mortis: Quin potius de suis proprijs faucibus Christus factas inquit ipsis Discipulis, quia nondum intelligebant, quæ ab ipso dicebantur, Cauete enim, dicebat illis Iesus, à fermento Pharisæorum; at illi cogitabant de panibus, dicentes intrà se, quia panes non accepimus. Quid cogitatis, dicebat illis Iesus, intrà vos modicæ fidei, quia panes non habebitis, Matth.cap.16.nu.8. Verba Iesus clara, nàm non recordabantur de quinque panibus in quinque millia hominum. Defecerunt oculi Martyrum, & Apostolorum, dum sperant in Deum. Non sperantes, & sperantes Tenebantur oculi illorum duorum, qui in Emaus ibant, ne Christum agnoscerent: sperabant tamen illum resurrecturum, & dum sperant in Domino, ecce quia aperuit oculos eorum, & cognouerunt in quem sperauerunt, Luc.24.n.16. defecerunt & Thomæ oculi, & idemmet spem habuit, quia nisi videret, & tangeret locum clauorum, non credebat, tetigit, vidit, credidit, & Deum, ac Dominum confessus est, Ioan.cap.20.num.21.

Laboraui item de semet, ait Iesus, clamans admonendo, & multiplicati sunt super capillos capitis mei, qui oderunt me gratis. Si gratis, ergo sine causa oderunt, ergo & iniustè; iniquitatem enim iniustè fecerunt super me, Psal.118. nu.78. Quem diligit Deus, odit homo terrenus? ò insensatum hominem; illi detrahis, qui pro te mori dignatus est? Psal.108.n.4. Pro eo, vt me diligerent, detrahebant mihi, Psal.108.nu.5. Posuerunt aduersum me mala pro bonis, & odium pro dilectione mea. Multiplicantur, qui oderunt gratis, sed super capillos, quamuis enim multi, reputati tamen à Domino estis tamquam superflua, quæ sunt in terra, quibus enim non prodest passio Christi, tamquam capilli à capite raso sunt proiecti. Odientes enim me, inquit, disperdidisti, Psal.17.n.41. In fugam tamquã capillos à vento proiectos, conuertet illos Dominus, Psal.88. n.28. ò quis mihi det, vt qui mala mihi loquũtur, gratis id faciãt & sine mea culpa oderint me: August. Capillis capitis sui comparauit inimicos suos, meritò rasi sunt, quando in loco Caluariæ crucifixus fuit, accipiant membra vocem hanc, discant odio haberi gratis, iàm enim si necesse est Christiane, vt mundus oderit te, quare non facis, vt gratis te oderit, vt in corpore Domini tui, & in hoc Psalmo de illo præmisso agnoscas vocem suam? Quomodò fiet, vt oderit te mundus gratis? si nihil cuiquam noceas, & sic odio habearis; hoc est enim gratis sine causa: parum sit tibi, sine causa odio haberi, insuper & præsta, vt retribuant tibi mala pro bonis, hæc Augustin.

Confortati sunt qui persecuti sunt me inimici mei iniustè, quæ non rapui, tunc exoluebam; Quid facimus, dicebant Pontifices, & Pharisæi, quia hic homo multa signa facit? si dimittimus eum sic, omnes credent in eum; & quid amplius?

plius? Venient Romani, & tollent nostrum locum,& gentem. Confortati sunt, qui me persecuti sunt iniustè; nàm Caiphas tunc Pontifex anni illius, dixit eis: Vos nescitis quidquam, nec cogitatis, quia expedit vobis, vt vnus homo moriatur pro populo, & non tota gens pereat. Quæ non rapui, tunc exoluebam. Non peccauit Iesus, & pœnam ei commeritam arbitrati sunt iniustè. Peccauit Adam, soluit pœnam Iesus pro illo.

Augustin. Confortati sunt inimici mei, & primò qui oderunt me gratis, hoc posteà qui persequuntur me iniustè. Quod ergo gratis, hoc est iniustè. Ipsa est vox Martyrum, non in pœna, sed in causa. Non persecutionem pati, non teneri, non flagellari, non occidi laus est; sed habendo causam bonam ista pati, hæc laus est. Laus est enim in causæ bonitate non in pœnæ acerbitate (& post aliqua) Duo latrones cum Domino crucifixi, & illi crucifixi, & ille crucifixus, & illos mundus odio habuit, sed non gratis; & illum odio habuit, sed gratis. Quæ non rapui, tunc exoluebam. Hoc est, gratis non rapui, & exoluebam, non peccaui, & pœnam dabam, solus ipse talis, ipse verò nihil rapuit, sed etiam quod de rapina non habebat, hoc se euacuauit, vt ad nos veniret; non enim rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo,& tamen semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens. Rapuit Adam, non Dominus. Sed primò rapuit, qui Adam seduxit, Diabolus scilicet, qui sedem suam ad Aquilonem ponere tentauit,vt esset Altissimo similis. Ecce rapinam: vsurpauit,quod non acceperat; perdidit quod acceperat: hic calicem propinauit superbiæ suæ illi, quem decipere volebat, Genes. 3. Gustate, inquit, & eritis sicut Dij. Perdiderunt felicitatem, qui rapere voluerunt diuinitatem, hæc Augustin.

Confortati sunt,roborati sunt,vt eum occiderent,in quem dolum,nec culpam inuenerunt,quis enim,inquit,arguet me de peccato? Ioan. 6. n. 46. luit pœnas culparum,quas ipse portauit,vt ego peccator ab illis solutus purus euaderem, liberatus ab illis per Christi Passionem. Sed si remanes in peccato,quomodò liberaberis à culpa? etsi in culpa,quomodò non eris in pœna? An ignoras,quia peccatũ generat mortem? non tibi proderit Christi Passio,si tu obstinatus permanseris in peccato. O te miserum,& infelicem peccatorẽ,quomodò tibi proderit,qui pro te,quod rapuisti,persoluit,si tu in superbiam elatus Diaboli minister permãseris? sequere non errantem, quia ipse est Veritas, & Via, & derelinque furorem, ac Diabolum proditorem: recede ab iniquitate, & cor tuum pœnitens Domino præbe, quia ipse est, qui abstulit pœnam, & culpam à te. Redde Domino, quod suum est, quia fecit te, & in innocentia creauit te, & quia per peccatum longè factus eras ab illo, quod tu per peccatum rapuisti, exoluit ille pro te, vt tu fias illi propè, & ille tibi. Noli ergo anima mea obliuisci omnes retributiones eius, sed pœnitens cum Dauide, dicas.

Deus tu scis insipientiam meam, & delicta mea à te non sunt abscondita. Ipse enim Dominus, qui est Agnus immaculatus, hanc Deo pro te fecit confessionem, vt à te auferat iniquitatem, quam supra se posuit, & tu inique peccator, quare Dominum pro te passum, & te vocantem non sequeris te redimentem, & Magistrum te docentem? Christus Filius Dei, qui est ipsa sapientia, & virtus, dicit, Deus tu scis insipientiam meam. Nonnè insipiens tibi videretur petitio amici tui, si exposceret, vt animam tuam pro illo poneres; si instaret apud te, vt corpus tuum morti pro illo traderes, vt amicus tuus libe-

raretur quid si inimicus id peteret, vt ipsum saluares à morte, te ipsum prodens? ò homo propter peccatum, nonne inimicus es Dei, qui ideò te fecit sine peccato, vt illi soli seruires? insipientiam meam, inquit Iesus, tu scis Pater; quia & ego Deus, & quis mihi imputauerit, si perierint nationes, quas ego feci? Sap. 12. n. 13. Stultus non intelliget hæc, Psal. 91. n. 7. & vir insipiens nõ cognoscet, quàm magnificata sint opera Domini, August. Quid enim tàm simile imprudentiæ, quàm, cum haberet in potestate, vna voce suos persecutores prosternere, passum esse se teneri, flagellari, conspui, colaphizari, spinis coronari, ligno affigi? imprudentiæ simile est, stultum videtur, sed stultum hoc superat omnem sapientiam. Stultum quidem est; sed & granum, quando cadit in terram, si nemo sciat consuetudinem agricolarum, stultum videtur, labore magno metitur, portatur ad aream, trituratur, ventilatur; post tot pericula cæli, tempestatesq. rusticanorum, curamq. Dominorum mittitur in horreum frumentum, purgatum; venit hyems, & quod purgatum erat, profertur, & proijcitur. Imprudentia videtur, sed vt non sit imprudentia spes facit. Non ergo ille pepercit sibi, quia & Pater illi non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum, & de ipso, qui dilexit me, inquit Apost. 1. Corinth. cap. 2. Tradidit semetipsum pro me, quia granum, nisi ceciderit in terram, vt moriatur, fructum, inquit, non reddet, hæc est imprudentia, sed tu nosti illam, isti autem si cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent, hæc Augustin.

Deus ergo tu scis insipientiam meam; non enim quia fuerit delictorum commissor, sed susceptor: Ipse enim vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra, disciplina pacis nostræ super eum, & liuore eius sanati sumus, Isai. cap. 53. num. 5. ideò, inquit, delicta mea à te non sunt abscondita, non quia delictum esset in Christo, sed quia pro delictis populi, quæ in se suscepit, ideò delicta mea; ipse enim vulneratus est propter peccata nostra: delicta ergo mea, idest meorum, quæ ad delendum suscepi, à te non sunt abscondita, itaq. non irrideant inimici mei me Deum hominem factum, & quem fideles expectauerunt, Redemptionem Israel, cum me viderint in cruce eleuatum, percussum, & flagellatum, & quasi leprosum, dicentes, ecce homo, ecce Deus eorum; descendat nunc de cruce, nec erubescant alij in me, quia hominem factum, & ità percussum Iudæi in cruce leuauerunt. Ideòq. Apost. 1. Corinth. cap. 1. num. 13. Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam, ipsis autem vocatis Iudæis, atque Græcis, &c. Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam.

Non erubescant in me; qui expectant te Domine, Domine virtutum; Confundantur inimici potius, quia dicent, Vbi est Dominus Deus tuus? quando flagellabor, crucifigar, quando moriar, confusione operiantur, Mich. cap. 7. num. 8. cum seq. Nunc lætamini inimici Dei, quia Dominus cecidit, sed modicum lætitia vestra, quia consurrexit, qui sedit in tenebris, quia ipse Dominus lux est, repletus est Dominus fortitudine, spiritu Domini, iudicio, & veritate: & annunciabit Iacob scelus suum, & Israel peccatum suum, Mich. cap. 3. num. 8. Vos autem Discipuli mei, Apostoli, & fideles, & qui in me credituri eritis, Ioan. cap. 17. numer. 20. non erubescatis in me, & fidem vestram, quam in me habetis, ne euacuetis, quia hæc passus sum; meipsum enim sanctificaui pro vobis, vt & vos in veritate sanctificati sitis, hæc pati volui, vt certiores vos fa-

cerem, quòd si & me, & Patrem oderunt, & vos etiam odio habebunt, Ioan. cap. 13. num. 16. Non est seruus maior Domino suo, neque Apostolus maior est eo, qui misit illum. Si me persecuti sunt, & vos persequentur, Ioan. c. 15. numer. 20. Ideò non erubescant, inquit, in me, in capite, cuius membra vos estis, qui gloriam meam, & resurrectionem meam expectatis, sum enim ego Dominus virtutũ, in quo, & sub quo sunt omnia cælestia, terrestria, & inferiora, in quo est omnis virtus, & operatio, & sine quo factum est nihil, Ioan. 1.

Non erubescant, qui te expectant Domine. Sed qui sunt, qui te expectant? An illi alium Dominum expectant, quos tu dicis, ne in te erubescant? An non es tu, quem omnes expectauimus, & Prophetæ te venturum prædixerunt, & iàm venisti, & te Deum credimus, & Dominum Redemptorem nostrum? Non est alius, neque in alio redempti sumus, nisi in Iesu Christo filio vnico Dei, qui carnem nostram assumpsit, vt deleret à carne peccatum.

Non erubescant, quia cum tu Deus ità humilis factus sis, vt quem totus non capit orbis, in sacco corporis humani includi volueris; & cum Dominus sis, ità sit despectus vultus tuus à tuis, quos ictu oculi, verbo solo delere poteras, nec erat, qui tibi dicere poterat, cur ità feceris? & tamen cum illis hominibus conuersatus es, ab eis non receptus, captus, flagellatus, crucifixus, & mortuus. Non erubescant Prophetæ tui, qui aduentum tuum prædixerunt, quòd à populo tuo, de quo & ipsi erant, occisus ità fueris.

Non erubescant in me, qui expectant te Domine Patres, qui in Limbo existebant, & salutem, & aduentum ibi meum expectabant; fuisset enim illorum magna confusio, nisi ego Deus, & homo eò non descenderem, vt liberarem illos; maiorq. Prophetarum esset confusio, qui meum aduentum illùc prædixerunt.

Lyranus hìc. Non erubescant, qui te expectant Domine, qui scilicet ab æterno vocati sunt, & prædestinati filij Dei, hæ sunt gentes, quibus, recusantibus Iudæis Verbum, salus prædicanda erat, Genes. cap. 49. num. 10. & ipse est expectatio gentium, Ioan. cap. 14. in princ. Et mouebo omnes gentes, & veniet desideratus cunctis gentibus, &c. & Isai. cap. 51. nu. 5. Me insulæ expectabunt, Zach. 2. n. 10. In die illa applicabuntur gentes ad Dominum, & erunt mihi in populum: non erubescant in me, qui expectant. Audite, qui expectatis Dominum, Isai. 35. n. 4. Dicite pusillanimes: confortamini, & nolite timere: ecce Deus noster vltionem adducet retributionis, Deus ipse veniet, & saluabit nos.

Non confundantur, inquit, super me, qui quærunt te Deus Israel, sed qui sperant in te, non confundantur in æternum, Psalm. 30. num. 1. Confusionem illam, quæ in æternum est, perhorrescamus, illa enim est, quando erit illud quod dictum est, Sap. 4. in fine. Et traducent eos ex aduerso iniquitates eorum, & fiet traductis ex aduerso ab iniquitatibus omnis grex malus ad sinistram, tamquam hædi ab ouibus separati, & audient, Ite in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis eius, Matth. 25. Rationem adducit, nempè, quia esuriui, & non dedistis mihi manducare, nàm quando esurienti Christo, in pauperibus non dabant cibum, & sitienti non dabant potum, &c. tunc contemnebant; confundentur isti, cum illis hæc annunciabuntur. Ideò dicit, Non confundantur super me, quia pauperes, ægrotos, peregrinos, &c. iustis meis, qui quærunt te Domine, illis commendabam, & quod vni ex minimis fecissent, mihi facere dicebam.

Con-

Confundantur tamen pœnitentes bona perturbatione animi, peccata sua respicientes, perhorrescentis respectione, horrore erubescentis, erubescentia corrigentis, Vndè Paul. ad Roman. cap. 6. Quam enim gloriam habuistis tunc in his, in quibus nunc erubescitis? Tali erubescant fideles erubescentia, non de præsentibus donis, sed de præteritis peccatis, hanc non formidat Christianus, Augustin. d. Psalm. 38. litera A. Immo si hanc confusionem non habuerit, æternam habebit. Rex Ezechias in Cantico apud Isai. cap. 38. numer. 15. Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ, in confusione erubescentis animæ meæ.

Non confundantur super me moriente ob mihi factas insultationes, qui quærebant te, ò Deus Israel, qui videbant te Deum, non seducantur infirmitate mea carnali, qui Deitatem meam intueri non possunt. Videbant hominem, non eius Deitatem intuebantur, considerabant filium esse fabri, nunquid non videbant & quia mortuos suscitabat, mari, & ventis imperabat, cæcos illuminabat? Matth. cap. 11. numer. 4. dimiserat Paralytico peccata, & id solius Dei esse, dicebant illi, Luc. cap. 5. numer. 21. quando verò eidem Paralytico dixit, Tibi dico, surge, tolle lectum tuum, repleti sunt timore, dicentes, quia vidimus mirabilia hodie, ibidem num. 26. Non confundantur super me, quia formam serui acceperim, cognoscant quia etiam Deus sum, quia, quæ soli Deo competunt, ego facio, spes salutis non illos confundat, ad Roman. 5. nu. 5. spes illorum immortalitate plena sit, Sap. 3. num. 4.

Non confundantur super me, quoniam quæ non rapui, exolui. Hoc ideò est Domine, quoniam propter te sustinui opprobrium, operuit confusio faciem meam. Non confundantur, quia propter te opprobria sustinuerim, & mortem, quia tu Domine sancte Pater, vt saluares populum tuum, mihi filio tuo non pepercisti, vt illum redimeres. Gregor. Nyssen. Orat. de Ascens. Domini, post multa inquit. Occurrunt Domino custodes, & portas iubent recludi, vt in ipsis rursum gloriam assequatur, verùm non agnoscunt eum, qui sordidam vitæ nostræ stolam, cuius rubra sunt vestimenta ex humanorum malorum torculari. Itaque rursus comites eius, vocibus illis interrogantur, Quis est iste Rex gloriæ? respondetur autem non amplius, fortis, & potens in prælio, sed Dominus virtutum, qui mundi Principatum obtinuit, qui summatim in se omnia collegit: qui pristinum in statum cuncta restituit, ipse est Rex gloriæ. Non agnoscunt eum, quia sordidam vitæ nostræ stolam indutus est, non tamen confunduntur, postquam virtutum Dominum intelligunt, attollunt cordis portas, ingreditur Princeps redemptionis, & salutis nostræ, ingreditur quem expectabant Deum Israel.

Non erubescant Angeli, nec confundantur super me, qui despectum, & nouissimum virorum me viderunt, vndè nec me reputauerunt, Isai. 53. num. 3. non agnouerunt ità sordidam hac veste humana circumdatam faciem: nàm pro te Domine sancte Pater sustinui opprobrium, operuit confusio faciem meã, & ideò.

Extraneus factus sum fratribus meis, & peregrinus filijs matris meæ. Extraneus factus sum. Quid dicis ò Petre, quid Ancillæ respondes anathematizando, quia nescio hominem istum, Marc. cap. 14. numer. 71. Et vos ò Iudæi quid dicitis? hunc nescimus vndè sit, Ioan. 9. nu. 29. & idem Ioan. 7. num. 27. Extraneus ergo factus est fratribus suis; extraneus & cæteris Iudæis; Dæmo-

nibus

nibus tamen cognitus, vndè Luc. cap. 4. num. 41. Exibant Dæmonia, quæ Dominus de corporibus obsessis eijciebat, clamantia &, dicentia; quia tu es filius Dei; & increpans non sinebat ea loqui, quia sciebant eum esse Christum. Quid est hoc? extraneus fratribus, & Dæmonibus confitentibus, & cognoscentibus confessio prohibetur? Non venit, vt Diabolum redimeret, qui perpetuò in infernum eiectus, ibi condemnatus reperitur. De illis quæritur, quòd ipsum non agnoscant, pro quorum salute is venerat, illos redempturus. Non agnouerunt Iudæi, quia si cognouissent, nunquam filium Dei occidissent: vndè Act. Apostol. cap. 3. num. 15. Vos autem sanctum, & iustum negastis, & petistis virum homicidam donari vobis, auctorem verò vitæ interfecistis; quem Deus suscitauit à mortuis, &c. & num. 17. Nunc fratres scio, quia per ignorantiam fecistis, sicut & Principes vestri: Deus autem, quæ pronunciauit per os omnium Prophetarum, pati Christum suum sic impleuit. Pœnituit Petrum, pœnituit & alios, & saluati sunt; in obstinatione persistunt Iudæi, & cum Dæmonibus partem recipiunt condemnati, quamuis peiores illis quodammodò sint, nàm confitentur illi Iesum esse filium Dei, negant isti; differunt tamen in hoc, quia nunquam iuuit Dæmones confessio, profuisset istis, dum viuerent, si sociam habuissent pœnitentiam.

Non confundantur in me, qui quærunt te Deus Israel. Qui intelligit quærentes Deum Israel, nisi qui ex Iudæis erant Deum timentes? Mitte Domine dicebant illi, quem missurus es; qui enim aliàs erat populus tuus, per transgressionem legis tuæ est perditus. Progenies viperarum, quis demonstrauit vobis fugere à ventura ira? Matth. cap. 3. num. 7. dicebant enim illi Pharisæi, & Principes, & non faciebant: dilatabant phylacteria sua, & magnificabant fimbrias: perditi enim erant, & Regnum Cælorum claudebant ante homines, nec illi intrabant, nec introeuntes intrare sinebant, Matth. 23. nu. 1. cum seq. Non confundantur qui sunt fratres mei, qui faciunt voluntatem Patris mei, Apostoli, & alij me audientes, Matth. 13. num. 49. & 50. & me sequentes.

Vos Prædicatores verbi Dei non confundamini super Dominum, qui Deum quæritis, quia vt dicit Dominus per Ierem. in cap. 15. num. 19. Si conuerteris, idest aliquos de malo ad bonum per tuam exhortationem, conuertam te scilicet ad me, dando tibi internam consolationem, & ante faciem meam stabis, æternaliter scilicet videndo faciem meam clarè cum Angelis, & si separaueris pretiosum à vili, quasi os meum eris; os enim Regis dicitur, qui pro Rege loquitur.

Non confundantur super me, inquit Iesus, qui quærunt te Deus Israel, quia non est Discipulus supra magistrum, nec seruus supra Dominum: nàm si ego, & Dominus opprobrium sustinui & miseriam propter nos, quia zelus Domini comedit me, Num. cap. 25. nu. 11. Auertit enim Dominus Iesus iram Dei Patris à nobis, quia zelo suo commotus est contrà nos, vt non deleret filios Israel in zelo suo, ideò, inquit, quoniam propter te sustinui opprobrium, operuit confusio faciem meam: confusio scilicet illorum Pharisæorum, qui abominationem fecerunt. Confundar ego, inquit, quia ipsi confusione non sunt confusi, & erubescere nescierunt, auctorem vitæ occidere quærentes. Ego, inquit Iesus confusus, illi verò inter ruentes cadent, & in tempore visitationis suæ corruent, sicut ait Ierem. c. 6. num. 15. Quare & vos ò dilecti, ò fideles mecum

cum

cum non confundamini eadem patientes, quæ ego passus sum, vt prædestinatos à morte liberarem: vt prædicatione vestra, verba mea coram gentibus proferatis, vt verbum suscipientes gentes, & reliquiæ Israel saluæ; Prædica verba, insta opportunè, importunè, argue, increpa, obsecra in omni patientia, & doctrina, 2. Timoth. c. 3. num. 12. Omnis enim scriptura diuinitus inspirata, vtilis est ad docendum, ad arguendum, ad corrigendum, &c.

Augustin. litera K. Quia zelus domus tuæ comedit me, idest, Quia persecutus sum in illis iniquitates ipsorum, quia non patienter tuli, quos sic corripui, quia quæsiui gloriam tuam in domo tua, quia flagellaui in Templo malè versantes, Ioan. cap. 2. vbi etiam positum est, zelus domus tuæ comedit me: hinc illis factus sum alienus, hinc hospes, vt dicerent hunc nescimus vndè sit: agnoscerent vndè sim, si agnoscerent, quod mandasti, si enim inuenirem illos seruantes mandata tua, zelus domus tuæ non comederet me.

Et opprobia exprobrantium tibi ceciderunt super me. Christi est vox ista, opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me. Quare tibi? inquit Augustin. Quia qui me cognouit, cognouit & Patrem, quia nemo exprobrauit Christo, nisi Deo exprobrans: quia nemo honorat Patrem, nisi qui honorat & Filium. Ceciderunt ergo super me, quia me inuenerunt, hæc Augustin. Quia noui te, propterea sustinui propter te, nàm si propter me sustinui, nonnè propter te etiam sustinui, quia tu Pater, & ego vnum sumus, Ioan. 10. num. 20. & ideò dicit, Ioan. cap. 5. num. 23. Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem, qui misit illum: & in alio loco, qui me spernit, spernit & illum, qui misit me.

Zelus domus tuæ comedit me. Propterea illos vendentes, & ementes de Templo eieci. Viduas, & pupillos, quorum tu es Protector, circuibant, illorumq. domus comedebant, mentham, anethum decimabant, & quæ legis grauiora sunt, relinquebant, iudicium scilicet, & misericordiam, & fidem. Indignati sunt contrà me, quia paruifaciebant legem, & præcepta tua; propterea propter te sustinui opprobrium, & miseriam, & ideò opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me, quia sustinui te. Diffamat in nos peccata disciplinæ nostræ, & improperat nobis peccata legis, Sap. cap. 2. num. 12. Opprobria enim Deo Patri inferebant, qui legi illius contradicebant, doctrinam sanctam illius malè tractabant, corrigere volebat Iesus illorum opprobria in Deum, & ideò propter Deum opprobria sustinebat; Zelus ergo domus Dei, fuit Christo causa mortis, Ierem. cap. 6. num. 10. Ecce, inquit, verbum Domini factum est eis in opprobrium, & non susceperunt illud.

Sed nunquid non poteras Domine illos delere de terra, & carnes eorum sicut puluerem in aerem euolare facere? Non veni, inquit, vt illos perderem, sed vt saluarem.

Ideò operui in ieiunio animam meam. In ieiunio, inquit, quia cessauit ab operando, abstinuit ab illorum perditione, quam facere poterat: ieiunauit, sed ad tempus, quia post quadraginta annos à die suæ passionis, Romanos contrà illos misit, ciuitates illorum, & gentem aboleuit, exterminauit, dispersit, & sacrificia, & oblationes penitus reiecit.

Operui in ieiunio animam meam, quia humiliatus silui, Psalm. 38. num. 3. à bonis, & dolor meus renouatus est. Quia ecce quem diligebam, detrahebat

mihi

mihi, & qui edebat panem meum, supplantauit me, & tradidit me illis, Psalm.40.num.10. & factum est in opprobrium mihi: nàm ideò tamquam latro ab illis captus, veste alba delusus, sputis, & colaphis consputus, & cæsus, flagellatus, &c. Propterea dicebat ille Iudex iniquus, ecce homo, cuius facies non est hominis; Cuius vultus absconditus, & despectus, & quasi leprosus ante vos factus, Isai.cap.53. & factum est in opprobrium mihi, & vobis in derisum.

Et operui in ieiunio animam meam, quòd omnes me dereliquissent, & à me defecissent, qui prius in me crediderant. Augustin. Ieiunium ipsius erat, quando defecerunt omnes, qui in eum crediderant, quia esuries ipsius erat; vt in eum crederetur, quia & sitis ipsius erat, quando dixit mulieri; sitio, da mihi bibere, fidem ipsius sitiebat, & de Cruce, cum diceret, sitio, fidem illorum quærebat, pro quibus dixerat, Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Propinarunt sitienti illi homines acetum, acetum vinum vetus dicitur, meritò de veteri homine propinarunt, quia noui esse noluerunt. Quare noui esse noluerunt? Quia ad titulum Psalmi huius, vbi scriptum est, Pro ijs, qui commutabuntur, non pertinuerunt. Respuit fel, quod ori eius obtulerunt, ieiunare potius elegit, quàm amaritudinem accipere; non enim intrant in corpus eius amaricantes, idest exasperantes, de quibus Psalm.65.nu.3. Qui exasperant, non exaltentur in semetipsis. Hoc mihi in opprobrium factum est, quia non illis consensi, hoc est ab illis ieiunaui. Qui non consentit malè suadentibus ieiunat ab ipsis, & ideò ieiunium meretur opprobrium, & ideò illi insultatur, quia non consensit ad malum. Hæc Augustin.

Ego autem operui in ieiunio animam meam, & factum est in opprobrium mihi: operui enim in ieiunio animam meam, & posteà esuriui; Quid dicebat iniquus ille, dic vt lapides isti panes fiant, Matth. cap.4.num.3. Non in solo pane, ò Diabole, viuit homo; non veni, vt panem manducarem, sed vt carnem meam in cibum darem; vt verbo Dei, hominem credentem saluum facerem: operui in ieiunio animam meam; non enim veni, vt gloriam meam quærerem; ideò frustra altiora proponis, vt cadens adorarem te, nàm solum Deum adorandum scriptum est. Factum est in opprobrium mihi, quia tota die contristatus ingrediebar, amici enim mei, & proximi mei aduersum me appropinquauerunt, & qui iuxtà me erant, de longè steterunt, & vim faciebant, qui quærebant animam meam.

Et posui vestimentum cilicium, carnem scilicet meam posui in cilicium, in continuis afflictionibus, fletibus, & tormentis, & dum confringuntur ossa mea, exprobrant me inimici mei, Psalm.41.numer.10. & factus sum illis in parabolam, & effudi in me animam meam, dum dicebant mihi, dæmonium habes, filius fabri es; descendat de Cruce, si filius Dei est; seductor est. Posui vestimentum cilicium; quia ad hoc veni, vt peccatorum populi mei pœnam ipse portarem super me. Et tu anima mea à Deo in innocentia creata, & quia peccatrix es, Domini Iesu Christi sanguine redempta; laborem ipsius, & dolorem non considerabis? splendidè cum Epulone epulaberis? & animæ tuæ dices, quia habes multa bona posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare: Stulte, an ignoras, quia Deus hac nocte animam tuam repetet à te, & quæ parasti, cuius erunt? Luc. cap.12.numer.19. Non es in Deum diues,

quæ thesaurizas, quæ tua non sunt, nec te sequuntur. Miles delicatus sub capite spinoso non datur; non est me dignus, inquit Christus, qui non accipit Crucem suam, & sequitur me, Matth. 10. num. 38.

Vndè Luc. 6. num. 24. Væ vobis diuitibus, qui habetis consolationem vestram; væ vobis, qui saturati estis, quia esurietis: væ vobis, qui ridetis nunc, quia lugebitis, & flebitis. Pone anima mea vestimentum tuum cilicium; age pœnitentiam: sint lacrymæ tuæ in maxillis tuis die, ac nocte, vt lugens nunc, in alio sæculo cum Sanctis Dei ridere possis. Augustin. Tom. 2. de Contemptu mundi, Epistol. 38. Dilecte si te Tyronem Christi profiteris, castra ne deseras; in quibus etiam tibi ædificanda turris est illa, de qua in Euangelio. In ea quippe stantem, & sub armis verbi Dei militantem nulla ex parte penetrare vllæ tentationes valent; inde & iactata in aduersarium tela graui pondere veniunt, & prospecta firmo munimine ducuntur, hæc Augustin. Non es carni debitor. In hac ergo vita actiones carnis mortifica tu anima mea, quotidie affligendo, minuendo, frænando, interimendo, si proficere cupis, non te amplius delectent, quæ anteà te delectabant, delectationi non consentias, & eam mortifica, & si iàm non te delectat, mortificatus eris; vndè Augustin. de Verbis Domini, Sermon. 13. Calca mortuum, transi ad viuum, calca iacentem, confligе cum resistente; mortua est enim vna delectatio; sed viuit altera; & illam, dum non consentis, mortificas; cum cœperit omnino non delectare, mortificasti. Hæc est actio nostra, hæc est militia nostra, in hoc agone cum confligimus, Deum habemus spectatorem, in hoc agone cum laboramus, Deum poscimus adiutorem, ipso enim non adiuuante, nec vincere, nec pugnare possumus.

Et posui vestimentum meum cilicium. Indutum enim Iesum Christum veste alba Herodes illusum remisit Pilato, & milites vestem coccineam circumdederunt ei, Matth. cap. 27. num. 28. vt inimici illius facilius ad irrisionem illius inducerentur. Propterea factus est in opprobrium illis, & in derisionem; in similitudinem enim improperij factus est illis. Quod enim maius cilicium, quàm veste illa irrisoria tradi populo in spectaculum, in irrisionem? & factus est illis in parabolam: Augustin. idest in irrisionem; Parabola enim dicitur, quando datur similitudo de aliquo, quando de illo maledicitur, sic ille verbi gratia pereat, quomodò ille, parabola est, idest comparatio & similitudo maledicti, hanc parabolam declarat sequens vers.

Aduersum me loquebantur, qui sedebant in porta, & in me psallebant, qui bibebant vinum. Non secretò detrahebant illi, factus est enim illis in derisum, in parabolam, publicè enim hæc fiebant ab ijs, qui sedebant in porta, à Principibus, & Iudæorum Iudicibus publicè, & palàm sedentibus, vt ius populo dicerent. Ità ex detractione illorum, & maledictione sedentium in sedibus iniquitatis sedebant detrahentes; nàm diligenter detractionem faciebant, quia sedendo maledicebant, ibi enim occupari volebant, malum illorum amplexantes, & dolum illorum osculantes. Augustin. Psalm. 49. litera B. Sedebant, vt ius dicerent in plateis, sedes iniquitatis adhærebat illis, Psalm. 93. numer. 20. Nunquid adhæret tibi sedes iniquitatis, qui fingis dolorem in præcepto, captabunt in animam iusti, & sanguinem innocentem condemnabunt, ibi. n. 21. Sedebant ex otio vacantes, vt derogarent Christo. Audi sedentium otium, nàm

nàm qui bibebant vinum, in Iesum psallebant, malè dicentes, & malè psallentes de Deo; ebrios auscultabant. In illorum detractionibus delectamini, & maledictionibus, ò Iudices iniqui, & quod erit vestrum iustum iudicium, si contrà insontem, & innocentem præbetis vestrum auditum? vide Augustin. Tom.10. in Appen. Sermon.13. litera A. Vndè Ierem. in cap.3. in Thren. numer.14. Factus sum in derisum omni populo meo, Canticum eorum tota die. Augustin. In ipsum incipiunt cantare, à quo prohibentur cantare: Qui bibebant vinum, vinum erroris, vinum impietatis, vinum superbiæ, detrahebant illi, psallebant isti: Nunquid non erit Psalmodia similis detractioni? maledicebant illi; Dominus verò benedicens orabat, Psalm.118.num.28. Ipsi confundentur,& Dominus lætabitur? Deuter.cap.28.num.63. Lætabitur Dominus disperdens vos, atque subuertens, vt auferamini de terra, &c.

Stabant Iudices illi, vt ius dicerent populi in porta Ciuitatis, vt eijcerent extrà illam Medicum salutis, ad Hebr. cap.13.num.12. Aduersum me loquebantur, qui sedebant in porta, & in me psallebant, qui bibebant vinum. Non solum ergo Iudices illi sedentes aduersum Iesum loquebantur, sed & vinum bibentes carmina, & væ decantabant psallentes. Sed cur non dixit, omnes qui panem manducabant, sed qui vinum bibebant? Nisi quia vt ebrij nescientes mysteria Dei, neque filium eius agnoscentes, quæ eis dicebantur à Pharisæis, vera esse credebant. Qualis enim Princeps, talis populus, Ecclesi.cap.10.nu.2. Qualis Rector Ciuitatis, tales & inhabitabunt in ea. Illi iniqui sedebant, isti ebrij, & furiosi psallebant. Sedebant iudicantes Iesum morte dignum, eiecerunt extrà portam, vt sanguinem eius biberent, sanguis eius super nos, & super filios nostros, Matth. cap.23.numer.13. Iudicabant illi, vt vnus moreretur pro populo, Matth. cap.14.numer.8. & cap.18.num.14. & ecce is, quem morti dederunt, viuit, & illi, quia non crediderunt in illum, moriuntur in infernum damnati.

Sedebant in porta domus Domini, vt verbum Domini introeuntibus per portam prædicarent, Ierem. cap.7. in princ. & factum est, vt omne verbum Domini prædicarent, dicentes, hic homo vorax est; potator vini, in Beelzebub dæmonia eijcit; Sabbata non custodit, filius fabri est; dignus est morte. Et erat proximus festus Iudæorum, dies illorum gaudij, in quibus diebus lætabantur, & vinum bibebant, erat enim dies illa illis ad pacem, Luc.cap.19.numer.42. Seductor est, illi dicebant, contrarius est operibus nostris; Venite fruamur, dicebant ad populum, bonis, vino pretioso, & vnguentis nos impleamus, Sap.2. num.6.

Vel aliter dicamus, Quia Pharisæi, & Principes, qui sedebant in porta, aduersus Dominum sedebant, vt loquerentur: qui verò vinum sapientiæ bibebant, & ad quos sermo Domini peruenerat, in Deum psallebant, biberunt enim vinum compunctionis non peremptionis, non erat enim peremptio perdens, sed medicina vrens, quia dedisti timentibus te significationem, vt fugiunt à facie arcus, Psalm.59. Vinum spirituale, quod verè lætificat cor hominis, & ideò qui bibebant, psallebant Domino, qui tribulabantur, & propter Dominum cruciabantur, vinum compunctionis bibebant. Præparentur iusti ad huius vini ebrietatem, Calix enim tuus Domine præclarus est, Psalm.113. Inebriamini, inquit August. ibi, sed videte vndè: si vos inebriat calix Domini

præ-

præclarus, videbitur ista ebrietas in operibus vestris, in sancto amore iustitiæ, videtur in alienatione mentis vestræ, sed à terrenis in Cælum.

Vinum ergo istud compunctionis, vinum spirituale, quod est verbum Domini, bibamus fratres: Vndè idem Augustin. Tom. 10. de Tempor. Serm. 78. Hilarem datorem diligit Deus, impedimenta mundi, si ad integrum non potestis abscindere, vel ex parte aliqua temperate, vt lectioni, vel orationi possitis insistere, vt in sancto exceptorio pectoris vestri spirituale vinum, idest verbum Dei abundantius reponentes, repudiatis omnibus criminibus, & peccatis, cum libera, & sincera conscientia Deo seruire possitis, &c. & cum sancta solemnitas Paschalis aduenerit, charitatem non solum cum bonis, sed etiam cum malis, feliciter, ac fideliter retinentes, cum gaudio, & exultatione, mundo corde, & casto corpore ad Altare Domini possitis accedere, & corpus, & sanguinem eius vnusquisque vestrum, non ad iudicium animæ suæ mereatur accipere; hæc Augustin.

Ego verò orationem meam ad te Domine: tempus beneplaciti Deus. Tempus beneplaciti, & acceptabile dicit, & ideò orat ad Deum Patrem pro illis. Lingua canum suorum ab ipsis, oratio Redemptoris pro illis; sæuiunt illi, parcit iste; mortem propinant illi, vitam dat pro illis, tempus acceptabile Deo, qui sibi vindicta, & non homini, ad Roman. cap. 12. numer. 19. Deuteronom. cap. 32. numer. 35. Ego verò orationem meam ad te Domine, tempus beneplaciti Deus. Vide orationis dulcedinem, considera tempus exauditionis, pulsatur Cithara, dat vocem, illa acceptatur à Deo, pulsant iniqui lingua sua corpus Christi, ipse verò orat ad Deum. Et quia tempus acceptabile, cum in conspectu tuo sint omnes, qui tribulant me, ideò ego orabam, & tu exaudisti me, vt infrà num. 24. quia salus tua suscepit me, num. 34. Videant pauperes, & lætentur, quærant Dominum, & viuet anima illorum, infrà num. 32. Quoniam exaudiuit pauperes Dominus, & vinctos suos non despexit.

Ego autem orabam, orabat in Cruce, qui pulsabatur in corpore, emisit sonoram vocem, dicens, Ne statuas illis hoc peccatum; & pro sua reuerentia exauditur, & verbum Domini recipiebatur à multis ex Iudæis, & Gentilibus. Profertur hæc dulcis, & sonora cantilena ad sonum lapidum capitis Stephani, auditores, Christus, & Angeli illius musicæ, instrumenti audiunt pulsationem, portas aperiunt, & audituri apparent, Vndè idem Stephanus dixit, Ecce ego video Cælos apertos, & Iesum stantem à dextris virtutis Dei, Act. Apostol. cap. 7. Vide igitur, quis dulcis resonet ex pulsatione sonus, quàm sit acceptabile tempus.

Tempus beneplaciti Deus, ecce nunc dies salutis, venit Christus Iesus, vt suscitaret terram, & possideret terras dissipatas, vt diceret his, qui vincti sunt; exite, & his, qui in tenebris, reuelamini, in tempore placito exaudiui te, Isai. cap. 49. numer. 8. 2. Corinth. cap. 6. numer. 1. & 2. Tempus enim acceptabile, quod prouenit ex multitudine misericordiæ tuæ, idest secundum magnam misericordiam tuam, quia ideò opposita est magnæ multitudini iniquitatis nostræ. Vniuersæ viæ tuæ Domine misericordia, & veritas, misericordia tua multa in dimittendo, & veritas in reddendo promissa, Paul. ad Rom. cap. 3. nu. 4. Venerat plenitudo temporis, quando scilicet peccata hominum erant in multitudine maxima, omnis enim caro corruperat viam suam, Syna-

goga Hebræorum cum Principibus illius venalis facta, Matth. capit. 13. numer. 15. Incrassatum est enim cor populi huius, & Matth. cap. 23. per totum; necessaria erat igitur multitudo gratiæ, & misericordiæ Dei, vt veniens redimeret, quos Diabolus perdiderat in gehennam. Quia ergo, dicit Dominus, tu me misisti Domine sancte Pater, vt secundum multitudinem miserationum tuarum omnium peccata delerem, ecce ego homo factus, rogo; exaudi orationem, vt quos dedisti mihi, non perdam ex eis; salua illos Domine secundum multitudinem misericordiæ tuæ, & veritatis salutis tuæ, quam promisisti mihi pro illis, in veritate auxilij tui, tu enim Domine veritas es, neque illam hominum iniquitas, euacuare potest, Paul. ad Roman. dicto cap. 3. numer. 3.

Sed si Domine venisti, vt redimeres, & à Patre missus es, Isai. cap. 6. num. 8. & dicto cap. 53. numer. 6. Et posuit in eo Dominus iniquitatem omnium nostrum, quomodò nunc multitudini misericordiæ Dei te commendas, vt exaudiat te? Nunquid ignorabas, quia liuore tuo omnes sanaremur? Nunquid non oblatus es, quia voluisti? si tu in Patre, & qui videt te, videt & Patrem tuum, cur clamas, si id in te est, pro quo oras? si tua passio ità à Deo ordinata erat, vt ferres nostra crimina? si sciebas, quia clarè omnia, quæ petebas, erant ventura, quare orabas, ac si illa ignorasses? Non pro se orat, qui pro te venit, in cuius manu vita est, & mors; sed ideò orat, vt tu, qui perditus eras, quale fuerit donum Dei, non ignores, quia vt te liberaret, Pater nec filio suo pepercit, scio enim, inquit ille, quòd tu Pater semper me exaudis, sed vt sciant isti, quia à te veni, & quòd tu me misisti, Ioan. capit. 11. numer. 42.

Clamat humanitas Christi, & orat, & tu ab oratione cessabis, qui tot beneficia per Christum recepisti, vt filius Dei sis, & cum eo regnaturus? Clama & tu anima mea, & ne cesses, ostende Domino vulnera tua: & cum in ieiunio, & fletu oraueris, pete misericordiarum multitudinem à Deo, qui iniquè multiplicasti offensiones tuas in illum, & ipse te exaudiet in veritate salutis tuæ, iustitia enim Dei requiescit, vt ipse sua promissa perficiat, Ezechiel cap. 18. num. 21. Si iniquus egerit pœnitentiam, &c. omnium iniquitatum eius, quæ operatus est non recordabor, idem Ezech. cap. 33. numer. 13. cum sequen. Isai. cap. 53. per totum.

Tu ergo, qui in iniquitatibus conceptus es, qui infixus reperiris in luto, cum viro innocente, & in quo non est culpa, nec dolus, tange Citharam tuam ieiunando, & peccatorem te confitendo, & dicas, Eripe me de luto, vt non infigar: libera me ab his, qui oderunt me, & de profundis aquarum. Passio tua sanctissima Domine Iesu bone deleat peccata mea, fac me sicut vnum de mercenarijs tuis, quia coram te, & coram hominibus peccaui nimis in vita mea, eripe me infixum, vt non amplius in eodem luto infigar peccatorum.

Eripe me, inquit Iesus Christus, in membris suis loquendo, in homine peccatore verbum suum audiente, Eripe me de luto, vt non infigar; non enim est ipse in luto, qui aliorum peccata tulit. Iàm veni Domine sancte Pater, quos tu mihi dedisti, & daturus es; ipsi vocem meam audierunt, tui iàm sunt, eripe illos de luto, vt non infigantur in luto; in mundo ità sunt, vt non sint

am-

amplius de mundo, Ioan. 17. num. 14. Libera illos ab his, qui eos oderunt, quia non sunt de mundo, sicut nec ego, Ioan. vt suprà num. 14. libera eos de profundis aquarum, & quamuis corpore sint in mundo, ab illo tamen mente, & anima longè fiunt, & malis illius non consentiant.

Quid est dicere, eripe me de luto, vt non infigar; libera me ab his, qui oderunt me, & de profundis aquarum? Discipulis suis filium Dei Iesum confitentibus, præcepit, vt nemini dicerent visionem gloriæ suæ in transfiguratione; se lutum faciebat, quia exinde ostendere cœpit Discipulis suis, quòd oporteret, ipsum ire Ierosolymam, & oporteret multa pati à Senioribus, & Scribis, & Principibus Sacerdotum, & occidi, & tertia die resurgere. Eripe me Domine de luto, vt non infigar: non eripias, vt non per illum transeam, sed eripias, vt non infigar: Quid dicis ò Petre sancte; quid dicis? Matth. 16. numer. 21. cum sequen. Non, Domine, non hoc sit, sed absit à te Domine. Vade Satana post me, ait Iesus; scandalum es mihi, quia non sapis quæ Dei sunt, sed quæ hominum. Non dico, ne eripiar simpliciter, sed vt non infigar, tolle tu Crucem meam, qui es in luto aquarum, si ab illis eripi & tu volueris & me sequi: Libera me ab his, qui oderunt me, & de profundis aquarum. Vade post me Satana, ait ad Diabolum, loquentem in Petro detenente Christum à morte, quia animas in Limbo existentes, de manibus tuis eripere volo.

Lutum inimicos, profundum tempestates, à quibus omnibus erui se petit; Athanas. & Euseb. & alij nonnulli inferos intelligunt per lutum; Vndè totum corpus suum erui petit capiti coniunctum, atque connexum: inimicos verò Satanam, & Angelos eius intelligit, infestissimos humani generis hostes. Descendã ergo, dicit, Iesus ad inferos, non tamen me demergat tempestas aquæ, neque absorbeat me profundum. Sed si iàm tempestas demersit te, quomodò dicis nunc, non me demergat tempestas aquæ, nàm versic. 3. dixisti, Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me.

Iàm Dominus Iesus in mari erat tribulationum huius mundi, & contrà illum præualuerunt Iudæi, quia falsis accusationibus, & validis ventis in Crucem eum impulerunt; morti tradiderunt, quia ipse voluit, quia ad hoc venit: carnem crucifixerunt, non tamen illum in puteum retinere potuerunt, quia surrexit Dominus, nec aquæ putei animam illius demergere potuerunt, introiuit enim Rex gloriæ, & portæ inferi apertæ sunt, vt ab illis animæ detentorum Patrum liberarentur. Ventis, & mari imperauit. Non me demergant aquæ, neque os suum puteus claudat super me, quia ego Dominus virtutum sum, & Rex gloriæ, quia veni, vt captiuos liberarem, & mecum in Paradisum ducerem, Vndè Matth. cap. 27. numer. 52. Terra mota est, & petræ scissæ sunt, & monumenta aperta sunt, & multa corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt.

Non vrgeat super me puteus os suum, quia ego Dominus; Exierunt enim de monumentis post resurrectionem eius, & venerũt in sanctam Ciuitatem, &c. & apparuerunt multis: Augustin. hìc, Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me. Demersit secundum carnem, non demersit secundum spiritum, quibus dictum est, Matth. cap. 10. nu. 23. si vos persecuti fuerint in vna Ciuitate, fugite in aliam; hoc eis dictum est, vt non carne hærerent, nec spiritu. Non enim appetendum est, vt hæreamus vel carne, sed quantum possu-

possumus vitare debemus. Si verò hæserimus, & in malum peccatorum venerimus, iàm corpore hæsimus, & infixi sumus in limò profundi, restat pro anima deprecari, vt non hæreamus, idest non consentiamus.

Non me demergat tempestas aquæ, vt eam in profundum limi, neque absorbeat me profundum, ne scilicet incidam in profundum iniquitatis humanæ. Magnus est enim puteus, profunditas iniquitatis humanæ, cadet enim in profundum, qui illùc ceciderit, confitearis, si positus in illo sis, quia tunc os putei non claudetur super te: de profundis ad Dominum clama, & exaudiet orationem tuam, Psalm. 129. ne contemnas, quia tunc in profundum peccatorum incides, atque ignominia, & opprobrium sequetur te, Prouerb. 18. numer. 3. sed è somno peccatorum euigilans, clama, ne cesses, dicens, Domine miserere mei, ne in profundum demergar, ne os putei super me claudatur. Quid enim moraris? quid retardans expectas? A mortuo quasi nihil perit confessio, Eccles. dicto cap. 17. num. 26. confitere Domino, non des excusationem in peccato, Psalm. 140. numer. 4. Ne declines cor meum in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis, non sis defensor peccati tui. Puteus super te claudet os suum, si defensor peccati tui factus sis, quomodò erit Deus liberator? tu ergo sis tui accusator, vt ille sit tui liberator. Gregor. in lib. 26. Moral. cap. 24. fol. 261. Quem enim mali operis iniquitas à bona stabilitate commouit, quasi tempestas aquæ rapuit; sed si adhùc longa consuetudine, non præualuit, non demersit, iàm in puteum cecidit, qui hoc, quod diuina lex prohibet perpetrauit, sed si adhùc longa consuetudo non deprimit, nequaquam os suum puteus coangustauit; tantò ergo facilius egreditur, quantò minori consuetudine coarctatur. Vide Thren. capit. 3. Iudæam in peccatum lapsam videns, ait, lapsa est in lacum vita mea, & posuerunt lapidem super me.

Exaudi me, quoniam benigna est misericordia tua, secundum multitudinem miserationum tuarum respice in me, oblectabit iustos misericordia Domini; positus in tribulationibus maximis benignitatem misericordiæ implorat, exorando, vt illum exaudiat; scriptum est enim Eccles. cap. 35. numer. 25. Speciosa misericordia Dei in tempore tribulationis. Iàm in medio tribulationum positus est Iesus iustus noster, non recusat, non illis contradicit, tamquam enim Agnus mansuetus ad occisionem ductus, Isai. capit. 53. numer. 7. Non aperuit os suum, ad Patrem sunt oculi eius, in illo est spes, & consolatio, in tempore benigna est Dei misericordia, cum qua patiendo consolatur sustinendo. Exaudi ergo me, inquit, Domine, quoniam suauis est misericordia tua, in hac enim tribulatione speciosa, & benigna est consolationis misericordia super me, Eccles. 35. num. 26. Sicut pluuia in siccitate, ità speciosa est misericordia Dei in tribulatione.

Augustin. hìc litera G. Quod ibi, ait, speciosa, hìc ait suauis, nec panis dulcis esset, nisi fames præcederet; ergo, & quando Dominus permittit, aut facit, vt in tribulatione aliqua simus, etiam tunc misericors est, non enim alimentum subtrahit, sed desiderium mouet, itaque quod ait modò, Exaudi me Domine, quoniam suauis est misericordia tua, tantumdem valet, ac si dixisset, iàm noli differre exauditionẽ, in tanta tribulatione sũ, vt suauis mihi sit misericordia tua. Ad hoc ergo subuenire differebas, vt mihi dulce esset, quòd subueniebas;

iàm ergo vltra non est, quòd differas, peruenit tribulatio mea ad mensuram certam calamitatis; veniat misericordia tua ad faciendum opus bonitatis, hæc Augustin. sequitur.

Secundum multitudinem miserationum tuarum respice in me. Iàm etiam tu Domine clamabas in Cruce, Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me? Non te dereliquit Dominus, ò homo, quia in summitatem tribulationum perductus sis, tibi videtur illum te dereliquisse, quia misericordiæ Dei dulcedine nondum es associatus, in culmine es afflictionis, Deus respicit te, vt & tu fortis, & patiens, valeas Cælum apertum respicere; miseratus est tui Domine, propterea respexit te. Non secundum peccatorum multitudinem populi huius, pro quo veni, ait Iesus, in mundum, sed secundum miserationum tuarum multitudinem in me respice: qui gratis pondus illorum suscepi in me, respice ergo in me, non in illos, pro quibus tu me misisti.

Ne auertas faciem tuam à puero tuo, quoniam tribulor, velociter exaudi me. Quis est iste puer? nisi ille, de quo Isai. cap. 42. num. 1. Ecce puer meus, (vulgata autem habet, seruus meus,) suscipiam eum, electus meus complacuit sibi in illo anima mea; dedi spiritum meum super eum, iudicium gentibus proferet, non clamabit, neque accipiet personam, nec audietur vox eius foris, &c. & in Matth. cap. 12. num. 17. Ecce puer meus, quem elegi, dilectus meus, in quo sibi benè complacuit anima mea, ponam spiritum meum super eum, &c. Iesus est ille puer, de quo Luc. cap. 2. num. 27. Cum inducerent puerum Iesum; puer ergo Iesus tribulatur, talium est enim Regnum cælorum, Marc. cap. 10. numer. 14. Ne auertas faciem tuam à me, quare non auertas, inquit, quia tametsi semper faciem Patris videret, tàm magno tamen afficiebatur dolore in Cruce positus, vt clamarit, cur me dereliquisti? Non auertas, inquit, faciem tuam à me, quoniam tribulor, velociter exaudi me, quia sine te tribulor valdè.

Non auertas faciem tuam à me, (dic tu anima mea, & tu qui tribulationibus magnis præmeris,) quia ex benignitate misericordiæ tuæ tribulatio fit suauis, & dulcis in me propter te; velociter exaudi; non vt illam à me auferas, sed ne tu longè sis à me; quia sine te crucior valdè. Non auertas faciem tuam à puero tuo humiliato, sed nimis conturbato, Psalm. 50. Velociter exaudi me, non est quòd amplius differas, iàm præcessit tribulatio, sequatur misericordia tua; Pro te, anima mea Iesus factus est puer in laboribus, & ærumnis à pueritia sua, vt & tu humiliata libenter tribulationes, & tormenta patiaris, & tunc Deum in auxilium inuoca, quia tecum erit velociter, & non patietur te vltrà vires tuas tentari, sed ostendet tibi faciem suam, & eris cum illo in pace, Sap. cap. 3. Clamat enim Iesus pro te ad Patrem, vt tollat tormenta tua, quia iàm à peccato aliena facta es, quia te pœnituit fecisse in conspectu Dei mala, propterea facies eius à te longè facta fuerat. Puer facta es, humiliata es, aduocatus tuus Iesus apud Patrem orat, vt te à tentationibus velociter eripiat, oculos suos non amplius à te auertat, sed faciem suam tibi ostendat, conspectum suum in te conuertat, igitur dicas cum illo.

Intende animæ meæ, & libera eam, propter inimicos meos eripe me. Duo hic vers. continet, & petit quòd Deus animæ suæ intendat, & liberet eam; alterum, quòd & corpus propter inimicos suos eripiat, vt scilicet non inducat

ſanctum ſuum videre corruptionem, Iob cap.33.num.24. Pſalm.15.num.10. Quoniam non derelinquet animam meam in inferno, nec dabit ſanctum ſuum videre corruptionem, Act. Apoſtol. cap.2.numer.31. propter inimicos meos, inquit, vt eripiat, dicebant enim Sap. d. cap.2.nu.19. Si enim eſt verus filius Dei, ſuſcipiet illum, & liberabit eum de manibus contrariorum, contumelia, & tormento interrogemus eum, vt ſciamus reuerentiam eius, & probemus patientiam illius, &c.

Auguſtin. hic litera G. Videamus quod ſequitur: Propter inimicos meos eripe me: hæc plane miranda petitio eſt, nec breuiter perſtringenda, nec curſim tranſilienda, prorſus miranda. Propter inimicos meos erue me, quid eſt erue me propter inimicos meos, vt confundantur, & crucientur liberatione mea? Quid ergo, ſi non eſſent illi, qui de liberatione mea eſſent cruciandi, mihi ſubuenire non debuit? Et tunc tibi acceptabilis eſt liberatio, cum fuerit alterius damnatio? ecce non ſunt inimici, qui vel confundãtur, vel torqueantur de liberatione tua, ſic remanebis, non liberaberis? An ad hoc, vt valeat inimicis tuis, quo poſſint & ipſi tua liberatione conuerti? ſed & hoc mirũ eſt, ſi habeat aliquam petitionis cauſam: nunquid enim ad hoc liberatur ſeruus Dei à Domino Deo ſuo, vt alij proficiant? Quid ſi deeſſent qui proficerent, ille ſeruus Dei non erat liberandus? Quocunque ergo me conuertam, ſiuè ad punitionem, ſiuè ad liberationem inimicorum, non video cauſam petitionis huius, propter inimicos meos erue me, niſi aliud quid intelligamus: quod cum dixero, adiuuante Deo, iudicabit in vobis, qui habitat in vobis, hæc Auguſtin. Cuius ſententiam, inquit hic Magiſter Sentent. dicens: Duæ notantur liberationes, occulta, & manifeſta, eſt enim quædam liberatio occulta in anima, quæ propter ipſos ſanctos fit, qualiter ſeptem fratres Machabæi liberati ſunt, qui igne conſumpti ſunt, matre eos hortante, vt potius eligerent pro legibus Dei mori, 2.Machab.7. quàm contrà eas hominibus conſentire; & eſt alia liberatio manifeſta, quæ fit propter inimicos, vel puniendos, vel liberandos, qualiter tres pueri de camino ignis ſunt liberati, Daniel. cap.3. Vndè ipſe Nabuchodonoſor conuerſus Deum ipſorum, quem ante contempſerat, prædicauit; Vtranque hic liberationem diſtinguens, ait, intende animæ meæ, hoc ad occultam liberationem animæ pertinet, & libera eam, ideſt quam liberationem tu ſolus ſcis. Deindè ſubdit, Eripe me, manifeſtè in reſurrectione propter inimicos meos: hoc ad apertam liberationem pertinet, vt ſcilicet caro reſurgat, & aſcendens mittat ſpiritum, vndè inimici conuerſi ſunt, quibus non proderit, ſi ſolum animam liberaueris. Ergo, inquit Auguſtin. intende animæ meæ, & redime eam, quod tu ſolus ſcis: deindè propter inimicos meos erue me, vt caro mea non videat corruptionem.

Tu ſcis improperium meum, & confuſionem meam, & reuerentiam meam. Non enim inimici mei, qui hoc fecerunt, norunt quare ſcilicet, & propter quid fuerit improperium meum, & opprobrium: opprobrium eſt quod obijcit inimicus, confuſio eſt, quæ mordet conſcientiam: Reuerentia, ſeu verecundia eſt, quæ facit ingenuam frontẽ, & de falſi criminis obiectione erubeſcere. Non eſt crimen erubeſcere, aut ſi eſt crimen, non eſt illius, cui obijcitur, ſed eius, qui obijcit, & ſi cum falſum obijcitur, plerunq; infirmitas animi verecundatur, non quia obiectum eſt, ſed quia creditum.

Tu nosti Domine confusionem meam, ait Iesus, quam scilicet contrà me obijciunt isti, ergo erue me propter inimicos meos, illi enim non mouerunt, in conspectu tuo sunt isti nescientes corrigi, vel confundi non possunt, propter inimicos meos, ergo eruas animam meam. Me enim filium tuum esse non confitentur; dixerunt, quòd blasphemaui; improperium obiecerunt mihi; deriseruntq. me, spineam coronam capiti ponentes, & nudum crucifixerunt. Confusionem hanc tu scis Domine, quare illam sustinuerim; ex his enim verecundia, siuè ignominia in me fuit, nàm tamquam reus Pilato traditus sum ad crucifigendum. Pro ijs ipsis, pro hominibus enim hæc sustinui, vt ij eadem sustinentes instruerentur: tu scis Domine ergo improperium meum, confusionem meam, & reuerentiam meam, quia vt redimerem, & iustitiæ tuæ satisfacerem, tu nosti, quia ideò talia sustinui. Non nouerunt inimici, propterea dicebat Petrus, scio quia per ignorantiam occidistis, Act.3. Si enim me esse filium Dei sciuissent, numquam Regem gloriæ crucifixissent, 1.Corinth.2.nu.8.

Tu scis, quæ contrà me obijciuntur ab istis, quia falsa sunt; scis etiam Domine, qualem ideò confusionem sustinuerim, quæ mihi fuit in passione mea: scis etiam Domine reuerentiam meam, quia etsi alapis, flagellis, & percussionibus ignominiam sim passus; sustinui tamen propter reuerentiam, quam debeo tibi. Quis enim imputasset mihi, si occidissem nationes, quas ego feci? Sap.c.12.num.12. aut quis posset stare contrà iudicium meum, & erit vindex iniquorum hominum? tamen propter scelus populi mei, percussisti me, & in infirmitate conterere me voluisti, cum nec iniquitatem fecerim, nec dolus inuentus sit in ore meo, Isai.c.53. num.9. Hanc fuisse voluntatem tuam ignorauerunt inimici mei: ego autem improperium istud, & hanc miseriam expectabam, propterea silui, obmutui, & dolor meus renouatus est, quia incidi in quod expectabam, tristis enim erat anima mea vsque ad mortem, Matth. cap.26. num.38.

In conspectu tuo sunt omnes, qui tribulant me. Quomodò in cõspectu Domini sunt? nisi quia inimici, domestici eius, Sacerdotes, Pontifices, & Pharisæi erant illi, qui in Synagoga permanentes, talia iniqua contrà Dominum perpetrarunt; prætendunt ignorantiam, ignorare dicunt, quòd ego sim filius tuus, filius Dei viui, quamuis ex operibus, quæ coram illis feci, inexcusabiles redditi sint, Ioan. cap.5. num.36. Opera enim, quæ dedisti mihi Pater, vt perficiam, testimonium perhibent de me, quia tu misisti me, Ioan. c.10. nu.37. & 38. Operibus credite, vt cognoscatis, & credatis, quia Pater in me est, & ego in Patre: & cap.14. num.12.

In conspectu tuo sunt omnes, qui tribulant me. Nec excusationem habere possunt, quia tibi Domine nota sunt illorum corda. In conspectu tuo sunt semper, & coram omnibus hominibus inexcusabiles sunt, Ioan.cap.15.nu.22. Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent, nunc autem excusationem non habent, quia & viderunt, & oderunt & me, & Patrem meum; sed vt impleatur sermo, qui in lege eorum scriptus est, Quia odio habuerunt me gratis, Psalm.34.num.19.

Dissensio facta fuit inter Iudæos, quia dicebam illis, animam meam ponere pro ouibus meis, & alias habere oues, quæ non sunt ex hoc ouili, &c. Propterea me Pater diligit, quia ego pono animam meam, vt iterum sumam

eam,

eam, nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à me ipso, & potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi eam, hoc mandatum accepi à Patre meo, Ioan. d. cap. 10. num. 14. cum sequen. Igitur propter istos incredulos inimicos meos, & propter alias oues, quæ non sunt ex hoc ouili, vt credant, quia tu me misisti filium tuum, intende animæ meæ, & libera eam, & corpus meum à corruptione; vt sciant, quòd vera illis dixi, & quòd ego sim Via, Veritas, & Vita, Ioan. cap. 14. nu. 6. Erue ergo manifestè animam meam, & corpus meum à corruptione, vt resurgens à mortuis, corrigantur, & confundantur, qui me sunt iniquè persecuti.

Improperium expectauit cor meum, & miseriam. Tu Domine scis improperium meum, & confusionem meam, hæc enim omnia cor meum expectat, è corpore enim meo, & ex corde meo descendunt omnes, qui sequuturi sunt me, & si me persecuti sunt inimici mei, & illos persequentur, improperium illorum expectat cor meum, & illorum miseriam.

Et sustinui, qui simul contristaretur, & non fuit, & qui consolaretur, & non inueni: Sed Domine quomodò consolantem non inuenisti? si de Angelis intelligis, apparuit Angelus de cælo, quando in horto tu orabas, si possibile esset, transiret calix à te, & confortabatur te, Luc. 22. num. 43. similiter Petrus, & alij Discipuli cum eo, Matth. 26. nu. 33. & 35. similiter & omnes Discipuli dixerunt sicut Petrus, cæterum mulieres, quæ in passione te sequebantur, nonnè plangebant omnes, multa enim turba populi, & mulierum sequebatur te Domine, quæ plangebant, & te lamentabantur, Luc. 23. num. 27.

Confortabantur Angeli, sed non adiuuabant ne pateretur. Immo & Pater, qui semper cum ipso est, Ioan. cap. 26. num. 32. in illa hora eum dereliquisse videbatur, propterea ipse dicebat, Deus meus, vt quid dereliquisti me? Matth. cap. 27. num. 46. & tu Petre cum cæteris Apostolis quid in Passione Christi fecisti? vbi sunt verba promissionis, quia nunquam scandalizaremini? modò dixit vobis Iesus, creditis? Ioan. d. cap. 16. num. 32. Ecce dixit vobis, venit hora, & iàm venit, vt dispergamini vnusquisque in propria, & me solum relinquatis, Matth. cap. 26. nu. 56. Non est, qui consoletur eum ex omnibus charis eius, Thren. cap. 1. num. 2. Flebat multitudo plebis, & mulierum, hominem tàm crudeliter laceratum, & occidendum; sed deridebant illum esse Saluatorem. Iesus venerat vt saluaret, plorabant hominem moriturum, non tamen consolabantur Saluatorem affuturum: illudebant Saluatorem, & non plorabant suam perditionem: non erat, qui mecum contristaretur, quod passio mea multis non esset proficua.

Augustin. hic litera C. Sustinui qui simul contristaretur, & non fuit, & consolantes, & non inueni. Hoc est non fuit; quod enim superiori versu dixit sustinui, qui simul contristaretur, hoc sequenti versu, & consolantes; quod enim superiori versu, & non fuit; hoc sequenti versu, & non inueni; ergo non altera subiecta, sed superior repetita sententia est, quam sententiam si teneamus, quæstio nonnulla poterit oboriri. Nunquid enim Discipuli eius non contristati, quando ductus est ad passionem, quando ligno suspensus, quando mortuus? Vsqueadeò contristati sunt, vt Maria Magdalena, quæ primò eum vidit, gaudens lugentibus nunciaret, quòd viderit, Marc. cap. 16. num. 11. constat ergo doluisse, & luxisse Discipulos. Extraneæ mulieres flebant, quando

ad

ad passionem ducebatur, ad quas conuersus, ait; flete sed vos, nolite flere me? Quomodò ergo sustinuit, qui consolaretur simul; & non fuit? Intendamus diligentius; & videbimus, eum sustinuisse, qui simul contristaretur, & non fuisse. Contristabantur illi carnaliter de vita temporali, quæ mutanda fuerat morte, & reparanda resurrectione: hinc erat illa tristitia. De illis esse debuit tristitia, qui cæci medicum occiderunt, qui tamquam febrientes perniciosè phrenetici, faciebant iniuriam ei, à quo illis fuerat salus allata: ille volebat curare, illi sæuire, hinc tristitia medico, quia non inuenit huius tristitiæ comitem, non enim, ait, sustinui, qui contristaretur, & non fuit, sed qui simul contristaretur, idest ex ea re, qua ego contristabar, & non inueni. Petro Iesum amanti, & in passione neganti illum ter. Vndè tristitia? nisi quia malum illi videbatur mori, id enim deuitabat, quod malum putabat, hoc ergo & in Domino dolebat, quod ipse deuitabat, dixerat enim ante, absit à te Domine, propitius tibi esto Domine, ne fiat istud; & meruit audire, Satanas, postquam audierat, Beatus es Simon Bar Iona, Matth. 16. ergo in tristitia, quam habebat Dominus de illis, pro quibus orauit, Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt, nullum comitem inuenit. Et sustinui, qui simul contristaretur, & non fuit, prorsus non fuit; & consolantes & non inueni. hæc Augustin. tùm quærit, qui sint consolantes? proficientes: ipsi enim nos consolantur, ipsi sunt solatia omnibus Prædicatoribus veritatis.

Sequitur Propheta passionum Christi qualitates narrando, dicens. Et dederunt in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto. Pro esca enim fel dederunt, & vt biberet, non vinum, sed acetum, vetus vinum ori suo præbuerunt. Gustauit, sed non bibit, quia venerat, vt noua essent omnia, Isai. cap. 48. num. 3. Gustauit, quia priora ex tunc ille annunciauit; & Ex ore meo, inquit ille, exierunt, & audita feci ea, repentè operatus sum, & venerunt. Sciui enim, quia durus es tu, & neruus tuus ferreus, ceruix tua, & frons tua ærea, &c. audita feci tibi noua ex tunc, & conseruata sunt, quæ nescis; nunc creata sunt, & non ex tunc, & in cap. 93. num. 19. Ne memineritis priorum, & antiqua ne intueamini, ecce ego facio noua, &c. & nunc orientur, &c. Gustauit, sed non bibit, qui nouum prius in cœna Discipulis suis dederat, sanguinem, nempè suum, & corpus suum. Gustauit, & non bibit, omnes enim Prophetæ, & lex vsque ad Ioannem prophetauerunt, Matth. cap. 11. numer. 13. Nonnè ad literam factum est? nonnè hæc scripta sunt in Euangelio? fel ori apposuerunt, & acetum, quia illum clamantem, vt ad ipsum venirent, reiecerunt. Amarum illi fuit, quòd cum ideò venisset, vt illos redimeret, acetum dederunt, à veteri lege recedere noluerunt; immo fel exhibuerunt, vt ostenderent; quia neć veterem legem obseruabant, Matth. cap. 23. num. 1. secundum opera illorum nolite facere; dicunt, & non faciunt; amarum hoc fuit Domino propter mœrorem, acetum propter vetustatem eorum.

Dederunt in escam meam fel. Audiamus Augustin. considerantem, quòd in potum, non in escam ori eius oblatum. Mysterium consideremus; velum Templi scissum est, ingrediamur, secretum perquiramus, non ipsum, quod dederunt esca erat, potus erat, sed in escam dederunt. Quid? iàm Dominus escam acceperat, & in ipsam iniectum est fel. Acceperat enim ipse escam suauem, quando Pascha manducauit, cum Discipulis suis ibi sacramentum sui

corporis demonstrauit. In hanc escam, tàm suauem, tàm dulcem vnitatis Christi, quam Apostolus, 1. Corinth. cap. 10. commendauit, dicens, Quia vnus panis, vnum corpus multi sumus. In hanc escam suauem, quis est, qui dat fel; nisi Euangelij contradictores, tamquam illi persecutores Christi? Minus enim peccauerunt Iudæi crucifigentes in terra ambulantem, quàm qui contemnunt in cælo sedentem, Quod ergo fecerunt Iudæi, vt in escam, quam iam acceperant, darent bibendum amarum illum potum; hoc faciunt, qui malè viuendo scandalum inferunt Ecclesiæ, hoc faciunt hæretici amaricantes. Sed non exaltentur in semetipsis, dant fel super tàm iucundum cibum. Sed quid facit Dominus? non admittit ad corpus suum. Hoc sacramento ipse Dominus, quando illi obtulerunt fel gustauit, & noluit bibere, si non eos pateremur, nec omninò gustaremus; quia necesse est eos pati, necesse est gustari. Sed quia in membris Christi tales esse non possunt, gustari possunt, recipi in corpus non possunt. Et dederunt in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto. Sitiebam, & acetum accepi, idest fidem illorum desideraui, & vetustatem inueni: hæc Augustin.

Dederunt in escam meam fel, & acetum in potum. Ità eorum mensa fiat in laqueum, & in retributiones, & in scandalum coram ipsis; talis illis sit mensa illorum, qualem mihi dederunt in cruce: Hæc est quarta pars huius Psalmi: talis enim laqueus sit illis, qualem mihi laqueum exhibuerunt. Quos laqueos contrà Dominum posuerint, suprà narratum est, & in Euangelio satis declaratum, malitiosè enim processerunt contrà Dominum, & iustissimè contrà illos sæua supplicia. Fiat mensa eorum, &c. non optantis, sed prophetantis. Non vt fiat, dicit Augustin. sed quia fiet, ne quod præsaga mens in spiritu dicit, maleuolè imprecari videatur. In retributionem peccatorum hæc tibi euenient, & venerunt; propterea dixi, quia secundum iustum iudicium fuit iudicantis, Iacob. cap. 2. num. 13. Iudicium sine misericordia illi, qui non facit misericordiam, & Psalm. 93. num. 2. Redde retributionem superbis, & Psalm. 40. nu. 11, & 12. Non gaudebit inimicus super me, resuscita me, & retribuam eis.

Fiat habitatio illorum deserta, & in tabernaculis eorum non sit qui inhabitet, fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, & in retributionem, & in scandalum, Isai. cap. 24. num. 20. Grauabit eum iniquitas sua, & corruet, & non adijciet, vt resurgat. Fiat habitatio eorum coram illis deserta, Ierem. cap. 16. num. 9. Ecce auferam de loco isto in oculis vestris, & in diebus vestris vocem gaudij, vocem lætitiæ, vocem Sponsi, & vocem Sponsæ, quia dereliquerunt me Patres vestri, &c. ait Dominus, quia vos peius operati estis, quam Patres vestri, &c.

In laqueum. Nàm Psalm. 10. num. 7. Pluet super peccatores laqueos, ignis, & sulphur, &c. Qui tribulant me inimici mei, infirmati sunt, & ceciderunt, & Psalm. 108. num. 10. Nutantes transferantur filij eius, & mendicent, & eijciantur de habitationibus suis. Nec in omnibus his auersus est furor eius, sed adhùc manus eius extenta, Isai. cap. 9. numer. 21. Erit enim populus quasi esca ignis, Fiat habitatio eorum deserta, Isai. cap. 6. num. 11. domus eius relinquetur deserta, &c. domus Israel, vinea Domini, Isai. cap. 5. num. 5. Erit enim in direptionem, ponam eam desertam, facit ad idem, Isai. cap. 1.

In laqueum fiat, & in retributionem, vndè Psal. 7. In eo parauit vasa mortis, quia

quia concepit dolorem, peperit iniquitatem, & conuertetur dolor eius in caput eius, & in verticem ipsius iniquitas eius descendet, Psalm.7.numer.17. In retributiones, & in scandalum. Apostolus ad Roman. cap.1.num.26. Propterea tradidit illos Dominus in passiones ignominiæ: & Non habitabunt vltra vsque in sempiternum, nec extruetur vsque ad generationem, & generationem, Ierem.cap.50.nu.39. & 40. & Isai.13. & cap.24.num.20. Grauabit eum iniquitas sua, & corruet, & non adijciet, vt resurgat. Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, & in retributionem, & in scandalum, Ierem.cap.10.num.20. Tabernaculum meum vastatum, funiculi mei dirupti sunt, filij mei exierunt à me, & non subsistunt, &c. quia stultè egerunt Pastores. In laqueum dicit, nam iuuenes morientur in gladio, filij, & filiæ eorum morientur in fame.

Fiat mensa eorum coram ipsis: sed quæ mensa coram ipsis, nisi illa, super quam superbiæ cibus comedebatur ab illis? Cur Iesum audire recusabant, nec in illum credere volebant? quia superbi erant, quia inuidi, non videtis, dicebant, quia totus mundus post illum abit, Ioan. cap.13. num.47. Augustin. Psalm.100. litera G. Cor superbum vndè pascitur? si superbus est, inuidus est, aliter esse non potest; superbia mater inuidentiæ est, non potest nisi generare hanc, & cum illa semper esse. Omnis ergo superbus inuidus est, malis alienis pascitur, vndè dicit Apost. ad Galat.cap.5. Si mordetis, & comedetis inuicem, videte, ne ad inuicem consummamini: cibis talibus pascebantur Iudæi, quando crucifixerunt Dominum, sed quia pascebantur tanquam de pœna Domini, ità mensa eorum coram ipsis in laqueum, & in retributionem, & in scandalum.

Fiat mensa eorum coram illis, in laqueum, &c. Erant enim bibentes sanguinem Domini: Sanguis eius super nos, dicebant, & super filios nostros; in laqueum ipsis, & filijs suis & in scandalum. Legant Hebræi Ioseph de Bello Iudaico, & videbunt, quot ex illis ab igne, & ense remanserint consumpti post Christi mortem.

Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum. Sed ad quid mensæ fit mentio, vbi tractatur de occidendo Christo Iesu? crudelitas illorum inter epulas. Appropinquabat festus dies Azimorum, qui dicitur Pascha, Luc. cap.16.num.1. & quærebant Principes Sacerdotum, & Scribæ, quomodò Iesum interficerent: Venit dies Azimorum, in qua necesse erat occidi Pascha, Luc. cap.22.num. 8. Lætabantur illi inimici, quia traditor dederat illis signum; præ tristitia dormiebant Apostoli, occidunt illi Agnum, sed non manducant Dominum. Fiat mensa eorum in laqueum, & in mortem, remaneat mensa Domini in salutem. Noli lætari Israel, noli exultare sicut populi, quia fornicatus es à Deo tuo, sacrificia vestra, quasi panis lugentium, Osee cap.9. Omnes, qui comedent eum, contaminabuntur, quia panis eorum, anima ipsorum: non intrabit in domum Domini, & num.6. Quid facietis in die solemni, die festiuitatis Domini? & num.11. Abalienati sunt in confusionem, & facti sunt abominabiles, væ illis, cum recessero ab eis.

Obscurentur oculi eorum, ne videant, & dorsum eorum semper incurua. Altera Iudæorum pœna, de qua Isai. d.cap.6. oculos eius claude, num.10. Deficiat, quæ præualebat, & succendantur omnes, qui vigilant super iniquitatem, Isai.cap.29.num.20. Circumdederunt me felle, & labore. Thren.cap.3. & dorsum eorum semper in laboribus sit, in laboribus tamen illorum ingre-

dian-

diantur alij, Psalm. 118. num. 15. Scrutetur fœnerator omnem substantiam eius, & diripiant alieni labores eorum.

Obscurentur oculi eorum, obscuretur illorum mens, quia intendere minime curarunt, vt solem iustitiæ agnoscerent. Fiat eis non videre ex quo videre noluerunt: in terrenis sit illorum finis, qui terrena solum sapiunt; quia de terra sunt, de terra loquuntur, terrena requirant, qui spernunt cælestia. Qui in peccatis remanere volunt impœnitentes, dorsum eorum incurua semper, quia & si recti creati sunt, & catenæ ceruicum illorum confractæ essent, vt incederent erecti; Nunc tamen sicut bestiæ, ad terrena capita eorum sunt incuruata, & dorsa.

Obscurentur oculi eorum ne videant, Domine oculi tui respiciunt fidem, percussisti eos, & non doluerunt: attriuisti eos, & renuerunt accipere disciplinam. Dorsum eorum semper incurua, indurauerunt facies suas supra petram, & noluerunt reuerti, obscurati sunt oculi eorum, ne viderent. Nàm & si ad Optimates iuerint Discipuli, & prædicatores tui, & illis locuti sint, cum illi cognouerint viam Domini, & iudicium Dei sui: & ecce magis hi confregerunt iugum, ruperunt vincula, oculi Optimatum, & Principum Iudæorum obscurati sunt; & quomodò dorsum eorum non erit semper incuruatum? populus scilicet, cui non est prædicatum Euangelium, vel ei falsum est documentum datum, quomodò erit te cognoscens Domine, si non est, qui panem ei frangat? Vndè dicere mihi licitum erit, quæ scripta sunt in lib. Ierem. cap. 5. in princ. Circuite vias Ierusalem, & aspicite, & considerate, & quærite in plateis eius, an inueniatis virum facientem iudicium, & quærentem fidem, & propitius ero ei. Forsan Domine, quia pauperes sunt, & stulti ignorantes viam tuam: non sic erit in Optimatibus, & ecce magis hi confregerunt iugum, & facti sunt incuruati, quia vincula rumpentes, inclinati vsque ad terram, curui facti sunt. Oculi ergo erunt illi Rabbini, illi Optimates, & maiores, per dorsum verò intelliguntur Minores, & populi; si enim oculi maiorum obscurantur, qui præsunt cæteris, qui erunt populi, qui ab illis dependent? cum enim lumen scientiæ perdunt, qui præeunt, inclinantur sequentes ad portanda peccatorum onera, ad appetenda terrena. Facit cap. 2. in Sapien. Claudunt enim Regnum cælorum ante homines, non enim illi intrant, nec introeuntes sinunt intrare, Matth. cap. 23. num. 16. quia secreta Dei nescierunt, exterius hìc, & in futuro punientur.

Effunde super eos iram tuam, & furor iræ tuæ comprehendat eos. Et dum oculi eorum obscurati permanent, dorsum eorum semper incurua, vt afflicti, & timidi, gentibus seruientes, non sit requies vestigio pedum suorum, cor pauidum da illis Domine, & oculos deficientes, & animam mœrore consumptam, Deut. cap. 28. nu. 65. Vendantur in seruos, & seruas, & non sit, qui illos emat: quia lingua eorum, & adinuentiones eorum contrà Dominum, vt prouocarent oculos Maiestatis eius. Agnitio vultus eorum respondeat eis, & peccatum eorum quasi Sodoma prædicetur, Isai. cap. 3. num. 8. Sed vsquequò Domine incuruabitur dorsum eorum? & dixit, Donec desolentur ciuitates absque habitatore, & domus sine homine, & terra relinquetur deserta, Isai. cap. 6. num. 11. Dorsum eorum semper incurua, donec filij eorum, qui te humiliauerunt, ad te curui veniant, & adorent vestigia tua, Isai. cap. 60. num. 14.

Et

Et effunde iram tuam. Quia contrà te iniustè irati ostenderunt crudelitatem suam, ideò respiciant terram, quia crudelia meditati sunt contrà te, Psal. 16. num. 11. circumdederunt me proijcientes, statuerunt declinare oculos suos in terram, vt cum animalibus, & bestijs, & serpentibus terræ sit cibus illorum. Illorum enim ira, & inuidia contrà Christum fuit; contrà innocentem irruerunt, & efferbuerunt in illum, in cuius ore nec dolus inuentus est. Obscurentur oculi eorum nè videant, cum quibus sit esca illorum, & dorsum incuruetur, vt cum Dæmonibus sit talis esca illorum, & cibus: Genes. cap. 4. Iratus est enim Cain valdè, & concidit facies eius, Quare iratus es, & concidit facies tua? iratus fuit populus Hebræus inuidendo. Quid facimus, quia multa signa facit, & post eum totus mundus vadit; Ioan. cap. 11. num. 47. moriatur vnus pro populo, concidit facies Cain. Nunquid custos sum fratris mei? sanguis eius de terra clamat ad Dominum.

Effunde super eos iram tuam, vt tamen, cum iratus fueris, misericordiæ tuæ, si conuertantur recorderis, Deut. cap. 32. Psalm. 59. num. 3. & si in infidelitate permanserint, furor iræ tuæ comprehendat eos, vt illos damnes, tunc enim non effugere poterunt à furore iræ tuæ, Isai. cap. 3. num. 7. Quis demonstrabit vobis fugere à ventura ira? comprehendet illos furor iræ tuæ, nec fugere poterunt, Psalm. 138. num. 9. Quò ibo à spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? si ascendero in cælum, tu illic es, & si descendero in infernum ades, & si sumpsero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris: etenim illùc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.

Non tamen intelligas velim, quia in Deo sit ira, aut alia perturbatio; nomine enim iræ intelligitur vindicta iniquitatis: Augustin. in Psalm. 78. litera E. ira porro, & zelus Dei non sunt perturbationes Dei, sicut nonnulli per scripturas, quas non intelligunt, arguunt, sed nomine iræ intelligitur vindicta iniquitatis, nomine Zeli exactio castitatis, ne anima legem Domini sui contemnat, & à Deo suo fornicando dispereat; hæc ergo ipso affectu in hominum affectione sunt turbulenta, in Dei autem dispositione tranquilla sunt, cui dictum est, tu autem Domine virtutum cum tranquillitate iudicas, Sapient. cap. 12. numer. 18.

Fiat habitatio eorum deserta, & in tabernaculis eorum non sit, qui in habitet, Isai. cap. 6. num. 11. Ecce relinquetur domus vestra deserta, Ierem. cap. 50. num. 39. & 40. & non habitabitur vltra vsque in sempiternum, nec extruetur vsque ad generationem, & generationem, &c. ira enim Dei super illos vsque in finem, 1. ad Thessalonic. cap. 2. num. 16.

Fiat habitatio eorum deserta. Sed cur deserta? Quia quem tu percussisti, persecuti sunt, & super dolorem vulnerum tuorum addiderunt? Si tu Pater prius illum percussisti, cur & ipsi non poterant eundem persequi, quem tu prius vt percuteretur misisti? Nonnè in eo posuisti Domine omnium nostrum iniquitates? Isai. cap. 53. num. 6. Quid ergo peccauerunt, si à Deo percussum persecuti sunt, quid illis imputatur? A Deo missus, & percussus, vt nos sanaret; à Iudæis percussus, vt illum, & nos perderent. Sic Deus dilexit nos, vt filium suum vnigenitum daret; sic Iudæi propter inuidiam illum tradiderunt; vt omnes nos in illum credentes maligno odio persequerentur. Mens ergo, & propositum distinguunt percussiones, ille ergo percussit, vt sanaret, isti vt per-

perderent, ille vt per eum mundum redimeret; illi, vt in morte permanerent: percussit Dominus, vt sufficiens esset satisfactio, percusserunt isti, vt nunquam esset Redemptio; ò infelices, cæcos, iniquos, & dolosos; non fuit vobis satis, quòd in corpus Domini vulnera intulistis, quoniam, & in suis membris vulnera addidistis: iàm mortem Christo intulistis, cor, & in membris eius insæuistis, Apostolos occidendo, & Ecclesiam Dei persequentes, super dolorem vulnerum suorum addidistis. Quid me persequeris Paule? An ignoras, quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis? Et super dolorem vulnerum meorum addiderunt; Augustin. Quid ergo peccauerunt, si à Deo percussum persecuti sunt? quid animo eorum imputatur? Malitia: nàm in Christo factum est quod oportebat, pati vtiq. venerat, Et puniuit per quem passus est: nàm Iudas traditor punitus est, & Christus crucifixus est, sed nos redemit sanguine suo, & puniuit illum de pretio suo, & non agnouit pretium, quo ipse à Domino redemptus erat; retulit argentum, quod receperat, quia de traditione pœnitens, de misericordia diffidendo laqueo se suspendit. Sed cum videamus, inquit Augustin. mensuram quandam esse in omnibus, nec quemquam posse permitti, amplius sæuire, quàm acceperit potestatem, quomodò illi addiderunt, aut quæ est ista percusio Domini? Nimirum ex persona locutus est eius; vndè corpus acceperat, vndè carnem assumpserat, idest generis humani, ipsius Adæ, qui percussus est prima morte propter peccatum suum. Mortales ergo hìc homines cum pœna nascuntur. Huic pœnæ addunt quicumque homines fuerint persecuti; iàm enim hic homo moriturus non esset, nisi Deus illum percusisset. Quid ergo tu homo sæuis amplius? parum ne homini est, quòd aliquando moriturus est? Portat ergo vnusquisque nostrum pœnam suam, huic pœnæ volunt addere, qui nos persequuntur. Hæc pœnæ percussio est Domini, Dominus quippè sententia percusit hominem, qua die, inquit, tetigeritis, morte moriemini. Ex hac morte carnem susceperat, & vetus homo noster simul crucifixus est cum illo, & illius voce ista dixit, quem tu percusisti, ipsi persecuti sunt, & super dolorem vulnerorum meorum addiderunt; super quem dolorem vulnerum? super dolorem peccatorum ipsi addiderunt; vulnera sua peccata dixit, hæc Augustin.

Ergo super dolorem vulnerum meorũ addiderunt; iniquitas eorum super iniquitatem posita est. Eadem in pœna sit illis commensuratio, & quia iniquitas super iniquitatem posita est; & pœna supra pœnam imponatur illis: duplici afflictione contere eos, Ierem. cap. 17. num. 18. & Apocal. cap. 15. numer. 6. Reddite illi, sicut & ipsa reddidit nobis, & duplicate supplicia secundum opera eis, in poculo quo miscuit, miscete illi duplum, quantùm glorificauit se, & in delicijs fuit, tantùm date illi tormentum, & luctum. Quia in corde dixit, sedeo Regina, & Vidua non sum, & luctum non videbo. Ideò in vna die venient plagæ eius, mors, & luctus, & fames, & igne comburetur. Quia fortis est Dominus, qui iudicabit illam, & num. 19. Exulta super eam cælum, & sancti Apostoli, & Prophetæ, quoniam iudicabit Deus iudicium vestrum de illa.

Et non intrent in iustitiam tuam, idest passio tua Domine non sit illis iuuamen, quia non crediderunt tibi. Ex iustitia enim Dei fideles propter passionem Christi saluantur, quia Iesus Christus pro illis satisfecit Patri, populus enim

meus

meus est, filij non negantes, & factus est eis Saluator, Isai.cap.63.num.7. Appone iniquitatem super iniquitatem, hanc scilicet Domine ab illis iniustè illatam mortem; iniquitatem illorum pone Domine super aliorum iniquorum iniquitatem. Occiderunt enim Prophetas, & quos misisti, ecce hic est hæres, occidamus & illum. Appone iniquitatem super iniquitatem, Matth.cap.21. num.38. Abyssus abyssum inuocat, Psalm.41.num.8. Iàm in profundum peccatorum venerunt, in imo profundi descendant, quia peccatum peccato addiderunt in voce cataractarum suarum, iàm Prophetas occidimus, venit hæres, occidamus & illum. In voce cataractarum suarum clamauerunt, dicentes, crucifige, crucifige. Appone iniquitatem super iniquitatem, & cum iustis non scribantur. Appone & hanc iniquitatem super iniquitatem, tradens eos in desideria cordis eorum; tradidit enim, quia permisit, non illos incitauit, non immisit: Dæmon enim fuit, qui in cor Iudæ immisit, vt traderet Iesum, Luc. cap.22.num.3.

Vndè Gregor. lib.25. Moral.cap.12. Omne quippè peccatum, quod citius pœnitendo non tergitur, peccatum est, & causa peccati, aut peccatum est, & pœna peccati: peccatum nàmque, quod non diluitur per pœnitentiam, ipso suo pondere ad aliud trahit, vndè fit, vt non solum sit peccatum, sed peccatum, & causa peccati. Et illo quippè vitio culpa subsequens oritur, ex quo obcæcata mens dicitur, vt peius, etiam in alio ligetur, sed peccatum, quod ex peccato oritur, non iàm peccatum tantummodò, sed peccatum est, & causa peccati; quia iusto iudicio Deus omnipotens cor peccantis obumbrat, vt præcedentis peccati meritò etiam in alia cadat, Ioan. Apocal.cap.22. Qui nocet, noceat adhùc, & qui in sordibus est, sordescat adhùc: Hinc Paul. ad Roman.c.6. num.12. Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, vt obediatis concupiscentijs eius; sed neque exhibeatis membra vestra, arma iniquitatis peccato, &c. Non ergo regnet in vobis peccatum, vt diù dominetur, sedemq. figat, nàm iniquitas, nisi pœnitentiæ motibus proijciatur, indissolubiliter nobis adhæret.

Hinc Augustin. in Tom.9. in Euang. Ioan. Tract.60. litera C. Non consentiant Christiani erroribus Philosophorum, Stoicorum, vel quorumcunque similium, qui profectò quemadmodum vanitatem existimant veritatem, sic stuporem deputant sanitatem, ignorantes, sic hominis animum, quemadmodum corporis membrum desperatiùs ægrotare, quando & doloris amiserit sensum. Regnat peccatum in corpore nostro mortali, quando non pœnitentes sensum amisimus pœnæ, quæ ex illo inde prouenier, & in illo moritur. Migrauit Iudas propter afflictionem, & multitudinem seruitutis. Sensus illius mysticus est, quia ductus est in captiuitatem populus Israel, propterea multitudinem seruitutis peccati, quia venditus propria voluntate vni peccato, statim alteri, multisq. superuenientibus addicebatur, Thren.c.1.n.3. Super Cain positum est signum, ne quis eum interimeret, Genes.4.nu.15. Cur ità? inquit Philo in lib. de Profugis, Opinor, inquit, quia iniquitas malum est infinitum, quod semel accensum nunquam extinguitur, vide Gregor. lib.2. Moral. cap.16.

Deleantur isti de libro viuentium, inquit Psalm. & cum iustis non scribantur, Ezech.13.num.9. Et erit manus mea super Prophetas, qui vident vana, & diuinant mendacium; in consilio populi mei non erunt, & in scriptura

domus Iſrael non ſcribentur, &c. In ſcriptura vitæ æternæ ſecundum Chald. ſcriptura vitæ æternæ, ſcilicet libro Vitæ, vndè Luc.cap.10.num.20. Gaudete, quia nomina veſtra ſcripta ſunt in cælis. Deleantur de libro viuentium, ergo ſcripta eorum nomina dicemus in libro viuentium? non ſunt ſcripta, dicit Auguſtin. quamuis ipſis videantur ſcripta, quia Scribæ, quia Phariſæi, quia primos accubitus in cœnis procurabant. Deleantur etiam quòad homines, quia non ſunt tales illi, qui ſe putabant eſſe: perditi, quia impij, declarentur ab hominibus, quia in libro viuentium nec ſcripti inueniuntur, nec inueniri poſſe pronuntient.

Deleantur de libro viuentium in Eccleſia Dei, quia propter eorum iniquitatem, facti ſunt indigni: & extrà Eccleſiam ponantur, & cum iuſtis non ſcribantur. Deleantur de libro viuentium, ideſt confitentium Dominum, quia cor eorum longè eſt à Deo, & in Eccleſia cum iuſtis Dominum confitentibus non ſcribantur, per os illorum non aſſumatur teſtamentum Domini.

Dicamus ergo, quòd liber viuentium ſit corpus Eccleſiæ, in quo per baptiſmum boni, & mali ſcripti ſunt, iuſti, & hæretici reperiuntur: viuentes, Deum laudantes, ac benedicentes, & mortui, hæretici Deum blaſphemantes, & negantes; deleantur hæretici de libro iſto viuentium, quia iàm mortui ſunt, nec cum iuſtis ſcribantur, nec in illa nominentur, Pſalm.49.numer.16. Peccatori autem dixit Deus, quare tu enarras iuſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum? Deleatur iſte de libro viuentium; os tuum abundauit malitia, & lingua tua concinnabat dolos, &c. exiſtimaſti inique, quod ero tui ſimilis: arguam te, & ſtatuam te contrà faciem tuam: intelligite, qui obliuiſcimini Deum, ne quando rapiat, & non ſit, qui eripiat, &c.

Ego ſum pauper, & dolens, & ſalus tua Deus ſuſcepit me: Quinta pars huius Pſalmi, in qua Ieſus ipſe loquitur, & eſt finis ipſius Incarnationis, & Paſſionis. Quare pauper? quia ideò factus humilis, vt & nos humiles, & pauperes Regnum cælorum poſſideamus, Luc.cap.6.num.20. Quare dolens? quia cum propterea iniquitates noſtras facti eſſemus diuiſi à Deo, & peccata noſtra abſcondiſſent faciem eius à nobis ne exaudiret, Iſai.c.59.nu.1. Ipſe doluit, quia propterea ſcelus populi percuſſus eſt à Deo, Iſai.53.nu.8. vt & tu pro te dolens, quia peccaſti, miſericordiam conſequaris ab eo: dolores noſtros ipſe portauit, & tu de peccato tuo non eris dolens, & pœnitens, vt paſſione ipſius redemptus, cum ipſo hìc lugeas, in alio rideas, & exultes? Matth.cap.5.num.6. Sis ergo tu pauper, & dolens, & ſalus Domini ſuſcipiet te; ſis dolens, & pœnitens, & diſciplina Domini corriget te in finem, in Chriſtum, quia dextera eius ſuſcipiet te, & diſciplina eius, & dolor eius te docebit, Pſalm.17.num.36. Pauper enim Chriſtus factus eſt, cum carnem noſtram aſſumpſit, dolens fuit, quia paſſiones in carne ſuſtinuit. Nonnè pauper, qui nec vbi caput ſuum reclinaret habuit? Matth.cap.8.nu.20. Fuit dolens, ideò dixit per Prophetam, O vos omnes; qui per viam tranſitis, videte ſi eſt dolor, ſicut dolor meus, Thren.cap.1. num.12. Pauper, vt inopia ſua nos ditaret, 2.Corinth.cap.8.num.9. dolens, vt electos ſaluaret; quia multi ſunt vocati, pauci electi; Matth.cap.20.numer.16. Non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum; Pſalm.13.numer.4. dolens, ob id, quod dictum eſt; putas ne, quando venerit filius hominis, inueniet fidem? Luc.cap.18.num.8. Pauper in laboribus à iuuentute mea: dolens,

nàm exaltatus, humiliatus, conturbatus, Psalm.83.num.16. Pauper, ideò respice in me, miserere mei, quia vnicus, & pauper sum ego; dolens, nàm tribulationes cordis mei multiplicatæ sunt, Psal.24.nu.16. & 17.Psalm.39.nu.18.

Sed si pauper, & dolens, quomodò dicis. Laudabo nomen Dei cum Cantico, & magnificabo eum in laude? Ambros. Epist.10. Cum Regnum Dei pauperum sit, quid esse locupletius potest etsi nudi in sæculo nascimur, & nudi accedimus ad lauacrum, nudi etiam, & expediti ad cæli ianuam properemus; incongruum autem, & absurdum est, vt quem nudum mater genuit, nudum suscepit Ecclesia, diues intrare velit in cælum, propterea dixit Iesus, Matth.8. Si vis perfectus esse vade, vende omnia, &c. gloriatur Christus, quia pauper sit, & cum ipse Dux noster sit, cur sub eodem militare non debemus? quis titulus nobilior Christo nostro, ipse enim dixit, Ego sum pauper, &c. & Thren. cap.3. in princ. Ego sum vir videns paupertatem, Bernard. Epist.23. nobilis re vera Titulus paupertatis, ego sum, inquit, vir videns paupertatem meam: hic vos titulus nobilitat amplius, & reddit illustrem, cum ipso enim sunt diuitiæ, opes, gloria, &c. Prouerb.8.num.18.

Laudabo nomen Dei cum Cantico, & magnificabo eum in laude. Ecce fructus pauperis, & dolentis, quia pauper, & dolens laudat. In spiritu humili, & contrito laudabo nomen Domini cum Cantico, cum gratiarum actione, quia respexit humilitatem, & contritionem serui sui: sacrificium enim Deo spiritus contribulatus, cor contritum, & humiliatum Deus non despicit: Psal.50. Beati ergo pauperes spiritu, quoniam ipsorum est Regnum cælorum, & ideò in Cantico laudabo eum, quia exultatio mea non est de terrenis exultatio; læto ergo corde laudes ei dico, & magnifico, atque exalto, Augustin. Hæ sunt diuitiæ meæ magnificare Deum in laude, Dominus dedit, Dominus abstulit, ergo miser remansit? absit, vide diuitias, sicut Domino placuit, ità factum est, sit nomen Domini benedictum, hæc Augustin.

Et placebit Domino super vitulum nouellum, cornua producentem, & vngulas. Quia humilium, & mansuetorum semper tibi placuit deprecatio, Iudith. cap.9.num.17. & confitentium exauditio, Malach.cap.3.nu.4. Ibi, Placebit sacrificium Iuda, qui confessio interpretatur, placebit Deo super vitulum; nàm, vt ad Hebr. dicit Apostolus, cap.3.num.2. Amplioris gloriæ iste, idest Iesus, præ Moyse dignus est habitus, quantò ampliorem honorem habet domus, qui fabricauit eam; omnis enim domus fabricatur ab aliquo, qui autem omnia creauit, Deus est; & Moyses quidem fidelis erat in tota domo eius, tamquam famulus in testimonium eorum, quæ dicenda erant; Christus verò tamquam filius in domo sua; quæ domus sumus nos, si fiduciam, & gloriam spei vsque ad finem firmam retineamus. Laudes ergo eius placebunt illi, plusquam vituli nouelli sacrificium, quando à nobis, qui in domo sumus, ex corde puro, & conscientia vera proferatur. Cæteri verò errant corde, hæretici scilicet, & iniqui, qui sicut nouellus vitulus cornua producens, vt hùc, & illùc saltando, accipiant fortitudinem ab vngulis, à falsis eorum interpretationibus, cornibus alios imbecilles trahentes, & vngulis nouellos, in oculis eorum puluerem iacientes, vt semper obscuri remaneant, nec videant lumen verum, qui est Christus: Ne offeratis ergo ò Iudæi, ò hæretici sacrificium vltrà; Isai.cap.1.num.13. iàm in monte illo Sinai scilicet, fecit Dominus omnibus populis conuiuium

pinguium, Isai.cap.25.num.6. Ex hoc mors in æternum præcipitatur, ecce enim, inquit, Deus noster iste, qui saluabit nos, ipse Dominus sustinuimus eum, exultabimus, & lætabimur in salutari eius. Quid enim bonum eius est, & quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum, Zach.cap.9.num.17. Non ergo amplius sacrificium secundum Aaron, idest carnium; sed secundum ordinem Melchisedech; panem enim, & vinum obtulit, & erat Sacerdos magnus Altissimi, Genes.cap.14.num.18. Super vitulum ergo placebit Domino sacrificium Eucharistiæ corporis eius; in spiritualem enim nostram legem, carnalium Iudæorum legem mutauit, Isai.cap.42.nu.9. Noua quoque ego annuncio. Et, proue latius diximus in nostro Tract. contrà Iudæos in Titulo de Institutione sanctissimi Sacramenti Eucharistiæ, placebit Deo super vitulum: Malach.cap.1. num.10. Non est mihi voluntas in vobis, & munus non suscipiam de manu vestra, Psalm.49.num.13. Nunquid manducabo carnes Taurorum, &c. Sacrificium istud, & oblationem noluisti, aures autem perfecisti mihi, Psal.39.nu.7.

Laudabo ergo Dominum in Sir, & auferam Sor, hæc enim sunt nomina hebræa; Sir enim Canticum, Sor vitulus; non ergo vitulos offeram, inquit, sed Canticum nouum, & laudes; magis ergo placebit sacrificium laudis, quàm sacrificium vituli.

Videant pauperes, & lætentur, quærite Deum, & viuet anima vestra. Videant pauperes, quia non acceptor personarum est Deus; videant pauperes, quia non hyrcorum, aut vitulorum sacrificium ab illis requirit Deus. Non vult, quæ ad te non pertinent; vult Deus, quod in te est, vt eum diligens ex toto corde tuo, ex tota anima tua, præbeas illi cor tuum.

Videant pauperes. Quòd in temporalibus non consistit salus: sed in mente consistit oblatio vestra, quæ Deo accepta sit; quæ à te procedit, illud offeras, quod ad te pertinet: cæterum, inquit Deus, mea sunt iumenta, boues, & feræ syluarum, tu illarum dispensator, quatenus diues sis, non Dominus; Domini Dei enim sunt cæli, & terra, & omnia, quæ ambitu cæli continentur. Magis inopes sint, dicit Augustin. vt saturari mereantur, ne cum saginæ superbiam eructant, negetur eis panis, quo salubriter viuant. Quærite Dominum inopes, & esurite, & sitite, ipse est panis viuus, qui de cælo descendit; quærite Dominum, vt viuat anima vestra. Librum Christi videant pauperes, & illius præcepta obseruantes lætentur, quærite Deum, & viuet anima vestra. Quærendus est enim Dominus, eum laudando, vndè dicit. Laudabo nomen tuum, &c. & cum iucunditate mentis, propterea dicit, laudabo cum cantico; & operando laudandus, ideò dicit, magnificabo eum in laude. Clamans ergo dicas, vt eum voce laudare posis, Domine labia mea aperies, vt os meum laudem tuam annunciet, Psalm.50. num.17. Cum cantico lauda, idest cum iucunditate, hilarem enim datorem, & laudatorem diligit Deus, 2.Corinth.cap.9.nu.7. quærite Dominum, qui humiles facti estis & viuet anima vestra; ideò sequitur Psalm.

Quoniam exaudiuit pauperes Dominus, & vinctos suos non despexit. Lætentur pauperes spiritu, quia à Domino orationes eorum exaudiuntur; spem habeant peccatores pœnitentes, quos vinctos suos dicit Dominus, quia correpti, & confessi à Domino non despiciuntur, Ezech.cap.33.num.12. & expandat Dominus rete pedibus nostris, vt subiecti vinculis legis eius, illius obser-

uiatores inueniamur apud Dominum, qui nos vinctos non despiciet; qui custodit præceptum, non experietur quidquam mali, Eccles.8.num.5.

Laudent ergo illum cæli, & terra, mare, & omnia reptilia in eis, sed cur cæli? cur terra, & mare, & reptilia, quæ in eis sunt? Quoniam Dominus saluam faciet Sion, & ædificabuntur Ciuitates Iuda; sed quid Sion cum cælis, terra, & mare? Nonnè legistis, quia Sol obscuratus est in passione Domini, in exalatione animæ, terra etiam mota est, & petræ scissæ sunt. Lætentur Cæli, quia Sol Christus ad inferos descendens, soli restituit, quæ erant in Limbo Patres; Lætetur terra, quia in illa ædificatæ sunt Ciuitates Iuda, & Sion salua facta est, in omnes enim mundi partes ædificatæ sunt Ciuitates Iuda, vt in illis salua fieret Sion, existentes scilicet in Ecclesia Dei per confessionem, paupertatem, & dolorem, per contritionem, confessionem, & absolutionem: exultet terra, lætentur insulæ multæ; quoniam ædificauit Dominus Sion, & videbitur Dominus in gloria sua.

Et inhabitabunt ibi, & hæreditate acquirent eam. Qui sunt illi, qui inhabitabunt illam? Qui laudant Dominum cum Cantico, & magnificant eum in laude. Sed qui sunt isti laudantes Dominum, an Iudæi, an Infideles? audi Isai.cap.43.num.7. Et omnem, qui inuocat nomen meum, in gloriam meam, creaui eum, formaui eum, feci eum: sed cur non Iudæi, & Infideles? Quia Dominus eduxit eos foras, populum cæcum, & oculos habentem, & surdum, & aures ei sunt, Isai. ibidem num.8. Et inhabitabunt ibi, in Sion scilicet, & hæreditate acquirent eam. Non est ergo Dominus hæreditas populi Iudæorum, sed illorum, qui acquisierunt eam. Populus enim meus, dicit Dominus, omnes iusti in perpetuum, Hæreditabunt terram germen plantationis meæ, opus manus meæ ad glorificandum. Sed quæ manus tua hæc erit, vt ædificet, & plantet? Ierem. cap.18.num.19. Audi Isai. dicto cap.60.num.22. Minimus erit in mille, & paruulus in gentem fortissimam, ego Dominus in tempore eius subitò faciam istud. Sed quomodò minimus in mille? Et inuenietis infantem pannis inuolutum, positum in præsepio, Luc.cap.2.nu.12. iste est pauper ille, de quo Matth.2.n.20. Surge Ioseph, & accipe puerum, & fuge in Ægyptum, futurum est enim, vt Herodes quærat puerum ad perdendum eum; minimus enim erat puer inter mille, quia ex pauca familia, referta tamen pluribus fidelibus.

Et semen seruorum eius possidebit eam. Quod est semen seruorum eius, nisi verbum, quod ad Gentes prædicauerunt Apostoli, quæ illud alacriter susceperunt, Vndè Isai.54.num.3. Et semen tuum gentes hæreditabit, & Ciuitates desertas habitabit, Isai.49.num.8. Posui te in lucem gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ, & gentes gauisæ sunt, & glorificabant verbum Domini, Act.Apostol.cap.13.num.49. Et semen eius possidebit eam, & qui diligunt nomen eius habitabunt in ea, cur hæc? Nonnè qui possident, etiam habitant? Audiamus parabolam, & sciemus, quæ sit inter possidere, & inhabitare differentia, Luc.8.num.5. Matth.13.numer.3. & 18. Qui habet, inquit, dabitur ei, & abundabit; qui autem non habet, & quod habet, auferetur ab eo. Omne semen, scilicet Christiani possident, quia intrà Ecclesiam sunt: ecce exijt, qui seminat seminare; & dum seminat, quædam ceciderunt secus viam, omnis enim, qui audit verbum Dei, & non intelligit, venit malus, & rapit,

quod

quod seminatum est in corde: est qui accipit verbum, & cum gaudio, sed quia in terra petrosa seminat, idest non habet radicem. Non reliquit temporalia, & ideò propter verbum facta aliqua tribulatione, recedit, scãdalizatur; vel etiam solicitudo huius sæculi, & fallacia diuitiarum suffocat verbum; possidet, sed non habitat, quia verbum Dei suffocatur ab illis, non dat fructum, non habitat. Qui verò possidet, & habitat, in bonam terram id accipit semen, quia verbum audiens intelligit, Dei nomen laudat; diligit illud, & fructum affert, aliud centesimum, aliud sexagesimum, aliud verò trigesimum. Diligas ergo Dominum, qui Christianus es, vt possidendo inhabitare possis in domo.

SOLILOQVIVM.

MVTARI iàm optans in finem anhelo Christum meum: sicquè curro Domine, vt si quando detur, vt comprehendam cum iustis in domo tua habitem. Veruntamen ecce, quia adhùc in profundi limo infixus sum, & aquæ vsque ad animam meam transierunt, hìc enim non est substantia, nec aliud reperitur; nisi aquarum multitudo, & altitudo homines submergens. Tu Domine salua me à facie insipientiæ meæ. Heu quanta animæ meæ dulcedo bone Iesu, quanta pro me passus es. Laborasti à iuuentute tua, raucæ factæ sunt fauces tuæ. Super capillos enim capitis tui ità multiplicati sunt, qui oderunt te, & vix Patrem tuum videris, in quo tua erat spes. Quæ non rapueras exoluisti, iniustè confortatis inimicis tuis super te. Delicta membrorum tuorum protulisti Patri, nec proptereà confusus, quòd illorum fœditate apparens deturpatus ipsum quæreres; tametsi inimicis insipiens videreris, nec vultus erubuisti illorum. Sustinuisti opprobria ob idipsum, quòd pro nobis ad tuum recurreres Patrem; adeòq; extraneus visus es fratribus tuis, & peregrinus filijs matris tuæ. Zelus domus tuæ comedit te, ob hoc opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super te. Ieiunio quoque tuam pro me mortificasti carnem, Operiens in ieiunio animam tuam, idque pariter factum est in opprobrium tibi facto illis in parabolam; quamuis peccata illorum, & pro cilicio sustinueris. Etenim illi, qui in porta sedebant ad iudicia proferenda, & qui vinum bibebant, aduersùm te loquebantur, & psallentes te deridebant. Tantis cum pro me, Christe mi bone præmereris angustijs, irridereris, & opprobrijs, id temporis tempus asseruisti beneplaciti Patris tui, ad eumdemquè conuersus dixisti; Nunc pro his orationem meam suscipe, quos tu mihi dedisti; salua illos Pater sancte sicut promisisti, quia iàm cognoscunt, & confitentur te. Iàm in infernum ire paratus sum, attollantur portæ infernales, vt ego introeam Rex gloriæ, & virtutum. Benignus es Domine, & misericordiarum tuarum non est numerus; ideò respice in me, & exaudi me, & ne faciem auertas tuam à puero tuo, quoniam tribulor, velociter exaudi me, intende animæ meæ, & libera eam, & propter inimicos meos eripe me. Tu scis Domine, quale improperium sustineam propter te, quia iuxtà voluntatem tuam omnium peccata tuli super me, scis etiam reuerentiam meam, qua tamquam agnus nec aperui os meum; miseriam, & improperia sustinens istorum, ità vt nec consolantem me inuenerim. Dederunt in escam meam fel, & aceto me potauerunt.

Et

Et cum dolore maximo diuinam præuidens hostium tuorum vindictam, dixisti: Fiet mensa eorum in laqueum, in retributionem, & in scandalum illis, quia dederunt mala pro bonis. Lucem non videbunt, & curui semper erunt, ad laborandum in terra; quia super illos iram tuam sancte Pater effundes, & furor iræ tuæ comprehendet eos. Illorum habitatio erit deserta, & in tabernaculis eorum non erit, qui inhabitet. Me enim, quem tu Domine propter illos percussisti, vt ijdem saluarentur, persecuti sunt, & super dolorem vulnerum meorum, dolorem addiderunt iniquitatum suarum: quodquè omnium pessimum est, in iustitiam tuam Domine non intrabunt; de libris viuentium delebuntur, nec cum iustis scribentur. O quantas bone Iesu referre tibi debeo gratias: ecce homo factus es humilis, & pauper, atque de aduersariorum tuorum perditione dolens. Concede animæ meæ, vt vnà tecum cum Cantico exultans laudem cælestem Patrem, & coram hominibus clarificans tuum, illiusquè nomen magnificem Deum meum in laudes, & super Vitulum nouellum cornua producentem, & vngulas, sit sacrificium meum acceptabile apud te. Excitabo certè vniuersos, & dicam: Videte pauperes, & humiles Dei, & lætamini: quærite Deum, & viuet anima vestra: vos enim exaudit Dominus, & vinctos in illo non despicit. Laudent te Deum meum Angeli, laudent terra, ac mare, & reptilia in eis, laudent humiles in terra, & pœnitentes; nàm per tribulationes magnas datur nobis introitus in Cælum. Confitemur peccata nostra. Propter nos Domine in toto orbe terrarum ædificare voluisti Ecclesias, vbi habitare possimus. Semen seruorum tuorum sumus, fideles, & te confitentes possidebimus regnum illud, tuumq. diligentes nomen, spem habemus cælestis, & habitationis, & hæreditatis. Fiat Domine Iesu, quia populus tuus facti sumus, vt in iustitia tua permanentes, digni efficiamur promissionibus tuis: intercede pro nobis Virgo gloriosa cum tota cælesti Curia. Amen.

IN PSALMVM LXIX.

Deus in adiutorium meum intende.



ITVLVS, In finem: Psalmus Dauid in rememoratione, quòd saluum fecit eum Dominus.

Continuatur ad præcedentem, in quo de his, qui in finem commouebuntur, & quia salus est à Domino, hic docemur gratias Iesu Christo habendas, videlicet, quod ex commutatione ab ipso data, salui facti sumus: si ergo commotus es in finem, vt in præcedenti Titulo, non in te tamen glorieris, sed in Deo, qui saluat.

Vel aliter. Cum in præcedenti actum esset de capitis passione, morte, resurrectione, & exaltatione, in hoc 69. consequenter tractatur de membrorum eius, & fidelium persecutione, & pœnis, dequè ipsorum gloria, & præmio.

Argumentum, seù summa. Qui in finem sunt commoti, auxilium, seù adiutorium petant à Deo, vt ab hominum inimicorum persecutionibus, & adulationibus liberentur.

Deus

Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me festina. De materia huius Psalmi vide 2.Reg. cap.15. vt volunt hìc Doctores: Membrorum Christum sequentium, & commutatorum, de quibus Psalmus ipse intelligendus est, alij peccatorum rememorationem faciunt, quia iudicium Domini timent, vt dolentes, quòd peccauerint, gratiam, & remissionem inueniant; Vndè apud Isai.cap.38.numer.18. Legimus dicentem, Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ; de qua rememoratione loquitur Psalmus 37. vbi dicebatur, Afflictus sum, & humiliatus sum nimis, rugiebam à gemitu cordis mei: Intende in adiutorium meum Domine Deus salutis meæ. Et hæc est bona rememoratio, quando spes est in Domino cum dolore præteritorum, ideò dixit ibi, Quoniam in te speraui, tu exaudies me Domine Deus.

Altera verò est iustorum rememoratio, quando promissa bona corde retinemus, & firmam eorum obtinendorum habemus spem, vt in hoc Psalmi Titulo, ibi, Quòd saluum fecit eum Dominus. Qui commutatus in bonum, qui non sibijpsi tribuit commutationem, sed Deo, à quo commutatus est, cui honor, gloria, & gratiarum actio: Vndè Augustin. hìc. Gratias grano tritici, quia mori voluit, & multiplicari, gratias vnico filio Dei, Domino, & Saluatori nostro Iesu Christo, qui mortem nostram subire non dedignatus est, vt nos vita sua dignos faceret; singularis fuit; quia solus ipse nos liberauit, & ideò dixit in Psalm.140.numer.10. Singularis sum ego, donec transeam. Qui ergo ex grano granum facti sunt, Martyres, Confessores, & Virgines, atque Doctores, quibus semper affuit Dominus, qui dixit Matth.cap.28. Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi: clamant vna voce in tribulationibus existentes, & in martyrio positi, Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me festina. Illi iàm coronati sunt, qui auxilium in tribulationibus petierunt: nunquid & nos non clamabimus, qui in limo huius sæculi positi sumus, quamuis non cruciati martyrio? nonnè remanent scandala? nonnè multi væ? de quibus Matth.cap.18. Væ mundo à scandalis? nunquid non abundat iniquitas, & charitas refrigescit? qui enim volunt in Christo piè viuere, persecutiones patientur, 2.Timoth.cap.3. Vndè Augustin. Videris, vndè videris, quomodò Diabolus biformis est, Leo est in impetu, Draco in insidijs; Leo minetur, inimicus est; Draco insidietur, inimicus est, quando nos securi: hæc Augustin. In solemnitatibus enim sanctorum Martyrum, & aliorum Sanctorum exultant iusti, insultant mali, insidiantur Dæmones animabus in luxurijs, & vitijs; clamant iusti in tribulationibus, dicentes, Deus in adiutorium meum intende: commutatus est in finem, adiutorem vocat, qui nobiscũ est vsque ad finem; vocat adiutorem, sine quo non erat commotus.

Dicamus ergo & nos tamquam plus gratia Dei indigentes, qui adhùc in hac lacrymarum valle superstites sumus, qui commutati in finem, in Christum sumus per Baptismum, & pœnitentiam.

Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me festina, confundantur, & reuereantur, qui quærunt animam meam. Qui perdere nos in gehennam quærunt; Auertantur retrorsum, & erubescant, qui volunt mihi mala, non præcedant, sed retrorsum incedant, Matth. cap.16.numer.23. Qui dicunt mihi euge, euge, qui dicunt mihi; Magister bone scimus, quia verax es, & viam Dei in veritate nos doces, Matth.22. num.16. Licet censum dare

Cæ-

Cæsari an non? cognouit nequitiam eorum Dominus; Auertantur qui dicunt mihi euge, euge, auertantur erubescentes, qui dicunt mihi euge. Plus enim timeo comminatorem, quàm amem te adulatorem, Augustin. Psalm. 53. litera E.

Confundantur, & reuereantur qui quærunt animam meam. Hìc quærendum primò videtur quis, seù cuius sit anima, qui loquitur, secundò, quomodò dicat hìc, confundantur, qui quærunt animam meam, & in Psalm. 141. numer. 5. dicat: Considerabam ad dexteram, & videbam, & non erat, qui cognosceret me; perijt fuga à me, & non est, qui requirat animam meam; ibi non est requirens, hìc conqueritur, quòd est, qui quærat: ad primum iuxtà Augustin. Anima Christi est omnis anima fidelis, quid me persequeris Saule? Act. 9. num. 5. Ego sum Christus, quem tu persequeris, & in alio loco Matth. c. 25. nu. 40. Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Caput ergo est Christus, & illius est vox, qui dicit, vt confundantur qui quærunt animam sui fidelis, vnum enim sunt fideles cum Christo, Ioan. cap. 17. num. 23.

Est & qui quærat ad filij Dei passionem imitandam, & illi compatiendum, vt in dicto Psalm. 141. num. 5. & Non est, inquit, qui quærat animam meam, non est qui cognoscat me Redemptorem, non est, inquit, vsque ad vnum, qui requirat Dominum, Psalm. 13. numer. 3, Sunt qui ad perdendum quærunt, & de his loquitur Psalmus noster: Confundantur isti, & reuereantur. Confundantur, vt reuertantur, non vt perdantur, confundantur vt Saulus, qui ideò factus est Paulus: Confundantur, vt reuertantur, erigantur ad obediendum, qui inflammantur ad persequendum; nàm nisi confundantur, quomodò commutabuntur?

Induantur, inquit, confusione, qui quærunt mala mihi, Psalm. 34. num. 26. Confusio faciei illorum cooperiat eos, vt commutati salui fiant, Psal. 43. nu. 13.

Auertantur retrorsum, & erubescant, qui volunt mihi mala. Idem habetur in dicto Psalm. 39. vbi latius diximus, numer. 15. & 16. Confundantur, & reuereantur simul, qui quærunt animam meam, vt auferant eam: conuertantur retrorsum, & reuereantur, qui volunt mihi mala. Cessauit enim in Ecclesia iniquorum persecutio ad mortem, quia confusi facti sunt persequentes Christum, viuit adhùc iniquórum mala voluntas, erubescant isti, & retrò incedant. Iàm Sancti vicerunt Regna, adepti sunt repromissiones: spuria vitulamina non dent radices altas, nec stabile firmamentum collocare possint. Hæretici, & ante Ecclesiam ire præsumentes, erubescant, & auertantur retrorsum, Sap. cap. 4. numer. 3. cum sequen. Cum Satana retrò vadant, erubescant, qui non amant Deum. Veniant in cogitatione peccatorum suorum timidi, & ex aduerso traducant illos iniquitates ipsorum, Sapien. dicto cap. 4. numer. 20. Erubescant insensati, qui vitam iustorum reputabant insaniam; nàm illi inter filios Dei reputantur, & inter Sanctos sors illorum est, Sap. cap. 5. numer. 5. Isti verò lassantur in via iniquitatis, & perditionis, viam Domini ignorantes. Retrorsum auertantur; non præcedant, sed sequantur; non ipsorum consilia, sed Sanctorum vestigia amplectantur. Confundantur, & reuereantur, quia quem mortuum hominem crediderunt, viuum Deum, & hominem intellexerunt, viderunt, tetigerunt. His enim auditis à Petro compuncti sunt corde, & fiebat omni animæ timor, Act. Apostol. cap. 2. numer. 37. & 43. Auertantur statim

eru-

erubescentes, qui dicunt mihi euge, euge, irridentes, & dicentes. Descendat nunc de Cruce, si filius Dei est, alios saluos fecit, seipsum saluare non potest, Matth.27.num.42. Erubescant, & conturbentur inimici, conuertantur, & erubescant valde velociter, Psalm.6.num.11.

Erubescant mihi dicentes, euge, euge. Quid gloriamini hæretici, quòd populus ignarus dicat vobis euge? hæc vestra est vera Religio reformata? quid dicitis ignaros decipientes, ego sum, ego sum? ò spuria vitulamina, radices non habetis, Sol arescet vestra genimina: Vitis vestra non ex agricola Christo procedit, incisa non facit fructus, ad comburendum mittenda. Erubescite, & à via vestra inuia auertamini: retrorsum abite; ad matrem sine macula Ecclesiam Catholicam, & Apostolicam reuertamini, & ipsa docebit vos omnem veritatem. Auertantur retrorsum, qui dicunt nobis euge, euge: & tunc erubescentes simul cum iustis exultantes iucundentur in Domino, non in nobis, vel in illis, sed in quo facti sunt lux, qui fuerunt tenebræ: & quærunt illum, non hominem; non qui se quærunt, sed qui Deum illuminantem quærunt. Augustin. hìc. Quærere eum incipe, qui prior quæsiuit te, & in humeris suis reportauit, fac quod ait Ioan.c.15. Quæ sunt oues meæ, vocem meam audiunt, & sequuntur me: sequere vocem Ecclesiæ, vbi est pastor tuus, qui vocem tuam audiet, & te errantem, & pœnitentem, gratia sua præueniet, vt sequaris illum, nec alienorum vocem: sed si vocem pastoris fueris secutus, furem non timebis, hæc Augustin. Tunc ergo cum exultantibus & tu dices, Magnificetur Dominus, qui diligunt salutare tuum.

Exultent, & lætentur in te omnes, qui quærunt te. Qui sunt, qui Dominum quærunt? qui voci pastoris consentiunt, qui Ecclesiam Dei non spernunt, qui in finem, in Christum commutabuntur, diligentes Deum, semperquè dicunt.

Magnificetur Dominus, qui diligunt salutare suum, Augustin. Magnificetur semper, nàm ecce errabas, & auersus eras ab eo, vocauit te. Magnificetur Dominus; ecce inspirauit tibi peccatorum confessionem, confessus es, dedit veniam, magnificetur Dominus, etenim cum te vocaret errantem, cum tibi confitenti peccata dimitteret, magnificetur Dominus: Peccator es, magnificetur, vt vocet: confiteris, magnificetur, vt ignoscat, iàm iustè viuis, magnificetur, vt regat: perseueras vsque in finem, magnificetur vt glorificet: semper ergo magnificetur Dominus, hoc dicant iusti, hoc dicant, qui quærunt eum, quisquis hoc non dicit, non quærit eum.

Exultent, & lætentur omnes, qui quærunt salutare eius. Non enim à se, sed ab illo est salus. Quisquis diligit Saluatorem, confitetur se sanatum; quisquis confitetur se sanatum fuisse confitetur ægrotum: Magnificetur ergo semper Dominus à nobis, qui salutare suum confitemur, ab ipso enim salus nostra, non à nobis, ipse enim est Agnus, qui tollit peccata nostra. Non in Principibus, neque in filijs hominum est salus nostra, Psalm.3. Domini est salus, & super populum suum benedictio sua. Magnificetur semper Dominus ab his, qui diligunt salutare eius, Augustin. Ecce magnificetur Dominus nunquam tu; in illo aliquid, in me nihil; si autem in illo, quidquid ego, ille, non ego. Tu ergo quid? Ego vero egenus, & pauper sum. Ille diues, ille abundans, ille nullius indigens: ecce lumen meum, ecce vndè illuminor;

Illu-

Illumina lucernam meam Domine, dum ad te clamo, Deus illumina tenebras meas.

Ego verò egenus, & pauper sum. Donata sunt mihi peccata, iàm cœpi sequi præcepta Dei; adhùc tamen egenus, & pauper; quia video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, ad Roman. cap. 7. num. 23. egenus, & pauper, quia, Beati, qui esuriunt, & sitiunt iustitiam, Matth. cap. 5. adhùc esurio, adhùc sitio, saturitas mea dilata est, non ablata. Ego egenus, & pauper Deus adiuua me, Deus in adiutorium meum intende, Deus adiuua me, intende mihi, quia egenus, & pauper; egenus, quia adhùc in via, & semper egeo gratia tua; pauper, quia te humilem sequor Deum meum Redemptorem meum. Adiutor meus, & liberator meus esto Deus meus, ne tardaueris, ne moreris; ne tardaueris in tentationibus meis adiuuare, vt securus tempore tibi placito perficiam iter, quò ostendes mihi salutare tuum. Non retrò respiciam, vt periclitantes in deserto, & deficientes, ne vt mundo sapiens videar, mihi contingat sicut Vxori Loth, quæ retrò respiciens facta est statua salis. Vndè Iacob. cap. 5. nu. 9. Nolite ingemiscere fratres in alterutrum, vt non iudicemini: ecce Iudex ante ianuam assistit, ipse est, qui iudicium facit. Tu retrò ne respicias, vt quæ fecit Deus, velis reprehendere, esto ergo patiens in tribulationibus.

Vndè Isai. cap. 45. numer. 10. Ego Dominus, & non est alter formans lucem, & creans tenebras, faciens pacem, & creans malum, ego Dominus faciens omnia hæc, formans lucem, & creans tenebras, idest commutationem aduersitatis cum prosperitate, & è contrà faciens pacem, idest bonorum abundantiam, & creans malum, inopiam scilicet, & egestatem, omnia enim à Deo nobis per summam rationem proueniunt. Si ergo sis pauper, & egenus, patientiam à Deo petas, & laborando patienter sustineas. Ad quod facit illud Exod. cap. 13. Primogenitum asinæ mutabis in ouem: Labor est tibi, qui per asinum significatur, in ouem commutabis, quæ per patientiam designatur, Vndè dicebat Isai. cap. 53. Sicut ouis ad occisionem ductus est, qui nec os suum aperuit.

A iuuentute mea pauper sum ego, nunc exaltatus, sed humiliatus, & conturbatus, Deus adiutor meus, & liberator meus es tu; ne moreris: vt à tot nexibus liber factus non cedam, sit adiutorium tuum, interim non mihi videatur tardius quod missurus es: quamuis magno desiderio liberari desiderem.

SOLILOQVIVM.

ECCE sunt Domine, qui quærunt animam meam, vt perdant eam, tu Deus meus in adiutorium meum intende, vt sciant, qui me persequuntur, quia tu Deus es adiuuans me. Videant pauperes, quorum tu es adiutor, & lætentur, illi verò confusi, & reuerentes ad te Dominum reuertantur, scientes, quia persequentes me, te Dominum persequuntur. Et ideò rubore induantur, & confusione, qui quærunt mala mihi, vt confusi, & pœnitentes, retrocedant, te amplectentes. Auertantur retrorsum irrisores, qui dixerunt tibi euge, euge, iàm te, quem morti tradiderunt vt hominem, nunc confiteantur

& Deum te esse, & hominem, qui resurrexisti à mortuis, & sedes ad dexteram Patris. Vt cum iustis te diligant, quærant, & exultent, dicentes; magnificetur Dominus semper, qui nunquam destituit quærentes eum pœnitentes, & diligentes. Ego Domine Iesu sum pauper, quia sine te nihil me esse confiteor; & egenus, quia peccator, semper gratia tua egens. Vt dimittas amplius rogo te Domine, in auxilium meum respice semper, ne me solum, & sine te esse permittas, vt non dominentur inimici mei super me, Domine ne moreris.

Succurrite mihi sancta Dei Genitrix Maria, & Sancti omnes, & tu Appollinaris Martyr Dei, Petri socius, vt & ego sim tibi socius in patientia, & in Christi fidei constantia aperias & mihi os sicut Rufino, vt laudem Deo semper dicam. Amen.

IN PSALMVM LXX.

In te Domine speraui, non confundar in æternum: in iustitia tua libera me, & eripe me.

PSALMVS iste cum proximo præcedenti vnus erat, & ideò non habebat Titulum, additus verò est Titulus iste.

Psalmus Dauid, filiorum Ionadab, & priorum captiuorum.

Continuari autem sic potest ad præcedentem, in illo enim visum est de his, qui commutabuntur per passionem Christi de malo ad bonum: Verùm quia commutatio debet esse voluntaria, vt Christo sit acceptabilis, ideò appositum in huius Psalmi titulo, nomen Ionadab interpretatum, Domini spontaneus: In ipsoq. Psalmo tractatur, operæprecium esse nos, qui filij sumus Ionadab, idest Patrum nostrorum Apostolorum, & aliorum, qui fidem spontè susceperunt, spontè, & voluntariè seruientes Deo, & præcepta eius seruantes, sperare in Domino Deo nostro, illiq. seruire. Idcircò dicitur Psalmus filiorum Ionadab, & priorum captiuorum, qui ex peccato Adam facti erant primò captiui, de Gentilitate scilicet, quæ captiua iàm ex prædicatione Apostolorum commutati de malo in bonum, voluntariè fidem Christi susceperunt, & liberi facti sunt, quorum spes in Domino debet esse. Nàm si filij Ionadab ex præcepto Patris sui à vino abstinuerunt, & in tabernaculis, & non in domo habitabant, nec serebant, Ierem. cap. 35. numer. 7. & 8. tametsi minimè ea Dei essent præcepta, quantò magis nos, qui commutati sumus, præcepta Dei seruare debemus, & illi in omnibus obedire; Enimuerò si ij ob exhibitam Patri obedientiam benedictionem à Deo accipere meruerunt, multò certè magis nos, si Christi præcepta seruauerimus, largiorem benedictionem à Deo accipiemus.

Summa ergo hæc est: Qui prius captiui fuistis, ò peccatores, ò Gentiles; nunc filij Ionadab effecti, voluntariè Deo seruite; vocationi illius consentite, & seruantes eius præcepta; in Deo sit spes vestra, timor Dei, & illius amor excitet vos: ideò timor, quia iustus, amor etiam, quia misericors est, & non

vult mortem peccatoris, &c. Vide latius hìc Augustinum.

Vel dicamus, quòd hìc per filios Ionadab, populus Hebræus iàm Deo dilectus: per priores captiuos populus Gentilis designatur, dilecti enim erant à Deo filij Hebræorum, quia quæ præcipiebantur illis à Sacerdotibus faciebant, obseruabant, Vndè Matth.c.23.nu.3. Nolite facere, quæ faciunt, sed quæ dicunt. Priores verò condemnati, & mortui delictis, ad Ephes.c.2. in princ. & num.5. & 13. Quos voluntariè per passionem suam Christus regenerauit, quia verbo illius consenserunt, commutati sunt, & clamant, dicentes.

In te Domine speraui, non confundar in æternum, in iustitia tua libera me, & eripe me. Qui ab Adam recesserunt, & Christum per fidem cognouerunt, qui pœnitentes nunc, & iàm captiui à peccato, à Diabolo detinebantur, qui non amplius in homine, nec in semetipsis spem aliquam ponunt, in quibus non est salus, orantes ad Dominum, clamant, dicentes: In te Domine speraui, non in me, cuius spes ante erat in mundanis, quæ caduca sunt, & confusus permanebam; in illis, in quibus nunc erubesco dolens, & pœnitens, ad Roman. cap.6. num.21. Ecce Domine, quia ad te accedimus, vt vultus nostri non amplius erubescant, sed in te sperantes illuminemur, Psalm.33.nu.6. Augustin. hìc. Confusi estis in Adam, accedite ad Christum, vt amplius non confundamini: nàm Prouerb.c.18.nu.9. Qui mollis, & dissolutus est in opere suo, frater est, sua opera dissipantis: Turris fortissima nomen Domini, ad ipsum currit iustus, & exaltabitur, & ideò In te Domine speraui, non confundar in æternum. Defecit caro mea, & cor meum: Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum: ibidem Psalm.72.nu.26. Mihi adhærere Deo bonum est, & ponere in Deo spem meam, numer.28. Vndè Ambros. lib.4. in Lucam ad verba: Omnia Regna in momento ostendit illi, post multa, inquit, In momento illa prætereunt, & sæpè honor sæculi abijt antequam venerit, quid enim sæculi potest esse diuturnum, cum ipsa diuturna non sint sæcula? cur ea, quæ ad vsum tibi diuturna esse non possunt, ad supplicium diuturna deposcas?

In te Domine speraui, non confundar in æternum, in tua iustitia libera me, & eripe me. Cur non dicit in tua, & in mea? nàm si ego in te credidi, & humiliatus, & pœnitens ad te venio, nonnè hæc iustitia mea, propterea quam tu me pœnitentem suscipere promisisti, Ezechiel.cap.33. In tua Domine, dixit, quia salus mea ex te est, tu Dominus, & Creator, tu Deus meus, & Redemptor meus; tua enim est iustitia, mea est salus, quia abs te mihi est data; nàm cum Paulo dicam, Si peccatum fecero, nonnè adhùc inutilis seruus ero? Si seruiero tibi in nouitate spiritus, & non in vetustate litteræ liberatus sum, & solutus sum à morte legis, in qua detinebar? ad Roman.cap.7. num.6. cum sequen. Quòd si aliquando iustitiam meam, inquit, eo sensu sumendum, ac si dicat, credens in te, qui iustificas impium, reputatur mihi fides ad iustitiam, ad Roman.cap.4.numer.5. cum sequen. & numer.13. cum sequen. & numer.24. Traditus est enim Iesus propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram: Vndè Augustin. hìc. Erit ergo & sic iustitia mea, non tamen tamquam propria mea, non tamquam à meipso mihi data, sicut putabant, qui per litteram gloriabantur, & gratiam respuebant. Dictum quidem est Psalm.7.numer.9. Iudica me Domine secundum iustitiam meam, sed certè non gloriabatur in sua iustitia, nàm quid habes, inquit Apostolus, quod

non recepisti, 1. Corinth. cap. 4. num. 7. & sic dic iustitiam tuam, vt memineris, quod acceperis eam. Et non eam inuideas accipientibus, sicut dicitur Luc. 18. de illo Pharisæo, qui se iactabat, gratias agens Deo, quòd non erat sicut Publicanus ille, qui pectus suum percutiebat, nec oculos suos ad Cælum leuare audebat; delectabatur, dicens, quia ipse bonus esset, & alter malus, iniustus, adulter. Non est hoc exultare, sed insultare, dicit Augustin. Parum itaque est, dicit idem Augustin. vt illud, quod in te est bonum agnoscas, quod à Deo sit, nisi etiam malè non te extollas super illum, qui nondum habet, qui fortasse cum acceperit transiet te, &c. de Saulo dat exemplum, qui de persecutore Christianus factus est prædicator, & alios Christianos superauit.

In tua iustitia ergo libera me, qui omnes meas iniquitates portasti, libera me, & eripe me à potestate Diaboli, & secundum misericordiam tuam parce mihi, qui ideò me redemisti. Ecce Domine quia æger sum, & in finem curuatus: in te Christum vsque ad terram humiliatus, & prostratus, inclina ad me aurem tuam, & saluum me fac; quia humiliatus, & contritus, ne despicias me. Salua me Domine, quia infirmus sum totus; salua me, vt peccatorum meorum grauitatem agnoscens, erubescēdo recogitem tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ, dans mihi peccatorum meorum pœnitentiam, & ne ad vomitum reuertar; in operibus bonis da mihi perseuerantiam, Tob. 21. num. 30. & ne succumbam in aduersis, da mihi sustinentiam illorum, & veram patientiam, Tob. cap. 13. num. 2. tu flagellas, & saluas, Sap. cap. 12. nu. 22. Cum, inquit, das nobis disciplinam, inimicos nostros multipliciter flagellas, vt bonitatem tuam cogitemus iudicantes, & cum de nobis iudicatur, speremus misericordiam tuam, &c.

Inclina ad me aurem tuam, & salua me; tu enim Domine sursum es, nos deorsum; tu in altitudine, nos in humilitate; si enim iniustis mortem tuam donasti Domine, & cur mihi pœnitenti non seruabis vitam tuam? Augustin. Psalm. 85. in princ. Inclina Domine aurem tuam, & salua me, quia egenus, & pauper sum, & tua misericordia indigens.

Inclina ad me aurem tuam. Iàm venisti Domine in mundum, vt genus liberares humanum; Iàm qui de Cælo in terram venisti: digito inclinatus scribebas in terra, Ioan. cap. 8. numer. 6. quia non venisti vocare iustos, sed peccatores, Matth. cap. 9. numer. 13. libera me, & eripe de manibus filiorum hominum, vt non infigar; sed in puluerem digito tuo scribe peccata mea, vt rore flatus tui tollantur, & non appareant; dic quòd sint dimissa peccata mea: ideò ad hominem te inclinasti ad terram, cui dictum erat, terra es, & in terram ibis, Genes. 3. Scio Domine, quòd non corporalibus spatijs aurem tuam inclinas; aut membris istis corporeis finitus sis, non hæc cogito Domine; tu enim Domine es veritas, quæ nec quadra, nec rotunda, nec longa est, vbique præsens es, si cordis oculus ad eam pateat.

Inclina Domine aurem tuam, misericordiam deponens super nos, Augustin. in Psalm. 30. litera E. Quæ maior misericordia, quàm vt vnicum filium suum daret nobis? non viuere nobiscum, sed mori pro nobis? Sed si non iaces, quomodò petis, vt inclinet se Deus; non tu erigas ceruicem tuam, si vis vt Deus inclinet aurem suam; humiliato enim appropinquat, ab exaltato longè discedit, nisi quem ipse humiliatum exaltauerit. Idemquè Augustin.

dicto

dicto Psalm.83.litera D. Tu te cognósce deorsum, si inclinare petas aurem Dei, qui est sursum, humilia teipsum, si vis exaltari sursum.

Inclina ad me aurem, quia humiliatus sum, & salua me, quia contritus, & pœnitens, atque confessus. Esto mihi in Deum protectorem, & in locum munitum, vt saluum me facias: Peccaui Domine, non sis mihi in Deum vltionum, sed in protectorem, quia tu me sanguine tuo redemisti per humanam fragilitatem; te euadere iratum conatus sum, sed locum non inueni, vbi tu non sis Domine, Psalm.138.numer.7. Nunc ad te placatum per pœnitentiam meam, & pro tua misericordia confugio, salua me Domine, quia tu es locus refugij mei, vt amplius non infigar, eripe me, salua me, libera me, ecce enim motus est pes meus, & misericordia tua adiuuabit me, Psalm.33.nu.18. nunc ad te humiliatus incedo.

Mirifica Domine misericordiam tuam mihi in Ciuitate tua munita, vt saluum me facias, dicto Psalm.30.numer.27. Si spes mea est in te, quomodò non proteges me? sine te enim nihil validum, nihil sanctum, multiplica super me misericordiam tuam, quia multipliciter in te peccans pœnitens conuertor ad te; ecce paruulus sum, sub alis tuis protegas me, vt magnus fiam, si à te protectus fuero sub alis. Augustin. Psalm.61. litera H. Agglutinetur anima mea post te, & munitus ero in tua Ciuitate; crescat deuotionis meæ affectus, crescat gluten charitatis post Deum, vt illum sequar, & non præcedam; præcepta tua Domine fac, vt custodiam, non derelinquas me in cogitatu meo maligno: accelera, vt eruas me, agglutinetur anima mea post te Domine, vt me suscipiat dextera tua.

Esto mihi in Deum protectorem, & in locum munitum, vt saluum me facias. Sed quis locus erit tibi, quem non capit mundus totus? quomodò tu longè à me, qui es vbique? Te Deum quæro, qui omnium es protectio, non sim ergo longè à te, quia tunc mihi tu eris propè; in loco pascuæ colloca, & tunc reges me; & tunc si in medio vmbræ mortis ambulauero, non timebo, si tu mecum eris, Psalm.22.num.1.

Quoniam firmamentum meum, & refugium meum es tu. Firmamentum est enim Dominus timentibus eum, Psalm.24.num.14. sed dicito mihi, ò Dauid, de quo intelligis firmamento, de firmamento, quod est in Cælo? de quo Eccles. cap.43.num.9. Vas Castrorum in excelsis in firmamento Cæli resplendens, &c. an de illo quod in terra esse narratur? Psalm.71.num.16. Et erit, inquit, firmamentum in terra, in summis montium superextolletur super libanum fructus eius, & florebunt de Ciuitate sicut fœnum terræ. De hoc secundo loquitur Propheta, de quo 1. Timoth.cap.3.numer.13. Vt scias quomodò te oporteat in domo Dei conuersari, quæ est Ecclesia Dei viui, columna, & firmamentum veritatis, manifestè magnum est pietatis Sacramentum, quod manifestatum est in carne, iustificatum est in spiritu, apparuit Angelis, prædicatum est Gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria.

Firmamentum meum es tu, qui in loco pascuæ me collocasti, in domo tua me esse voluisti, ibi refugium meum; quia ad ea, quæ Hæretici opponunt ad illam, cuius est interpretari de vero sensu, recurro, ibi est refugium meum, Vndè Augustin. in titulo Psalmi 47. vbi latius diximus in præfatione, post pauca dicit: Vt intelligas, Deum fecisse lucem, cum Christus a mortuis

resurrexisset, tunc re vera illa lux diuisa est à tenebris, quando immortalitas à mortalitate discreta est. Quid ergo sequitur, nisi vt capiti, etiam corpus fieret, quod est Ecclesia? quid euidentius, quàm Christum esse Regem gloriæ, Psalmus 23. Secundam ergo Sabbati non debemus intelligere, nisi Ecclesiam, Christi, sed Ecclesiam Christi in sanctis, Ecclesiam Christi in his, qui scripti sunt in Cælis, Ecclesiam Christi in his, qui firmi sunt, de quibus Apostol. 1. Timoth. cap. 13. num. 16. Debemus autem nos firmi, infirmitates infirmorum sustinere. Appellata est firmamentum, audiamus, agnoscamus, sociemur, gloriemur, regnemus, hanc firmamentum veritatis, & columnam appellat ibi Apostol. d. cap. 3. Ecclesiam Dei.

Dominus ergo firmamentum, quia firmus, & ego in illa fide persisto, Non confundar ergo in æternum; cum accessero ad Ecclesiam, liberabit me, ab inimicis eruet me: ibi enim est firmamentum, & refugium sperantium in te Domine, vt à facie arcus fugiamus, vt conscientiam nostram ad illam dirigamus. Dicitur etiam firmamentum, quia in aduersis docet nos patientiam. Intrant aquæ vsque ad animam iusti, vt dixi Psalm. 68. in princ. sed Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent eam, Cantic. cap. 10. num. 7. Fundata est enim supra firmam petram, & assumpsit me de his aquis multis, Psalm. 17. num. 17. Sit ergo fratres spes firma in Domino, vt sit in tentationibus, & aduersitatibus firmamentum nostrum, ad ipsum sit vox nostra, vt ipse sit refugium. Exemplum, quod de Iob habemus amplectamur animo, de quo Epistol. Iacob. cap. 5. num. 11. Quod tamen Iacobi dictum intelligas velim iuxtà Gloss. ibi Beda, & Augustin. Epistol. 120. cap. 10. Tom. 2. Sustinentiam Iob audistis, non dixit, & finem eius audistis, sed & finem Domini vidistis. Mala, idest temporalia, sicut Iob sustinete, non tamen vt finem, Iob speretis, cui bona temporalia, & duplicia data sunt: quinimmo finem Domini sperate, idest contumelias, & supplicia, sicut Christus speretis, æterna tamen, quæ in Domino præcesserunt, ità Augustin. lib. 1. de Symbolo ad Cathecum. cap. 5. sufferentia ergo Iob fuit vsque ad redditionem substantiæ, sufferentia Domini vsque ad exitum vitæ, recepit Iob duplicia, postquam primò sustinuit damna, Dominus verò qui fuerat repletus miserijs, & amaritudinibus inebriatus, in gloriam suam è mundo migrauit, vt ad æterna te peccatorem, & patientem reduceret, proptereà sequitur Psalmista, dicens.

Deus meus eripe me de manu peccatoris, & de manu contrà legem agentis, & iniqui; Quod tunc erit, quando cum illo in gloria eius erimus; tunc enim, inquit, satiabor, cum apparuerit gloria tua, Psalm. 16. nu. 15. Sequamur ergo fratres vestigia Christi, qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius, Isai. cap. 53. num. 9. Qui cum malediceretur non maledicebat, cum pateretur non comminabatur, tradebat autem iudicanti se iniustè, 1. Petr. c. 2. numer. 19. & 23. Hæc est enim gloria, si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias, patiens iniustè, & Paul. 2. Corinth. 7. num. 10. quæ enim secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur, Contristati enim estis secundum Deum, vt in nullo detrimentum patiamini ex nobis, &c. Sit igitur peccator, qui persequitur, hoc est Christianus, vel Iudæus, qui contrà legem proximum persequuntur, siuè iniquus, Paganus scilicet, & qui est sine lege, ab istis omnibus cupit liberari iustus iste noster. Nonnè

Iudæi

Iudæi legem habentes, & Mesiam, quem expectabant, crucifixerunt? nonnè iniquus Iudex Pilatus, & tot alij, qui sanctos Dei Apostolos persecuti sunt, crucifixerunt, occiderunt, & quid dicam de illis, qui contrà legem fecerunt, de Iuda traditore, qui simul cum Christo dulces capiebat cibos; & tu Petre nonnè contrà legem fecisti, negando amicum, & Dominum tuum?

Deus meus ergo, inquit, eripe me de manu peccatoris, & de manu contrà legem agentis, & iniqui, cui non est lex, vt est Paganus; Infelix dicit, ad Roman.cap.7.num.24. ego homo, quis me liberabit de mortis huius corpore? Gratiam Dei per Iesum Christum Dominum nostrum, Augustin. Intus est hostis, lex illa in membris; sunt & foris hostes. Quò clamas? ad illum, cui clamatum est: ab occultis meis munda me Domine; & ab alienis parce seruo tuo, Psalm.18.num.13. hæc Augustin. Sed si iàm in loco munito positus es, quid de illorum peccatorum iniurijs times? Iàm scio, quia adhùc es in via, & in illa, vt tu teipsum custodias vigila, quia in medio peccatorum tu degis; non à tuis permittas te dominari, tuncq. immaculatus eris. Custodi sensus tuos, vt ab occultis mundet te Deus deprecare, quia ab alienis parcet Dominus seruo suo. Ab iniquitate mea saluum me fac Domine, ab ea, qua captiuus sum, ab ea, qua ad primum hominem pertineo, saluus factus inter captiuos clamo, dicens, quia saluum me fecit Dominus ab iniquitate mea. Sed quia inter iniquos viuere necesse est, quousque vita ista finiatur, clamat semper Ecclesia Dei, clamat, inquit, vsque ad finem ista Ecclesia, vt liberentur membra illius de manu peccatoris, & de manu contrà legem agentis, & iniqui: ab vtroque ergo peccatore liberari desiderat, & ab his, qui sine lege sunt, qui & iniqui dicuntur, & ab illis, qui in legem peccauerunt, & sunt sub lege, vt Iudæi, & mali christiani, de quibus Apost. ad Roman.cap.2.num.12. Quicumque sine lege peccauerunt, sine lege peribunt, & quicumque in lege peccauerunt, per legem iudicabuntur, ab his ergo Domine libera me contrà legem agentibus, & iniquis. Augustin. Quid est de manu eius? De potestate eius, ne cum sæuit, adducat ad consensionem, ne cum insidiatur persuadeat iniquitatem; sed si sæuit, tu non consentias. Tolera, sed quis te tolerat, si deserat ille, qui est locus munitus? quare ergo dico, libera me de manu legem prætereuntis, & iniqui? quia, inquit Augustin. Non est in me, vt sim patiens, sed in te, qui donas patientiam: Vndè sequitur.

Quoniam tu es patientia mea Domine; Domine spes mea à iuuentute mea, Prouerb.3.numer.11. Disciplinam Domini fili mi ne abijcias, nec deficias cum ab eo corripieris; quem enim diligit Dominus corripit, & quasi Pater in filio complacet sibi, vt ad Hebr.cap.18.num.5. & 6. cum sequen. Flagellat autem Dominus omnem filium quem recipit. In disciplina perseuerate, tamquam filijs offert se Deus, quis enim filius, quem non corripit Pater? quòd si extrà disciplinam estis, ergo adulteri, & non filij estis, vndè Augustin. Tom. 10. Serm.8. de Sanctis litera F. Videtis Contyrones mei, ad quam delectationem Domini venietis, cum delectationem sæculi abijcitis; si despicitis mundum, habebitis cor mundum, & videbitis eum, qui fecit mundum, & sicut ille vicit, ità & vos in eius gratia vincetis hunc mundum; quem profectò iàm, iamquè superabitis, atque calcabitis, si non de vestris viribus, sed Dei misericordiosissimi adiutorio præsumatis. Nolite vos despicere, quia nondum apparuit, quod

eritis, scitote autem quod cum apparuerit, similes ei eritis; dum apparuerit, quod eritis; scitote autem, quoniam videbitis eum; non qualis in temporis plenitudine venit ad nos, sed qualis semper manens condidit nos, &c. Exuite veterem hominem, vt induamini nouo, pactum vobiscum Dominus incohat. Vixistis sæculo, carni vos, & sanguini dedistis, imaginem hominis terreni portastis; sicut ergo imaginem portastis eius, qui de terra est, ità & eius, quod de cælo est, vltra portate. Humanus sermo, quia ideò Verbum Caro factum est, vt sicut exhibuistis corpora vestra arma iniquitatis peccato, ità nunc exhibeatis membra vestra arma iustitiæ Deo. In perniciem aduersus vos vester oppugnator vestris iaculis armabatur; in salutem vestram aduersus eum vicissim membris vestris vester protector armetur. Nihil vobis ille nocebit, si membra vestra vobis offerentibus non tenebit. Iste vos iure dereliquit, si ab eo vestrum totum, voluntasq. dissentiat, hæc Augustin. Tu es Domine spes mea à iuuentute mea, ità sis Domine patientia mea, vt ad te peruenire valeam.

Quoniam tu es Domine patientia mea, ex qua gloria magna acquiritur patienti; animatur enim homo dolore, quo credebatur extingui, Nazian. Orat. 1. Contrà Iulian. hinc Cyprian. libro de Mortalitate, Meritò Deus dicitur triumphare in Martyribus, quia ipsius donum est, quòd Martyres martyria superent, Augustin. Tom. 7. lib. 2. contrà Iulian. & lib. 13. de Ciuitate Dei, cap. 7. & Tom. 10. in Sanctis, & Innocentium festo, Serm. 7. & 8. Indicitur matribus lamentatio, Angelis exultatio, &c. Agni debent immolari, quia Agnus futurus est crucifigi, vndè Prouerb. c. 3. n. 1. Ne obliuiscaris, inquit, legis meæ & præcepta mea cor tuũ custodiat, longitudinem enim dierum, & annos vitæ, & pacem apponent tibi. Misericordia, & veritas non te deserant, circumda eas gutturi tuo, & describe in tabulis cordis tui, & inuenies gratiam, & disciplinam bonam coram Deo, & hominibus. Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo, &c. Augustin. verò Tom. 4. lib. de Patientia: Virtus animi, quæ patientia dicitur, tàm magnum Dei donum est, vt etiam ipsius, qui eam nobis largitur, quum malos vt corrigantur expectat, patientia prædicetur, itaq. quamuis Deus nihil pati possit, patientia verò à patiendo nomen acceperit: patientem tamen Deum non modò fideliter credimus, verùm etiam salubriter confitemur. Sed Dei patientia, qualis, & quanta sit, quem nihil patientem, nec tamen impatientem, immo etiam patientissimum dicimus, quis explicare poterit? Ineffabilis est illa patientia, sicut Zelus, sicut ira eius, & si quid huiusmodi est, Nàm si tamquam nostra ista cogitemus, in illo nulla sunt, nihil horum nos sine molestia sentimus. Absit tamen vt impassibilem Dei naturam, perpeti vllam molestiam suspicemur. Sicut autem Zelus sine aliquo liuore, irascitur sine aliqua perturbatione; miseretur sine aliquo dolore; pœnitet eum sine alicuius prauitatis correptione; ità est patiens sine vlla passione. Et post pauca. Patientia hominis, quæ recta est, atque laudabilis, & vocabulo digna virtutis, ea perhibetur, qua æquo animo mala toleramus, nec animo iniquo bona desideramus, per quæ ad meliora perueniamus. Quapropter impatientes, dum mala pati nolunt, non efficiunt, vt à malis arceantur, sed vt mala grauiora patiantur, patientes autem, qui mala malunt non committendo ferre, quàm non ferendo admittere, & leuiora faciunt, quàm quæ per patientiam patiuntur; & peiora euadunt, quibus per impatientiam mergerentur. Bona verò

verò æterna, & magna non perdunt, dum malis temporalibus, breuibusq. non cedunt, quoniam non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, ad Roman. cap. 8. nu. 18. quæ reuelabitur in nobis, & 2. Corinth. c. 4. n. 17. Quod est temporale, & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis. O felicem iustum istum, cuius à iuuentute semper fuit in Domino spes, & patientia; non enim Diabolus in illo inuenerat, quem per mulierem caperet, sicut in Adam inuenerat, idem de Iob dicitur, à cuius vxore inficiebatur in doloribus. At cautior fuit Iob in doloribus, quàm ille in nemoribus. Adam victus est in delicijs, iste vicit in pœnis; consensit Adam oblectamentis, non cessit iste tormentis. Vide Augustin. in d. lib. de Patientia cap. 12. litera A.

A iuuentute ergo mea, in qua tu vocasti me, & spes mea fuit in te, semper protexisti me, nàm quando in me patientia fuisset, ne in peccata caderem, vel tribulationes, & tormenta quomodò sustinuissem, nisi tu mea patientia fuisses? nisi tu me de altitudine maris subleuasses? Ex quo tu Domine fecisti, vt conuerterer ad te, spes mea fuit in te, propter quam in patientia tua subleuasti me: spes mea à iuuentute mea, & ideò patientia mea ex te est.

Hic docentur iuuenes, & in fidei documentis instructi, quid sperantes in Domino facere debeant, nempè, vt non sint loquaces, non velint aliorum effici magistri, qui adhùc sub magistro sunt, qui in Deo spem habent; proptereà dixit Iesus Discipulis, ne vocarentur Magistri super terram, vnus est enim Magister vester Deus, Matth. cap. 23. num. 8. Non est Discipulus supra Magistrum. Audi quid cæli enarrant, inquit enim Chrysostomus in homil. 9. ad populum: Cæli, idest Sancti enarrant, non dicentes tantùm, sed tacentes, & vitæ claritate in admirationem adducentes, & homil. cap. 28. Opus est modestiam sequi, & longum super hoc trahis sermonem, sed te melior est ille, qui per opera hoc me docet. Quoniam ergo dicis, tu Domine patientia mea es, Domine spes mea à iuuentute mea, permaneas & tu in iuuentute, hoc est in simplicitate cordis tui, in puritate mentis tuæ, in spe firma in Domino; & ipse Dominus erit patientia tua. Non enim eritis vos, qui loquimini, sed spiritus Patris vestri, qui in vobis loquetur, Matth. cap. 10. num. 19. Hinc etsi coram hominibus tormenta passi sunt, spes illorum immortalitate plena est, Sap. 3. num. 4. Tamquam enim aurum in fornace probauit illos, & quasi holocausti hostiam accepit eos; & in tempore erit respectus eorum, quoniam Dominus illorum patientia erat, & spes.

Spes mea à iuuentute mea, inquit, quia in lege Domini permansit, non auditor obliuiosus, sed operis factor, Iacob. cap. 1. num. 25. & in num. 3. Probatio patientiam operatur, patientia autem opus perfectum habet. Tu es patientia mea, quia à iuuentute mea spes fuit, & est in te Domine, erat ergo iste in senectute positus, postquam à iuuentute sua illi facta est spes in Domino, hoc est erat perseuerans in sustinendo, in sufferendo ab incunabulis, & à iuuétute vsque ad senectam ætatem in disciplina, iuxtà illud Pauli, ad Hebr. cap. 12. num. 1. & numer. 5. Deposuerat omne pondus, & circumstans eum peccatum, per patientiam currit ad propositum sibi certamen, aspiciens in auctorem fidei, & consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucé, confusione contépta. In disciplina perseuerate, dicit Paul. ibid. n. 7. audi istius iusti perseuerantiam.

In

In te confirmatus sum ex vtero, de ventre matris meæ, tu es protector meus. Et vt sciamus quia à Deo est donum istud patientiæ, quod mirandum videbatur alijs, inquit, Tamquam prodigium factus sum multis; sed an ex te forsan? non, dixit; sed tu Domine adiutor fortis; non mea virtute in patientia perseueraui, tribulationes sustinui, sed quia tu adiutor fortis es mihi, & ego te Domine sequens non indignus factus sum protectione tua; sine perseuerantia enim, nec qui pugnat victoriam, nec Palmam victor consequitur; Sanct. Bernard. in Epistol. 129. Perseuerantia autem, inquit, meretur viuis gloriam, coronam virtutibus, vndè Origen. in lib. 2. Iob, ex persona dicti Iob dicit. Quando tu percutis, ego sustineo, August. Serm. 86. de Diuersis, Tom. 10. Quid enim proderit, vno, vel altero certamine superato, tandem persecutori manus dare? in cruce per totam istam noctem, seù vitam, vt ipse dixit, debet pendere Christianus, non enim est in hac vita tempus euellendi clauos, omnis enim disciplina in præsenti quidem videtur non esse gaudij, sed mœroris, postea tamen fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet iustitiæ, Paul. ad Hebr. d. cap. 12. num. 11.

In te confirmatus sum ex vtero: Augustin. Adhùc audi, de ventre matris meæ tu es protector meus, quare à iuuentute mea? nisi ex quo in te cœpi sperare? ante enim non in te sperabam, quamuis tu fueris protector meus; qui me saluum perduxisti ad tempus, quo in te discerem sperare. A iuuentute autem mea cœpi sperare, ex quo me aduersus Diabolum armasti, vt armatus fide tua, spe, charitate, alijsq. donis tuis, confligerem aduersus inimicos tuos, audiremq. ab Apostolo, ad Ephes. c. 6. Non est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem, sed aduersus Principatus, & Potestates, & Rectores mundi tenebrarum harum, aduersus spiritualia nequitiæ; hæc Augustin. Iuuenis ergo debet esse, qui contrà ista pugnat, iuuenis inquam, idest fortis, & patiens, atque in Domino sperans, & fortiori se commendans, Deo scilicet, qui est fortis, & patiens, Psalm. 2. num. 12. ideò ad illum clamans, ne cadat, Domine, inquit, à iuuentute mea spes mea es.

In te confirmatus, quia prius firmus, ex quo intra claustra Ecclesiæ tuæ natus sum, nunc ex eodem vtero Ecclesiæ tuæ confirmatus, à quo rudimenta fidei, & lauacrum baptismatis suscepi. In vtero libri tuæ prædestinationis acceptus prius, nunc in Ecclesia tua confirmatus sacramentis tuis, à iuuentute mea spes mea ad te clamaui. Accedens ad seruitutem tuam, animam meam ad sustinendas tentationes præparaui, confirma tu Domine hoc, quod operatus es in me, in templo tuo sancto, vt firmus in spe tua, patiens sustineam omnia aduersa mea.

Ex his ergo quatuor colligenda duximus, quæ fideli in Christiano requiruntur, vt primò intra Ecclesiam sit; extrà enim illam non est in tabernaculum Domini introitus: in te enim, inquit, confirmatus sum ex vtero; vt sit Dominus protector, de ventre matris meæ Ecclesiæ suæ sanctæ. Secundò colligimus, vt intrà Ecclesiam positus firmus sit, & stabilis in fide, ne hæreticorum, & iniquorum vento circumdari patiatur; hoc fit ex dono, & ex gratia Dei; hoc colligitur ibi; quoniam tu es patientia mea Domine. Ideò est Domini patientia, quia tua debet esse spes firma in illo, quod subsequens vers. 8. declarat

In te enim cantatio mea semper, nàm & si multis tamquam prodigium sim habitus; & propter te patienter sustinuerim opprobrium; id non ex mea fuit virtute, sed quia tu adiutor fortis fuisti, vt patienter sustinerem propter te. O te felicem, si in adolescentia, in iuuentute, in senectute spes tua fuerit in Domino, vt tertiò repleatur os tuum laude, vt cantes gloriam suam tota die; idest omni tempore, magnificentiam suam. Non enim in senectute tua, & si vires deficiant tui corporis, te derelinquet Dominus, vt in vers. 10. Tu ergo sis patiens à iuuentute tuá, vt scilicet in te appareant, quæ in iuuentute requiruntur, & est quartum requisitum, vt in Christiano præexposita conseruentur, nempè vt primò te ad altare Dei introeunte, accedere te credas ad Deum, qui lætificat iuuentutem tuam, Psalm. 42. num. 4. Tibi peruenturo longum est iter, arcta est via, tu teipsum serua in hac iuuentute tua, & cum Psalmista dicas, Psalm. 61. num. 2. Nàm & ipse Deus meus, & salutaris meus, susceptor meus, non mouebor amplius, veruntamen Deo subiecta esto anima mea, quoniam ob ipso patientia mea, num. 6. quia ipse Deus meus, & salutaris meus non emigrabo. Fortis esto, si iuuenis, & sit spes tua in Deo, & renouabitur vt Aquilæ, iuuentus tua, Psalm. 102. num. 5. quando decorus permanebis in iuuentute tua, & in bonis replebit Dominus desiderium tuum. Repleatur ergo os tuum laude sua, vt cantes gloriam Domini, tota die magnitudinem eius. Repleatur os tuum laude, quia etsi corde laudandus sit Deus, ore etiam laudes dicendo pigritia nostra excitatur, vt meritum augmentetur, vt etiam socius in laude corrigatur, denique vt mente consona ori, perficiatur laus. Si denique Deus est patientia à iuuentute tua, quia spiritus tuus in eum sit renouatus, iuuenem te in hoc spiritu confirma, vt cum Apostolo, ad Ephes. cap. 4. num. 24. dicere possis; Renouamini autem spiritu mentis vestræ, & induite nouum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia, & sanctitate veritatis, in qua similis Deo creatus est Adam.

Intelligas ergo, ò iuuenis velim, quæ hìc repetere ausus sum ex D. Ambros. cap. 6. Exameron. cap. 7. Tibi homo attende, teipsum scito, qualem nimirum animam, ac mentem habeas, cui dixit Deus, Ezech. 4. ibi, Sume tibi laterem, crudum scilicet, vt possint ibi pertrahi figuræ; siue, Ecce ego Ierusalem pinxi muros tuos. Illa anima picta est, in qua elucet diuinæ operationis effigies; illa anima benè picta est, in qua est splendor gloriæ, & paternæ imago substantiæ. Secundum hanc imaginem Adam ante peccatum, sed vbi lapsus est, deposuit imaginem cælestis, sumpsit terrestris effigiem, hæc Ambros. Repleatur ergo os tuum laude, ità vt mens, & cor tuum non sit longè à verbis, vt intendat orationi tuæ Deus tuus; vt qui similis factus es Deo, similis etiam illi sis in operatione, Deus enim charitas est, bonus, patiens, & mitis, vt tu assimilari procures illi, vide D. Ambros. in Tract. de Dignitate.

A iuuentute mea spes mea in Domino. Qui ergo laudare cupit Deum, fidem habeat, & spem, vndè Psalm. 115. in princ. Credidi propter quod locutus sum, & Matth. cap. 21. Si habueritis fidem, & non hæsitaueritis, omnia quæcumque petieritis in oratione, credentes accipietis. Hinc Chrysost. in Sermon. 90. vbi loquitur de Zacharia, qui non credidit, & ideò mutus factus est, dicit; Qui non credidit, tacuit. Propheta quia credidit, gloriatur, vndè dixit, Credidi propter quod locutus sum, d. Psalm. 115. Fratres dat verbum fides,

negat

negat infidelitas Verbum: ibiquè post finem, & paulò ante, Ille, inquit loquens de Zacharia, erat innuens illis, & permansit mutus: egreditur Pontifex gestans in ore sterilitatis iudicium, portans in pectore conceptionis figuram, vt cum mater pareret filium, daret filius vocem, tunc verbi pater ederet sacramentum, & ante natus daret patri veniam, quàm dilueret crimina vetusta populorum, quia qui non credidit, tacuit, &c.

Repleatur ergo os meum laude, vt cantem tota die gloriam tuam, & magnitudinem tuam. Tota die, inquit, vndè Anselm. in Meditationibus. Abscondis thesaurum tuum, vt inuites cupidum: recondis margaritam, vt augeas quærentis amorem; differs dare, vt doceas petere: dissimulas audire petentem, vt facias perseuerantem, & Augustin. Serm. 5. de Verbis Domini, Cum aliquando Deus tardius dat, commendat dona, non negat; diù desiderata, dulcius obtinentur, citò autem data vilescunt. Pete, quære, insta, petendo, quærendo crescis, vt capias; seruat tibi Deus quod non vult citò dare, vt tu discas magna, magnè desiderare, indè oportet semper orare, & non deficere. Et in Psalm. 83. Oratio Sanctorum dilatione tanti beneficij quasi repellitur, & tamquam ignis flatu repercussus in maiorem flammam ascendit. Ita ea anima, cui statim Deus non concedit ea, quæ postulat, ardentius desiderat, deuotiusq. petitioni insistit. Vide D. Gregor. 4. Moral. cap. 4. ibi, In lectulo meo quæsiui per noctem, quem diligit anima mea, quæsiui illum, & non inueni. Vt non inuentus ardentius quæratur, & differtur quærens sponsa, ne inueniat, vt tarditate sua capacior reddita multipliciter quandoque inueniat, quod quærebat. Ambros. lib. de Isaac cap. 5. Qui benè quærit, in cubili quærat, in noctibus quærat, nec dies feriatus, nec noctes sint; nullum tempus vacet in pietatis officium. Et si non inuenerit primò, perseueret in quærendo; nullum tempus vacuum sinat sancta deuotio præterire. Augustin. in hoc Psalm. Quid est, tota die? sine intermissione, in prosperis, quia consolaris: in aduersis, quia corrigis: antequam essem, quia fecisti: cum essem, quia salutem dedisti: cum peccassem, quia ignouisti: cum conuersus essem, quia adiuuisti: cum perseuerassem, quia coronasti, &c.

Ne ego proijcias me in senectute mea, cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me. In alio loco habetur, ne derelinquas me in dimidio dierum meorum, Psalm. 101. num. 15. Sed quid dicis, ò Dauid sancte, ex vtero confirmatus, à iuuentute spes tua, Cur ergo in senectute dubitas, cum maiora pericula superasti? ne à timore nocturno timeas, non à sagitta volante in die, non à Dæmonio meridiano. Nunquid in senectam, & senium derelinquet te Dominus? Nonnè vsque ad senectam, & senium, & vsque ad canos ego portabo, dicit Dominus? Isai. cap. 46. num. 4. Ego feci, & ego feram, ego portabo, & saluabo, idest per totam vitam vestram ego vos sustineo, vndè Cyprian. de Duodecim abusionibus, Sicut fructus non inuenitur in arbore, in qua flos prius non apparuerit; sic in senectute honorem legitimum consequi non poterit frequentius, qui in adolescentia, alicuius exercitatione non laborauit. Si ergo flores apparuerunt in iuuentute tua, cur timebis, quòd non colliges fructus in senectute tua? Audi Chrysost. in homil. 7. ad Hebr. Animus in senectute potius confortatur, tunc viget, tunc exultat, sicut enim corpus vsquequò febribus detinetur, & subsequentibus inuicem ægritudinibus, etiam si sit validum, tamen

affligitur; cum autem liberatum fuerit ab obsessione illa morborum, recuperat propriam virtutem, sic etiam animus in iuuentute febribus laborat, & amor gloriæ,& deliciarum, & venerearum rerum, & aliarum multarum imaginationum illum potissimum occupant. Cum autem senectus aduenerit, omnes has passiones effugat, aliàs per satietatem, aliàs per philosophiam. Iuuentus pelago currenti similis, immitibus vndis, ac malis ventis referto; canities verò velut in tranquillo portu fouet eorum animos, qui consenuerunt, &c. Non ergo te despiciet in senectute tua, si tibi fides, ac spes in Domino erit, & in senectute tua, hinc Sap.c.4.n.8. Senectus venerabilis est, non diuturna, nec annorum numero computata; Cani enim sunt sensus hominis,& ætas senectutis vita immaculata, & August. in Psalm. 112. lit. E. Senectus nostra albescit quidem canis sapientiæ, sed non carnis vetustate marcescit. Sed nunquid in iuuentute fuit immunis à tentationibus iste? Nunquid vt illius firmamentum esset Dominus, in tribulationibus orabat? Nonnè de manu peccatoris, & iniqui, vt liberaretur instabat? Nonnè ideò dicebat se vincere, quia Dominus erat patientia ipsius, & à iuuentute sua spes sua?

Sed si nec infantia mortalis hominis propter corruptionis vinculum à tentationibus vacat, quid de cæteris ætatibus,inquit,August. Tom.10. de Tempore, Serm.256.lit.D. An fortè senectus excepta est,& in carne iàm vincta cadaueri, sanguis, ac membra illicitæ concupiscentiæ friguerunt,& à fesso,ac prope mortuo iàm corpore materies tentationis remarcuit? Immo verò tantus est in malis senibus plerumque gurges auiditatis, & insatiabilis vorago ventris, & gutturis, vt quanta boni senes prudentia serenantur, tanta isti vinolentia sepeliantur,quasi ad hoc in eis arida viscera, & succo exhausta curuentur, vt ad vigorem pristinum reparandum ebrietatis inundatione riganda sint. Quid auaritia, quæ radix est omnium malorum? 1.Timoth. 6.num.9. Nonnè in frigidis senibus tantò ad acquirendum feruentius inardescit, quantò citius relictura, quod acquirit. Mirabilis sanè dementia grauioribus enim sumptibus se onerare festinat, cum iàm peruenerit,quò tendebat. Rectè ergo iste iustus orat ad Dominum,ne proijciat eum in tempore senectutis, cum defecerit virtus eius. Non deficiat virtus tua in me Domine,& si virtus mea defecerit. Iàm à iuuentute mea excepi doctrinam tuam Domine, fac vt vsque ad canos inueniam sapientiam, Eccles. cap.6. num.18. Fac Domine, vt cum Apostolo, 2.Corinth.cap.12. num.10. dicam, quando infirmor, tunc potens sum.

In tempore ergo senectutis ne proijcias me, non tantũ de tempore senectutis annorum dicit, sed de multiplici illius genere tentationum, & persecutionum, quasi in patientia sua valdè turbaretur, itàvt vires, & sui corporis virtus omnino deficeret; Noli timere, quòd proijciaris in infirmitatẽ in ista senectute, Augst. hìc lit. M. Quid times, ne derelinquat te, ne abijciat in tempore senectutis, cum defecerit virtus tua? Immo tunc in te erit virtus eius, quando defecerit virtus tua: ex vetustate enim tentationum, non incongruè senectus vocatur, vt ait, Apost. ad Rom.6.num.5. Vetus homo noster simul crucifixus est cum illo: Si ibi erat vetus homo noster, senectus ibi erat, quia vetus senectus; tamen quia verum est, renouabitur vt aquilæ iuuentus tua, Psal.102. Resurrexit ipse die tertia, promisit resurrectionem finito sæculo, iàm præcessit caput, membra secura sunt, hæc Augustin.

Creuerunt tentationes, multiplicantur tribulationes; tamquam prodigium

factus sum multis,quia tu adiutor fortis: si virtus mea,si vires meæ non viriliter sustinuerint,quia fortitudo virium propter tribulationes,longamq. sustinentiam meam debilis facta videatur inimicis meis; ne proijcias me Domine in tempore tàm longo persecutionum, in his vltimis diebus temporis mei, quod superest in sustinendo. Deficiant vires, sed tu Domine ne derelinquas me; fessa videtur virtus mea, veni tu Domine in adiutorium mihi; deficiunt vires, & ego in Verbum tuum supersperaui, Psalm. 118. Senectus facta est, patientia mea iàm mollescit, adiuua me Domine in hac senectute mea, vt tunc fortior sim, quando infirmor. Iàm prodigium factus sum multis. Hoc & de Iesu Christo intelligitur, qui suscitans mortuos, imperans mari, & ventis, eijciens auctoritate sua ementes, & vendentes de templo,multis ideò prodigium, ait, factus sum, quia dixerunt inimici mei mala mihi: quomodò alios saluos facit, nec seipsum saluare potuit de manibus nostris, opprimamus iustum, Sapien.2. Traditus est illis, quia voluit; defecerunt vires illius, quia illis talem dedit potestatem, defecit virtus eius, quia mori passus est, Vt quid Domine, dicebat Iesus, dereliquisti me?

Ne proijcias me in tempore senectutis. Quid in tempore senectutis? nisi iàm quando venerit tempus mortis corporis Iesu Christi, qnando venerit hora eorum,vt me tradam illis,quando venerit tempus redemptionis,vt ego feram pati ab illis, pro illis; quando illis videar à te Domine me derelictus,Quia dixerunt inimici mei mala mihi, & qui custodiebant animam meam, idest obseruabant me,vt deciperent me, vt traderent, consilium fecerunt in vnum,dicentes, Deus dereliquit eum. Custodiebant animam meam: & ex illa die traditor ille quærebat opportunitatem, quando traderet me, & qui custodiebant animam, consilium fecerunt in vnum, quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam? consilium fecerunt, & in vnum conuenerunt cum illo iniquo, vt traderet eum, vt ipsi illum occiderent. Quia dixerunt inimici mei mala mihi. Nos benè dicimus, quia Samaritanus es tu, & Dæmonium habes; mihi dixerunt mala. Ego dæmonium non habeo, sed honorifico Patrem meum, & vos inhonoratis me, Ioan.8.n.49. Dixerunt mala mihi, idest corã me,idest in faciem meam. Non est hic homo à Deo, qui non custodit Sabbatum, quia Sabbato sanitatem ægrotis dabam; exeuntes autem Pharisæi consilium faciebant aduersus eum, quomodò perderent eum, Matth.12.n.14. & obseruabant eum, si Sabbato curaret, vt accusarent illum, Marc.3.nu.2. confortati sunt super me inimici, Luc.13.n.14. Indignans Archisynagogus, quia Sabbato curasset, dixit turbæ, sex dies sunt, in quibus opportet operari, in his venite, & non in die Sabbati, Hypocritæ, dixit Iesus, &c. Gregor.32. Moral.cap.20. Astuta dæmonum consilia, dum quasi blanda promissione consulunt, cor à forti intentione peruertunt, & ponit ibi exempla, vt hìc, & in Luca, sex dies sunt, venite, & curamini. O Hypocritæ, inuides potentiæ Maiestatis diuinæ?

Quid vociferamini inimici Dei? quid cogitatis? quia est in manibus vestris, ideò dereliquit eum Pater Deus? dicentes, Deus dereliquit eum, persequimini, & comprehendite eum,quia non est,qui eripiat,ò vos infelices, & à Deo longè factos: ad vocem eius,quem quærebatis,omnes retrò cecidistis,quando ipse dixit, Quem quæritis? ego sum, Ioan.18.n.5. Vt ergo dixit,Ego sum,abierunt retrorsum, Deus ergo illum dereliquit, qui solo verbo vos retrorsum abire fecit? ò infelices vos,& quare non est dilatatum cor vestrum,vt illum verè filium Dei

cogno-

cognosceretis? Deus dereliquit eum, quia illa erat hora vestra. Obstrictum est cor iniqua malignans, vt ille derelictus videretur illis, qui Patri in potentia erat æqualis? infirmus in manibus vestris factus est, qui ante solo verbo vos retrorsum abire fecit, vt cognosceritis, quia potens erat delere omnes vos, & in puluerem deducere, & quis illi dixisset, cur ità fecisti? Sap. 12. infirmus factus est, quia voluit, se manibus vestris tradere. Ergo Deus dereliquit Christum, cum Deus esset in Christo, mundum reconcilians sibi, cum & Christus esset Deus? August. hìc. Et Iudæis quidem secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula, Deus dereliquit illum? absit, sed in vetere nostro vox nostra erat, quia simul crucifixus erat vetus homo noster cum illo, & de ipso vetere nostro corpus acceperat, quia Maria de Adam erat, ergo quod illi putauerunt, hoc de cruce dixit, vt quid Domine dereliquisti me? Quare isti me derelictum putant malo suo? malo suo, inquit, quia si cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent, 1. Corinth. c. 2. hæc Augustin. Hieron. Deus dereliquit eum. Hæc dixerunt impij, & errau erunt; obcæcatum est malitia cor eorum, sed in ipsa passione, quasi à Deo derelicto dicebant, sine, veniat Elias, & liberet eum, hæc Hieron. ò stulti, Nonnè contrà Iesum tulistis testimonium, quando dixit, soluite templum hoc, & in triduo illud excitabo, Ioan. 2. n. 19. Quomodò derelictus, qui prædixit, se post triduum resurrecturum sua virtute, & in triduo, inquit, illud excitabo. Quomodò derelictus, si sua potestate infernum spolians, seipsum à mortuis excitauit, & reuixit? Ite, custodite sepulchrum, dicebant illi, & posuerunt milites ad custodiam. Quid? non est potestas, nisi à Deo: sequitur Psalmista in personam Christi, dicens.

Deus ne elongeris à me, Deus meus in auxilium meum respice. Deus ab vnoquoque nostrum non distat, Act. Apost. cap. 17. nu. 27. In ipso viuimus, mouemur, & sumus. Si est vbique per essentiam, præsentiam, & potentiam, quomodò rogat hic iustus, ne elongetur ab illo? Noli tu ò homo elongari à Deo peccando, quia tunc Deus semper tecum erit: quod non cadit in isto iusto, in quo non est peccatum, nec inuentus est dolus in ore suo.

Vndè dicebat illis, Quis ex vobis arguet me de peccato? Ioan. 8. n. 46. Cæterum quomodò sit Deus vbique, quando longè sit à nobis, & quomodò, vide August. Tom. 2. Epist. 57. quando Dardano respondet quærenti, quomodò Deus dicatur alicubi esse, aut non esse, & quomodò Christus non sit vbique, & rursus sit vbique, & lit. G. Quomodò enim vbique si in ipso? vbique scilicet, quia nusquam est absens, in seipso autem, quia non continetur ab eis, quibus est præsens, tamquam sine eis esse non possit. Nàm spatia locorum tolle corporibus, & nusquam erunt, & quia nusquam erunt, non erunt. Tolle ipsa corpora qualitatibus corporum, non erit vbi sint, & ideò necesse est vt non sint. Etenim cum per totam suam molem corpus æqualiter sanum est, aut æqualiter cãdidum non est plus in vna, quàm in alia parte, eius sanitas maior, aut candor, nec maior in toto, quàm in parte eius; quia non sanius, aut candidius, totum constat esse, quam partem. Si autem inæqualiter sit sanum, aut inæqualiter candidum, fieri potest, vt in maiori parte, sit sanitas maior, aut candor, cum minora, quàm maiora saniora, vel candidiora sunt membra. Neque adeò non mole constat, quod in qualitatibus magnum dicitur, vel paruum, veruntamen si moles ipsa corporis quantacunque, vel quantulacumque sit, penitus auferatur,

qualitates eius non erit vbi sint, quamuis non mole metiendæ sint. At verò Deus, non si minus capitur ab illo, cui præsens est, ideò ipse minor est, totus enim in seipso est, nec in quibus est, ità est, vt indigeat eis, tamquam non possit esse nisi in eis. Sicut autem nec ab illo abest, in quo nō habitat, & totus adest, quamuis cum illo non habitat; ità & illi, in quo habitat, totus est præsens, quamuis ille eum non ex toto capiat, neque enim ad habitandum diuidit se per hominum corda, seù corpora, aliam sui partem huic tribuens, illi aliam, sicut lux ista per aditus, & fenestras domorum. Sed potius si quemlibet sonum, cum corporea res sit, ac transitoria, surdus non capit, surdaster non totum capit, atque in eis, qui audiunt, cum pariter ei propinquāt, tantò magis alius alio capit, quantò est acutioris; tantò autem minus, quantò est obtusioris auditus; cum ille non variè magis, minusuè insonet, sed in eo loco, in quo sunt, omnibus æqualiter præsto sit. Quantò excellentius Deus natura incorporea, & immutabiliter viua, qui non sicut sonus per moras temporum tendi, & diuidi potest; nec spatio aereo, tamquam loco suo indiget, vbi præsentibus præstò sit. Sed æterna stabilitate in seipso manens, totus adesse rebus omnibus potest, & singulis totus: quamuis in quibus habitat, habeant eum pro suæ capacitatis diuersitate, alij amplius, alij minus, quos ipse sibi dilectissimum Templum gratia suæ bonitatis ædificat. Et donationum quidem sunt diuisiones dictæ tamquam per partes, & mēbra vnius corporis, vbi & simul omnes vnum Templum, & singuli singula Templa sumus; quia non est Deus in omnibus, quàm in singulis maior, & fit plerunque, vt plures eum minus capiant, vnus amplius. Sed cum dixisset Apostolus, 1. Corinth. 12. diuisiones autem donationum sunt, continuò subiecit, idem autem spiritus, &c. cum spiritus donationum commemorasset, omnia autem hæc, inquit, operatur vnus atque idem spiritus, diuidens propria vnicuique prout vult. Diuidens ergo non ipse diuisus, quia ipse vnus, atque idem, &c. hæc August.

Cum ergo sit Christus Deus & homo, Deus vtique, vndè dicit Ioan. 10. Ego & Pater vnum sumus; homo autem, vndè dicit, Pater maior me est; idemq. Filius Dei vnigenitus à Patre, & Filius hominis ex semine Dauid secundum carnem, vtrumque in illo obseruandum est, cum loquitur, vel cum de illo Scriptura loquitur, & quid secundum quid dicatur intuendum; nàm sicut vnus homo est anima rationalis, & caro, sic & vnus Christus est Deus, Verbum, & homo, proinde quod ad Verbum attinet, creator est Christus, omnia enim per ipsum facta sunt; quod verò ad hominem, creatura est Christus; factus est enim ex semine Dauid secundum carnem, & in similitudinem hominum factus. Et quia in homine duo sunt, anima, & caro, secundum animam tristis fuit vsque ad mortem, secundum carnem passus est mortem. Nec tamen cum filium Dei dicimus, hominem separamus, aut cum eundem Christum filium hominis dicimus, separamus Deum; secundum hominem, nàmque in terra erat non in cælo, vbi nunc est, quando dicebat, nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo filius hominis, qui est in cælo: quamuis secundum id, quòd filius Dei erat, esset & in cælo. Similiter cum secundum id, quod filius Dei est, esset Dominus gloriæ, secundum id tamen, quòd filius hominis est, crucifixus est, &c. Sicut ergo ob cōmmunicationem idiomatum dici rectè potuit Dominus gloriæ crucifixus, cum ad solam carnem illa passio pertineret, ità potuit rectè dici, Domine ne elongaueris à me, & latroni dicere, hodie mecum eris in Paradiso,

cum

cum iuxta humanam humilitatem per carnem in sepulchro, per animam in inferno illo die futurus esset, cum iuxta diuinam immutabilem naturam, nunquam de Paradiso, quia vbique est semper, recessisset, Hæc ex Augustin.

Ne ergo elongeris à me, dixit Christus Deo Patri; vt sciremus quanta esset passa humanitas pro nobis, cum quodammodò sit visus elongatus Deus ab illo, & permissum, vt pateretur illius humanitas pro redemptione nostra, vt de iustitia satisfaceret Patri pro nobis. Deus meus ne elongeris à me, ad tempus ergo videtur illum deseruisse, vt maiorem pœnam pro nobis sustineret. Vt fortius probetur, & per ipsum purgentur nostra crimina, & delicta, vndè Isai. 54. num. 7. Ad punctum in modico dereliqui te, & in miserationibus magnis congregabo te, & Gregor. 10. Moral. cap. 22. super illud, Iob cap. 30. num 13. Dissipauerunt itinera mea, insidiati sunt mihi, & præualuerunt, & non fuit, qui ferret auxilium. Cum de diuino, inquit Gregorius, adiutorio Psalmista clamat, adiutor in opportunitatibus, in tribulatione, sperent in te, qui nouerunt nomen tuum, quoniam non derelinquis quærentes te Domine: qua ratione nunc iusti dicunt, & non fuit, qui ferret auxilium. Nisi quia omnipotens Deus eos, quos in æternum diligit, aliquando ad tempus derelinquit? hinc Psal. 118. Non me derelinquas vsquequaque. Derelinqui ergo se ad modicum posse nouerat, qui ne vsquequaque derelinqueretur petebat: Sanctos etenim suos Dominus vincendo adiuuat, & derelinquendo probat, donis firmat, tribulationibus tentat. Confusione ergo confundantur; qui seruis Dei detrahere conantur, & sicut sumus deficiant, qui quærunt illis mala. In Deo faciemus virtutem, & ipse ad nihilum deducet inimicos nostros, Psalm. 59. in fine, ideò Psalmista dicit.

Confundantur, & deficiant detrahentes animæ meæ, operiantur confusione, & pudore, qui quærunt mala mihi, Augustin. hìc legit, Confundantur, & deficiant committentes animam meam: committere enim, inquit ille, dicitur, qui ad aliquam rixam prouocatur. Si ità est, fugiamus tales committentes animam nostram; hoc est, qui vt resistamus Deo, mala nobis proponunt, vt malis nostris nobis Deus displiceat, de quibus fit mentio in Deuter. cap. 28. num. 16. cum sequen. Omnia ibi mala enumerantur, quæ non custodientibus præcepta Dei eueniunt. Facit quod habetur Iudic. cap. 5. numer. 22. cum sequen. Nàm ante hos annos cum recessissent à via, quam dederat illis Dominus Deus, vt ambularent in ea, exterminati sunt prælijs à multis nationibus, & plurimi eorum captiui adducti sunt in terram non suam. Nuper autem reuersi ad Dominum Deum suum ex dispersione, qua dispersi fuerant, adunati sunt, & ascenderunt montana hæc omnia, & iterum possident Ierusalem, vbi sunt sancta eorum, Nunc ergo, mi Domine, dicebat Achior, persequere; si est aliqua iniquitas eorum in conspectu Dei eorum, ascendamus ad illos, quoniam tradens tradet illos Dominus eorum tibi, & subiugati erunt sub iugo potentiæ tuæ; si verò non est offensio populi huius coram Deo suo, non poterimus resistere illis, quoniam Deus eorum defendet illos, &c. idem dicit in eodem lib. cap. 11. numer. 9. cum sequen. Si ergo permanserimus firmi in tribulationibus, & in Domino spem habentes, in auxilium nostrum respiciet Dominus, & animabus nostris detrahentes, vel detrahere tentantes, deficient erubescentes, & confusi. Dispositâ enim Dei non mutantur, & nobis patientibus exemplo Christi deficient, & pudore, atque confusione operientur, cum

nos patientes, & auxilium à Deo habentes viderint, & cognoscent.

Confundantur ergo, deficiant detrahentes animæ meæ, vel committentes animam, quando contrà eam aliquid facere tentant. Et hæc est inter committere animam, & committere corpus differentia, committitur corpus, cum fit peccatum in corpus: committitur anima, cum tentatur, vt contrà præcepta agat, & prouocatur. Ab vtroque enim se liberandum sperat, cui in Deo est spes, proptereà sequitur Psalmista, dicens.

Ego autem semper sperabo, & adijciam super omnem laudem tuam. Ego semper sperabo, quia etsi coram te pauca sint ista, quæ me contingunt ex gratia tua: semper sperabo, quia maiora adijcies mihi; vt ego super omnem laudem tuam adijciam laudes nomini tuo. Tunc replebitur os meum laude tua, vt ego adijciam super omnem laudem tuam, quia maiora tibi debeo; quia venisti, carnem nostram assumpsisti, pro me mori dignatus es, & peccatum meum tollere promisisti. Adijciam laudes laudibus, iàm à Prophetis tuis Moyse, & cæteris tibi dicatis; quia tu Domine mundum tuo sanguine redemisti, quem prius verbo tuo creasti. Dixisti enim, & facta sunt, Genes. 1. & per totú: vt redimeres verò, quod perditum erat per peccatum, sanguine tuo redemisti. Nunc itaque te Dominum laudare non sufficit mihi, qui tàm magno pretio per te redemptus fui, quocircà os meum annunciabit iustitiam tuam, tota die salutare tuum; Quid est, quod os tuum iustitiam Dei annunciet? Poterat enim totum exterminare mundum, quia totus in maligno positus erat, Ioan. 5. nu. 19. Iustus tamen Dominus, quia iustitiam dilexit, & salutare suum misit, vt pro illo iustitiæ suæ satisfaceret. Prophetauerat istud ille iniquus, cum tunc esset Pontifex anni illius, dicens, expedit, vt vnus homo moriatur pro populo, & non tota gens pereat, Ioan. cap. 18. nu. 14. Misit salutare suum Dominus filium suum, qui omnium peccata portaret, & pro illis hostia salutaris esset, seipsum cruci submittendo, vt omnium peccata deleret sua morte, & pssione, Isai. dicto cap. 53. Os meum annunciabit iustitiam tuam, tota die salutare tuum.

Quoniam non cognoui litteraturam. Quid est, non cognoui litteraturam tuam? Audi Apost. 1. Corinth. cap. 2. num. 1. cum sequen. Non in sublimitate sermonis, aut sapientiæ, &c. deinde Non enim iudicaui me scire aliquid inter vos, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum, &c. & nu. 4. & sermo meus, & prædicatio mea non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus, & virtutis, vt fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei, &c. Os meum, inquit, annunciabit iustitiam tuam, tota die Saluatorem tuum. In hoc enim vocati sumus, quia & Christus passus est pro nobis, nobis relinquens exemplum, vt sequamur vestigia eius, qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius, 1. Petr. cap. 2. n. 21. Qui cum malediceretur, non maledicebat, cum pateretur, non comminabatur, tradebat enim iudicanti se iniustè. Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, vt peccatis mortui iustitiæ viuamus, &c.

Os meum, inquit Propheta, annunciabit iustitiam tuam, tota die salutare tuum; Quoniam non cognoui litteraturam. Hæc enim littera Iudæorum portio est, ego verò, dicit Psalmista, quemadmodum accepi à Domino in profundo sacri eloquij gremio, spiritum scrutabor mihi, & vitam; & pars mea hæc, qui in Christum futurum credo, & in eius potentiam, & iustitiam

illius solius. Nihil mihi, & litteræ, quæ occidit, & gustata carnem sapit, glutita mortem affert, sed quod in ea rectum est, & de Spiritu sancto est; Vndè Apost 1. Corinth. c. 14. n. 2. cum seq. Nàm qui prophetat, hominibus loquitur ad ædificationem, & exhortationem, & consolationem, qui loquitur lingua, semetipsũ ædificat, qui autem prophetat, Ecclesiam Dei ædificat. Non cognoui, ideò dixit, litteraturã, sed introibo in potentias Domini, Domine memorabor iustitiæ tuæ solius. Non litteram secutus sum, quæ occidit, sed spiritu Dei repletus, vndè Eccles. 47. in princ. & quasi adeps separatus à carne, sic Dauid à filijs Israel.

Introibo in potentias Domini. Sed non legisti ò Dauid, an ignoras, quòd terribilis Dominus, & magnus vehementer, & mirabilis potentia eius: glorificate, inquit sapiens ille, filium meum Dominum quantumcunque poteritis, superualebit enim adhùc, & admirabilis magnificentia eius, Eccles. 43. num. 32. in illo enim capitulo inenarrabilia eius, quæ sint, narrantur. Quomodo ergo tu intrabis in potentias Domini, qui aliàs dixisti, Psalm. 101. In generatione, & generatione anni tui; initio tu Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt Cæli, &c. Adhùc & pauca vidisti operum eius, multa abscondita sunt maiora his, Eccles. dicto cap. 43. in fine. Quis enim loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes eius? Psalm. 105. numer. 2. Magnus Dominus, & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non est finis. Generatio, & generatio laudabit opera tua, & potentiam tuam pronunciabunt. Magnificentiam gloriæ sanctitatis tuæ loquentur, & mirabilia tua narrabunt, Psalm. 144. num. 2. cum sequen. Ad hæc, ait Dauid, si pars hæreditatis meæ est Dominus, quomodò in potentias Domini introire prohibebor? Eccles. cap. 45. num. 27. ipse enim est pars eius, & hæreditas, & Num. cap. 18. numer. 20. Non cognoui litteraturam. Augustin. hìc litera D. Superbia Iudæorum præsumentium tamquam de viribus suis, & de iustitia operum suorum gloriabantur de lege, quòd ipsi legem acceperint, aliæ gentes non acceperint. In qua lege non de gratia gloriabantur, sed de littera: lex enim sine gratia, sola littera est, manet ad conuincendam iniquitatem, non ad dandam salutem, ad Roman. 3. num. 20. Per legem enim cognitio peccati. Non cognoui litteraturam, ad Roman. cap. 1. num. 17. cum sequen. Non me misit Dominus baptizare, sed euangelizare, non in sapientia Verbi, vt non euacuetur Crux Christi; verbum enim Christi pereuntibus est stultitia, ijs verò, qui salui fiunt Dei virtus est. Scriptum est enim, perdam sapientiam sapientum, & prudentiam prudentium reprobabo, Isai. 29. num. 14. sequitur Paul. in d. cap. 1. ad Roman. Nonnè stultam fecit sapientiam huius mundi; nàm quia in Dei sapientia, non cognouit mundus per sapientiam Deum; placuit Deo per stultitiam prædicationis saluos facere credentes; Idemquè Apostol. ad Galat. cap. 3. Si data esset lex, quæ posset viuificare, omnino ex lege esset iustitia; sed conclusit Scriptura omnia sub peccato, vt promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus. De hac littera dicit alio loco, Littera occidit, spiritus viuificat, 2. Corinth. cap. 3. Habes litteram, si præuaricator legis es, qui per litteram, inquit, & Circumcisionem præuaricator legis es. Nonnè benè cantatur, erue me de manu legem prætereuntis, & iniqui, Psalm. hoc eodem num. 4.

Habes, inquit Augustin. litteram, sed non imples litteras, quoniam qui prædicas, non furandum, furaris; qui dicis, non adulterandum, adulterаris, qui

abo-

abominaris Idola, sacrilegium facis, quid ergo tibi profuit littera, quam non imples? ad Roman.2.num.21. Quare non imples? quia de te præsumis, quia negotiator es, opera tua extollis, nescis necessariam esse gratiam adiuuantis, vt impleatur præceptum iubentis. Iussit Deus, age, quod iussit, incipis agere, quasi ex viribus tuis, & cadis; & littera puniens manet super te, non saluans; meritò lex per Moysen data est, gratia, & veritas per Iesum Christum facta.

Gloriabantur Iudæi, Deuter.cap.4.numer.7. & 8. Non est enim alia gens sic inclyta, vt habeat cæremonias, &c. quòd ipsis lex data esset; de littera enim gloria erat illorum, lex, inquit Augustin. sine gratia, littera est. Vndè Salomon in Prouerb. cap.30.num.1. 2. & 3. Stultissimus sum virorum, & sapientia hominum non est mecum, non didici sapientiam, & non noui scientiam Sanctorum, est enim laus quædam litteraturæ Iudæorum, vt ad Roman.10.nu.2. cum sequen. Testimonium, inquit, perhibeo illis, quòd æmulationem Dei habent, sed non secundum scientiam; ignorantes enim iustitiam Dei habent, sed non secundum scientiam; ignorantes enim iustitiam Dei, & suam quærentes statuere, iustitiæ Dei non sunt subiecti: finis enim legis Christus ad iustitiam omni credenti. Moyses enim scripsit, quoniam iustitiam, quæ ex lege est, qui fecerit homo, viuet in ea. Quæ autem ex fide est iustitia, sic dicit, ne dixeris in corde tuo; quis ascendet in Cælum? idest Christum deducere: aut quis descendet in abyssum, hoc est Christum à mortuis reuocare. Sed quid dicit Scriptura? Propè est verbum in ore tuo, & in corde tuo. Hoc est verbum fidei, quod prædicamus, quia etsi confitearis Iesum Christum in ore tuo, & in corde tuo credideris, quòd Deus illum suscitauit à mortuis, saluus eris, hæc Paul.

Non cognoui ergo, dicit Psalm. litteraturam; sed introibo in potentias Domini. Non meam voluntatem, sed Dei potentiam, & iustitiam sequendo, non ex operibus, ne extollar, ad Ephes.c.2. operando tamen, vt sciam, quia Deus operatur in me: ipsius enim figmentum sumus, creati in Christo Iesu in operibus bonis, boni enim operatores sunt, in quibus Deus operatur.

Non cognoui litteraturam. Quinque porticus habebat illa Ierosolymis probatica Piscina, Ioan.cap.5.nu.1. per triginta octo annos in illis stetit ægrotus, iacebatq. in illis multitudo claudorum, & cæcorum, & languidorum, & vnus sanabatur tantùm, quando Angelo descendente mouebatur aqua, alius præcurrens citius ingrediens sanabatur, & solus ille inter tot cæcorum, claudorum multitudinem, sanus per motum aquæ reddebatur. Quinque porticus sunt Moysis libri, in quibus scripta erat lex, & ideò ibi scripta, vt reos se Iudæos ex lege cognoscerent, quia ex operibus legis non iustificatur omnis caro. Per legem enim fit cognitio peccati, nunc autem sine lege, Dei iustitia manifestata est; testificata à lege, & Prophetis, ad Roman.cap.3.numer.20. Lex enim per Moysen data est, gratia, & veritas per Iesum Christum, Ioan.1.num.17. non vt sanarentur, languidi omnes, & cæci, & claudi in porticibus permanebant, gloriabantur, quia leges habuissent, sed se claudos, & reos non cognouerunt. Venit Angelus Domini Iesus Christus, mota est aqua, non sunt sanati Iudæi, quia in illis quinque porticibus gloriabantur permanere, non aquæ motum procurant, vt à gratia Dei liberi fiant, cognoscunt litteram, & recusant Dei potentiam, & virtutem. Venit Christus, turbatur aqua. Quis est hic, cui maria,

&

& venti obediunt? Matth. cap. 8. numer. 27. Crucifigitur Christus à Iudæis, sanatur vnitas corporis Christi, ex vtraque enim vna fit Ecclesia, cuius caput est Christus. Sanat aqua turbata, quia per inuocationem Patris, & Filij, & Spiritus sancti baptizati, & credentes sanantur, & ab omnibus illorum infirmitatibus liberantur; qui enim crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit, Matth. cap. 28. num. 19. & Marc. cap. 16. num. 56.

Misit Elisæus seruum suum Giezi, vt accinctis lumbis suis neminem per viam salutaret, baculum Elisæi in manu sua tolleret, & posuit super faciem pueri; fecit sic Giezi, nec puer reuixit, nec illi erat vox, neque sensus; ingreditur Elisæus, claudit ostium super se, & super puerum; & orauit ad Dominum, ascendit, incubuit super puerum, posuitq. os suum super os eius, & oculos eius super oculos illius, & manus suas super manus eius, & incuruauit se super puerum, & calefacta est caro eius, at ille reuersus deambulauit in domo semel hùc, atque illùc, & ascendit, incubuit super eum, & oscitauit puer septies, aperuitq. oculos suos, &c. 4. Reg. cap. 4. num. 29. cum sequen. Per legem legi mortuus erat ille, ad Galat. cap. 2. numer. 19. Imposuit baculum super faciem mortui seruus Elisæi, non reuixit mortuus, quia non ex operibus legis iustificabatur; posuit baculum super faciem mortui, vt ex transgressione legis cognosceret pœnam, adhæsit ille litteraturæ, non cognouit pœnam ex lege, remansit mortuus in superbia sua, qui non potuit resurgere ex baculo faciei apposito. Venit Elisæus, Christus scilicet, qui litteraturam non cognouit, factus est homo, vt hominem secum reduceret, ac suscitaret, & potentias Domini secum confiteretur; mortua erat Gentilitas, quæ nec litteraturam cognouerat, ad verbum Domini confessa est potentias Domini, & eius virtutes, & ecce suscipientes verbum, oscitantes, & à somno surgentes, facti sunt viuentes cum Christo.

Non cognouit litteraturam Christus, propterea quia se humiliauit suscipiens carnem nostram, vt nos humiles esse doceret, & in potentias Dei, & virtutes eius intraremus: ille enim solus est potens, & omnes viæ eius veritas, & bonitas, Iudith cap. 11. num. 6. 1. Timoth. cap. 6. num. 16. Fecit cum mortuo gratia, quod non fecerat littera, lex ergo per Moysen data est, gratia verò, & veritas per Iesum Christum facta est, Ioan. d. cap. 1. Memorabor iustitiæ tuæ solius, quia totum, quod habeo, ab illo accepi. Quid enim, inquit Apostol. habes, quod non recepisti? 1. Corinth. cap. 4. num. 7. si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? iustitia ergo Domini sola liberat me, mea sola non sunt nisi peccata, Augustin. hìc.

Memorabor iustitiæ tuæ solius, quia à te solo iustitia prouenit, cum ex passione tua, populum tuum à peccato redemptum ex iustitia tua, qua illum redemisti, Patri tuo pro me etiam satisfecisti.

Deus docuisti me à iuuentute mea. Quomodò ergo non præuenit gratia tua, si tu me docuisti à iuuentute mea? à te ergo accepi, si quid bonum est in me, vt seruiam tibi. Et vsque nunc pronuntiabo mirabilia tua, quia tu Domine non dereliquisti me, & spiritus tuus Domine habitat in me, 1. Corinth. 3. num. 16. propterea narrabo mirabilia tua, propterea Paul. 1. Corinth. 2. nu. 12. Nobis autem reuelauit Deus per spiritum suum; spiritus enim scrutatur omnia, etiam profunda Dei; quis enim hominum scit, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? Ità & quæ Dei sunt, nemo cognouit, nisi

spiri-

ſpiritus Dei. Nos autem non ſpiritum huius mundi accepimus, ſed ſpiritum, qui ex Deo eſt, vt ſciamus, quæ à Deo donata ſunt nobis, quæ & loquimur, non in doctis humanæ ſapientiæ verbis, ſed in doctrina ſpiritus, ſpiritualibus ſpiritualia comparantes, &c. Animalis autem homo non percipit ea, quæ ſunt ſpiritus Dei, ſtultitia eſt illi, & non poteſt intelligere, &c. Et vſque nunc igitur pronunciabo mirabilia tua, quæ tu Domine à iuuentute mea docuiſti.

Memorabor Domine iuſtitiæ tuæ ſolius, iàm enim cum his eram, qui ſolum præſentia cognoſcebant bona temporalia, vt in cap. 2. Sapien. per totum; poſtquam me docuiſti, confiteor, quia ſine te nihil ſum; & à te habeo, quidquid boni habeo: & quidquid mali in me eſt, à me habeo. Non meritis, inquit Auguſtin. ſupplicium reddidiſti, ſed gratiam gratis impertiſti, à iuuentute mea docuiſti, quòd tuæ tantùm iuſtitiæ memor ſim. Conſiderans opera mea mala priora, quid pro illis debebatur, niſi pœna? Memor ero iuſtitiæ tuæ ſolius, quia mihi reddita eſt gratia; pro gehenna data eſt mihi vita æterna, ex quo per baptiſmum nouum hominem me feciſti: quid ex me præceſſit, quia documenta vitæ me docuiſti?

Deus docuiſti me à iuuentute mea, & vſque nunc pronuntiabo mirabilia tua. Quid eſt vſque nunc? quæ mirabilia pronuntiabis? quid vlterius ſperas? Vſque nunc, poſtquam me docuiſti, qui prius perditus eram, me viuificaſti; captiuus eram, & me redemiſti; in iniquitate poſitus, ad te Deum meum me conuertiſti; ex inuia, nunc ad te, qui es Via, Veritas, & Vita, me adduxiſti.

Vſque nunc mirabilia tua pronuntiabo, quia adhùc in via, quamuis in ſpe, in hominem renouatus ſim nouum; in ſpe tamen, nondum in re. Mirabilia pronuntiabo, quia præceſſerat iniquitas mea, & expulſa iniquitate, ſuccedit charitas Dei, & nullo merito præcedente meo. Conuerſus eram ad Diabolum deſtructorem; & gratia tua Domine reuerſus ſum ad te Deum Redemptorem. Vſque nunc pronuntiabo mirabilia tua, & in futurum etiam, ſi tu Domine vſque ad ſenectam, & ſenium non dereliqueris me, adhùc enim per fidem ambulo, nondum per ſpeciem. Si adhùc in via ſum, quomodò ſine te, qui es Via, deambulo? Non quia à iuuentute me docuiſti, ideò ſine te iter ſequi potero, quia ſine te nihil boni eſt in me; ſine lumine quomodò ambulauero in tenebris? Vſque ergo ad ſenectam, & ſenium, non me derelinquas Domine, vt vſque in finem mirabilia tua poſſim enarrare.

Sed ſi de Eccleſia hæc intelligamus, quòd à iuuentute Deus eam docuerit, pro vt hìc Doctores volunt, quomodò dicemus, quòd non cognouit litteraturam, cum ipſa ſit mater, & magiſtra gentium? & ipſius ſit de vero ſenſu iudicare? Non cognouit litteraturam à ſemet, ſed benè cognouit, & cognoſcit illam, quam è ſupernis didicit; docta à Chriſto, eiusq. Apoſtolis à iuuentute ſua. Auguſtin. hìc de Eccleſia intelligens dicit. Progredientibus autem temporibus confiteatur Eccleſia, dicat, Vſque nunc pronuntiabo mirabilia tua, non tantùm in iuuentute, quando Paulus, quando Petrus, primi Apoſtoli nunciauerunt, præcedente etiam ætate, ego ipſe, ideſt Vnitas tua, membra tua, corpus tuum, annunciabo mirabilia tua.

Vſque ad ſenectam, & ſenium annunciabo mirabilia tua. Vſque enim in finem ſæculi erit hæc Eccleſia, Vndè Dominus Matth. cap. 28. Ero vobiſcum

vſque

vſque ad conſummationem ſæculi. Etenim vſque in finem erunt inimici Chriſtianæ fidei, qui dicunt, ad certum tempus ſunt Chriſtiani, poſteà peribunt, &c. & Idola redibunt. Vſque ad ſenectam, & ſenium erunt Chriſtiani, ideſt ad finem ſæculi; qui ergo expectas inique, vt tranſeant Chriſtiani, tu tranſis ſine Chriſtianis, ipſi verò Chriſtiani permanebunt. Sequitur ergo Pſalm.

Donec annunciem brachium tuum omni generationi, quæ ventura eſt. Vſque ergo ad conſummationem ſæculi erit generatio altera, cui Euangelium prædicandum erit. Quod præuidit Dauid in Pſalm. ſuis, prædicens, filium Dei venturum, & mundum in ipſo credentem redempturum per paſſionem ſuam, vt patet in omnibus ferè Pſalmis, de filio Dei loquentibus, & ibi latius diximus: & in noſtro Tractat. contrà Iudæos; Donec ergo duraturus eſt mundus, in quo Pſalmi Dauid decantabuntur, vt brachium Domini, ideſt virtus Dei, ideſt filius ſuus Vnigenitus ab omnibus iuxtà Pſalmorum meorum prædictionem, prædicetur, in eum credatur, & ei confiteantur, tuncq. erit vnum ouile, & vnus paſtor, Vndè Ioan. cap. 10. numer. 16. Et alias oues habeo, quæ non ſunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient. Ecce, donec, quid ſignificet, quia tunc fiet vnum ouile, & vnus paſtor, ideò dixit, Generationi omni, quæ ſcilicet ſub Cælo eſt. Tunc etiam beatam dicent Virginem Mariam omnes generationes, quia qui potens eſt Deus, fecit jlli magna: & nomen ſanctum eius, quod eſt filius ex Spiritu ſancto natus Ieſus Chriſtus, per quem facta ſunt ſæcula. Potens eſt enim Deus, & iuſtitia eius vſque in altiſſima, quæ fecit magnalia, Deus quis ſimilis tibi? nàm potentiam tuam, ideſt miſericordiam tuam, & iuſtitiam tuam vſque in altiſſima. Auguſtin. ſuper Ioan. Maioris poteſtatis eſt impium iuſtificare, quàm totum mundum ex nihilo producere, hinc Pſalm. 79. num. 3. Excita Domine potentiam, & veni, vt ſaluos facias nos. Et iuſtitiam tuam vſque in altiſſima. Quomodò iuſtitiam dicimus in altiſſima, nonnè malorum punitio vocatur iuſtitia? Sap. cap. 14. num. 7. Benedictum lignum, per quod fit iuſtitia. Potentia ergo miſericordia Dei eſt. Iuſtitia in altiſſima, quia per filium ſuum ſatisfactum eſt iuſtitiæ Dei; ipſe enim ſuſcepit ſuper ſe, ſuper humerum ſuum omnia peccata, cuius liuore ſanati ſumus, Iſai. dicto cap. 53. numer. 5. Potentiam tuam, & iuſtitiam tuam Deus vſque in altiſſima, quæ feciſti magnalia: Deus quis ſimilis tibi? Qui nec proprio filio peperciſti, vt ſaluum faceres genus humanum.

Litteraturam non cognoui, Prouerb. cap. 30 num. 2. Stultiſſimus ſum virorum, & ſapientia hominum non eſt mecum; Quis aſcendit in cælum, atque deſcendit? quis continuit ſpiritum in manibus ſuis? quis colligauit aquas quaſi in veſtimento? quis ſuſcitauit omnes terminos terræ? quod nomen eſt eius, & quod nomen filij eius, ſi noſti? Qui continet omnia, qui Dominus eſt omnium, factus ità miſericors, vt quem non nouerat quis eius filium, ipſe daret pretium pro peccatis omnium, vt notum fieret Gentibus, & populis ſuis nomen illius, Ieſus Saluator, Redemptor, filius Dei vnigenitus. Iſte ille quartus, quem quaſi filium Dei aſpexit in fornace Nabuchodonoſor, Daniel. c. 3. nu. 93. ipſe eſt, qui cum Domino Deo, & ſpiritu eius erat ante ſæcula, Iſai. cap. 48. nu. 13. cuius manus fundauit terram: ego, ego, inquit, adduxi eum, & directa eſt via eius, accedite ad me, & audite hæc, Non in abſcondito locutus ſum; ex tempore antequam fieret, ibi eram, & nunc Dominus Deus miſit me, &

ſpiri-

ſpiritus eius, Hæc dicit Dominus Redemptor tuus, &c. Iſtius eſt miſericordia, quia redemit nos: & eiuſdem iuſtitia, nàm ideò illum Deus exaltauit, & donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, vt in nomine Ieſu omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei Patris, Iſai. cap.45.nu.23. Egredietur de ore meo iuſtitiæ Verbum, & non reuertetur, quia mihi curuabitur omne genu, &c. Ipſe eſt; qui arguet mundum de peccato, de iuſtitia, & de iudicio, Ioan.cap.16.num.8. Miſericordia eius; quia, vt dixi, exinaniuit ſe, formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus, vt homo, humiliatus vſque ad mortem, mortem autem Crucis: hæc eſt miſericordia, quæ venit à Patre. Iuſtitia verò eius, qua vadit ad Patrem: propter quod dicitur, Deus exaltauit illum, &c. Auguſtin. de Verbis Domini in Euangel. Ioan. Serm.61. Tom.10. ibi, Cur, inquit, hanc appellat, quia vadit ad Patrem, & non etiam, quia venit à Patre. An quia miſericordia eſt, quòd venit, ideò iuſtitia eſt quòd vadit; vt & in nobis diſcamus impleri poſſe iuſtitiam, ſi pigri non fuerimus prærogare miſericordiam, non quæ noſtra ſunt quærentes, ſed quæ aliorum? &c.

Deus quis ſimilis tibi? in miſericordia, in iuſtitia, in veritate? Quid dicis Dauid? nunc Redemptorem expectas, & dicis, quis ſimilis tibi? Qui facit voluntatem Patris mei, inquit Ieſus, frater meus, ſoror mea, & mater mea eſt, Matth. cap.12.num.50. Si frater, quomodò non ſimilis illi? ſi Ieſus in illis, & illi in Ieſu, nonnè ſimilis illi? Ioan. cap.17.numer.23. ſi filij Dei vocantur, qui mites; Beati mundo corde, beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur, Matth. cap.5. in princ. vſque ad num.12. quomodò non ſimiles ei erunt? Si de potentia intelligis, quia ſolus Deus potens eſt, nonnè ſcriptum eſt, quia ego in Patre, & Pater in me eſt? Ioan. cap.14.numer.12. ibi: Qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipſe faciet, & maiora horum faciet, quia ego ad Patrem vado; iterum dictum eſt, Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram, Geneſ. cap.1.num.26. Dimittas Adam; Reuertere ad Dominum, non quæras, neque cogites, quod à te procedit, ſed quod ex gratia Dei, qui te docuit à iuuentute tua, vt diligas inimicum tuum, & benefacias illi propter Deum, qui ideò facit oriri Solem ſuper iuſtos, & iniuſtos; vt tù faciens ſimiliter ex præcepto Dei, ſimilis fias illi, qui te fecit, qui te creauit, qui te redemit.

Deus quis ſimilis tibi? qui ità dilexiſti hominem, vt tu te traderes illi propter illum; vt captiuum redimeres; vt ex poteſtate Diaboli eumdem eriperes: ò Domine Ieſu bone, nunquid ſi te captiuum vidiſſem, te morte mea redemiſſem? qui nunc, gratia tua præueniente, millies centena perirem, vt poſt te dignus factus venirem? Non igitur propter te, quia ſuperbis, ſimilis eris illi; adhæreas Deo, ſequere illum, fuge iactantiam, ſi vis eſſe ſimilis Deo. Tunc enim, quia tu viuis Deo, anima tua viuet in Deo, & corpus tuum viuet ex anima; anima enim mortua eſt, quæ abſens eſt à Deo; propè ſis illi, vt Deus maneat in te, & tu in illo, Ioan. dicto cap.17. Non ſis ergo militans Deo delicatus, præpara animam tuam ad tentationem, ſuſtine ſuſtentationes Dei, coniungere Deo, & ſuſtine. Quod tibi applicatum fuerit, accipe, & in dolore ſuſtine, & in humilitate tua patientiam habe, Eccleſ.c.2. in princ. vſque ad nu.4.

Incli-

Inclina cor tuum ad cognoscendam prudentiam, tunc intelliges timorem Domini, & scientiam Dei inuenies, Prouerb. cap. 2. in princ. Ecce quæ tibi nunc apponuntur, vt intelligens Deum similis fias illi, Iacob. Epistol. sua Canonic. cap. 5. num. 6. Addixistis, & occidistis iustum, & non restitit vobis, propterea sequitur Psalm.

Quantas ostendisti mihi tribulationes multas, & malas, & conuersus viuificasti me, & de abyssis terræ iterum reduxisti me. Loquatur Ananias, quid sibi à Deo pronunciatum sit in conuersione Pauli, Act. Apostol. cap. 9. num. 15. Dixit autem ad eum Dominus, Vade (loquens de Paulo) Vade, quoniam vas electionis est mihi iste, vt portet nomen meum coram gentibus, & Regibus, & filijs Israel. Et quid pro merito dabis illi Domine? Audi: ego enim ostendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati. Ostendit multas tribulationes, & malas, acerbas, graues; afflixit eum exterius, vt interius Deo viueret: occidi permisit illum, vt viuere faceret, Deuter. cap. 32. Ego occidam, & ego viuere faciam, percutiam, & ego sanabo; vulnerat Paulum, vt sanet gentem. Bernard. in Psalm. Qui habitat, Serm. 3. litera H. Non est durum momentaneum hoc, & leue tribulationis, quod suprà modum in sublimitate æternum pondus gloriæ operatur in nobis. Et conuersus viuificasti me, nàm sicut Christi passiones in nobis, ità abundant etiam consolationes nostræ per ipsum, 2. Corinth. 1. num. 5. Ostendisti populo tuo dura, & potasti nos vino compunctionis, vt liberentur dilecti tui, Psalm. 59. num. 5.

Quantas ostendisti mihi tribulationes multas, & malas. Ex hoc colligo; quia hic iàm ablactatus erat à lacte, firmus iàm ad pericula subeunda: propterea ostendit illi tribulationes multas, Isai. cap. 28. nu. 9. cum sequen. Quem, inquit, docebit scientiam? & quem intelligere faciet auditum? ablactatos à lacte, auulsos ab vberibus, & sequitur tunc, quia manda, remanda, expecta, reexpecta, modicum ibi, modicum ibi, &c. manda, remanda, idest secundum Chrysostom. Afflictionem super afflictionem; Quandiù enim, inquit ille, imperfecti sumus, nobis parcitur, & quandiù lactamur, paternè fouemur, vbi autem perfectiores facti sumus, perfectorum certamina subibimus.

Has autem tribulationes Apostolus vocat defensiones, ad Timoth. 2. cap. 4. num. 16. inquit, In prima mea defensione nemo mihi affuit. Postquam enim ibid. num. 11. dixisset, Alexander Ærarius multa mala mihi ostendit: deindè sequitur, quòd omnes illum dereliquerunt, non illis imputetur, Dominus autem mihi astitit, & confortans me; vt per me prædicatio impleatur, & audiant omnes gentes, & liberatus sum de ore leonis, liberauit me Dominus ab omni opere malo, ibidem num. 18. Passio ergo Christianis vita est, & persecutio defensio; Ambros. in cap. 4. Epistol. 2. ad Timoth.

Ostendit tribulationes multas mihi, & malas. Ostenditur illi Regnum, & fugit, Ioan. cap. 6. numer. 15. ibi: Iesus autem cum cognouisset, quia venturi essent, vt caperent eum, & facerent eum Regem, fugit in montem ipse solus: quæsitus verò vt occideretur, & ad tanta probra, spontè obtulit semetipsum. Interrogati illi, quem quærerent, dixit, ego sum, Ioan. 18. nu. 4. & 5. Vide S. Bernard. Serm. 4. de Aduentu. Immo Discipulos antecedebat Iesus, Marc. 10. num. 32. præcedebat illos Iesus, & stupebant, & sequentes timebant; ità etiam quando voluerunt eum comprehendere, sciens ille omnia processit, &

dixit eis, Ioan. dicto cap. 18. num. 4. Vndè Ambros. in Psalm. 21. solus voluit alligari, dum dixit, si ergo me quæritis, sinite hos abire.

Et iterum conuersus viuificabis me. Augustin. Tom. 3. in lib. 1. Enchiridion ad Laurentium cap. 41. Et ideò, inquit, nullum peccatum & ipse committens, tamen pro similitudine carnis peccati, in qua venerat, dictus est & ipse peccatum sacrificandus ad delenda peccata. In veteri quippè lege peccata vocabantur sacrificia pro peccatis, alleg. Ose. cap. 4. num. 13. ibi: Super capita montium sacrificabant, & super colles accendebant thymiama subtus quercum, & populum, & therebinthum, quia bona erat vmbra eius, Quod verè (sequitur Augustin.) ille factus est, cuius erant vmbræ illa. Hinc Apostol. cum dixisset, obsecramus pro Christo reconciliari Deo, continuò subiunxit, atque ait: eum, qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit, tamquam pro nobis Christus ipse peccauerit; sed ait, eum, qui non nouerat peccatum, idest Christum pro nobis peccatum fecit Deus, cui reconciliandi sumus, hoc est sacrificium pro peccatis, per quod reconciliari valeremus.

Conuersus ergo Iesus Christus, qui multa, & mala prius passus fuerat à Iudæis, Dominus eum viuificauit. Et de abyssis terræ iterum reduxisti me, nàm prius misit Angelum suum Dominus confortans eum, quando in horto orans, quasi guttas aquæ decurrentes in terra, sanguinem suum fundebat, Luc. c. 22. num. 43. Psalm. 93. numer. 20. secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificauerunt animam meam. Ideò autem eductus est Dominus de abyssis terræ, quia surrexit à mortuis.

Quatenus verò de peccatore conuerso loquitur, vel de Dauidè, non hoc dicit, quia confisus in misericordia Dei, iterum peccare intenderet in Deum; sed quia tribulationes durabant, vt magis illas sustinendo, gratiam Dei mereretur accipere; semper conuersus ad Dominum cum tribularetur clamans exauditus est ab illo, à quo meruit viuificari, cum prius per peccati pœnam, nàm cinerem tamquam panem manducabat, & poculum suum cum fletu miscebat, à facie iræ indignationis Domini, Psalm. 101. num. 10. iterum de abyssis terræ, de profundis aquarum, ait, reduxisti me.

Vel ex Augustin. dicamus, Nàm cum primo natura nostra verbo Dei vnita, propter nos surrexerit, reducti sumus de abysis terræ per sacrificium, & oblationem pro nobis à Iesu Christo de peccatis nostris Deo Patri factam: Vndè dum credimus in eum, redimus in eum, & fit prima resurrectio animæ, quæ spe iàm surrexit cum eo, Vndè Apostol. ad Colossens. c. 3. Si surrexistis cum Christo, &c. Vndè dicit, iterum reduxisti me; item secundò iterum reducemur, quando corpore resurgemus, iterum ergo dicit, spe reduxisti me.

Multiplicasti magnificentiam tuam, & conuersus consolatus es me. Augustin. verò legit, Multiplicasti iustitiam tuam. Multiplicauit ergo magnificentiam suam Dominus, quia multos impios, & Gentiles iustificauit. Quid enim magnificentius, quàm impium iustificare? Audierunt enim Iudæi, qui in Iesum Christum per verbum Apostolorum crediderunt, & percutiebant pectora sua, Act. Apost. 2. num. 38. Agite, dicebat Petrus, pœnitentiam, & baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Iesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum, & accipietis donum Spiritus sancti, & apposita sunt in die illa animæ circiter tria millia, idem cap. 4. numer. 31. Multiplicasti magnificentiam,

nàm

nãm cum cæteri Iudæorum Apostolos audire recusassent, illi conuersi sunt ad gentes, quæ audientes gauisæ sunt, & glorificabant verbum Domini, Act. 13. num. 48. Isai. 49. num. 6. Hæc est ergo multiplicatio magnificentiæ Domini, iustificatio peccatoris; magnificentia Domini, quia cui plurimum dimittitur, plurimum diligit, Luc. cap. 7. num. 43. Multò magis igitur, dicit Paul. nunc iustificati in sanguine ipsius, salui erimus ab ira per ipsum; abundans enim erat peccatum nostrum, ideò abundauit & gratia, ad Ephes. cap. 2.

Multiplicasti magnificentiam tuam, idest iustitiam tuam, idest flagella in seruos tuos; quos enim amas, hos flagellas, & corrigis, vt fideles ad te conuersi lætentur. Per fidem enim operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones, ad Hebr. cap. 11. num. 33. Multiplicasti iustitiam. Alij distenti sunt, non suscipientes redemptionem, vt meliorem inuenirent resurrectionem; alij verò ludibria, & carceres experti, insuper & vincula, & carceres, lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladij mortui sunt, &c. Paul. vt suprà, num. 35. vbi omnes testimonio fidei probati sunt, non acceperunt repromissionem, Deo pro nobis aliquid melius prouidente, vt non sine nobis consummarentur, vt multiplicata magnificentia sua conuersus lætificaret sequentes se: conuersus lætificaret filium suum, Ecclesiam suam sanctam, in tranquillitate positam in dilatatione fidelium, Isai. cap. 54. numer. 2. Dilata locum tentorij tui, & pelles tabernaculorum tuorum extende, ne parcas, &c. ad dexteram enim, & ad leuam penetrabis. Noli timere, quia non confunderis, neque erubesces, non enim te pudebit, quia confusionis adolescentiæ tuæ obliuisceris, & opprobrij viduitatis tuæ non recordaberis amplius, &c

Multiplicasti iustitiam, & ideò in miserationibus magnis congregabo te, Isai. ibidem numer. 7. In momento indignationis abscondi faciem meam parumper à te, & in misericordia sempiterna misertus sum tui, dixit Redemptor tuus Dominus, &c.

Et conuersus consolatus es me. Quomodò conuersus, nisi quia indutus maiori fortitudine brachium Domini consurrexit sicut in diebus antiquis, in generationibus sæculorum? Quoniam superbos percussit idem Dominus, quando siccauit mare, Exod. d. cap. 14. nu. 26. cum sequen. & conuersus confortabatur, quia qui redempti sunt à Domino, reuertentur, & venient in Sion, laudantes, & lætitia sempiterna super capita eorũ, gaudium, & lætitiam obtinebunt, Isai. 51.

Multiplicasti magnificentiam tuam, & conuersus cõsolatus es me, ait. Si Dominus perdidisset, ac delesset omnes, nullus poterat imputare, cur ità fecisset, Sap. cap. 12. num. 12. ità tamen dilexit nos, vt filium suum vnigenitum daret ad crucifigendum, vt in sanguine suo lauaret nos à peccatis nostris, Ioan. Apocalyps. cap. 1. numer. 5. Sed multiplicasti magnificentiam tuam Domine, quia quãuis voluisti vt homo factus, & humiliatus in præsepio, nasceretur, & vt sub potestate constitutus tot mala, & tribulationes pateretur, à suis ità crudeliter tractatus, & iniurijs affectus, vt nec species ei esset, neque decor. Multiplicasti magnificentiam iustitiæ tuæ super eum Domine, super illum enim omnium nostrum iniquitates posuisti: vt Isai. ibi. Multiplicasti magnificentiam tuam. Quot enim infantes occisi ab Herode? quot millia millium Martyrum extitere, in quorum sanguine etiam plantare voluisti Ecclesiam tuam? vt conuersus erga illam quasi derelictam, consolareris ipsam, in tranquillitate positã

à te; vt tibi deuota tranquillitate lætaretur, atque laudes debitas cótinuò daret. Hinc Paul. ad Colossens. 1. nu. 24. Qui nunc gaudeo in passionibus pro vobis, & adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi, in carne mea pro corpore eius, quod est Ecclesia, &c.

Et conuersus consolatus es me, nàm hi sunt, de quibus Ioan. Apocalyps. 7. num. 13. cum sequen. Qui amicti sunt stolis albis, venerunt de tribulatione magna, & lauauerunt stolas suas, & dealbauerunt eas in sanguine Agni; ideò sunt ante thronum Dei, & seruiunt die, ac nocte in templo eius, & qui sedet super throno habitabit super illos, &c. & in cap. 21. numer. 3. & 4. Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis, & absterget omnem lacrymam ab oculis eorum, & mors non erit vltrà, neque luctus, neque clamor, quia priora transierunt, consolatus est ergo me, quia in loco pascuæ me collocauit, Psalm. 21. in princ.

Nàm & ego confitebor tibi in vasis Psalmi veritatem tuam Deus, psallam tibi in cithara sanctus Israel. Nunquid superius in tot Psalmis non es confessus Dominum, ò Dauid? Nonnè Psalmos cantasti, in tympano, & choro laudasti Dominum, in chordis, & organo, & in cithara? quid nunc dicis, quia psalles veritatem? psallam tibi in cithara sanctus Israel? Quia, inquit Dauid, misit Deus filium suum, vt redimeret sanctos suos, Paulum, & alios Discipulos in martyrio multiplicans, vt quæ desunt passionum Christi, in carne sua adimpleret pro corpore eius, quod est Ecclesia, vt conuersam consolaretur; confitebor enim nunc, provt ex tunc, quia tu filius Dei, iustus, & misericors, qui es Veritas, & Vita. In hunc mundum venisti, vt tecum in Cælos animas Patrum, ò sanctus Israel, tecum in resurrectione deduceres, & animas fidelium tuorum, pro quibus passus es, redimens in Cælum collocares. Hanc autem confessionem in vasis Psalmi cantabo, & psallam in Cithara. Sed cur in vasis Psalmi? quia in illis continentur iustitia, & misericordia, tribulationes, & gaudia, pœna, & gratia, ira, & misericordia. Accedentes enim ad seruitutem Dei, præparent animas suas ad tentationem, vt probati inuenian tur ad salutem; ad tribulationes, & ad odia propter Deum; vt probati tamquam aurum in fornace, electi fieri mereantur, Eccles. 3. his enim duobus vasibus; iræ, & misericordiæ, in Psalmis decantandis vsurum se asserit Dauid. Nàm cum primò natus sit in hoc mundo filius sæculi, posterius autem peregrinus in sæculo, & pertinens ad Ciuitatem Dei, gratia prædestinatus est, gratia electus, gratia peregrinus deorsum, gratia ciuis sursum factus. Etenim quantum ad ipsum attinet, ex massa ortus, quæ originaliter est tota damnata, sed tamquam figulus Deus, illum reformauit; hanc etiam similitudinem prudenter inducit Apostol. ad Roman. cap. 9. Ex eadem massa fecit aliud vas in honorem, aliud in contumeliam. Prius tamen factum est vas in contumeliam, post verò in honorem: Augustin. de Ciuit. Dei lib. 15. cap. 1. litera D. Tom. 5. Quantò quisquis mutatur in melius, hoc in se facit nominari, quod apprehendit celerius, & posteriore cooperit vocabulum prius; &c.

Confitebor ergo tibi in vasis Psalmi veritatem tuam Deus, quia eos, qui mali prius erant, tua passione, aduentu tuo, si crediderint, tu saluabis, hinc in Psalmis cantabo. Vasa Psalmi, inquit Augustin. Psalterium, Psalterium verò est organum ligneum cum chordis. Quid significat? interest aliquid inter

ipsum, & Citharam; interesse dicunt, qui norunt, eoquòd concauum illud lignum, cui chordæ supertenduntur, vt resonent, in superiore parte habet Psalterium; Cithara verò in inferiore, & quia spiritus desuper, caro de terra, significari videtur per Psalterium spiritus, per Citharam caro. Et quia duas dixerat reductiones nostras ab abyssis terræ, vnam secundum spiritum in spe, alteram secundum corpus in re, audi eas duas. Etenim ego confitebor tibi in vasis Psalmi veritatem tuam; hoc est secundum spiritum: quid de corpore? psallam tibi in Cithara sanctus Israel. Vasa ergo veritatis dicuntur Psalmi, quasi dolia spiritualia, vinum Domini seruantia pro his, qui probati fuerint inuenti, fæx autem eius non est exinanita, bibent omnes peccatores terræ, Psalm. 74. numer. 9. Hæc ergo vasa continent vasa Psalmi Dauid. Vinum merum, vinum mistum, ego verò confitebor tibi in vasis Psalmi veritatem tuam Deus, psallam tibi in Cithara sanctus Israel, hoc est spiritu, & corpore, animo, & corde confitebor te Christum filium Dei Vnigenitum, qui ideò venisti, vt saluares mundum.

Exultabunt labia mea cum cantauero tibi, & anima mea, quam redemisti. De aduentu ergo Domini, & de eius redemptione loquitur Dauid; tunc enim labia eius exultabunt, canendo illi laudes, & gratias agendo, anima etiam, quia redempta est, exultando cantabit, quia redimet de interitu vitam eius; quia coronabit illam in misericordia, & miserationibus, Psalm. 102. numer. 2. cum sequen.

Benedic anima Domino, & omnia, quæ intrà me sunt, nomini sancto eius; confessionem, & decorem induisti amictus lumine sicut vestimento, Psal. 103. num. 2. & anima, quam redemisti: sed si nondum venerat, quomodò redemerat? si carnem nostram nondum filius Dei assumpserat? si nondum resurrexerat? quomodò anima mea, quam redemisti? de aduentu ergo Domini, & de passione, & resurrectione prophetizat Propheta Dauid; vt sensus sit, tunc cum misericordiam adeptus fuero, vt redimas animam meam.

Tunc exultabunt labia mea, & cantabo tibi, sed & lingua mea tota die meditabitur iustitiam tuam, cum confusi fuerint, & reueriti, qui quærunt mala mihi.

Domine Iesu Christe Rex gloriæ, nunc dum hæc scribo, Exaltationis tuæ sanctissimæ Crucis festi diem colimus, in Caluariæ montem cum Heraclio portare, illamq. affigere cupio in corde meo, munda tu Domine illud, vt ablatis vestimentis, & huius mundi vanitatibus effugatis, dignè illam cordi infigam meo nudus incedens, hoc est ab omni peccato absolutus, & liber. Fac me dignum, vt illam sic portare valeam, vt tuam possim consequi gratiam: & quid dicam Domine, nàm & intrà Octauam Natiuitatis Virginis Mariæ Matris tuæ festum istud celebramus, Virgo intercedat, Crux tua liberet; Maria vas electionis, Crux tua signum redemptionis: illius iuuamen sentiam, qui suam veneror Natiuitatem, istius pariter ligni tui, contrà aduersos omnes diabolicos incursus percipiam opem.

Succurre mihi misero peccatori Maria Virgo Mater Christi, adiuua & meum velle, & perficere pro bona voluntate. In me aliud non sit, quàm in Cruce Domini nostri Iesu Christi gloriari. Nulla sit mihi de Cruce Christi confusio, quia de eius passione victoriam habeo, nobis enim, & non sibi est natus

filius tuus; ità immaculatus Dei Agnus, non sibi, sed mihi passus est; & quid mirabilius mysterium? Ipse homo prædicatur, qui Deus est; & qui Dominus annunciatur, scribitur crucifixus: nec hæc sibi ex improuiso venerunt, cum prius dininitatis consilio, vt hominem redimeret, Deus humanitatem susceperit, vt pro homine occidi posset; Continuis autem laudibus mortem Domini in Cruce celebremus.

SOLILOQVIVM.

IN te Domine spes mea est, vt non confusum liberes me in tua iustitia, vt eripias me de manu peccatoris, contrà legem agentis, & iniqui. Tu latronem tecum de Cruce in Paradisum perduxisti; sine te nihil ipse sum, tu firmamentum meum es, & refugium: propterea ad te supplex venio, sis mihi protector, & in auxilium, vt saluus fiam. Disciplina tua Domine me corrigat, sis etiam patientia mea, quandoquidem hæc procedunt à voluntate tua. Spes mea in te non confunditur, quam mihi dedisti à iuuentute mea, & ex vtero confirmasti me in illa. Tu protector factus es mihi de ventre matris meæ; adiutor sis mihi fortis; quia prodigium factus sum multis, ex eo, quod sequor te. Nulla sit mihi nox, sed vnica dies, in qua os meum aperias, vt cantem gloriam tuam, & laudem tuam. In tempore senectutis meæ, in huius ætatis consummatione ne me derelinquas, ne inimici tunc dicāt, quia tu Domine dereliqueris me, & quia vires meæ tunc defecerint. Caro enim aduersus spiritum pugnat, cogitantes te me dereliquisse, quia omni tempore, ore, & opere, forsitan non potero te laudare. Cor meum obcæcare non valeat carnis malitia. Deus meus ne elongeris à me, in auxilium respice. Et omnes inimici mei me in te sperantem, & laudi tuæ adijcientem videntes confundantur. Iustitiam tuam os meum annunciabit, & salutare tuum semper; quia tui solius est iustitia, vt iudicis à Patre constituti, tua est nostra redemptio: tua est nostra salus, ex gratia, non ex litteratura, quam non cognoui, cum sapientiæ operam dedi huius sæculi. Hæc à iuuentute me docuisti, & ideò semper annunciabo mirabilia tua generationi, quæ ventura est; quia tu solus potens, tu solus misericors; qui in altissimis magnalia fecisti, vt visitares nos, & carnem nostram assumeres, vt pro nobis satisfacere posses Patri tuo. Domine quis similis tibi? qui, vt te sequi possem, multas, & malas ostendisti mihi tribulationes, vt me te sequentem, & conuersum ad te viuificares, & de abyssis terræ erueres. Hanc, & alijs tuis Sanctis magnificentiam multiplicasti, vt socios habens in tribulatione, conuersus ad te, consolareris me. Propterea in vasis Psalmi ego posteà annunciabo, quòd tu solus misericors, & iustus; in Psalterio, & in Cithara cantabo, corde, & opere cantans laudabo te. Et tunc anima mea, quam redemisti, & labia mea exultabunt in te, repletoq. laudibus tuis ore meo, ob aduersantium mihi confusionem ea semper meditabor in corde; quæ placitis pariter vocibus, & mea proferam lingua. Succurrite mihi vos Corneli, & Cypriane Martyres, qui vestro sanguine cunctas illustrastis Ecclesias, vt ego mundus ab omni carnis inquinamento, valeam Deo meo Iesu Christo, & Beatæ Virgini Mariæ Matri totis viribus, & feruenti deuotione seruire. Amen. Fiat Domine per viscera misericordiæ tuæ.

IN

IN PSALMVM LXXI.

Deus iudicium tuum Regi da: & iustitiam tuam filio regis.

TITVLVS. In Salomonem. Continuatur ad præcedentem Psalmum, vbi dictum est de tribulationibus eorum, qui conuersi sunt ad Dominum, & de eorum probatione, quorum in Domino spes est, & fiducia. In isto quippè Psalmi Titulo per adhibitam Salomonis nuncupationem declaratur quod, & quale sit Regnum Iesu Christi: nempè, iustum, pacificum, amplum, felixq. fore. Salomonis enim vocabulum, ad figuratam significationem adhibitum, vt in eo Christus accipiatur, Augustin. hìc, Salomon, inquit, interpretatur pacificus, ac per hoc tale vocabulum, illi verissimè, atque optimè congruit, per quem mediatorem ex inimicis, accepta remissione peccatorum, reconciliamur Deo. Etenim cum inimici essemus, recôciliati sumus Deo per mortem filij eius; idem ipse est ille pacificus, qui fecit vtraque vnum, ad Roman.cap.5.num.19.

Summa hæc est. Regnum Christi pax iustorum, & permanebit in æternum, in iudicio iustitiam redditurum, in toto orbe dilatandum, hostes subijciendo, pauperibusq. leuamen exhibendo, eiusdemq. Regis nomen in sæcula benedicendum.

An iste Psalmus intelligatur ad litteram de Salomone, quòd ille sit filius Regis, provt antiqui Doctores, & Iudæi dicunt, videndus est Augustin. in lib.17. de Ciuit. Dei cap.8. Tom.5. fol.196. & cum illo omnes Doctores antiqui; & ex Iudæis nonnulli in Christum esse fatentur. Vnum tamen est, quòd verba dicti Psalmi, Salomoni nullo modo adaptari possunt; provt infrà latius dicemus. Diuus Hieronym. Prologo super Psalterium, à Salomone hunc Psalmum factum asserit, & hanc esse communiorem opinionem, inquiunt multi eius Psalmi interpretes. Certum est in Christum figuratum in Salomone illum dirigi, quia ipse commendatur hìc secundum vtramque naturam, & est quartus de duabus naturis Christi, vt Christum verum Deum, & verum hominem credamus. Quomodò namquè iudicium dari filio desiderat, nisi de filio hominis faciendo intelligeret? Cum aliàs Patris, & Filij, & Spiritus sancti vna sit diuinitas, æqualis gloria, coæterna maiestas; atque potestas: potens Pater, potens Filius, potens Spiritus sanctus, & in Symbolo S. Athanasij; Christus verò tamquam homo minor Patre. De Christo ergo incarnando Propheta loquitur, in sæculo de Maria Virgine nascituro. Hanc regiam dignitatem, quæ Christo communicata est, quando verbum humanitatem nostram assumpsit, præuidens Psalmista dicit, Deus iudicium tuum da Regi, idest Christo homini.

In Salomonem ergo est titulus, qui pacificus interpretatur, in Christum scilicet, cui Psalmista precatur potestatem, & iudicium faciendi iustitiam; ille enim mediator inter Deum, & hominem, qui peccatorum remissionem obtinuit nobis, qui anteà per peccatum longè facti à Deo, & inimici reputababamur. Hic est Christus Rex pacificus, qui fecit vtraque vnum, medium

parietem maceriæ ſoluens, & ambos Deo reconciliauit, qui ſuper pacem reconciliationis, dabit pacem immortalitatis, ad Epheſ.cap.2.num.14. ibi enim dicit, Ipſe eſt pax noſtra, qui fecit vtraque vnum, & medium parietem maceriæ ſoluens, inimicitias in carne ſua: legem mandatorum decretis euacuans, vt duos condat in ſemetipſo in vnum nouum hominem, faciens pacem, & reconciliet ambos in vno corpore, Deo per crucem, interficiens inimicitias in ſemetipſo, & veniens euangelizauit pacem vobis, qui longè fuiſtis, & pacem ijs, qui propè, quoniam per ipſum habemus acceſſum ambo in vno ſpiritu ad Patrem, &c. hæc Paul. Quæ etiam ab Auguſtin. ad Verbum referuntur. Per Chriſtum ergo noſtrum hanc eſſe expectandam pacem nouiſsimè docuit nos, Iſai. cap.26. in princ. Quia tunc vetus error abijt, ſeruabis pacem, pacem quia in te ſperauimus, in ſemita iudiciorum Domini ſuſtinuimus te, tunc facies iudicium tuum in terra, iuſtitiam diſcent habitatores Orbis: hæc Iſai. Salomon ergo pacificus, & pacificus eſt Chriſtus, in cuius natiuitate cantabant Angeli, Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis, Luc.c.2. num.14. Sed quomodò Chriſtum eſſe pacificum dicere audèmus, cum ipſemet dixerit, non veniſſe pacem mittere, ſed gladium? Matth. cap.10. num.34.

Pax terrena, pax huius mundi ad diem eſt, momentanea eſt, Luc.19.nu.42. Quia ſi cognouiſſes & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi, nunc autem abſcondita ſunt ab oculis tuis: hæc non eſt Chriſti pax in perpetuum duratura, qua frueremur, venit in mundum: Pax noſtra eſt Chriſtus, Pſalm. cap.33. num.15. Inquire pacem, & perſequere eam; ergo diuertendum à malo, ſi pacem inquirimus Chriſti, Auguſtin. ibid. litera E. F. Non hic tibi dixit, habebis hìc pacem, quære illam, & ſequere eam. Quò illam ſequar? quò præceſſit Dominus, ille eſt pax noſtra, reſurrexit, & aſcendit in cælum; quære pacem, & ſequere illam, quia & tu cum ſurrexeris, hoc mortale mutabitur, & amplecteris pacem, vbi tibi nemo moleſtus erit. Ibi eſt perpetua pax, vbi non eſuries; nàm hìc pacem tibi facit panis; ſubduc panem, & vide quale bellum erit intra viſcera tua. Ipſi iuſti quomodò gemunt hìc fratres? vt ſciamus, quia hìc quærimus pacem, conſequemur autem in fine, ſed ex parte hìc habemus, vt ex toto illìc habere mereamur. Ex parte quid eſt? Diligamus proximum quomodò nos; ſic dilige fratrem, quomodò te ipſum, habe cum illo pacem. Sed fieri non poteſt, vt non exiſtant rixæ aliquæ, quomodò inter fratres, & inter ſanctos extiterunt, inter Paulum, & Barnabam, ſed non quæ occiderent concordiam, non quæ interimerent charitatem; nàm & tibi ipſi reſiſtis aliquando, & tamen non te odiſti; omnis enim, quem pœnitet aliquid egiſſe, rixatur ſecum; peccauit, reddit, iraſcitur ſibimetipſi, hoc feciſſe, illud commiſiſſe; rixam ergo ſecum habet, ſed iſta rixa ad concordiam tendit; Vndè dicitur Pſalm. 42. Quare triſtis es anima mea, & quare conturbas me? ſpera in Domino, quoniam adhùc confitebor illi: vtique ergo anima turbabat illum, volebat forſan ipſe pati pro Chriſto, & anima ipſius contriſtabatur, & qui ità dicebat, quare triſtis es anima mea, & quare conturbas me? pacem adhùc ſecum non habebat, ſed ex mente hærebat Chriſto, vt ſequeretur illum anima eius, & non illum conturbaret.

Si in Domino ergo pacem habere cupimus, gladium hìc in terra contrà ſenſus noſtros exerceamus, qui nos infeſtant, vt ad malum quotidiè inclinemus;

mus; odia deponamus, caput nostrum Christum in tribulationibus, etiam in morte, si opus fuerit, sequamur, abnegantes nos, & sæcularia desideria, quæ militant aduersus animam, hoc est enim ponere gladium, & in magna constantia permanentes aduersus eos, qui nos angustiant, vt perpetuam pacem habeamus in Christo, resistamus malo, & tunc erit opus iustitiæ pax, & cultus iustitiæ silentium, & securitas vsque in sempiternum, & sedebit populus Dei in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta, Isai. cap.32.num.17. Venit ergo Iesus ponere gladium, vt tolleret terrenam pacem, quia verè non est pax, quod clamant impij, & Epulones, dicentes, pax, pax, & non est pax, Ierem.cap.6.num.14. in pace enim ista terrena amaritudo iusti amarissima, Isai.cap.38.nu.17. & impijs non est pax, ait Isai.48.nu.22. In Salomonem est titulus, qui pacificus interpretatur, non tamen de Salomone intelligendus, nec interpretandus iste Psalmus multis rationibus, provt hìc per Doctores omnes, etiam Rabbinos veteres, cum nec etiam verba Psalmi adaptari possint, vt ibi num.5. Et permanebit cum sole, & ante lunam in generatione, & generationem, & nu.6. Descendet sicut pluuia in vellus, & nu.7. Orietur in diebus eius iustitia, & abundantia pacis, donec auferatur luna, & nu.8. & dominabitur à mari vsque ad mare, & sic nec alia subsequentia in dicto Psalm. & numer.17. Et benedicentur in eo omnes tribus terræ; omnes gentes magnificabunt eum; hæc enim, nec Salomoni, nec alij homini adscribi queunt, nec ad alium possunt adaptari, quàm ad illum, qui verè pacem inter Deum, & homines posuit, iste fuit, & est Iesus Christus Dominus filius Dei viui Redemptor humani Generis, provt latius infrà.

Mortuus enim Salomon, & in terram reuersus, & vtinam anima eius salua facta sit, quam non sine ratione Doctores, & pro maiori parte damnatam affirmant, quamuis ego contrarium sentiam, sed hæc modò nihil ad nos: Quomodò ergo permanet cum sole in generatione, & generationem? & quomodò descendet sicut pluuia in vellus, si ipse asserat cap.7. Sapien. Sum quidem & ego mortalis, similis omnibus, & ex genere terreni illius, qui prior factus est, & in ventre matris figuratus sum, in sanguine coagulatus ex semine hominis, &c. & ità de cæteris, ne longus fiam dicendum est, cum longè ab homine mortali sint, nec esse posint; ergo pro Christo Domino Deo vero cecinit Dauid in hoc vltimo, quem fecit, Psalmo in extremo vitæ suæ certus de Messia Christo, pro quo infra cecinit.

Et hoc demonstratur ex nouissimis etiam illius verbis Dauid, de quibus cap.23.Reg.2. illa enim in nouissimis sicut in isto Psalmo à Dauide verba prolata sunt, inquit enim.

Hæc autem sunt verba Dauid nouissima, dixit Dauid filius Isai: dixit vir, cui constitutum est de Christo Dei Iacob; idest cui firmiter promissum à Deo de Christo Dei Iacob, idest quem Iacob Spiritu sancto inspiratus venturum prædixerat, provt Genes. cap.49.num.10. Non auferetur, &c. & ipse erit expectatio gentium. Spiritus, inquit Dominus, locutus est per me, & sermo eius per linguam meam, Deus Israel mihi locutus est, fortis in Israel, Dominator hominum iustus: & Dominator in timorem Dei; sicut lux auroræ, oriente sole mane absque nubibus rutilat, & sicut pluuijs germinat terra, hinc Isai. cap.45.num.8. Rorate cæli desuper, & nubes pluant iustum, aperiatur terra,

& germinet Saluatorem. Nec tanta domus mea apud Deum, vt pactum æternum iniret mecum, firmum in omnibus, atque munitum, & numer. 5. cuncta enim salus mea, & omnis voluntas, scilicet in hoc, quod veniat, qui venturus est, qui erit salus mea, qui inquam, germinabit in ventre Virginis, sicut pluuijs germinat terra; de quo pacto, Isai.cap.9.num.7. Super solium Dauid, & super regnum eius sedebit, vt confirmet illud, & corroboret in iudicio, & iustitia amodò, & vsque in sempiternum; Quis verò sit ille, qui sedebit, superius dixit, num.6. Paruulus, qui natus est nobis, & filius datus est nobis, & factus est Principatus super humerum eius, & vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius, Deus fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis.

Regi huic ergo paruulo, qui sedebit, qui Deus vocabitur, & Pater futuri sæculi, Deus Pater iudicium tuum da, ait Dauid, & iustitiam tuam, quia est filius tuus, qui etiam Rex est, Luc.cap.22.num.30. Et ego dispono vobis regnum, vt edatis, & bibatis super mensam meam in regno meo, Psalm. 2. num.7. Dixit Dominus ad me filius meus es tu, ego hodie genui te: semper enim filius generatur à Patre, Psalm.109.numer.3. Tecum principium in die virtutis suæ in splendoribus Sanctorum; ex vtero ante luciferum genui te. Huic filio, inquit, Regis, qui iudicabit in nationibus, iudicium tuum Deus Pater Regi da, & iustitiam tuam filio humanato, nàm conquassaturus est in terra multorum, vt promisisti, capita, impleturusq. est ruinas eorum, qui in cælo defecerunt Angelorum malorum, d.Psalm.109.num.6. Iudicium, & iustitiam tuam da filio isti, cui dedisti hæreditatem gentium, d.Psalm.2.nu.8. ità etiam in Ioan.cap.17.num.2. Pater venit hora, clarifica filium tuum, vt filius tuus clarificet te: ecce dedisti ei potestatem omnis carnis, vt omne, quod dedisti ei, det eis vitam æternam.

Libera ergo populum tuum, quem dedisti ei, à potestate Dæmonis, mittens filium istum Regem in terram, vt pro iustitia satisfaciat tibi. Iudicium tuum Regi da, vt posteà Princeps huius mundi iudicetur, & qui sequuntur illum. Propterea dixit Iesus, Ioan.cap.16.num.11. De iudicio autem, quia Princeps huius mundi iàm iudicatus est: & de iustitia, quia ad Patrem vado, postquam scilicet pro humano genere Patri satisfecit, sanguine suo, & morte sua. Deus ergo da iudicium tuum, vt cum per aduentum filij tui, & illius passionem satisfactum tibi Patri fuerit per illum, iudicetur Diabolus Princeps huius mundi, & sequaces illius, idola tollantur, & in ijs, quos elegisti non habeat vllam potestatem: Sic enim filio Regis iustitiam adimpleturo, statuisti pro electis tuis, vt pro illis tibi satisfaceret de condigno; da etiam iudicium, vt sicut in eo non habet Diabolus quicquam, sic & nec in electis habeat tuis.

Iudicium ergo tuum Regi da; tuum dixit, quia omnia quæcumque habet Pater, mea sunt, dixit Iesus, Ioan.cap.16.num.15. & cap.17.nu.10. Et mea omnia tua sunt, & tua mea sunt, & clarificatus sum in eis. Iudicium dixit, quia illos, qui mandata eius non custodierint, non iudicat Deus, non enim venit, vt iudicet mundum, sed vt saluificet illum; & qui spernit me, & non accipit verba mea, habet qui iudicet eum; sermo enim, quem locutus sum, ille iudicabit eum in nouissimo die; quia ego ex me ipso non sum locutus; sed qui misit me Pater, ipse mandatum dedit, quid dicam, & quid loquar, Ioan.cap.12. num.48.

num.48. & in cap.5. num.24. Qui verbum meum audit, & credit ei, qui misit me, habet vitam æternam, & in iudicium non venit, sed transit à morte in vitam.

Deus ergo iudicium tuum Regi da, & iustitiam tuam filio Regis, quem ab æterno genuisti, qui & si à Patre Deo Regnum, & iudicium; non tamen quasi minor Patre secundum Diuinitatem accipiet, sed solum vt filius in assumpta humanitate; nàm vt Deus filius omnia, quæ habet Pater, & ipse filius habet.

Postulat ergo Dauid, cum ex semine suo Messia nasciturus sit, cui omnis terra subijcietur, vt illi iudicium suum det, & iustitiam.

Iudicare populum tuum in iustitiam & pauperes tuos in iudicio: populum eius dixit in iustitia, quia de iustitia est, vt saluetur per ipsum, ex quo passus est pro iustitia Dei. Et pauperes tuos in iudicio; pauperes scilicet Gentiles, qui decepti tanto tempore permanserunt in Diaboli potestate; propterea dictum est alibi. Illuminare his, qui in tenebris, & in vmbra mortis sedent. Hinc Paul. ad Philip.cap.3.num.9. Omnia arbitror vt stercora, vt Christum lucrifaciam, vt inueniar in illo non habens meam iustitiam, quæ ex lege est, sed illam, quæ ex fide est Christi Iesu, quæ ex eo est iustitia in fide ad cognoscendum illum, & virtutem resurrectionis eius, & societatem passionis eius.

Deus, inquit, iudicium tuum Regi Christo tuo da, non tibi id retineas, cum tu sis Deus vltionum Dominus, summusque vindex, & Iudex, non Domine tuum sit iudicium, & iustitia nobiscum, qui sumus peccatores, neque per alium vlciscaris scelera nostra; sed iudicium tuum, & iustitiam tuam filio tuo Christo Regi da. Iustitia tua super filium tuum sit; ipse est, qui dicit, carnem vestram assumpsi, vt compatiar infirmitatibus vestris; ipse morte sua mortem nostram destruat, & peccata nostra tollat. Transfer iudicium tuum, iustitiam tuam, vindictam nempè tuam à nobis in filium tuum ad iudicandum populos tuos; populos, qui te confessi sunt, & in te crediderunt; populos, quos elegisti in iustitia, quia ipse tollet eorum peccata. Et pauperes tuos in iudicio suo æquitatis iudicabit; Pauperes enim sunt omnes gentiles, omnes peccatores; ipsos tamen, quos pœnitet peccasse, & Maiestatem tuam offendidisse. Tui effecti fuere inimici propter peccata; sed quia pœnitentes, & filius tuus venit vocare peccatores, ecce ad vocem eiusdem filij tui fient dolentes, & credentes; iudicet illos Deus filius tuus, in sua iustitia, & pauperes peccatores in suo iudicio. Non repellet enim ipse plebem suam, & hæreditatem suam non derelinquet, quousquè iustitia conuertatur in iudicium; etenim si filius passus est pro nobis, ergo iustitia conuertatur in iudicium; hoc est, quia satisfactum est pœnæ per passionem Christi: iudicium etiam sit iuxta illos, qui recti sunt corde, & erit iustum iudicium. Audient enim; Venite benedicti Patris mei, percipite Regnum, quod paratum est vobis à constitutione mundi, quia ipse passus sum pro vobis, & vos secuti estis vestigia mea.

Suscipiant pacem istam montes, Reges, & Principes terræ, Apostoli, & Episcopi animarum, & colles Prædicatores omnes populis iustitiam istam filij Dei annuncient, qui pro illis passurus est, credant in illum, & sequantur vestigia eius, quia illis in virtute eius erit pax; quia in terra erit pax hominibus bonæ voluntatis, Luc.cap.2.num.14. Ioan. cap.14.nu.27. & Paul. ad Roman. cap.14.num.17. Non est enim Regnum Dei esca, & potus, sed iustitia & pax,

&

& gaudium in Spiritu sancto, qui in hoc seruit, seruit Christo, placet Deo, & probatus est hominibus; Ipse enim est pax nostra, ad Ephes.cap.2.num.14.

Ex populis pauperes eliget, & filios pauperum, quos ipse iudicabit; sunt enim illi, qui euangelizantur, & qui humiles sunt corde, ipsi iudicabuntur digni, vt filij Dei sint, & nominentur, vtpote, qui exemplo pauperum vitam humilem ducunt, hi enim filij dicuntur, quia generantur ab illis per prædicationem Euangelij. Iudicabit ergo pauperes populi, & saluos faciet filios pauperum, & humiliabit calumniatorem, Iob cap.36.num.6. Deus potentes non abijcit, cum & ipse sit potens, sed non saluat impios, & iudicium pauperibus tribuit, & num.15. eripiet de angustia pauperem, & reuelabit in tribulatione aurem eius, quia factus est Dominus refugium pauperi, nec in finem obliuio erit pauperis, Psalm.9.num.9. & 10. & 19. Oculi eius in pauperem respiciunt, & desiderium pauperum exaudiuit Dominus, & præparationem cordis eorum audiuit auris Domini, num.27. Videant ergo pauperes, & lætentur, Psal.68. num.33. Pauperes inquam, qui ea quæ sunt spiritus sapiunt, non quæ carnis, nàm prudentia carnis mors est, prudentia autem spiritus vita, & pax, ad Roman. cap.8.num.6.

Pauperes iudicabit populi, & saluos faciet filios pauperum, & humiliabit calumniatorem. Post prædicationem Euangelij faciendam per Episcopos, & Pastores, aliosq. Doctores, & pacis æternæ annunciationem; quibus de populo iudicium Dei peruenturum sit, & qui salui fient, Dauid declarat in supradicto versiculo quarto, dicens; Iudicabit pauperes populi. Et vt sciant quale futurum sit iudicium, subiungit, dicens, saluosq. faciet filios pauperum, qui ex prædicatione scilicet Euangelij geniti fuerint per fidem, & ità non tantùm ipsos saluos faciet euangelizantes, sed etiam illos, quibus euangelizatum fuerit, hinc Ioan.cap.17.num.20. Non pro eis rogo tantùm, sed pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me; tu omnes vnum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te; vt & ipsi in nobis vnum sint. Ecce quomodò suscipiunt montes pacem populo, vbi enim vnitas, seù vnio, ibi pax, & vbi est pax, ibi est Deus, ad Philip.cap.4.num.9. Ioan.14.num.27. Hanc pacem reliquit Iesus, dicens, Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis, non quomodò mundus dat. Ista est pax Dei, quæ exuperat omnem sensum, ad Philip.cap.4.num.7. & custodit corda nostra, & intelligentias nostras in Christo Iesu.

Et humiliabit calumniatorem, Diabolum scilicet, vel peccatorem, & non credentem, Isai.cap.1.num.28. Et conteret scelestos, & peccatores simul, & cap.2. num.17. & incuruabitur sublimitas hominum, & humiliabitur altitudo virorum. Humiliabit calumniatorem Diabolum, Augustin. in d. Psalm.71. Quia quem calumnia sua occiderunt Christum Iudæi resurrexit, & Regnum abstulit mortis, quam Diabolus per peccatum Adæ causauerat, vt omnes morerentur, & sicut in Adam omnes moriebantur, ità & in Christo omnes viuificarentur, ad Roman.cap.5. per totum; nihil enim aptius poterat superbo illi Diabolo dari, quàm illum humiliare, Eccles.cap.13. num.24. Abominatio est superbo humilitas.

Et permanebit cum Sole, & ante Lunam in generatione, & generationem, Paul. ad Hebr.13.nu 8. Iesus Christus heri, & hodie: ipse & in sæcula, cuius Regnum erat in perpetuum, & æternaliter cum Sole, & coram Luna. Vel se-

cun-

cundum Hebræos, permanebit, idest timebunt te redempti scilicet pauperes, cum Sole, & coram Luna omnibus temporibus, nempè huius mundi, vsque in finem sæculorum. Non ergo Salomoni hæc adaptari possunt, sed vero Salomoni: Iesu Christo, cuius Regni non erit finis, sicut nec infrascripta verba.

Descendet sicut pluuia in vellus, & sicut stillicidia stillantia super terram. Quod ascendit, quid est, nisi quia descendit primum in inferiores partes terræ? qui descendit Iesus Christus Dominus noster, ad Ephes.4.n.9. Ipse est, qui ascendit super omnes cælos, vt impleret omnia. Descendet ergo Iesus in inferiores partes terræ, ostendens mansuetudinem suam. Venit in bonitate suæ humilitatis, dicit Gloss. hic, sic Zach.9.n.9. Ecce Rex tuus veniet tibi iustus Saluator, ipse pauper, & ascendens super Asinam, &c. Matthæus explicat cap.21. nu.5. Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus, & hoc est, dicit Gloss. descendet sicut pluuia in vellus, idest suauiter, & impercibiliter descendet in ventrem Virginis, sumens ex ea carnem, latens Principem terræ Diabolum; Ex hoc enim versiculo Psalmi, quæ dicta sæpius sunt, & à Paulo; & Barnaba, Act.Apost.c.13.nu.46. Vobis oportebat primum loqui verba Dei, sed quoniã repellitis illud, & indignos vos iudicatis vitæ æternæ, ecce conuertimur ad gentes, & in ijsdem Act.Apost. cap.2.num.39. Petrus verò ad illos: Vobis enim est repromissio, & filijs vestris, & omnibus, qui longè sunt, quoscumque aduocauerit Dominus Deus noster, & num.40. alijs etiam verbis plurimis testificatus est, & exhortabatur eos, dicens, saluamini à generatione ista pessima.

Verificatio autem illa est, quæ sumitur ex hoc versiculo, figura illa Gedeonis, Iudith. cap.6.numer.36. cum sequen. Ros enim in solo vellere fuit, & in omni terra siccitas; deinde iterum ad preces eiusdem Gedeonis solum vellus siccum, & omnis terra rore madens, num.40. Sic enim, quando descendit Christus ad Iudæos; reliquum terræ siccum erat, quia ad filios Israel missus erat; verùm quia Israel non recepit Christum, nec illi credidit, vellus siccum factum est, per quod Israel significatur, & tota terra pluuia doctrinæ completa est salutaris per Apostolos prædicatæ, & gratia Baptismi, & solum vellus siccum remansit, Ità S.Augustin. & S.Bernard. in Serm.2. super Missus est.

Christus descendit sicut pluuia in vellus per incarnationem; & sicut stillicidia stillantia super terram per Apostolorum prædicationem; descendit enim tacitus, & cum silentio in Virginem, sicut ros in vellus, cælesti virtute, magno verò sonitu descendit sicut stillicidia stillantia super terram, quando iussit prædicari Euangelium omni creaturæ, concomitantibus signis, & miraculis.

Christus ergo Rex ab æterno Deus, & homo descendit de cælo cum carnem ex Virgine sumens sine læsione virginitatis, & cum ipse sit Sapientia Patris, lex quoque Euangelica ab ipso procedens dicenda erit non humana, sed diuina. Et in diebus eius iustitia orta est, cum ipse solus pro iustitia Patris pro peccatis omnium hominum (mediante sua passione) peccata eadẽ portans, Patri satisfecit, quod nec ante, nec posteà ab aliquo fieri potuit. Ipse se agnum immaculatũ obtulit pro peccatis humani generis. Quid mirum si postquã iustitia orta fuit iustis, abundantia etiam pacis in æternum futura dicatur? Iustitia enim, & pax osculatæ sunt, & opus iustitiæ pax, Isai.cap.32.num.17. Et abundantia pacis, donec auferatur Luna, quia ipse Iesus est Princeps pacis, cuius pacis non erit finis, Isai.cap.9.num.7. Ideò donec auferatur Luna, idest perpetuò duratura

erit, Isai.cap.26. In die illa cantabitur Canticum istud in terra Iuda, Vrbs fortitudinis nostræ Sion, Saluator ponetur in ea murus, & antemurale, aperite portas, & ingrediatur gens iusta, custodiens veritatem; vetus error abijt; seruabis pacem, quia pacem in te sperauimus, vndè ad Roman.cap.3.nu.22. Iustitia Dei per fidem Iesu Christi, in omnes, & super omnes, qui credunt in eum, orietur ergo abundantia pacis. Quia sicut regnauit peccatum in mortem, ità & gratia regnat per iustitiam in vitam æternam per Iesum Christum Dominum nostrum, ad Roman.cap.5.numer.21. per illius enim iustitiam in omnes homines iustificatio vitæ, ibidem ad Roman.numer.18. Eum, qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit, vt nos efficeremur iustitia Dei in ipso, 2.Corinth.cap.5.numer.21. Quocircà Paul. ad Philip.cap.3.num.8. Omnia, dicebat ipse, arbitror vt stercora, vt Christum lucrifaciam, & inueniar in illo, non habens meam iustitiam, quæ ex lege est, sed illam, quæ est ex fide Christi Iesu; quæ ex Deo est in fide ad cognoscendum eum, & virtutem resurrectionis eius. Orietur ergo in diebus eius iustitia, & abundantia pacis, quia finis legis Christus ad iustitiam omni credenti, ad Roman.cap.10.num.5. qui crediderit in illum, Regnum Dei possidebit, in quo non esca, & potus, sed iustitia, & pax, & gaudium in Spiritu sancto, ad Roman.cap.14.num.17. Hæc enim in diebus Christi fidelibus orta sunt: quia anteà clausum erat Regnum cælorum. Credenti ergo in eum, qui iustificat impium, reputatur fides eius ad iustitiam secundum propositum gratiæ Dei, ad Roman.cap.4.numer.5. & numer.13. non enim per legem promissio Abrahæ, & semini eius, vt hæres esset mundi, sed per iustitiam fidei: & non est reputatum ei ad iustitiam propter ipsum tantùm, sed propter nos, quibus reputabitur credentibus in eum, qui suscitauit Iesum Christum Dominum nostrum à mortuis, qui traditus est propter delicta nostra, & surrexit propter iustificationem nostram, ibi num.22.

Et dominabitur à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos Orbis terrarum, quia cum in toto Orbe terrarum fides Christi sit prædicata, & vbique sint illius electi, quos Dominus Deus Pater illi dedit, sui enim sunt quia per passionem suam illos à morte liberauit, sanè & Dominus est in toto Orbe terrarum, cui data est omnis potestas in cælo, & in terra, vt supra dixi.

Coram illo procident Æthyopes, & inimici eius terram lingent, Psalm.67. num.32. Æthyopia præuenit manus eius Deo. Quis me prohibet baptizari, dicebat Æthyops ille Eunucus Reginæ Candacis, vel vt dicit Heronym. peccato tenebrosi, prout erant Gentiles, & peccatores, qui pœnitentia ducti humiles facti sunt, pedes Sacerdotum osculantur, terramq. lingunt. Ità Æthyopes declarat Reges Tharsis, & Insulæ munera offerent: Reges Arabum, & Saba dona adducent; omnes denique Reges, qui in Insulis maris degunt; Reges Orientalium partium, Reges Arabum, & Saba, idest Reges Arabici, & totius Regionis, quæ dicitur Saba, de qua cap.10.Reg.3. Per Reges Tharsis, omnes Indorum Reges intelligit, sicut per Insulas, quæ in mari Indico; quæ vltra 1800. sunt, comprehendit etiam Insulas Eyclades, & alias in Mediteraneo sitas, & alias, de quibus Valentia hìc, in d. vers. Psalm. 10.

illi enim Reges omnes, qui venerunt ad fidem, munera dederunt, Ecclesias construentes, illas dotantes, hospitalia pauperum erigentes, & similia; vide etiam Cardinalem Bellarm. in hoc loco de Regina Saba, &c.

Et adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gentes seruient ei, quia liberabit pauperem à potente, & pauperem, cui non erat adiutor. Ipse enim est Rex Regum, & Dominus Dominantium, Apocalyps. cap. 17. nu. 14. & Paul. ad Timoth. 1. cap. 6. num. 15. Beatus, & solus potens Rex Regum, & Dominus Dominantium: qui solus habet immortalitatem, & lucem inhabitat inaccessibilem, cui honor, & imperium sempiternum, Ioan. verò Apocalyps. c. 17. nu. 12. & decem, quæ vidistis cornua, decem Reges sunt, &c. Potestatem tamquam Reges vna hora accipient post bestiam; Sic vnum consilium habent, & virtutem, & potestatem suam bestiæ tradent: Hi cum agno pugnabunt, & agnus vincet illos, quoniam Dominus Dominorum est, & Rex Regum, & qui cum illo sunt, vocati, electi, & fideles. Propterea dixit, quia liberabit pauperem à potente, & pauperem, cui non erat adiutor; ipsos enim Reges, & alias gentes, qui pauperes dicuntur, dum à Diabolo opprimuntur, ab illius potestate Iesus liberabit, & à tyrannide diabolica; potens enim Diabolus, quia potentem illum faciunt consentientes homines persuasionibus, & tentationibus eius; hinc dicitur de illo: debilis est hostis, qui non vincit nisi volentē; affligebat enim Diabolus genus humanum multipliciter, & in corpore, & in anima, vt videre est in Eusebio 6. de Præparatione Euangelica, & in Valentia in supradicto nostro Psalm. 71. num. 12.

Liberabit ergo pauperem à potente: & illi parcet, saluas illorum animas faciendo à culpa, & pœna æterna: ideò dicit: parcet pauperi, & inopi, & animas pauperum saluas faciet, condonando illis pœnam, dabit gratiam suam, ità enim dominabitur à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos Orbis terrarum, quia genti iàm perditæ, in dictis locis habitanti, & fidem recipienti parcet, & animas illius saluas faciet; liberando à Dæmonis potestate.

Ex vsuris & iniquitate redimet animas eorum, & honorabile nomen eorum coram illo. Quæ sunt istæ vsuræ, dicit Augustin. nisi peccata? vsuræ, quia plus mali inuenitur in supplicijs, quàm commissum est in peccatis; dat exemplum ibi Augustin. in homicida; Corpus perimit, & non animam; ipse tamen homicida perdit & corpus, & animam, sic etiam de alijs peccantibus. Nàm ad tempus est delectatio peccati, pœna verò perpetua propter illud. Ab his vsuris redimentur animæ pauperum, sanguine illo, qui effusus est in remissionem peccatorum. Redimet igitur ab vsuris, peccata remittendo, quibus debebantur ampliora supplicia; hæc Augustin. Parcet ergo inopi, & pauperi, idest redimet ex vsuris, & animas pauperum saluas faciet, idest ex iniquitate redimet adiuuando per gratiam ad faciendam iustitiam. Et tunc honorabile nomen eorum coram illo, quia Sancti, & iusti in Domino vocantur, Isai. cap. 62. numer. 12. Et vocabunt eos populus sanctus, redempti à Domino, & Psalm. 4. num. 4. Et scitote, quoniam mirificauit Dominus Sanctum suum, & Sap. cap. 5. num. 5. Ecce quomodò computati sunt inter filios Dei, & inter Sanctos sors illorum est, d. cap. num. 17. ideò accipient Regnum decoris, & diadema speciei de manu Domini.

Et viuet, & dabitur ei de auro Arabiæ, & adorabunt de ipso semper: tota

die benedicent ei. Iàm non moritur amplius Christus; & nos etsi mortui fuerimus cum Christo, simul etiam viuemus cum illo, ad Rom. cap. 6. nu. 8. & 9. Viuet semper Christus; cum ipse sit vita; Ego sum Via, Veritas, & Vita, dicebat. Quid dicitis ò Iudæi? Venite occidamus eum, vitam occidere præsumitis? Descendat nunc de cruce, si filius Dei est; & liberet eum de manibus nostris: præsens vita mors est mortalibus potius dicenda. Eidem mortem intulistis; immo tunc mors mortua fuit, viuet; & dabitur ei de auro Arabiæ. Oblationes enim, quæ fuerint, & sint eidem factæ, notæ sunt; fundationes Ecclesiarum nomini eius dicatæ, & Sanctis suis, dotationes, munera pretiosa. Dabitur ei de auro Arabiæ, & benedicent ei, ipsum perpetuò adorantes, glorificantes, & benedicentes.

Erit firmamentum in terra, in summis montium. Quod maius firmamentum potest esse, Ecclesia Dei in terra in summis montium, in Vrbe Romæ posita, atque firmata, & sanguine Apostolorum fundata: ciuitas enim illa inter omnes huius mundi caput fuit, & Domina, ità etiam dicimus de alijs Regnis, Germania, Gallia, & de cæteris: summitates enim montium, idest capita omnium aliarum, & fortiora quarumcumque, in illis enim est firmatum huius Ecclesiæ, & huius veritatis, Psal. 24. n. 14. Firmamentum est Dominus omnibus timentibus eum, & testamentum ipsius, vt manifestetur illis, Paul. ad Timoth. 1. cap. 3. num. 15. Si autem tardauero, inquit, vt scias, quomodò oporteat in domo Dei conuersari, quæ est Ecclesia Dei viui, columna, & firmamentum veritatis. Et manifestè magnum est pietatis Sacramentum, quod manifestatum est in carne, Apparuit Angelis, prædicatum est gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria. Ecce quomodò fructus eius superexaltatus est super Libanum, & floruit, florebitq. de ciuitate hac, idest de hac Ecclesia, Act. Apost. cap. 6. num. 7. & verbum Domini crescebat, & multiplicabatur numerus Discipulorum in Ierosalem valdè; multa enim turba Sacerdotum obediebat fidei, & cap. 13. num. 49. Disseminabatur autem verbum Domini per vniuersam Regionem.

Superextolletur super Libanum fructus eius; dicit Dauid, & florebunt de ciuitate sicut fœnum terræ. Libanus, candidus interpretatur: superextolletur super candidos, & puros, mundosq. corde fructus illius verbi, & efflorebit de Ecclesia, quæ ciuitas dicitur, congregatio fidelium scilicet, sicut fœnum terræ; hoc est semper florebit, & continuò flores dabit, vt fructus plus afferat: fructusq. illi, hoc est animæ sanctæ superextollentur super Libanum ad altitudinem cæli, Vndè Ioan. cap. 6. nu. 59. Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum, & Eccles. cap. 24. num. 2. Flores mei, fructus honoris, & honestatis.

Sit nomen eius benedictum in secula: ante Solem permanet nomen eius, quod est verbum Dei, Ioan. Apocal. cap. 19. nu. 13. Et vestitus erat veste aspersa sanguine, & vocatur nomen eius Verbum Dei; quod Verbum factum est caro, Ioan. cap. 1. num. 14. & habitauit in nobis; Nomen eius ante Solem; cum per ipsum Sol factus sit, & coram ipso permaneat.

Et benedicentur in ipso omnes tribus terræ, omnes gentes magnificabunt eum. Nàm prædicatum fuit Euangelium omni creaturæ; & qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus fiet in nomine Christi, Matth. cap. 26. & Paul. ad Roman. cap. 15. quibus non est annunciatum de eo videbunt, &

qui non audierunt intelligent, & stupor apprehendit omnes, & magnificabant Deum, Luc.4.num.26. quia vidimus mirabilia, & Act.cap.10.numer.43. Obstupuerunt ex circumcisione fideles, qui venerant cum Petro, quia & in nationes gratia Spiritus sancti diffusa est, audiebant enim loquentes linguis, & magnificabant Deum, ità cap.19.num.14. per fidem enim iustificat gentes Deus, sic præuidens Scriptura, Genes.cap.12.numer.3. prænunciauit Abrahæ: quia benedicentur in te omnes gentes; igitur qui ex fide sunt, benedicentur cum fideli Abraham, quia tales filij Abrahæ dicuntur, Paul. ad Galat.3.num.7. & 14. Maledictus omnis, qui pendet in ligno, vt in gentibus benedictio Abrahæ fieret in Christo Iesu.

Benedictus Dominus Israel, qui facit mirabilia solus, & benedictum nomen maiestatis eius in æternum, & replebitur maiestate eius omnis terra. Mirabilia opera Altissimi solius, & gloriosa, & abscondita, & inuisa opera illius, Eccles.cap.11.num.4. quia ipse est Dominus solus omnium Regnorum terræ, & ipse fecit Cælum, & terram, Isai.37.num.16. & 20. & ipse solus facit mirabilia, Psalm.135.num.4.

Et benedictum nomen maiestatis eius in æternum. Verbum scilicet Patris filius Dei viui; quia non amplius domus Salomonis, nec in vna tantùm Ciuitate laudatio eius: neque templum vnicum à maiestate eius fumo impletum, 2.Paralipomen. cap.7.num.1. sed totum Cælum, tota terra maiestate eius impleta est, Ioan. Apocalyps. cap.15.num.8. Ioel cap.2.num.28. Et erit post hæc effundam spiritum meum super omnem carnem, & prophetabunt filij vestri, & filiæ vestræ, & numer.29. sed super seruos meos, & ancillas in diebus illis effundam spiritum meum, & dabo prodigia in Cælo, & in terra, idem Isai.44. num.2. Act.cap.2.num.3. Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ, &c. & repleti sunt omnes Spiritu sancto, & num.17. & Isai. cap.6.num.3. Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus exercituum, plena est omnis terra gloria eius, Vndè benè dixit Dauid: & replebitur omnis terra maiestate eius: nàm tunc non omnes Deum adorabant; immo Gentiles Idola, & opera manuum suarum colebant. Tunc, tunc, dicit Dauid, replebitur maiestate eius omnis terra, quando prædicatum fuerit Euangelium omni creaturæ, post aduentum filij Dei Iesu.

Fiat fiat: optans dicebat Dauid: veniat Domine qui venturus est, vt liberet gentes: Fiat Domine, fiat; Iàm factum est, ò Iudæi, ò Infideles: venit Iesus passus est pro nobis omnibus, vt omnes saluos faceret: Credite in illum, baptizemini in nomine eius, & saluabimini. O Deus omnipotens, excita corda illorum ad tibi seruiendum; illumina eos igne splédoris maiestatis tuæ: emitte spiritum tuum, & creabuntur, & renouabis faciem terræ. Fiat, fiat Domine per immensam misericordiam tuam. Amen.



SO-

SOLILOQVIVM.

O DOMINE Iesu Christe, cui à Patre datum est iudicium in terra, da etiam mihi filio tuo redempto, filio Regis, quia te Iesum Christum filium Dei esse confiteor, da iustitiam cum misericordia tua, iudicans me; vt deletis culpis, & iniquitatibus meis valeam ad te peruenire. Qui & populum tuum per passionem, & resurrectionem tuam acquisisti in tua iustitia; pauperesq. tuos in iudicio, vt simul consolationem capiant post ærumnas has. Montes etiam, & colles, qui potentes alijsquè præsunt verbum tuum susceperunt, in tua comprehendantur iustitia, ità vt relictis terrenis, & pauperes effecti sint pro tuo nomine; & alij per illorum prædicationem, & exemplum filij & ipsi pauperum facti, atque vniuersi locupletentur Regnis cælestibus. Et calumniatores filij Diaboli humilientur cum illorum auctore Diabolo: Iusti verò tecum Domine, qui lux, & Sol es, permaneant in sempiternum, vt vnum in te sint in generatione, & generationem, in congregatione Ecclesiæ tuæ. Descendat Domine Iesu sicut pluuia in vellus Spiritus sanctus in fideles tuos, sicut stillicidia stillantia super terram, vt sit omnium vna fides, vna spes in te credentium, & tunc orietur iustitia credentibus, & abundantia pacis, & erit vnum ouile, & vnus pastor. Tunc Æthiopes, & qui mala egerunt pœnitentes coram te procidentes, & terram lingentes, humillimè te adorabunt: tunc Regibus Tharsis, & Arabum, omnibusq. diuitibus, & potentibus, qui in pauperes, & proximos charitatem fecerunt, & tuo nomini gloriam dederunt, munera tibi offerentibus, dices, quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis, venite benedicti Patris mei, percipite Regnum, &c. quia liberasti eos, & pauperem, cui non erat adiutor à potente Diabolo. Parce Domine pauperi, & inopi, qui abiectis mundi diuitijs, pœnitentiam egerint; parce illis, vt salui fiant. Tu ex vsuris, & iniquitate redemisti animas nostras, thesaurum in Cælo facientes propter honorabile nomen tuum Domine; Vtinam cum sanctis Magis offeram tibi aurum Arabiæ, puritatem conscientiæ, tequè prostrato adorem corde, ab iniquitatibus libera, vt vnà cum fidelibus tuis tibi benedicam, quia per aduentum, & passionem tuam, nobis terrenis firmamentum tribuisti: vt relictis terrenis, & vanitatibus, in summis Cælorum montibus fructus superextollatur bonorum operum de Ecclesiæ Ciuitate florentes, in qua tamquam floribus rosarum, & lilijs conuallium coronantur iusti, & sancti, nomen tuum in sæcula benedicentes, quod permanet ante Solem, & in quo benedicentur gentes omnes, in quibus est denuntiatum nomen tuum; Benedictus sis semper Domine Deus noster, qui solus hæc mirabilia facis, & benedictum nomen maiestatis tuæ, quando iterum Spiritu sancto tuo repleta omni terra, fiet vnus pastor, & vnum ouile; fiat, fiat Domine.

FINIS.



